HIEROGLYPHICA,
SEV DE SACRIS AEGYPTIORVM, ALIARVMQVE GENTIVM LITERIS COMMENTARII,

A IOANNE PIERIO VALERIANO *Bellunensi summa cum industria exarati, & in libros quinquaginta octo redacti: quibus etiam duo alij à quodam eruditissimo viro sunt annexi.*

Hæc recens editio præter iconas & varia numismata, quibus affabrè elaboratis etiamnunc decorata est, multis Lectori perutilibus ad marginem adiectis annotatiunculis auctior facta, & à mendis, quæ priùs irrepserant, repurgata.

CVM COPIOSISSIMO INDICE.

LVGDVNI,
APVD THOMAM SOVBRON.
M. D. XCIIII.

Q.F.045

HIEROGLYPHICA,
SEV DE SACRIS AEGYPTIORVM, ALIARVMQVE GENTIVM LITERIS COMMENTARII,

A IOANNE PIERIO VALERIANO *Bellunenſi ſumma cum induſtria exarati, & in libros quinquaginta octo redacti: quibus etiam duo alij à quodam eruditiſsimo viro ſunt annexi.*

Hæc recens editio præter iconas & varia numiſmata, quibus affabrè elaboratis etiamnunc decorata eſt, multis Lectori perutilibus ad marginem adiectis annotatiunculis auctior facta, & à mendis, quæ priùs irrepſerant, repurgata.

CVM COPIOSISSIMO INDICE.

LVGDVNI,
APVD THOMAM SOVBRON.
M. D. XCIIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

ILLVSTRISSIMO
COSMO MEDICI
FLORENTINORVM DVCI,
HETRVRIÆQVE PRINCIPI,
Heroi incomparabili,

IOANNES PIERIVS VALERIANVS
S. P. D.

VM *mecum reputo*, COSME *Princeps Illustrissime, reputo autem sæpissime, quanta fuerit & genij & ingenij tui felicitas in laudatissimæ vitæ tuæ, negotiorúmque electionibus, cùm omnes te vnanimi totius patriæ tuæ consensu, in tam tenera ætate, ditioni amplissimæ præponerent, & in hanc celsam honoris sedem extollerent, tum certè quónam modo tantam rerum molem in hac temporum perturbatione ferre ac sustinere posses, sanequàm pro eo ac debui, solicitus esse cœpi. Verùm cùm actionis administrationísque tuæ progressum, & quam vitæ rationem complexus es, considero: gaudio planè maximo ita perfundor ac exulto, vt etiam planè videam te Fortunæ locum illum, singulari omnium benevolentia & summa virtutis existimatione non solùm tueri potuisse, sed etiam eam virtutis opinionem de te concitauisse, vt vel maximis regnis gubernandis te dignum præbueris. Nam qui fructus à bono veróque Principe soleat expectari vel maximus, huiusce iam non adumbratam imaginem, sed luculentam expressámque formam nobis exhibuisti: atque vt insigne commodum subditis tuis adferre posses, in primis operam dedisti, vt tanquam agrum melioribus ferendis segetibus destinatum, Lolio ζιζανιάνε, sic Rempublicam tuam labe vitiísque contagiosis perpurgares, dum corruptores coërces, externas diuini nominis contumelias, blasphemias, periuria, & id genus extrema scelera pro virili, iuréque tuo prohibes, emendas, tollis, ac punis: nihilque magis è tua dignitate, nec rem Deo (huius enim minister & est & dicitur bonus quiuis Princeps) gratiorem, nec ciuibus tuis salubriorem existimasti, quàm si ad huiuscemodi honestatis ac pietatis scopum & metam in curriculo tuo gnauiter & strenuè contendas: pro quo etiam labore & indefesso studio certò nouisti tibi diuinitùs immortale præmium esse propositum, cùm tam glorioſi conatus & cursus dux & magister* CHRISTVS *prolixè polliceatur illis rerum omnium felicissimos successus, qui Religionem puriorem ardenter amant, & ornare sedulo contendunt. Quamobrem,* COSME *Princeps ornatissime, fas mihi sit quæso, meo quodam more, & singulari quadam erga te gentémque vestram pietate, liberiùs quædam vsurpare & adferre, quæ ex officio prætermittere non possum, téque exhortari, & admonere, vel iam currentem (vt dici solet) incitare potius; vt quem hactenus animum ad publica iuuanda commoda attulisti, eum non deponas, sed tibi etiam atque etiam vigilandum, ac pro Republica consilio & labore excubandum existimes, studiáque omnia, cogitationes & curas in iis rebus ponendas, quibus clauum tanti dominij in maximis fluctibus tenere, & amplas ditiones tuas, in summis rerum difficultatibus tueri ac gubernare possis. Hoc ipsum facilè totum assequeris, si Deum verum in* CHRISTO *verè, vt facis, agnoscens, summa fide & obseruantia colas, ames, venereris, & gloriæ sanctissimi nominis eius, doctrinæ cœlesti, Ecclesiæ tranquillitati amplificandæ conseruandæq; dies noctésque studeas; in Domino, ad quod es adhibitus, publicam, vt hactenus fecisti, salutem quæras, subditorum incolumitatem cures & tuearis, honestam disciplinam instituas, vel iam institutam conserues, florentem ditionem legibus, iustitia, concordia stabilire pergas. Magnum, inquies, est hoc & arduum munus, molestiarúmque plenum, & quod non nisi ab ijs præstari potest, quibus diuinitùs peculiare donum concessum est: mihi autem homini satis alto perfruenti.*

Ad Illustriss. Cosmum Medicem

otio hæc perscribere longè facilius, quàm inuenire quemquam qui ad hunc scopum propius collimet. Rectè sanè, sed quorsum hæc? Vt teipsum, clarissime Princeps, respicias, téque eum esse firmè credas, in quem Deus Optimus Maximus immensa sua benignitate, tam ampla conferre voluit beneficia, vnúmque constituere Ducem, ac veluti pastorem, magnis & latè diffitis populis, vt eos commodè prudentérque regendo pascendóque, in hoc tuo principatu idea quædam sanctæ Reipublicæ eluceres. Ideóque duos præclaros tibi comites addere voluisti, Iustitiam & Religionem; quarum alterâ fortunas, vitam & dignitatem ciuium & populorum conseruas & contines; altera ad veram salutem verámque felicitatem omnes conuocas, & proprio laudabilique exemplo tantum non adducis. Respice igitur, COSME Princeps, munus tibi assignatum à Deo, talentúmque tam liberaliter tibi impertitum, ac cœleste tuum illud nomen non sine diuino numine ideò tibi obuenisse, vt (quod olim de Sparta prouerbium iactatum est) quam nactus es Hetruriam, eam excolas, & omni virtutum genere exornes. In primis autem, vt decet veræ virtutis amatorem, artes quibus doctrinæ liberales continentur, studio, liberalitate, & officiis tuis complectaris: insunt enim in artibus illis fontes & causæ sapientiæ, virtutum, legum, & honestæ disciplinæ, quæ omnia quàm principatui & prouinciis tuis necessaria sint, vnus omnium Principum optimè nouisti, qui nullis sumptibus, laboribus nullis pepercisti, vt præstantiores ingenuarum artium Doctores Gymnasiis præficerentur, iuuentútemque liberaliter institueret. Et si quis tandem inueniatur, qui ab egregia aliqua virtute commendationem ducit, hunc tua beneuolentia dignum iudicas, ac benignè complecteris, authoritate defendis, foues, & dignis præmiis ornas, vt iam nemo mirari debeat, probos homines & doctissimos quosque certatim ingenij sui partus libenter illi commendare, cuius vel nominis splendore, gratiam & ornamentum scriptis conciliant suis. Quam quidem ob rem nec mihi, qui annos permultos in vestra sum clientela, committendum putaui, vt, cùm multi eam voluptatem; quam incredibilem ex ista magna dignitate animis suis perciperent, scriptis declararent, vellémque te hunc summum honorem ex tuo merito splendore diutissimè administrare, ego vnus in tanta omnium lætitia tacerem, nec scripto testificarer commune omnium nostrûm gaudium ex eo potissimùm natum esse, quòd te vnum in hac durioris temporis propugnatione diuinitùs delectum videmus, qui literas literatósque viros singulari benignitate foues atque illustras, ac aduersus intolerandam inscitiam & immanem barbariem defendis. Vt igitur huiusce perceptæ meæ lætitiæ aliquam significationem darem, commentarios satis multos diuersorum amicorum, quibus id denegare nec potui nec debui, rogatu, de sacris Aegyptiorum literis hoc tempore in vnum veluti corpus constrictos in tuo nomine apparere volui, in quibus vel describendis vel tractandis magnam operam & sedulum studium nos possuisse, boni omnes, qui nostra legere dignabuntur, facilè intelligent. Quàm verò feliciter id à nobis tentatum sit, aliorum iudicium erit; labores certè incredibiles sustinuimus, dum earum rerum explicationem adferre studuimus, quæ naturæ obscuritate varietatéque inuolutæ, multísque obstructæ difficultatibus, plurimorum vel insigniter eruditorum hominum ingenia exercere detineréque potuerint, vt etiam æquiorem mihi fore Lectorem sperem, vbi viderit me primùm tanta rerum varietate, magnitudine ac difficultate maximo studio maximáque animi contentione in hoc argumento elaborare voluisse, & honesto exemplo multorum studia excitare. Quamquam hoc loco extiterunt, qui in ipso operis vestibulo à tam laborioso me deterrere ita stupuerunt incæpto, vt etiam vel arrogantiæ vel imprudentiæ nota & crimine me verberarint, quòd vnus è multis existimarem aliquam absolutam explicationem me nunc tandem huic tam obscuro argumento adferre, & tam immensam rerum abditarum seriem ex Aegyptiorum sacerdotum arcanis eruere posse confiderem. Quin potiùs rei difficultate ob oculos versata, inexhausti operis laborem declinandum censuerunt, præsertim cùm in huiusmodi enodandis non pauci ex Græcis & Latinis barbarísque scriptoribus omne studium & operam sine fruge consumpserint, quod opus tale rerum atque artium omnium propemodùm rationem naturámque comprehendat. Præterea vetustis earum literarum monumentis, partim temporum, partim hominum incuria deperditis, ea dicebant scriptorum inopia laborandum esse, vt si ætas, si ingenium, alia pleraque adessent, vix tamen ad exitum perducere concederetur tantæ molis argumentum, quod idem adeò sit ex hominum memoria sublatum, vel potiùs abolitum, vt nulli vnquam vsui sit hæc elucubratio futura, cùm præsertim hoc ipso tempore nullius quantumlibet profunda eruditione sit, qui vel obeliscos, qui Romæ aut alibi adhuc visuntur, vel admirandam illam Bembi mensam intelligat, aut interpretari possit; vanúmque esse, ingenium in eo pertinaciùs intendere, quod te nunquam omninò speres assecuturum. His ego responsum volo, me non esse nescium pluri-ma ex his vnà cum Aegyptiorum regno, doctrina, institutione, ac ferè omni eorum nomine ita esse abolita, vt si vel ipse reuiuiscat Heraiscus, qui fertur olim omnia sacerdotum eorum monumenta literásque mysticas vno statim obtutu intellexisse, rerúmque simul interpretationem confecisse, iam nunc laboret incassum, si quid tale aggrediatur. Sed estò non posse me, non posse alium quempiam totum hoc sacrum perlustrare, idcircóne præclaro & laborioso incæpto desistendum, quòd vni omnia præstare negatum sit? Idcircóne veterum numismata & statuas artificiosius elaboratas, quas tanto studio perquirimus, tanta diligentia effodimus, tanto sumptu resarcire curamus, quacumque fuerint vel nare, val manu, vel pede, vel alio quopiam membro mutilæ, in fornacalem ignem ad vsum calcis coniiciemus? quomodo enim nobis vel voluptati vel admirationi esse poterunt, si non vndecumque perfectæ fuerint, quando nihil isti dignum putant, pretiosum nihil, nisi quod est absolutissimum? Agè igitur, COSME, si horum sententiam probas, monumenta aliquot tum vetera, tum recentia ex amœnissimis tuis ædibus abijce, statuas illas mira Michaëlis Angeli Bonaroti industria fabrefactas, è Diui Laurentij templo eliminandas cura: nam & illis aliquid deest, & hæ extremam artificis

desiderant

Epistola nuncupatoria.

desiderant manum, vt de his tantùm loquamur, quos in nostra commentationis serie duces libenter suscipimus. Plinium habere domi nemo velit, professus enim se naturalis aut mundi historiæ libros editurum, non omnia nouit, non omnia perquisiuit, in orbis descriptione multa prætermisit, montes aliquot non recensuit, flumina pleraque non commemorauit, vrbes tunc celebres non agnouit omnes, quadrupedum, piscium, auium, stirpium, ac aliarum quarundam vim ac proprietatem parum accuratè proposuit? Quid Plutarchum, quid Aelianum, quid Athenæum, quid Pausaniam memorem, cùm horum nemo omnia, quæ in suscepto argumento dici potuissent, dixerit? Quid Paulum Iouium, cuius tanta in scribenda historia laus est, vt eandem plerisque veterum eripuerit, & cum vel primis parem habeat? Huiusne incomparabilis viri scripta reijciemus, quòd in ea temporum serie aliquot annorum historia concisor sit? Id existimo nemo, nisi prorsus humanarum rerum imperitus, approbauerit. Tu certè, COSME Princeps, domestico idipsum improbæs exemplo, qui quanto potes studio, quicquid reparari potest, instauras; & quorum virtutes vel imitaris, vel etiam excellis, eorum etiam imagines vel opera studiosè perquiris. Sed ne in hoc multus sim, harum commentationum labor nulli rei magis mihi videtur assimilandus, quàm illi de quo dixi statuarum effodiendarum & instaurandarum studio: vt enim illæ vtcumque mutilæ, gratæ esse solent, sic nostra hæc (nisi me instituti operis fallat amor) etsi non omnia complectentur, habitura tamen spero aliquid, quo sese humana ingenia oblectare possint. Nihil igitur mihi cum illis sit, qui quòd desperent inuicti membra Glyconis, Nodosa corpus nolint prohibere chiragra. Nouimus humanarum virium terminos circumscriptos, & aliquid esse prodire tenus, si non datur vltrà. Quamobrem quis tandem iniquiore in eum erit animo, qui mortalium ingenia, industria & laboribus suis quocumque modo vel delectare, vel iuuare conetur? Nam de præsentis argumenti vel oblectatione, vel vtilitate, quam earum rerum explicatio & cognitio affert, si velim pro dignitate dicere, nullus vnquam exitus reperietur. Quòd si vnicuique rei non exigua nobilitas ex antiquitate comparatur, scriptorum opinio est, literas has, quibus inde vsi sunt Aegyptij, tunc primùm excogitatas, cùm veteres illi ante diluuium viri, qui rerum cœlestium rationem primi mortalium indagasse traduntur, duas diuersa materia columnas constituerunt, lateritiam vnam, alteram lapideam, in quibus totum de consummatione mundi arcanum exscriberent: sunt enim qui descriptionem huiusmodi, animalium cæterarúmque rerum figuris constitisse astruerent, in quibus tamen Philosophi, Poëtæ; Historici, diuinarum etiam disciplinarum sententias delitescere viderunt. Constantissima enim fama celebratum fuit, sacerdotes illos Aegyptios omnem naturæ obscuritatem adeò manifestè sibi cognitam professos, vt eandem quasi per manus traditam, disciplinam hæreditariam possiderent. Hac ipsa præclara fama commotus admirandus ille Pythagoras, Aegyptum sibi adeundam lustrandámque putauit, ac ab ijsdem ibi sacerdotibus talia cepit arcanarum rerum documenta, vt non abs re de illo passim dictum sit:

Mente Deos adiit, & quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Tantáque huius viri fuit admiratio, vt Crotoniatæ & Metapontini (apud quos etiam è vita decessisse fertur) ex eius domo templum facerent, ac veluti numen colerent. Quid Plato, vt ingenij doctrinæque Princeps, & Philosophorum Deus & haberetur & vocaretur, nónne id Aegyptiacæ peregrinationi debet referre acceptum? Nónne Moses ipse, quem Pharaonis filia adoptauit, regióque modo peritis Aegyptiorum adhibitis præceptoribus educauit ac eruditit, magni sapientísque nomine honoratus est? Sed ne in conquirendis multis laborare videar, cum hac hieroglyphica instituendi ratione similitudinem habere comperio diuinas nostrorum literas, ita omnia mystico quodam sensu scripta quæcumque Moses, quæ Dauid, quæ Prophetæ reliqui cœlesti Spiritu afflati protulerunt. In noua verò lege nouóque instrumento cùm Assertor noster ait: Aperiam in parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar, quid aliud sibi voluit, quàm hieroglyphicè sermonem faciam, & allegoricè vetusta rerum proferam monumenta? Et illud: IESVS in parabolis loquebatur ad turbas, nónne sermones suos arcano quasi velamine quodam contegebat? Pari modo videmus Apostolos ab usitato loquendi more recessisse; vt sacra de Deo dicta à cæteris scriptis, sicut merita dignitate, ita & forma quadam discernerentur, ne cœlestium mysteriorum majestas passim & indiscretè patesceret, sanctúmque Canibus, & margarita Porcis exponerentur. Demetrius certè Phalereus apud Philadelphum Alexandriæ Regem, pleríque audientibus affirmauit, non licuisse Græcis Hebraicam historiam attingere, quin illustrium scriptorum quosdam eam rem tractare ausos, aduersa mentis valetudine & langore corporis tandiu conflictatos, donec ab incepto destitissent, tanquam id arcanum profanis esset gentibus manifesta ira Numinis interdictum. Ad quod ipsum si nunc multi respicerent, modestius aliquando se gererent. Vides enim quæ de humana diuinaque disciplina vetustas illa sub rerum verborúmque quorundam inuolucris occultauerat, & quòd peritissimi quique inter se hoc veluti ænigmatum genere vti consueuerunt. Mihi igitur vitio verti non debet, si omnem operam & studium ad harum rerum explicationem contulerim, quas tanto in pretio à præstantissimis quibusque semper habitas nouimus. Angelo Politiano, Petro Crinito, Philippo Beroaldo summæ laudi datum, quòd primi vnum vel alterum ex his locum interpretati sint. Mihi igitur vt idem attentem cur negetur? Et si ûs non sum, qui cum illis ausim eruditione contendere (fuerunt enim ex ijs quos æquus amauit Iupiter) si quid tamen non intermissus labor, & in euoluendis remotioribus libris perseuerantia valent, non vnum iam aut alterum locum, sed ad multa volumina de arcanis huiusmodi, aliqua posteritatis gratulatione me conscripsisse grati, ni fallor, profitebuntur, ac oblectationem & vtilitatem ab harum rerum tractatione non disiunxisse.

Ad Illustr. Cosm. Med. Epist. nuncup.

Maximas certè commoditates & vtilitates consequemur, si ex multis expertibúsque rationis animantibus exempla sumere voluerimus, & virtutum, quas sequamur, & vitiorum, quæ fugiamus. Nec deerit occasio rectè sentientibus, qui accommodatè ad religionem nostram hæc retulerint & exposuerint. Nec etiam arborum & herbarum consideratio nobis otiosa est, cùm Beatus Paulus, & ante eum Dauid ex rerum creatarum cognitione, Dei magnitudinem & dignitatem intelligi tradant. Quæ cùm ita sint, quis nostrûm tam torpescenti ac terrenis fecibus immerso erit animo, qui se non innumeris obstrictum à Deo beneficiis fateatur, cùm se hominem creatum videat, & omnia quæ cœlo, aëre, aqua, terráque continentur, hominis causa generata esse, séque non solùm rerum cœlestium contemplatorem esse, verùm etiam eorum omnium quæ vniuersum complexu suo continet, Dominum esse conditum? Hæc si ita suis viribus & animo expenderentur, atque oculis quotidie cernuntur, mirabilem excitarent in nobis erga Deum amorem. Verùm iam tempus, vt quæ, coniunctissimis efflagitantibus amicis, commentariis singulis comprehensa sint, vno veluti obtutu spectanda exhibeam, quos quidem commentarios, optime Princeps, ad te mitto, vt quibus possim officiis meam in te fidem, perpetuámque obseruantiam declarem, vehementer etiam atque etiam rogans, vt hos ipsos ad te venientes, id est, munusculum Pierij tui, quo se præstantem virtutem tuam memoria sempiterna colere velle declarat, ne aspernêre, librósque ipsos vnà cum authore tuendos conseruandósque suscipias. A Leone animantium omnium præstantissimo fortissimóque auspicandum putaui, in quem cùm oculos attentiùs coniecissem, statim ardentissimus ille animi tui vigor affulsit; quare nemini conuenientiùs quàm vni tibi eum etiam peculiariter dedicari posse iudicaui: mêque ad id faciendum in primis incitauit, quòd in tua ciuitate, quæ semper fuit Leonum altrix, magna spes afferebatur, vt Leo meus nuper ablactatus, educationis incrementa opiparè esset apud te consecuturus. Multo enim indiget cibo, nec quemquam hodie noui, qui liberaliùs ac libentiùs vno te sit impensam hanc, quæ tua est humanitas, facturus, cùm præsertim largissima tibi sit earum rerum copia, quibus Leo meus pascendus est; mox verò vbi vires adeptus idoneas fuerit, tuorum literatorum ope curáque saginatus, nulla nostra verecundia theatris exhibitus, spectaculo quouis publico, felicissimis tui nominis auspicijs, emittatur.

VALE.

*

RERVM

RERVM, QVAE SEXAGINTA HIS Commentarijs continentur, Catalogus.

PRIMO Commentario, ad Cosmum Medicem Florentinorum Ducem, describitur Leo, cuius, vt reliquorum omnium, symbola suo loco in Indice copiosè notantur. pag. 1.

Secũdo, ad Guidonẽ Ascanium Sfortiam Card. Elephantus & Rhinoceros. 15

Tertio, ad Lælium Taurellum Iureconsultum, Taurus, & Bubulum genus. 21

Quarto, ad Petrum Victorium, Equus. 33

Quinto, ad Florium Maresium Bellunensem, Canis. 44

Sexto, ad Cœlium Calcagninum, Cynocephalus, Simia. 52

Septimo, ad Achillem Bochium Bononiensem, Ceruus, Cornua. 60

Octauo, ad Romulum Amasæum, Formica, Scarabeus, Echinus terrestris. 68

Nono, ab Fabium Vigilem Spoletanum, Porcus siue sacra Sus. 76

Decimo, ad Lactantium Ptolomæum, gregalia quædam, nempe Capra, Hircus, Orix, Ouis, Aries. 86

Vndecimo, ad Prosperum Sancta-crucium Romanum, Lupus, Hyæna, Lynx, Vrsus, Panthera, Tygris, Vrus. 97

Duodecimo, ad Petrum Cursium Romanum, Asinus, Mulus, Camelus. 107

Decimotertio, ad Ioannem Antoniũ Egregium, Lepus, Vulpes, Fiber, Talpa, Mustela, Mus, Felis vel Ælurus. 118

Decimoquarto, ad Bernardinum Maffæum Cardinalem, Serpẽs in genere, Basiliscus, Vipera. 127

Decimoquinto, ad Achillẽ Maffæũ Romanum, Serpens in signis militaribus, Caduceus. 139

Decimosexto, ad Mariũ Maffæum, Romanum, Æsculapius, Gorgonæ, Scorpius, Salamãdra, Dipsas, Medusa, Hydra. 147

Decimoseptimo, ad Ægidiũ Viterbiẽsem Card. Ciconia, Merops, Cucupha, Ibis, Dagnis, Grus, Miluius. 157

Decimooctauo, ad Cornelium Musæum Episcopum Bipontinum, Vultur. 164

Decimonono, ad Paulum Iustinianum Abbatem, Aquila. 174

Vicesimo, ad Actium Sincerum Phœnix, Pelecanus, Vulpanser, Noctua, Cornix, Passer. 184

Vicesimoprimo, ad Iacobum Sadoletum, Accipiter. 192

Vicesimosecũdo, ad Victoriam Dauolã, Piscariæ Dominam, Columba, Turtur, Hirundo. 200

Vicesimotertio, ad Angelum Colotium Bassum, Olor, Luscinia, Psittacus, Pica, Larus, Cephus, Gryphs, Coruus. 211

Vicesimoquarto, ad Nicolaum Cordatum, Paduo, Gallus, Gallina, Gallinago, Anser, Perdix, Coturnix. 219

Vicesimoquinto, ad Thomam Miliarium Bellunensem, Struthiocamelus, Vespertilio, Otis, Alcedo, Curuca, Cuculus, Capriceps, Vpupa, Florus, Salus, Ardea, Cinnamus, Velia, Asio, Iynx, Caprimulgus, Turdus, Erithacus, Cinclus. 230

Vicesimo sexto, ad Petrum Melinũ Romanum, Apis, Culex, Cossi, Fucus, Vespa, Musca, Ephemerus, Cicada, Araneus, Tippula. 239

Vicesimoseptimo, ad Ioannem Grimanum Patriarcham Aquilegiensem, Delphinus, Polypus, Chamæleo, Taranda. 252

Vicesimooctauo, ad Liuium Podocatharũ Cypri Archiepiscopum, Testudo, Cãcer, Pinna, Ostrea, Locusta, Cochlea, Sepia, Purpura, Echinus marinus, Conchylium. 260

Vicesimonono, ad Matthæum Macingum, Crocodilus, Fluuialis Equus, Phocas, Muræna, Anguilla, Rana. 268

Trigesimo, ad Paulum Iouium Episcopum Nucerinorũ, Pisces, Torpedo, Remora, Anthia, Cephalus, Scarus, Mullus, Sargus, Pastinaca, Nebrias, Fuca, Raia, Scolopendra, Pholis, Squatina, Clupea, Apua, Hirundo, Lepus, marinus, Spõgia, Glanis, Silurus, Thũnus. 274

Trigesimoprimo, ad Cosmam Gerium, ea quæ per Piscem in vniuersum. 282

Trigesimosecundo, ad Ioannem Iacobum Fuggerum, Caput, Bicipitium, Tricipitium, Quadrifrons, Coma, Semicrinitum caput, Canities, Barba, Ceruix, Dorsum, Humeri. 293

Trigesimotertio, ad Vrbanum Bolzanium, Oculi, Aures, Nasus, Os & Dentes, Lingua, Gustus. 304

Trigesimoquarto, ad Sebastianum Corradum, Cor, Clibanus, Sartago, Craticula, Spina dorsi, Pudenda, Vmbilicus, Venter, Pellis. 314

Trigesimoquinto, ad Ioannem Manardum Ferrariensem, Manus, Pedes, Calcaneum, Genua. 327

Trigesimosexto, ad Franciscum Robortellum, Digiti & Mensuræ. 340

Trigesimoseptimo, ad Bernardinum Tomitanum, Digiti & Numeri. 350

Trigesimooctauo, ad Herculem Gonzagã Card. Literæ & Disciplinæ. 361

Trigesimonono, ad M. Antonium Passerem Patauinum, Isis, Circulus, Rota, Quadratum, Meta, Trinum. 373

Quadragesimo, ad Ianum Vitalem Panormitanum, Vestimenta, Pileus, Indumenta atrata, Pera. 384

Quadragesimoprimo, ad Ioannem Cornelium Fantini clarissimi F. Venetum, Bulla, Anulus,

Index Librorum.

Diadema, Titulus, Sceptrũ, Torques & Phaleræ, Adamas, Sapphirus, Smaragdus, Iaspis, Vniones, Amethystus, Pecten, Speculum. 395

Quadragesimosecundo, ad Nicolaum Rodiuillum Olicæ & Nesuesij ducem, Arma, Arcus, Sagittæ, Hasta, Framea, Scutum, Gladius, Securis, Falx, Serra, Galea, Thorax, Pugio, Castra. 405

Quadragesimotertio, ad Nicolaũ Scombergum Card. Sedes seu Sella, Currus, Fulmen. 420

Quadragesimoquarto, ad Ioannem Baptistam Montanum, Sol, Luna, Stella. 430

Quadragesimoquinto, ad Thomã Campegium Episcopũ Feltrensem, Nauis & partes, nempe Anchora, Temo, Retia, Hamus, Tridens. 440

Quadragesimosexto, ad Benedictum Agnellum, Vrnæ Nili, Lucerna, Faces, Turibulum, Phiala, Ignis, Fumus. 446

Quadragesimoseptimo, ad Marcum Mantouum Iureconsultũ, Lyra, Fistula, Tuba, Tibię, Tympanũ, Tintinnabulũ, Vocales septẽ, Liber. 456

Quadragesimooctauo, ad Arnoldum Arlenium, Incus, Malleus, Tridens, Arratrum, Flagellum, Frænum, Colus & Fusus, Laqueus, Catena, Iugum, Clauus, Cuneus, Vncus, Plumbum, Vectis, Clauis. 466

Quadragesimonono, ad Aloisium Corneliũ, Lapis, Mola, Ara, Ædes, Iani, Columnæ, Obelisci, Mutili, Perpendiculum, Cardo. 477

Quinquagesimo, ad Hieronymũ Fracastorium, Palma, Laurus, Cedrus, Myrtus. 487

Quinquagesimoprimo, ad Hieronymum Roboreum, Quercus, Hedera, Smilax, Amygdala, Nux iuglans, Capparis. 497

Quinquagesimosecundo, ad Laurentium Granam, Funestæ arbores, nempe Cupressus, Pinus, Populus, Apium, Myrtus, Salix, Morus, Caprificus, Lotos. 501

Quinquagesimotertio, ad Reginaldum Polum Card. Olea, Vitis, Ficus. 504

Quinquagesimoquarto, ad Aloisium Priullum, Pomum Italum, Persicum, Punicum. 522

Quinquagesimoquinto, ad Iulium Medicem, Rosa, Vepres, Carduiscolymus, Amaranthus, Ferula. 528

Quinquagesimosexto, ad Ioannem Antonium Pollionem, Spica, Lolium, Melium, Modius siue Calathus, Cornu copiæ. 535

Quinquagesimoseptimo, ad Ludouicum Beccadellum Archiepiscopum Ragusinum, Papyrus, Faba, Cicer, Arundo, Sinapi. 543

Quinquagesimooctauo, ad Franciscũ Fantonũ, Hortẽsia, Cepe, Allium, Rapum, Fungus, Cucurbita, Papauer, Verbena, Filix, Absinthiũ, Hyssopus, Asparagus, Capparis, Mandragora, Bulbi, Cicuta, Ruta, Coniza, Heliotropium, Lupinum, Nyctererum, Blittum, Beta, Capillum Veneris, Apiastrum, Braffica. 550

Quinquagesimonono, ad Basiliũ Amerbachiũ, varia Deorum & hominum simulacra. 567

Sexagesimo, ad Theodorum Zuinggerum, Serpens, Cerberus, Felis, Vitulus, Capricornus, Cancer, Aquila, Crater, Lyra, Arcus, Nodus, Catena, Quinarius numerus, Pentagonum, Pyramis, Cubus, Octaëdrum, Isocaëdrũ, Papauer, Iris, Hyacinthus, Narcissus, Hyssopus, Myrtus, Salix, Cedrus, Palma, & quatuor anni temporum hieroglyphica. 583

AVTHORES, QVORVM TESTIMONIIS IN his Commentariis vsus est Pierius.

ABSINIS *Rhetor.*
Absyrtus.
Acron.
Aelianus.
Aegyptij sacerdotes.
Aeneas Platonicus.
Aeschylus.
Africanus in Georg.
Agriculturæ libri Constant.
Imp. inscripti.
Albertus Magnus.
Alcinous Platonicus.
Alexander Aphrod.
D. Ambrosius.
Ammianus Marcell.
Anacreon Teius.
Apollodorus.
Apollonius Rhodius.
Apollonij Rhodij interpres.
Appianus Alexandrinus.
Apuleius.
Aratus.
Arati interpres.
Aristophanes.
Aristophanis interpres.
Aristides Adrianus.
Aristoteles.
Arrianus.
Artemidorus.
Athanasius.
Athenæus.
D. Augustinus.
Ausonius Burdegalensis.
Auerroës.
Basilius Magnus.
Beda Venerabilis.
D. Bernardus.
Biblia sacra.
Boëtius Seuerinus.
Callimachus.
Cassiodorus.
Catullus.
Cebes Thebanus.
Censorinus.
Charisius Sosipater.
D. Chrysostomus.
Cicero.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Pontifex.
Cleomodes.
Columella.
Cornelius Celsus.
Cornelius Fronto.
Cornelius Tacitus.
Demetrius Triclinius.
Demetrius Phalereus.
Demosthenes.
Didymus.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnassæus.
Diogenianus.
Dion Cocceius historicus.

Dion

Authorum nomina.

Dion Prusensis Chrysostomus.
Dioscorides.
Ennius.
Erasmus Roterodamus.
Eucherius.
Euripides.
Eusebius.
Eustathius.
Eutropius.
Festus Pompeius.
Flauius Vopiscus.
Florentinus de re Rustica.
Fortunatus.
Franciscus Petrarcha.
Fulgentius.
Galenus.
A. Gellius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Pont.
Hali Amberagel.
Haliabbes Arabs.
Harpocration.
Heliodorus.
Haraclides Ponticus.
Hermes Astronomus.
Hermes Trismegistus.
Hermolaus Byzantius.
Herodotus.
Herodianus.
Hesiodus.
Hesiodi interpres.
Hesychius Hierosolymitanus.
Hesychius Grammaticus.
Hierocles.
D. Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus.
Homeri interpres.
Horatius.
Horus Apollo.
Iacobus Zieglerus.
Iamblichus.
Ioannes Picus Mirandulanus.
Ioannes Reuchlin Phorcensis.
Ioannes Scholasticus.
Ioannes Stobæus.
Ioannes Scotus.
Ioannes Grammaticus Zezes.
Iosephus.
Irenæus.
Isaacius Zezes.
Iulius Capitolinus.
Iulius Firmicus.
Iulius Frontinus.
Iulius Pollux.
Iulius Nypsius.
Iustinus Historicus.
Iuuenalis.
Lactantius Firmianus.
Lactantius Statij interpres.
Lucas Minoritanus.
Lucianus.
Lucretius.
Lycophron.
Macrobius.
Manethon.
Martialis.
Martianus Capella.
Maximus Tyrius.
Michaël Byzantius.
Musonius.
Nicander.
Nicandri interpres.
Nicephorus.
Nonius Marcellus.
Numenius.
Oppianus.
Origenes Adamantius.
Orpheus.
Ouidius.
Pandectæ Iuris.
Papinius Statius.
Paulus Diaconus.
Paulus Iurisconsultus.
Paulus Orosius.
Pausanias.
Petronius Arbiter.
Petrus Aponensis.
Philo Iudæus.
Philostratus.
Phocylides.
Phurnutus.
Pindarus.
Pindari interpres.
Plato.
Plautus.
Plinius in Naturalibus historijs.
Plinius iunior.
Plotinus.
Plutarchus.
Pontius Paulinus.
Porphyrius Philosophus.
Porphyrion Grammaticus.
Priscianus Grammaticus.
Probus Valerius.
Probus Aemilius.
Proclus Lycius.
Procopius.
Propertius.
Prudentius.
Psellus.
Ptolemæus Alexandrinus.
Quintilianus.
Quintus Curtius.
Quintus Calaber.
Ruffinus Aquilegiensis.
Salomon Trecensis.
Seneca.
Seruius Honoratus.
Sextius Medicus.
Sextus Aurelius historiographus.
Sibyllini libri.
Sidonius Apollinaris.
Silius Italicus.
Solinus.
Sophocles.
Spartianus.
Speusippus.
Stephanus de Gentibus.
Strabo.
Suetonius.
Simeon Antiochenus.
Synesius.
Tertullianus.
Themistius.
Theocritus.
Theocriti interpres.
Theodorus Gaza.
Theon Arati interpres.
Theophilus Iurisconsultus.
Theophylactus.
Theophrastus.
Diuus Thomas Aquinas.
Thucydides.
Tiberius Donatus.
Tibullus.
Titus Liuius.
Trogus Pompeius.
Tryphon Grammaticus.
Valerius Flaccus.
Varro.
Vectius Bassus.
Vegetius.
Veterum varia numismata.
Victorius Donatus.
Virgilius.
Vitruuius.
Vlpianus Iurisconsultus.
Xenophon.
Zenodotus.
Zezes.
Zoroastres.

AVTHORVM QVORVM TESTIMONIIS IN Hieroglyphicis Pierius vsus est, finis.

LOCO

LOCORVM QVORVNDAM SACRÆ SCRIPTVRAE, QVAE HIC PASSIM EXPONVNTVR, INDEX.

GENESIS.

Cap. III. Insidiaberis calcaneo eius. 577.c
Eodem. Homo ipse tuum obseruabit caput, & tu illius calcaneum. 339.a
6 Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. 548.d
9 Anima illius in sanguine est. 198.d
23 Habitabat autem Ephron in medio filiorum Hethios. 139.b
35 Reges de lumbis tuis egredientur. 320.c
36 Tauri decor eius. 33.a

EXODI.

Cap. XXVIII. Et fecerunt vestimentum poderem sub vmbone, &c. 388.f
33 Posteriora mea videbis, faciem, &c. 206.f

LEVITICI.

Cap. II. Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies, &c. 287.a
2 Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila. 318.e
6 Quæcunque illa attigerit, sanctificabitur. 331.b.c
8 Sacrificium pro sacerdotum consecratione, pollices manuum & dexterorum pedum, hostiæ sanguinæ oblinuntur. 337.c
8 Azymorum calathus ab Aarone & filiis eius offerendus. 364.e
11 Et quicũque morticinia eorum tetigerit, &c. 372.d
11 Vt adoretis Talpas & Vespertiliones. 232.e
15 Vertantur in lapides, donec pertranseat populus tuus Domine. 480.e
17 Vbi monemur sanguinem non esse comedendum. 198.d
19 Manus eius offerant hostiam Domino. 328.f
21 Non radent caput, neque barbam. 302.e
22 Si fractum, si cicatricem habens. 696.c
Si non poterat manus eius inuenire. 335.a
23 Septem diebus comedetis azyma. 345.a
23 Animam quæ peccauerit, offerre donum similam cum oleo. 511.a
23 Panes duo primitiarum dicti ex duabus decimis similæ fermentatæ. 364.e
23 Salices de torrente sumi præcipiuntur. 507.c
27 Omnis æstimatio sicli, &c. 186.f
27 De consecratione, præsertim Aaronis. 310.f
28 Ad imas tunicæ fimbrias aurea cur tintinnabula, maláque punica. 462.d
Pontifex humeros primùm præcingi iubetur, mox logium assumere. 367.a

DEVTERONOMII.

Cap. VIII. De Dispade, vbi terrificam illam describit solitudinem. 153.c
12 Vbi sanguinem hostiarũ pro anima esse, monet Moses. 198.d
17 Quicunque rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi Equos. 38.e
21 Si mulierem quis ex hostico viderit, vt vxorem ducere concupiscat. 301.b
23 Locum habebis extra castra, &c. gerens paxillum in baltheo. 127.a
25 Pro mensura peccati erit & plagarum modus, &c. 360.e
32 Comedit Iacob, & impletus est, & recalcitrauit. 33.a
32 Funiculus hæreditatis suæ Israël. 349.c
32 Sanguinem vuæ biberunt. 517.b
33 Qui appropinquant pedibus eius, de doctrina eius, &c. 336.f
33 Et sanguinem vuæ biberet meracissimum. 517.e

IVDICVM.

Cap. VI. Si ros in solo vellere fuerit, & rogo vt solum vellus siccum sit. 370.c
5 Curuatis genibus biberunt. 54.d

REGVM.

1 Reg. 5. Arca Domini iuxtà locata, noctu fractum dissiliisse, manéque dorsum, &c. 303.c
1 Reg. 24. Canem mortuum persequeris. 49.c
1 Reg. 28. Mulierem quæ Pythonem habeat, sibi fisti cupit Saul. 137.a
2 Reg. 9. Ecquis ego sum seruus tuus, &c. 49.c
2 Regum. 22. Ascendit fumus de naribus eius. 310.d
3 Reg. 12. Minimus digitus meus compactior est lumbis patris mei. 320.e
3 Reg. 1. Ponite filium meum Salomonem in Mulam. 114.f
4 Reg. 4. Mors in olla est. 504.f
4 Reg. 6. Elisæus vidit auxiliares equites in monte. 36.e

IOB

Locorum sacræ Scripturæ Index.

IOB.

Cap. III. Si non ex ventre matris meæ dux illis fui. 326.e
17 Manus Domini tetigit me. 331.c
38 De cuius vtero egressa est glacies. 326.e
39 Quis dimittet Asinum liberum? 110.d
30 Num derelinquet oua sua in terra, vt quæ puluis, &c. de Herodio. 106.f
Nunquid in sapientia tua plumescit accipiter. ibidem
Struthio in terra relinquit oua sua, &c. 231.a

PSALMORVM.

Psal. I. Tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, &c. 484.d
Hic arbori similis est ad aquæ riuum satæ. 588.d
7 Caligo sub pedibus eius. 371.b
8 Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. 340.f
10 Palpebræ eius interrogant filios hominum. 307.a
17 Deus posuit tenebras latibulum suum. 269.b
18 Pes meus stetit in via recta. 337.c
20 Quoniam pones eos dorsum. 303.c
21 Ego sum vermis, & non homo. 72.f
21 Circundederunt me Canes multi. 52.e
22 Circundederunt me Vituli multi, Tauri pingues, &c. 33.a
26 Ne repellas me. 216.f
26 Delinquentis hominis brachium conteritur. 373.c
28 Dominus diluuium inhabitare facit. 66.e
29 Vox Domini quæ Ceruos perficit. 40.f
31 Nolite fieri sicut Equus & Mulus. & 114.e
31 Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. 531.d
35 Homines & iumenta saluabis Domine. 91.b
38 Tabescere fecisti quasi araneã animã meam. 251.a
39 Ecce commensurabiles posuisti dies meos. 346.f
29 Seruasti me ne deciderem in lacum. 374.e
40 In Idum eam extendam calceamentũ meum. 394.e
41 Abyssus abyssum inuocat. 374.d
44 Eructauit cor meum verbum bonum. 316.e
44 Cùm nobis aderas, inimicos nostros cornu petebamus. 33.a
49 Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, &c. 313.b
50 Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. 587.b
57 Furor eorum par est anguium furori. 133.b
27 Alienati sunt peccatores ab vtero, ira eis secundum similitudinem. 134.e
58 Conuertentur ad vesperam, & fame conficientur vt Canes. 49.c
59 Moab lebes spei meæ. 540.f.541.a
63 Te uisti manum dexteram tuam. 333.a
63 Super oues pascuæ tuæ. 364.e
64 Quoniam calix in manu Domini. 542.d
65 Igne nos examinasti, &c. 455.a
66 Imposuisti homines super capita nostra. 337.c
67 Et virtus eius in nubibus. 371.b
67 Congregatio Taurorum in Vaccis populorum. 33.b
67 Extimula feras ex arundineto. 549.c
68 Lingua Canum tuorum hostium, &c. 45.c
69 Fiat mensa eorum in laqueum. 365.a
70 Quasi prodigium factus sum multis. 185.c
70 Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. 328.f
72 Penè effusi sunt gressus mei. 539.a
73 Mei penè moti sunt pedes. 336.f
73 Tu cõfringes caput Draconis in aquis. 142.e
77 Ego confirmaui columnas eius. 351.a
77 Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. 517.c
77 Exacerbauerunt Altissimum in inaquoso. 369.b
77 Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. 349.c
78 Deum exquisiuimanibus meis nocte coram eo. 328.f
79 Exterminauit eam Aper de sylua. 82.d
80 Educto de petra melle saturauit eos. 372.d
80 Vastauit vineã tuam, Domine, Sus syluestris. 79.b
80 Manus eius ad cophinum seruierunt. 541.f. 542.a
81 Et erit tempus eorum in seculum. 104.d
83 Inuenit Turtur nidum, vbi poneret pullos suos. 207.b
83 Inuenit sibi Passer domum. 192.c
83 Deus meus pone eos vt rotam. 379.c.380.d.f
90 Anni nostri quasi aranea reputantur. 251.a.b
91 Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Et, Cõfringet Deus cedros Libani. 494.e.f
92 Senectus mea in oleo pingui. 513.c
101 Factus sum sicut Nycticorax in domicilio. 190.f
102 Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. 180.e
103 Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam vrentem. 576.e
103 Inter montes transibunt aquæ, potabunt eas omnes bestiæ agri. 372.d
103 Herodij domus dux eorum. 160.e.165.b
106 Deserta reddidit flumina, & aquarum fluxus in sitim transmutauit. 372.f
109 Ex vtero ante luciferum genui te. 327.a
109 Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. 331.a
113 Iordanis conuersus retrosum. 287.b
115 Calicem Salutaris accipiam. 542.d
115 Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. 568.d
117 Labores manuum tuarum comedes. 334.f
123 Erepta anima nostra sicut Passer de laqueo,

queo,&c. 193.b
125 Sicut torrens in Auſtro. 373.f
126 Sicut ſagittæ in manu potentis. 408.d
130 Impiorum conciſæ ceruices. 303.b
134 Educit nubes ab extrema terræ,fulgura vertit in pluuiam. 429.a
136 In ſalicibus,in medio eius ſuſpẽdimus organa noſtra. 507.c.508.d
138 Semitam meam & funiculum meum inueſtigaſti. 350.d
146 Et pullis Coruorum inuocantibus eum alimenta ſubminiſtrat Deus. 217.b

PROVERBIORVM.

Cap.I.Fili mi,audi doctrinam patris,&c. 172.f
5 Nõ reſpicies ad mulierem meretricem: fauus enim diſtillans,&c. 243.a
6 Vade ad Formicam ô piger,&c. 68.f.69.c
7 Donec transfigat ſagitta iecur. 320.d
7 Quaſi bos ductus ad victimam. 320.d
30 Lepuſculus plebs inualida. 118.f
30 Effodiant eum Corui de torrente. 218.d
30 Lepuſculus ſapientibus ſapientior. 120.e
30 Ceruus amicitiæ, & gratiarum pullus fabulentur tecum. 67.a

ECCLESIASTES.

Cap.IX.Melior eſt Canis viuus, Leone mortuo. 49.a
21 Florebit amygdalũ,& pingueſcet locuſta,&c. 501.c.502.d
21 Et diſſipetur capparis. 502.e

CANTICORVM.

Cap.I.& IIII.Oculi tui Columbarum. 206.e
Cap.I.Oſculetur me oſculo oris ſui. 572.e
2 Vox Turturis audita eſt in terra noſtra. 208.d
2 Capite nobis Vulpes paruas, quæ demoliuntur vineas. 121.c
5 Fratruëlis meus albus & rubicundus. 390.d
5 Similis es tu fratruëlis meus damulæ,aut hinnulo Ceruorum. 66.f
5 Comæ tuæ iunctæ canalibus. 579.b
7 Statura tua ſimilis facta eſt palmæ. 491.a

SAPIENTIÆ.

Cap. XII. Miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas. 246.e
12 Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. 322.e

ECCLESIASTICI.

Cap.VI.Cauendum ne animos, veluti Taurus, extollamus. 33.a
10 Si momorderit Serpens in ſilentio. 137.a

ESAIÆ.

Cap. I. Caupones tui miſcent vinum aquæ. 370.f
Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis. 118.f
2 Proiiciet idola,&c.vt adoraret Talpas & Veſpertiliones. 123.c
5 Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem. 371.b
5 Mandatum eſt nubibus, ne pluerent imbrem ſuper vineam Soreth. ibid.c
6 De Seraphim duabus, qui ſenis ſinguli alis prædiți,&c. 293.b
34 Erit cubile Draconum, & paſcua Struthionum. 231.a
38 Sicut pullus Hirundinis,ſic clamabo. 209.a
40 Quis menſus eſt pugillo aquas? 347.b
55 Venite, emite abſque argẽto & abſque commutatione vinum & lac. 244.d

HIEREMIÆ.

Cap.IIII.Ventrem meum vẽtrem meum doleo. 316.f.326.e
5 Vos igitur non timebitis me, qui poſui arenam terminum maris. 329.c.330.d
8 Turtur & Hirundo & Ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui. 207.c.227.b
17 Clamauit Perdix, congregauit quæ non peperit. 228.d
46 Fugite ab occurſu gladij,quem Columba vibrabit. 204.e

EZECHIELIS.

Cap.XIII. Væ iis qui aſſuunt ceruicalia ſub omni cubito manuum. 347.c.348.d
16 Et catena circa collum tuum. 396.d
Et impoſui tibi armillas circa manus tuas. 402.e
17 Aquila grandis magnarum alarum. 182.e
32 Et extraham te in hamo meo, & extendam te ſuper terram,campos implebis,&c. 446.d
34 Et cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquã pedibus veſtris turbabatis. 228.f
37 Aperiam ſepulturas veſtras, & educam vos de Babylone. 374.e
47 Ioſeph duplicem funiculum habet. 349.c

OSEÆ.

Cap. VII. Corda eorum ſicut clibanus incaluerunt. 318.d

MICHEÆ.

Cap.VII.Tu peccata noſtra in profundum mare demerges. 284.f

Locorum ſacræ Scripturæ Index.

ABACVC.

Cap. III.Quia aſcendes ſuper Equos tuos. 35.a. 36. e
3 Vbi dicit,in aquas ſalſas armentum à Deo inducendum. 369.c
3 Fluminum terra ſcindetur. 372.f
3 Venter meus turbatus eſt in me. 326.e
3 Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 327.b
3 Boues non aſſiſtunt ad præſepia. 364.f.365.a

SOPHONIÆ.

Cap.I.Extendam manum meam ſuper Iudam,& ſuper habitantes Iſraël. 331

ZACHARIÆ.

Cap.IX.Ecce Rex tuus veniet tibi. 109.a

MATTHÆI.

Cap.VI.Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te. 578.e
6 Neſciat ſiniſtra tua,quid faciat dextra. 578.e
10 De calceamentis pedibus non inducẽdis interpretatio. 547.c
10 Qui non habuerit odio animam ſuam,perdet eam. 579.a
13 Simile eſt regnũ cœlorum reti miſſo in mare. 290.d
15 Nõ decet panem filiorum dare Canibus. 38.f
15 Quare vos tranſgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtram? 370.f
17 De iuuene lunatico,qui nonnunquã in ignẽ, nonnunquam in aquam,&c. 434.e
57 Si quis habeat fidem quantum eſt granum ſinapis. 550.e
19 Facilius eſt Camelũ per foramen acus intrare. 116.e
23 Camelũ deglutiunt, & Culicẽ liquant. 116.d
24 Vbi fuerit cadauer,illic & Aquilæ congregabuntur. 182.f
24 Orate,ne fuga veſtra fiat hyeme vel ſabbatho. 371.b
26 Triſtis eſt anima mea vſque ad mortẽ. 578.f

MARCI.

Cap.X.Calix quem ego bibo. 542.d

LVCÆ.

Cap.XXIIII.Piſces aſſos comeſt. 290.d

IOANNIS.

Cap.VIII. Niſi lauero te, non habebis partem mecum. 577.c
12 Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,ipſum ſolũ manet; ſi autem mortuum fuerit,multum fructum adfert. 568.f

ACT. APOST.

Cap.II.Diſpertitæ linguæ tanquam ignis. 313.b
5 Illi autem ibant à cõſpectu concilij, quòd digni habiti eſſent qui pro,&c. 360.d

D. PAVLI AD ROM.

Cap. II. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. 316.e

AD CORINTH.

1.Cor. 15. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. 534.e

AD COLOSS.

2.Coloſſ.3.Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. 568.e

AD EPHES.

Cap.IIII. Sol non occidat ſuper iram veſtram. 408.f.409.a

AD PHILIP.

Cap.I.Cupio diſſolui,& eſſe cum Chriſto. 430.c. 572.e
3 Cauete Canes,cauete malos operarios. 45.b
4 State in Domino. 54.d

AD HEBRÆOS.

Cap. VII. Adhuc enim in lumbis patris erat, quãdo obuius ei factus eſt Melchiſedech. 320.e
11 Circumierunt in melotis. 524.f

APOCAL.

Cap. XVI. Et vidi de ore Draconis ſpiritus tres immundos in Ranarum ſimilitudinem. 275.a.b
17 Aquæ quas vidiſti, ſuper quas meretrix illa ſedet. 372.d

INDICIS LOCORVM SACRÆ Scripturæ Finis.

AVTHORIS VITA AB ANTONIO VERDERIO BREVITER ENARRATA.

IOANNES PIERIVS VALERIANVS, Belluni (quæ Marchiæ Taruiſinæ ciuitas eſt) patre in bellum profecto natus, amico fuit ab ineunte ætate erga literas animo, ſed cùm annum ætatis ſuæ nonum vix impleuiſſet, parente vita functo domeſticarum rerum cura à literarum ſtudio diſturbatus potiùs eſt quàm auerſus; eiq; exigua res domi cùm eſſet, matre & duabus ſine dote ſuperſtitibus ſororibus, multarum tantùm ſolicitudinum per legitimam ſucceſſionẽ poſſeſſor factus, Patritiis quibuſdam Venetis ſeruire per egeſtatem coactus eſt. Atque hæc de ſe ipſe teſtatur omnia, quadam qua vitæ ſuæ calamitatem luget Elegia:

Duriter eductus ſum primò, dum pater abſens
Horrida pro patriis finibus arma gerit.
Dumq; ille Augurdi per culmina militat ardens,
Et ſubit horrendæ ſæua pericla necis.
Aptus eram ſtudiis. Studium mea ſola voluptas:
Otia ſed ſtudiis nulla fuêre meis.
Vix bene finieram nonum tum paruulus annum,
Multiplicis ceſſit quum mihi cura domus.
Tractabamq; puer non pauca negotia ſolus,
Dum pater Adriacas ſæpe frequentat aquas.
Adde quod inuiſis diſtentum litibus illum,
Illum mî rapuit mors inopina patrem.

Et paulò pòſt:

A patruo demum Venetas accitus ad vndas,
Vix menſes noſtro viximus ære decem.
Patritiis igitur ſeruire coëgit egeſtas
Aerumnoſa, bonis inuida principiis.

Et poſteà:

At genitrix pauper, geminæ ſine dote ſorores,
Quas miſeras fruſtra ſpes fouet vna mei.
Expoſcunt à me fraterni præmia iuris,
Sed chartas nullas, carmina nulla volunt.

Ab Vrbano demùm Valerio patruo ſuo diſciplinis liberali homine dignis inſtitutus, eam eruditionem adeptus eſt quam quiſque ex eius operibus iudicare poteſt, ob eamq; meruit cui Hippolytus Medices princeps illuſtriſſimus, Cardinalis poſteà factus, erudiendus, monenduſque traderetur. Hieronymum Donatum & Andream Grittæum Patritios Venetos ſumma ſibi neceſſitudine deuinxit: Baptiſtæ Egnatio, Marco Antonio Sabellico præceptori, Cælio Calcagnino, Io. Manardo, Achilli Bocchio, Syncero Sannazario, Romulo Amaſæo, Cornelio Muſſo, & Arnoldo Arlenio viris magna doctrina & eruditione præditis familiaris fuit, ac Petrum Bembum quadã ad Vrbanum patruum Epiſtola amicum ſuum ſpeciatim appellat. Ioannis Petri illi fuit peculiare nomen (vt ipſemet faretur) priuſquàm M. Antonius Sabellicus id Venetiis in Pierium immutaſſet. Virgilium collatis variis codicibus emendauit, cuius in hac re laborem commendat ſummoperè Ludouicus Viues ſub finem libri tertij de tradendis diſciplinis. Carminum libros aliquot, Hieroglyphica ſiue de ſacris Ægyptiorum literis commentarios, Sphæræ compẽdium, & Pro ſacerdotum barbis ſcripſit, cui libello videlicet barbarum defenſioni Epiſtolam ad Andream Alciatum præfecit F. Minutius Caluus Romanus Typographus, qua Caſtigationũ illius in Pandectas meminit. Scripſiſſe fertur & alia in quæ nõdum incidi. Cùm Iulius Cæſar Scaliger in Hypercritico omnes Poëtas notet: *Olim*, inquit, *Pierij non pauca vidimus, quæ propter temporis longinquitatem nunc excidêre nobis; etiam neſcio quid de Carpione & Catullo. Verùm earum ſcriptionum nihil extat apud nos in præſentia, fortè inter alias congeries, eius Ioathas repertus eſt à me. Quare de ipſo aliquid dicendum etiam arbitror, quem equidem huic ſubiunxi: quod vterque longè abhorrebat à profanis atque impudicis argumentis. Ille vitia inſectando, præmia bonis proponendo, hic exemplo diuini illius viri qui pro* IESV *nomine mortem cum vita commutare minimè dubitauit. Præſertim cùm affixa Poëmati Epiſtola & viri Chriſtiani ſapiat animum, & eadem dicat quæ Palingenius, ſed talibus adornata numeris ac figuris orationis, vt non ſolùm ſapiens, vt ille, ſed etiam Poëta, non verſificator (quod neglexit ille) appellari mereatur. In opere autem ipſo cùm materia tenuis eſt & ieiuna, tum vulgaris. Quare vix capere poteſt Poëticæ corpus eloquentiæ. Ille autem contrà nititur multis conatibus obruere ſplendorem orationis, nihilq; omittere quod cum ſimplici Chriſtianaq; veritate inoffenſum Poëtæ ſtudium coniungere valeat.* Planè aduerto Scaligerum hæc in illum eructaſſe ne ei innotatus abiret. Cæterùm Pierius poſtquàm tot ſui monumenta reliquiſſet, ſenio confectus diem ſupremum obiit.

CARO

LECTORI.

HABES in hiſce Commentariis non ſolùm variarum hiſtoriarum, numiſmatum, veterúmque inſcriptionum explicationem, verùm etiam præter Ægyptiaca & alia pleraque myſtica, tum locorum communium ingentem magna cum oblectatione ſyluam: tum ſacrarum literarum, in quibus haud rarò & Chriſtum ipſum & Apoſtolos, Prophetáſque huiuſmodi locutionibus vſos fuiſſe videmus, exquiſitam interpretationem, vt ſanè non temerè Pythagoram, Platonem, alióſque ſummos viros ad Aegyptios doctrinæ gratia profectos intelligas, quippe cùm hieroglyphicè loqui nihil aliud ſit, quàm diuinarum humanarúmque rerum naturam aperire. Vale, & hoc periucundo, iam per Pierium oblato beneficio, feliciter fruere.

Qua Memphis ſacris nectit monumenta figuris,
Illorum hæc vnum nobilis effigies.
Ingenium, doctrina, ſtylus fœlicior, vno
Omnia dixiſti nomine, Pierius.

IO. PIERIVS VALERIANVS
AD COSMVM MEDICEM
FLORENTINORVM DVCEM,
DE IIS QVÆ PER LEONEM
ſignificantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER I.

A MVLTA quidem ſunt, quæ de Leone tam Philoſophi quàm Hiſtorici, necnon Aruſpices diſſeruêre, ſed neque veriora, neque admiranda magis ab eorum vllo, quàm ab Ægyptiis ſacerdotibus & obſeruata, & poſteritati commendata ſunt: tot ea ſcilicet extant, quæ viri illi totius auſim dicere arcanorum naturæ conſcij, ſuper animalium ingeniis maximè omnium diligenter explorauerunt. Eam verò eſſe in Leone præſtantiam norint omnes, vt vel ſingula eius membra non eorum tantùm ſacerdotum inuentione, ſed & gentium, ætatumq; penè omnium conſenſu, myſtici alicuius ſignificati argumentum præbuerint. Tot ſunt veterum monumenta, in quibus Leonina facies, variis hieroglyphicis expreſſa, nunc magnanimitatem, nunc animi corporisq; vires, nunc Solem & terram, nunc natorum erga parentes obſequium, nunc animi domitorem ſignificat, aliis mox picturis amoris petulantiam, Oratoriæ facultatis partem, vigilantiam, cuſtodiam, terrificum hominem, dominatorem, Nili incrementum, clementiam, vindictam, & pleraque alia commonſtrabat. Nulla tamen naturæ vi admirabilior eſſe iudicatur, quàm ipſa qua egregiè pollet magnanimitate. Ab ea igitur primùm omnium ordiemur, quam *De magnanimitate Leonis.*

B Ægyptij ſacerdotes ea de cauſa per Leonem pictum intelligi volebant, quòd inter quadrupedes nullum aliud animal præſtare magis animo exploratum habuêre. Eam præterea Leonis eſſe imaginem, vt magni & generoſi animi ſimulacrum præ ſe ferat, vt in Phyſiognomorum obſeruationibus inuenitur. Caput enim magnum habet, pupillas ignitas, faciem obrotundam, & ad radiorum ſimilitudinem iubas vndecumque diffuſas, quibus colla armoſq; veſtiat. Id enim Leonum genus animoſius eſſe theatra Romana ſæpiùs oſtendêre. Atque hæ quidem quò diffuſæ magis, vulnerum eò magis contemptum indicant. Eos Homerus *ἠυχένιας* appellat, de quibus dicitur: *Leonem non terreri laruis, neque à ſubula excipi.* Quare Diogenes cùm apud Xeniadem ſeruiret, amicis volentibus eum redimere, negauit velle ſe: *An neſcitis*, inquiens, *Leones non ijs ſeruire à quibus aluntur, ſed altores potiùs ſeruire Leonibus?* Pari magnanimitate Antigonus Demetrij filius, cùm vrgentibus hoſtibus olim retrocedere cogeretur, negabat ſe fugere, ſed vtilitatem à tergo ſitam perſequi. Huiuſmodi verò faciem horridè iubatam in morem hiſtricis irritatæ aſpicias in Antonini numo, qualeſq; illi ſunt, quos throno Solis Ægyptij ſubiecêre affinitatem demonſtrantes, quam *Antonini numiſma.*

C Dei populum ſicut catulum Leonis exurgere, & ſicut Leonem exilire ſcribit. Quanta enim illa ſunt indicia magni animi, cùm quis crucem ſuam tollit, & Chriſtum ſequitur, cùm Principum furias contemnit, cùm ferocia, ſæuaq; verbera aſpernatur, cùm cæſus denique gladiis, bidentis inſtar, nullam neque murmure, neque querimonia conſternationem oſtendit, cùm victo ſeculi terrore, ſpretiſq; corporis pœnis, igni, beſtiis, tortoribuſq; traduntur? deſpiciunt enim & contemnunt omnia quæ ſunt in poteſtate mortalium, & imitantur eum, qui *Leo de tribu Iuda* nuncupatur, atque hìc demum ille homo eſt impauidus, qualem dari ſibi Democritus poſtulabat ad ſummi boni ſpecimen, qui ſcilicet animum à terrore liberaſſet.

ANIMI CORPORISQVE VIRES.

AIVNT verò Admetum Leonem & Aprum iunxiſſe, ex quo illum animi corporiſq; virtutes copulaſſe intelligendum eſt. Per Leonem enim animi vim, per Aprum, vt ſuo loco dictum

inuenies, robur corporis interpretantur. Addunt, eum eodem argumento Apollini, atque Herculi acceptissimum fuisse, quos media sapientia, & ingenitæ cuiusdam virtutis indole sibi conciliasset. Quinetiam Poëtæ feroces in bello viros μολέοντας vocare consueuerunt.

D

ROBVR.

EST & illud hieroglyphicum, per anteriora Leonis robur significare, propterea quod in eo animali membra illa robustiora sunt: ab excellenti enim vi quadam vniuscuiusque rei significata sua Ægyptij desumebant. Expressit robur hoc Lucret. Carus cùm ita scripsit:

Principiò genus acre Leonum sæuáq; secla
Tutata est Virtus.

Neque alia de causa Leonem cœlo adscriptum multi prodidêre, nisi quòd Sol eo tempore quo signum id permeat, maximè sit validus atque robustus, moxq; degeneret in posteriora declinans. Quia verò, vt Pausanias ait, decet bellatorem hominem in conflictu aduersus hostem, omni posthabita mansuetudine atque clementia, sæuire, Lacedæmonij Martem Ἐνυάλιον appellauêre, eóque spectare Homericum illud ait de Achille dictum, λέοντι ἄρῃι οἶδεν. Cuiusmodi signum in Simandij Ægyptiorum regis nominatissimi sepulchro spectari solitum authores tradunt, quem Leonis specie figuratum hostes in fugam vertere vidisses: vt ex eo & animum & robur & vigilantiam regis perspicere liceret. Videre verò est in Neruæ Traiani numo fortitudinem hanc ita figuratam, vt claua leonino insideat capiti, per clauam, fortitudinem significari dictum est in Roboris commentario, per caput verò leoninum, animi generositatem interpretamur: vtroque enim opus est, qui Ducis inuicti nomen affectet sibi vendicare. Quod verò pertinet ad Leonis robur, tradunt authores Hyllum Herculis filium, eò quòd viribus præstaret, Leonem Citheronium cognominatum, quem cùm Euchemus Arcas interfecisset, Rex à Megarensibus salutatus est, apud quos oraculum erat, eum sibi adsciscendum, qui Leonem interfecisset. Quod simile fuit Dioclet iani facto, qui tunc ad se rerum summam peruenturam acceperat ab oraculis, quumprimùm Aprum interemisset: ob idq; cùm plurimos confecisset Apros, queri per iocum solebat, se quotidie Apros interficere, nunquam autem Imperatorem declarari, donec virum nomine Aprum iugulasset. In numo quodam pulcherrimo C. POBLICII Q. F. cernere est fortitudinis simulacrum, quod Leonem suffocat claua à pedibus strata, pharetra cum sagittis antepositā. Hippothoon Poëta robur hoc leoninum pulcherrimo describit senariolo, quem apud Io. Stobæum inuenimus γῆρας λέοντος κρεῖσσον ἀκμαίου νεφρῶν, cuiusmodi verba senex ille dicit apud Aristophanem, Vespis, ἐγὼ τὸμὲν νομίζω γῆρας εἶναι κρεῖττον ἢ πολλῶν κοππίνας νεανιῶν. Leonis senectam maximè florente hinnulorum iuuentute meliorem esse scribit Hippothoon, & senex ille Aristophanicus senectutem suam pubescenti multorum iuuenum virtuti gloriabundus anteponit. Cicero verò in Officiis, vim non aliter Leoni peculiarem esse dicit, quàm Vulpeculæ fraudem.

Traiani numisma.

C. Poblicij Q. F. numisma.

E

VIGILANTIA CVSTODIA'QVE.

VERVM enimuerò, per Leonis caput Ægyptij sacerdotes vigilantiam atque custodiam ostendebant. Causam addebant, quòd solum hoc ex animalibus recuruos vngues habentibus, simulatq; natum est, cernit. atque hinc Plutarchus solare animal Leonem haberi putat. Sanè illi nomen ἀπὸ τοῦ λάω τὸ θεωρῶ, inditum aiunt etymologiarum indagatores. Somni præterea parcissimi est, oculosq; habet inter dormiendum splendescentes, ac quodammodo patefactos, quod in custodiæ signum recepêre: & sanè multi crediderunt Leones omninò insomnes esse, quod Manethon Ægyptius in iis quæ scripsit ad Herodotum tradit. Huiusce rei argumentum nonnulli obseruauêre, quòd caudam assiduè inter quiescendum motat. Cæterùm incredibile est, vt putat Aristoteles, animal vllum perpetua vti vigilia: sed inde persuasi sunt qui talia se obseruasse profitentur, quòd Leo magnos habet oculos, palpebrásque perexiguas, vt non oculum possit penitùs obtegere, intuentíque splendor ille sese offert, qui plurimus emicat ab eius pupilla: quare semper somni expers esse videatur. Quapropter significanter admodùm, non tantùm Mycenarum portis, sed etiam reliquorum ædificiorum, præcipuè verò fanorum valuis, ædiúmque sacrarum vestibulis Leones, tanquam diuinorum custodes, vt est passim cernere, statuebantur. Quíque iis insomniam attribuunt, inde eos Soli dedicatos autumant, eandem cum



F

Portis valuisq; fanorum cur Leonina capita affigantur.

A eum Leone conditionem habenti, quippe qui patenti igneoq; oculo terram conspectu perpetuo atque infatigabili tueatur. Cùm verò constet, Alexandrum Magnum præter alia quæ in homine præclara fuerunt, vigilantissimum etiam fuisse, quod in exemplo à Grue sumpto alibi diximus, non miror, etsi aliæ etiam huius rei causæ esse possunt, eum in numis quibusdam Leonino spolio caput indutum spectari, ab cuius altera facie simulacrum Iouis est sedens, læua baculo innixus, dextera Aquilam prætendens, literæ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, nempe quòd ab Hercule per Caranum primum Macedoniæ regem duceret genus: nam Hercules Nemęi Leonis spolio vbiq; insignis conspicitur, vel quòd eximiæ magnitudinis Leonem, spectante Spartanorum legato, strauit. Quamquam non sum nescius, Philippum Regem post Olympiæ nuptias per quietem sibi visum coniugis aluo insignem infixisse bullam, cuius sculptura Leonis imaginem haberet: quod & vxorem grauidam esse, & animosum filium paritura, coniectores periti respondêre. Hinc Alexander in matris honorem Leonis spolio maximè gauisus est: & eadem de causa cùm somnio monitus Alexandriam in Ægypto ædificasset, eam Leontopolim appellauit, quamuis eius successores Alexandriam à conditore ipso maluerint vocitari. Quod verò pertinet ad Leonis somnum, Physiologos ait Adamantius hęc de catulo Leonis scribere, eum quippe simulac natus est, tribus diebus & tribus noctibus dormire, tum deinde patris rugitu tanquam tremefacto concussoq; cubilis loco catulum dormientem expergefieri, eoq; trahit dictum illud à Iacobo in sacra lectione: *Catulus Leonis Iuda ad prædam (fili mi) ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Lœna, quis suscitabit eum?* Atque etiam illud ex secundo Balaamis responso: *Recumbens vt Leo requiescet, & quasi Lœna, quum suscitare quis audebit?* quod dubio procul ad Christi sepulturam pertinet. Sedenim intelligere etiam possumus dormisse eum, sicut

Alexander Magnus in numismate

Philippi Regis somnus.

Leontopolis.

B Leonem, ob splendescentes inter dormiendum oculos, vt scilicet diuinitatem ipsam cum eo nihil quicquam sopitam intelligamus. Quod autem de oculis inter dormiendum splendescentibus à nobis additum est, ea de causa factum, vt aurem iis velleremus, qui viri alioqui doctrina magni atq; pij, in eo tamen lapsi sunt, quòd animam Christi putarunt per tempus illud, quo cadauer eius sepulchro conditum fuit, apud inferos passam, quod humana ipsa natura piorum hominum audire reformidat. Animaduerte autem Origenis traductionem Latinam loco hoc, vt ferè passim, valdè corruptam esse.

TERRIFICVS.

ATQVE eo quidem signo quo robur & vigilantiam indicabant, eodem & terrificum hominem, qui reliquos aspectu solo consternaret, significabant: cuiusmodi simulacrum in Agamemnonis clypeo fuisse, Pausanias testis est, ad formidinem aliis incutiendam. Quod quidem scutum in Olympiæ templo per aliquot tempora pependerit, inscriptione etiam adiecta:

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων ἀγαμέμνων. Quod ita reddere possumus,
Terror hic est hominum, quiq; hunc gerit est Agamemnon.

Agamemnonis clypeus.

Est autem Leo eius naturæ, vt etiam si ferum nihil moliatur, intuentes tamen terreat: ea est in oculis eius vis, ea maiestas. Vnde tam Græci quàm Latini Poëtę terrorem descripturi, comparationem ab huiusmodi animalis ferocia libentissimè desumpsêre. Meritò itaque Chabrias Athenienſium dux, vel, vt alij, Philippus Macedo, dicere solebat, formidabiliorem esse Ceruorum exercitum duce Leone, quàm Leonum duce Ceruo. Atque tanta porrò vis, tantusq; vigor animali alioqui robustissimo ita in oculis consistere tota videtur, vt eorum vel minima offensione, supra quàm credibile sit, debilitari videatur, leuissimiq; obiectus amictus pecude ignauior fiat, quod & in theatris sæpiùs Roma spectauit, & Lysimachi exemplo comprobatum est, quē Alexander Magnus in idem

Leonis natura formidabilis.

C claustrum cum furiente Leone incluserat, ille verò hanc ingressus viam domita strangulatáque belua, & Regi admirationi fuit, & vitæ consuluit suæ, meruitq; vt huiusmodi factum æterna numismatum memoria prorogaretur. Quin non in oculis tantùm eius terror, verùm etiam in rugitu constat: itaque Pindarus eum βριύβρομον Olympiis, hoc est, *Latè rugientem*, vocat, Agesidamo, vt in Vulpe diximus. Id verò fit tanta ferarum omnium trepidatione, vt (quod Ambrosius cum Basilio testatur) animantium multa, quę vel eius impetum per celeritatem euaserint, horrenda tamen eius indignantis audita voce, veluti vi quadam perculsa atque attonita consternentur, & plerumque ita deficiant præ metu perdita, vt nullo negotio capiantur. Quinetiam qui per somnium imaginatus fuerit habere se Leoninum caput, Onirocritæ volunt eum in aduersarios terribilem fore significari, nonnunquam verò & principatus & dominationes assecuturum. Ab huiusmodi verò rugitus magnitudine Marcus è quatuor Euangelistis vnus, Leonis imagine, vt est à Daniele prænisus, ita in hodiernum vsque diem hieroglyphicè figuratur, quòd ipso statim operis initio vocem in deserto clamantem ingenti ore tonat. Ita Eucherius.

Lysimachi præclarum factum numismate testatum.

Marci Euāgelistæ imago hieroglyphica.

DOMINATOR.

SANE Basilius Leonem pro Dominatore animalium rationis expertium ponit: obseruatumq; est in ostentis, vt si fortè mulier aliqua Leonem pariat, fore vt ab externis gentibus vinceretur ea Respublica, in qua id contigisset: quod non in humano tantùm genere, sed etiam in quocumque alio diuersæ formæ animanti pollere tantundem comperias apud Aruspices. Obseruatum est in Cô insula, cùm Ouis de grege Nicippi cuiusdam priuati hominis Leonem peperisset, non fuisse huiusce rei euentum irritum, arrepta inde ab eo dominatione. Hinc illa societas leonina, quę lōgè

Ouis Leones parięs.

plura sibi assúmit quàm relinquat, de qua Arist. Iur. Conſ. Cassium reſpondisse refert, *Societatem talem coiri non posse, vt alter lucrum tantùm, alter damnum sentiret*, & hanc societatem Leoninam solitum appellare L. ff. XVII. T. pro Socio. l. XIX. & Dion Chryſoſtomus ſermone περὶ βασιλείας. Homerum ait ſapienter Boui æquiparaſſe Agamemnonem eo verſu:

Ἠΰτε βοῦς ἀγέλῃφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων.

Minimè verò vel Leoni, vel Aquilę ſimilem dixit, propterea quòd dominationis ea ſunt exempla.

SVMMA CALLIDITAS INGENII.

Fabula elegans.

NIHIL verò grauabor antiquam in argumentum huiuſmodi fabulam ſubiungere, quę mortalibus vtili admodùm documento futura ſit. Diuulgata per orbem erat fama oraculi, quod ab Ioue Ammone prodierat, Alexandrum Macedonem breui ad ſe venturum, quem filium eſſe confitebatur ſuum: ſolicitari hinc ad obſequium terræ Reges, Principem vt ſibi conciliarent inter ſe certare muneribus: præcipueq; Ptolemæus Ægypti Rex, Dei ſui filium veneraturus, magnam pecuniæ vim parat, quantum ſcilicet vectigalis vno die ex Nili oſtiis & Memphiticæ vrbis portoriis collegiſſet. Erant verò cuiuſque generis pecuniæ ex rebus omnibus hinc inde collectæ ad aliquot talentorum millia, id totum ſine delectu xenij nomine ad Alexandrum deferri curat. Obtulerunt ſponte veterinam operam, Mulus, Equus, Aſinus, & Camelus, qui pecuniam cum fide conuectendam ſuſcepêre. Hi vix biduum à Memphi progreſſi facti ſunt obuiam Leoni, qui & ipſe intellecto Herculis cultu, quem Macedo ſuſcepiſſet, dum rebus ſtudet ſuis, Regem ſalutaturus iter in Macedoniam tendebat. Data itaque & accepta hinc inde ſalute, cùm deſtinatum, vt fit, omnes iter enarraſſent, adſciſcitur comes Leo quaſi cuſtos atque præſidium aduerſus latrocinantes affuturus. Hic de pecuniis certior factus, habere dixit ſe quoque certam drachmarum ſummam, quas pro commeatu ferret, ſed eſſe illas ſibi plurimum incommodas, quod oneribus geſtandis nequaquam aſſuetus eſſet: rogat itaque vt ſi oneris additamentum, leue ſingulis futurum inter ſe diſpartitum, ſuſcipiant, magni hoc beneficij loco habiturus: obſequuntur illi officioſiſſimè, ac paucas admodum illas Leonis drachmas inter ſe diuiſas in ſacculos quiſque ſuos admiſcent, iterq; mox continuant ſuum. Venerant in pingues Aſię cãpos, cùm Leo armentorum multitudine conſpecta, dies aliquot ibi commorari è re ſua fore deſignauit, ſimulataq; laſſitudine aliquot dierũ quiete ſibi opus neceſſe dixit, quaſq; depoſuerat pecunias repoſcit: illi adapertis cõfeſtim ſacculis, ipſum quę ſua eſſent, ſibi deſumere licere inquiunt. Leo cùm pleraſque alias magno numero drachmas eadem nota ſignatas in vnoquoque ſacculo conſpexiſſet, læto magnoq; rugitu edito: *Drachmæ*, inquit, *meæ multas admodùm drachmas ſingulæ peperêre*, atque mox quotquot erant ſuis ſimiles abſtulit pro ſuis. Quid quod Hannonem Carthaginenſem præclarum virum, cuius meminit Plinius, in exilium actum ferunt, quia Leonem ferundis oneribus aſſuefecerat, argumento inde capto, vt Plutarchus ait ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμασι ad Traianum, quòd qui Leonem cicurare potuiſſet, ad longè maiora etiam aſpiraret.

HOMO QVI VEL SVAM VEL ALIENAM FEROCITATEM E'DOMVERIT.

M. Antonij Leones.

EODEM oſtento, mortalium triumphus, Leones iunctos à M. Antonio, atque id quidem ciuili bello generoſos ſpiritus iugum ſubituros, portendere. Id quod Cicero in Philippicis illi obiicit, dum currum eius Leonibus iunctum, imperioſi hominis inuidiam oſtentare memorat. Et in Epiſtolis ad Atticum, qui augurium id formidabat, ait: *Tu Antonij Leones pertimeſcas, caue, nihil eſt illo homine iucundius*, & quæ ſequuntur reliqua. Sanè hominem, qui arte, ingenio vel authoritate longè potentiorem ſe, addicat ſibi atque ſubiicit, per Leonem ab homine domitum intelligimus: quippe quòd feræ alioqui ferociſſimæ validiſſimæq; impetum ferocitatemq; ſopire molliréque potuerit. Hac vtitur comparatione Nazianzenus, vbi Baſilium ait non modò ſibi conciliaſſe priùs Euſebium, ſed in ſuam ita ſententiã attraxiſſe, vt eius conſiliis & monitis in omnibus parêre videretur.

Caſſij Leonem.

Notum ex Hiſtoriis quid Megarenſibus acciderit, apud quos Caſſius Leones, quos ædilibus ludis præparauerat, reliquiſſet. Cùm verò ciuitas per Calenum caperetur, Megarenſes ferarum carceres effregerunt, earum vinculis relaxatis, vt irruentibus hoſtibus obiectæ, negotium eis tantiſper faceſſerent, dum ſibi per moram aliquam conſulere poſſent: ſed enim longè aliter euenit, quia Leones in ciues ipſos truculenti ſæuitia conuerſi, tantam inermium ſtragem edidêre, dum obuios quoſque adoriuntur, ſternunt, atq; dilacerant, vt ſpectaculum id fuerit vel ipſis hoſtibus perquàm miſerabile. Atque vt huiuſmodi multa prætereamus, iam verò Pythagoricum præceptum eſt, animalia curuunguia (ita mihi liceat γαμψώνυχα interpretari) nutrienda non eſſe, quippe rapacitatem è ciuitate ſummouendam. Idem ſentit Æſchylus, cùm Leonis catulum in Republica non alendum eſſe dicit his verbis:

Οὐ χρὴ λέοντ' ἐν πόλει τρέφειν,
Μᾶλλον δὲ λέοντα μὲν πόλει τρέφειν,
Ἢν δ' ὀκταφῇ τισὶν τρόποις ὑπηρέταν.
Catulum Leonis alere in vrbe non iuuat,
Magis cauendum ne Leonem nutrias,

Quem

Quem qui educarit, eius & mores ferat.

Euripides verò nullo eos pacto cenſet admittendos, Pythagoræ præceptum ſecutus, in quo ſapienter quidem Æſchylus hæc ſuper Alcibiade, impotentiores id genus homines non accipiendos: cæterùm ſi accepti fuerint, æquo animo ferendos. At Euripides, vt Ariſtophanicus clamat Dionyſius Ranis, ingenuè magis locutus, ſiquidem vt apud Homerum habetur:

οὐκ ἔστι λεῦσι καὶ ἀνδράσι ὅρκια πιστά.

FVROR INDOMITVS.

Leonini furoris deſcriptio.

IMMENSVM itaque furorem, quo quis impotentiùs exardeſcat, ſignificare ſi collibuiſſet, Leonem effingebant catulos ſuos diſcerpentem, imò exoſſantem, vt Græcum vocabulum ἐξωστίζοντα interpretemur, non autem ἐκστίζοντα (vt in vulgatis Hori exemplaribus eodem Capite bis poſitum nihil ſignificat) quo quidem furore correptum olim Herculem authores tradunt, cóque inſaniæ prouectum, vt non hoſpitis tantùm filios enecarit, verùm & in ſuos ipſius filios vſque adeò ſæuire ſolitum, vt eos interfecerit, quod non abſimile eſt à pictura Leonis proprios catulos diſcerpentis. Sanè Theocritus in Megara Herculis fœmina, de furore quem is in liberos exercuerit, hæc dicit:

Σχέτλιος ὃς τόξοισιν ἃ οἱ προφρονέως ὑπόλλων
Ἠ τινος κηρῶν, ἢ ἐρινύος αἶνα βέλεμνα
Παῖδας ἐὼς κατέπεφνε, καὶ ἐκφίλον εἵλετο θυμόν,
Μαινόμενος κῆποιον ὀφλ' ἑμπλεος ἐσκεφόνοιο.
Τὰς μὲν ἐγὼ δύστηνος ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι βαλλομένας ὑπὸ παιδί.
Infelix qui miſilibus de munere Phœbi
Siue ea Parcarum, vel Erynnios impia tela,
Gnatis ipſe ſuis furijs agitatus ademit
Charam animam, vt domus ipſa cruore aſperſa nataret.
Hos ego confoſſos manibus cecidiſſe paternis
Iuſſa oculis ſpectare meis, miſerabile viſu.

Poëtæ quoque noſtri Leonem iracundum notant, vnde illud apud Horatium: *Promethea inſani Leonis vim ſtomacho apposuiſſe noſtro*, cùm de excandeſcentia loqueretur. Elegantiſſimè quoque, neque non eruditiſſimè Lucretius cauſam furoris iſtius perquirit, cuius carmina non iniucunda, quæ repetantur, ponere non piget:

Sed calidi plus eſt illis quibus acria corda
Iracundaq; mens facilè effereſcit in ira,
Quo genere in primis vis eſt violenta Leonum,
Pectora qui fremitu rumpant plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Superiùs verò dixerat, cùm de varietate animi loqueretur:

Eſt etiam calor ille animo quem ſumit in ira,
Cùm ferueſcit, & ex oculis micat acriùs ardor.

Eius verò indicium excandeſcentiæ eſt, cùm caudæ verberibus ſeſe excitare viſus fuerit, quod ita Heſiodus tangit in Herculis ſcuto:

--- Πλαδεώντε καὶ ὠμὼς
Οὐρῇ μαστιόων φοώσι γεφύς, ἐδέτις, ἀυτὸν
Ἕτλης ἐς ἄντα ἰδὼν φεσὶν ἐλθεῖν ἠδὲ μάχεσθαι.

Quem Catullus ſecutus Galliambico ſuper Atti. dixit:

Agè cæde terga cauda, tua verbera patent
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Et quæ ad furoris incitamentum & indicium ſequuntur: nam & corrugare frontem pugnaturus cernitur, quod συζειν Græci dixêre: & ſuperciliorum contractionem ὀφρυήνιον vocant. Index autem præcipuus eſt Leonini animi cauda, perinde ac Equorum aures, eaq; propriè in Leone dicitur Alcea, quòd præcipuum in ea robur conſtet, vel quòd incitamentum quoddam ſit ad aſſumendas vires animumq; commouendum: initio irarum terram flagellant, increſcente verò excandeſcentia terga etiam ſua verberant, id ea de cauſa fieri putat Alexander Aphrodiſeus, quòd eorum anima vehementius moueatur, ſitq; vltionis admodùm appetens, cauda verò vtatur veluti homines manu, qua illi ſe plerumque in excandeſcentia complodere ſolent: ita animalia hæc ira commota cùm id quod ſeſe lædit vlciſci nequeunt, eo ſibi modo ſolatium ſolent excogitare. Eſt itaque furor Leoni familiaris, vnde apud Maronem, *Iraq; Leonum*, legitur, & Ouidius: *Iram vultus habet*, de eiſdem ait, quare Poëtę Leonem peculiariter feram dicunt, ita Callimachus:

Cauda Leonis cur Alcea vocatur.

Θηρὸς ἀσπερχὲς δέρμα κατωμαδίον. D

Quòd verò catulos ab eo exoſſari pingerent, cauſa eſt, quòd medulla Leoni vel nulla, vel perexigua eſt, vt omnium animalium ſolidis omninò oſſibus conſtare videantur, quaſi inde accreſcat furor, quòd labor his confringendis ſit mercede minor, cùm minimum id ſit, quod ſuctui poſſit inſeruire. Sunt præterea oſſa illa dura adeò, vt ex eis colliſis, ignis veluti ex ſilice excutiatur. Hinc animal eſt maximè febri obnoxium. Febrem verò nihil aliud eſſe, quàm ſuperantem totius corporis calorem Medicorum omnium conſenſu manifeſtum eſt. Febri denique nomen ab igne Græcum πυρετὸς à feruore Latinum eſt: quo morbo Leones toto vitæ tempore cruciari feruntur, eaq; de cauſa Lucretius *triſte Leonum ſeminium* appellauit. Sanè prouerbium hinc emanauit, ἐγέλασεν ὁ λέων quotiens rarum aliquod hilaritatis exemplum intueamur. Thucydidis id dictum eſt in Cylonio ſcelere ſubnotando, cùm ſcilicet indoluiſſet demum Athenienſis populus Cylonem per factioſiſſimas factiones quietum Reipubl. ſtatum interturbare, & quaſi poſt diuturnam mœſtitiam ad hilaritatem demum reſpexiſſet, vt impetu in hominem facto, eum vel in inuiolabilis Deæ templum aufugientem perſecuti ſint plerique, diſtractúmque inde magno totius ciuitatis gaudio trucidarint.

Prouerb.

REMEDIVM IN FEBREM NACTVS.

E

EO itaque incommodo vexantur Leones, tametſi vnus Albertus negat eſſe eos febriculoſos, cui in Germania nato, alito atque educato, vbi totum ferè vitæ ſpatium conſumpſit, vtrùm de Leone loquenti potior ſit adhibenda fides, quàm Ægyptiis inter Leones quodammodò genitis, cumq; ipſis totum vitæ tempus verſatis, alij viderint. Ego ſanè diſciplinas eorum in huiuſmodi re ſecutus, compertum eſſe dicam Leonem febri correptum vel ſi ad furorem vſque exæſtuet, vnius paſtione Simiæ liberari. Quapropter Ægyptij ſacerdotes ſi febricitantem hominem, & ſibimet auxilia comparantem ſignificare vellent, Leonis Simia veſcentis hieroglyphicum ponere ſoliti ſunt: tanta enim indignatione Simiam fert Leo, vt nullum animal auidiùs perdere deſideret. Cauſa eſt animalis petulantia, Leonem indigniſſimis modis exagitantis. Nam ſimulac vel ex arbore aliqua, vel ex alio tuto latentiſque loco nacta fuerit, occaſionem in Leonem inſiliendi pro magno habet negotio caudæ ſeſe eius applicare, natibuſque affigere, atque ita quibuſcumque poteſt ludibriis Regi ſuo illudere, quod cùm impatienter ferat Leo, impotenter admodùm in huiuſmodi animal efferaſcit: quæ pleniùs in Cynocephali commentario diſcuſſimus. Sed vt mirari deſinamus animal adeò ignobile generoſiſſimo omnium infeſtum eſſe, ſcimus etiam Culices in Leonum greges petulanter adeò ferocire, vt eos magna interdum clade ad internecionem adigant. Inter enim arundineta Meſopotamiæ Leones innumeri iuxta fluminum ripas & fruteta vagantur, eo tempore quo hyemis clementia ibi molliſſima eſt, ſemper innocui: verùm vbi per æſtatem cœlum exarſerit, regionibus iis æſtu candefactis ambuſtiſq; propemodùm, ipſi tam vapore ſideris, quàm multitudine culicum agitantur, quorum denſiſſimis examinibus per eas terras omnia referta ſunt: qui quidem ad ſplendorẽ oculorum, tanquam ad humidiora membra conuolantes eos appetunt, palpebrarum libramentis mordicùs inſidentes. Hinc Leones cruciati diutiùs, aut fluminibus, ad quæ remedij cauſa confugiunt, abſorbentur, aut amiſſis oculis immaniùs efferaſcunt, quod ni fieret, omnis ea quæ ad Orientem latè diffunditur plaga, huiuſmodi beſtiis oppleretur. Id ſibi compertum eſſe teſtatur Ammianus Marcellinus Rerum geſtarum libro decimooctauo.

Simiæ & Culicum in Leonem petulantia.

F

SVPER IGNE SOLICITVS.

ATQVE hoc quidem animal, quod ignem ingenitum, & in ipſis oſſibus abſtruſum geſtat, ignem tamen præcipuè formidat, adeò vt nihil æquè vereatur atque prætentas faces, quibus ad ferociam eius domitandam nihil efficacius, quod & Homerus teſtatur eo carmine:

Καμόμβρεά τε δέος τε τρέει ἐσσύμενόν περ.
Ardenteſq; faces, quas quamuis ſæuiat, horret.

Et Pindarus Nemeis: Πῦρ ὑπανέχοντες ἀθρυμαχὲς τε λεόντ' ὄμμας Εὐβοίτας Ἀκμάντε δεινοτάτων χάσας ὀδόντων. In cuius trepidationis admirationem adducti Ægyptij ſacerdotes, hominem ſuper igne formidoloſè ſolicitum, & quaſi veſanientem, oſtendere ſi vellent, Leonis ſimulachrum, & faculam pingebant. Id nos vix authoribus credebamus antequàm & Florentiæ, & demum Romæ Leones hac potiſſimùm ratione domari conſpiceremus. Simulachrum hoc in marmore cæſum Romę vidi via Leoniana, quæ ad popularem ædem ducit, erutum fruſtum ex Auguſtorum mauſoleo. Leo erat humi ſeſitans capite ſublato, & in tergus verſo: in tranſuerſum adſculpta erat fax pinea cum nuce in ſummo capulo, tæniaq; à face in Leonis tergus porrigebatur. Quamuis verò apud authores ſcriptum repererim, nihil aliud ex hieroglyphico huiuſmodi ſignificari, quàm, vti dicebamus, eum qui

Simulacrũ Romæ in via Leoniana.

A qui ſuper igne pauidus eſſet: ſi tamen liceat mihi ſententiam his meam admiſcere, rei iſtius interpretationem eſſe dixerim, edomitum furorem. Cauſam cur ita ignem expaueſcat Leo, Peripatetici eam afferunt, quòd eius animalis vis præcipua in oculis conſiſtat: quiq; oculos ſicciores calidioréſque habent, ij maximè omnium ignem auerſantur. In idem verò ſignificatum adduci poſſit ilicis folium Leonino pedi ſubiectum: ſiquidem Magi ferunt Leonem iliceo folio calcato torpeſcere: eandémque vim eſſe folio ſcilæ traditum à Zoroaſtre, non illo inquam antiquo, ſed qui poſt Plutarchum fuit.

RELIGIOSA FORMIDO.

Gallus cur Leoni formidabilis ſit.

ET ne longiùs à Leonina formidine digrediamur, Gallum is identidem, & præcipuè album, vt Ambroſ. ait, à quo etiam Pythagoras abſtinendum iubet, mirum in modum perhorreſcit: quod pro ſymbolo colendæ diuinitatis accipi quidam prodidêre. Siquidem Gallus, de quo Lucretius,

Quem nequeunt rabidi contra conſtare Leones
Inq; tueri, ita continuò meminere fugat.

diuinum quiddam præ ſe fert, vti latiùs in Commentario de volucre ea perſcripto, diſſeruimus. Diuinitatem verò omnis terrena poteſtas reformidat, ac reueretur. Leones porrò cùm Deûm matri ſint dediçati Terræ, ipſi addicti intelliguntur, & ſuperiùs bonam Leonis partem, quippe quòd à iubis eſt relicum, terram præſe ferre dicebamus. Sed enim aliam huius formidinis cauſam adducit Proclus libello de Magia: ait enim, Gallum & Leonem præcipuè ſolaria eſſe animalia: ſed cur Gallum Leones vereantur, non poſſe nos à materia, ſenſúve rationem aſſignare, ſed à ſuperni tantùm ordinis cõtemplatione, quia ſcilicet præſentia vísve ſolaris virtutis magis Gallo infuſa ſit, quàm Leoni conceſſa, quod ex eo coniectare videtur, quod exploratum omnibus eſt, applaudere illum hymnis ſurgenti Soli, quaſiq; iubar eius aduocare, eo præſertim tempore, quo ex medio Antipodum cœlo digreſſus ad nos diflectitur. Affirmat etiam ſolares quoſdam Angelos in Galli effigie nonnunquam apparuiſſe, qui cùm in ſe ſine forma ſint, nobis tamen, qui ſumus in certam effigiem informati, forma ſe præditos ea videndos exhibuêre. Contrà verò Dæmones nonnunquã Leonina fronte viſos, qui obiecto Gallo repentè in auras euanuerint, quare ſolent etiamnum diebus his, ſuperſtitionis eius ſtudioſi, gallinaceum pullum in pelliciendis eis concilij cauſa præmactare. Ad hæc tradunt Græcorum nonnulli, qui doctrinam Aegyptiorum ſequuntur, animam Cecropis, quem in Leonem tranſmutatum credebant, immolatis Gallis gallinaceis, characteribus quibuſdam ſubſcriptis euocari, ſéque illam eis oſtendere: quod tamen eſſe ludibrium Aeneius Euxitheus affirmat, Dæmonéſq; ita nos præſtigiis fallere contẽdit. Quòd verò Dæmones, qui Leonina fronte apparuerint, obiecto euaneſcant Gallo, inde procedere dicit Proclus, q, in eodẽ ordine cõſtituta, quę inferiora ſunt, ſuperiora ſemper vereri coguntur. Quemadmodũ pleriq; viri, dum virorũ diuinorũ imagines intuentur, hoc ipſo aſpectu vereri ſolent turpe aliquid perpetrare. Lucretius verò ex ſectæ ſuæ præceptis ait eſſe

Cecropis anima euocata.

B

C

-----Gallorum in cõrpore quædam
Semina, quæ cùm ſunt oculis immiſſa Leonum
Pupillas interfodiunt, acremq; dolorem
Præbent, vt nequeant contrà durare feroces.

Mirum verò quod veteres obſeruarunt, Leonem etiam herbam ita nuncupatam, quæ ſurculis ſeſe circumplicãdo plurimùm nocet, Gallum ita abhorrere, vt ſi puella adhuc intacta, mẽſtrua tamen, nuda paſſis crinibus leguminum ſegetem circumeat, Gallũ in manibus habens, exareſcat gramen id, prorſusq; deficiat. Id qualecumq; eſt, à Democrito tamen traditum eſt, vt aſſerit Sotion. Sed qui alieniores à ſuperſtitione ſunt, arcanamq; naturæ vim quandam contẽplantur, Semina aiunt Galli ſanguine contingi debere, hæcq; ita ſata ab Leone herba nulla poſtmodùm iniuria affici.

INVNDATIO.

INCREMENTVM verò Nili, quem NVM Aegyptiaca lingua nuncupant, quod apud nos ſignificat Nouum atq; recens, oſtendere cùm vellent, Leonis identidem hieroglyphicum faciebant: quippe cùm Sol Herculei Leonis terga adit, Nili diluuiũ excitat, duplumq; recentis aquæ Sole in eo ſigno cõmorante ſæpiùs exundat: quæ vis aquæ per ſpatioſam Aegypti planitiem latè diffuſa, ſolum ea fertilitate grauidum reddit, quã non ipſi tantùm indigenæ ſibi alimenta colligunt, ſed magnam orbis partem fame leuant. Propter eam verò aquarum redundantiam, quam Leonis beneficio conſequi ſe quotannis experiuntur, inſtitutum eſt, & apud gentes omnes vno iam eõſenſu receptum, vt canales, tubiq; & ſiphones, qui aquam eructant, per terebrata foramina in Leonina capita ad id locis opportunis adſculpi ſolita aquã immittant, quæ inde ex Leoninis rictibus euomi videatur. Qua ratione autẽ capita ea Leonum in ſimis præcipuè conſtituenda ſint, quoq; ordine diſponenda, atque vt ea tantùm quæ contra columnas fuerint perterebrari debeãt ad canalem

Leonina capita aquas eructantia.

vsque, qui cœlestem aquam ex tegulis excipit, reliquis inter hæc solidis, vti quæ cadit vis aquæ per tegulas in canalem ne deiiciatur per intercolumnia, néve transeuntes perfundat, sed ea tantùm quæ sunt contra columnas, ex ore ructus aquarum emittere debeant, Vitruuius latè docet. Obseruauerat siquidem is, aquarum redundantiam per Leonem apud Ægyptios significari, atq; hoc in omnibus antiquorum ædificiis fieri passim viderat. Et vt semel dicam, fontes & aquarum tubi, qui ab aquæ ductibus quibuscunque prominebant, Leoninis figuris ornabantur: vt qui fons admirabili opere Viterbij antiquam hanc disciplinam ostentat. Et vt alia dissimulem, Romæ in Area Lateranensi Leones duo sunt nigri lapidis ante æneam M. Aurelij statuam positi, qui dubio procul fontibus inseruiebant. Indicio sunt ora perterebrata in adaperto rictu, & infernè foramina in guttur vsq; immissa, & inter pedes pro pectore canaliculus excipiundæ aquæ, dimittundæq; intercauatus. Tale aliquid obseruaui in agro Brixiano extra portam Orientalem ad secundum lapidem, vbi iuxta viam, quæ tota magnis aquarum riuis atque diuortiis instructa est, Leo marmoreus antiquissimi operis, vtris instar inflatus, rictum eodem modo ad aquarum effluuiū patefaciebat. Sed neque in iis tantū quæ ad aquam euomendā pertinent, Leonum effigies apponi consueuerunt: verùm etiā propterea quòd Leo, cœlestis ille, inquā, aperire claudereq; videtur aquarum cataractas. Atque in hæc vsque tempora nunquā antiquata est veterum consuetudo, vt ostiorum clausuræ, claues, annuliq; forib. affixi, Leoninis rictibus ornentur, quod apud Ægyptios factitari solitum ait Theon in Arati Cōmentariis: quamuis quod ad ostia pertinet, ad eam, de qua superiùs dictum est, custodiam potiùs respicere, quàm ad aquarum fluctus, crediderim. Illud non omittam quod Horus Apollo tradit, in supplicationibus pluuias exposcētibus, pleriſq; in locis Leonū ora vino prolui fuisse morem. Sed aduertendum est vulgatos Hori codices hoc loco deprauatos esse.

Leonum effigies.

SEMEL TANTVM ENIXA.

CVM verò persuasum haberent Ægyptij, Leænas semel tantùm in vita párere, id quod cum Herodoto plerique alij prodidêre: mulierem itidem, quæ vnius tantùm filij mater fuisset, per Leænam sculptam significare consuerunt. Est in hanc sententiā Æsopi fabula veteribus scriptoribus approbata. Cùm Vulpes Leænæ fœcunditatem suam obiiceret in generositatis cōmendationem, illam verò incesseret, quòd & semel in vita, & vnum tantùm pareret: Leænam respondisse, se quidem semel & vnum parere, sed eum Leonem. Huius raritatis causam plerique reddere commenti sunt, cámque potissimùm adinuenêre, quòd catuli in vtero iam vnguibus obortis matricem discindant, edíque partum, ea vnguium acie in enixu lacerata, vel quòd vnà cum primo partu locos amittat, quam deliram esse fabulam Aristoteles asseuerat, eásque vel quinquies vita parere, quod explorauerit in terra Syria, demonstrat. Primùm enim quinque, ac per annos singulos vno subinde pauciores, donec ad vnicum, & mox ad sterilitatē declinauerint, in qua reliquum vitæ spatium degant. Aliàs magna ex parte geminos, quod per longam annorum seriem Florentiæ experimento compertum est: sed quumplurimùm sex, nonnunquam etiam vnum. Philostratus affirmari ait à rerum peritis, ter eas tota vita párere: primò quidem tres, mox duos, inde vnum: visam tamen aliquando Leænam, quæ octo vtero gestarit: Sed enim quam Philosophi rationem raritatis huiusce in pariendo conati sunt inuenire, Basilius Magnus ad prouidentiam Dei refert, cuius imperio factum sit, vt animalium ea quæ facilè capi possent, longè essent cæteris fœcundiora: quocirca tam Lepores, quàm Damæ, quàm etiam Oues, ferè sæpiùs & geminos pluréſque pariunt fœtus, ne genus deficiat feris iis, quæ sanguine gaudent, carniuoræq; sunt. At ea quibus procibatu cætera sunt, certum est longè minus fœcunda esse: quàpropter ait, *Leonis vix vnius Leæna mater euadit*, quæ quidem raritas pariundi, cùm non alij animalium generi certiùs contingat, meritò Ægyptij, quod in pluribus accidit obseruantes, semeliparam per Leænæ hieroglyphicum ostendebant.

Aesopi fabella.

CLEMENTIA.

PRÆTER hæc, alia quoque super Leone hieroglyphica inueniuntur, quæ quoniam apud eos non reperi, qui literas hieroglyphicas interpretati sunt, sed potiùs obseruatione inuēta mihi videntur, breuiter attingam. Ex iis clementia est, quæ per Leonem & substratum hominem, ita tamen vt Leo sit incolumis, significatur, propterea quòd infestissimè solicitatus ab homine Leo, dummodò sit intactus, non vnguibus eum lacerat, nec vlla iniuria afficit, sed quatit solùm, atque vbi ita perterruerit, dimittit, quod ira Ouid. scribit:

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni.

Seueri Pij Aug. nummus.

Ad huiusmodi significatum non frustrà vidimus in Seueri Pij Aug. numo simulacrum mulieris, quod Leoni exporrecto insidet, manu quidem vna hastam terræ affixam tenens, altera fulmē quasi abiiciens, non autem in iaculandi gestu, cum inscriptione huiusmodi, INDVLGENTIA AVG. IN CAR. neque quicquam aliud legi potest.

CASTIGATIO.

PRÆTER clementiam, inesse Leoni castigationis etiā iudiciū, ex eo didicimus, quod traditum ab Eudomo citat Aelianus, Leonem, Vrsam, & Canem eodē contubernio à magistro quodam alitos & educatos, sine vlla iniuria aliquamdiu pacatissimè conuixisse, ac si domestica & eiusdem generis

A generis animalia fuissent, verùm cùm Vrsa quodam impetu percita contubernalem Canem dilacerasset, commotum Leonem violati hospitij scelere, in Vrsam prorusse, eáque pariter dilacerata, meritas pro Cane pœnas exegisse.

VINDICTA.

LONGE verò diuersum à superiori significato est, quod vlciscendi studium per Leonem telo confossum plerique pingere instituerunt. Vulneratus enim Leo obseruatione mira percussorem nouit, & in quantalibet multitudine vnum appetit, & si detur copia, fœdissimè lacerat & discerpit. Ferunt Iubæ Maurorum regi præstantis animi iuuenem fuisse comitem, dum per deserta Africæ rerum suarum componendarum studio, rex cum exercitu proficiscereturex itinere verò Leonem obuiàm factum à iuuene illo ipso sagitta percussum in syluam recessisse, anno verò pòst cùm Iuba rebus ex voto compositis eàdem copias traduceret, eundem illum Leonem obseruato iuuene, à quo vulnus acceperat, vnum illum è tam magno militum numero violentissimo cursu hostiliter aggressum, nulla vi cohiberi potuisse, quin correptum iuuenē miserabiliter dilacerāret, neminēq; aliorum læso vltione ea contentum decessisse. Pythagorici porrò animam Cambysæ regis Aegypti in Leone se deprehendisse aiebant, vnde illi animus imperij cupidissimus fuerit, & maxima quæq; semper appetierit. Cæterùm hæc quoque potest assignari causa, quòd illis temporibus, quibus claruit, neminem in vltionem eò magis propensum fuisse notum est, qui nunquam Aegyptios persequi odiis armísque, & omni vexationis incommodo affligere destitit, eis semper infensus, donec in omni Aegypto rerum potitus, sacris omnibus profanatis, populos totius regionis malè tractando, defessus potiùs quā satiatus est. Facit ad hoc illud, quod visi Leonis ostentum, belli principium coniectores atque augures tradunt indicare, quod quidem eleganti trimetro apud Græcos exprimitur.

Iuba Maurorum Rex.

B

Λέοντας ἰδεῖν δυσμφώνῳ, δηλοῖ μάχας.
Visæ Leonum imagines noctu indicant occidionem ab hostibus.

REGIVM AVGVRIVM.

ALIOQVI Regibus augurium dare Leones soliti sunt, vt is qui Iuliano Imperatori Gordiani tumulum cum exercitu prætergresso, sese obtulit immanissimo corpore eius aciem inuasurus, à qua multiplici telorum ictu confossus est. Obitus enim Regis ex hoc portendebatur, inquit Ammianus. Verùm anteà Maximino Cæsari cum Narseo Persarum rege iam congressuro, itidem Leo & Aper ingentes trucidati simul oblati sunt, tamen euenit, vt is ea fera admodùm gente superata, incolumis & sine damno discesserit. Et Sandrocottus Indus obscuro genere, cùm Alexandri furorem pedum pernicitate declinasset, fessúsque somnum in sylua captaret, à lambente Leone sudorem sibi sensit abstergi, quóque pacto inde præfectis Alexandri oppressis, Indiæ regnum inuaserit, à Trogo traditur.

ANNVS MENSE'SQVE.

ET quoniam incidimus in auguria, non abs re fuerit id commemorare, quòd Leæna, quæ catulos octo vtero gestabat, à venatoribus in Mesopotamia cæsa exenteratáque, quo tempore Apollonius Tyanæus eà iter faciebat, indicauit eo interpretante, annum vnum, & menses octo illum apud Barsanem Babyloniæ moraturum. Interrogantibúsque comitibus, cur non potiùs annos IX. interpretaretur, cùm ex passere & pullis octo à Serpente deuoratis apud Homerum annos identidem nouem Calchas intellexisset: *Editi iam illi fuerant*, respondit Apollonius, *hi verò adhuc in vtero nondum fœturam compleuerant, quare mensibus potiùs quàm annis assimilantur.*

Leæna cæsa in Mesopotamiaquid.

C

CRAPVLA.

SVNT etiam qui hominem ad satietatem vsque crapulatum, per Leonem frusta carnium despascentem indicari velint. Animal siquidem hoc cibo incontinēter admodùm vtitur, multaq; deuorat solida, sine vllo dissectu quæcunque potest, mox à saturitate nihil biduo aut triduo edit, quam scilicet voracitatem Iuuenalis tangit, vbi *multa pascendum carne Leonem*, dixit: atque inde fit, vt grauis illi ob cruditatem exhalet anima, quæ tetterrimi semper odoris est. Quocirca nonnulli grauem animam significantes, Leonis os hians facere consueuerunt. Huius fœtoris ergò Martialis videtur muliebre pudendum Leonem appellasse eo versu:

Voracitas Leonis.

Quare si pudor est Ligella, noli
Barbam vellere mortuo Leoni.

Taxat enim eam, quæ cùm vetula esset, pilos vellere pertentaret, & alij lupanar olidum dixêre. Quamquam non desint, qui loci huius interpretationem longiùs accersitam ad Cenchrenas, quas Leones Nicander appellauit, referant: huiusmodi enim Serpentes morsu sanguinem exorbent, & genitale semen ex pretiosissima sanguinis decoctione fieri Medici consentiunt, vnde dixit Iuuenalis:

Accipiat sanè mercedem sanguinis.

MERE

MERETRIX.

SANE meretrices per Lænæ nomen intelligi, multis veterum sententiis & monumentis constat. Tale aliquid habes apud Aristoph. Lysistrate in iuramento fœminarum, *Non stabo Læna in Tyrocnesti*. Huiusmodi petulantię causa Ezechiel Hierosolymam Lænam vocat, & Heliachim catulum eius, qui ductus est in Aegyptum. Alium rursus catulũ Ioachim, quem in cauea, vt septuaginta ediderunt, Nabuchodonosor Babylona traduxit, Michaël Byzantius meretrices quasdam ex Megara Sphinges appellatas ait, quòd humano capite mansuetudinem præ se ferrent, cæterùm corpore reliquo Leonino rapacitatem, & imperium quod in amatores exercent, indicaret, Et Megaricæ Sphinges in opprobrium dici solitũ de meretricibus, ob impuros scilicet mores Megarensium, quos veterum scriptores omnes damnant. Facit ad hanc rem veteris Poëtæ senariolus admodùm venustus:

Sphinges Megaricæ.

ἶσον λεαίνης ἠ γυναικὸς ὠμότης.
Par est Lænæ & fœminæ crudelitas.

Sed & ante vrbem Corinthum Veneris erat templum, iuxtaq; Laidis tumulus, cui Lænæ simulacrum appositum videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: quod nimirum petulantiam eam indicabat, qua præcipuè lasciuiunt arietes, de quibus loco suo diximus.

TACITVRNITAS.

LÆNÆ verò elinguis simulacrum ex ære, quod Athenienses statuêre Iphicratis opus, ex effigie quidem Lænæ, meretricis nomen, ex linguæ verò defectu, taciturnitatem eius indicabant. Cùm enim Armodius & Aristogiton de liberanda à tyrannis patria consilium iniissent, coniuratióque delata esset, comprehensam illi Lænam scortum eorum vtrique admodùm familiare, ad mortẽ vsque tormentis variis excruciarunt, ea tamen constantissimè omnia pertulit, nec quenquam prodidit, supra fœmineam imbecillitatem fortitudinis admirandæ memorandum exemplum: quam Athenienses vt honoribus honestarent, ne scortum tamen celebrare viderẽtur, eiusdem nominis animal ob taciturnitatem elingue, erigendum decreuêre. Constantissimum meretricis huius exemplum citat Tertullianus, quò nostri animosiores fierent, cùm leui adeò de causa repertæ sint vel mulieres, quæ tam forti animo pro amicorum salute non solùm tormenta parui fecerint intolerabilia, sed spontè suum ipsæ cruciatum auxerint. Nam hæc eadem, vt ille ait, carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri possit, si etiam victa voluisset.

Armodij & Aristogitonis factum celebre.

CYZICENI.

SI quis verò incidat in monetam, quæ Leonis imaginẽ ex vna parte habeat, ex altera verò Cybelem deorum matrem, sciat eam esse Cyzicenorum pecuniam, quæ celebris admodùm est, ob id, quòd pulcherrimè sculpti erant, & quòd pro XXVIII. drachmis Atticis imputabãtur, quæ summa ducales aureos duos reddit, & aliquantulum plus: vna enim argenti drachma Marcelli Veneti pondus æquat. Atque hi sunt Cyziceni stateres, qui rem egregiè factam indicabant.

Cyzicenorum pecunia.

Magorum porrò superstitio, considerata Leonis alacritate pernicissimóque cursu, mustelæ dentem Leonino corio adalligatum, ad pedum tumorem atque adeò imbecillitatem adhibere commenta est, id quod apud Lucianum Tychiades ridet, orta inter Cleodemum & Dinomachũ medicos contentione, vno eorum Leoninum, altero Ceruinum corium præferente, vt per incantamenta Eucrati laboranti amuletum aliquod apponerent. Controuersia verò omnis inter eos est, dum ille fomentum aliquod miserabiliter implorat, vtrùm Ceruus an Leo magis pedibus valeat, atque eorum vter alacriori feratur cursu. Meritò igitur Virgilianus Æneas, *tergum Getuli immane Leonis* dat Salio, velocitatis præmium, qui primam in stadio coronam meruerat, nisi dolo Nisi fuisset interturbatus.

HERCVLANVS LEO QVID.

QVID verò sibi velit Herculanus Leo, magis diuulgatum est, quàm vllo sit opus commento latiùs declarare. Illud tamen non omiserim, Herculem illum Aegyptium, qui cum Osiride, vt Antiquitatum scriptores tradunt, Italiam ab amarissimo Gigãtum iugo liberauit, per Leonem intelligi, neque quemquam alium. Plures enim Hercules fuisse, & Arrianus & Diodorus historici prodidêre: hunc autem omnium primum Leonis insignia gestasse, tradunt. Cæterùm Heraclitus Ponticus, superatum ab Hercule Leonẽ ideò fingi dicit, quia Argiuus ille, de quo Græci plurima scripserunt, Hercules, furorem illum, quo ex atra bili plurimùm laborauit, tandem edomuerit. Satis enim exploratũ est ex iis quæ anteà dicta sunt animal id per semetipsum immoderatis animis excitari. Sunt tamẽ qui per Herculẽ mysticè Solis lumen intelligant, Leo verò cũ Soli dicatus sit, manifestũ est quid sibi velit Hercules, & Leo. Nam & hinc Iubari stellæ nomẽ, qui Phosphorus est,

A est, quòd splendor eius in modum Leoninæ iubæ diffunditur.

VIRTVS.

VTCVNQVE verò Leoninum spolium virtutis hieroglyphicum est, eáque de causa Herculi dicatur, quem pro virtute veteres posuêre, ideóque Diogenes conspicatus quendam eo ornatu sibi gloriosè placentem, exclamauit: *Ecquid virtutis indumentum vituperas?* Sedenim non Leonis tantùm, verùm alterius etiam animantis gestare pellem, heroicum fuisse morem, didicimus ex Apollonij commentariis, vbi Poëta scribit:

Diogenis dictum.

Δέρμα δ' ὄμῳ ταύρειον ποδηνεκὲς ἀμφ' ἔχετ' ὤμους.

Et apud Virgilium Euandrus:

Demissa ab læua Pantheræ terga retorquet.

VIRES CEDERE SAPIENTIÆ.

IN Antiochi numo videas Leonem quendam propemodùm humi procumbentem, & superuolantem Noctuam, quod nonnulli vespertinum crepusculum indicare arbitrati sunt: quippe cadente Sole, noctem, quam per auem eam intelligi volunt, exurgere. Ego verò per huiusmodi hieroglyphici figmentum significare crediderim, vires cedere sapientiæ. Nam per Leonem Robur, per Noctuam Mineruam intelligi, suis locis commentaria hæc ostendêre. Eiusdem argumenti esse puto Leonem in numo, cuius inscriptio est, ΜΙΛΗΤΩΝ, qui anterioribus pedibus inclinat ad humum, supernè verò caduB ceus exporrigitur, vt scilicet id ostendat, vires quantumlibet feroces sapientiũ eloquentiæ cedere. Numum vidi apud Maffeos Romæ. Quòd verò signũ Iunonis Argis spectabatur palmite redimitum, subiecto pedibus eius corio Leonino, id habebat hieroglyphici, quòd nouercam vtriusque priuigni exuuiis insultantem ostenderet. Callimachi id inuentũ tradunt, qui Iunoni vitẽ induxit. Rem huiusmodi tangit Tertullianus.

Antiochi numus.

VIRES CEDERE ELOQVENTIÆ.

LVNA.

VISEBATVR in Olympiæ templo Dianæ simulacrum alatum, dextera Pantheram, sinistra Leonem continens. Per alas, volucrem Lunæ cursum interpretamur, quæ septem viginti dierum spatio totum permeat signiferum, quem Sol vix annuo temporis spatio perlustrat. Panthera varietates eius indicat, quas vnoquoque mense XII. suis nominibus designatas alibi recensuimus. Leo Solis vim demonstrat, qua splendorem sibi comparat, ea tantùm parte lucens, qua eius radiis illustratur.

SOL.

C

TERRA.

FIERI etiam solita erant apud veteres simulacra quædã radiata, ita tamen vt vnius simulacri radij omnes sursum versus tenderent, alterius ad inferiora demitterẽtur, atque ita cõformata, vectanda Leonibus cõmendarentur. Sciendum autẽ ex Vectij commentatione, Solẽ & Terram ex eo figmento veteres intellexisse, quippe quos Assyrij ADAD, & ADAGARTIN vocabant: ADAD quidem

Veterum simulacra radiata.

quidem Solem, qui radiis deorsum inclinatis inferiora viuificat, mulcet, educat, omnium quippe terra nascentium author: ADAGARTIN verò Terram, quæ concepta à solaribus radiis virtutem, eandem, quam licet, sursum versus erigit. Ita veluti sponsa viri appetens, vt Platonicum dictum interim vsurpemus, rerum omnium suarum stipata fœtu, sese habẽdam exporrigit. Sedenim ipsa Leonis effigies vtrunque referre videtur hieroglyphicum, quippe quæ anterioribus partibus Solem exscribit, posterioribus verò Terram. Quod tamen ADAGARTIN pro Tellure positum putat Vectius Bassus in Commentario Germanici, qui Phænomena scripsit, vbi de Erigone agitur. *Virginem*, inquit, *dici Cererem arbitrati sunt plerique, spicarum quas tenet indico: alij Adagartin malunt.* Sunt qui & Fortunam, quoniam sine capite astris inseritur. Nigidio Figulo placet iustitiam, vel æquitatẽ, quo nomine etiam Terram ipsam dici alibi comprobauimus, & Legiferam vbique Cererem apud Poëtas appellari comperias, vt ab iustitiæ nuncupatione, neque hoc quidem alienum videatur, & cum Tellure iustissima consensum habeat. Hinc apud Maronem prospero terræ subiugandæ omine Aeneia puppis: *Prima tenet rostro Phrygios subiuncta Leones.* Veluti etiam hominem insidentẽ Leoni nonnunquam videas, quem is stimulo regat, quod esse sui animi regem omninò videtur significare: neque enim Aeneium illud ad sacra tantùm patria refertur, quæ in Cybeles honorem fieri solita: neque solùm respicit beneficium, quod, vt additum est, fuerit

ANIMI DOMITOR.



---Ida profugis gratissima Teucris.

Subiiciuntur verò Leones Magnæ Deæ vehiculo, identidemq; trahunt & currum Solis, atque tam variè à veteribus tradita, ad vnum eundémque demùm intellectum tendunt. Demùm hæc duplex in Leone natura, qua quidem anterioribus partibus cœlestia refert, posterioribus verò terram, quæstionem illam facilè potest soluere, qua nonnulli mirantur, cur Leonis effigies in Diuinis nostrorum literis, modò Christo, modò Dæmoni attribuatur: pro Christo quippe apud Prophetas non semel positus, vt suprà diximus, pro maligno verò, Petrus epistola prima *rugiẽtem Leonem* dixit: & Dauid, *Libera à Leonibus vnicam meam*, clamat. Quibus responsum facio, anteriora quæ sunt Leonis, fortitudinis, & regiæ virtutis habere significatum, atque ita pro Christo poni. Nam Irenæus vbi mysterium Dei in rebus strenuè gerẽdis, in dominando, in regendo vim & authoritatem ostendi disputat, Leonis imaginem ait id præmonstrasse, quæ vni ex quatuor Euangelistis fuerit attributa, inferiora autem, partem quippe terream, fugacitatis & insidiarum. Caudam enim subter vterũ cùm fugit subiicit, cauda ferit ex obliquo per insidias, quæ omnia Dæmonem exscribunt, quo nihil à bono fugacius, nihil in mortales insidiosius.

Leonis duplex natura.

CHRISTVS HOMO DEVS.

DENIQVE, vt etiam aliter philosophemur, cœlestis est anteriore parte Leo, ideò admiranda Christi opera veram nobis ante oculos proponens diuinitatem. *Nemo enim qui à Deo non sit*, ait Nicodemus, *opera ea facere possit quæ ipse faciebat.* Posteriore terram sapere videtur: ea frigida est, inde ad minima quædam, Galli quippe cantum, prætentam facem, leuis obiectum amictus, quin ad Simiam, & ilicis folia, atque etiam scillæ Leo timidus est, & ad fugam promptissimus. Et humanus Christus mortẽ timet, perpetuæ non ignarus, quæ statim subsecutura esset, immortalitatis, effugere cruciatum tentat, patrémque orat, vt acerbissimus à se calix auferatur: & inde ita debilitatus, vt præ trepidatione genibus insistere non posset. Quòd si vtraque natura in Christo est, Leo cùm sit eiusmodi, rectè in Diuinis literis modò Deo, modò mortalibus accommodatur.

IVSTITIAE CVLTVS.

FA verò præcipuè de causa eorum sentẽtiam approbarim, qui ferociores quoque animos iustitiæ sese subiicere per hieroglyphicum huiusmodi arbitrãtur, quia nuper in Gauartiano agri Bellunẽsis vico suburbano reperti sunt magno numero numi, ab quorum vna facie mulier coronà insignis longáque induta palla sedet, manum ad ensis inuersi capulum extendens, ita vt apex ipsius capuli volam impleat, literæ circumscriptæ, IVSTITIA. Ab altera facie, eadem mulieris effigies penè nuda, amictu quidem toto in exporrectam retrò dextram appenso, læua supra Leonis caput postremis pedibus residentis iniecta: literæ adsculptæ sunt LEONIS HVMILITAS.

Numus Bellunensis.

LEONES autem domitos, & Magnæ Deæ currui succedentes, Lucretius aliter interpretatur, qui velit figmentum id significare, liberos quantumlibet feroces obsequentes esse debere parentibus: ait enim,

Adiunxère

Adiunxère feras, quòd quamuis effera proles
Officijs debet moliri victa parentum.

NATORVM OBSEQVIVM ERGA PARENTES.

VARRO tamen in Cybeleio curru duo considerasse videtur, Leonem vtiq; terræ symbolum, vti paulò antè dicebamus: mox quia genus id animalium in longinquis, & à nobis remotissimis regionibus inuenitur, nullam ait esse terræ partem tam remotam quam coli subigiq; non oporteat: ita omnes, quæ vel hieroglyphica sunt, vel quoquomodo mystica, in suam quisque artem vel disciplinam, quam profitentur, trahunt. Diodorus autem, vti suus est mos, historias sibi confingit ex commodo suo, Leonesq; ideò Cybeles currum trahere confictum ait, quòd ab his ea educata fuerit. Vtrum verò curru vehatur Dea, an sella sedeat, quantum ad significatum pertinet, parui refert: nam in Faustinæ numo Cybelem Turritam Leoninæ sellæ insidentem videas, quę orbem intra manum & genu tenet: inscriptio est, MATRI MAGNÆ.

AGRICVLTVRA.

Faustinæ numus.

MIXTA QVID.

QVOD verò pluribus in antiquorum monumẽtis, præcipuéque sepulchralibus cernere est, Leones aliquod animal apprehendisse, quippe vel Ouem, vel Taurum, vel Anguem, vel huiusmodi quippiam, ex eo coniicere potes, sepulti animum aut naturam talem fuisse, cuiusmodi est illud, quod apprehensum fuerit, quippe si Ouem, vel Agnum, vt in sepulchro quodam Romæ sub Æsculapij pronao habetur, intelligas hominem ferocitate demolita, mansuetudinẽ amplexatum: si Taurum, temperantiam: si Anguem, prudentiam, vel quid huiusmodi, prout animalis, quod detentum fuerit, significatum exiget, interpretaberis. Si verò hostiliter captum vel discerptum, eius natura hostem malè habitum. Nam in numo quodam argenteo Aug. Cæs. validissimæ formæ Leonem videas, qui Ceruum superat dentibus in armos affixis: quod fortè referri potest ad Actiacam victoriam, quam is

Aug. Cæs. numus.

FEROCITATE POSITA
assumpta mansuetudo.

ACTIACA VICTORIA.

Apollinis fauore consecutus est, in qua, vt apud Maronem,

Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

pauorem enim ex Ceruo loco suo significare diximus.

AMORIS PETVLANTIA.

QVAESIERIT hìc aliquis, quid sibi velint Leonis anteriora, quæ in Chimæra fuisse traduntur, cuius figuram Homerus ita descripsit:

Πρόσθε λέων, ὄπισθεν δ' ὄφις, μέσση δὲ χίμαιρα.

Eam autem amoris petulantiam, quæ fuerit à Bellerophonte coërcita, significare clari plerique authores volunt. Huiusmodi enim sunt amoris initia, qui primo statim insultu Leonina feritate nos aggredi videtur, dictúmque est Epicharmi Comici:

Amoris initia.

Δομπὴς ἔρως λεοντέᾳ δωναίμᾳ θαλερός.
Amoris mollitiem Leonis robore domitandam.

Eóque respexisse videtur Horatius, cùm de iuuene perdito amore capto ait:

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet chimæra.

Capra procacitatem atque lasciuiam significat, cui animosus idem Heros fortiter obstitit, Draco verò insultus, pugnamq; adeò periculosam, quæ omnia ex peculiaribus Commentariis toto hoc opere suis quæque locis explicantur.

TRES ORATORIÆ PARTES.

NAZIANZENVS verò, necnon interpres Hesiodi, per chimæram tres Rhetoricæ partes intelligunt, Iudicialem quippe per Leonem, ob terrorem quem res incutit, Demonstratiuam per Capram, quòd in eo genere dictio plurimùm soleat lasciuire, Deliberatiuam demùm per Draconem, ob varietatem argumentorum, longioresq; circunductus, & spiras quibus inpersuadendo opus est: vnde etiam monstri mater fingitur ab Hesiodo, Echidna nomine, per quam ποικιλον νεῦν & πολυειδῆ, intelligi contendunt, quippe *mentem multis & varijs præditam disciplinis.*

SACRORVM INITIA.

NEQVE prætereunda est Leonis facies illa, quæ omnium prima visa est Ezechieli, per quam eius disciplinæ periti aiunt initiandorum sacrorum admonitionem nobis oblatam. Eam verò in primis visam, quòd à Principum vita soleat totius populi consensus legem sibi constituere. *sup. pag. 2.* Ad valuas igitur templorum, sustinendis modò postibus, modò hyperthyris, modò pronaïs locorum vbique Leones subiiciuntur, vt cum Maronis dicto, vel præcipuo potiùs summi Dei præcepto, Deos primùm venerari meminerimus. Et nullam esse gentem tam efferam, neque animum tam indomitum, qui non possit religionis cicuratione beneficioq; molliri, atque ita mitescere, vt nullum inde sit onus detrectaturus.

LEONES TARVISINI QVID.

LEONES duo pro foribus, vt ferè passim insigniora templa habent, Taruisij sunt, quorũ vnus in pronao cathedralis Ecclesiæ à dextera Draconem alatum vnguibus impactis comprimit, Draco autem retorto collo Leonis pectus admordet, significans quòd praua quidem cogitatio cor incessit, fortis verò animus eam actutùm elidit: à læua autem Leo alter Leunculum apprehensum pectori subiicit suo, demonstrans, quòd generosus quippe animus seipsum vincit.

SPHINGES QVID.

QVAS verò Sphingas humanicipites, reliquo corpore Leonino pro tẽplis prostrare locorum vbique cernere est, sunt qui figmentum omninò hieroglyphicum interpretentur ea intelligentia, vt humanam naturam præstare cæteris animãtibus admoneamur. Nam alibi principatum ex capite intelligi disseruimus. Leonem autem brutorum omnium principem esse, manifestum est, qui humano subiectus imperio reliqua secum trahit. In Diuinis verò literis imperium in bruta omnia homini datum legimus. Sphinga sanè monstrum ex parte dimidia virginis formam præ se tulisse, figmento Græcorum tradit Adamantius. Alij interpretantur, totius terræ dominium religioni cedere, cui ferocia quantumlibet animalia sese subiiciant, imperiúmque suscipiant.

AD CLARISS. ET REVERENDISS. GVIDONEM ASCANIVM SFORTIAM, CARDIN. S. Floræ, de iis quæ per Elephantum & Rhinoceronta significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER II.

TERRESTRIVM *animalium hieroglyphica publico spectaculo emissurus, Leonem in primis, quippe eorum dominum, auspicijs inclytissimi Cosmi Medicei Florentinorum Ducis exire procurauí, & quòd studium clarissimæ eius ciuitatis semper fuit Leones publicè alere, & quodam Aegyptiorum more honorificè tueri, & quòd generosa eorũ magnanimitas in ipso Duce laudabilibus tot effulget exemplis, vt non alij cuipiam argumentum huiusmodi dedicari deberetur. Sequebatur Elephas, animal quippe quo neq; vastius neque portentosius natura rerum tulit, sed deformitatem bestiæ tot dotibus, ipsisq; tam præclaris insigniuit, vt in omni vitæ tenore humanum genus (quod* sanctius animal *Poëtæ canunt) ab eo bruto si non superatum, certè lacessitum esse videatur, aut pari conditione decertare. In eo autem excellit Elephas, quòd à se natura suggerente & morum, & virtutum documenta præbeat: quod homines nisi doceantur, vix assequi posse fateantur: sed multa sunt, quæ ab eo, tanquam à morum idea, homines desumere & imitari coacti fuerint. Est enim Elephas ingenita munificentia nobilis, temperantia insignis, æquitate summa conspicuus, præcipuus declinator insaniæ, vaniloquentiæ hostis, pietatis cultor, & ea celebris mansuetudine, vt alienam etiam crudelitatem abhorreat, contrà minùs validas feras pugnare dedignetur, in iram autem nunquam efferatur, nisi acerbitate iniqua, enormiq; aliqua iniuria concitatus, denique regalem & ipse animum, ne omnia hîc accumulem, in omnibus referre videatur. Quæ quidem (Reuerendiss. Domine) tibi, non vt te doceam, non enim Sus Mineruam, aiunt, sed vt in memoriam redigantur, hoc Commentario enarrabuntur, exemplisq; citatis comprobabuntur. Nec ad quemquam ex vestro ordine hic Commentarius mitti potuit vel aptiùs, vel conuenientiùs, quàm ad eum, qui humanitate, fide, pietate, & multarum virtutum, quæ supra ætatem in te conspiciuntur, commendatione longè clarissimus & essct, & haberetur. Vale.*

SVIS

SVIS VIRIBVS POLLENS.

MVT igitur ab iis ordiamur, quæ super Elephanto Ægyptij tradiderunt, hominem in primis opulentum, suis quippe viribus pollentem, aliorum nihil indigum, qui dicere tutò possit, *In me est omnis spes mihi*, qui sibi conducentia olfactu quasi quodam enanciscatur, per animal hoc, imò per vnam tantùm eius promuscidem, hieroglyphicè significabant, in eam scilicet admirationem adducti, quòd talem, tantamq; habeat, vt ea vna officiis ferè omnibus illi optimè sufficiat, ea vice manus vtatur, vnde etiam nomen habet, ea bibat, ea cibum ad os admoueat, eam rectori, cuius omnibus imperiis se præbet obsequentissimum, erigat, offeratq;, siue is in ceruicem animalis summam sustolli voluerit, siue ad terram descendere: quin arbores eadem prosternit, in acie tela de manibus dimicantium detrahit, equites ab equo deripit, pedites correptos quoquò libuerit proiicit, & quotiens immersus per aquas ingreditur, ea ipsa edita in sublime reflat atque respirat. Proprio itaque & eleganti vocabulo Lucret. hac de causa elephantos *Anguimanos* dixit, quòd promuscidem ipsam instar Anguis quoquò versum flectat, reflectat, contrahat, porrigat, lubricet & incuruet. Sunt qui visos ætate nostra affirmarint gladium longitudine duorum cubitũm ad promuscidem alligatum gestantes, atrocissimas in bello cædes edidisse. Sanè quantum ad vires pertinet, nunquam se Cato apud Ciceronem ait, cùm adolescens esset, vires Tauri aut Elephanti desiderasse: quod dubio procul indicat, inter bruta Tauros & Elephantos viribus alia omnia antecedere. *Promuscis Elephantis arma omnia.*

REX.

ADHÆC Ægyptij regem hominem per Elephanti simulacrum intelligebant, non ea tantùm de causa, quòd cùm gregatim semper ingrediãtur, is qui maximus est natu gregẽ ducit, quòd in regibus eligendis multarum nationum & gentium mos fuit, vt id muneris senioribus demãdaretur, vnde apud Hebræos *Seniores*, apud Athenienses *Palæologi*, apud Romanos *Senatores* rerum habenas moderari soliti sunt, verùm propterea quòd habet hoc animi regij peculiare, vt genua non flectat adeò notabiliter, vt animalia reliqua, calcaneum verò leuiter incuruet. Nam genua non flectere, dubio procul ostendit supplicabundum non esse, flectere verò calcaneum, humanitatem, qua maximè præditus est, indicat. Nam apud Philosophos morum institutores, pes indicium est affectus illius, qui humilioribus applicatur. Penes verò quẽ sit rerum potestas, decet quidem eum humanum esse, humaniq; rebus commoueri, genua verò flectere non oportere, manifestum est. Habitus & in ostentis Elephantus, regiæ sublimitatis signum fuit, qui Aureliano, multò ante eius imperium donatus est, soluq; tunc omnium priuatus Elephanti dominus fuit, vt legere est apud Fl. Vopiscum. Nam & Scandro Cotto Indo homini humili genere nato, quem Alexander Magnus ob linguæ procacitatem interfici iusserat, pernici fuga elapso, cùm mox latronibus contractis aduersus Alexandri Præfectos bellũ moliretur, Indiam ab eorum dominatione liberaturus, visendę magnitudinis Elephantus ferus vltrò se obtulit, & velut domita mansuetudine eum in tergum sustulit: quod eũ regem futurum portento fuit, nec fefellit euentus. Siquidem oppressis Alexandri præfectis, Indię sibi regnum asseruit, eaq; authoritate polluit, vt Seleucus Alexandri successor in Perside cùm Indiam affectaret, regno illi relicto res cum eo componere satis habuerit. Præterea scriptores rerum assiduum cum Serpentibus certamen gerere tradunt Elephantos: Serpentes autem inter alia significata loco suo dispositа, terrarum orbem, prouincias, & regiones pro vario picturę gestu significare ostendimus. Elephantos verò qui domitari voluerit, viribus in primis esse præditum oportet, abundare opibus, vt quę bello necessaria sunt facilè cõparet, & cum ipsis prouinciis arma semper exercere. Quapropter, vt mihi videtur, Natura ipsa rerum humanarũ cognitionem hoc exemplo descripsit, quippe quæ Elephantum suis viribus optimè præmunierit, & quæ regem addeceant adiecerit ornamenta, moresq; & virtutes etiam regias vni illi ante omnia bruta, vt paulò infrà docebimus, elargita sit. Quòd verò pertinet ad prouinciarum subiugationem, videre est in C. Cæsaris numo Elephantũ promuscide surrecta, aduersus quẽ Serpens quasi concertaturus insurgit: in altero videas Serpẽtem ipsius Elephanti pedibus obtritũ, in quo inscriptio est, CÆSAR. Potes ex illo, lacessitum bello, & hoc cõfectum intelligere. Neq; verò me fugit, Elephantũ Maurorũ lingua *Cæsam* appellari solitum, quod Spartianus in Ælio Vero tradit, primumq; Cęsaris cognomine nuncupatũ, qui Elephãtũ occiderat. Sed inepta hęc inscriptionis causa mihi videtur: crediderim aũt potiùs ad munificentiã spectare, qua Cæsar Elephãtos exhibuerit.

Pes humilitatis indicium.

CÆSAR.

C. Cæsaris numus.

AFRICA.

Q.C. Marij numus.

QVEM verò Elephantum in Q. C. MARII numo compereris, ibidibus adiectis hieroglyphicum id Africam prouinciam ab eo domitam, ditionemq; imperij in Ægyptum vsq; propagatam, significare crediderim. Elephanti porrò Pompeij Magni currum subiêre Africo triumpho, & in numo argenteo admodùm pulchro Scipionis Imp. inscriptio, cuius galea Elephantini capitis speciem habet, infernè aratrum, antè spica posita est, quæ omnia ad Africæ triumphum, & annonam inde largiter aduectam spectant, inscriptio, Q. METELLVS.

Scipionis argenteus numus.

V. LEGIO.

IN militaribus verò signis, Elephanti legionis quintę vexillis appingebantur, propterea quòd C. Cæsare aduersus Lucium Scipionem ciuili bello decertante, ea legio negotium sibi contra Elephantos dari postulauit, req; strenuè gesta reliquæ victoriæ occasionem præbuit.

ORIENS.

SED Augusto currum ex quatuor Elephantis S.P.Q. Romanus in numis decreuit, quòd, vt pusto, spoliis Orientis onustus Imperatorium inde triũphum duxerit. Id honoris Tib. Cæsar post adeptum Imperium patri deferendum curauit, quod ipsa testatur inscriptio, quæ sic habet: TIB. CÆSAR DIVI AVG. F. AVGVST. P.M. TR. PO. XXIX. DIVO AVGVST. S. P. Q. R. Eundem honorem Claudius Auiæ Liuiæ Circensi pompa, currum quippe Elephantorum Augustæo similem decernendum curauit. Sed & D. Avg. Vespasiano currus ex quatuor Elephantis in numo est, cuius latus alterum inscriptionem habet ad reliquos honores tertij Consulatus: nam qui sua virtute ad Imperatorij fastigij culmen euectus erat, re in Oriente bene gesta, paribus cum Augusto honoribus honestandus fuit: ita Elephas iunctus, prouinciam patriam subiugatam hieroglyphicè significabit. Est & Philippi Imperatoris numus, in quo Elephantus videtur gradiens sub magistro cum hac inscriptione, ÆTERNITAS AVG.

D. Vespasiani numus.

Philippi Imperatoris numus.

MVNIFICENTIA.

EST autem inter virtutes regias illa, quę solet ante alias populorum beneuolentiam conciliare, munificentia, hac ostentanda magni principes Elephanto plurimùm vsi sunt. Hinc videas in Antonini Pij numo Elephantẽ promuscide in semicirculum sursum versus lunata, cuius inscriptio est, MVNIFICENTIA AVG. Atque itidem in numo L. Septimij Seueri Pertinacis Aug. Imp. VIII. Elephas, est promuscide in eundem modum curuata, cum eadem ipsa inscriptione, MVNIFICENTIA AVG. S. C. Namque hoc eos spectaculis exhibitos ostendit, atq; hinc eorum Imperatorum intelligenda munificentia, qui eos modò in certamen cõmisêre, modò in saltationem, modò vt funes scanderent & inambularent, edidêre. Quod si ad eorum quoque animalium liberalitatem trahere volueris, sanè munificos hos & liberales inuenias, siue ij curatoribus suis, siue etiam puellis, quarum amore se captos ostendêre, munera elargiri soliti sunt: quandam enim admirandam eorum in homines beneuolentiam, gratumq; in educatores animum scribit Ælianus, exemplo illius qui pro domino multum diuq; pugnauit, eúmque sagittis interfectum, promuscide sublatum ad præsepe suum asportauit.

Antonini Pij & Seueri Pertinacis numus.

TEMPERANTIA.

SED quid illud, quod etiam in temperantiæ significatum, aut eius, qui seruare modum in rebus norit, per Elephantũ qui cibum caperet exprimebant? Assuetus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largiùs opulentiusq; apposueris, tantum assumit quantum quotidiana consuetudine pascere sit institutus. In Syria cùm domi quidam educaretur, magister accepta hordei mensura, dimidium singulis diebus interuertebat, cumq; aliquando præsente domino totam illi mensuram apposuisset, simulatq; animaduertit Elephantus duplicatam esse pabuli portionem, hordeum id in partes duas promuscide disgregauit, tam æquas, ac si vel modio quis dimensus esset, vnaq; magistro portione derelicta, consuetam sibi partem absumpsit: cuius facti meminit Plutarchus.

Elephanti cuiusdam temperantia.

ÆQVITAS.

NEQVE quidem exemplum aliud prætereundum, ex quo æquitatis etiam idem hoc animal seruantissimum esse fateamur. Quidam mensuræ quæ magistro impendebatur, & lapillos, & puluerem immiscebat, quo de pondere aliquid fraudaret: animaduertit Elephas apud illum carnes elixari, accedensq; cinerem è foco in ollam paria facturus iniecit.

DECLINATOR INSANIÆ.



EST illud verè regiũ, insanos & dementes homines euitare. Quapropter Aegyptij hominem tali prudentia pręditum, vt nihil sibi cum stultis & fatuis esse vellet, ostendere cùm studerẽt, Elephantũ & Caprum hieroglyphicè ponere soliti sunt, ac de Capro quidẽ suo cõmentario quę vsui venerunt, perscripta sunt. Causam picturę huius esse dicunt, quòd Elephantus inspecto Capro quamprimũ fugit, tantum est inter eos naturę morumq; dissidium, vt virtus vitiũ nullo possit pacto tolerare.

Facit

A Facit ad hoc etiam antiquissimum Mosaicæ legis institutum, quo principes vbi deliquerint, sacra facere admonemur ex Hirco, cùm alioqui priuati homines Capram vel Agnum immolarent.

VANILOQVENTIA EVITATA.

CVM verò vaniloquum genus hominũ Regi cuipiam despectui habitum, ac sedulò euitatum ostendere curassent, Elephantum & Porcum appingebãt; Elephas enim Porci audito grunnitu, in fugam se proripit euestigiò, non secùs ac generosiores Equi præsertim Scythici, Asinorum ruditum impotenter admodùm exhorrescunt, quod exemplo Darij exploratum est. Nihil porrò quicquam tam conueniens Regi, quàm dicacitatem, vaniloquentiamq; ab ædibus suis procul summouere: eamq; inimicam sibi constituere, vt adagio receptum sit, *Fidem regiam asseuerando in ijs, quæ omninò credi volumus attestari.* De Porcis autem, quos pice oblitos, & mox igne flammatos Megarenses in Antipatri Elephantos immiserint, eosq; ita fugarint, in Porci ipsius commentario historia recitat.

Adagium.

REX VILIVM ASSECTATOR.

QVIA verò cornua animalium nulli maiora, neque speciosiora quàm Elephanto, hac ipsa etiam de causa regem ostendit: cornua enim, vt in Cerui commentario declaratum

B est, dignitatis & sublimium honorum significatum habẽt. Hominem igitur Ægyptij ampliori aliqua dignitate tituloq; honestatum, qui tamen nulla vel maiestatis vel decori ratione habita, vilissima quæque sectaretur, sordesq; omnes perscrutaretur, significare si vellẽt, hieroglyphicum Elephanti qui mures venaretur proponebant, indignus quidẽ tam vasta mole labor. Eademq; nota inurendum facinus, quo Domitianum iam Imperatorem stylo muscas perfodientem derisum accepimus: vel patrẽ eius Vespasianum de lotio vectigal exigentem, quãquam eius lucelli odor ei bonus videretur. Verùm super hac re notum adagium, *Mures negligit Elephantus.* Ac ne quis cauilletur, Elephanti dentes insignes esse, non cornua, Pausanias omninò esse cornua contendit, tum aliquorum animalium exemplo, quibus aut in supercilio, aut in naribus cornua nascantur, tùm quòd per aliquot annorum periodos corrupta decidant, & noua suppullulent, igneq; molliantur, quòd in dentibus haudquaquam fit, & q; in cranio oriantur.

Mures negligit Elephantus, Adagium.

METICVLOSVS.

EST & illud regum ferè omnium proprium, vt ipsi ad suam (quod aiunt) vmbram expauescãt, ita potentiæ comes additus est vniuscuiusque rei metus. Elephantum autem consternationis hieroglyphicum esse manifestum, si præsertim ij ad stagna limpidæ aquæ, vnde sese tanquam in speculo contemplari queant, deducti pingantur, quam speciem supra modum reformidant, aut certè abhorrent, & aduersantur, eaq; de causa turbidam omninò bibunt. Atque hinc Indorum populi, apud quos magnus earum belluarum prouentus est, si quos fluuios cum his tranare parent, il-

C lunes nubilasq; noctes obseruare consuerunt.

LONGO TEMPORE QVID EFFECTVM.

SVNT qui pullum Elephanti pingant, quippe cui nondũ dentes enasci cœperint, si longo quid tẽporis interuallo factũ significare voluerint: hunc enim vtero gestari Theophrastus decẽnium scribit, quamquam Aristoteles, Ælianus, & alij annos longè pauciores ponant. Vtcumq; sit, vulgatum inde dicterium est, *Citiùs Elephantos parere*, quotiens tarditatem negotij alicuius ineesse voluerimus. De iis verò quæ minimè fieri posse speremus, Ennius dixit, *Priùs locusta pepererit Lucam Bouem.* Ita enim priùs Romani vocauerunt Elephantos, quòd à nostris in Lucania primùm visi.

Adagium.

VICTVS PROVISIO.

EST & illud apud Horum celebre hieroglyphicum super Elephanto, vt si hominem frugi, & de victus ratione maximè solicitum indicare vellent, Elephantum pingerent dentes suos terra condentem. Eum siquidem aiũt simulac caducos dentes suos intellexerit, sponte auellere, & terra infodere. Verum ego crediderim potiùs *Vitæ suæ prospicientem*, quàm *Victui* legendum, Philippumq; ipsum deceptum aliqua forsitan Ægyptij vocabuli æquiuocatione. Manifestum enim est ex receptorum authorum probatione, Elephantos dentes suos nonnunquam venatu allisos arboribus excutere, scientes se eorum causa peti, vt ita præda derelicta vitæ ipsi suæ prospiciant. Et ne indicio sint venatoribus, quotiens præ senecta deciderint, eos etiam tum humo concẽdunt; vnicuique tamen sit integrum quam maluerit sententiam sequi.

CONCORDIÆ DISCORDIÆQVE EFFECTVS.

HVIC verò significato subiiciemus illud, quod nonnulli Sallustij sententiam, quæ est, *Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur*, nouo commento pingere, non tamen infelici-

ret excogitarunt. In illo Formica in Elephantum creſcit oppoſito caduceo, in hoc Elephantus D in Formicam deſinit, aqua & igni pro rebus maximè contrariis adiectis. Verùm ex huiuſmodi figmẽto ſi caduceum & aquam & ignem ſummoueas, perfectus etiam intellectus ſignificari poteſt, quippe qui minimorum æquè ac maximorum cognitionem ſit optimè conſecutus, omniumque vnam quaſi ſcientiam coniunxerit. Sedenim interpretamentum hoc perinde ac illud arbitrarium eſſe, non inficior. Sed dicet aliquis, Quorſum Elephantus ad Formicam? Plutarchus porrò de Formica multa magnificè locutus, quod animal eſt omnium minimum, ita de maximo non diſſimilia ſe dicturum profitetur.

STVPOR.

ATQVE hic qui mentis tot exhibuit experimẽta, quo, vel Cicerone id aſſerente, libro de Natura Deorum 1. *belluarum nulla prudentior*, ſuperioris tamen notæ propter vnam vaſtitatẽ nonnullis habitus fuit, vt legere eſt apud Diogenianum, cui Philoſtratus etiã ſubſcribere videtur, dum neque Elephanto, neque dentibus eius quicquam eſſe cum lyra dixit, neque quidem cum peritis viris, cuius hæc in Amphione verba ſunt, quæ quidem ideò Græcè ponere libuit, quia in impreſſis exemplaribus corrupta leguntur: Ἐλέφας ἐδαμᾶ ἁ λύρας ἔπω οἱ ἄνθρωποι εἰδότες ὅτε αὐτᾶς τᾷ Σηρίῳ, ἐὸν ὅτι τοῖς μέγεσι αὐτᾶ χρήσυλες, quod perinde eſſet, atque illud quod de Aſino fertur, *Nihil ille cum lyra*. Quin & Plautus in hanc ſententiam: *Meus ait herus Elephanti corio tectus, non ſuo eſt, neque plus habet ſapientiæ, quàm lapis*. In quam ſententiam Græci dicunt ἐλεφαντᾶ δέρμα φέρεις ἐδέν. Et Tertullianus eum Beſtiam vocat inſulſiſſimam, etſi aliquam in Diuinis literis præ ſeferat imaginem. Eucherius hominem eum ſigno huius dicit indicari, qui magna & enormia ſcelera perpetrarit, citato ad hoc Solomonis loco: *Et adducebant ad Solomonem Simias & Elephantos*. Et tamen Indici, cùm omnium ſint ferociſſimi, adeò vt difficulter cicurari poſſint, ad inſtrumenti muſici pulſationem cantilenarumq; E modulationes animum intendunt, aureſq; ad audiendum arrigunt, atque hinc ita demulcentur, vt nullo alio commento efficaciùs comprimant ferocitatem. Sanè tria Elephantorum genera authores ponunt, paluſtres, montanos, & campeſtres. Paluſtres omninò dementes leueſq; eſſe, montanos prauos & inſidioſos, campeſtres manſuefieri faciliùs, & longè dociliores aiunt, quos nequaquam ſtupidos exiſtimant illi, qui eos in theatris figurarum notas & mutationes varietateſq; callere, multorum teſtimonio compertum aſſerunt. Romæ illud accidiſſe proditum eſt, cùm eorum grex & ſaltationes, & orbium lucubrationes edoceretur, indocilioré fuiſſe vnum, qui cùm à magiſtris increpatus & caſtigatus eſſet, noctu viſus eſt ad vmbram Lunæ inſtitutionis documenta illa per ſemetipſum attentare, meditari, & exercere. Verùm hæc non ita fortè videantur admiranda, quæ fame magiſtra diſcere cogantur, illa potiùs admiremur, quæ faciunt, fieri nullis vnquam legibus inſtituti, probitate, prudentia & æquitate, nullis ferè animantibus inferiores.

Elephantus in Diuinis, quid.

Mirandum.

PIETAS.

QVID quòd ſponte ſua, naturę quadam ſublimitate prædiți, pietatem colunt, & religionem obſeruant? Noua enim apparente Luna, ſpontè, vbi iure ſuo degunt, viuo ſe flumine purificant: ſi morbis infeſtantur, Deorum auxilium implorant, herbas cœlum verſus iaciunt, earum internuncio eò preces allegante, qui quidem geſtus excipiendus eſt ab iis, qui pietatem ex Elephanto picto exprimere voluerint. Iidem humanis proximi ſenſibus, ſermonem patrium intelligunt, gloriam & honores ambiunt, ignominia notati mortem infamæ vitæ præferunt, quam interdum, alia ſibi conſciſcendæ mortis occaſione negata, inedia finierunt. Quoties verò in theatris oppreſſi, amiſſa fugæ ſpe, vulgi miſericordiam ſupplicarunt, & quadam ſeſe lamentatione complorantes, totum caueæ conſeſſum in lacrymas concitarunt?



F

MANSVETVDO.

CVM tamen tanta ipſi ſint æquitate manſuetudine que, vt crudelitatis alienę miniſterio fungi minimè cogi poſſint, quod irrito olim Bocchi conatu apparuit, contra minùs validas feras pugnare prorſus negant, cumq; maioribus nonniſi laceſſiti, & in grege pecudum ambulantes, occurrentia manu dimouent, ne quid obterant imprudentes, tantaq; illi imbecillioris huius gregis tenet reuerentia, vt vel feri ex Arietis conſpectu mirificè cicurentur, leneſq; atque tractabiles fiant. author Plutarchus Sympoſiacῶn XII. Quid quòd aberrantem hominem in ſolitudine factũ obuiàm non modò non trucidant, aut alia afficiunt iniuria, ſed clementer & placidè ſeſe duces prębent, & viam illi commonſtrant: Quod verò de ſermone dicebamus, quem patrium intelligant, ac etiam certum eos inter ſe habere tradit Oppianus, verùm non niſi à magiſtris ſuis intellectum. Iam illud ætati noſtrę claro innotuit ex-

Sermo Elephanto attributus.



perimento

A perimento, eos magiſtri ſui dicto audientes eſſe, ſiue progrediendum, ſiue regrediendum ſit, quem feriant, quibus abſtineant, quos inuadant, vbi temperandum iræ, ex ipſius magiſtri ſermone cognoſcere, vt non immeritò confirmata ſit opinio, *Huiuſmodi eſſe quandam illi belluæ cum genere humano ſocietatem*, vt M. Tullij dictum ſuper ea re identidem vſurpemus. Cùm igitur Elephas iuſti & moderati imperij ſpecies quodammodo eſſe videatur, meritò Regis nomen, tum ob virtutes, quas ſuperiùs in eo recenſuimus, tum ob hanc ipſam manſuetudinem atque clementiam, adeptus eſt. M. Antonius cognomento Philoſophus, nihil quicquam eſſe dicebat quod Imperatorem Romanum magis commendaret gentibus, quàm clementia, eaq; de cauſa, neque quidem in rebelles ſuos ſæuitum voluit. Hæc Cæſarem Deorum adſcripſit numero, hæc Auguſtum cõſecrauit, hæc Pio cognomentum dedit, hac eadem de cauſa Senatus Ro. timore eo liberatus, quem ex Maximini Imp. immanitate contraxerat, clementiſſimis Impp. Maximo Balbino & Gordiano ſtatuas cum Elephantis decreuit. Quamuis alia de cauſa Gordiano tertiò quadrigæ Elephantorũ decretæ ſunt, quippe vt qui Perſas viciſſet, triũpho Perſico triumpharet. Sed qualis ea in animali bruto mãſuetudo fuit, quam recitat Plutarchus? Romæ cùm pueri quidam per laſciuiam Elephanti promuſcidem ſtylis pupugiſſent, iratus ille vnum ex illis arripuit, eum in ſublime iaculaturus, ſublatoq; ad hoc præ metu puerorum ingenti clamore, ſocij morituri vicem deplorantium, tanto omnium mœrore Elephas intellecto, arreptum puerum humi molliter depoſuit, ſatis habens, metu illo puerilem audaciam caſtigaſſe.

IRA LACESSITA.

B QVAMVIS verò ita natura manſueti ſint, in iras tamen acriter incitantur, perturbatiq; irritatione aliqua acerbiore, immaniter efferaſcunt, *Iuſtus enim* (vt in Diuinis habetur literis) *cùm iraſcitur peior eſt*, eoq; caſu tam hoſtibus quàm ductoribus ſuis pernicioſi ſunt. Quam in eo animali naturã cùm non ignoraret Annibal, eam in vſum ſuũ conuertit, quippe cùm in Prælati fluminis tranſitum Elephantos compellere non poſſet, neque materiæ, qua naues conficeret, copiã haberet, ferociſſimum Elephantem ſub aure vulnerari iuſſit, percuſſoremq; tranſnatato ſtatim flumine procurrere: Elephas exaſperatus ad perſequendũ ſui doloris authorẽ, trãſiuit amnem, & ita reliquis idem audendi exemplũ fecit, vt Stratagematῶn libro primo apud Iulium Frõtinum habetur, idq; in traiiciendo Rhodano factum Liuius tradit, quamuis variatam actæ rei memoriam eſſe confiteatur. Sanè Mauri affirmant cor duplex Elephanto eſſe, altero quidem iraſci, altero ad lenitatẽ induci, atque hoc illud eſt quod horũ vtrunque munus ſupra modũ exequitur. Sanè Elephas ad hæc vſque tempora longa ſeculorum ſerie in Italia fabuloſus habitus eſt, neque hominum quiſquã adduci poterat tam deformem immanemq; belluam, qualem quantamq; in picturis aſpiciebant, iis dotibus excellere, quibus apud rerum ſcriptores inſignis habebatur. Nam quamuis trecenteſimo abhinc anno Fridericus II. Imp. Elephantũ ad nos ex Idumæa tranſuexerit, & ſuperiori ætate alter in Italia viſus fuerit, nihil tamẽ præter corporis vaſtitatem, quod celebratione dignum cenſeretur, ſuper illis memoriæ proditum extabat. Cæterùm omnem hiſtoriæ antiquæ fidẽ adimpleuit Hãno Elephas, quẽ initio diximus ab Emanuele Luſitaniæ rege, Indiæq; triũphatore, Leoni X. Pont. Max. dono miſſum, ac nos Romæ vidimus, Reuerendiſs. Domine, qui tanta ingenij, intelligẽtiæ atque docilitatis exẽpla præſtitit ea ætatula (quadrimus enim huc aduectus erat) vt non modò quæ à ſcriptoribus tradita fuerant credamus, verùm authores ipſos in hoc animantũ genus quaſi inuidos, eleuaſſe plurima, quę longè magnificentiùs illuſtranda fuerant, ſuſpicio ſit. Hinc factum, vt ad eius ſignificata, & eorum cauſas recenſendas effuſior acceſſerim, qui priuſquàm animal inſpicerem, ne pro anilibus fabulis eorum bona pars acciperetur, veritus fuiſſem. Illud autem profiteri poſſumus, de reliquis animantibus quæcũque fidem excedere videantur, ſcriptorum authoritati nos acquieſcere: ſuper Elephãto verò quæcũq; admiranda traduntur, nos in Hãnone, vel paria, vel veteribus illis longè maiora, oculata fide deprehendiſſe, cuius rei Romã ipſam frequẽtiſſimum totius orbis theatrum teſtem appellamus. Sed minimè loco hoc diſſimulandũ, quod ſuper eiuſdem Hannonis ingenio Michaël Syluius, regis ſui ad ſummum Pontificem orator, ſummæ, vt noſti, vir integritatis, fideiq; ſanctiſsimæ, atque alij narrauêre, remq; multorum teſtimonio cõprobauêre. Cùm deſtinaſſet Emanuel Rex eum Romam Pontifici Maximo donum ire, naui quam inſcenderet iam inſtructa paratáque ad profectionem, nullo vnquam pacto per aliquot dies fieri potuiſſe, vt Hanno vel duci ſe ad nauim, vel ſi quo modo adductus fuiſſet, eam vellet inſcendere, vſque adeò auerſabundus profectionem huiuſmodi reformidabat. Cúmque Rex ſuper ea re ſolicitus admodùm eſſet, magníſque pollicitationibus vnumquemque inuitaret, qui deducendi, aſportandíque Hannonis negotium ſuſcepiſſent, neque quiſquam nomen profiteretur ſuum, inſuſurratum demùm eſt regiis auribus, eius belluæ magiſtri dolo hæc fieri, quippe qui puellæ cuiuſdam amore perditus ægrè ferret ſe in tam longinquas regiones ablegari, proindeq; Hannoni perſuaſiſ-

Cor duplex Elephanto.

Hanno Elephas.

De Elephanto, hiſtoria iucunda.

set nec̃ abduci pateretur abuehendum, quippe eum in loca sterilia, inamœna & barbara, vbi ludi- D brio cõtumeliisq; omnibus tanquã hosticæ terræ animal afficeretur, neque victui neq; ornatui eius vel necessaria, vel commoda suffectura: longũ ad hæc iter & incõmodum, & vastum maris æquor arandum, vt satius esset in qua tunc erat terra quamprimùm contrucidari, quàm per tot viarũ difficultates ad ærumnosissimã denique vitam peruenire. Rex hac re cognita, magistrum Hannonis ad se quamprimùm accersiri iubet, seq; dolos eius comperisse dicit, ageret itaque vt intra triduum Hanno in nauim imponeretur, idq; ni properè fieret, interminatus est actutum se hominẽ extremo supplicio affecturum, vt aliis exemplo esset, qui mandatis regijs fucum facere ausi essent. Hac regis asperitate territus Elephanti magister, cùm nullam in cunctatione salutem inueneret, discipulam belluam aggreditur, docet se maleuolorum quorũdam fraude subornatum, qui & felicitati vtriusq; inuiderent, & regi optimo malè obtemperantes essent, lõgè autẽ secus rem habere, quàm illi mentiti essent. Siquidem non ad immania & effera loca profecturi erant, sed ad vrbẽ orbis terrarum dominam, amœno loco sitam, vbi rerum deliciarumq; omnium quotquot vel auidissimi cuiusque cupiditate expeti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem, cui totus penè terrarum orbis assurgeret, apud quem is in deliciis habendus esset, & tanquam Lusciniæ pullus, lautitiarũ blanditiarumq; affluentia nutricandus, proinde bono animo esset, secumq; primo quoque tempore lætus & alacer nauem inscenderet, affuturos nauigationi Deos, & cursum omnẽ incredibili felicitate prosecuturos. Ita Hannonem ab eodẽ magistro in aliam sententiã deductum, vbi signa data sunt, vltrò nauem conscendisse, neque vlla vnquã imperia toto itinere detrectasse.

DE RHINOCERONTE. E

VT Rhinoceronta in Domitiani numis inspexêre, quid id signum sibi velit, quæritare solent. Ego factum id ad Principis adulationem dixerim, qui animalia huiusmodi spectaculis obtulerit, cuiusmodi munus illud fuit, quod à Valerio Martiale celebratur:

Præstitit exhibitus tota tibi Cæsar arena,
Quæ non promisit prælia Rhinoceros.
O quàm terribiles exarsit pronus in iras,
Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat.

IRACVNDIA EX TARditate ferocior.

SVNT enim qui lentitudinẽ irascendi, ac nullũ mox adhibitum modum excandescentiæ, per huius animalis hieroglyphicum intelligant. Nam in eo conueniunt authores, magna id indigere irritatione, sed vbi irasci cœperit, esse ferocissimum, quod & altero Martialis expressit Epigrammate:

Sollicitant pauidi dum Rhinoceronta magistri,
Seq; diu magnæ colligit ira feræ.
Desperabantur promissi prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus antè furor.
Namque grauem gemino cornu sic extulit Vrsum,
Iactat vt impositas Taurus in astra pilas.

REX POTENS IMBECILlioris artificio petitus. F



SVNT qui volentes potentem aliquem Regem imbecillioris alicuius artibus vexatum intelligere, Elephantum pingunt in certamen à Rhinoceronte lacessitum. Nascitur hic siquidem natura hostis Elephanto, longitudine ei penè pari, sed cruribus multò breuioribus, colore buxeo, vt ait Plinius. Cornu is ad saxa limato se pugnæ præparat: in dimicatione aluum maximè petit, quam esse molliorem intelligit, eáque perfossa, actutùm superat Elephantum.

ROBVSTVS.

SANE fortẽ atq; robustũ Diuinę literæ, vt Eucherius tradit, per Rhinocerontis imaginẽ accipiũt, illudq; Iobi ex Hebræo affertur, *Nunquid vult Rhinoceros seruire tibi? Terribilis*, ait is, *fera Rhinoceros, cui gemina in naribus cornua*: atq; ita in Domitiani numis obseruauimus, in quibus Rhinoceros spectatur nares gemino cornu insignis, qualem celebrat Martialis. Præterea qui nuper allatus est ex India inferiori ad Lusitaniæ regẽ, cuius imaginẽ ad Leonẽ X. P. M. trãsmissam vidimus, vnũ quidẽ in nare cornu habet, alterũ supernè prorũpit, nõ adeò magnũ, sed præualidũ esse Lusitani omnes, qui animal viderũt, attestãtur. At lõgè curiosiùs hoc videndũ in Diuinis siquidẽ literis μονοκέρωτα, & ῥινοκέρωτα, Vnicornẽ scilicet & Naricornẽ plerisq; locis cõfusim acceptũ fuisse, nimirũ à nouis & veteribus Theologis, qui cũ historiã ignorarẽt, duo hæc vnũ eundemq; esse crediderũt, ita vbiq; ab aliis Vnicornẽ, ab aliis Naricornẽ vno eodẽq; loco positũ inuenias.

Domitiani numus.

A nias. Id quod accidisse puto, quòd, vti diximus, plerique horũ idem esse animal arbitrati sunt Rhinocerõta & Monoceronta, cùm alioqui longè diuersa sint, seperatimq; à Plinio vtrumq; positum, qui libro octauo, capite post vigesimum primo, Monocerontem asperrimã ait feram, reliquo corpore Equo simile, capite ceruino, pedibus Elephanto similis, cauda Apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte cubitorum duũm eminente. Quæ quidem descriptio eum signat, quẽ vulgus Halicornum vocat, quem aiunt pudicitiæ ita amantẽ esse, vt non nisi puellæ virginis ope capi possit, quam venatores ibi statuerint sedentem, quò animal id potum pabulatúmve se cõferre animaduerterint. Accurrere enim Vnicornem ad puellam huiuscemodi, inclinatumq; caput in eius gremium collocare, altissimóque mox occupari somno, signoq; venatoribus à puella dato approperare eos, & feram nullo negotio capere, atque hoc vnius tantùm cornu præmio, quòd contra venena pollere prædicant, ramenta quippe eius efficacissimè sanare, & toris stratis partem eius impositam, si quid veneno vitiatum apponatur, sudorem emittere. Rhinoceronta verò eodem libro Plinius capite XX. ponit, qui cornu non in fronte habeat, sed in naribus, alterum eum à Dracone hostem genitum Elephanto, & quæ superiùs allata sunt de vtriusq; pugna. Sanè alibi in Diuinis literis Rhinoceronta hieroglyphicum esse fortis & robusti viri, vti superiùs dictũ notat Eucherius citato ex Iobe loco, *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi?* Et apud Balaam scriptũ inuenias, *Cuius fortitudo quasi Rhinocerontis*, vt Latinæ pleræque omnes habent interpretationes, quãuis Sanctes *Vnicornis* reddiderit. Igitur si quid ariolandum, cùm Psalmo hoc vigesimoprimo comparatio referatur ad animalia robustissima & indomita, diuinúmque auxilium contra eorum impetum atque vim imploretur, quippe vt Chaldæi & Arabes exposuerunt, *Salua me à feroci fortissimo sicut Leone, & à rege potente, cuius potentia sit sicut Naricornis*, eámque plerique lectionem probent, non dubitarim asserere loco hoc *Rhinocerontis* legere. Vbi verò Psalmo XXVIII. mentio fit amabilioris animalis, dicatur quippe Sarion apud Hebræos, quod Græci reddidêre ἠγαπημένον ὡς υἱὸς μονοκερώτων, Latini, verbum verbo reddentes, *Dilectus quemadmodum filius Vnicornium*: vetus etiam traductio *Vnicornium* habeat, nulli dubium esse crediderim, quin castior istius loci lectio sit μονοκερώτων. Atq; hæc, mi Domine, sunt quæ super Elephanto, qui Rhinoceronta secum traxit, colligere per occupationes licuit. Tu, qui ætatem omnem, horásq; omnes assiduæ lectioni soles impendere, longè illustriora reconditioráque forsitan inueneris, quæ si ad manus meas peruenire non potuerunt, indulgendum est mihi: non enim ignarus es quantum mihi Principum obsequia, negotiorúmq; turbationes de studiis literarum subtrahant, crebríque me interpellationibus auocent. Quare tu atque alij, qui vitæ meæ rationem inspicitis, mihi estote æquiores, cùm præsertim admoneat Maro, neminem esse qui possit omnia.

Monocerõtis ac Rhinocerontis descriptio, & eius in diuinis hieroglyphicũ.

B

AD ERVDITISSIMVM LÆLIVM TAVRELLVM, ILLVSTRISS. COSMI DVCIS FLORENTINORVM IVRI Præfectum, de iis quæ per Taurum & Bubulum omne genus significantur, EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

C

LIBER III.

AN publica peccare commoda videar, doctissime Taurelle, si Tauri mei mugitus nescio quos Serenissimo Duci Cosmo meo, imò tuo, imò proborum omnium patrono, dedicare non erubuerim. Nam quamuis non sim nescius eum studiosorum commodis applaudere, maiorum suorum exemplo, qui omnes summam & eam æternam laudem comparauêre, dum scilicet literas & virtutes, & bonos omnes mores in Italia, atque adeò in ipsa clarissima ciuitate Florentia florere, & in honore esse, omni studio, conatúque omni curauêre, negotia tamen, quibus iuuenis ornatissimus nunc in tanto rerum Italicarum motu & perturbatione detinetur, non permittunt, vt importunus eum accedam, tametsi sapientissimè, & magna cum ciuium suorum commendatione omnia temperet & moderetur, ita vt omnes curam studiumq; senile in ætate tam viridi admirentur. Quare Taurello potius amico benignissimo eum alendum curandumq; dedi, cui cibus is, quo Taurus noster pascitur, sufficit abundè, vt cùm opportunum fuerit, réque ipsa monuerit, suo tempore & loco Taurellus de Tauro, quæ in eo sunt laudabilia, atque magnæ etiam admirationis, proferat, & ratiocinetur, Principemq; ingenio præstantem, quibus dotibus animal polleat, & si dicere licet, quibus virtutibus insignis habeatur, interdum commonefaciat. Nam quæ homines rectè laudabiliterq; faciunt, cùm illi ad hæc agenda nati sint, & vnusquisque ab animo suo, qui ratione pollet, possit exempla desumere, quia tamen dotes hæ ab humana natura demanant, non vsque adeò sunt in nobis admirandæ: sed quæ fera faciunt animalia, quibus singuli ferè singulis motus sunt impertiti, si vltra naturæ suæ fines prouehantur, eò pretiosiora iudicantur, quò magis interdum humanum genus in certamen prouocare cõperiuntur: cuiusmodi multa admiranda super Elephanto proximo Commentario ad Reuerendiss. Sfortiam commemorauimus, quibus non inferiora forsitan de Tauro vel Bouillo omni genere dicturi sumus.

TEM

TEMPERANTIA.

ADMIRABILEM quandam in Tauro continentiam cùm animaduertissent Aegyptij Sacerdotes, temperantia præditum hominẽ, ab humanarum quippe rerum affectu non alienum, cæterùm modestiæ seruantissimum, significare si vellent, Taurum naturæ admodùm robustæ ac validæ faciebant, cuiusmodi speciem Philostratus Pasiphaë describisse mihi videtur, cùm ductorem illum gregis, pugnacem, superbum, exultantẽ, specioſum cornibus, colore niueo, lato gutture, ceruice crassa, palearibus latè longéq; pendentibus, armis ad adspectum inhorrescentibus effingit: qualem quippe faciem habemus in numo quodam argẽteo, cuius inscriptio est, M. L. THORIVS. Causam huius hieroglyphici eam Philosophici tradunt, quòd animal hoc sit calidissimum, atque inguine præcipuè potens, ita vt vno tantùm initu citra motum impleat efficacissimè, quòd si contingat, vt à naturali aberrarit loco, Vaccam ea in quam occurrarit parte, qua præditus est inguinis firmitate, vulnerat, non secus ac si telo eam acuto impetiisset. Vsque adeò verò semen illi promptuarium est, vt exectum Taurum impleſſe tradat Aristoteles, atque hinc plerique veteres scriptores, viri pudenda Taurum appellauêre, vt muliebria βεβάλιον. Animal tamen hoc in libidinem vsque adeò concitatum & furens, non sæpius quàm bis die inscendit, à conceptu verò ipsius Vaccæ modestus castusq;, nihil vlteriùs rẽtat. Huius rei causam in Vacca multi ponunt, quę Taurũ propter rigorẽ genitalis nimiamq; tentiginẽ, veluti Ceruę etiam, neque non Testudines faciunt, rarò patiatur. Vnde dixerit Horatius de fugitiua puella:

Nondum subacta ferre iugum valet, *Aequare, nec Tauri ruentis*
Ceruice nondum munia comparis *In Venerem tolerare pondus.*

Sedenim spectandum hoc exemplum continentię habere causam in Tauro, manifestum est ex eo, quòd sponte Taurus à conceptu diuortio quasi facto se cubat, ac, vt in Epiro maximè videre est, trium plerunque mensium spatio non apparet, sed errabũdus, vt apud Virgilium est, *Latus niueum molli fultus hyacintho, Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas:* &, quod ait Aristoteles, ἀτιμαγελεῖ, quod non infeliciter quidam *Abarmentatur* dixêre, hoc est, seorsum à Vaccarum consortio, grege conuictúque pascitur. Quod dictũ volui, vt vnusquisque sciret quo gestu Taurus pingendus sit in continentiæ significatum. Vt verò ad verbum ἀτιμαγελεῖ, & ex historia prouerbium reuertamur, hæc eò spectant, vt impositum petulantiæ modum, & probatissimam ex ea pictura continentiã intelligamus: atque ita fortè accipiendum illud apud Theocritum, ἔξα δ' ταῦρος ἀν' ὕλαν, *in syluam abscesſit Taurus*, sed hæc tamen, quia copiosè & feliciter sunt ab eruditissimis pleriſque viris, præsertim Erasmo Rotterodamo, tractata, nos non vlteriùs prosequemur. Neque verò me latet in Epiro Pyrrhicas Boues fuisse miræ magnitudinis, quæ, quia Veneris expertes essent, & omninò intactæ custodirentur, ἀταύρους dicebantur, sed hoc illis hominum cura, non natura dabat. Eædem neque iungebantur, ideóque *Iniuges* dictæ, quòd incontaminatæ pudicitiæ symbolum præ se ferrent. Mineruæ in primis mactabantur, virginitatis, quæ iugum nesciat, indiciũ. Ex iis autẽ satis manifestum est, nos in libidinis temperantia dubio procul ab eo genere vinci, quod alioqui procaciſsimum, & in riuales pugnaciſsimũ esse constat. Quare haudquaquàm leui de causa cœlestis ille Taurus Veneri dedicatus, neque Venus temerè à sapientissimis Poëtis Aurea vocitata est, quæ quidem synceram, castam & puram generandi cupiditatẽ cœlitùs inspirat, non lasciuias petulantiores, adulteria turpia, & impudicam humani generis cõtumeliam, quam voluptatibus dediti mortales, dum appetentiùs æquo per summam incontinentiam consectantur, cogi se vi siderum affirmare audẽt, quò suæ velum impudentiæ prætendant, cùm tamen à cœlo nihil non vndecunque sanctiſsimum emanare veriſsimè dicat Plato. Sedenim si non ex ciuilis vitæ moribus, si non ex disciplinis, & sapientum præceptis, si non denique legum minis ad honestatem instituti potuimus, agè agè, iam à brutis rectam viuendi rationem adipiscamur, & ingenium eorum secuti, nostræ opem feramus imbecillitati. Tali autem continentia fuisse præditũ Drusum, fama canit, qui se vxori, quandiu in expeditione Germanica fuit, conseruauit. Et quod de Tauri secubitu dicebamus, Pescenium quoq; Nigrum ferunt ignarum rei Venereæ fuisse, nisi quantum procreandis liberis impenderetur. Inuenies huiusmodi exempla in historiis etiam recentioribus, vt de Pemone Bellumẽsi, quẽ Vtinenses ob integritatem, iustitiam, summamq; prudentiam, Principem sibi delegêre. Neq; sua in hoc fraudandum laude fœmineum genus, cùm Zenobia illa Aureliani Imp. etiam hostis epistola cõmendetur, quæ Gallieno Rempub. negligenter administrante, imperium sibi comparauit. Eam ferunt cùm semel concubuisset expectatis menstruis se continere solitam, si prægnãs esset, sin minus, potestatem quærendis liberis viro concesisse. Vulgò tamen apud Seras nefas est à conceptu fœminam adiri. Eius continentiæ atque modestiæ causa, qua Boues, ita vt ostensum est, commẽdantur, Mycerinus Aegypti rex Cleopis filius, filiam, quæ se suspenderat, quòd stupratam sese à patre ferret indigniſsimè, lignea Boue auro solido superinducto condidit. Et antiquissimis Hebræorũ sacris offerre Vitulum, est carnis impotentiam peruicisse, vt Origenes in Leuitico interpretatur. Exempla verò huiusmodi ea de causa nonnunquam interserimus, quia totus hic noster labor ad eorum vsum susceptus est, qui pictura delectantur, vt præter Aegyptiaca, & alia pleraque mystica, historiam etiam habeant, quam ad id quod elegerint argumentum accommodare possint.

Pasiphaë.

Venus cur aurea dicta.

Hieroglyphicorum vsus.

MODE

MODESTIA.

NEQVE alia de causa crediderim ego mulieres Elienses, cùm Baccho, quem colebant, preces funderent, orare solitas, vt βοέῳ ποδί, Taurino quippe pede ad se veniret, nisi vt suam ita modestiam ostentarent: nihil enim minus fœminam decet quàm præcipitantia, vel ardor audaciæ. Quare Dido Virgiliana cùm modesta inducitur, breuiter, & vultum demiſsa profatur. Figurabãt verò Græci Dionysium Tauri specie, quòd eundem, & Osirim intelligebãt, de cuius probitate atque iustitia, summisq; in humanum genus beneficiis, multa multis in locis hoc commentandi genere dicenda sunt. Porrò Dionysius apud Argiuos βουγενὴς, quasi bouigenam, aut ex bouillo genere dicenda sunt. Porrò Dionysius apud Argiuos βουγενὴς, quasi bouigenam, aut ex bouillo genere, dicere vellent, cognominabatur. Quòd verò superiùs dictum est, cœlestẽ Taurum pios & honestos atque legitimos amores afflare, non sum nescius Iulium Maternum iis impudicitiam minari, qui Taurum habuerint in horoscopo, maluiſsem eum prolificum, aut fœcundum dicere, ne notã eam cœlo inussisset immeritò. Huius sanè fertilitatis, & præsentaneæ seminis facultatis ergò institutum aiunt boni ominis causa, vt in condendis oppidis sulco illo primigenio imprimendo, Bos mas non castratus, & Vacca iungerentur, & cùm sacrificabant circum mœnia, quinto quoq; anno integra animalia mactabant. Sanè Orpheus mensem μονοπέρωτα μόρον appellat, vnicornem quippe Vitulũ. Et Eustathius Ιλιαδ. α, mensem ait Bouem dici, vtpote qui sit generationis effector.

PETVLANTIÆ FRÆNVM.

ADHÆC Niliaci illi sacrorum custodes, cùm hominem à priori petulantia sibi modestiùs consulentem significare vellent, non simplici forma Taurum, sed Caprifico caput, colla, armosq; redimitum pro istiusmodi virtutis hieroglyphico proponebant. Caprifico enim ea vis est, vt lasciuientium Taurorum, & quantumuis ferocientium naturam vsque adeò compescat, eorum collo circundata, vt immobiles propemodùm eos reddat, cuiusmodi Taurum ab Hercule compressum domitúmque mystico fabulamento Græcia cõfinxit, perinde ac reliqua etiam monstra superata, cessisse virtuti vitium hieroglyphicè significant, tametsi non sum ignarus, quæ de Tauro Herculeo traduntur, referri à pleriſque ad Acheloum amnem, cuius fabula, quia omnibus est scholis tritissima, mihi nunc est dissimulanda. Origenes Adamãtius Taurorum immolationem, quæ in diuini numinis tabernaculo fieri iussa est per Hebræorum legem, significare dicit apud nos superbiæ tumorem & insolentiam esse mactandam. De Vitulo verò in holocaustum offerendo copioſisimè scribitur ab eodem in Leuitico homilia secunda.

Taurus ab Hercule superatus.

OBTVTVS AMATORIVS.

NEQVE tamen illud omitti debet, Obtutum amatorium, qui modestia seruata fiat, ad Tauri oculos referri solitum à peritissimis. Vnde illud, βλέπειν ταυρηδόν, quod tum in Platonis, tum in Xenophontis Conuiuiis, & Phædone, & alibi, eadem ferè sententia positum animaduertas, tametsi nonnulli rem ad indignationis significatum retraxêre, toruúmque tueri interpretantur: quo significato apud Aristophanem super Æschylo dictum, ἔβλεψε γὰρ ταυρηδὸν ἐγκύψας κατω, *Aspexit igitur Tauricè ad humum lumina deiectus.* Hac enim facie iratus Aeschylus inducitur ab Aristophane. Neque sum nescius toruitatem à Taurorum ferocia dictam, vt etymologiarum authores tradunt, qui toruitatem Tauri acerbitatem interpretantur. Huic longè diſsimile est βοώπις, quo quidem oculorum pulchritudo atque gratia significatur. In iis tamen quos superiùs citaui, nimirum de amatorio obtutu intelligitur, in quo modestia primas obtinet, isq; plurimùm fieri solet in obliquum, & id toruum est.

BONORVM OBSEQVIVM.

ALIA porrò picturæ specie, hominem ea modestia præditum, vt facilè eum queas à perperàm factis auertere, indicare si vellent, Taurum genu dextero illigatum pingebant: hunc enim si dextero allegaueris genu, manſuetum & vincula consequentem inuenies. Hoc cùm Romæ Clementis VII. principatu Græculus quidam effeciſset, ducto sæpius ferociſsimo Tauro per vniuersam vrbem, quem tenui admodùm funiculo ita religarat à genu, peritiſsimi Magi nomen apud imperitos assecutus est. Edomitæ autem ferociæ hieroglyphicum apud Georg. Anselmum vidi, impressum numo Taurum, cauda surrecta, capite cernuo, anteriore crure læuo genuflexum, sub querno stipite, à quo laurea pendebat ab altero latere caput Leonino spolio armatum. Inscriptio, MILOCROTON.

Taurus numo impressus.

PRO

PROLES MASCVLA, PROLES FOEMINEA.

AEGYPTII iidem sacerdotes, vbi masculam prolem mysticè describere vellent, Taurum ab inscensione in dextram se partem demittentem figurabant, si verò fœmineum fœtum exprimere voluissent, eundem in læuam auertentem se pingebant. Compertum siquidem est, Taurum à conceptu discedentem si deflexerit in dextram, marem esse genitum, si ab læua abscesserit, fœmineum esse fœtum. Adhæc Parmenides, fœtum tunc esse patri similem asserit, cùm à dextra locorum parte editur, matri verò, cùm ab læua. Hippocrates tradit sinistro teste obligato marem generari, dextro verò fœminam, tantiq; esse dextrarum sinistrarumq; partium in maribus fœminisq; cognoscendis obseruationem, vt si mammarum prægnantis mulieris dextra flaccescat, macráue repentè fiat, si gemellos paritura fuerat marem abortum fieri dicant, si verò sinistra macrescat, fœminam deperdi. Quin & Onirocritæ hæc eadem intelligunt, cùm imaginari dextra parte dentes amissos marium consanguineorum obitum ariolantur, ex sinistra verò fœminarum. In dextra autem parte vteri materni sæpiùs moueri mares, in læua verò fœminas constat. Albertus sibi cõpertum ait, mulierem quandam fœminas tantũ párere solitam ea de causa, quòd à cõceptu semper in læuum latus decumberet, admonitam verò cœpisse in dextram conquiescere, ac solos deinde mares genuisse. Neq; verò dissimulandum quod ad Ægyptiorum commẽtum facit, Septentrióni vim masculá inesse, quod neq; quidem Aristoteles dissimulauit: docet enim is, si masculos plures creari volumus, admissuræ tempore, dies siccos, & halitũ Septentrionis eligendũ esse, & cõtra eum ventum greges pascendum: sin verò fœminas generari velimus, Austri captandos flatus, & in eum pascua dirigẽda, quòd vis in eo vento muliebris insit. Africanus quoque rem hanc tangit in Georg. Ait enim: *Si marem velis, Aquilone spirante admissuram faciendam, si fœminam, Austro.* Sedenim de læuis dexterisq; mundi partibus magnum est inter authores dissidium. Vnà enim cum Ægyptiis dexteras mundi partes Solstitiales, sinistras Brumales intelligit Empedocles, de quo ita Galenus, ἐμπεδοκλῆς ϑ δεξιὰ ἔϕη τὰ κϱ̃ τ θερινῶν τροπικῶν, ἀριστερὰ ϑ κϱ̃ τ χειμερινῶν. Neq; desunt qui primas olim fœminas ad Ortum & Meridiem terra genitas, mares verò ad Septentrionem & Occasum fabulentur. Plato tamen Aristotelesq; alia ratione orbem diuidentes, Orientales esse dextras, à quibus initium motus, læuas autem occiduas, tradidere, vt idem Galenus recitat, σωζομένας δ πλάτων δ ἀριστοτέλης δεξιὰ δ νόμῳ ἔφασαν ἔϕη τὰ ἑῷα, ἀϕ' ὧν ἀρχὴν ἔναγ ἡ κινήσεως, ἀριστερὰ τὰ ἑσπέρια. Contrà Varro Latinæ linguæ lib. v 1. cœlum ait dici templum, eius autem cœli partes quatuor constitui, sinistram ab Oriente, dexteram ab Occasu, anticam ad Meridiem, posticam ad Septentrionem. Cui Plinius subscribit dicés, errantia sidera contrariũ mundo cursum agere, quippe læuum semper illo in dexteram præcipiti, quãuis Festus anticam eam cœli partẽ, quæ ad Meridiem Sole illustratur, Dexteram vocat, ita enim anticam interpretatur, posticam verò ad Septentrionẽ, Sinistram. Alcinoüs in Græcorum monumentis adnotatum ait morem sacrificandi seruatum diu vt circumcurrerent aras, cursum auspicari ab læuo dextrorsum, Zodiaci quadam imagine, cuius motus sit mundo diuersus ad exortum vergens, mox verò à dexteris læuorsùm procurrerent, quo motu cœlum rotari manifestũ. Contra Ægyptiorũ positionem T. Liuius libro ab Vrbe condita primo, dexteras ad meridiem partes Augurum instituto, ad Septẽtrionem sinistras statutas ait. Ad hanc sententiã facit quod Psalmo apud Heb. 89. legitur, *Aquilonem & dextrum tu creasti*, quod nonnulli Austrum interpretantur, alij mare. Cum Hebræis verò consentiunt & Chaldæi, qui Austrum ponũt. Sedenim & Auster pro Mari non ineptè accipitur, si sphæra recta statuatur polis ad finitorẽ inclinatis. Nam Ægyptij, quos Cleomedes, non postremi nominis author, secutus est, ipsam mundi totius figurã aliter descripsêre, vtpote qui Aurorã esse caput, Borealia dextera, Australia sinistra constituêre, maritimisq; piscibus tum ob alias causas, quas loco suo recensuimus, tum ob id præcipuè abstinebant, q̃ Nilum à sinistra ortũ, quippe fœminea fœcundaq; parte, in dexterã quippe virilem sterilemq; (ita enim erant eorum cõmenta) illapsum, quippe vbi mare sit, corrumpi dicerent. Nam de maris ipsius sterilitate suo loco diximus, atque ita dexteram oram, hoc est, maritimam cõsiderato Ægypti situ, perditionis symbolũ statuebant. Neque hîc dissimulandum, q̃ apud Eucherium, vbi de Aquilone loquitur, qui pro Dæmone accipiatur, inuenies eũ vocari Dexterũ, & ita ipsum quoq; sibi Dexteri nomen adsciscere. Nam & Hieronymus quartis Hebræorũ castris Aquilonem dexterũ appellari tradit, sed falsum ait nomen, cùm de Dæmone eius venti domino intelligatur, qui vndecũque sinister sinistra omnia mortalibus suggerat appetenda. Causam tamen Eucherius super Dexteri nomine aliam ab hac arbitratur, quippe q̃ perperàm agere volenti, dexter adsit obsecundando, suadendo, procliuiter attrahendo. Nam illud palàm est, ait, in Sacris literis diabolum gestare Aquilonis nomen, eaq; locutione quicquid bonis conatibus aduersatur accipi: is enim bonorum operum ardorem extinguit, atque omnia frigefacit, & ob id & infideles & impij, contumaces sceleratíque homines, eo notantur hieroglyphico. Vnde illud, *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Et quia flatus vehemens quò frigidior, eò magis ignem in quem inciderit exfuscitat, dictum est, *Ab Aquilone exardescent mala super terram.* Tetigêre & Poëtæ nostri dexteras læuásque cœli partes. Sedenim Maro & Naso, nullius addicti iurare in verba magistri, eas non distinxêre. Lucanus Aegyptiorum adhæsit factioni, & sententiam ipse suam declarauit eo loco,

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,

Varia authorũ masculæ fœmineæve generationis opimo.

Vmbras mirati nemorum non ire sinistras.

hoc est, in Australes partes non porrigi. In hoc autem id interest, vbi quis vniuersi statuat caput, quo super argumento plura dicere nostri non est instituti, quare ad ipsas rerum significationes reuertamur.

AVDITVS PROMPTVS.

AVDITV enim duo ex quadrupedũ genere maximè polIent Ceruus & Bos, quamuis, vt in Asino dictum, Aristophanis interpres Murem & Asinũ præferat, quod alij viderint. Sedenim Ceruus, quamuis acerrimi sit auditus, tantisper tamen eo excellit, quandiu arrectas auriculas tenet, quas vbi demiserit, non solùm non præstat auditu, verùm etiam laborat surditate. In Tauro aures ad audiendũ promptæ semper, atq; eo præsertim tempore, quo fœmina pruritu exagitata mugierit, quo non ampliùs quàm per horas ad summum tres afficitur, eo tempusculi spatio nisi Taurus accesserit, naturam colligit, neque anteà quàm vigesimo post die mas à fœmina repetitur, quod rarò tamen accidit, quia Taurus quantumlibet longè abfuerit, accepta voce statim accurrit. Eaque de causa Ægyptij sacerdotes per auriculam Tauri pictam, & auditum & obsequij sedulitatem indicabant. Pari modo Iuuenca quoque Tauro se morigeram præbet. Sanè Vaccam Ægyptij Veneri dedicarunt, quam cœlestem vocant, & Isidis suæ frontem cornibus insignitam ostentabant, quippe ob obsequium quo ipsa quoque Tauro paret, simulac incitari eius ad Venerem mugitũ audierit. Licèt verò singulis animantibus voces proprię ad initum sint, vt Suibus, & Capris, & Ouibus, nulli tamen grauior quàm Bubus fœminis. In reliquis porrò animalium generibus mares grauiùs sonant quàm fœminæ, in Bubus è contrario est, ait Aristoteles, nam Boum fœmina grauiorem quàm mas vocem habet.

Vox Bouis, maris & fœminæ.

NEPTVNVS.

AT cùm mugitus pelagi Taurino sit non absimilis, & ipsi Neptuno Tauros immolabant, & eũ ab eodem mugitu μυκητὴν appellabant, quia idẽ Deus à sacerdotibus nonnunquam Ταύριος nuncupatus est. Quos verò Tauros Neptuno sacros esse volebant, vndecumq; nigros deligi iusserunt, vt ita pelagi colorem exhiberent. Atram enim, nigram, obscurámve maris aquam dicere mos vbique est, vnde etiam Aquilam, ab aquæ colore, quippe fusco, dictam volunt, Deumq; ipsum cærulicomum, & cæruleo indumento vestitum passim inuenimus. Adhæc pectus illi prævalidum armiq; Taurorum in morem carnosiores attribuuntur. Hinc in pulcherrimo Syracusanorum numo latum conspicias portum, in cuius medio ea membrorum habitudine Taurus procumbit, Delphinis circùm colludentibus. Qui verò ludi Taurij nuncupati fuerunt apud Romanos, haudquaquàm Neptuno, sed inferis diis instituti erant ad sedandam pestilentiam, quę Tarquinio Superbo Rege in mulieres grauidas sæuiebat, inde scilicet ortam, quòd caro Taurina populo diuendita fuerat. De Neptuno verò, qui Ταύριος, vt apud Hesiodum in Scuto Herculis, vocaretur, alij dicũt propter vndarum sonum, quæ, vti dicebamus, Boũ instar mugiant, alij, quia Neptunus Taurina induebatur galea, vel quia ita eum Bœotij vocitabant, à Tauri sacrificio quod illi erat institutũ, de quo Maro:

Syracusanorũ numus. Ludi Taurij.

Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.

FLVVII.

QVIN & fluuios ipsos cornigeros vel Ταυρεοείδεις, hoc est, Tauricipites, & Taurituos, vt lucu-lentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Hinc Tibris Maroni,

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum,
Et gemina auratus Taurino cornua vultu
Eridanus.

Vt apud Ouidium in Metam. *Granico nata bicorni*, non vt vulgata habent exemplaria, *Gracili cognata Granico.* Sic Tauriformis Aufidus Horatio. Nam & Taurum à Perillo Phalaridi dono datum, Gelonis fluuij fuisse imaginem, apud Pindarum in Pythiis legas. Et Timæus Taurum eũ, quamuis ita dicatum ab Agrigentinis in mare proiectum asserit, ne qua tam sæui tyranni memoria superesset. Compluribusq; demùm in locis flumina Taurina specie fingi solita comperimus, vt Eurotas apud Lacedæmonios, Cephisus apud Argiuos, Asopus apud Sicyonios & Phliasios fuêre, quem tamen Athenienses humana facie figurabant, cornibus tantùm à fronte prominentibus, siue propter mugitum, quem, vti dictum est, ciere flumina Taurorum instar videntur, & Taurorum instar atrocia sunt, vt Festus ait, siue quòd cornua fluminibus ab flexuosis eorum lapsibus attribuuntur.

TONITRVS.

QVOD verò pertinet ad mugitum, mythologi Philosophi abactas Geryonis Boues impulsu Herculis, tonitrus hieroglyphico significato intelligi debere autumant, quæ quidẽ sententia eorum est, qui Hesiodi Philosophiam interpretantur, ea scilicet de causa, quòd Poëtæ plerumque tonitrus auditos Mugire dixerint. Abigi verò ab Hercule dicũtur, quia Solem per Herculem

intelligebant. Solis igitur calor in nubes illapsus, earumq; rigore coarctatus, simulac defractis nu- D
bibus erumpit, mugitus eos ciere consueuit.

LÆTITIA.

LATE verò diffusum est hieroglyphicum illud, vt per Vituli signum lætitia significetur, vnde etiam Vitulari verbum, hoc est, lætitię signum præbere, & exultando gestire, apud veteres Vitulantes, gaudentes, lætabundosq; dici cõperias, vt non temerè apud coniectores Hebræos legas, lasciuientem currentemq; Taurum per somnium imaginari, futuræ lætitię signum esse, addi verò lucri aduentantis significatum, si per huiusmodi quietem pascentes visi fuerint. Eius verò lasciuiæ causa Psalmographus clamat *circumdatum se à Vitulis multis, & à pinguibus Tauris obsessum.*

ANNONÆ FELICITAS ET PENVRIA.

QVONIAM verò & in somnia, & in id Bouis significatum incidimus, quo læta nobis omnia proponuntur, qua ratione quóve modo Bouillum pecus annonæ feracitatem, atque itidem penuriã significet, ex Diuinis nostrorum literis historiam repetere minimè fuerit importunũ. Satis enim constat, quemadmodũ Iosippus ille somniator Iacobis filius, ob inuidiam fuerit à fratribus venundatus, atque in Ægyptum adductus, vbi longam seruierit seruitutem, vtq; postmodùm primas apud regem obtinuerit, posteaquàm nocturnam eam imaginem, quæ sese Pharaoni altiùs dor-
Pharaonis somnium. mienti obtulerat, interpretatus est. Imaginatus enim erat ille septem Boues, pulchro, hilari & pingui aspectu ab ripa Nili ad paludem aberrantes, quas septem aliæ deformi macie palustri eo loco emergentes exceptas conficerent. Mox verò existimabat septenas spicas cernere multa fruge conspicuas, & quæ iam secari poterant, eas totidem numero spicę sterilitate insigni ex proximo occupare videbantur (hoc verò visum secundo loco, quod ex Hetrusca disciplina in ostentis experitur, E
primo additum, attestatum facit, vt etiã in Gedeonis vellere diximus.) Hic iuuenis rerũ prudentissimus, eximiam quandam septem annorum feracitatẽ ex eo portendi pollicitus est, quam optimæ illę Boues cum frugiferis spicis inspectę denunciarent, quippe q; sit animal agrorum cultui præcipuè idoneum, telluris felicitatem per eas interpretari oportere: cuius lætitię causa futura esset Nili inundatio, vnde visæ essent illæ Boues emergere, idq; per spicas, quæ hilari essent aspectu, manifestiùs significari, annorum quippe septem lætissimum prouentum, cætera, quę his aduersa apparuissent, totidem annorum famem demonstrare, quę vbertatem illã eueſtigiò subsecutura esset. Est nimirum palus sterilitatis indicium, sterilisq; passim tum à Poëtis, tũ ab Oratoribus appellatur. Cùm autem interpretationem huiusmodi euentus approbasset, Rex Iosippi consilio fretus, non modò famem ab Ægypto depulit, sed finitimos etiam populos abundè saturauit. Aiunt itaque Ægyptij,
Serapidis simulacrũ. eius beneficij memores, homini gratiam ita relatam voluisse, vt simulacrum Serapidis cum modio in capite, huius rei monumentum esse decreuerint. Sedenim alibi de Serapi. Mirum autem memoratu est, quantum honoris vetustas iis attribuerit, qui humano victui vel industria, vel cura, vel ope priuata consuluissent. Liuius author est, auratam Bouem extra portam Trigeminam Minutio Auguri positam à populo collata stipe, quòd farris precium intimis nundinis ad assem redegisset. Farre enim victitasse populum Rom. per c c c. annos ab Vrbe condita, Verrius Flaccus prodidit.

TERRA FRVGIFERA.

APVD Persas barbara cerimonia Bos fronte in Leoninam faciem conformata, ex antro cornibus arreptus educebatur ad sacrificium, de quo Papinius:

Indignata sequi torquentem cornua mitram.



F
quippe cùm Taurus plurimùm terrenum animal sit, terræ & inferis potestatibus damnatum, Soli tamen ab ea gente dedicatus vim eam ostendere videbatur, quam Sol in vniuersam terram exercet. Quòd autem extraheretur ex antro, delitescere vim eius in terræ visceribus indicabat, quam vt euocarent, & frugum feracitati consulerent, sacrificij genus id instituerunt, de quo etiam in Leone. Neque quidem alia de causa Bouem quandam ab Argo tot luminibus prędito custoditam fabulantur, nisi vt terrã ipsam ostenderent noctu ab ipso cœlo tot stellarum luminibus insignito non indiligenter obseruari, donec à Mercurio, quippe à Sole cõficiatur, cuius orien-
Bouis portentum. te iubare, stellarum lumina passim extingui videantur. Quid autem aliud portendere visus est Bos ille arator, qui decusso iugo trichniũ, in quo cœnabat Vespasianus, irrupit, ac fugatis ministris quasi repentè defessus procidit ad ipsos accumbentis pedes, ceruicemq; summisit, nisi terrarum orbem amarissimo Vitellianæ dominationis iugo pressum, opem à gente Flauia deposcere, quæ iam rerum esset potitura? Terram itaq; Bos eo ostento præ se tulit.

OPIS IMPLORATIO.

Scytharum mos in auxilij implo-ratione. HÆc autem opis imploratio per Bouem facta, adducit in memoriam alteram Scytharum more, bouillo interueniente corio, factam: apud eos enim opis & auxilij imploratio fieri solebat mactato Boue, in corio cuius, qui opem sibi afferri ab amicis posceret, reiectis in tergum manibus sessitabat

A sessitabat, qui verò auxilium pollicerentur, dextero pede corium calcabant prefati quantum præstare possent, quem morem latè scribit Lucianus dialogo de amicitia, cui titulus *Toxaris*. Et quod ab hoc fertur de Homolottorum sacrificio, qui fœdera sancientes Bouem in minutissimas partes dissecabant, etiamnum durat apud eosdem Scythas, qui oram inter Tanaim & Phasim accolunt, nunc Cercassios appellatos, eos nonnulli Ziccos esse volunt: hi autem si grauem aliquam iniuriam acceperint, imploraturi amicorum auxilium Bouem mactant, pelleq; detracta & humi distenta, in eaq; sedentes, carnibus Bouis in minutissima frusta diuisis, partem vnicuique aduenienti porrigunt, quiq; accipiunt, ita se eo fœdere deuinctos intelligunt, vt se, fortunasq; suas omnes parati sint exponere pro amici, qui viscerationem hanc fecerit, iniuria vindicanda.

REGVM OPVLENTIA.

QVI verò Boues iuncti in numo Vespasiani iam Imperatoris & C o s. v. habentur, atque alij similiter iugati in C. Marij C. T. numo, nimirum arationis partes procuratas, & rei frumentariæ commoda declarant: nam & apud cõiectores, vti superiùs dictum, arantes Boues imaginari, lætissimam prænunciant frugem, & opulentam rerum felicitatem. Quin & nomen Boui à nutriendo factum, *βοῶ* quippe nutrio: labore enim suo in exercenda terra continuò nos pascit. Hinc Græci *βόφαρον*, felicem agriculturam vocant, quibus *φαρ* & agricultura est, & Bouis etiam epitheton. *Bos in Vespasiani & C. Marij C. T. numo.*

IVSTITIA.

QVONIAM verò ipsa frugum opulentia sæpe sub iustitiæ vocabulum cadit, eaq; de causa Gentes legiferam Cererem appellarunt: longè conuenientiùs Diuinæ literę per Bouem eos intelligunt, qui iustitiæ iugum trahunt, boniq; & frugalibus operibus laborem suum intendunt.
B De quibus Paulus citat illud ex Mose: *Non alligabis os Boui trituranti*, quod & mox ita declarat: *Nunquid de Bobus cura est Deo? an propter nos vtique dixit, quia debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi?* Et Hierosolymitanus Hesychius plerisque Diuinarum literarum locis Bouem poni pro homine ait, qui iustitiæ sit operibus intentus, idq; est Bouem offerre in sacris, vt Ouem, à malis abstinere. Alibi verò Aaron Vitulum pro se & pro domo sua tanquam iustus, Hircum verò pro peccato iubetur immolare. Sed quod obseruat Hesychius memoria repetendum, in Leuitico Pontificem, hoc est, Doctores prohiberi ad Arcam testimonij quocumque tempore ingredi, ne vtiq; curiosiùs inquirant, quemadmodum verbum caro factum est, quomodo qui forma Dei erat, in forma Dei factus est, quomodo exinaniuit semetipsum, & in cœlis mansit. Horum enim fides salutem affert, periculum inquisitio. Sed tunc demum indulgetur vt ingrediatur, cùm pro peccato Arietem in holocaustum obtulerit, tunicam linteam induerit, femoralibus linteis pudenda celarit, zona lintea succinctus fuerit, linteam cydarim imposuerit capiti, hoc est, quando Deo conciliatus erit, perpurgatus mentem, corpusq; nitidus, castus, iustus, & intellectum diuini muneris gratia, decoréque, hoc est, sapientia redimitus.

PECVNIA.

ATHENIENSES autem quò frugali adeò labori gratiam referrent, Bouis effigiem numismatis honestarunt, id autem didrachmum erat, vt nono libro Pollux, vnde prouerbium, *βοῦς διὰ γλώσσης βέβηκε*, *Per linguam Bos inambulat*, de iis qui accepta ab aduersariis pecunia, mox præuaricati susceptas causas deseruêre, vti feciſse Demosthenes fertur, qui etiam id sibi gloriæ vertit, quòd vt taceret, plus accepisset, quàm qui diu orauerat. Hinc apud Homerum & alios tot numero Boum pretium rebus præstitum inuenias, vt illud Iliad. *β.* *ἑκατόμβοιο ἑκηβόλου*, quorum singuli scilicet flocci
C centum aureis numis æstimabantur. Id enim honoris Boui veteres habuerunt, ob multas, quas ex eo consequimur vtilitates, vt in aureorum numorum parte vna Bouis effigies, in altera principis facies cuderetur. Nam quòd pecunia aliquando fuerit ex corio bubulo, eoq; spectare Didûs mercaturam, asseuerare non ausim, tametsi Tib. Donato commentum placet, & Græcorum nonnulli ante Numam scorteas & ostracinas pecunias in vsu fuisse dicunt, quod & Tranquillus literis mandauit, & illud fama tenet, asses ligneos & scorteos ab eodẽ Numa, qui posteà ferrum admixto ære signarit, in congiario populo datos. Apud rerum scriptores inuenias sæpe Imperatores exercituum rei pecuniariæ inopia, scortea persoluisse stipendia, mox illatis pecuniis iustum vnicuique pretium restitutũ. Præclara Venetiis est Michaëlium familia, quæ aureos insculptos clypeis gestat, quod illi honori, vt aiunt, datum, quia bello quod contra Saracenos pro Hierosolymis Balduino Rege susceptum fuerat, duce classis & Venetiarum Dominico Michaële deficiente stipendiorum commeatu, qui remigibus & sociis naualibus exolueretur, excogitauerit is corium signare minutioribus frustis, idq; pro stipendio, aliis pro argenteorum, aliis pro aureorum pretio numeratis, imperauit promulgatione solenni, vt pro certi pretij denariis à lixis & cauponibus, & cuiusq; mercis institoribus acciperentur multa indicta recusantibus, ita occursum exercitus necessitati, cúmque domum reuersus esset, publicam fidem persoluturus, conuocatis omnibus qui pecunias scorteas eas haberent, totidẽ argenteas iis, aliis aureas repræsentauit. Sed numus hic scorteus, qui à Numa distributus, tesserę potiùs vicẽ gessit, quàm pecuniæ, temporarius enim fuit. Numum tamen scorteum, D. etiam Hieronymus agnoscit. Nã quod de Boue pretij nomine pronunciato dicebamus, apud Homerum Hecatomben *ἑννεαβοῖον* institutam legimus, quod interpretes nonnulli nouem *Bouis effigies in numismate Atheniens.* *Scortei numi.*

Bouem pretio comparatam intelligũt. Erat in Draconis legibus irrogata multa quædam ἀπροσδιόνυσον. D
In spectaculis, quæ Deli celebrabantur, præco pronunciare solitus erat tot Boues datum iri, vn-
Bouis figurã cur numo insculperit Theseus. de putarunt quidam, Bouem Deliorum potiùs fuisse numum, quàm Athenienſium. Cæterùm
Plutarchus Bouis figuram in numis cudere institutum à Theseo tradit, vel ob Taurum Marathonium, quem ipse edomuerit, vel ob Minois ducem, quem singulari certamine deuicit, vel vt hoc
honore Bobus præstito ciues ad agriculturã alliceret. Sanè Plutarchus, vt idem in Publicolæ vita,
Bouis pretium centum obolis imputabatur, quãuis Pollux (vt superiùs dictum est) didrachmum
tradat, pecudis verò decem. Priùs enim quàm numorum vsus esset, pecudibus atque iumentis plectebantur rontes. Quare Bouis, pecudis, Suisq; etiam signa plerumque in numis incisa sunt.

VOCALIS PRIMA.

SED vt ad rem nostram reuertamur, à Phœnicibus etiam est honos habitus Boui, qui literarum,
Svt fama est, inuentores, primæ vocalis nomine Bouem appellitabant, cùm animal sit humano
vsui maximè necessarium. Quod verò necessarium est, vti dicit Hesiodus, neque secundum, neque
tertium esse debet, sed primùm ilicò, prima verò litera est A, quæ suapte natura ex imo barathri,
nullius veluti reliquę instrumenti indiga, vtputà linguæ, dentium aut labiorum, libera pronunciatur, primaq; in infantibus articulata dignoscitur. At & terra, cuius symbolum est Bos, prima omnium humanæ consuluit infirmitati; prima alimenta subministrauit, prima rerum omnium vsus,
vtilitatem, ab ea poscentibus, elargita est.

ITALIA.

Italiæ etymon. ROMANI porrò tantum honoris Boui tribuerunt, vt Italiam ipsam olim ab Italis, nũcupatis
Bobus, appellatam prædicent, quamuis Græcorum figmento, Eratosthenisq; in primis confictum sit, Italiam ab Italo rege dictam, qui Emorgeti successerit. Non temerè tamen Varro Boues E
cæteris pecudibus honore præstare, præsertim in Italia, & propter vtilitatem, & propter cognomen existimauit. Neque dedignati sunt Romani, quod memorat Plutarchus, bubulci nomen in familias admittere, perinde ac etiam & Porcios, & Caprarios dici se alij non erubuerunt.

CIVIS OPPRESSVS A PEREGRINO.

VISEBATVR olim in Argiuorũ foro Taurus à Lupo superatus, hieroglyphicum id pugnam indicabat, quę inter
Danaum & Gelanorem de regno fuit. Horum siquidẽ animalium portento, dum comitia procrastinantur, oblato, victoreq; Lupo, omnium suffragia ad Danaum declinarunt, quem vtpote externum Lupum esse dicebãt, cùm Gelanor inter eos versatus ciuilia eorum negotia tractasset, ideoq; ciuis, vti Bos humanæ consuetudinis consortia non reformidat, haberetur. Argiui itaque figuram eam rei monumentum esse voluerunt, quod in Lupi commentario latiùs explicauimus. Antiquissimam porrò legem fuisse, memoriæ proditum est, eum qui Bouem occidisset, non aliter capite damnari, quàm si ciuem interfecisset. Vnde apud Athenienses Erechtheo imperãte, cùm
Athenienſium lex ad uersus Bouis percussorem. sacro quodam Bouem mactare necesse esset, vt sacrum ritè perageretur, neque legi fraus fieret, institutum vt Popa, quem illi βωφόνον appellabant, simul ac Bouem percussisset, relicta ad aram securi, arrepta statim fuga solum verteret, & ex Attica prorsus aufugeret, quod facinus ne impunitum F
relinqueretur, decretum sit securim ipsam in iudicio ream constituere, ex quo illa iudicandi quotannis consuetudo postmodùm inoleuit. Apud priscos etiam Romanos inuenias capitale fuisse, si quis Bouem interemisset.

OPVS ET LABOR.

DE opere demùm & labore hieroglyphica passim vulgata sunt, descripta quidem cornua, ca-
pútve Bouis, maris opus, fœminę verò, laborem anxietatemq; significare, quamuis in im-
Hori locus emendatus. pressis Hori codicibus βοὸς dictio vtroque lemmate desideratur: scribendum enim est ex vetustis codicibus manuscriptis, βοὸς ἄῤῥενος νέας, & inferiùs, βοὸς ἢ θηλείας νέας. Distinguuntur verò à cornuum specie mas & fœmina, quippe quòd marium & maiora & tortuosiora sint, fœminarum verò & minora, & vno flexu conspicua, cuiusmodi ferè sunt nouæ Lunæ cornua, sed in hoc significato nonnulli sarcula, ligones, &, si Deo placet, rastra etiam ad cornua religarunt. Sunt qui nulla maris fœminæq; differentia, Bouillum caput exertum pelle, purgatúmque carne, pro labore & tolerantia proponant.

FRVCTVS EX LABORIBVS.

ET si fructum ex laboribus perceptum indicare velint, caput huiusmodi floribus & corollis redimitum faciant, corymbosq; & serta hinc inde à cornibus suspendant, cuiusmodi fascia molem Æliam ambibat, vt frusta quædam, quæ adhuc integra operis parte permanserunt, ostendunt, siue id sacrificiorum, videlicet Tauroboli, aut quid huiusmodi, sit indicium, cùm iuxta vicissim & patina adsculpi soleat, quod præcipuè in templorum parietibus, inter triglyphos vbiq; spectamus, eáque

A eaq; de causa capita illa coronata plurimùm habentur, siue larga laborum præmia interpretari malimus, vt Romę in eadem Adriani mole patina, munificentiam, Bouillo capite labores, siue res fortiter gestas ostentantibus. Nam post vitæ præclarè actæ cursus laboresq; superatos, apotheosis ipsa
præmium Imperatoriis familiis decernebatur, aut ea excitabantur mausolea, vel pyramides, vel
columnæ, quæ ibi conditos supra mortales euectos gloria cõmonstrarent. Apud Petrum Melinum
Romæ vidimus ahenum Bouis caput antiquissimi operis scitè factum & venustè, quod olim fuit
ad trabis alicuius simam, aut mutilum, aut coronam, pro fultura accommodatum, eo omninò gestu
factum, vt laborioso nixu sustentasse aliquid videatur: est enim caput gutturi appressum, crispantibusq; palearibus conatus speciem ostentat, quod dubio procul ad tolerantię laboriq; significa-
Germanorum olim mos in ducẽda vxore. tum referendum est. Memorabile sanè veterum Germanorum institutum fuit, vxori ducendæ Boues iunctos, frænatum Equum, & scutum cum framea gladioq; mittere dotis nomine, vt vxor (ait
Tacitus) venire se laborum periculorumq; sociam his incipientis matrimonij auspiciis admoneretur, idem in pace, idem in pręliis se passuram, ausuramq;. Laborem enim iuncti Boues, bellum paratus Equus, & data arma denunciabant. Apud authores Græcos inuenias Bouem, quòd terræ laboribus exercendis sit destinatus, λοξὸν appellari. Apud Mathematicos Tauro ascendente genitos
laborioſos atque perpetuæ deditos seruituti, propterea quòd animal ad iugum præcipuè natum
est. Qua de causa Tyriis Carthaginem ædificare aggressis, intermissum opus est Bouillo capite adinuento, alioq; vrbis mœnia translatæ: videbatur enim ostentum id nil nisi laborem & anxietatem
minitari, donec Equi mox adinuento capite, læti alacresq; belli signum excepêre. Horum alterum
Virgilius dissimulauit, qui fabulam scribebat, non historiam, rem tamen agnouisse visus, quòd *bello*
B *genus intractabile* futurum dixit, sed *facilem victu per secula gentem*, quippe quæ vel iugum acceptura
esset, vel fræno coërcenda, quamuis non postremi nominis interpretes *facilem victu* interpretari
malint, ad victum comparandum, qua in sententia Seruius est.

ABSVRDA RES.

ATQVE ne à Boue & Equo longiùs discedamus, est illud ex horum alterutro hieroglyphicum,
vt cùm absurdè & imperitè factũ quid ostendere voluerimus, Bouem cũ clitella, vel Equum
aratro adiunctum figuremus, quam quidem rem & absurdam sanè, & ab cuiuslibet ingenio vel viribus alienam prouinciam innuere volumus, quod luculenter vno versu complexus est Horatius:

Optat ephippia Bos piger, optat arare Caballus.

Quod etiam Quintil. ex Epistolis ad Atticum tangit, vbi lib. v. inquit: *Non nostrum onus, Bos clitellas.*
Dixit enim Cicero v. ad Atticum libro: *Clitellæ Boui sunt impositæ, illãne, non est nostrum onus, sed feramus.*
Sed ad nostra redeamus.

IVDÆI.

IN Diuinis literis Iudæi (vt sæpe dictum) hieroglyphicè per Bouem intelliguntur. Nam Hierosolymitanus Hesychius Bouem eum accipit, qui mandata tantùm legis simpliciter obseruat,
vtpote quòd Bos sit laboris signum. Eucherius significationem ad omnes trahit, qui vitam laboribus exercent, & Mosaicum illud: *Non alligabis os Boui trituranti*, interpretatur, vt neminem mercede sua fraudandum intelligat.

APOSTOLI.

APOSTOLOS quoque per Boues accipit, qui susceptо Christi iugo vniuersum terrarum orbem
Euangelico vomere perarauerunt. Illud verò: *Quasi Bos ductus ad victimam*, quod pro vecor-
C dia nonnulli dictum accipiunt, de Domino omninò intelligit, qui pro salute nostra eam quasi stultitiam suscepit. Ante fores templi ad abluendas ingredientium manus lauacrum aheneum Boues *Lauacrum templi.*
XII. sustinebãt, qui quidem frontibus tantùm extabant, terga & posteriora occultabant. Per Boues eo gestu hieroglyphicè factos, Gregorius Pastores Ecclesiarum intelligit, quorum aperta & in propatulo proposita opera cernimus, sed quæ ipsi clàm faciant sentiántve, Dei iudicium, non nostrum esse debet: id enim ait sibi velle, quòd eorum lateant posteriora.

VITIOSVS.

QVOD verò pertinet ad Vaccam, per hieroglyphicum eius Diuinæ literæ, vt idem tradit Eucherius, hominem vitiis, quæ corporis sunt, plenum indicant, citato loco ex Psalmo: *Inter Vaccas populorum.* Sed illud de Vaccis fœtis, quas Palæstini ad trahendam arcam Domini sine rectore iunxerunt, Vitulis earum intra caulas domi detentis, ita interpretatur, fideles quidem intelligi, qui tamen foris humanis affectus torqueantur, illi alligati à recto tamen itinere non declinent, quia arcam Domini portant, mandata quippe eius menti firmiter insidentia. Et idem alibi ad Valerianum: *Tunc verè Bethsamis tendimus, cùm viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, etiamsi affectus pignorum auocent, minimè declinamus.*

PODAGROSVS.

SED quid illud, quo ex Bouillo pede, podagrosum hominem significabant? Bos enim præcipuè
vngulis cum dolore articulorum laborat, quo quamuis non intereat, vngulas tamen interdum
amittit, & pedes vehementer intumescunt: vnde fictum ab Ægyptiis, Tauri cœlestis pedem ex- *Tauri cœlestis figura.*
tra regionem suam in Æthiopas exporrigi, quorum & pedes, & articulos esse tumori egregiè ob-

noxios, exploratum est, & in Italiam transgressos, paucissimos inuenias qui non articulorum vitio laborent. D

A LABORIBVS QVIES.

Adagium. SOLVTVS porrò Bos, & præsepi redditus, partam à laboribus quietem ostendit, quod antiquissimum Ægyptiorum hieroglyphicũ Græci adagio prosecuti sunt, βοὸς ὅπι φάτνῃ, *Bos ad præsepe*, dicentes, cùm exautoratum hominem, & donatum iam rudo otioq; & tranquilliori vitæ restitutum significare voluerint, quia scilicet moris est ab laboribus Boues ad præsepe sistere, atque illis pabulum subministrare, quamquam sunt qui prouerbium ad mollioris vitæ significatum detorqueant, & ingenium à labore procliue ad libidinẽ ex hoc intelligi contendant. Sanè quidem Hebræi coniectores, cessationis & ignauiæ signum esse dicunt, cùm quis dormientes Tauros videre se per somnium visus fuerit. Vtcumq; autem, XII. illi maiores, qui regnum à Sabaco Ægyptiorum rege relictum sponte moderandum suscepêre, vt oneri magis quàm honori tantam regni curam sibi fuisse testarentur, in celebri illa pyramide, quam commune collegarum omnium sepulchrum construxêre, contignationem tecti, quæ vno constabat lapide, præsepibus adsculptis insigniuêre: ad quæ scilicet tot laboribus exantlatis, tot curis abiectis & ablegatis, requieturi demùm essent. Huic contrarium est, *Bos sub iugo*, de iis qui perpetuo labore fatigantur. Quòd verò nos ab Iesu asserti in libertatem censemur, id ita intelligendum, Iudæis impositum fuisse legis iugum, tanquam seruis, vt quasi per vinculum ad præceptorum obedientiam traherentur, atque ita Deo seruire discerent, & assuefierent, præcipit enim lex: *Non mœchaberis, Non occides.* An verò nos, quia sumus liberi, mœchandi licentia abutemur, & sicariam sine metu faciemus? nequaquam, imò nobis neque quidem concupiscere, neque vel irasci præceptum est. Arctiora igitur sunt iugi nostri vincula, at non ita, si rem rectè perpendamus. Nam lex imperatoriè mandat, ne quid perperàm agamus. Assertor noster præcidendas monet vitiorum causas, vt neque quidem facere quicquam præter ius & fas in animum inducamus. Hæc enim est vera libertas, cùm nosmetipsi sponte abiicimus vitiorum iugum, cùm libidinum ergastula confringimus, & è malarum cogitationum voraginibus emergentes, vinculis omnibus expediti, in synceritatis liberos campos euadimus, abstinemusq; non tanquam serui à flagitiis metu flagri, sed tanquam ingenui, piè sanctèq; educati, sponte probi modestique filij, & quia patrem diligimus omni studio, meditatione conatuq; monitis eius ita obtemperare contendimus, vt ne cogitare quidem vllum velimus scelus. Boni enim qui sunt, nisi sponte boni sint, nullum ex bonitate sua præmium assequuntur. Nam Abraam, Enoch, Noë, & Patrum plerique alij, sine legis seruitute Deo placuerunt. Lex verò tunc data est, cùm seruili contumacia non modò Mosi non audire, sed ipsius etiam Dei, qui videntes eos atque sentientes in libertatem ex Ægyptiorum oppressione asseruerat, mandata detrectare pertinacissimè cœperunt, & quæ plurima in hanc sententiam disputat Irenæus. Sed iam ad diuersorum deorum, quos sub Bouilla imagine superstitio antiqua coluit, conuertemur. E

BVCEPHALI.

PRÆTEREVNDVM autem non est, etiamsi κῦρ παράτρεχον, Bouilli capitis notam Equis inustam, illis ex signo dedisse nomen apud Thessalos, quippe vt Bucephali appellarẽtur: ita enim Gens eos vocabat Equos ea nota insignitos, cuiusmodi fuit nominatissimus ille Bucephalus, qui Alexandro Macedoni tam charus fuit. Falluntur autem qui putant Equum eum à Bouillo capite, vel à cornibus, quibus animal id præditum fuisse dicitur, ita nuncupatum. Nam quòd Equi nonnulli apud Thessalos Bucephali vocentur, ostendit Aristophanes ἀναγύρῳ. Quantæ verò commendationis essent Equi Thessalici, vel Delphico probatur oraculo: F

Thessalicus præstat sonipes, mulierq́, Lacæna.

& quæ prosequitur Strabo.

IVPITER.

NEQVE verò Græci tantùm mutatum in Bouem Iouem confinxerunt, verùm etiam Ægyptij Iouem illum suum, qui & Osiris, & Pater, & Iustus, & Dux, & Rex, & Consultor in sacris eorum literis appellatur, per Bouem indicarunt, eumq; Apim cognominauerunt. Quem quidem tanto prosecuti sunt cultu, vt ingentia super eo volumina scripta fuerint à plerisque, eoq; vanitatis progressum, vt eum Boue alioqui sterili genitum prædicarent. Bouem namque fulgure afflatam fieri grauidam, eoq; conceptu Apim nasci, persuasum habuêre, de quo quidem cùm nulla sit magis decantata fabula, consultò ego illam præteribo, si modò signa tantùm quibus Apis insignitus esset, indicauero. Toto is corpore niger erat, in fronte candorem Quadræ præ se ferebat, in tergo effigiem Aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos: qui verò multis locis sculptus visitur, Lunæ etiam speciem in latere gestat, vt in palatio quodam Romæ apud D. Marcelli ædem. Atque hic ille est Apis quem Hebræi Mose in monte moram trahente, sibi Deum conflauêre, eam secuti consuetudinem, quam in Ægypto esse conspexerant. *Apis descriptio.*

DIANA.

INVENIES etiam Dianam, quam Tauri, Scythica gens, colunt, Taurionẽ appellari: Tauris enim eam opitulari putant. Eadem etiam Ταυροπόλος dicitur, vt apud Apollodorum, & à cornuum figura

A figura ταυροπὸς, ταυρὼ verò apud Taurios. Cur verò ταυροπόλος vocaretur, varia est opinio: dicũt enim alij, ὅτι ὡς ταύρῳ ἔθελεν φάντα: alij, quia Taurum à Neptuno in Hippolytum immissum œstro affixo, per vniuersam terram exagitauerit. Alij dicunt Iphigenia cùm è Scythia in Africam aufugisset, Deæq; simulacrum dicasset, ταυροπόλον Dianam appellatam, propterea quòd è Tauris populis eò allata esset. Alij nomen ex Historia ea desumptum putant, quòd Nicander ait Taurum à Diana suppositũ loco Iphigeniæ, cùm eam in Aulide Græci essent immolaturi, quamuis Phanodemus Vrsam eam fuisse dicat, plerique verò Ceruam, tanta fuit in ea superstitione varietas, & inconstantia. *Varia Dianæ nomina.*

PALLAS.

QVIN & Pallas ταυροπόλος dicta, & apud Andrios ταυροπόλος. Nam cùm Anthropius Taurum Agamemnoni & Menelao dedisset, iussit vt vbi Taurus è naui prosiliisset, ibi Mineruæ simulacrum erigerent: ita enim numen conciliari posse, prosperámque illis nauigationem futuram. Accidit autem vt Taurus is in Andrum insulam exiliret, memores ergo præcepti Reges statuam erigendam curauêre, quæ posteà id cognomenti Mineruæ dederit.

BACCHVS.

ET Bacchus, vt superiùs dictum est, in Tauri nuncupationem venit, quem ταυροφάγον veteres appellauêre, propterea quòd, vt Sophocles author est, qui Dithyrambum vicisset, Bouem assequebatur præmium, veluti Tragicis olim Hircus debebatur. Aristophanes tamen nomen id in Cratini contumeliam detorquet, quasi ebrium insimularet. Apud Athenæum legere est, Bacchum Tauro & Pardali esse similem, ob ebriosorum violentiam: vinosam enim esse Pardalim, loco suo positum. Lycophron eum omninò Taurum vocat. Poëtæ Draconem Tauri patrem canunt, per illum Iouem, per hunc Bacchum intelligentes. Sed vt ad Apim reuertamur, is in ciuitate Memphi Solis instar excipiebatur, & apud Heliopolim Taurus Soli sacer erat, quem Neriton appellabant. Illud verò fabulosum iudico, quod Hermiti oppido tradunt fuisse Taurum, qui maculas per singulas diei horas permutaret, de quo Macrobius. Verùm hoc nihil ad hieroglyphica. B

BITHONIS ROBVR.

QVI verò Taurus humanis humeris gestatus Argis visebatur, Bithonis factum indicabat, qui suo fretus robore, dum Argiui Ioui sacrificarent, Taurum in humeros sustulisse fertur: summum enim virtũ experimentũ apud veteres erat Tauris robore præstare. Hinc Milo apud Theocritum celebratus, qui Taurum pede arreptum ad amicam traxerit. Hinc Busiridis nomen, quòd duos solus Boues quaquà vellet traheret. Fuit verò is Ægypti rex, quem Poëtæ crudelitatis in humanum genus atrocissimæ notauerunt. In Seleuci autem numis & Taurus, & alibi tantùm cornua spectantur, quippe quòd is Alexandro sacrificaturo, syluestrem Taurum è vinculis elapsum ambabus tenuit. In eius statuis videas nonnunquam cornua superaddita. *Seleuci numus.*

PIETAS.

IN antiquis operibus iuuenes duo subiecti iugo, currum trahere conspiciebantur, erant hi Bithon & Cleobes fratres. Hieroglyphicum id eorum indicabat pietatem, qui matrem currui impositam ad Iunonis templum vexerint. Historiam & Pausanias & alij tradidêre.

VELOCITAS NEGOTIORVM. C

DVO verò Tauri inter se pugnare per nocturnam imaginem visi, negotiorum velocitatẽ præsagire dicuntur, vt Hebraicæ quædam somniorum interpretationes prodiderunt. Astronomi eum furiis agitandum dicunt, cui decimus octauus Tauri gradus nascenti affulserit, eáque de causa locum eum Tauris duobus sese cornu petentibus signatum veteres voluêre.

DISERTA PROLES.

HEBRÆI verò iuniores cornupetam Taurum per somnium imaginari, indicium esse dicunt disertissimæ prolis suscipiendæ, quò fortè spectat Virgilianum illud, Taurum Pollioni pascendum, *Taurus cornupeta.*

Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam,

propterea quòd noua ille carmina faciat, qui quidem sunt ingeniorum fœtus, κῦρ παράτρεχον & hoc addam (quamuis non sum nescius, quid Grammatici super locutione, quæ noua est, disputent) dici tamen posse Virgilium ad Pindaricum illud respexisse, quod Olympiis habetur Epharmosto:

αἶνει ἢ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

Vinum quippe à vetustate commendare congruum esse, à nouitate autem poëmata. Flores enim pro recenti re positum aiunt interpretes.

OCCVLTVM CONSILIVM.

APVD Romanos signa militaria, alia Vocalia, alia Muta dicebantur. Vocalia, quæ Imperator tribunis, tribuni mox ordinibus dabant, vt scilicet aut noctu, aut in peragendis vigiliis, aut explorationibus obeundis, ac in ipsa quoque interdum acie, cùm tumultu omnia confusa. *Signa militaria duo apud Romanos.*

essent, ipsi se vicissim noscitarent. Muta, variis animalium figuris elaborata præferebantur, sed D suum quæque significatum habebant, quippe vt vnum exempli causa ponam, Minotauri effigies tunc extollebatur, cùm secretò & tacitè rem gerendam admonebantur: ostendebat enim hieroglyphicum id, cõsilia ducum non minùs occulta esse debere, quàm fuerit Minotauri sedes, quippe Labyrinthus. Hic ille sapiens videlicet eorum Imperator Q. Cecilius Metellus Macedonicus, percontantibus tribunis quónam exercitum huc illuc agitaret: *Si putarem*, respondit, *tunicam meam meorum esse consiliorum conscium, eam actutum abscinderem, comburerémq;*. Tutissimum enim (ait Vegetius) in expeditionibus creditur, facienda nesciri.

VICTORIA.

MACTATVS autem Bos, quales vbique locorum conspiciuntur, victoriæ plurimùm, partiq; triumphi signum erat, præsertim apud Romanos, vnde Iuuenalis huiusmodi significato,

---Duc in Capitolia magnum, Cretatúmque Bouem.

Id verò obseruatione dignum est, quòd Spartiatæ in hoc sacrificij genere diuersam à Romanis rationem secuti sunt. Nam cùm Romani, victoria per hostium cædes parta, Bouem sacrificare consuessent, cùm verò sine pugna & sanguine rerum potiti essent, Ouem immolare, hi contrà in victoria pacata Taurum sacrificabant, si verò pugnando vicissent, Gallum, quandoquidem ampliora, magisq; homine digna, quæ ratione atque prudentia, quàm quæ vi atque corporis tantùm fortitudine contecta essent, indicabant.

LVCAS EVANGELISTA.

ET quoniam multa sunt, quæ de pietatis nostræ institutis ad hanc faciunt doctrinã, quæ Christianorum conuentus sanctionibus suis per imagines exprimenda concessêre, ea nequaquam E
Bouis alati hieroglyphicum. dissimulanda sunt, cuiusmodi ea est, quæ per alatum Bouem Lucam Euangelij scriptorem ostendit, siue propter eam ipsam Tauri continentiam atque temperantiam, de qua facta est superiùs mentio, cùm Lucas ipse castissimus ab ineunte ætate, vt fertur, fuerit, omnémque vitam egerit incorruptus, immaculatus, sine vxore, sine liberis, in cælibatu perseuerans, nullum vnquam Veneris vsum nouerit, siue propterea quòd per Vituli mysticum vultum, Christum nobis prædicat immolatum, quem Dauid super altare prædicit imponendum, atque mansuetudinem, quam præ se tulit Deus homo factus, testimonio suo literarum monumentis illustratam posteritati commendauit, siue quòd à sacrificiis, vel à sacerdotio sumat, vt ait Eucherius, operis exordium. Ita enim scribit, *Fuit in diebus Herodis sacerdos nomine Zacharias:* quam interpretationem admittit etiam Irenæus.

MANSVETVDO.

QVANTVM verò pertinet ad animalis istius mansuetudinem, Lucretius Poëta ita causas eius reddidit:

At natura Boum placido magis ære viuit,
Nec nimis irari fax vnquam subdita percit
Fumida suffundens cæcæ caliginis vmbras,
Nec gelidi torpet telis perfixa pauoris,
Inter vtrosque sita est, Ceruos, sæuósque Leones.

Paulò verò antè, cùm de varietate animi loqueretur, mansuetudinem hanc in aëreis corporibus esse contenderat: & quia causas reddiderat, cur Leo indignabundus esset, cur Geruus timidus, non immemor naturam humanam rerum omnium species amplexari, sic subdit: F

Sic hominum genus est, quamuis doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
Naturæ cuiusque animi vestigia prima,
Nec radicitus euelli mala posse putandum est,
Quin procliuius hic iras decurrat in acres,
Ille metu citius paulò tentetur, at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo:
Inq; aliis rebus multum differre necesse est
Naturas hominum varias, morésque sequaces.

Prout verò variis affectibus mouetur homo, ad eius animalis bruti naturam comparatur, cui per eam sit assimilis: nam in brutis simplices plurimùm sunt naturæ, vt initio diximus.

FEROCITAS EVITANDA.

Fœnũ Tauri cornibus alligatũ quid. QVAM diuersum autem illud est, quòd mansuetudinem ex Boue picto significantes, ferocitatem itidem & furibundam petulantiam per Taurum indicabant, vbi fœni fasciculum cornibus alligassent, recepta sunt hæc iam apud omnes, vnde dixerit Horatius:

Fœnum habet in cornu, longè fuge.

Psalmographus noster eodem vtitur dicterio, dum Psalmo 44. dicit, *Cùm nobis aderas, inimicos nostros cornupetebamus:* κερατιοῦμεν enim habet Græcus codex, próque valida & victrici pugna Theologi commentantur. Et VI. Ecclesiastici capite legas, *Cauendum ne animos veluti Taurus,*

A *Taurus, extollamus.* Quod verò attinet ad fœnum, id ideò factitari solitum, ait Plutarchus, vt ferocitatem lasciuiamque ex nimia pabuli vbertate resultare admoneremur. Dicterium verò celebritatem accepisse à Sicinio quodam proditur; qui cùm effusissima dicacitate omnes carperet, vni M. Crasso parcere compertus est, curq; vni illi parceret, interrogatus, fœnum eum in cornu gestare respondit. Sanè Romanis mos fuit cornupetarum Boum cornua fœno circumligare, quo obuiam prodeuntes admonerent ab illo cauendum. Eo figmento Hesiodus populiuoros (liceat ita mihi δημοφάγους, Græcum vocabulum Latinum facere) nuncupauit, qui quidem diuitiarum opulentia lasciuientes reliquos impeterent, ac proculcarent. Est & tale aliquid apud Sophoclem, & Solonis ad hoc dictum haudquaquam aspernandum. Sed illud potiùs afferamus, quod Psalmo XXII. scriptum, *Circumdederunt me Vituli multi, Tauri pingues obsederunt me*, vbi interpretes per Vitulos plebeiam Iudæorum multitudinem intelligunt, lasciuientem quippe, solutámque iuuentutem omni prorsus regula carentem; per Tauros verò Pontifices, Scribas, & Seniores, propter ætatem nimirum, & prærogatiuam, qua cæteris antestabant. Pingues appellati, quia multis Dei donis ante alios omnes fruebantur. Nam & alibi Moses in hanc sententiam futura longè præuidens: *Comedit*, inquit, *Iacob, & impletus est, & recalcitrauit dilectus: pinguedine & carne distentus est, & obductus, & dereliquit Deum factorem suum.* Eodem modo accipiunt Theologi dictum Psalmi LXVIII. *Taurorum congregationem*, Pontifices & Scribas, & reliquos Iudæorum Principes, intelligendo, qui & temerarij, & cornupetæ essent, Christumq; & Apostolos ferociter incessuri forent. Minimè verò loco hoc prætereundum est, quòd Theologi nostri Iacobis prædiuinationem de Iosippo, *Tauri decor eius*, transferunt ad Christum, Taulus quidem ob vtrãque dispositionem, alius ferus vt iudex, alius mansuetus vt afferror, qui generi humano salutem dedit, cuius cornua essent crucis
B extrema. Nam & de parte nauis antenna, dictum inuenimus,

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Hac autem virtute crucis, & hoc more corputus, ait Tertullianus, vniuersas gentes etiamnum ventilat, per fidem auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per iudicium, deiiciens de cœlo in terram. Vbi etiam de Simeone & Leui loquitur: *In concupiscentia sua subneruauerunt Taurum*, de Christo identidem intelligi volunt, cuius neruos sacerdotes præcipuè, clauis suffigendos curauerunt.

PIERIVS VALERIANVS
AD PETRVM VICTORIVM,
de iis qu. per Equum significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER IV.

C VPERES, *Petre Victori, vt ex amicis nonnullis intellexi, qua ratione modoque hieroglyphica Leonis, Elephanti, & id genus animalium plurimorum explicuisse me accepisti, quæ fuerint Equi quoque significata apud eosdem Ægyptios tibi describi. Verum sciás, pauca ea esse quæ super Equo Sacerdotes illi tradiderint, quippe qui animal vti profanum aspernabantur: neque enim Sacerdoti licebat equo vehi. Sed enim Græci, Latinig;, neque non Hebræi, multa super eo scitu dignissima memoriæ prodiderunt, quæ hoc explicabimus Commentario. Præter enim id quod obsequi tibi iucundissimum existimabam, inuitauit me ad huiusmodi lucubrationem animalis ipsius dignitas, vigor, & naturæ eius spectatissima quædam excellentia. Non enim ex eo genere est, quod parui facere debeamus, cùm tot ex Equo humano generi commoditates obueniant, siue domesticis, siue publicis sit vsibus adhibendus. Sed frustra hîc Equum laudare aggredior, cùm super eo tam multa, & tam præclara toto passim Commentario reperiantur, quæ qualianam sint, hinc iam, vt instituimus, dicere incipiamus.*

BEL

BELLVM.

D

PRIMVM verò omnium Equi hieroglyphicum est, belli signum esse, clarissimo Virgilij testimonio, dicentis,

Bello armantur Equi, bellum hæc armenta minantur.

Et Duellicam, Equorum prolem Lucretius appellat. Idem hoc intellexisse Ægyptios didicimus ex Plutarcho, quod & in Leone tetigimus: Horum quippe, post obitum, apparuisse Osiridi, quem multarum rerum vsum edocuerit, præcipuéque quod animal bello vtilius esset sciscitanti, Equum ei negotio maximè commodum, respondisse. Cúmque Osiris Leonem præstare arbitraretur, respondisse Horum: Posse quidem eum auxilio esse, verùm vbi semel fugam arripuisset, irreuocabilem abire, cùm alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam ex inclinata iam acie rursum hostes aggredi, próque loco & tempore Fortunæ sese imperiis accommodare, idcircóque Equum omnibus his officiis omninò magis officiosum esse. Vnde Xenophon tertio de Græcorum rediit: *Vna* (ait) *Equites re præstant, quòd in fuga certius est illis subsidium.* Aristoteles in Ethicis, virtutem in Equo eam præcipuè laudat, qua sit ad currendum portandúmque hominem idoneus, & ad inuadendum, expectandúmq; hominē hostem minimè formidolosus. Galenus de Partibus, *Præuidendum*, ait, *animal esse & generosum*, cùm ἐυχρὸν dicit, μή τε ἄθυμον. Hinc illud apud Maronem,

Hori de Equo opinio.

----Generosus pullus in aruis.

PVGNACITAS.

NEQVE temerè Vespas ἱπογλυφικῶς ex Equino cadauere significari tradiderunt Ægyptij, imò non temerè esse dixerunt, quòd ex corrupto eius cadauere Vespæ progenerentur. Hoc enim tantùm apud Horum super Equo reperias, & peruulgatus apud omnes versus fertur:

VESPÆ.

E

ἵπποι μὲν σφηκῶν γλύσις, πανρὸι δ' μελιβοτων.

Nam eulices ab Equis, sed Apes ab origine Tauri.

Diligentes enim rerum naturalium obseruatores ex Bouillo occipitis cerebro Apes gigni tradidêre, ex Asini cerebro crabrones, vti ex Equo Vespas, atque ex humano cadauere Serpentem. Non tamen hic simpliciter Vespæ intelligendum, sed quod per Vespam identidem soliti essent significare, per cuius hieroglyphicum pugnacitatem & infestum aduersus hostes ingenium ostendebant, de qua inter insecta loco suo disseruimus.

CELERITAS.

ADHÆC celeritatis indicium est Equus: quodq; apud Lucretium, *Fortis Equi vis*, legitur, Marcellus *celeris* exponit, eóque spectare volunt Virgilianum illud,

----Quidnam egregium si fœmina forti Fidis Equo?

vbi Arruns Camillam Equi pernicitate fretam, non virtute sua strenuam incusat. Multa verò inuenias apud rerum scriptores super Equorum pernicitate, sed id ego tantùm memorabo, quòd Alanis à Probo Imperatore deuictis, Equus in præda repertus est, qui, vt captiui attestabantur, centum ad diem passuum millia decurreret, perque octo vel decem dies vigore minimè fracto perduraret. Sedenim eam in militaribus Equis fugacitatem Imperator ipse contempsit, repudiatúmque fugitiuo militi potiùs quàm forti conuenire iudicauit. Ἱππόθυην Nymphan apud Hesiodum inuenias, quod nomen ob velocitatem effictum autumant interpretes, vim quippe aquarum eam intelligentes, qua nauigia cursu celerrimo rapiuntur. Quíque Neptuno appinguntur Equi, pernicis eiusdem cursus indices habentur, qui maritima sit nauigatione. Naues enim Equorum curruumq; vsum affatim suggerunt, vnde & Equos & currum Neptuno videmus attributos: nam is apud Maronem,

F

Electit Equos curruq; volans dat lora secundo.

Iam & prouerbium à Cicerone vsurpatum est super celeritate, tum Equi, tum veli, ad Quint. Frat. *Sic ego* (ait) *te sæpe excitante cursu, corrigam tarditatem tuam tum Equis, tum velis.* De omni verò conatu adhibito, in Officiis sic ait: *Cum his velis Equisq; decertandum est.* Astronomi vndecimo Virginis gradu Equum admouent ad hominis velocitatem indicandam, qui cum eo sit gradu lucem auspicatus. Appingebatur verò Neptuno Equus anteriore parte figura sua, posteriori verò effigie piscis, qui caudam in spiram replicaret, quod & veteres sculpturæ passim, & plerique Gallieni numi palàm faciunt, in quibus inscriptio est, NEPTVNO CONS. AVG. Nota prætereà est fabula, in Deorum concilio pro imponendo Athenis nomine, percussa à Neptuno petra exiliisse ferum Equum. Nam & interpres Pindari rem tangit huiusmodi. Passim verò apud veteres Neptunus Equestris dictus. Aiunt insuper, primo illi Equo, quem Neptunus protulit Scyphio nomen fuisse, adeò sibi concors in nugis tota Græcia semper fuit, vt nulla sit tam absurda fabula, quæ aliquo assertionis testimonio careat. Quódque fictum à Poëtis est, Saturnum in Equum versum, quem tunc etiam pernicitate insignem canunt, vti Maro,

Gallieni numi.

Pernix

A

----Pernix Saturnus & altum
Pelion hinnitu fugiens impleuit Equino.

quidam ex Astronomis ad astri velocitatem figmentū referunt, cùm amplissima cœli spatia diurno motu velocissimè transcurrat, si quanto distet interuallo, quámque magno circuitu supra planetas reliquos feratur consideraverimus, quamuis altero motu, quē hi naturalem dicunt, tardissimus planetarum omnium videatur. Ab huiusmodi pernicitate Abacuntis Prophetæ dictū, *Quia ascendes super Equos tuos*, Theologi de Apostolis prædictum volunt, vnde repentina salus esset omnibus piis prouentura. Et vnius sanè celeritatis ergò Virgilianus Æneas præmia proponit, *Equum insignem phaleris*, ei qui pedum cursu primus metam attigerit. Et in numismatis, nunc Equus currens, nunc ipse Pegasus, aliis adiectis cusis, summa rem alacritate gestam ostendit.

SOL.

ALIAS verò alatus Equus Soli etiam attribuitur. Nam in Gallieni numis alatus Equus est cum inscriptione, SOLI CONS. AVG. In numo verò Q. TITI in quo Pegasus, quasi non satis ex eo expressa esset celeritas, qua in obeundis Reipub. negotiis vsus fuerat, barbato eius capiti ex altero latere cuso additæ alæ, cuiusmodi specie Mercurius in aliquot veterum monumentis cōspicitur insignitus. Non desunt verò qui Pegasum in monetis etiam Corinthiorū fuisse tradant, quē Eubolus, Anchise, ὁ παλλάδος πῶλον appellarit. Porrò Pindarus Bellerophontem eo inuectū Pegaso, frænum aureum dono à Pallade per somnium accepisse cōmemorat, vnde posteà infrænandorum Equorum vsus ad posteros emanarit, eoq; monumento voluerint Corinthij rei memoriam testatam esse. Maro autē noster fræna Lapitharum inuentū tradit eo Georgicon loco,

Gallieni numisma.

Corinthiorū moneta.

B

Frœna Pelethronij Lapithæ, gyrosq; dedêre
Impositi dorso, atque Equitem docuêre sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

HVMANÆ VITÆ LVBRICITAS.

SVNT & qui Centauros in hoc eodē accipiant significato, quodq; silli pube tenus humana forma, reliquū Equina fingantur, vitæ nostræ terminum pernici cursu occupari significare putent, propterea quòd mira lapsu lubricitate incauti semper arripimur. Nullus enim tam senex, qui se annum adhuc non speret superaturum. Sedenim Centauro alibi erit locus suus.

FAMA.



Papyrij Cursoris numus.

NON sum verò nescius, authores esse, qui Pegasum, qualē quippe passim in Hadriani & L. Pap. Cursoris, & aliorū quorūdam numis aspicimus, famæ potius quàm celeritatis indiciū esse contendant. Nascitur is ex Medusæ cæde: siquidem virtus cùm terrorem amputauerit, famam generat. Terroris & admirationis hieroglyphicum esse Medusæ caput, ostendimus in Serpente, cùm de Domitiani gestamine loqueremur. Fama autem vbi primùm genita per hominum ora incipit volitare, Musarum excitat fontem in Parnasso, quippe quòd illustrium virorum præclara facinora vatibus scribendi suggerunt argumentum. Quòd verò in Papyrio à re ipsa etiam cognomento Cursoris honestato, ex Pegaso alacritatem & festinantiam hominis significari dixeramus, Capreæ insuper fugacis spoliū & fulmen & sagitta, quæ in eodē spectantur numo, ad nostrum faciunt intellectum.

C

PROFVGVS.

SED quoniam esse video qui Persea quoque Pegaso inuectū putent, examinandus est apud Hesiodum locus de Scuto Herculis, vbi ἱππότα φεύγοντος à Poëta dictum, quo loco Commentatores aiunt, animaduertendum ἱππότων profugum significare, eamq; esse glossographorum interpretationem. Auus enim Acrisius Persea domo expulit, quem minimè moris est vsquam Equitem inducere, sed talaribus à Mercurio acceptis præditū aëra persulcare, de quo sic Ouid. Metam. lib. 4.

--Pennis ligat ille resumptis
Parte ab vtraque pedes, telog; accingitur vnco,
Et liquidum motis talaribus aëra findit.

Vnde etiam Catullo Pinnipes appellatur. Eodem modo apud Homerum inuenies ἱππότων Nestorem, pro Profugo, vt vetustiores Grammatici interpretantur eo ἐν βοιωτίας loco:

Τοῖς δ' ἦ μετέειπε γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.
His inde Gerenius exul Nestor ait.

Fabula.

Talémque recitant fabulam: Herculem Pylo bellum intulisse, propterea quòd Neleus eum à cæde Iphiti purgare recusasset. Tum etiam propter filiorum eius insolentiam, qui cùm duodecim essent, eo freti numero præclara omnia sibi pollicebantur. Diu verò bellum protractum, neque quandiu Periclymenus, vnus ex ipsius Nelei filiis, vixit, vrbs vnquam capi potuit, posteà verò quàm is mutatus in Apem Herculano currui explorator insedit, summonente prodentéque

dentéque Pallade extinctus est ab Hercule, capta itidem euersáque Pylos est, vndecímque Nestoris fratres interempti. Sedenim Nestor priùs emissus fuerat ad Gerenios, vbi educaretur, qui solus superstes in patriam inde restitutus est, & ab educationis loco Gerenius, ab effugio verò, quo saluatus est, ἵππότα nominatus.

FRÆNATA FEROCITAS.

VVLGATISSIMVM illud est argumentum, hominem feroci inuictóque animo, imperio tamen & rationi obsequentem, hieroglyphicè per frænatum Equum significari. Hinc Panætius apud Cic. Africanum solitum ait dicere, *Vt Equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere soleant, vt his facilioribus vti possint: sic homines secundis rebus effrænatos sibiq; præsidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere.* Animal nimirum ferox atque magnanimum, quod leges tamen subiit, *nec frænum depulit ore*, vt ait Horatius, de Equo qui hominis opem implorauit, seq; frænari sit passus. Et Maro:

Sed tamen ydem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & fræna iugo concordia ferre.

Scipionis dictum. In huiusmodi sententiam est Scipionis dictum non incelebre. Quum Romani contra Antiochum iam in Asiam traiecissent, isq; legatos demùm de pace misisset ad Scipionem, respondit is: *Id priùs factum oportuit, non postquam & frænum & sessorem accepisset.* Sed illud quoque animaduertendum est, de Carthaginis portento, quod murorum fundamenta fodientibus oblatum est, quippe, vt apud Maronem, *caput acris Equi*, hinc gentem fore bello egregiam præmonstratum. Quod verò subiungit, *Facilem victu*, non de Bouillo capite, vt Seruius, sed de ipso eodem Equino intelligendum, cuius ostenti ea sit interpretatio, vt *facilem victu per secula gentem*, facilem, quæ tandem vinceretur, exponamus: hoc enim magis ad Virgilianam accedit sententiam, quamuis in Tauri commentario Seruianum intellectum illustrare conati simus. Coniectores verò, vt eò redeam, eos qui se caput Equinum, vel Caninum, vel Asininum habere somniarunt, in seruitutem vel id genus ærumnas dedendos esse suspicantur. Sunt enim tria hæc animalia seruituti mirum in modum obnoxia. Addam & illud eorundem Onirocritarum interpretamẽtum, quo visum aiunt in somnis Equum qui se portet, polliceri, vt amica amantis imperio facilè sit subiicienda, morigeráque in posterum futura. Nam de pullo indomito pro puella adhuc intacta, Anacreõtis carmina paulò inferiùs loco suo recitabuntur. In Diuinis literis, vbi Elisæus montem auxiliaribus Equitibus plenum per adapertos pueri oculos conspexit, quósque vates Abachus Domini Equos, & Equitatus nominat, animas intelligit Adamantius, quæ frænum disciplinæ sanctioris accipiunt, iugúmque suauitatis, quæ ab ipso Domino proficiscitur, portant, eiuśq; spiritu regi patiuntur: *Beatasq;* illas appellat, *quæ dorsum curuauêre suum*, vt dorso verbum Dei sessorem accipiant, cuius fræna patiantur, & quoquouersum ille impulerit iter arripiant, aut eius denique habenis moderati, non ex libidine sua, sed tanti sessoris arbitrio flectantur, cursum ineant, & consistant. Eucherius sanè inueniri ait in Diuinis literis Equum pro viro sanctitate prædito poni, eóque spectare Abachuntis illud alibi dictum, *Qui ascendes super Equos tuos.* Sanè Græci Palladi nomen ab Equo domito inditum tradunt, &, vti suprà diximus, apud Pindarum legas frænum Corinthi ab ea inuentum, & Pelopi donò datum, & in Ilij captura *instar montis Equum* Græci Palladi dedicarunt. Hoc verò significat, ferocitatem omnem doctrina molliri atque cicurari, quod ita luculenter Horatius expressit:

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

IMPERIVM.

Equi portentum. IN augurali verò disciplina per Equos Imperium significatum sæpe fuisse, comperimus, vt qui apud C. Iulium Cæsarem natus est, humanis propè pedibus, vngulis scilicet in digitorum modum sub scissis. Ei enim orbis terræ imperium portendi, Aruspices respondêre, apud quem Equus huiusmodi esset editus. Eum itaque Cæsar magna aluit cura, nec patientem sessoris alterius primus ascendit. Cuius etiam instar pro æde Veneris genitricis dedicauit, quamuis prodigia reliqua ita despectui semper habuerit, vt ab incœpto nunquam vllo, prodigiis quantumlibet aduersis absterritus aut retardatus sit. Sedenim eadem animalis species, quæ imperium illi præsagiuerat, eadem (inquam) & mortem præmonstrauit. Siquidem Equorum greges, quos in traiiciendo Rubicone consecrauerat, ac vagos sine custode dimiserat, paulò antè quàm occisus esset, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimq; flere. Eo porrò affectu Equi pleriq; in dominos sunt, vt eos interemptos lugeant, inquit Plinius, lacrymásque interdum desiderio fundant. Vnde non inscitè de Pallante Virgilius:

Post bellator Equus positis insignibus Æthon
It lacrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Ad huius imitationem non minori forsitan affectu alterius Equi amorem in dominum Sillius Italicus ita decantat:

Agnouit sonipes, arrectisq; auribus acrem
Hinnitum effundens sternit tellure Vagesum,

Quem

Quem tunc captiuo portabat in agmina dorso:
Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis
Stante cruore soli, & mutilata cadauera cæde
Euolat, ac Domini consistit in ora iacentis:
Inde inclinatus collum summissus, & armos,
De more inflexis præbebat scandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.

Sed vt ad portenta reuertamur, illud memoriæ proditum est, quemadmodum Nero Asturconem, quo maximè delectabatur, posteriore corporis parte in Simiæ speciem abiisse per quietem videre visus, ac tantùm capite integro hinnitus edere canoros, ostento fuit quòd illa Equi ferocitas in Simiæ ludibrium esset abitura. Dedit & Ælio Pertinaci, feroci viro, qui post sublatum Cõmodum imperium arripuit, inuadendi regni signum Equus. Nam ea qua natus est hora, Equus pullus in tegulas ascendit, atque ibi breui temporis spatio commoratus, simul & decidit & expirauit. Quod quidem huic in Villa Martis genito, & ad bellica negotia nato, futuræ sublimitatis, quãuis breui duraturæ, augurium fuit.

A LABORIBVS QVIES.

Equi in Neruæ numis. QVID verò soluti, pascentesq; in Neruę numis Equi sibi velint, cusæ ibidem literę declarant, in hunc scilicet modum: VEHICVLATIONE ITAL. REMISSA. quod nonnulli referunt ad argumentum illud quod in Boue ad præsepe trãctauimus. Sed accipiendum potiùs de tributo, quod Italia omnis in vehiculationes exoluebat, vt & Magistratuum sarcinæ, & exercituum, & alia huiusmodi publica transportarentur, quod tributi genus Nerua vti onerosum nimis Italiæ remiserit vniuersæ: qua de sententia plura dicerem, nisi doctissimus planè vir Fab. Vigil Spoletanus rem exactissimè pertractasset.

ITALIA.

Numus Romanus. SVNT qui putent Equos in hoc numo Italiam significare, eoq; adducuntur argumento, quòd in argenteo numo & aliquot æreis obseruatur caput Equi frænati cum inscriptione, ROMA. Ab eius occipitio sceptrum, in cuius summa parte caput itidem Equi videatur, ab altera parte, Roma ipsa galeata, vti mos est. Alij numi sunt cum Equinis capitibus ab vtraque parte singulis, cum inscriptione, ROMA. Sedenim cùm Equum ipsum multifariam in Latinorum & Græcorum numis obseruauerim, neque Italiam, neque aliam quampiam prouinciam, regionémve, aut ciuitatem significare contenderim, sed aut bellum, aut itinerationem, aut decursionẽ, vt in Neronianis plerisque, aut velocitatem, vt in Papyrianis, & alia, prout locis suis explicantur.

MAVRETANIA.

Hadriani numus. NIsi qui (si videant in Hadriani numo Equum à pedite rectum cum inscriptione, MAVRETANIA, ita enim scriptum per E secunda syllaba) intelligere velint prouinciam eam in deditionem acceptam, vel quid huiusmodi. Sanè aliquot ex huiusmodi numis vna in parte caput habent Hadriani, ab altera Equum, quem mulier duobus armata iaculis ductat, quod nimirum indicat genus id bellandi, quo plurimùm vtitur ea prouincia.

MAVRI FEROCES.

QVIN posterioribus etiam seculis militares quidam ordines, qui sub Equitum magistro militabant, dimidios rutili coloris Equos duos in alba parma sese quodammodo lacessentes, orbe viridi, cuius luteus erat vmbilicus, interposito, præferebant, iiq; MAVRI FEROCES appellabantur. Quòd verò aliqui ex numis Italiam per Equum significari crediderint, fortè suspicati sunt ex eo numo qui Equum exultantem habet, flore quodam supernè sito, ab cuius altero latere inscriptio est, ROMANOR.

EQ. VICTORIA.

CVR verò potiùs non putemus numum hunc in rei gestæ monumentum esse cusum, quia bello Punico, quod cum Hannibale gestum est, cœperint aliquando Romani etiam Equis superiores esse, cùm priùs robur eorum omne in legionibus consisteret: flos enim ille supernè additus, principium atque spem bonæ frugis indicat. Sanè Virgilius rem tantam haudquaquam reliquit indictam, cùm de Marcelli laudibus ita cecinit:

Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet, Equis sternet Pœnos.

At in Cephalæniorum etiam numis Equus signari sblitus est, cuius rei mentio apud Plutarchum. Apud Smyrnæos Fortunæ simulacrum fuit à Bupalo quodam probo, sanè viro factum, in cuius capite pullus Equinus insidebat, & Amaltheæ cornu manum implebat, de quo apud Pausaniam in Messenicis.

SYRACVSANI.

Athenien-sium numus. VTEBANTVR & Syracusani Equi nota. Nam Athenienſibus illis, qui apud Syracusas capti Niciana clade pro seruis venière sub hasta, frons Equi charactere inusta est. In aliquot eorum numis Equus & sessor habetur cum inscriptione, IEPΩNOΣ, quod nimirum eius in Equestri

D

militia,sed præcipuam in certaminibus gloriam ostendit,quem ea de causa tot laudibus Pindarus Poëta immortalitati consecrauit. Aliæ quoque Respub. atque alij plerique Principes Equi signo vsi sunt,vt nihil denique priuatum videam, quod ad Italiam spectet. D

TARENTINI.

Numus Tarentinorũ. QVINETIAM in numo, cuius inscriptio TAPAΣ, Eques etiã iaculator inspicitur, ob Equestrem scilicet militiam,quam egregiè Tarentini sunt exercere soliti;vnde apud Græcos,Tarentinos ordines inuenias ex Equitibus huiusmodi constitutos,& Ταραντινίζειν verbum,eo se militiæ genere exercere.

SAGITTARII SENIORES ORIENTALES.

EQVI verò duo dimidiati coloris lutei,in cæruleo clypeo, quem ruber circulus ambibat,auersi prosilientes à centro,quod luteum in medio rubræ peltæ, pro vmbilico appositum erat, ita vt ab ipsa pelta trames coloris eiusdem ad rubrum vsque ambitum protenderetur, eius ordinis erat insigne, qui SAGITTARII SENIORES ORIENTALES appellabantur. Militabant ij sub magistro militum Præsentiali nuncupato.

SECVNDI THEODOSIANI.

LVTEVS etiã Equus erat in imo parmæ ferrugineæ colorationis,cuius vmbilicus albus rubro continebatur circulo,quem alter coloris lutei circuibat. SECVNDORVM THEODOSIANORVM hic erat clypeus, qui sub eodem militum magistro stipendia faciebant. Hi nimirum Theodosij principatu in militiam allecti.

CONSTANTIA. E

ERAT & alia legio, quæ rutilum Equum in cærulea parma gestabat, in medio viridis orbis constitutus, cui quadrupes toto inniti pectore videbatur,ea CONSTANTIA nuncupabatur,quæ sub magistro peditum merebat,Constantio quippe Principe instituta.

IMMODERATVS IMPETVS.

RES ipsa adhortari videtur, vt & historiæ sacræ mysterium, quantum ad Equum pertinet,reuelem. Nam pro immoderato & rationis experte impetu Equum poni apud Legislatorem Mosem,ex eo manifestum est,quòd nõ designari principem Equorum educatorem dicit, quod ita capiendum est ex Philonis sententia,vt ineptum eum ad principatum existimemus,qui voluptatibus cupiditatibúsque & nequitiæ deditus stare loco nesciat,*& fræna ferox spumantia mandat.* Lex ipsa est Deut.cap.17. *Quique rex fuerit constitutus,non multiplicabit sibi Equos,nec reducet populum in Aegyptum,Equitatus numero subleuatus,præsertim cùm Dominus præceperit vobis,vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini.* Nam qui talia mente concipit,effræno illi & feroci Equo similis est, de quo vulgatum adágium,*Secede Equinis à pedibus procul,*ab Equo,inquam illo, qui semper Ægyptum,hoc est, voluptatum & illecebrarum planitiem appetit insultare, quocirca frænis catenisq; compescẽdus est,nisi velimus in perniciem rapi,& nosmetipsos vnà cum fortunis dare præcipites.Nam,vt optimè ait Euripides, *ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμε τ' ἀφροσύνας τέλῳ δυσυχία*, *Infrænis oris exlegisq; dementiæ finis infortunium.* Sæpe autem in Diuinis literis Equus aberrantem & vagum hominem indicat, qui sine ratione vlla feratur: vt, *Fallax Equus ad salutem.* &, *Nolite fieri sicut Equus & Mulus, quibus non est intellectus.* Gallidum verò Antisthenis dicterium,cùm Plato vehementer laudaret Equum in pompa quadam Equestri, hinnitu crebro ferociq; excelsos spiritus præ se ferentem, is qui hominis iactantiam libẽter incessebat,*At tu,*inquit,*videris bonus Equus euasurus.* At Themistocles,cùm mutatos eius mores ex procacissimo in maximè temperantem plerique admirarentur. *Annon,* inquit ille; *videtis asperos & indomitos pullos in optimos Equos euadere?* Non imprudenter itaque Prudentius elationem animi describens ait: F

Fortè per effusas inflata superbia turbas
Infræni volitabat Equo.

NEQVITIA IN TEMPERANTIAM VERSA.

Aegypti delicia. QVOD verò super Ægypti deliciis dictum,D.Ambrosius ex Apostoli dictitatis eo tẽpore ait, Pascha celebrari,quo Israëlitici Ægyptum reliquêre, solennitatemq; eam, animarum transitum interpretari,à vitiis ad virtutem,à corporis affectibus ad animi constantiam atque sobrietatem,à malitiæ nequitiæq; fermento, ad veritatem & stabilem synceri propositi firmitatem,mollitiem quippe in Aegyptiis, & alia multa carpit Hadrianus, maximéque optare videtur, vt melius esset morata ciuitas, Alexandriam notans. Legitur in libris Sibyllinis, MILES ROMANE ÆGYPTVM CAVE. Quod licèt de Pompeio Magno dictum interpretati sint multi, solicitiq; aliquando Romani fuerint ne Ptolemæum armis in regnum restituerent, hac religione deterriti, alia tamen,eáque longè verior eius oraculi videtur interpretatio,præceptum scilicet esse illis hoc velamento,vt quibus datum esset imperio populos regere, Aegyptum cauerent, quippe delicias & mollitiem, eáque omnia quæ mox fortissimum, id genus hominum vt primùm lasciuire cœpit, turpiter adeò effœminauit, vt pessum penitus ierit, Imperio in eos translato, quos vt omnium despicatissimos expuebant & omni contumeliarum genere insectabantur. Sed quantò erat ominosior,

A nosior Aegyptus Pop.Romano, successum tantò prosperiorẽ Aegyptiis ex Romanorum aduentu in regionem eam oracula pollicebantur. Apud Memphim enim in aurea columna literis Ægyptiis scriptum erat,tum demum Aegyptum liberam fore, cùm in eam venissent Romani fasces,eorúmque prætexta,quod apud Proclum Grammaticum se legisse testatur Pollio:nimirum qui virtutem & rerum disciplinam admittit, vitiis liberatur. Sedenim Romani pace iam terra marique parta, molles Aegyptiorum delicias suscepêre,illi, deliciis amotis, pristinam Romanorum virtutem industriamque sibi mox vendicauêre. Sed alio loco de fasces dicendum erit. Quod verò facit ad rem, Adamantius ad dictum illud de Iosippo, *Et totius Aegypti principatum obtinet,*ita philosophatur: *Libidinem quippe calcauit, nequitiam euitauit, omnesq; corporis voluptates edomuit atque fræuauit. Hoc enim est totum Aegypti principatum gerere.* Vide verò Chrysostomum oratione quam habuit in vigilia Epiphaniæ,de Aegypto multa in hanc sententiam differentem.

RATIO ET CVPIDITAS.

EST tale aliquid apud Platonem in Phædro, qui rationem atque cupiditatem per dexterum & sinistrum bigarum Equos intelligendum proponit, improbiq; ac impuri ora lupatis frangenda ad cruoris vsque illisum præcipit:

Donec humi sonipes temeraria crura superbus
Imprimat,& tellus clunibus icta tremat,
Mox facili des lora manu, pariterq; feratur
Obsequio parens manus vtergue tuo.

SVPERBIA. PERTINACIA. CESPITATIO. INSOLENTIA.

B NAM & in Mosaico illo quadrupede vitia quatuor deprehendit Philo, quæ vnà cum sessore in mare proiicienda deperdendaq; sint. Elatum in primis pedem illum, quem Superbiam illi vocauêre,quam pes alter comitatur, qui secum trahit velocem ad vitæ perniciem procliuitatem,in quam frequenter admodùm cespitat, cernuusq; canterij more in fossam lapsabundus corruit.Ex posticis pes alter malæ perseuerantiæ subsequentem pertinaciam ostendit,alter perperam factorum exultationem, quæ omnia effrænum & exultantem Platonis Equum mira similitudine describunt. Iocosè verò Teius Anacreon,cùm muliebrem fastum,arrogantemq; animum incesseret,puellam quandam Equino comparauit pullo, in quem nemo adhuc inscendisset, atque ita assultim nullo cohibita fræno temerè vagaretur,cuius sententiæ versus hi superfuêre: *Equi Mosaici vitia quatuor, ex Philone.*

Πῶλε θρηϊκίη δῆμε
Λοξὸν ὄμμασι βλέψασα
Νηλέως φόβοιο, δοκέεις ἦ
Μηδὲν εἰδέναι σοφὸν. ἴθι
Τοῖ καλῶς μ' εἶν τοι ἡ χαλινὸν
Ἐμβάλλοιμι ἡνίας θ' ἕλωμι
Στρέφοιμι' ἀμφὶ τέρματα δρόμε.
Νῦν δ' λειμῶνας τε βοάσεαι
Κἄφατά τε σκιρτῆσαι παίζεις.
Δεξιὸν γὰρ ἵπποισι ἔην
Οὐχ ἕξεις ἐπεμβάτην.

Quos quidem vtcumque potui, candore haudquaquàm pari Latinos feci:

Pulle Thraicia ecquid,ô me
Torue luminibus petitum
Impiè fugis? videris
Nil quidem sapere:at perita
Pulchrè eris tibi si lupatos
C *Illigauero, moxq; habenas*
Sumpsero, atque circumuertero
Metæ in ambitum, atq; finem.
At tu amœna prata pascis,
Molle sed lasciuienti
Non erit magister vsquam
Sessor,insultare qui te
In modum probè instruat.

Ad hoc facit lepidissima Ode illa Horatiana de indomita Vitula;

Nondum subacta ferre iugum valet
Ceruice, nondum munia comparis
Aequare, nec Tauri ruentis
In vomerem tolerare pondus:
Circa virentes est animus tuæ
Campos iuuencæ nunc fluuijs grauem
Solantis æstum, nunc in vdo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis.

Et altera, vbi hæc sunt super Equa:

Quæ velut latis Equa trima campis
Ludit exultim metuitq; tangi
Nuptiarum expers,& adhuc proteruo *Cruda marito.*

Quòd verò Anacreon mulierem Equini pulli cognomine vocitarit, facit idẽ Nicander,metaphoram eandem scitè prosecutus, vbi de iis agit,quę contra venenum vtilia sunt, puellare quippe lac adhiberi commodum.Is enim Lac pulli,pro Lac puellare, Anacreontio vocabulo posuit,eo versu:

Θηλυτέρης πόλιος χέας ὅπον ἄλλο τε νύμφας.

quod castigatiùs in manuscriptis codicibus νύμφης legitur. Fœminei quippe pulli lac, &, si fieri possit, virginis, viridissimo scilicet ætatis flore vigentis, balsamo (vt vulgata obiter corrigantur exemplaria, in quibus ἐλαιώμοιο scriptum est) instillandum monuit. Hic interpretes non de Equini pulli lacte dictum volunt, sed de muliebri, quòd Erasistrati authoritate cõfirmant, dicentis ἐν τῶν περὶ διανοσίμων, vtile esse lac muliebre.

MERETRICIA PROCACITAS.

Prouerbiũ. DIOMEDIS verò filiæ (illius inquam Thracij Regis insaniſſimi) libidinis furore famoſiſſimę, Equis, quæ aduentantes deuorarent, comparantur à Poëtis. Vnde ortum prouerbium tradũt authores Græci Διομήδεως ἀνάγκη. Atque ita interpres Aristophanis ἐκκλησιαζούσης interpretatur, quamquam Eustathius hoſpites à patre ſolitos interimi, & Equis in pabulum apponi tradit, fabulam ſcilicet ſecutus, quam à Poëtis fictam vno omniũ conſenſu repererat. Quò verò hæc eo accipi intellectu debere, quem ex clariſſimis authoribus excerpſimus, vnicuique magis conſtet, à peritis vſurpatum inuenias ἱππόβινον appellari hominem, qui ſit libidini Venereiſq; negotiis intemperanter deditus, quod nomen ab Equi natura deductum, ignorat nemo. Adde quòd ἱππόπορνον ad extremam dicimus contumeliam, cùm ſupremam cuiuſpiam nequitiam, & immoderatam laſciuiam exprobramus. In Diuinis quoque literis dictum eſt in hanc ſententiam, inſanientes quoſdam factos in fœminas, quòd vnuſquiſque ſuper vxorem proximi ſui hinniebat. Equinam vates ille dedit homini vocem, vt Equinam in eo petulantiam argueret. Non enim eſt omnis homo, homo, diceret Adamantius, ſed ea quis nequitia præditus homo, Equus eſt: vt homo in honore poſitus, nulla tamen præditus ſapientia, homo Iumentum eſt: Iumentis enim inſipientibus is perquàm ſimilis habetur. Et generatio Viperarum, de qua Dominus, Homouipera appellari poteſt. Neque aliud quippiam hieroglyphicè per duplicem formam Centauri intelligi vult Maximus Tyrius, quàm voluptatis vinculum. Quotieſcumque enim accidit, vt ferinæ partes tyrannidem in nobis occupent, ardoréq; cupiditatis nobilitatem animi corripiat, opprimat, ſeruitioq; addicat ſuo, propter turpitudinum obſequia homo in belluam vertitur. Ridiculè verò faceteq; admodùm Ariſtophanes, Xenophantis, ruſticorum morum hominem & furibundum à Nebulis ſub Centauri ſpecie repræſentari dicit. Ipſumq; Chironis nomen ex ea ſignificatione, quod & Deteriorem ſignificat, ioco anſam dedit, cùm Centauros duos inter ſe pugnantes in tabula peſſimè pictos Diogenes conſpexiſſet: interrogauit enim, vter eorum Chiron eſſet, viſus de nomine quærere, cùm ſenſu vter: peior eſſet intelligeret. Et quoniam in Diuinis literis, qui turpibus & immundis officiis detinentur, Iumenta dicta ſunt, pecoraq; prona & ventri obedientia, fornicatores, Hieroſolymitanus Heſychius Admiſſarios eos. Equos vocat, hieroglyphico admodùm proprio. Idem Pſalmo 31. *Nolite fieri ſicut Equus & Mulus*, quod ita exponunt interpretes, *Nolite amore mulierum furere, ſicut infrænes Equi.* Notum enim eſt, eos ſuam ad voluptates intemperantiam hinnitu ſubinde prodere, vtpote qui omninò quid bonum, quid malum, quid honeſtum, quid turpe ſit prorſus ignorant. Sedenim meretriciam hanc petulantiam à tam multis per Equinæ imaginis hieroglyphicum indicatam nemo Virgilio meliùs & pleniùs expreſſit, vbi Georg. lib. 3. ita canit:

Voluptuoſorum hominum hieroglyphica.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis Equarum,
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumpsêre quadrigæ:
Illas ducit amor trans Gargara, tranſq; ſonantem
Aſcanium, ſuperant montes, & flumina tranant,
Continuoq; auidis vbi ſubdita flamma medullis,
Vere magis, quia vere redit calor oſſibus, illæ
Ore omnes verſæ, in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantq; leues auras, & ſæpe ſine vllis
Coniugijs vento grauidæ, mirabile dictu,
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas conualles
Diffugiunt, non Eure tuos, non Solis ad ortus:
In Boream, Caurumq; aut vnde nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluuio contriſtat ſidere cœlum.
Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus
Hippomanes, quod ſæpe malæ legêre nouercæ,
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia verba.

Equi Zelotypia laborant. Sed neque minor eſt Equorum furor, qui zelotypia etiam ita laborant, vt riuales acerrimè caſtigent. Viſum enim aiunt in Syria, vbi ſylueſtrium Equarum armẽta vulgò paſcuntur, præire ducem, qui ſi iunior aliquis libidinis cauſa Equam inſcenderit eam initurus, ita indignetur, vt eum nulla interiecta mora perſequatur, donec comprehenſum verendis mordicùs priuet. In hoc autem animalium genere fœminæ maribus continentiores ſunt. Abſyrtus enim ait Equam, vbi ſe concepiſſe nouit,

nouit, marem vlteriùs non admittere. Neque verò hoc loco prætereundum, quod & ad Hippomanis vim, & ad immodicam Equorum impotentiam & ſubitam in Venerem concitationem pertinet, venenum illud, quod ſæpe malæ, vti dicebamus, legêre nouercæ, à furore, in quẽ agit Equos, appellatum, tanti eſſe roboris & efficaciæ, vt cùm Phormis quidam Mænalius Equos duos à Dionyſio Argiuo fabrefactos in Olympia dicaſſet, abdito in eorum altero, vt Elei arbitrabantur, eo viru, vt autem alij, in liquatum metallum immixto, conſtiterit allectos ita eſſe Equos ad initum ſui, vt nõ, niſi flagellis amoueri potuerint. Hiſtoriam ponit Pauſanias. Varia autem eſt antiquorum ſuper Hippomane viru ſententia. Nam Theocritus Heſiodum ſecutus, plantam eſſe videtur exiſtimaſſe, qui φαρμακοτρείαι dicat:

De Hippomane quid ſentiãt authores.

Ἱππόμανες φυτόν ἐστι περὶ ἀρκάσι. τῶν δ' ὀπιπάσω
Κέ πῶλοι μάνιον) ἀν' ὤρεα, καὶ θοαὶ ἵπποι.

idq; periti, diligentéſque agnoſcunt viri. Alij Theocrito pertinaciter aduerſantur, neque plantam eſſe Hippomanes, neque tale aliquid in Arcadia naſci aſſeuerantes, idq; vnum veriſſimum autumant, quod de caruncula, fici inſtar, in pulli fronte recèns editi inhærente traditum eſt à Theophraſto. Agnoſcit tamen & Crateuas plantam, eámque fructum habere fici ſylueſtris inſtar, folium verò fuſcùm docet, quemadmodum papauer, quin & ſpinoſum eſſe, idq; veneficiis amatoriis immixtum mirificè pollere: hinc nonnulli φυτὸν illud Theocritianum pro φύμα hoc eſt, tuberculum, fronti quippe huiuſmodi pulli adnatum, interpretantur. Nam & Archilochus φυτὸν pro φύμα, poſuit, atque ita facilè de caruncula poſſe intelligi. Sedenim quod Theocritus ait id apud Arcadas inueniri, nimirum ad plantam referri debet: non enim dicendum, pullos in Arcadia tantùm edi- B tos, Hippomanes in fronte geſtare, quod omnibus ferè accidit vbicumque locorum genitis. De plantis verò veriſſimum eſt, aliàs alio loco naſci, vel pollere magis hoc quã illo loco prouenientes: ſed ambiguitas hæc omnis ex locutionis huius, quæ eſt Hippomanes, æquiuoco orta eſt, cùm tria ſint vocis huius ſignificata, vnum virus illud, quod Equa in libidinem concitata emittere ſoleat è natura, de quo Maro,

---Lentum diſtillat ab inguine virus,

idque tantus author, in re ſeria verò dici nomine Hippomanes autumat. Dixerat & Tibullus:

Et quod, vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ ſtillat ab inguine Equæ.

Manifeſtum enim eſt ex horum deſcriptione, Hippomanes hîc neque pro planta, neque pro caruncula poni. In Arcadia autem eſſe plantam, etiam furoribus amatoriis damnatam, cur inficiari poſſit quiſpiam, non video, antiquis tot authoribus rem ipſam agnoſcentibus. Inueniri demùm caruncula, inſtar caricæ, in fronte pulli applicitam, quam mater niſi mordicùs decerpſerit deuorauerítque, ab amore curáque educandi filij abalienetur, Theophraſto, Plinio, & aliis id tradentibus, qua de re idem Maro,

Quæritur & naſcentis Equi de fronte reuulſus
Et matri præceptus amor,

cauſam nullam video cur quiſpiam aduerſetur. Neque audiendi ſunt qui nihil aliud Hippomanes apud Maronem & Theocritum, addam & Tibullum, ſignificare contendunt, ſcholiis in Dioſcoridem, niſi furorem grandem, vt eorum verbis vtar, & vbique adiectiui nominis modo poni, cùm iam vocem eam trium eſſe rerum, quæ quidem & cerni, & manibus attrectari poſſunt, vocabulũ ſubC ſtantiuumq; verum indicauerimus. Neque tamen negamus, ἵππιον locutionem pleriſque nominibus applicatam, Magnitudinem proceritatemq; ſignificare, vt ἱππόσελινον, ἱππομαράθρον, & multa huiuſmodi, quæ ſuperfluum eſt enumerare, ſed hæc non ſunt tanti, vt negare poſſint Hippomanes veram eſſe in Arcadia plantam, cuius figuram neque non vim amatoriis veneficiis peculiarem, Crateuas apud Theocritum deſcripſerit, neque caruncula auferant, quæ ſit omnibus manifeſta, neque deſtillationem amoueant, quæ Tibulli, Virgilij, Probi, Ariſtotelis denique ipſius authoritate continetur: in eandem enim furoris efficaciam conueniunt virus illud, planta Arcadica, & ficulneus ille tuber à maleficis propinata. Hæc fortè nos moroſiùs proſecuti ſumus, quàm ſuſcepti operis ratio poſtulaſſet, ſed grauiſſimo viro, ætate noſtra præſtanti, qui tria hæc de rerum natura tollere conatur, reſpondendum fuit, ſi Veneti Poëtæ noſtri, ſi Romani, ſi Siculi dignitatem, in ſuo cuiuſque genere ſummorum, tueri concedatur.

PROFANVS.

Italia cur olim Equo abſtinuit. SANE quidem Ægyptij ſacerdotes animal hoc alioqui tam generoſum, tam vtile, tam domeſticum, repudiauêre, ac per hieroglyphicũ eius profanum intelligi decreuêre, cuius rei cauſam eam fuiſſe ſuſpicor, quæ maiores etiam noſtros in Italia ab eo abſtinere tam religioſè iuſſerit, vt à ſacrorum flamine minimè tangeretur, propterea quòd damnatum inter venena fel habere proditum eſt. Alij rem ſimpliciùs interpretantes, dicunt inde factum, ne ſi longiùs digrederentur, fraus interdum ex negligẽtia fieret ſacris. Ea enim de cauſa ſacerdotum etiam noſtrorum familiis data otia, ne profanis occupationibus, aut curis diſtraherentur, ſed in precibus tantùm Deo allegandis occupati eſſent, & laudes illi ſepties in die dicerent. Perſeuerauit autem in noſtra vſque tem-

pora, vt primores Antistites Equo per vrbem vehi, solennibus præsertim diebus, contra morem & D decorum haberetur, præterquàm vno maximè omnium festo die, quo nouus Pontifex Maximus ad Lateranum deducitur: tunc enim in albis Equis omnes Præsules conuehi moris est.

AVTHORITAS.

Dictatoria dignitatis tus.

CVMQVE apud Romanos veteres Dictatoria dignitas admodũ sacrosancta esset, vetusta quadã lege nefas Dictatori erat equitare. Causas alias atque alias memorat Plutarchus, in vita Fabij, siue quòd maiores vires pedestribus ineſſe copiis arbitrarentur, propterea{que} oportere Imperatorem in phalange permanere, neque locum deserere, siue quòd eius principatus authoritas & magna esset, & quodammodo tyrannica in reliquarum omnium rerũ administratione, voluerint tamen in hoc Dictatorem inferiorem populo videri. Fabio tamen Maximo Dictatori designato, post cladem ad Thrasymenum acceptam, primùm Equus concessus in tanto rerum discrimine, quo principatus magnitudo, ac moles ostenderetur, maiori{que} apud omnes authoritatis haberetur. Est enim Equus animal omninò superbum, & equitare magnificum habetur. Vnde Aristippus apud Horatium, cùm Diogenis vilitatem argueret, splendidiùs multò esse dicit, *Equus vt me portet, alat Rex.* Id verò Diogenes, ac plerique alij, Philosopho minus dignum arbitrabantur. Quare Plato cùm in Equum aliquando conscendisset, statim desiliit ad terram, se vereri dicens, *μὴ ἱπποτυφίᾳ λαφθῇ*, ne Equino quopiam fastu contaminaretur.

FABII CONTATORIS VIRTVTES.

SED vt ad imagines nostras reuertamur in lapillo Onyce argumẽtum multiplex vidi artificiosè admodùm sculptum. Equino enim capite est, humana facie in pectus barbata, gruinis pedibus, cauda pulli gallinacei, literæ sunt, FAB. Ex quo quidem figmento virtutes eas facilè coniectes, E
quibus Fabius Contator insignis fuit. Nam principatum in bello ex Equino capite, prudentiam ex humano pectore barbato, prouidentiam & contationem, atque etiam speculationem ex pedibus gruinis, victoriam ex pulli gallinacei cauda interpretamur, quorum omnium causæ in suis quæque Commentariis sunt explicatæ.

ANIMI DESPONSIO.

NEQVE fortè ingratum fuerit hieroglyphicum, quo desperatio, aut rei, quam quispiam aggressus fuerit, inauspicatus ingressus significetur, vbi quis Equum cespitantem, aut prioribus prolapsum pedibus appingeret, cùm ipsa præsertim res, & prouerbio & augurijs veterum confirmetur. Nam quod ad prouerbium attinet, quod fertur: *Rideo*, inquit Galba, *canterie.* Sisinnius Capito ita interpretatur, qui principio rei alicuius inchoatę deficiunt animo. Nam cùm Sulpitius Galba in prouinciam exiens, ad portam ipsam canterium suum animaduertisset cecidisse: *Rideo*, inquit, *canterie te iam lapsum esse, cùm tùm longum iter iturus, vix id sis ingressus.* Ex ostentis verò vnum sufficiat commemorasse, quod Flaminio Cõsuli feroci viro Aretij fertur obtigisse, cùm is indignè ferens per mediam iam Italiam vagari Pœnum atque obsistente nullo cædibus & incendijs omnia vastantem, ad ipsa Romana mœnia oppugnanda proficisci, signa ocyùs conuelli iussisset, cùm primùm in Equum insiliit, Equus repentè corruit, Consulemq; lapsum super caput effudit, inauspicati nimirum incœpti signum, quo paulò pòst ipse cum exercitu concidit, fœdissima ad Thrasymenum clade superatus.

Adagium.

DIFFICVLTAS.

NEQVE indecenter inter picturas huiusmodi referetur Equus in fossam prolapsus, aut in voraginem aliquam demersus, vbi luti tenacitate pertinacissimè detineatur, neque sese valeat expedire, si negotij alicuius difficultatem, aut incommodum exprimere voluerimus, quippe quòd plurimùm ita est canteriorum natura, quos oneribus comportandis addicimus, vt si aliquam in voraginem deciderint, tam ob onus, quo grauãtur, quàm ob liuidæ paludis cœnum, in quo recumbunt, supra modum implicentur, vnde ægrè attolli queant. Hinc illud apud Liuium à Iubellio Taurea Campano obiectum, *Minimè sis canterius in fossa*, cùm longo certamine cum Claudio Asellio Ro. delassatus se subducere meditaretur, cuius rei non apparente ratione, ad dolos conuersus, hosti suasit, vt Equo dimisso in cauam viam descenderet, vbi secum pedes congressurus esset. Quod cùm Romanus intrepidè, nulla interposita cunctatione fecisset, Taurea eo iactato dicterio, admisso statim Equo profugit, quasi dicere voluerit, nolle se eò demittere, vnde difficillima futura essset emersio. F

CERES.

Simulacrũ Cereris eiusq; declaratio.

SED vt nihil quod ad Equi imaginem faciat, quantum industria cõsequi possumus, omittamus, fuisse legimus apud Phigalenses simulacrum Cereris in antro consecratum, habitu sedentis in petra, Equinis capite comaq;, cætera muliebri simile, adnexis Draconum & ferarum plurium imaginibus, quæ circa caput illudebant, palla nigra ad talos demissa, in cuius manu vna Delphinus, in altera Columba sustineretur. Sedenim quamuis huiusmodi simulacrum Cereris nonnulli fuisse dicant, ego tamen Veneris potiùs crediderim, nisi dicamus pabulum & opulentiam, quæ per

Cererem

A Cererem significatur, incitamentum esse ad illecebras & petulantiam. Equinum enim caput non esse ab lasciuia alienum, ex iis, quæ paulò antè diximus, manifestum est. Draconum spiras amatorios nodos, voluptariásque implicationes significare super Serpente indicat commentarium. Delphinum amoris simulacrum esse, tam ex historia, quàm ex tot Veneris signis, quibus id genus piscis admouetur, alibi comprobauimus. Columbam denique referre Venerem, suo capite disputatum est. Acquiescendum tamen Pausaniæ, Cererem eam esse dicenti. Sedenim, vt in Sue diſſeruimus, eandem esse Cererem & Venerem Ptolemæi Assertoris tempore declaratum est. Cæterùm potest huiusmodi picturæ species ipsius etiam rerum naturæ hieroglyphicum esse, Equinum quippe caput ob insitam animali pernicitatem innuere velocissimos cœlestium orbium motus, Columbam tractus aërios, vt suo loco dictum est, Mare Delphinum, vt in numis passim, Anguium inuolucra, sinuosos omnium toto terrarum orbe lapsus, de quibus apud Platonem Socrates, vt in Serpente testatum fecimus. Feræ reliquæ vitas animantium omnes ostẽdere videntur. Saxum terræ firmam & stabilem sedem, sua se soliditate continentem signat. Antrum denique ac nigram pallam ea plurima, quæ de rerum causis & originibus minùs adhuc comperta delitescunt, vt in simulacris Isidis caput pedésque ex nigro lapide, de qua re dictum est alibi.

QVIBVS DIIS EQVI SACRI.

Equus eur Marti dicatus.

QVOD verò Marti primùm omnium sacer Equus esset, ex eo constat, quòd Decemb. Idibus, illi Equus, qui à dextra victor fuisset, immolabatur. Dextera enim masculina censeri diximus in Tauro, & mares animos Marti passim videmus attributos, de quo latiùs in pudendi virilis interpretatione, neque non in Scarabeo. Sacrificij verò huius causam nonnulli putant, vt Martem hostia, quæ illi plurimùm esset accepta, conciliarent. Nam & Pausanias ait, Tyndarum raptæ filiæ iniurias vlturum, cum Menelao marito procis aliis in locum vnum conuocatis, immolato priùs
B Equo, vt bellum aduersus Troianos susciperent, iuramento adegisse. Neque desunt qui sacrum quod Decemb. Idib. fieri solitum dicebamus, Octobri mense factum autument, eáque de causa Equum eum Octobrem itidem appellatum, fuisseq; non leuem Romæ de capite eius contentionem inter Suburranenses & Sacrauienses, vt id scilicet ij in Regiæ pariete, illi ad Turrim Maniliam affigerent. Vtcunque verò, Equus panibus caput redimitum habens, Octobribus Idibus pro frugibus in campo Martio mactabatur. Ideò verò Equum potiùs quàm Bouem immolabant, quia Equus animal bello dicatum, ad frugum potiùs perniciem, quàm auctum, spectare videbatur. Bos verò ad frugum prouentum & commoditatem natus. Quin etiam authores sunt, Equos à Romanis non ideò mactari solitos, vt Martem sibi conciliarent, sed vt supplicium ex eo sumerent, per quem constat Troiam fuisse captam, vnde se oriundos illi profitebantur. Sedenim perfrigida & iciuna admodùm calumnia hæc mihi videtur in Romanum nomen, vt populus tot virtutibus insignis, immeritum animal quotannis ita multarent, quiq; grauissimas iniurias hostibus sæpe condonare soliti essent, vni huic immortali in Equos odio tam pertinaciter inhærerent. Lacedæmonij verò, vt Festus asserit, Equum ventis in monte Taygeto soliti sunt immolare, eundémque ibidem adolere, vt cinis ventorum flatu per fines quàm latissimè dispargeretur. Cæterùm Pausanias Soli Equum in eo monte tradidit à Lacedæmoniis mactari solitum Persarũ more. Hinc Curioni Xenophon Equum donat, quem Soli sacrificet, cùm eam apud Persas esse Solis victimam non ignoraret. Idem author est, apud Sauromatas Equos ad sacra, & ad cibos ali, vnde apud Epigrammatarium nostrum,

C *Venit ab epoto Sarmata pastus Equo.*

Sarmatas enim Romani dicunt, quos Græci Sauromatas, vt Plinius libro quarto. Apud Stephanum diuersi sunt populi, quamuis vtraque gens Scythica. Apud Salentinos Ioui dicatus Equus, viuus in ignem coniiciebatur, perinde ac Rhodij quotannis quadrigas Soli consecratas in mare iaciebant, quòd vulgatum est eum tali vehiculo circumuehi mundum. Vti etiam in Illyrico, ea de causa quòd Tridentis ictu terra Equum excierit, quatuor Equos nono quoque anno marinis fluctibus habendos iaciebant. Apud Philostratum in Heroicis, legas pullum Equinum coloris albi, & fræni sessorísque adhuc ignarum, Soli sacrificandum pro victoria assequenda, idq; suasu Palamedis perterrefactis aliquando Græcis, quòd Solis deliquium, dum circunsident Troiam, inspexissent. Has quasdam veluti phaleras Equo libuit addere, quas sumptu nostro comparatas si quis approbaret, iis vteretur, qui verò ornatum alium expetiuerit, vel ex aliis quærat, vel impensa sibi comparet sua.

PIERIVS VALERIANVS
AD FLORIVM MARESIVM BELLVNENSEM,
de iis quæ per Canem significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER V.

QVI verò potiùs Canem meum, sacris quidem Aegyptiorum adytis educatum, sed mea huc aduectum diligentia, dono dare debueram, quàm tibi, mi Flori iucundissime? Quotiescunque enim ea considerabam, quæ sapientissimi illi viri per Canis hieroglyphica significari tradiderunt, dum diuinæ mentis interpretem, dum sacerdotem, dum tutelares Deos eo posito subinnuebant, dum grati animi signum, dum memoriæ & amicitiæ simulacrum, dum vatem, dum philosophum, ac ipsum literarum authorem Mercurium, fidem, obsequium, & pleraque alia per idem animal intelligebant, toties mihi tui, qui alumnus meus es, species offerebatur, cuius studium in disciplinis, integerrimos mores, insignem pietatem, liberrimi beneuolentissimique animi candorem & synceritatem, tam longa multorum annorum experientia perspexissem. Sed parum existimabam hac me cogitationis hilaritate perfusum, nisi rem ipsam scriptis etiam mandare studuissem, atque ita longè affluentiori voluptate commemorando perfunderer. Hunc igitur ex omnium animantium grege delectum tibi dedicaui, non vt quæ Canis fuerint significata, docere te mihi consilium esset, sed vt sæpius inter scribendum relegendúmque obueniret, vnde ego bonitatis tuæ frequentius memor, hac ipsa diuturniùs iucunditate perfruerer. Reliquum est, vt ex beneuolentissimo eius ingenio meam erga te beneuolentiam contemplere, perinde ac commendabiles ego mores tuos præclaris, quæ Cani attribuuntur, dotibus æquiparare solet, quippe qui existimem, sperémque velut ille ad Heroum, deorúmque simulacra contemplanda natura ipsa promptissimus inuenitur, tu quoque, quod non ignauiter facis, Canem vitæ quoddam exemplar tibi sis propositurus. Verum agè, iam ex ipso commentario Canis ipsius ingenium exploremus.

SACRARVM LITERARVM PROFESSOR.

Ministri verbi Diuini munus.

SIN primis autem rerum diuinarum professorem per Canis effigiem interpretabantur, propterea quòd eum, qui sacras literas professurus sit, id omnium plurimùm meditari oportet, vt Canis instar assiduè latret, hominum vitia nunquam incessere desistat, animum ferum gerat, nullius profani gratiam ineat, quod & Canes faciunt in eos, quos herilis non esse familiæ, vel visu, vel olfactu deprehenderint. Tales apud Hebræos habentur Elias, Hieremias, Ezechiel, Osee, ac plerique alij. Talis apud Græcos cum primis Diogenes, cui Cynicus, nomẽ, à Cane vulgò etiam dictatum, & ab eo Cynica familia perpetua vitæ austeritate celebris. Cui quidem haud multùm absimilis altera per omnem penè orbem in nostram vsque diem propagata, quãquam ea sanctioribus apud nos institutis, & verioris disciplinæ professione, laudabilioréque profanæ cuiusque rei contẽptu, sub eodem duplici panno, & perpetua pedũ nuditate conspicua. Non defuerũt enim vnoquoq; tempore, qui luxum & delicias aspernarentur, paruóque & minimo contenti, cùm vitam ipsi à vitiis liberam profiterentur, impuros omnes reprehensionibus arguerent, castigarẽtque. Atque huc denique progredi debet sacerdos optimus, vt dum nullum flagitiosum hominem verbis incastigatum præterit, vel ipsam impudentiæ notam minimè pertimescat.

PROPHETA.

SANE propter increpandi libertatem Prophetam adsimilauimus Cani, eíque latranti. Huius significati ratio alia apud Horum est, quia scilicet præter reliquorum animalium morem simulacris Deorum custodiendis Canes apponuntur, eáque ipsi identidem intuendo videntur admirari, non secus ac Propheta meditationi deditus, omnem cogitationis suæ conatum dirigit in Deum. Sanè fanorum antistites, sacrorúmque & oraculorum interpretes, Liuius Adastro, Prophetas vocat, de quibus ita:

Cùm capita viridi lauro velari imperant
Prophetæ, sancta ita castè qui curant sacra.

Animaduertendum est autem, omnem Canis vsum aut à latratu, aut à dentibus expeti. Ac de mordacitate quidem satis. Quod verò ad latratum facit, non ignoremus esse os interpres eorum, quæ mens in penetralibus meditatur, sanè Propheta vates itidem est, pérque os ipsa mens ex imis arcanisq; adytis oracula sua promulgat: frater enim mentis est os, mens verò verborum fons, atque ita

ita per os excogitata omnia veluti fluenta de fonte profluunt. Sedenim quia parum esset aliorum vitia damnare, deterrere, dilacerare, nisi ad rectam viuendi rationem omnia conuerterentur, ad ipsius (inquam) diuinitatis contemplationẽ dirigerentur, cùm Ægyptij sacerdotes animaduertissent Canẽ (vti ex fragmentis Hori diccbamus) præter aliorũ animantiũ morem, ad simulacra Deorum aspectare, firmoq; ea lumine contueri, quasi Propheta idem facitare soleat meditationi tantùm deditus, vnde per arcana Dei penetralia referentur, atque is hinc futurorũ scientiã aucupetur, hieroglyphicũ huiusmodi congruenter admodùm excogitarunt, qui artẽ hanc diuinãdi, teste Tullio, putantur longinquitate temporum innumerabilibus penè seculis consecuti, & ab his acceptum crediderim, quod Thrasybulo cuidã inter Iamidas, ita ab Iamo, cuius meminit Pindarus, appellatos, celeberrimo, statua est in Olympia posita, per cuius humerũ dextrum Mustela obreperet, & dissectus Canis exerto iecinore iuxtà iaceret. Quod vaticinij signum interpretor, cùm nonnulli tradant Thrasybulũ à Cane vaticinium excogitasse. Nam & Mustelæ cor linguę ieiuniæ suppositum, fatidicam mentem excitare ferunt Magi. Pausanias tamen ineõpertum sibi esse profitetur, quis primus è Cane vaticinia desumpserit, tametsi Thrasybulum scripsit solũ hoc aruspicinæ genere vsum, eiusq; rei coniecturã ex statua, quam in Olympia illi positã commemorauimus, desumi. Vt verò ad Prophetam reuertamur, Grego. Pont. cùm professores legum Sacerdotes appellari dicat, eosdem ait & Prophetas nonnunquam appellari consuetum esse, quòd talem animum gerere debeant, qualem superiùs in Cane descripsimus: id quod à pleríque minimè præstari idem his verbis lamentatur: *Sæpe nanque rectores impronidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem, neq; aquã gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorũ vice deseruiunt*, quia Lupo veniente fugiunt, *dum se sub silentio abscondunt*. Hos itaque per Prophetã Esaiam, Dominus increpat, *Canes mutos* eos appellans, *qui latrare nequeãt*. Ne verò quis in vates & sacerdotes calumniæ ansam ex eo capiat, quod D. Paulus ait, *Cauete canes, cauete malos operarios*; Ambrosius de marinis eo loco intelligendum ait, quorum omninò munus tantùm est, vt reliquum animantium genus deprædentur. Sed quàm horrenda sunt quæ ad Esaiæ increpationem addidit Ezechiel? *Fili hominis* (ait) *speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Quod quidem eò periculosius est, ait Hesychius, quòd ignauia hæc pluribus est nocumento: sacerdos enim negligens, aut ipse peccans, aut non vindicans in peccatoribus, illicit eos qui rudes sunt, ad similia, ideóque Legislator in Leuitico, peccatum ipsius sacerdotis, *Peccatum populi*, appellauit. *Leuit. 4.*

Prophetarũ munus.

CVSTODIA.

ID quod etiam ex Ambrosij sententia ad excubias pro salute dominorum refertur, deberéque nos, ait is, prõptuarium tenere verbum, ne quasi mutæ Canes cõmissam nobis fidei custodiam, quodam præuaricationis silentio deseruisse videamur. Hoc eodem significato Theologi accipiũt illud ex LXVIII. Psalmo: *Lingua Canum tuorum hostium intingetur sanguine*, vbi per Canes, Christi ædium sacrarum antistites interpretantur: hi siquidem parandi sunt in aduersarios, qui gregibus insidias meditantur, vt Oues ab omni hostium iniuria tutæ custodiantur. Quam propemodùm sententiam secutus Plato libro de Repub. II. vbi militem ciuitatis custodem informat: *Naturam*, ait, *generosi adolescentis, qui ad disciplinam huiusmodi educetur, nihil differre à generosi Canis ingenio, vtrumque ipsorum sagacem esse oportere, mansuetum erga suos, aduersus autẽ hostes immitem.* Nam ea est generosi Canis natura, vt erga familiares & notos sit mitissimus, aduersus verò alienos & ignotos ferocissimus, quos simulac viderit, ægrè ferre se indicat, etiam si nihil quicquam mali sit ab eis perpessus, sufficeréque ad inimicitias satis habet, si qui recens venerit, non fuerit è domesticis. Non absre igitur, qui D. Bernardi, viri de pietate Christiana optimè meriti, vitam scribunt, matrem eius aiunt prægnantem imaginatam in somniis esse, Catulum se candidum, dorso rutilum, & latrantem in vtero gestare, vnde illi à sapiente viro responsum, futuram eam optimi Catuli matrem, qui diuinarum ædium custodiam susciperet, latratúmque assiduum contra profanos & impios exerceret. Hinc etiam Canis comes, & viator Angelum comitatur, quem Raphaël in libro Prophetico non otiosè sibi & Tobiæ filio adiungendum putauit.

Bernardus Catulus cãdidus.

DII LARES.

EADEM ratione Canes apud Ethnicos Laribus præsides fuisse dicuntur, Deósque ipsos Romani ideò caninis pellibus induerant, quòd sicuti Canes mites mansuetíque sunt in domesticos, in alienos verò feri, formidolosíq;, ita & Lares, quibus totius familiæ cura credita esset, haberentur. Proditum sanè memoriæ est Iliados Mineruæ templum in Daulia fuisse, in quo Canes alerentur, qui Græcis tantùm aduentantibus se mites, mansuetos ac ludibundos offerrent: in barbaros verò feri, atroces ac indignabundi semper irruerent. Neque desunt hodie barbarorum nationes aliquot, quæ Canes hostium cadaueribus quoquo modo conquisitis alant, eosq; in prælia mox ducant; quibus in hostem immissis

Aesculapij simulacrū.

immissis fœdissimæ interdum stragis spectaculo perfruantur. Æsculapij simulacro, quod Epidaurī fuit, à Thrasimede Pario Arignoti filio elaboratū, Canis adsculptus assistebat, cùm Deus in throno sedens dextera baculum teneret, læuam supra Draconis caput porrigeret, cuius meminit Pausanias. Eius argumenti eam ait historiam fuisse, quòd Aesculapius in solitudine Titthei montis expositus ab auo Phlegya, cuius filiam Apollo clàm compressérat, à Capella alitus, & à Cane custoditus fuerit.

ARBITER GENIVSVE.

SED aliam Chrysippus rationē cur Lares Caninis tergoribus velarētur, attulisse dicitur, quippe quòd ipsi genios præseferunt, qui custodiæ nostræ ideò tanquam arbitri sint delegati, vt improbè factorum dictorúmque pœnam à nobis exigant, sceleráque & impietatem omnem vlciscantur, quotiens humanitate posthabita in brutorum vitam declinauerimus, quam ipsi genij, non secus ac sagacissimi Canes, insequantur, & ad merita supplicia pertrahant. Hoc ipsum Censorinus, multis aliorum opinionibus allatis demùm affirmat, esseq; genios ita assiduos nobis obseruatores appositos, vt ne puncto quidem temporis longiùs abscedant. Atque hi sunt, qui nos nōnunquam impellunt, sæpe reuocant, prout nunc salutaria, nunc pernicioſa appetierimus. Sed nostræ pietatis author, ne ab aliis hæc quæramus, Genios custodiæ nostræ appositos, & affirmauit, & Dei patris

Matth. 18.

faciem eos quotidie contueri cōmonuit. Meritò itaque Laribus (quando iidem & genij sunt, nos Angelos dicere maluimus) Canis vtpote tutelare animal hieroglyphicè dedicabatur. Sed nō sine

Vulcani tēplum.

piaculo videor mihi præterire posse quod apud veteres scriptores legi, Vulcani templum apud Aetnam Siciliæ montem fuisse, cuius locum incolerent Canes, qui castè piéque adeuntibus ad-

E

blandirentur, impuros verò pollutosq; rem quasi diuinitùs præsagientes miserabiliter lacerarent.

VESPILLO.

EX his itaque factum vt Ægyptij vespillonem, sacrorumq; tutelarem, æditúmque libitinarium per Canis effigiem indicarent, obseruato firmo illo immobilique obtutu, quo animal id ipsa Deorum hominúmque simulacra custodiæ suæ credita contemplatur. Nam cùm apud Aegyptios cadauera vitro condita, non adipe suillo, vt nonnulli sunt interpretando decepti, in longum tempus asseruarentur, erántque & libitinarij quibus curæ erat ea custodire, eò spectare crediderim Canem apud Maffæos Romæ, in pulcherrimi operis cippo humi iacentem, surrecto verò capite inscriptionem, quæ huiusmodi est, intuentem.

C. IVLIO VRBANO ET IVLIÆ OPTATÆ CONTVBERNALI, ET C. IVLIO VRBANO PECVLIARI FILIO POST, SVIS

GRATVS ANIMVS.

NEQVE tamen ignoro esse aliquos, qui huiusmodi hieroglyphicum, quo scilicet Canis vel simulacrum aliquod, vel conditum cadauer intueretur, hominem beneficij accepti memorem significare contendant. Canis porrò illos qui de se benemeriti fuerint nunquam obliuioni tradit, cuius rei paulò pòst mirifica quædam exempla subiiciemus.

MEMORIA.

VNDE & memoriæ simulacrum Canis est, quæ scilicet circa præterita versatur, & in Prudentiæ tricipitio, id sibi vult caninum caput, cùm Leoninum, intelligentiam, & præsentium considerationem, Lupi verò caput prouidentiam, ac perinde futura indicet, quod alibi diffusiùs

F

explicauimus. Socrates quoque tunc per Canem iurat in Phædro, cùm illam Lysiæ orationem memoriæ tradidisse firmiter arbitratur.

FIDES.

IN Phædone verò per Canem iurat, cùm putat fidem & obsequium præstandum iis, qui rerum habenas in ciuitatibus moderantur. Sanè C. Mamilij numus est, qui limitibus metandis S. C.

C. Mamilij numus.

præfectus aliquandiu fuit, in quo Canis ei videtur allatrare, eo quippe significato, vt fidem præstandam in primis admoneatur is, qui limitibus metandis S. C. præfectus aliquandiu fuit, in quo Canis ei videtur allatrare, eo quippe significato, vt fidem præstandam in primis admoneatur is, qui negotio eiusmodi præficitur.

AMICITIA.

EIVS verò fidei ratione habita, hieroglyphicum pro amicitia plerūque Canis ponitur, in qua quidē primùm fides expetitur ex Ciceronis & omniū sententia: mox animus, si vsu veniat, ad promerendū prōptissimus. Mirificè verò spectatur in Canibus illa officiosa adeò dominorū adulatio. At hìc mihi temperare nequeo quin amoris & fidei exempla quædam commemorem, quæ in

Fidei in Cane exempla.

ipsis Canibus elucescere plerunque comperiuntur. Nam Leutricas puellas tres à Spartanis iuuenibus quibusdam cōstupratas, mox occisas, & in puteum deiectas indicio Canis Scedaso patri peregrè aduenienti, & latratu & cursitatione ad puteum fuisse proditas, nunc dissimulabo, alia quædam maioris forsan admirationis repetiturus. Confosso enim intestinis bellis ciue Romano, aiunt non potuisse quempiam caput eius abscindere, vsquequò Canem, qui dominum custodiebat, proq;

eo fero

A eo ferociter pugnabat, ab instantibus interemptum summotumq; vidissent. Ambrosius refert, occiso Antiochiæ milite, Canem cadaueri comitem adstitisse, qui dum eiulatu mœsto rapti domini desiderium diu testaretur, ingentem hominum coronā ad fidelitatis spectaculum cōtraxerit, donec eo inspecto qui eędem patrauerat, in eum insilierit, tamq; diu prehensum cōtinuerit, donec re patefacta, percussor sit in supplicium raptus. Illud verò præcipua est admiratione dignum, quod ab Æliano traditum est, Colophonium quendam vnà cum seruo & Cane, mercatū in Ioniam concessisse ad vrbem Theon, cumq; seruus, qui pecunias ferebat, naturæ satisfacturus aliquantulum à via deflexisset, loculo humi depositō immemore abiisse, Canem ad eius custodiam perstitisse, donec illi re infecta, quòd pecuniæ non aderant, rediissent, Canemq; in eodem loco apud marsupium offendissent, qui quòd absque potu, cibóque diu perseuerauerat, ita reddito depositō expirauerit. Sed quid illud quod apud Plutarchum de Pyrrho fertur? nempè eū aliquando factum obuiam Cani, qui cadauer herile custodiebat, vbi triduum absque cibo permansérat: quod cùm Pyrrhus sepelire iussisset, Canem sibi diligenter curandum imperauit: euenit vt haud ita multò pòst Pyrrhus exercitum lustraret, assidebat regi Canis, tacitúsque quiescebat, cùm interim interfectores heri nomina daturi præstò fuerunt, exiliit statim Canis vbi eos adesse vidit, magnóque hostes latratu incessens ad Pyrrhum identidem respectabat, vt non illi solùm, verùm omnibus qui aderant facti suspicionem concitarit ingentem. Correpti igitur illi, minimísque quibusdam indiciis conquisiti, scelus confessi sunt, atque ita pœnas iussi pendere. Fuit & alter Pyrrhus ab rege illo, qui tantæ fidelitatis Canem habuit, vt cùm mortuus & in rogo positus esset, subsecutus itidem Canis in pyram sese coniecerit, & concremari pertinacissimè voluerit. Fuit & Polo histrioni

B

apud Græcos celeberrimo Canis, qui post impositum rogo dominum in eadem spontè se coniecerit flammas: & alius eodem quo saltator Theodorus sepulchro conditus fuerat, Catellus includi voluit. Iamq; & Eupolidis Poëtæ comici Canis Augeas nomine celebratur, qui mortuo sepultóque domino præ mœrore & ipse contabuit, erepti domini desiderio tandem extinctus.

PHILOSOPHIA COMMVNICATA.

HIEROGLYPHICVM & Cerberus argumentū habet: Græcorum enim nonnulli nō inconsultè forsan existimarunt, abstractum Herculis opera ex obscuris Erebi penetralibus tricipitem Cerberum, patefactam ab Heroë Philosophiam, quæ priùs in arcanis delitescebat, indicare. Ea verò vna ceruice contenta, tribus distinguitur capitibus, quorum vnum Rationi, Naturæ alterum, tertium Moribus inseruit. Vnde præter edomita tot monstra, Herculem ipsum ferunt sagittas in Iunonē iaculatū, & Plutonem etiam telo, vt Homerus inquit, trisulco sauciasse. Philosophus enim vir, dum solerti indagine sublimia quæq; perueſtigat, nactus aliquid captu dignū, mēte veluti pēnato quodā vtitur telo donec quicquid illud fuerit assequatur. Neque quidē locus vllus est, neque absessus tam remotus, tam abditus, tam inaccessus, quò non peruenerit Philosophia: terræ siquidem hæc penetralia perscrutatur, quod est Plutonē ipsum telo imperere, atque etiā ferire, hoc inquam est rerum naturā enanciſci, tot in orbe terrarum mōstra domitat, ferinos quippe mores componit, & ciuilibus, honestis & vtilibus lēgibus addicit: vt de Poëta Flaccus etiam ait:

Philosophorum doctrina.

-----Pectus præceptis format amicis,
Asperitatis & inuidiæ corrector & iræ.

Cœlum demùm inscendit, & inde quicquid rationi obnoxium esse potest aucupatur, cunctáque prospectat, & ad amussim omnia num recta sint explorat. Herculis ad hæc clauam, qua heros is

C

fuerit in domitandis monstris vsus, Philosophiam, monstra verò animi vitia significare interpretatur in Floridis Apuleius. Atque, vt ad Cerberum reuertar, sunt qui rem simpliciter accipiāt, caninis eum capitibus effictum à Poëtis, propterea quòd Tartareus custos habeatur. Historiā tamen Heccatæus Milesius super eo tradit, Serpentem in Tænaro fuisse, quem ea de causa Canem appellarint, quòd morsu esset admodùm lethifero, hominésque quos iciſſet, statim interficeret, eumq; ab Hercule deductum ad Euristhea. Sed hæc scriptorum semper fuit licentia, vt ex commodo quisque suo fabulas confingeret. Mihi autem magis arridet figmentum priùs positum, qui tam præclaros viros, tam eruditè rem ipsam interpretari videam.

ANVBIS.

ADDEMVS & Anubin Deum per Canis effigiem ab eisdem Aegyptiis figuratum, de quo veteres quidem historici prodidêre, vnà eum cum Osiride gigantes ex Italia pepulisse. Canino verò capite fuisse eum, ex eo commentum, quòd Isidis & Osiridis corpora custodierit, quod, vti dictum est superiùs, Canibus est admodùm peculiare, eáque de causa Canem galeis insculpi morem esse, quod in veterum numis compluſculis obseruaui.

ORIZON.

SED enim super Anubi Plutarchus longè eruditiùs rem perscrutatus, remotiora disciplinarū penetralia recludit, ac terminatorem in sphæram circulum per Anubin in fabulis, per Canem in scriptione sacra hieroglyphica significari tradit, quippe qui Nephthyn apud Aegyptios inferius hemisphærium esse contendit, Isin verò superius, lucidum hoc & diurnum, obscurum illud & nocturnum: vtriusque verò participem Anubin, qui & interdiu & noctu visu pariter fruatur. Eandem

dem enim vim apud Ægyptios Anubis habet, quam apud Græcos Hecate, cui supera & inferna dedicarunt. Nam cùm triceps effingeretur Hecate, vnum omninò caput Caninum, Equinum alterum, humana verò figura tertium adsculpebatur, quod tamen hispida & rusticana facie simulabant, cuius picturæ hieroglyphicíve causam in Equo latiùs enarrauimus.

DIANA. D

SATVRNVS.

SVNT qui per Anubin Saturnum interpretentur, quòd omnia ex sese pariat, atq; ita sit & luminis, & tenebrarum particeps: quia materia obscura est, forma verò conspicua. Qui fabulas de iis, quæ rerum initio facta fuerint ab Oromaze memorant, cœlo inquiunt & astris fabricatis custodem eum adhibitum, atq; hinc Canis figmentum excogitatum.

PRINCEPS.

E

PRÆTER ea quæ iam posita sunt de Cane significata, sacerdotes iidem Aegyptij, si Principem aut Legislatorem significare vellẽt, Canis hieroglyphicum cum diademate, siue fascia, vel amiculo faciebant, reliqua corporis facie nuda, propterea quòd veluti *leuisomna Canum*, vt cum Lucretio iocer, *fidò cum pectore corda* in Deorum simulacris diligenter obseruandis detinentur, sic etiam Princeps, qui iura sit daturus, Regem qui anteacto tempore claruerit nudum contẽplari debet, quidq; sibi velit ea fasciola, examinare, id quod omnium maximè Periclem Athenienſem factitare solitum perhibent. Quotiescunque enim is Magistratum aliquem inibat, ipsa honoris delati insignia, & vnũquodque gestamen pro concione alloquebatur, quid ea sibi vellent, qualem virum poscerent percontabatur, seq; mox ad personam quam induebat, strenuè decenterque gerendam abhortabatur, tanta omnium admiratione, vt non immeritò eum & tonitrus, & fulgura ciere prædicarẽt, apésque mel in os eius infantis coniecisse faterentur. Quòd verò fascia regium sit insigne, ostendimus commentario de Gestaminibus reliquis. Atqui Ptoëmphanes populi ex Africæ parte Canis non effigiem, pro Principe coluerunt, sed viuum ipsum pro rege sibi delegêre, cuius motum obseruabant ac ex eo quid faciundum, vbi standum, quò progrediendum, religiosissima quadam auguratione intelligebant.

Pericles Magistratũ inturus quid faciebat.

MILES.

ABSQVE fascia verò Canis, copula tamen religatus, non incongruum est sacramento addicti militis hieroglyphicum, copula scilicet obedientiæ iuramentum præ se fert, Canis verò ipse militis officium, quod præcipuum est, intentum esse ducis imperio, siue iter arripiendum, siue pugna ineunda sit, siue vbi receptui cani cœptum ad signa redire, quæ quidem obsequia à Canibus obseruari quotidie videmus. Quid verò illud, quòd si inter se Canes rixentur, offeraturq; fera æquè illis inuisa, facta statim inter se pace vnanimiter in feram conuertuntur? cuiusmodi decet milites esse, qui tametsi inter se aliquando dissideant, aduersus tamen communes hostes vnanimiter præliantur, cuiusmodi exemplum in L. Syllæ legionibus habemus, quæ cùm pernicioſa seditione furerent, efferatis Imperator annunciari iussit hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, atque ita discussa seditio est, vniuersis aduersus hostes animum intendentibus. Et Scorilus, vel vt alij, Cocis, seu vt alij, Cocio Dacarum Dux, cùm dissociatum bellis ciuilibus pop. Rom. intellexisset, neque tamen fortunam tentandam arbitraretur, metúne externo bello pax inter ciues conciliaretur, hortantibus suis, & acriter deposcentibus occasionem arripiendã, duos ille Canes in conspectu popularium commisit, iisque acerrimè inter se pugnantibus, mox Lupum emisit, quem protinus Canes, omissa inter se ira vno statim animo aggressi sunt, eóque exemplo Dux ipse continuit barbaros ne pugnam incepturent, temerario impetu Romanis profuturo. At ea quoque generositas animi requiritur in strenuo milite, ne is, vt super Ænea Virgil. neque auersos dignetur sternere morte, nec imbecilles prouocare bellatores, aut armatus inermes, aut viros fœminas, puerósve. Comperta est hæc eadem in Canibus animi magnitudo, velut in eis, quos Alexandro rex Albaniæ Macedoni dono misit: nam cùm ex duobus quos habebat vnum huic dedisset, exploraturus Alexander animalis vigorem, iussit Vrsos, mox Apros, & deinde Damas emitti, ille verò contemptu immobilis iacebat. Sed enim Alexander segnitie tanti corporis offensus, eum interim iussit, quod vbi Regi nunciatum, alterum misit, addito, ne in paruas belluas experiri vellet. Imperator itaque Leonem primò, móxque Elephantum induxit, quos Canis statim perire vellet. Imperator itaque Leonem primò, móxque Elephantum induxit, quos Canis statim strauit, cuius insignem pugnam Plinius accuratissimè descripsit XL. octaui libri capite.

Militũ vnanimitas.

MENAPII.

MINIME mirum igitur quòd in canone prouinciarum & militum, qui à Cõstantino vsque ad Theodosiũ, Honoriũ & inferiores plerosque alios sub Imperatore Romano militabant, clypeus habebatur, in quo luteus Canis in alba parma, cuius mediũ pelta rubra occupabat, hic verò

Canis

A Canis infernè positus sub ipsa pelta pedibus sursùm versis, erat is eius ordinis insigne, qui MENAPII dicti sub magistro militum per Thracas stipendia faciebant.

TERTIODECIMANI.

CANEM eodẽ gestu inuersum in altero clypeo vidi, sed qui cærulei coloris esset, parma identidem alba, cuius vmbilicus aureus, quem ruber circulus ambibat, ab altero densioris luti cęruleo ipse quoque circumscriptus, insigne hoc erat TERTIODECIMANORVM, qui eiusdem militiæ ordo fuit sub eodem magistro militum.

OBSEQVIVM.

ERAT & illud hieroglyphicum, quòd Ægyptij sacerdotes obsequiũ, & ad domini iussa nutúmve regressum significare si vellent, Canem conuerso in dorsum capite pingebant. Nullum porrò animal Cane magis est dicto parens, quem abeuntem facillimo vociferatu reuoces, etiamsi sit iamiam capturus prædam, increpitus intermittat, iussus insequi prouolet, eum denique quotiens erit libitum vltrò citróque verteris. Theologi nostri veteres dictum illud ex Ecclesiaste, *Melior est Canis viuus Leone mortuo*, ita interpretantur, vt obsequij istiusmodi rationem habuisse videantur: nam per Leonem mortuum, ait Eucherius, cacodæmonem intelligunt, de cuius salute nihil vlteriùs sperandum est: non enim potest ad pœnitentiam redire. Per Canem autem viuum, aberrantem quidem, & interdum contumacem hominem accipiunt, qui tametsi nonnunquam præuaricator fuerit & ceruicosus, ad ob-
B sequium tamen & meliora reduci potest. Et vt ad Canis morigeram admodùm ingenium reuertamur, libet ex Plutarcho memorabile obsequij facillimæq; docilitatis exemplum in animali huiusmodi recitare, idq; in theatro Marcelli, spectatore Vespasiano, editum Mimus eò quidã Canem introduxit omnibus ferè saltationibus eruditum, qui cùm ægritudinem postmodùm simularet, panem Mimus porrigebat, eo detracto pharmacum propinauit, mox is trementi similis cruciari, distorqueri, capitisq; grauedine laborare visus, demùm quasi mortuus concidere seq; exporrigere, permitteręq; vt quoquouersum traheretur, huc & illuc abiiceretur, vti fabulæ commentum exigebat. Opportunè autem cùm res poscęret sensim mouisse se tanquam è profundo aliquo somno concitatum, prosiliisse demùm, & signa quædam veluti lætitiæ & exhilarationis edidisse, atq; alia pleraque magna omnium admiratione collusisse. Hæc author ille testatur, qui nihil vnquam ineptè moliri deprehensus est. Sed quod pertinet ad obsequium erga dominum, habet hoc Canis commune cum Suibus, de quibus compertum ait Plinius, furto abactos, agnita voce suarij, mersо nauigio inclinatione lateris vnius, ad dominum remeasse.

Memorabile Canis obsequium.

ADVLATOR ET SCVRRA.

SVNT qui adulatorem, blandiloquum, & mordacem simul scurram, per Canis hieroglyphicum ostendant, quorum alter in obsequium plus æquo pronus, & alter quælibet in quemuis opprobria fingere sæuus. Diogenica hæc est interpretatio, ipsius de se testimonio. Nam is interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta Canis nomen vulgò sortitus esset: *Quia*, inquit, *dentibus blandior, non dentibus oblatro: malos etiam mordeo.* Quin & coniectores, vt apud Hebræos legi, eum qui per nocturnam quietem imaginatus sit Canem videre, obtrectatoribus obiectum fore præsagiunt. Alexander idem dum sibi lusum quærit, sportulam Diogeni ossium plenam dono misit. Accepit eam Cynicus
C & superaddidit: *Caninus hic quidem cibus, sed donum haudquaquàm regium.*

Diogenis scomma in Alexandrũ.

FAMES.

CANINAM quandam famem memorant, quam Græci βελιμίαν appellauêre, nos *Esuritionem* dicere possumus, vtcumque Dauides hanc eruditissimè tetigit Psalmo 58. vbi canit: *Conuertentur ad vesperam, & fame conficientur vt Canes, ciuitates hàc illàc peruagantes*, cùm futuram Iudęorũ mendicitatẽ præsagiret: nam & ipsum famis vocabulum frequẽter pro mendicitate vsurpatũ inuenias.

DESPICATVS.

IN Sacris literis plurimùm inuenias Canem pro re humili, abiecta & contemptibili positum. Quem sermonem ne quis Neapolitanorum tantùm esse putẽt, de Mephiboseta Ionathæ filio legimus, cùm insperatis à Dauide beneficijs affectus esset, & continuò mensæ Regiæ sodalitio dignatus, dixisse eum, humilitatem professus suam: *Ecquis ego sum seruus tuus, vt respiceres super Canem mortuum, cui ego sum similis?* Et Dauid ipse cùm Regem suum Saulem se hostiliter insectantem in manibus solum habuisset, chlamydis regiæ horam præcidisse contentus, subsecutus eum clamauit: *Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris.*

1. Reg. c. 24.

FVGA.

QVOD si fugam notare voluerimus, Canem identidẽ, sed subiecta inter crura cauda, figurabimus. Hieroglyphici causam nemo eorum quos in hoc argumento sequimur, explicauit. Figmentum ego à re ipsa dubio procul sumptum crediderim, vulgato in hæc tempora prouerbio, vt eum qui animum desponderat, vel ab incœpto propter ignauiã perculsus meticulosè desistat, subiicere eum inter crura caudã, obiiciamus. Quotiens enim Canes fugam arripiunt, prę metu abacti,

E

caudam inter crura subiiciunt. Quod cùm insigniter etiam in Lupo obseruatum sit, Maro elegan- D
tissimè rem ipsam descripsit, vt suo loco dictum est.

CLADIS PRÆSAGIVM.

IN Aruspicina memoriæ proditum est, huiusmodi gestum caudæ vtero subiectæ, in victimis quæ adolerentur futuræ cladis præsagium dedisse, obtorta verò si foret cauda, bellorum difficultatem portendere, vt apud Didymum legere est.

VICTORIÆ PRÆSAGIVM.

C. Posthumi numus.

ALITER autem cursum perciti, seu prædam insequantur, seu temerè lasciuiant, surrectam, aut exporrectam caudam habere solent, cuiusmodi effigies est in numo C. Posthumi, in quo cernere est currentem Canem, cauda ita vti dicebamus, sursum versùs incuruata, quod quidem in hostiis crematis obseruatum ex aruspicum disciplina futuræ victorię portentum erat. Sedenim in numo eo currentem Canem, celeritatem significare coniicimus ex iaculo, quod est infernè situm, vnde rem properâter confectam, victoriámve citò partã, si sequamur Aruspices, id indicabit.

IMPVRVS AMATOR.

SVNT etiam qui satis impuros amatores exprimant per simulacrum Canis, non ea tantùm de causa, quòd κύων, vt Eustathius interpretatur ἀπὸ τοῦ κύω, quod amare est, deducatur, sed quòd Lepores auidiori quodam affectu consectetur, quorum significatum inter æquitias improbiores reposuimus. Neque quidem Ouidius signatè magis Apollinis affectum incomparabilem exprimere potuisset, quàm luculentissima ea, quam ponit comparatione, his versibus decantata:

Apollinis affectus inauditus.

Vt Canis in vacuo Leporem cùm Gallicus aruo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem:
Alter inhæsuro similis iamiamq; tenere
Sperat, & extenso stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit comprensus, & ipsis
Morsibus eripitur tangentiaq; ora relinquit.
Sic Deus & Virgo est, hic spe celer, illa timore:
Qui tamen insequitur pennis adiutus Amoris
Ocyor est, requiemq; negat. E

LIENIS VITIA.

Rabiosi Canis virus contagiosum

HOMINEM qui aliquò splenis vitio affectus ægrè habeat, quæq; in vniuersum ad lienem attinent, Ægyptij sacerdotes per Canis hieroglyphicum significabant. Gracillimum enim ac tenuissimum lienem Canis habet, quòd si vel mors, vel rabies eum inuaserit, à splene est, quin etiam illi ipsi qui correptum rabie Canem medicare voluerint, morbum contrahunt, ac splenetica plurimum ea labe affecti pereunt, & qui Canem eo morbo laborantem dissecuerit, ea afflatus exhalatione, contagionis vim efficacissimam experitur. Vrina quoq; rabiosi Canis quomodocumq; caltata nocet, maximè vlcus aliquod habentibus. Quin huius lotio, etiam non rabidi, tam pernicioſa vis est, vt si quis in id suum coniecerit, ad generationem pigrior torpore lumborum fieri dicatur. Proinde rabido Cani contagiosum adeò virus inest, vt omnia rabiant, quę momorderit, excepto homine. Nam quæ illi accidit ex huiusmodi contagione lues, mania est, vt eruditissimi hac ætate viri disputant: nam & Festo rabies propriè morbus caninus est. Quod verò scribit Aristot. Canes ipsos interire morbo hoc, & quæ morsa sunt πλὴν ἀνθρώπου, nonnulli clari quidem viri ὁρῶν legunt, vt celeriùs, quàm homo intereant, exponant. Sedenim vt ea missa faciã, quæ hominibus à rabioso F Cane morsis accidisse longo pòst tempore Albertus & Auicenna prodidêre, legi apud Plutarch. rabiem in homine non fuisse cognitam discretámve ab aliis morbis Aristotelis tempestate, neque inde vsque ad Asclepiadem cuipiam innotuisse. Cæterùm hæc ipsi viderint clarissimi viri, qui rem enucleandam susceperê. Illud ego super hoc addam, vniuscuiusque Canis morsum tam perniciosum esse, vt ferant, eum qui semel fuerit à Cane læsus, pestilenti contagione Gallinarum incubitus, pecorum fœtus, & abortus interuentu suo vitiare, eiusq; introitu alterius vulnera aggrauari.

OLFACTVS.

Canis sagacitas.

SED vt ad Canis significata redeamus, olfactum Ægyptij sacerdotes per id animal inter alia significabant: nempe eum qui, quod priùs latuisset, indagine sua deprehendere, ex huiusmodi hieroglyphico intelligebant. Satis enim constat olfactum esse Cani præcipuum, de cuius sagacitate (eam enim præcipuè Canibus attribuit Cicero, & à sagire, quod acutè sentire est, deductum asserit) plurima passim videntur exempla. Dominum enim qui vel diutissimè abfuerit agnoscunt olfactu solo, & ignotum quoque si repentè veniat. Scrutantur in venatu vestigia atq; persequuntur, contantem ad feram inquisitorem loro retrahentes, etiam si aquam ea transilierit, & abditissimo quouis loco sese occultauerit. Illud sanè quotidianum in Canibus, præcipuè Gallicis, vt quem priùs numum alicui eorum ostenderis, abducíq; mox è conspectu Canem iusseris, ac sub aliquo tapete vel stragulo numum eum abdideris, introductus mox Canis ac numum inquirere iussus, olfactu solo freretus rem tibi quamprimùm deprehendat, latebrásque vbi numus erat absconditus, & latratu & exultatione significet.

RISVS

RISVS.

A

QVIA verò Canis circa lienem ea quę suprà memorauimus patitur, totaq; animalis vita inde pendere videtur, factum est vt Ægyptij sacerdotes quę super risu considerarent, per Canem identidem explicarent. Rarissimum enim vel difficillimum esse risum iis, quæ splene laborant, Medici tradunt, & ea est Canis prærogatiua, vt is à venatoribus maximè expetatur, qui facié magis, vt vulgò aiunt, melancholicam præ se ferat: signum enim id esse bonitatis aiunt, pernicioresq;, & in cursu perseuerantiores, qui tales sunt, esse prædicant. Apud Auicennam legas lienem ea ad se recipere & attrahere, quæ sanguinem benignum, clarum, copiosum & lucidum reddant, quem inde risus & hilaritatis causam authores esse putant, quippe quòd ex ita affecto sanguine spirituum excitetur multitudo, claritasq; animam exhilaret. Sedenim hoc vtcumque habeat, coniectores etiam, vt apud Artemidorum legere est, ex splene in somnis viso & risum, & voluptates augurantur, Canibus verò cùm lien & tenuis, & vitio maximè obnoxius sit, necesse itidē est eos hoc hilaritatis affectu aut nihil, aut parum moueri. Ab iis verò quę vel absunt, aut supra modū adsunt animali cuipiam, Ægyptij significationes suas comminiscebantur. Accidere verò facilè potest, vt alicuius hominis memoriis natura huiusmodi sit indicãda, vt in M. Crasso, qui ob id Agelastos vocitatus, vt in C. Lęlio, & in Socrate, quos eodem semper vultu eademq; fronte fuisse, proditum est.

Medicorum super risu opinio.

LEVITAS IN MORIBVS.

VERVM habet suum & risus ipse significatum. Interpres enim Apollonij risum leuitati signum esse dicit, vnde sapienter Isocrates importunum risum minimè amandum esse monuerit.

CVLTVS CANIS.

B

SANÈ aliæ quoque nationes, quanti animal id facerent, multis exemplis testatum reliquêre. Et Cyrum prædicant, Cyrum illum, inquam, omni laude maiorem, à cane nutritum suorum omnium asseueratione, siue studiosè conficta fabula fuerit, quò venerabilior haberetur. Quippe apud Romanos etiam in magno fuêre cultu, licet à Capitolij proditione eos in crucem rapere sit cœptum. Annuo enim supplicio inter ædem Iuuentutis & Summani, viui in furcas arbore sambucea figebantur, quòd eorum negligentia iactura ea facta videretur. Alioqui genito mane Catulo res diuina hostiarum vice fieri solita, adeò puros eos ad cibum existimabant, adeoq; numinibus placandis idoneos, fuisseq; olim celebriores epulas catulina appositas, nostrorum scriptorum testimonio satis exploratum, & apud Plautum etiam factam huius rei mentionem inuenias Saturione.

Cyrus à Cane nutritus.

QVIBVS DIIS CANES SACRI.

QVIBVS verò Numinibus Canes donarentur, dicere non pigeat. Siquidem Romani eos Genetię, Græci Proserpinę mactabant, vulgò verò Lupercalibus, quæ Romani in Panos Lycæi venerationem celebrabant, Canem immolabant, quoniam natura ipsa Lupis Canes aduersarentur. Alij cœptum hoc in Romuli gratiam factitari tradunt, vti constans fama est eum à Lupa nutritum. Sacra tamen hæc primùm ab Euandro instituta nonnulli asserunt, Maroniano præcipuè versu freti,

Euander gelida monstrat sub rupe Lupercal
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Cæterùm apud Argiuos Cyoniæ Deę propter partus facilitatem sacri erant. Sed animaduertendum est, plerisq; locis Cyoniæ vocabulum corruptum esse scriptorum negligentia, qui Lyoniam fecêre, vel quòd arbitrati sunt à soluendi partum facilitate vocabulum conformatum. Apud Lace-
C dæmonios Marti Canis propter audaciam & inuadendi promptitudinem offerebatur: eorum enim ephebi inter se certaturi, priusquàm certamen inirent, Canis catulum illi Deo, vtpotè fortissimo, victimam ex cicuribus validissimam offerre se arbitrabantur. Ex aliis Græcis nemo, vt Pausanias ait, præter Colophonios, talibus sunt operati: hi enim Catellam nigram Triuiæ sacrificabant. Et Caribus mos fuit Canem immolare, vnde κρεῖον δῶμα. Erant & Canaria apud Romanos auspicia, quibus apud Gatulariam portam rutilæ Canes, non procul scilicet à rubro colore, sacrificabantur, vti ait Atteius Capio, cùm pro frugibus contra vredines atque sæuitiam Caniculæ sideris faciebant. De sacrificio huiusmodi Ouid. Fastorum 4.

Canaria quid.

Pro Cane sidereo Canis hic imponitur aris,
Et quare fiat nil nisi nomen habet.

Plerique tamen ideò factum dicunt, vt flauescentes fruges ad maturitatem perducerentur. Sidus enim Caniculæ frugibus est admodùm inimicum. Non ignoramus autem Thracas cùm alibi, tum præcipuè in Zerintho Samothraciæ antro, nihil ferè libentiùs immolare, & epulari solitos, quàm Canem, memorabili Euripidis nece, qui propter mactatum ab eo Canem, (vt nonnulli aiunt,) ab Archelai Canibus interceptus, miserrimè laceratus est. Quamuis alij dicunt Arridei Macedonis & Craterę Thessali inuidorum opera, quòd gratia plurimùm polleret apud regem, Canes eas immissas fuisse, corrupto pecunia Lysimacho, earum curatore.

IMPVDENTIA.

NAM id quoque Canis est significatum, eáq; de causa apud Homerum Helena se Canem accusat, quòd abominanda tot malorum causa atque author fuerit, ita Hectorem allocuta

D

ὅτερ ἐμοῖο κυνὸς κεκομηκότα θηρευτῆος. Apud eundem Agamemnon quoque accusatus ab Achille κυνὸς ὄμματ' ἔχειν. Nam, vt apud Pollucem legimus, Canis oculum habere dicitur is, qui nimio plus impudens est, cui si etiam importunitatem adiecceris, Homeri eiusdem κυνόμυιαν feceris pro impudentissimo, Muscę scilicet & Canis ingenio copulato. Cynomyiam Euthymius syluestris Muscæ genus agnoscit, quod inter cætera Muscarum genera est impudētissimum, de qua Psal. 77. quamquam super hac alibi. Hanc Catullus impudentiam expressit, vbi Æmen codicillos reddere pernegantem Canem censet appellandam. Et Mathematici impudentē litigatorem ostensuri, duobus Zodiaci locis Canino capite hominem statuunt, secundo quippe Arietis gradu, & Capricorni XVII. Sed nos hîc de ea loquimur impudentia, qua quis fretus, pro iustitia vel pietate audeat vnumquemq; vel ex potentioribus hominem erroris admonere, vel impuritatis arguere, dūmodò spes profectus affulgeat, nec importuna temeritas in vitiū prolabatur.

PETVLANTES IVNIORES.

NON præteribo hîc militarem ordinem eorum, qui PETVLANTES IVNIORES appellabantur sub magistro militum per Illyricum: ij enim, vt assumptum nomen hieroglyphica pictura testarentur, Canem luteum in rubra parma præferebant, in cuius medio orbis erat coloris lutei Canis, supernè pedibus, quoad fieri poterat, exporrectis. Sanè quidem, vt veterum quorundam est interpretatio, in Diuinis literis Romani milites, qui Pilato præsidi adsistebant, Canes vocitantur, vti Psal. 21. *Circundederunt me Canes multi*, quippe qui secundum legem immundi censerentur, atque admodùm etiam impudentes essent, conspuendo sacrosanctam Domini faciem, caput eius arundine percutiendo, coronam spineam affigendo, & omni opprobrij genere cœli Regem deludendo, vti eius ministerij mortales penè omnes. Eoq; Theologi trahunt Domini dictum in Euangelio: *Non decere sumptum de filiorum manibus panem dare Canibus.* Quæ quidem notæ si à Canino genere elui possent, nihil ferè inter animalia rationis expertia Cane venerabilius haberetur, vt qui non ciuitates modò sibi honori positas habuerint, quod ab Alexandro Magno factum esse, amissa Cane Pertha nomine, Theopompus ait, verùm etiam longè maiora præconia monumentáque secundum Ægyptios ritus omninò meruisse videantur.

Pilati Canes.

E

PIERIVS VALERIANVS
AD CÆLIVM CALCAGNINVM,
DE IIS QVÆ PER CYNOCEPHALVM,
Simiam, & id genus reliqua, significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER VI.

F

VCVNDISSIMVM *illud hospitium, quod mihi apud te per duas continuas hebdomadas Ferrariæ fuit, effecit vt ea omnia incommoda, quæ perpessus eram, iacturasq; omnes, quas in tanta rerum conuersione feceram, inciperem obliuiscì. Nam cùm tu me Romana clade perterrefactum, neque non Florentinæ vrbis, atque adeò totius Italiæ turbationes & motus fugientem, otij tandem cupidum in patriam meme recipere festinantem, iungere iter iussisses, & apud te dies aliquot commorari, inuitatis quotidie viris literatura præstantibus, magnam mœrori meo consolationem adhibuisti, suauissimisq; illorum sermonibus ægritudinis totius acerbitatem deliniuisti, præcipuè verò eruditissimo Manardo illo tuo sæpiùs vocato. Ea demùm fuit vtriusq; humanitas, vt nunquam apud quempiam aliàs hilariùs acceptum me meminerim, ita vterque vestris me lucubrationibus certatim oblectare contendebatis: tu, dum remotissima quæque profundissimæ eruditionis arcana, apud authores veteres delitescentia, è tenebris eruebas; ille, dum Medicinæ Philosophiæq; loca pleraque, abstrusosq; sensus, & longa annorum serie ad hunc vsque diem ignorata, multis ægritudinibus remedia luci dare adnitebatur. Hinc factum, vt ego à vobis tali refectus cibo, cùm primùm ad Aegyptiaca mea Commentaria datus est reditus, vestræ memor liberalitatis, qui me nullo laborum vestrorum fructu fraudare voluistis, statim cogitarim amicitiam tam honesta de causa olim vobiscum initam, aliquo testimonio comprobare. Atque ita Cynocephali Aegyptiaci Commentarium (id enim ob varietatem ipsum præcipuè placuit) nomini tuo nuncupaui. Argumentum quidem, nisi me studiorum meorum ratio fallit, fortè non indignum, quod tu tantæ vir eruditionis euoluas, quo in legendo, tametsi nihil tibi lectionum omnium helluoni nouum occurrerit, saltem vt meæ erga te beneuolentiæ signum sit atque monumentum, opto.*

NAM

A NAM Cynocephali, quem Latinè *Canicipitem* interpretabimur, hieroglyphica, tum multa sunt, tum eo nullum apud Ægyptios sanctius animal, neque sacratius fuit. Eadem penè forma est, qua caudata Simia, & propter eam similitudinem ipse quoque, *Cercopithecus* appellatur. Sedenim noster is corporatura maior, validior, efferatiorq; est facie caninæ similior, vnde & nomen apud Græcos accepit: quamuis multa in hoc genere sunt, quę humanam potiùs faciem quàm caninam referunt, facileq; apud nos mira mansuescunt cicuratione. Cynocephalorum, de quibus hîc agimus, lacte & Numidæ & Menismni viuunt armentis ex eo genere comparatis, maribus præter sobolis causam interemptis: quod ideò dictum volui, nequis Cynocephalum hunc, de quo dicturi sumus, accipiat, vt multi perperā, pro genere illo hominum, quod & Megasthenes, & plerique alij prodidêre, capitibus esse canınis, pro voce latratum edere, ferarum pellibus velari, anguibus venatu & aucupio vesci. Nam, vt optimè nosti, agrestes homines huiusmodi Pausanias ab Euphemo quodam ex Caria oriundo visos tradit in insulis Oceani, qua tempestate delatus fuerit, quum in Italiam nauigaret.

Cynocephali descriptio

LVNA.

CVMPRIMIS autem Cynocephalus Lunæ erat hieroglyphicum, propterea quòd animal id pari quodam afficitur consensu cum Lunæ coitu. Nam ipsa eadem hora qua Luna, nullo illuminata candore soli coniuncta transit, nobisq; videtur penitùs euanuisse, Cynocephalus mas ipse quoq; visu deficere comperitur, neque interim cibum capit, sed humi procumbens ægrè
B habet, quasi Lunæ raptum ingemiscat. Fœmina verò præter id quòd ea quoque luminibus capitur, & cum mari pari afficitur ægritudine, sanguinem insuper egerit è natura. Quapropter alebantur in templis Cynocephali, ob id potissimùm, vt Solis & Lunę coitus exploratissimè deprehenderetur. Hinc Cornelius tradit Simias tristes Luna caua, nam affectus idem omninò in id genus omne diffunditur, quamquam in Cynocephalis & maior & exploratior est.

Visus defectus in Cynocephalo.

LVNÆ ORTVS. ADORATIO.

APVD eosdem Ægyptios sacerdotes Cynocephalus stans Lunæ ortum significabat, ad eam speciem addebant, vt manus in cœlum sublatas haberet, & diadema regium capite gestaret, propterea quòd, vt dicebamus, Cynocephalus valdè solicitus est super ortu Lunæ, qua caua angore afficiatur, prorsusq; cæcutiat. Simulac igitur ea cœperit illucescere, & ipse visus particeps fieri, quasi Deo agat eo gestu gratias, & sacerdotij ornatu quodam instructus indeptam vtrique lucem gratuletur, eo quo diximus hieroglyphico figuratur. Ideò verò stantem pingi voluêre, quòd stare conueniat adoranti, quem morem fuisse etiam apud Romanos, indicat Val. Martialis in Epigramm.

Cynocephalus erectus adorationis hieroglyphicum.

Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus vsque in vngues *Aethon.*

C Porrò adorandæ nouæ Lunæ morem, & manus in prece sustollendi, Horatius attigit Ode illa:

Cœlo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna rustica Phidile,
Si thure placaris & horna
Fruge Lares, auidáque porca.

Quinetiam Virgil. statum & sublatas in cœlum manus esse adorationis indicium ostendit, vbi Anchisen inducit obseruato augurali portento illo, quo flamma caput Ascanij corripuerat, mollesq; comas tactu innoxia lambere visa fuerat: is namque,

------ Oculos ad sidera lętus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit.

Et cùm mox in attestationem intonuisset, & delapsa cœlo stella per vmbras facem ducens multa cum luce cucurrisset, signaretq; vias, tum longo limite sulcus lucem daret, & latè circùm loca

Sulphure fumarent, genitor se tollit in auras,
Affaturq; Deos, & sanctum sidus adorat.

Status porrò Philoni inconuertibilis mentis indicium est, ac sese Deo applicantis, qui nulla præditus vacillitate, stabilis firmusq; permanens, vt cuncta moueantur author est. Videre est in argenteo quodam numo, quem bene literatus adolescens Prosper Publicola Sancrutius mihi Romę videndum dedit, huius argumenti simulacrum cum inscriptione, VOT. PVB. quæ suscepta sunt in gratiam IMP. CÆS. TRAIANI HADRIANI AVG. Proditum autem est, stantes Ioui sacrificasse, votaq; & preces allegasse, sed cùm Opi rem sacram faciebant, illiq; supplicabant, votáve

Adorandi cur stare conueniat.

concipiebant, sedētes id facere solitos, eo scilicet signo eam esse terram matrem indicantes. Sed enim Pythagoras proprio dogmate adoraturos sedere iubet, quamuis Plutarc. vsurpatum à Numa dicit, vt hinc colligamus, vota rata firmaq; esse debere. Quod verò ad statum pertinet, magister noster Paulus Apostolus toties standum admonet, dum dicit: *State ergo, neque velitis iterum summittere vos iugo seruitutis, & illi semper inhærere.* Atque alibi: *State conuersi ad Dominum.* & alibi: *Quoniam tunc viuimus, si statis ad Dominum conuersi.* Et in Gedeonis militia exauthorantur illi, qui ad aquam ducti flexêre genua, & in terram procidêre, qui verò stantes accepta in manum aqua eam lambere obseruati sunt, ad pugnam delecti rem fortiter gesserunt. Quinetiam in Nicæno Concilio statutum legas, vt die Dominica, & diebus Pentecostes, stantes ad orationem Domino vota reddamus, alia verò ratione ab ipso Resurrectionis Dominicæ die vsque ad certos dies, de quibus dicere nostri non est instituti: nam toto anno plures essent colligendi, idq; importunum videretur. De sustollendis verò manibus loco suo, in manuum Commentario, plura.

D

ÆQVINOCTIA.

AEQVINOCTIVM vtrumque Ægyptij sacerdotes ἱερογλυφικῶς scribere si vellent, Cynocephalum sedentem effingebant, causam eam secuti, quòd animal id vtriusq; æquinoctij tempore duodecies, per horas quippe diei singulas, ac duabus itidem noctibus eiusmodi, potus excrementa profundit: vnde non absurdè factum, vt sedentem Cynocephalum in fontium apicibus statuant, quasi iugem & perennem aquam ex eo sibi cōciliari arbitrentur. Adhæc, in his ipsis temporum cardinibus Cynocephalus duodecies, horis quippe singulis quanto potest argutiore vlulatu vociferatur. Etenim horarum obseruandarum ratio Clepsydris priùs excogitata est, quarum præcipuus vsus in vrbe Achanta trans Nilum fuit, vbi inter alia vas admodùm ingens erat, in quod singulis diebus sacerdotes singuli numero trecenti & sexaginta, ad anni scilicet rationem qui apud eos habebatur, subductis intercalaribus quinque, de quibus in Vulture satis dictum est, aquam ex Nilo deferebant, quæ suo emissa cauo per eius generis horologium horas indicaret, inuentum est posteà tum vocis, tū sonori tympani significatione, more Cynocephali eas discernere. Mos autem, vti dictum est nuper, erat apud Ægyptios, vt in horologiis aqueis Cynocephalum adsculperent, ex pene cuius fistulato aqua destillaret, ea adhibita diligentia, vt quantum satis esset immitteretur, néve cauum nimis arctum, neque nimis patens esset, hoc nimis celerem effusionem, illo strangulationem sæpius efficiente. Ex iis verò quæ suprà posita sunt datur intelligi, quódnam sit animantium id genus, quod nullo expresso nomine Victorinus Rhetor memorat eo loco, vbi M. Tullius in Rhetoricis temporis finitionem quærit. Ait enim is, Trismegistum, quum in Ægypto esset, sacrum quoddam animal Serapidi dicatum duodecies toto die vrinam facere obseruasse, idq; pari semper interposito tempore, vnde ipse diem per duodecim horas dimensum esse coniecerit, exindeq; hunc horarum numerum constitutum, quamquam sunt qui velint ex cœli dimensione, quæ secundum musicam rationem in duodecim partes diuisa fertur, horas itidem duodecim adinuentas. Astronomi enim diem & noctem, quotquot alteruter horarum nostrarum fuerit, in horas ipsi suas XII. singulos partiuntur. Aquam porrò maiores nostri, quantum per totum diem sufficeret, exceperunt tenuissimo cauo diffluentem, eaq; in duodecim partes diuisa, ex partibus horarum numerum statuerunt.

Vsus Clepsydrarum vbi primùm.

E

QVIES.

QVANTVM verò pertinet ad sessum, sessus, vt Iamblichus ad Porphyr. scribit, quietis indicium esse videtur, de quo plura inter arbores disseruimus, vbi Deum in loto sedentē ab antiquis, idq; ex Nasamonum instituto, pingi solitum, & qua causa declarauimus. In æquinoctiis verò illa vtriusq; temporis æquè dimensi paritas, quietis cuiusdam indicium haberi potest, cùm nihil subsultet, quod alterutram partem inquietet, vtraque verò firma stabilisq; in æquilibrio conquiescat.

F

LITERÆ.

LITERAS quoque per Cynocephali simulacrum intelligebāt Ægyptij, quia quoddam eorum genus eas callere existimabant, seq; illis ob literarum cognitionem cognatos esse: simulac enim Cynocephalus in templū inductus erat, eorum ritu educandus colenduscq;, sacerdos illi albiolum, calamum & sepiam apponebat, exploraturus an ex eo genere esset quod in cultum recipi deberet, quippe si quid scribendo cognationem suam approbasset, ea de causa Mercurio sacer erat, qui literarum omnium author habebatur. Ex quo iam credere possumus, Simiam olim latrunculis ludere didicisse, & Elephantum literarum Græcarum doctum in pulucre scriptitasse, Muremq;, quod pro comperto Albertus ponit, in conuiuiis candela discumbētibus prætenta, daduchi ministerium præstitisse. Mira hæc fortasse videantur iis, qui sententiam Anaxagoræ probant, animalia omnia ab homine rationem habere dumtaxat actiuam, passiuam autem, vt ita dicam, & tanquam mentem quámq; mentis interpretem dicunt, nunquam habere. Sedenim & Pythagoras & Plato asserere videntur rationis

Mus in conuiuio.

A tionis participes animas esse, vel eorum animantium quæ vulgò rationis expertia vocētur, tametsi ratione non vtantur, tum propter incongruam ineptamq; corporum cōpaginem, tum verò quòd differendi facultate careant, vt in Simiis & id genus aliis humani cuiuscunque ferè operis imitatricibus est cernere. Quinimò Diogenes his etiā intelligentiæ aërisq; participatum impertit, quæ vt magis minúsve sint humanæ figuræ similia, ita magis minúsve intelligant. Econuersò autem, vt apud Aristotelem & Physiognomos alios habetur, ita mores in humana perpēdimus natura, prout effigies, ipsaq; corporis species ad brutorum aliquod refertur, vtpote Asinina labia, crassa quippe prominentiaq;, tarditatem & stuporem ingenij, Caninas maxillas iracundiam simul & fidelitatem, hispidam angustámq; frontem, quippe Suillam, impuritatem morum, indocilitatémque hominis indicare, atque ita ferè singulis in articulis ingenium nostrum ad brutorum similitudinem explorari. Pari igitur ratione Cynocephali, Simiarúmque genus omne, quorum bona pars mira quadam similitudine faciem humanam, pedes autem & manus omninò referunt, humano itidem sensui & operationi, artibusq; propinquiora sunt, & propemodū intelligere nobiscū pariter iudicantur. Non præteribo hîc, quod ad hanc pertinet similitudinem, quod Galenus in aggressionibus Anatomicis, ait se multas Simias & Cynocephalos dissecasse, si humani corporis copia nō affuisset, miramq; in iis similitudinē cū humano corpore deprehēdisse, quare Ennius rectè admodū scribit,

Per Brutorū aliquod, hominum mores significantur.

Simia quàm similis turpissima bestia nobis.

Sed esto similitudo hæc ingenij causa. Quid hi super Elephanto dicturi sunt, quo quid brutum magis, & ab humana figura diuersius? Ei tamen beluæ esse quandam cum genere humano societatem, M. Tullius in Epistolis, ex confirmata hominum opinione, non negat.

VNDE BRVTORVM CVLTVS APVD ÆGYPTIOS.

B ALI verò colíque animalia, quæ rationis expertia dictamus, sunt qui ab Iside tradant institutum, quæ honorem hunc coniugi, eidémque fratri Osiridi præstandum induxerit, magna agrorum parte sacrificulis adiudicata, moremq; fuisse initio, vt quæ quisque vellet animalia in hūc vsum aleret, quibus vita functis, tāquam Osiris occubuisset, luctum instaurabant. Cæterùm posteà delectum habitum & Cynocephalo in primis honorem attributum propter excellentē quandam, vt rerum periti asserunt, animalis istius naturam humano propemodùm generi proximā, vt verò profani putant, quippe qui rerum historias ex vulgo mutuantur, factū aiunt, propterea quòd Osiris huiusmodi Satyrorum genere sit plurimùm delectatus, vti nostro etiam tempore vanissimi plerique faciunt. At Romanis etiam id nequitiæ genus in vsu fuit. Quare nebulonem Vedium luxuriæ carpit Cicero, quòd sibi obuiā factus cum duobus essedis & rheda equis iuncta & lectica, quodq; in essedo haberet Cynocephalum, neque deessent etiam Onagri, quare nunquam hominem nequiorem autumat se vidisse. Quin verò & Satyros eos appellatos cōstat. Magna horum vis in subsolanis Indorum montibus, quæ Cartadulorū dicitur regio, humana propemodùm effigie, tamq; quadrupedes quàm rectè currentes, tantæ pernicitatis in cursu, vt propter velocitatem non nisi senes aut ægri capiantur. Atque hinc ridiculum illud Alexandri Magni militibus obuenit, qui loco quodam per Indiam faciētes iter, Cercopithecos adeò multos insigníque magnitudine conspicati, qui ad exercitus similitudinem, quem infernè sub signis progredi obseruabant, ordines & ipsi seruare videbantur, in eos velut in hostes montium iuga insidentes impetum fecerunt, suíque erroris admoniti à locorum peritis, non sine rubore arma inhibuerunt.

Vedius à Cicerone cur reprehēsus.

SACERDOS.

C SED vt ad hieroglyphica redeamus, sacerdotem etiam hieroglyphicè per Cynocephalum Ægyptij significabāt, propterea quòd aiunt animal id neque pisce, neque pane ex piscibus confecto vesci, quali Oritæ plurimùm vtuntur. Indorū ea gens, qui nullum alium cibum nouêre, quàm piscium, quos vnguibus dissectos sole torrent, atque inde panem ex his faciunt, vt Clitarchus memoriæ prodidit. Veluti tres apud Babylonios familiæ olim fuêre, quæ nullo alio cibo victitabant, quàm piscibus arefactis & pistillo tusis, ac demum in offas coactis, veluti pane, cuiusmodi religio in Christianæ quoque pietatis collegia quædam emanauit, quæ perpetuam carnium abstinentiam sibi constituerunt, quod tamen apud eos honestiori de causa & longè maioribus argumentis institutum, externi tamen sacerdotes & pisce, & huiusmodi etiam pane vescebantur, quo Aegyptij tantùm abstinebant, piscémque hi demùm omnem, vt Commentario suo dictum, religiosè admodùm abhorrebant, cáque potissimùm de causa, tanto Cynocephalum cultu prosequebantur, in quo suæ religionis timorem obseruarent.

Carnium abstinentia.

CIRCVNCISIO.

CVMQVE circuncisionis ritum Aegyptij suscepissent, animaduertissentq; canicipites hos circuncisos nasci, rati, nō temerè, sed diuinitùs ei animātium generi id obtigisse, maiori eos habuêre veneratione, vnam eandemq; cognationem cum illis omninò profitentes. Circūcidere verò

Circumcisionis Aegyptiorũ antiquus mos.

antiquissimum fuisse Ægyptiorum institutum, ab eisq; ritum sumpsisse Iudæos, Diodorus fabulatur, quem secuti scriptores quidam alij, propriũ hoc, & vetus Aegyptiorum arbitrati sunt, quem morem Colchi, vtpote Aegyptiorum coloni, neque non Hebræi apud eos educati posteà tenuerint. Sed eorum hæc est fabula, qui Diuinarum literarum historiam tam lõga annorum serie apud populos nationésque omnes receptam obscurare conati sunt, cui tamen & Strabo & Cornelius Tacitus subscribunt, qui circumcidere genitalia Iudæorum institutum asseuerant. Sed enim qui veterum monumenta studiosiùs perscrutantur, Abrahamum norunt signum populo suo dedisse circuncisionem, qua sui ab Aegyptiis distinguerentur. Non igitur diceret Irenæus, ad similitudinem Cynocephali circuncidebant Aegyptij, sed ab Hebræis ritum hunc Aegyptiorum natio magna ex parte suscepit, quæ virum illum per annos multos in Aegypto degentem, & de diuinis assiduè disserentem admirata est, pluribus & veteribus & nouis scriptoribus id asserentibus. Sed fac nihil horum inueniri, validius id mihi argumentum est, quod ex historia desumitur, mutilandorum genitalium legem antiquis temporibus popularem apud Aegyptios non fuisse, cuius rei Pharaonis filiam testem appello locupletissimam, quæ cùm in ripa profluentis fluuij Mosem comperisset, cuestigiò circuncisum agnouit, & fœtum gentis Hebraicæ nuncupauit. Quòd si circuncidendi mos Aegyptiorum itidem fuisset, quínam ex hoc signo in cognitionem eam deuenire potuerit? Ex quo illud etiam suspicari licet, non omnium Ægyptiorum institutum fuisse mutilationem huiusmodi, sed sacerdotum tantùm, vt à prophanis secernerentur, quod apud Hebræos semper populariter obseruatum est. Notum illud est, Iudæos olim contra Hadrianum mouisse bellum, qui ne mutilarentur genitalia vetare voluerit.

CORDIS APERTA SIMPLICITAS.

Circũcisionis mystica significatio.

DE mysterij autem ratione varia traduntur ab authoribus penè omnibus, sed præcipuè quidem nihil præter obscœnorum munditiam ea re quæsitum existimant. Alij figurã eam fuisse aiunt, sed quam ne ipsi quidem Hebræi satis intellexerint. Non desunt qui id insigne ob eam causam genti inditum putent, quo numerosa illa progenies cœlitùs Abrahamo promissa, à cæteris esset gentibus discreta. Antiqui omnes Theologi, ex hoc, circuncidendi cordis figuram & typum asserunt, quòd ea pars quæ circunciditur, similitudinem quandam habeat cordis, iussisse verò Deum vt ea nudaretur, quò ostenderet, aperto & simplici corde oportere nos viuere, vtpote quæ in ea corporis parte, quæ omnium ferè gentium ritu pudoréque velari solet, instituta sit, quia secretioris illius circuncisionis, quæ in corde fieri debet, indicium fuit. *Circuncisi enim sumus*, inquit Apostolus, *circuncisione non manu facta.* Nam & Prophetæ identidem clamant: *Circuncidite duritiam cordis vestri.* Declamant super hoc Lactantius, Eucherius, Irenæus, Græci Latiniq; omnes. *Nam illa*, inquiunt, *carnis mutilatio in Iudæis, nisi significaret cordis circuncisionem, careret vtique ratione, quia si Deus id vellet tantùm, à principio sic hominem formasset, vt præputium non haberet.* Quæ verò super hac re multa admodùm magister noster Paulus senserit, cùm sint quotidie in piorum manibus, & publicè recitentur, superuacaneum ea repetere iudicaui, idq; sat fuerit monuisse, Origenem Adamantium super hoc legendum epistola ad Romanos cap. 2. lib. 2. & alibi passim, ita tamen, ne Chrysostomum, Basilium, & ex nostris neminem prætereamus.

IRACVNDIA.

ADHÆC Ægyptij sacerdotes iracundiam per Cynocephalum indicabant. Est enim Cynocephalus ante omnia animalia iracundus, indignabundusq;, de quo id dici potest quod de Pane Theocritus,

Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. quasi dicamus,

Semper acerba illi pro naribus ασidet ira.

Nam omninò & Panes & Satyros & Sphingas & Simias & Cynocephalos idem propemodùm genus, diuersis tamen inter se distinctum speciebus, authores ponunt. Nascuntur verò Sphinges apud Troglodytas Aethiopes, forma haud ei dissimili qua pinguntur, fusco pilo, mammis in pectore geminis, monstro similes, sunt etiam paulò pinguiores, naturam habent in cicurationem admodùm procliuem, pluribus exercitiis disciplinísque aptam. Albertus quoque inter Simiarum genera Sphingem agnoscit, insignem duabus in maxilla maculis nigricantibus, cauda coloris itidem subnigri & oblonga. Harum ego vnam Veronæ cùm essem, vidi, mammis illis & glabris & candidis à pectore propendentibus, circumducebat eam circulator quidam Gallus, ex ignotis anteà insulis recèns aduectam. Ostentabat idem cuniculos nostris quadruplo maiores, mira quippe corporis obesitate distentos, & quod, nisi quis viderit, credere vix queat, præditos quaternis singulos genitalibus, humanorum digitorum instar & similitudine cohærentibus. Ipsa verò Sphinx toto erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus, dorso hispido supra modum, fusco & oblongo admodùm pilo, eóque densissimo. Rector læuum brachium quo catenam, cui erat alligata, regebat, ferrea manica obarmatum habebat, dextra baculum gerebat, quem in faciem animalis identidem prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare interdum & obgannire faciebat, multámque hinc à spectatoribus stipem aucupabatur.

Sphinx.

Cuniculi ex ignotis insulis.

ARCA

ARCANA TEGENDA.

PORRÒ Sphinges in Aegyptiorum templis hieroglyphicè admonent mystica dogmata, præceptáque & institutiones sacras per ænigmatum modos à profana procul multitudine inuiolata custodiri debere, & in arcanis tantùm tractari, cuius ergò taciturnitatis effigie huius tabellas & literas signare diu delectatus est Octauianus Augustus, quam posteà repudiauit, vsus inde, felicis ominis causa, Alexandri imagine.

INGENII ACVMEN.

EA verò hastæ Palladiæ cuspidi subiecta, vt in ea Mineruę statua, quã Athenis olim fuisse erectã ait Plinius, ostendit nihil tam abditũ & reconditũ esse, quod ingenij acumine exeri & palàm proferri non possit, ita quidẽ Sphinges. At qui Cynocephali vocãtur, corpore sunt deformi, ferũ omninò, vti diximus initio, atq; indomitũ animal, quod nulla ratione modóq; sæuit, supercilio aspectuq; sunt horrido & truci, vt genuinã, qua de suprà dicebamus, bilẽ ex facie possis agnoscere.

DIVINA IN OCCVLTO.

Sileni quid.

ADDENTVR & Sileni Cynocephalo: sunt enim & hi, vt Pausanias attestatur, ex Satyrorum grege, quos cùm ætatis iam prouectioris esse cœperint, Silenos appellare consueuerunt, quorum hieroglyphicũ erat, diuinitatẽ in re quapiã delitescere. Erant enim Sileni, vt ex Platonici Alcibiadis dicto colligimus, imagunculæ quædã sectiles, ita concinnatæ, vt diduci & explicari possent, quæ vbi clausæ erant, nihil aliud quàm ridiculam & monstrosam quandam tibicinis speciem ostentabant, vbi verò aperiebantur, venerabile numen aliquod exerebant. Hinc Alcibiades Symposio, Socratem Silenis similem esse dicit, quòd is longè alius esset interiùs intuenti, quàm summo habitu videretur. Vnde etiam Σιληνοὶ ἀλκιβιάδου dici solet, de re quæ prima fronte vilis ac ridicula videatur, interiùs tamen ac propiùs contemplanti sit admirabilis.

Prouerbiũ.

VRINATOR.

SED ENIM ne reliqua Cynocephali significata prætereamus, per simulacrũ eius vrinatorẽ etiã intelligebãt, quãdoquidẽ animalia reliqua inter natãdũ obhorrescere, rugisq; strigosa fieri perhibẽtur, vnus Cynocephalus, vt apud Horũ est, in quẽcũq; locũ tranare perrexerit, nullo vel squaloris vel horroris indicio fertur enatare, cuius quidẽ natationis facilitas vnà cũ literarũ peritia, quę potissimũ in Cynocephalo discernũtur, eam animali cõciliant laudẽ, quæ doctis & experiẽtibus viris tribuebatur, vt scilicet & literas & natare didicissent, contrà verò in ignauos & nulli negotio idoneos, nullius q; disciplinæ aut exercitij participes, Atheniẽses dicere solebãt, μήτε νέν, μήτε γράμματα, neq; quidẽ natare, neq; literas, cuius prouerbij mentionẽ facit in legibus Plato, atque etiam Aristides in Apologia quadam. Quòd verò hæc liberalia essent studia, apud Tranquillũ legimus, Octauianũ Augustũ nepotes suos & literas & natare; aliáq; rudimẽta per se plerũq; docuisse. Iam & de Caligula ad eius ignominiã dictũ, q̃ admodùm docilis ad cætera, natare nescierit. Porrò vrinator nõ est simpliciter positũ, sed eũ significat qui profunda quæque peruestiget, vnde locos apud scriptores perdifficiles, Delio natatore indigere dicimus: egregiè enim Delij natãdi peritia celebrantur.

Athenienſium prouerbium.

ORBIS TERRARVM.

CPER idẽ animal orbẽ terrarũ ἱερογλυφικῶς Aegyptij significabãt. Nã cũ duas & sexaginta primarias terræ habitabilis regiones ponerẽt, quas & Hali Amberagel in tractatu vltimo Astrologię memorat, obseruarũt magna in id genus animalium cura adhibita, partes totidẽ in Cynocephalo moriẽte, quæ quotidie singulæ perirẽt, mox à secũdo & sexagesimo die quod reliquũ esset corporis interiret. Erat verò apud eos sacerdotes summa religio, vt quicũque singulis diebus intermortuus esset, articulus præsecaretur, riteq; vnguẽtis more suo obunctus sepeliretur. Quòd verò mos fuerit Aegyptiorũ vnguẽto plurimo cadauera inungẽdi, durauit etiã apud Christianos diutissimè mos hic, quod ex Tertulliano cõiectari possumus, ita dicẽte: *Si Arabiæ quæruntur, sciãt Sabæi pluris & carioris suas merces Christianis sepeliẽdis profligari, quàm Diis fumigãdis.* Sed vt ad orbis partitionẽ reuertamur, Deus excelsus, diceret Clemens, penes quẽ rerũ omniũ potestas est, in septuaginta & duas partes diuisit totius terræ nationes, eisq; principes Angelos præfecit, mox Christus Apostolos totidẽ antequã pateretur, per omnẽ terrarũ orbẽ dimisit, qui Euangeliũ prædicarẽt. Astrologi, suam quãdã secuti cõmoditatẽ, sexagenis tãtũ partibus orbẽ diuisẽre, de quibus ita Proclus in Sphera: *Sed nec interualla circulorũ in toto orbe à se inuicẽ stata sunt, verũ pro sphærarum descriptione ad hunc modũ dispensari solent. Diuiso in* LX. *partes meridiano quouis circulo, Septentrionalis circulus à polo sexagesimarũ partium quisque interuallo notatur, Aequator ab vtroque tropico sexagesimis quaternis distat.* Reliqua ex Iacobo Zieglero huius doctrinæ peritissimo, cognoscere poteris, cuius tu eruditionẽ admiratus, cũ principem is neminẽ virum in Italia, atq; adeò in ipsa vrbe Roma reperisset, à quo susciperetur, tu ipse mi Cœli hominem & probũ, & literatũ, vti Anacharsin Solon, cõplexus in contuberniũ tuum admisisti, & vt doctrinã suã posteritati cõmunicare posset, per ea, quæ illi præstas commoda, effecisti.

Mundi diuiſio.

Aegyptiorũ mos vngẽdi cadauera.

DE

DE SIMIA.

HÆRES INVISVS.

TAM verò quædam super Simia conquiramus, qua super id traditur, quòd iidem sacerdotes, vbi hæreditatem in inuisos collatam significare voluissent, hieroglyphicum Simiæ, quæ paruulam penè Simiolam duceret, facere consueuerunt, cuius argumẽti causam eam apud Horum legas, quòd duas ipsa Simiolas vno partu perfert. Sedenim earum alteram magis diligit, alteram ita negligit, vt eam etiam odio prosequi videatur. Quam verò curandam suscipit, morosè adeò complectitur, & ante se comprehensam gestat, ostentat omnibus, tractaríque gaudet, gratulationem intelligens, vt magna ex parte fœtum ipsa suum, cui tanto affectu fauere videbatur, attrectando enecet, mòx alterum, quem negligere cœperat, educare cogatur, in eum omni mox conuersa cura.

Simiæ erga suos amor.

HOMO NIHILI AC NEQVAM.

VVLGATISSIMVM verò illud est, & omnium scriptorum ætatumq; testimonio receptum, Simiam pro despicatissimo & maximè nequam homine haberi, vt pro Ctesiphonte Demosthenes, Aeschinem tragicam esse Simiam dicit, quòd personatus quodammodò verborum grauitate videretur, cùm alioqui pessimus atque nequissimus ciuis esset. Et Dion historicus de obtrectatoribus, *Quos ego*, ait, *non pluris facio, quàm, vt dici solet, Simias.* Apud Cic. in Epistolis, Simiam E inuenias pro nihili homine positum. Quodq; Historiis Græcis memoriæ mandatum est, Simiæ, quam rex Molossorum in deliciis habebat, improbitas minimè prætereunda. Illa enim, cùm Spartiatæ oraculum ab Ioue Dodonæo petiuissent de victoria sciscitantes, legatíque vas illud in quo inerant sortes collocauissent, vrnam euertit, sortésque dissipauit. Negant verò Historici, vt Cicero de Diuinatione refert, Lacedæmoniis vllum vnquam ostentum hoc tristius accidisse: nam quæ præposita erat oraculo sacerdos., dixisse fertur: *De salute Lacedæmoniis esse, non de victoria cogitandum.* Neque verò Plautus ineptè Simiam bestiam, nunc nihili vocat, nunc nequissimam, in Milite, ac Pseudolo, & in Rudente, pro lenone in somniorum coniectatione ponit, quando lenonibus nihil est scelestius neque perditius, ingrato dubio procul & inuiso mortalibus genere, *quodq; est*, vt ipse dicit, *Deorum odium atque hominum.*

Molossorum Regis Simia.

VITIORVM DISSIMVLATOR.

ADHÆC, hominem suâ dissimulantem vitia, turpitudinemq; domesticam occultantem, notare si vellent Ægyptij, Simiam micturientem faciebant: ipsa enim est ea verecundia prædita, vt quotiescunque lotium fecerit, excrementum illud (quod etiam in fæce reliqua feles faciũt) effossa obruat terra, aut alia quapiã re super ingesta omninò occulat. Sed quoniam impressi codices in dãno sunt, quãtũ ad Simiæ nomẽ, quę sit castior lectio, in Fele, hoc est, in Aeluro disputatur.

IMPVDENTIA. PETVLANTIA.

F

MIHI quidem longè significantiùs per Simiam impudentia videtur ostendi posse, quàm huiusmodi verecundia. Ea siquidem partibus iis, quas verecundia occultari iubet, assidua sessione depilatis, natibusq; ita turpiter denudatis, improbum exhibet spectaculum, & eius generis mares, præcipuéque Cercopitheci, natura procaciter excitata, frequenti quantumlibet spectatorum theatro, satij cum impudentia pudendi tractatione lasciuiunt, eorum instar fatuorum quos nunc Aegyptij, vt omnibus ad Nilum locis palàm est, Mauríque & Turcæ omnes simul ac talia perpetrare conspexerint, magnopere venerantur, summáque & innocentia & simplicitate præditos arbitrantur, remq; putant admodùm piam se facere, si cumulatim in hos stipẽ contulerint. Sed vtcunque illa, Pithecusæ insulæ, quod ad hanc facit morum prauitatem, notæ sunt in Tyrrheno mari, quibus nomen inditum à Simiis, in quas Candulus & Atlantus, vt apud Harpocrationem ex Aeschyli Sardiani iambis legitur, fratres, omnium ea ætate profligatissimi impostores à Ioue transformati sunt, cùm aduersus eum quoque fallaciarum machinas admouissent. De quibus ita Ouid. in Fabulis:

Candulus & Atlãtus.

Inarimem, Prochytamq; legit, viridiq; locatus
Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas,
Quippe Deũm genitor fraudem & periuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutauit, vt iidem
Dissimiles homini possent similesq; videri.

Sanè

A Sanè quidem petulantiam quis hoc scriptionis genere significaturus, nullo commodiùs animali vtetur, quàm Simia, cuius improbitate considerata Plato in Ciuitate ~~sua~~ Thersitem ait, illũ omnium qui ad Ilium venêre turpissimum, tantæq; impudentiæ monstrum, vt Achillẽ Agamemnoni exprobrare nihil veritus fuerit, seque heroibus ingerere temerarius assueuerit, in Simiam cõmutatum esse, imitaríque adhuc hominum facta, non re, sed specie ipsa mutata, quod etiam Q. Calaber Paralipomenis tangit. Nam si cùm inter homines ageret, tàm perditæ fuit insolentiæ, vt ne Regibus quidem Imperatoribúsque ipsis quicquam parceret, minimè mirum, si, postquam in bruta transiuit, eundem animi tenorem seruat, importunitatemq; omnem aduersus Leonem ipsum, ferarum omnium regem, exercet. Sanè Lycophron Thersitem ipsum πιθηκόμορφον appellat, & vulgò genus hominum huiusmodi Simiis solemus æquiparare. Ac in eam improbitatem ita nos aliquando lusimus sermone ad Leonem X. P. M.

Thersitis in solentia notatur.

Denique sic petulans generoso infensa Leoni
Simia, quæ natibus, caudæq;, & clunibus huius,
Tantum animi est paruis, affixa procacibus ausis,
Hoc tam magnum animal vexátque agitátque, nec vllam
Esse moram patitur, Musca importunior, apta
Illa feros vitare vngues & dentis acumen,
Lubrica dum fidit saltu, leuibúsque lacertis,
Deq; suo quærit sibi tot ludibria Rege.

FEBRIS MEDELA.

B RELIQVVM hîc erat, vt ex eorumdem sacerdotum dictatis remedium febris ex Leone Simiam vescente significari subiiceremus, sed super hoc satis in Leone.

SVI ADMIRATOR.

QVO sit in prolem suam affectu Simia, paulò antè diximus. Hinc autem aliud oritur hieroglyphicum. Fuerũt enim qui Suffenos Catullianos per fœtam Simiam aptè significari posse contẽderent, qui scilicet sine riuali dicta factáve sua vnicè amant & venerantur. Generosum Pindari dictum, qui genus hoc hominum philautia, hoc est, cæco amore sui perditum irridens, adulatores non aliter viros probos & amicos videri ait insipientibus, quàm Simiæ pulchræ pueris iudicantur. Ait enim in Pythiis, κ̀ηλὸς τοι πίθων πρὸς πάντα, *Bella quidem Simiola est pueris.* Nam & Horatius adulatorem in obsequium plus æquo pronum, ita ad diuitis nutum mutari scribit, *Vt credas mimum partes agitare secundas.* Simia verò mimum exscribit, quòd vna omnium maximè atque efficacissimè quæcunque fieri viderit imitatur. De philautia Synesius, vir literatissimus, cùm epistolas accuratiùs à se scriptas aliquando colligeret, vereri se dixit, ne quod Simiis accidet, eueniat sibi: illæ enim, ait, cùm natos animalium omnium turpissimos pariant, putant ipsæ tamen eos esse omnium formosissimos. Atque vtinam, mi Cœli, non idem & ego fallar, qui tantum vigiliarum hieroglyphicis his indagandis impenderim, tantum laborum conscribendis exhauserim, vt quod nunc hominum est ingenium, posteaquàm me studiosorum animos oblectare existimauero, ludibrio sim. Quid enim, inquient, ad nos literarum Aegyptiarum fabulæ, cùm nunquam satis temporis per ætatem etiam longissimam supersit, vt vel Latina vel Græca discere quis possit? quanto satius fuerat quatuor hos & viginti annos, qui contexendis sex circiter & quinquaginta huius argumenti commentariis periêre, vel eloquentiæ, vel traducendis authoribus Græcorum optimis C impendisse, aut, si frigidus obstabat circum præcordia sanguis, mihi potiùs latenter instituisse viuere, ne per continuam genij defraudationem corpus affligerem, vnde diuturnas grauissimásque tot ægritudines contraherem, neque tamen hinc vllam apud potentiorum quemquam gratiam mihi compararem. Vera hæc, non inficior, dicturi sunt. Sed quid agerem? Suus cuique attributus est error. Si quid tamen fuerit quod vel tibi, vel tribus amicis aliis non vsquequaque displicuerit, satis me consecutum arbitratus, habeant sibi sua regna reges, respondebo, meámque iudicio trium circiter amicorum industriam approbari vsque adeò æstimabo, vt pro laboribus tantis ingentem mihi mercedem cumulatissimè persolutam rationibus meis sim nulla contatione relaturus. Vale, méque Manardo, more tamen illo tuo, plurimùm commenda.

***

PIE

D

PIERIVS VALERIANVS AD MAGNIFICVM ACHILLEM BOCCHIVM BONONIENSEM,

de iis quæ per Ceruum significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER VII.

INGVLARIS illa mentis integritas, summaq; eruditio tua (Achilles Bocchi nobilissime) nostræq; amicitiæ firmitas, perpetuáque constantia iubent, vt quantum in me est, tui memoriam nullo vnquam tempore apud me desituram assiduè celebrem, siue nos coniunxerit olim studiorum similitudo, siue fortunæ quædam paritas, quòd eodem tempore pari militia tibi Bononiæ, mihi Romæ eadem disciplinas profiteri contigerit, eorumdemq; amicorum, quos diu columbis, patrocinio protegi. Nullæ tamen te amandi causæ maiores extiterunt, quàm congressus illi periucundi, perutiles, & in primis mihi salutiferi, cùm tristissimo illo meo, Italiæq; totius tempore recens Florentia cum Mediceis meis eiectus, Bononiæ te superiori æstate conueni: in tanta enim rerum mearum omnium iactura facta neminem habui, qui sapientioribus sermonibus mœrorem, miserias, calamitatesq; meas molliret, alleuaretq; magis, quàm amicissimæ officiosissimæq; consolationes tuæ: ita te prudenter per totius vetustatis exempla, pérq; ea quæ ætate nostra conspexeramus, de humanarum rerum vicissitudinibus disserentem audire plurimùm iuuabat. Accedebat huc tua illa verborum bonitas, mira vultus hilaritas, & festiua semper oratio, qua me ita deliniri sentiebam, vt ad erumnas meas mitigadas nihil accidere posset vtilius, nihil accommodatius. Tecum itaque totos illos dies esse, tecum ambulare, tecum sedere nunquam destiti, donec maximam eius, quæ me tum oppresserat, anxietatis partem à ceruicibus meis excussisse mihi visus es, ægritudinisq; illius feritatem non parum mitigasse. Posteà verò quàm acerbitas illa temporum in mitiorem versa est fortunam, elapsus è custodia Pontifex, patriæ Mediceæ, Romæ nos restituti, mihi q; res satis bellè succesere; factum est vt me tot iam laborum difficultatumq; nihil omninò pœniteret. Hippolyti enim mei liberalitate sum egere veritus, liberiusq; mihi otium indultum est. Vnde datus est ad literarum studia reditus, & desertæ diu Musæ repetitæ. In his autem ea prima fuit cura, vt quæ tractasse me olim nosti hieroglyphica, diutiùs in situ esse minimè permitterem. Accinxi me itaque ad poliendum eo tunc consilio, vt si niueus doctorum amicorum calculus accessisset, modò hoc, modò illud Commentarium emitterem. Quod vt commodiùs fieri posset, eruditissimis viris amicis meis libellos singulos singulis inscripsi, vt ipsi non magis mea, quàm sua causa, quod corrigendum existimassent, accuratiùs emendare quodammodo cogerentur. Ex his Ceruus tibi dedicandus fuit, propterea quòd sermones illi, quos calamitoso meo illo tempore tecum fuisse repetebam, argumentum id præcipuè habuisse memini, vt toi inuectas multis ab hinc annis in plerosque Principes calamitates, quales & quantas Europa ferè tota vidimus, eorum delirio deriuatas inde procedere querebamur, quòd id hominum genus amicos synceriores veridicósque propemodùm fastidiret, plurimumq; adulatores subdolosq; parasites vnicè adamaret. Præcipuum verò Cerui esse hieroglyphicum apud Aegyptios, vt si hanc iudicij captiuitatem indicare vellent, Ceruum fistula illectum pingerent, vt si quæ huiusmodi tendiculæ pararentur, haberet scitus homo quod sibi proponeret præcipuè fugiendum.

F

AB ADVLATORIBVS PESSVNDATVS.

AEGYPTII hominem dolo ab adulatoribus circumuentum ea pictura significabãt. Quòd verò Ceruo insitum natura sit pastorali fistula, vel suaui aliquo modulantium concentu demulceri, tantaq; hinc affici voluptate, vt immemor sui nullo prorsus negotio capiatur, vel iniecto alicunde telo, quod propter animi abalienationẽ adesse tunc minimè suspicatur, eucstigiò transfodiatur, atque ita fiat ad blãdientium præda aliquod ludibrio suo conuiuium exhilaraturus, quemadmodum cum pernicie sua ridiculi fiunt, qui lenociniis istiusmodi sese offerunt capiendos: vt rectè mihi Antisthenes Philosophus dixisse videatur, *Longè satius esse in Coruos, quàm in adulatores incidere.* Hæc iam tunc in congressu illo Bononiensi dicta puto meministi, cùm tu, vt semper soles doctè aliquid declamare, subiecisti: Sapientissimè quidem Antisthenes, qui vt iuuentutẽ suam (nam ea potissimùm ætas huic obnoxia est incommodo) ab Archilocheæ Vulpis calliditate liberaret, vtili omnibus documento futurus, Coruos aiebat non tam hominibus obesse, quàm adulatores. Corui siquidem corporis tãtùm oculos effodiunt, quos ne vtiles quidẽ non postremi nominis Philosophi existimauerũt, alij, vt contemplationis impedimẽtum

Dictũ Antisthenis.

nescio

A nescio quod, sponte effossos, abiecerunt. Adulatores verò mentis, quæ nostri diuina pars est, oculos eruunt, intellectum scilicet atque iudicium, quibus tantùm reliquis præstamus animantibus, obtenebrant, quibus ita perditis euenire necesse est, vt nihil fiat humanitati reliquum. Idem etiam dictitabat, Meretrices bona omnia amatoribus suis comprecari, præter vnam mentem atque prudentiam, ita adulatores iis quos assectantur, omnia felicia ominari, præterquàm sapere, ac seipsos noscere. Addidisti etiam illud, quod Crispus Passienus dicere solebat, non esse claudendũ ostium adulationi, sed aperiendum, veluti solet amicę, quę si fores impulit, grata est, si effregit, gratior: prodesse enim is hoc arbitrabatur, vt homo inde qualis esse debeat, admoneretur. Respondi ego: Argutè quidem Passienus opinabatur, sed paucissimi, quos ardentissima virtus vndecumque munierit, hoc assequi potuerunt, reliquis pleriſq; omnibus, ob humanæ naturæ imbecillitatem periculum imminet, ne si ad hæc aures patefecerint, tanquam Vituli inter Lupos circumueniantur, vt Cratetis Cynici sententia declarauit. Contrà verò sapienter illi vitam instituerunt, qui non ad ostentationem viuunt, non populares aures captant, sed sibi rerum suarum conscij, ratione ipsam, veram viuendi ducem, sibi proposuerunt. Quare cùm veritas semetipsum noscere doceat, impediat adulatio, illa virtutis viam, hæc vitiorum semitam collaudet, illa bonis, hęc malis parêre compellat, reiiciatur à nobis penitùs adulator more Philosophi Timonis, qui Demeam assentatorem ligone percussit. Nullum enim animãtium genus assentatoribus, ait Plutarch, pernicioſum magis, nullum quod citiùs iuuentutem in præcipitium agat, nullum quod faciliùs fortunas, honores, vitam denique ipsam radicitùs euertat. Ideoq; Diogenes interrogatus, quæ bestia morsum haberet nocentissimum: *Si de feris*, inquit, *interrogas, obtrectator: si de cicuribus, adulator.* Nam veluti aucupes

Diogenis dictum.

B blandulo quodam stridore & mellita vocula simplices auiculas, aut in viscum implicant, aut in pedicas iniiciunt, ita pellicit homines adulatio, & mox in omne scelus impellit, eóque impulsum & inuolutum, in vitam demùm calamitosam trahit, perq; caput & pedes in profundissimam ærumnarum voraginem demergit. Rectè itaq; dicere solebat Aristonymus: *Ligna dum ignem nutriunt ab ipso consumi, diuitias, dum adulatores alunt, ab eis labefactari.* Excepisti tu. Rectè quidem, mi Pieri: nam in memoriã illud mihi reuocasti, quòd & Phauorinus Philosophus Actæonis fabulam à suis canibus, quos alebat, deuorati, ad adulatorum trahit euentum, quorum finis & intentio est totum absumere, si possint, dominum. Quod cùm ita sit, Antisthenes siue Diogenes Cynicus cũ ligone suo summo opere commendandi sunt, qui quod in vita pernicioſissimum esset animaduertentes, vrbanissimo dicterio alter, castigatione alter, homines ad morum integritatem & prudentiam notos, admonere voluerint, ne pessima parasitorum contage labefactati, per imprudentiam in tã procliuia vitæ discrimina pessum raperentur, omniumq; ignominię, contumeliis atque ludibriis expositi, eorum quibus se suaq; omnia crediderant, proditione perderentur. Subsecutus ego sum: At ne Ceruum tantùm Musicę capi lenocinio persuasum habeamus, Equos etiam, ferocia alioqui animalia, eadem affici suauitate, Persica ex historia compertum, magno eorũ detrimento, qui bellatores eos effœminatis cantilenis & modulis assuefecissent. Murænas, quoque & Trissas, piscium genera, euocari concentu & tintinnabulis, exploratũ est vulgò, quamuis Murænas geniturę tantùm tempore, vtpote quæ Serpentium sequi sibila ferunrur, quibus eas admiscri tradunt. Iam & Otus, cui nomen inter aues ab auribus est, tanquã cantaminibus circumuentus modulamine afficitur, humerosque iactare, saltitare, & nutare vertice quasi modulos teneat aspicitur, sed nulli horum Musica est exitio veluti Ceruis, quapropter hinc potiùs Ægyptij hieroglyphicũ suum desumere voluerunt. Sanè quo minus mirum si Ceruum Musicæ modulos intelligere, apud Ælianum legitur eum Indicæ vocis callere sonum, sermonemq; percipere, neque alium quempiam ita facilè, quamuis Ptolemæo Philadelpho Ceruus fuerit, qui Græcum idioma prorsus intellexerit. At iam satis super Cerui Musica euagati, reliqua nunc eius animalis significata subiungamus.

PRÆCIPITANTIA.

PERCITO quempiam ingenio, temereq; ac nulla ratione sese mouentem (vt plerũque furores sunt qui Panici vocantur, quippe cùm nulla vrgente causa quis in fugam se proripiat, negotiúmve, quod præ manibus erat, statim abiiciat, incœptúmque deserat) Ægyptij per Ceruum & Viperam appictam intelligebant. Pugna enim huic est cum Serpente, cuius etiam cauernas inuestigat, nariumque spiritu extrahit renitentem, vt luculenter his versibus Lucretius:

Vipera Ceruo inimica.

Naribus alipedes vt Cerui sæpe putantur
Ducere de latebris Serpentia secla ferarum.

Ideò singulare abigendis Serpentibus remedium, Ceruini cornu suffitus, vt apud Nicandrum legitur. Idem ipse tamen tam acer anguium hostis, qui tanto eos conatu perquirit, simulac ex improuiso Viperam conspexerit, in pedes se repentè proripit, ac fugit, ingenita scilicet naturæ discordia concitus, quæ illi accidit, vt idem Poëta refert:

Propter dissimilem naturam, dissimilesq;
Texturas inter sese, primasq; figuras,
Multa meant inimica per aures, multa per ipsas
Insinuant nares infesta atque aspera tactu.

Sanè coniectores etiam tradunt, eum qui per nocturnam quietem imaginatus fuerit videre se D Ceruum quempiam instantem tergo, longeq; sequentem, futurum vt qui tale somnium viderit, ea sit formidaturus, ex quibus nulla sit offensio subsecutura, ac perinde frustrà timeat.

PRAVITAS EDOMITA.

Viperæ natura.

SIQVID verò ad vetera significata addere concedatur, cũ Vipera sit profligatissimis tota vita sceleribus inquinatissima alia mariti, alia matris parricidio polluta, venenúmque eius atrocissimum, quod omnem, vt aiunt, exuperat medicinam, aptè mihi fecisse videbitur, si quis vel Regem vel Magistrum vel Iudicem quempiam in scelera vindicem sese acerrimum exhibẽtem, per Ceruum & extractam è cauernis Viperam, quam mordicus apprehenderit, figurarit. Eodem etiam hieroglyphico virum intelligemus, qui morum impuritatem corrigat, scelera eluat, prauitatem emendet, & quod idem ait Poëta,



Veridicis hominum perpurget pectora dictis,
Et finem statuat cupidinis atque timoris,
Exponatq; bonum summum, quò tendimus omnes,
Quale sit, atque viam commonstret tramite paruo,
Quà possimus ad id recto contendere cursu,
Quidve mali immineat rebus mortalibus olim.

E

Hoc enim est maleficum Serpentem, qui clàm in insidiis excubat, è latebris extrahere, extractum interficere, interfectum denique deuorare.

FVGACITAS.

FVGITIVVM dubio procul hieroglyphicè notare qui vellent, currentem Ceruum describebant. Ea verò fugacitas Ceruo naturâ insita. Hinc Lucretius: *Et fuga Ceruis à patribus datur, & patrius pauor incitat artus.* Quam verò pedum alacritatem in Achille fuisse authores tradunt, vt

Achillis quare sic dictus.

ποδάρκης, & ὠκὺς πόδας passim ab Homero vocitetur, sunt qui autument inde partum, quòd eius infantia sub Chirone fuerit Ceruorum medullis plurimùm enutrita. Porrò illum assecutum esse Ceruos absque Canibus & retium insidiis Pindarus in Nemeis canit:

Κτεινον' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν, ὀλιγῶν δ' ἐρκέων.

Nam de agilitate Cerui superfluum est verba facere, cùm scriptis omnium in primis celebretur, præcipuè verò κατ' ἐξοχὴν quandam, Laconum chorus, Aristophanica Lysistrate dicat, saltandum pedibus est tanquam Ceruus aliquis. Sed quod de Achillis nutrimento & nomine positum est, Nazianzenus Achillem dictum ait, quòd sine cibo fuerit educatus, χλὸς enim cibus & succus est, ille verò crudis tantùm ferarum artubus pasci fuerit assuetus. Sed & quod de Chironis institutione circumfertur, mirum ab Homero nusquàm huius rei mentionem fieri, cùm tamen Apollonius, & qui post Homerum fuerunt Poëtæ pleriq; omnes educatum Achillem à Chirone tradant. Addam huc Telephum Herculis & Auges filium, quem Alæus Auges pater in Panthium mõtem exposuerat, à Cerua educatum esse, vt apud Lycophronis interpretem habetur, quod & nomen ipsum ostendere videtur, Cerui quippe nutricatum significat.

INTERQVIESCENS.

F

QVAMVIS autem cursum pernicissimum Ægyptij ex Cerui currentis specie inteligi monuissent, quia tamen is requiem inter currendum aliquam facit, consistensq; manet, dum qui sequitur appropinquet, tum fugã item arripit, factum est vt hominem aliquam laboribus suis requiem interponentem significare si vellent, currentem quidem Ceruum pingerent, sed retrò spectantem, cùm in solius tantùm fugacitatis significato caput surrectum statuerent, vt cornua per dorsum demissa residerent. Ideò verò Ceruus dum fugit, interquiescere cogitur, quòd tenui imbecilloq; est intestino, quòd leuiter etiam percussum rumpi possit, cute adhuc integra permanente. Deniq; imbecillum adeò animal est Ceruus, vt tactus ab aspalatho, ea est spinę species, emoriatur. Verùm hoc & alia de causa, & alio etiam potest modo pingi, quippe si tres pluréve Ceruos natantes feceris capitibus alterius clunibus impositis, atque eorum primum auertentem se quasi ad postremum locum, quo quidem officio mutuò se adiuuant, cùm ex Sicilia transfretant in Calabriam per æstatem, pabuli gratia, idq; plurimùm iuxta vrbem Rhegium, qui propterea quòd onus capitis super aquas extantis haud facilè sustinent, inter natandum singuli super anteriores lũbos caput imponunt: dux verò cùm defessus est ad vltimum transit locum, atque ita mox alius atque alius labore cum quiete communicato incolumes transeunt. Si cui tamen quod superiùs positum est hieroglyphicum magis placuerit, res in medio posita est.

Ceruus cur inter currendum quiescat.

FORMIDO.

STVPOREM præter hæc, formidinemq; per Ceruum & puniceas pennas prætentas significari Omnib. innotuit, tam ex iis qui Animalium historias cõscripsêre, quàm ex Virgiliano carmine, qui

A qui Turnum attonito quodam pauore perculsum Ceruo æquiparat *puniceæ septo formidine pennæ.* Liber verò loco hoc de pẽnis ad Ceruorum formidinem excogitatis historiam enarrare, quę non tantùm Virgilij carmen explicabit, verùm etiam hieroglyphico huic argumento plurimũ afferet claritatis. Narrabat mihi Io. Antonius Pollio Geloum Princeps, Pontificij cõtubernij mihi socius, stare adhuc in Sicilia hanc venationis antiquæ rationem, quæ sic fieri soleat. Nobiles vbi renũciatum fuerit Ceruorum greges vsquam oberrare, alter alterum inuitantes properè conueniunt, affe-

Ceruorũ venationis antiquæ ratio.

runtq; secum Scorpionem aut arcũ finguli, & fasciculum virgarũ, quæ omnes ferrea cuspide præpilatę sint, quarum caput alterum in summo perforatum est, funiculo perpetuo per virgas singulas ea transmisso, longitudo earũ ad pedes quatuor vel circa. Cùm ad locũ peruenêre vbi Ceruos congregatos norunt, latè diffusi equites peditesq; modum agri, quanto satis est ambitu circumsistunt, stationemq; vnusquisque suam per interualla certa suscipiunt. Hîc fascem quisque suum explicat, primaq; virga ad finitimi vltimam alligata, reliquas per decempedę circiter interuallum singulas terrę affigit, idem alter, idem alij faciunt, donec Ceruos vndecumque concluserê. Virgis ita dispositis pennarum punicearum, quas in hunc vsum magno numero fucatas habent, fasciculos licio suspensos ad traductum per virgas funiculum hîc & illîc alligant, qui aura vel leuissima impulsi varia iactatione mouentur. Stationarij mox in proxima se quisque abdunt virgulta, sagittisq; intentis expectant taciti. Liciorum hoc septum ingreditur eques tantùm vnus cum odori sequis Canibus, iisq; non admodùm magnis. Hunc venationis magistrum vocant. Is vbi gregem nactus est, sensim accedit, latratuq; Catulorum tantùm fretus, agmen incipit agitare, illi conferti omnes vnà fugam capessunt, at cùm ad licia pennasq; illas pensiles peruenêre, subitò pauefacti vlteriùs progredi non

B audent, sed illarum motum & fulgorem declinantes ad lævam non procul flectunt, & rutilantes fasciculos illos prospectantes tãquam muro inclusi circumaguntur, subsequitur magister, nomine quemq; vocans ex stationariis, prout vnicuiq; fit proximus, atque huic primum vel secundum, illi tertium aut quintum aut septimum ex libidine sua telo excipiendum destinat, futurum sagittario dedecori & ignominię, nisi oblatum à magistro sauciarit, vel si aliũ quempiam quàm nuncupatum appetierit. Magister ita agmen tandiu circumagit quasi per pomœria progressus, donec ita præda omnis per omnium vices concidat exanimata. Hę sunt itaque pennæ illę, quarum formidine attoniti stupidive facti Cerui, abalienato prorsus animo cõsternantur. Has enim nõ aliter pauent, quàm Elephanti colorem album, Tauri phœniceum ac rubicundum, Tigres tympanorum sonitum, Vrsi Leonésve mappam, amiculúmve in caput iniectum; de quo locis suis. Sed quod ad Ceruũ pertinet, dant hoc nõnulli animalis stoliditati, ingenitoq; cuidam stupori, qui ei de re qualiber oriatur. Natura omninò sunt hi meticulosi, quia frigidiusculi. Philosophi enim animalia eò omnia formidine magis laborare tradunt, quò frigidiora sunt, idq; quotidiano comprobatur experimento. Ceruos verò esse frigidos, lacryma dulcis argumento est, quę salsuginosa est. Apris, qui magna pollent caliditate. Hinc fit vt ille fugiat, hic hostem adoriatur, proq; viribus iniuriam vlcisci pertẽtet. Sed cur non Lucre. Latini Philos. eaq; de causa mihi sæpius citãdi, luculẽta super hoc carmina recitemus:

Quare Cerui sint meticulosi.

At ventosa magis Ceruorum frigida mens est,
Et gelidas citiùs per viscera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris existere motum.

Atque idem superiùs dixerat:

Est & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem membris, & concitat artus.

Huius rei doctrinam secutus Horatius ait:

C *Quem tu Ceruus vti vallis in altera*
Visurus parte Lupum, graminis immemor
Sublimi fugies mollis anhelitu.

Et Græci ἔλαφον ἄνεσπα omninò dixerũt, pro maximè formidoloso. Et Claonymum taxat Aristophanes timidissimum hominem, quem Nebulæ per figuram Cerui referebant. Sed enim quod de animalis frigiditate Philosophi dixerunt, longè aliter apud Euthym. inueni, vt in subiecto habetur hieroglyphico.

VEHEMENS APPETENTIA.

VEHEMENTISSIMI enim desiderij signũ esse Ceruum ad aquæ fontem adspectantem, Diuinæ indicant literæ, dum ita canunt: *Quemadmodum sitibunda Cerua inhiat ad aquarum riuos, ita anhelat anima mea ad te Deus.* Cerua enim suapte natura ita calida est, aiunt sacri Interpretes, vt frigidissimis reptilium carnibus mirificè releuetur, ideoq; eas auidiùs appetit quibus absumptis naturali illo calore κατ' ἀνάπαλιν magis ac magis concitato, studiosissimè gelida fontium fluenta perquirat.

FORMIDO SVBLATA.

QVOD autem Herculem Ceruum enecãtem multa artificum opera proponunt, sumptum ex Poëtarum fabulis argumentum, in quo tamẽ hieroglyphicus delitescit intellectus, pauorem

Ceruũ eneas Hercules quid.

è mortalium vita sublatum ex eo significari tradit Heraclitus, qui pleraque fabularum figmenta D in hieroglyphicum hunc modum interpretatus est. Sed quantum ad timiditatem pertinet, cùm affectus huiusmodi in seruis præcipuè deprehendatur, vtpote qui seorsum ab ingenua liberalitate sint vel educati, vel instituti, mos apud Comicos in primis inoleuit, vt fugitiui, quòd omninò timidorum est, Cerui appellarentur. Eius timoris ergò Achilles apud Homerum ignauiam obiicit Agamemnoni, dum ceruino eũ corde præditum obiurgat. Pomp. Festus seruos fugitiuos vnius tantùm literæ mutatione Ceruos nuncupari solitos tradit. Sedenim vt eo vocitarentur nomine, non ipsa tantùm fugacitas in causa fuit, verùm etiam historia. Aiunt enim Seruium Tullum ædem in Auentino Dianæ sacrasse, diemq; instituisse Idibus Augusti, quo die ipse serua natus esset, mos verò erat, vt Deæ ara ex cornibus fieret, cæsorumq; Ceruorum capita valuis & parietibus affigerentur, ipsumq; Dianæ simulacrum vt in plerisque numis habetur, cum Ceruo effingeretur, quòd animalia ea in eius esse tutela dicerentur. Ab vtriusque igitur rei similitudine, & scurrili propemodùm in Regem ioco, serui fugitiui Cerui cœpti sunt appellari. Addam id, animalia ea Ceruos quasi geruos dictos, quòd cornua gestant vsqueadeò grandia. Nam & Ceres quasi Geres à gerẽdis frugibus dicta, vt Etymologici putant. Illud verò seruile identidem est, quòd onus tam magnum Cerui gerunt capite, quoniam ponderum gestatio sit seruorum propria.

AVDITVS ET SVRDITAS.

SVRRECTAS auriculas Cerui, auditus acris significatum esse, ostendit illud, quod ὠσὶν ἐστῶσι prouerbium fertur, quod *arrectis auribus*, Maro, & *arrigere aures* Terentius interpretatur. Contrà verò pro surditate easdem demissas pingere moris est, quia tunc Cerui acutissimè audiũt, cùm surrectas aures protendêre, cùm verò eas demisêre, vix proximum excipiunt sonum. Nam cùm auditus, vt placet Empedocli, fiat illisi spiritus in clauiculatam aurium partem introrsus adnexã, quam tintinnabuli vicem præbere dicit, vtpote celso loco sitam, pulsuiq; obuiam, accidit vt negato per huiusmodi aurium depressionem ingressu, surditas obueniat necessariò. Alia quędam Medici cõminiscuntur, sed quæ nihil ad rem nostram attinent, hoc siquidem significatum ex gestu desumitur auris, quæ cùm surrigitur, patefit: cùm verò dimittitur, auditum obturat. Nam & Aristoteles Ceruos ait, cùm aures demiserint, facilè capi, quòd insidias non senserint, cùm verò eas intenderint, facilè insidiarum admoneri.

Quomodo fiat auditus & surditas.

E

MVLIEROSVS.

SI qui verò mulierosum hominẽ, & multarum concubitum appetentem notare vellent, Ceruum exporrecto genitali pingebant. Is siquidẽ cùm vrgente iam Venere coitum appetit, non in vna tantùm immoratur, sed mutat, breuiq; interposito tempore aliam atq; aliam superegreditur. Aiunt verò Ceruorum coitum non esse statarium, vt reliquorum animalium, sed Ceruã simulac marem accepit, identidem currere, applicitumq; Ceruum & rem nihilo secius peragentem dorso vectare, illum duobus tantùm pedibus terræ innixum pertinaciter subsequi, nec nisi re peracta desilire.

LASCIVIÆ POENITENTIA.

ILLVD spectandę probitatis exemplum est, quòd volentes hominem propter propriã petulantiam, qua lapsus fuerit, pudore affectum ingenuo significare, Ceruum in scrobe delitescentem ostentabant. Is enim cùm fœminam implerit, separatur per se ipse, & propter libidinis graueolentiam solitarius scrobes fodit: fœtent enim vt Hirci, facies quoque eorum nigrescit aspergine, vt Hircorum. Degunt igitur hac destinatione quousq; imber accidat, ablutiq; inde pascua repetunt.

Ceruus cur & quando latitet.

DE REPVLSA PVDOR.

F

ALIA itidem de causa latitare Ceruum cùm obseruassent antiqui, hominem qui vel candidatus turpem esset repulsam passus, vel partam dignitatem amisisset, Vatiniana aliqua affectus ignominia, & propterea tanto perfusum pudore, vt in frequentiora loca prodire non audeat, ostẽdere si vellent, Ceruum marem sine cornibus inter virgulta fruticésve abditum pingere soliti sunt. Cornua enim mares tantum habent, quibus amissis tandiu prę pudore latent, quoad altera renasci cœperint. Alij dicunt, non præ pudore fieri hoc à Ceruo, sed natura duce, & se latebratum præsidio tutari velit, qui se armis priuatum cernat, veluti sepia atramento fuso suæ consulit incolumitati, ne capiatur, & polypus coloris mutatione venatores fallit. Quòd verò plerique Historiæ animalium scriptores fœminas è Ceruis sine cornibus esse tradunt, longè diuersum est ab eo quod Olympiis ponit Pindarus, ode quæ Theroni scribitur εἰς Θεοξένια. Ita enim ibi: χρυσόκερων ἔλαφον θύλειαν ἄξοντ' ἀν' ὥστε Ζώγετα ἀντιθεὶ σ' ἐξ Θησία ἔχεσεν ἱεχὺν, quo loco interpres introductum ait à Poëtis cornutam Ceruam, cuiusmodi ea fuit quæ Telephum lactauit. Positum hoc idẽ ab Anacreonte, sed à Zenodoto correctum, ob vulgatam historiam, quòd in eo genere fœminæ cornua non habeant: nam quòd scripserat Anacreon, ἄγαν ὡς οἰάτε νεβρὸν νεοθηλέα χαλαθηνὸν ὄς' ἐν ὕλῃσι περοίσης ὑπολιφθεὶς ὑπὸ μητρὸς

A τρὸς ἐπίσθιον: pro locutione κεροέσσης, quod cornigeræ significat, Zenodotus is emunctæ naris censor ἐρρόεσσης reposuit, hoc est, desideratæ vel amabilis. Subiungit interpres, inuentas tamen aliquando, nec incongruum esse, aliquas habere cornua, quemadmodum in Elephantis, de quibus tradunt Æthiopicos & Libycos tam mares quàm fœminas habere dentes, cùm tamen in India, vt obseruauit Amytianus, huius generis fœminæ sine dentibus esse conspiciantur.

ARMORVM APPARATVS SINE CORDE IRRITVS.

EXCOGITARVNT etiam iuniores hieroglyphica quædam argumenta, quæ passim referre, vtut deposcere locus videbatur, haudquaquam puduit, cuiusmodi hoc est, quo apparatum bellicum frustratorium & inanem esse, nisi præsens ardensq; adsit animus, per Ceruum magnis insurgentem cornibus significari posuerunt. Naturam enim inquiunt Ceruo, animali admodùm degeneri, cornua magnitudinis adeò spectandæ ac asperitatis horrificæ contribuisse, quò argumentum esset, eos qui audacia & fiducia ipsi præditi non essent, frustra vllũ armorum apparatum, & instrumenta bellica comparere. Dicere solebat Antisthenes, bona omnia à Diis hostibus optanda, præter vnam fortitudinem, illa enim quotquot essent, non esse possidentium, sed eorum qui armis præstarent, & viribus pollerent. Nam nisi ad opes & potentiam præsens acerq; animus adiiciatur, facilè vel ipsa infringitur fortitudo. Hinc egregium illud Chabrię Athenienſium ducis dictum, quod & Philippus vsurpare solitus, formidabiliorem esse Ceruorum exercitum Leone duce, quàm Leonum duce Ceruo. Tantùm is animorum vigori, quo Dux ipse polleret, tribuebat, idque multis stratagematum exemplis apud rerum scriptores passim verum esse comperitur. In hanc sententiam Demades Philippo, qui contra Athenienses superior euaserat, adulaturus, ἔγνως ἂν ἔφη, ὦ βασιλεῦ, εἰ ἦν πόλεως δύναμις, εἰ ἀθηναίων μὲν φίλιππος, μακεδόνων δ' χάρης ἐστρατήγει, *Nosses*, inquit, *ô Rex, ciuitatis robur, si Athenienſium Philippus, Macedonum verò Chares exercitui præfuisset.* Chares enim Dux fuerat Athenienſium. Non omittendum hìc, quòd Tertullianus nosse ait, se Christiani gregis pastores aliquos in pace Leones, in prælio Ceruos, & quidem vir ad martyrij cruciatus impauidus & paratissimus, ad ineptias tollendas feruentissimus, neq; animos pusillos, neq; ignauiam quorundam ferre poterat.

Antisthenis & Chabriæ dictum egregium.

B

ACTÆON.

FRIVOLA verò mihi videtur Anaximenis interpretatio super Actæonis fabula, de qua superiùs mentionem fecimus, qui conuersus ideò dicatur in Ceruum, & à canibus suis dilaceratus, quod periculis quæ venando subierat demùm consideratis, ætate iam ingraueſcente timidior factus, in Ceruum transformari sit visus, cumq; Canes nihilo secius aleret, patrimonium consumpsisse, idque à Canibus laceratum esse significare, cùm potiùs historia, non fabulæ cuiusquam figmentum, inuento huic dederit argumentum. Actæonem enim & Cippum cornutos editos, Plinius author est. Quin apud Max. Tyrium legas, apud Corinthios, Bacchiadarum facinus in Actęone Dorico adoleſcente discerpendo admissum Bœtio illi assimilatum, in quo Actæon à veris est Canibus laceratus. Quòd verò Homerus ait, Dianam per iuga montium errantem gaudere telis, & Capreis ac fugacibus Ceruis delectari, sunt qui ad Actęonis fabulam conuertant: sunt qui vetustam Philosophiam secuti, sagittas eas quæ Ceruum assequuntur hieroglyphicè solares radios indicare velint, quorum scilicet repercussu, cornua ipsa pro loci, vbi Luna est, conditione, & appareant & obducantur. Nam & Lucretius tela hæc ita interpretatur:

Non radij Solis, neque lucida tela diei.

C Dianam autem Capreis & Ceruis tantùm gaudere, Homerus dicit, Leonibus autẽ minimè: nempè quia circa Taygeta aut Erymanthum eam venari dicit, vbi Leones non habentur. Elei sanè Dianam ἐλαφιείαν vocant, vt apud Pausaniam est, quamuis aliter alij nomẽ interpretantur. Videas tamen passim Dianæ simulacro Ceruum vt plurimùm in venatum obiici, qualem præcipuè speciem in Hadriani numo cernere est, cum inscriptione, ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ. In aliis quoq; eiusdem Hadriani Dianæ itidem Ephesiæ simulacrum geminis duũm Ceruorum inter se auersorũ clunibus insidere conspicias, atque aliter in aliis. Et Cerua est in multis Gallieni numis cum inscriptione, DIANÆ CONS. AVG. Ea enim ambitione fuit, ingenio vir alioquin impurissimo, vt Deos omnes ad sui custodiam & conseruationem occupatos esse iactaret. Hinc feras ferè omnes, quotquot numinibus dicauit antiquitas, numis suis eadem inscriptione cudendas curauit, quorum vis magna paucis ante annis in agro Bellunensi reperta est. Neque tamen Dianę tantùm, verùm etiam Milanioni, & Atalantæ heroibus Ceruus dedicabatur, quorum simulacra cum hinnulo in Olympia fuisse Pausanias testatur. Quòd verò aiunt Iphigeniam cùm iamiam ad aras patris iussu mactanda constitisset in Ceruam demutatam, ac ipsius Dianæ numine in Tauricam regionem asportatam, Nicander in Taurum ait; Phædimus in Vrsam, atque ita omnia variant in Græcorum fabulis, à quibus longè diuersa leguntur apud Lycophronem & eius interpretes.

Hadriani & Galieni numi.

VIVACITAS.

VIVACITATEM ex picto Ceruo significari, quod Ægyptiorum commentum est, magis exploratum arbitror, quàm vlla sit opus commentatione perquirere. Datum enim illi est à natura, vt quãdiutissimè viuat. Verùm cùm id sacerdotes ostendere volebãt, cornua maximè ramosa

Cerui ætas vnde digno scatur.

faciebant, siquidem vnoquoque anno ramus horum cornibus adiicitur, sed vt nonnulli obserua- D runt, non vltra sex annos ab eo tempore similia reuiuiscere, neque ætatem inde discerni posse, sed ex dentibus, quos tunc cùm grandæuus est, aut paucos, aut nullos habeat. Sedenim experimento compertum est, cornua senescentium asperiora quotannis fieri enormioráque, pluribusq; tuberculis & mucronibus horrida, quo magis in senium vergant. Animaduertendum autem in manuscriptis Hori codicibus antiquis, πολυχρόνια σημαίνῃ scriptum, non πολυχρόνιον, vt in impressis habetur, quod *multa tempora* interpretandum esset. Sed parui hoc momenti. Agathoclea Syracusanorũ tyrannum ferunt Ceruum venando interfecisse, circa cuius collum torquis erat aheneus, superinducta iam pelle tectus, in quo huiusmodi legebatur inscriptio, ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΙ, quem Princeps ipse magna veneratione susceptum Dianæ statim consecrauit, diutissimeq; apud Peucetios Italię populos in percelebri Dianę templo, cuius meminit Aristoteles, torquis ille conspicuus fuit. Superare verò eos trecentos annos multi prodidêre, plerique plures, plerique pauciores, quod quidem vtcumque se habeat, receptissimum est eos esse viuacissimos, & viuacitatis elogio passim à Latinis Græcisque scriptoribus appellatos.

VIR VNDECVMQVE PERFECTVS.

E

Sed iam tempus est vt ruminationis significatũ exequamur, si priùs tamen locum apud Plinium expenderimus, vbi de Cerui ruminatione loquitur, quem syluestrium tunc ruminare, cùm à nobis aluntur, dicere videtur, quasi cicuratio sit ruminationis causa. Sedenim, vti reor, vel aliquid deest, vel, quò adduci non possum, Aristotelem non expressit, qui eo probat argumento Ceruos ruminare, quia idem faciunt alti à nobis. Ait enim: *Ex feris ea tantùm ruminare nouimus, quæ aliquando cum hominibus degunt, vt Ceruus: hunc enim ruminare manifestũ est.* Huius verò rei significatum est Diuinis literis interpretandum, ex quibus animalia quę ruminant, & vngulas bifidas habent, profana non esse dicimus; quod quidem eo velamento subinnuit, eum qui sacris sit initiaturus, pietatis meditatione, neque non doctrina iudicioq; præstare oportere. Bifida siquidem vngula discernẽdi doctrinam, & singulorum indicat examinationem, quam per ipsas rerum distinctiones assequimur, vt rectum ab indirecto, lepram à non lepra discernere possimus, ruminatio verò, vt sæpe dictum, pietatem, & diuinarum rerum meditationem ostendit: horum qui altero careat, tanquam ineptus reiiciendus. *Alterius siquidem altera poscit opem res & coniurat amicè*, diceret Horatius de quo tamen significato in Porco latiùs ex Philone. Eoq; forsitan spectat dictum illud ex 29. Psal. vt apud Græcos est, φωνὴ κυρίου κατηζομένη ἐλάφους, *Vox Domini quæ Ceruos perficit*, vel, vt alij, *Præparat*. Significat verò κατηρτίζειν, instruere aliquem ad negotium quod exequendum susceperit. Vox igitur Domini, quę Ceruos, hoc est, viros non indignos qui admittãtur ad sacra, instruit, & ad certam vitæ rationem inducit, ea est, quę per Prophetarum vaticinia, per Euangelicam institutionem, per Apostolorum prædicationes, per Doctorum optimorum interpretationes, nobis innotuit. Adamantius, cuius sententiam Euthymius mihi sequi videtur, eò rem trahit, vt eos viros Dominus ad profectum sapientiæ ducat, qui Serpentes sint assiduè persecuturi (qui sermo merè est hieroglyphicus) hoc est, bellum cum hæreticis, & falsorum dogmatum authoribus gesturi, diaboliq; tentamenta conatusq; eius omnes exuperaturi, quo debellato certamine, triumphabundi mox cantare valeant ex altero supra quadragesimum Psalmo: *Quemadmodum anhelat Ceruus ad fontes aquarum ita sitibundus sit animus meus ad te Deus.* Sitiuit, inquam, animus meus Deum eum qui fortis est, qui viuit. His verò Ceruis montes excelsi peruij, sublimitas quippe cœlestis illucescit, supremæq; doctrinæ fastigium, quod nubes omnes exuperat, quò simulac mortaliũ insidiis appetuntur, aut Canũ latratibus exagitantur, tutò confugiant, & sine perturbatione sospitentur. Vbi verò in Diuinis ipsis literis, in Prouerb. quippe Salomonis legitur, *Ceruus amicitiæ, & gratiarum pullus fabulentur tecum*, hieroglyphicè quidem, ait Euche. ita interpretantur, vt Ceruũ amicitiæ, accipiendũ putent Christum, totius dilectionis & charitatis magistrum: nam & alibi, & præcipuè in Cantico, Christus ex Cerui imagine describitur, vt eo loco: *Similis es tu fratruelis meus damulæ, aut innulo Ceruorum.* Gratiarum verò pullum quem accipiamus, nisi columbinum, ac perinde S. Spiritum, qui sit omnium gratiarum; quippe vt veteres vocabulum vsurpant, χαρισμάτων distributor? Admonemur ergo per Salomonis præceptionem, vt semper Christi, vel Spiritus Sancti solatia requiramus. Sed antequam cornuum Ceruinorum genera prætereamus, id obseruandum, è Ceruorum genere qui cornibus latis sunt, Tragelaphos, vt tradit Eucher. Diuinis literis nuncupari. Animaduerti interdum è summis fraxini arboris ramis nasci quid ad huiusmodi cornuum similitudinem, surculo quippe aliquo detruncato, mox gummi de cortice exudante, qui in eam mox speciem Virgiliani visci more crescat, & vario flexu modò in spiram, modò instar achanti, flexibus anguineis incuruetur, id quicquid sit, lignũ omninò est, atque admodùm solidum, sed forma lata striisq; multiplicibus loricata.

Vox Domini quid.

Columbinus pullus.

A FEROCITAS IN TIMIDITATEM VERSA.

Sed quoniam in Tragelaphum incidimus (qui nomen id adeptus est à cornibus, quæ propter latitudinem & strias huiusmodi hircinis admodùm similia sunt, ramosa tamen, sed non in acutum tendentia) quid de Hippoceruo dicemus, quem nostra vidit ætas, anteriore parte Equum, posteriore Ceruum, sessoris & ephippij patientem, ingressu tamen incommodo, vtpote qui modò assultu, infesta modò succussatione sessorem conquassaret? Misit hunc dono Fridericus primus Mantuæ Dux Francisco Galliarum Regi, salutis nostræ anno XXXIIII. supra M.D. Quòd si quid huiusmodi pingere voluerimus, non incongruum erit animalis huius hieroglyphicum, ferocem impetu primo hominem significare, qui mox in pauidum euestigiò degeneret, & in fugacitatem elabatur.

DE CORNIBVS.

SPECIOSÆ FORTVNÆ INCONSTANTIA.

Quoniam verò Ceruus ad Lunæ similitudinem cornua nunc amittit, nunc reparat (nam & fideri cornua & decidere & succrescere videntur) hieroglyphicum nonnulli ponunt Cerui cornua, si quempiam ab ignobilitate modò ad honores euectum, modò ab honoribus ad ignobilitatem redactum assiduo fortunæ rotatu, varióque euentu, significare voluerint. Solis enim animalium cornua recidiuáque annis omnibus Aristoteles Achaicis Ceruis hoc ait accidere, eósque vt suprà dictum, præ pudore tandiu latitare, & loca difficilia accessu petere, donec alia renascantur, quamuis castratis aiunt, neque decidere, neque si priùs B deciderint, renasci. Toto verò opere cornua dignitatis, potentiæ, fortitudinis, authoritatis & imperij indicia esse commonstrantur.

SACROSANCTA DIGNITAS.

Cornu variè in sacris significationes.

Hinc aliud nascitur hieroglyphicum, vt sacrosancta dignitas ex vnoquoque cornu significetur, quod antiquissima omnis veterum indicat disciplina. Honoris enim, vti dicebamus, & potentiæ signum tam apud Gentiles, quàm apud Christianæ pietatis cultores, quíque eos præcesserunt Hebræos, habita sunt cornua. In Diuinis siquidem libris cornu passim pro Regia dignitate positum reperimus, complexáque similitudine quadam inter se, cornu, radium, & coronam. Inde Moses cornibus insignis effingitur, cuius facies diuini Solis lumine correpta, radiis quibusdam igneis promicare videbatur, adeò vt Israëliticus populus cùm splendorem eum ferre nõ posset, oculis ad obtutum cæcutientibus, ab eo, vt velata facie verba faceret studiosissimè contenderunt. Eadem porrò dictio apud Hebræos, & cornu & coronam denotat. Vnde sæpius apud Latinos in Diuinis literis cornu pro Corona positum legimus, passimq; ex instituto veteri coronæ regiæ radiorum referunt similitudinem, vt non temerè olim institutum sit eas Apollineo capite duodecim preciosis lapillis confici, qui splendore suo promicantes caput vniuersum radiis illustrarent. Totidem autem radiis coronas regias constare, tum ex numis veterum, monumentísque aliis vel ære fusis, vel marmore incisis, tum ex Virgiliano carmine videmus, vbi Latinus fœdera certaminis inter Æneam & Turnum sancturus, sic ait,

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt
C *Solis aui specimen.*

Significarunt & in portentis cornua dignitatem, vt purpurea illa, cum quibus Bos albus olim natus; Albino Clodio tum primùm in lucem edito: Imperatoriam enim illi dignitatem portendisse, persuasum est. Quæ quidem ille iam grandis cùm Tribunus effectus esset, in templo Apollinis Cumani suspendit, sortésque illis has eduxit:

Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet, Equis sternet Pœnos, Gallumq; rebellem.

Sed hæc verbosiùs fortè quàm par erat explicuimus, nulla tuarum occupationum ratione habita, mi Bocchi. Sed nosti Cerui cornua esse insigniter ramosa, quæq; ἐς παραλυσιν τόπων pro cœnaculis ad parietes affigantur, in quorum scilicet ramos hospites domesticíque omnes, annulos, sudaria, pileos, & id genus multa soleant appendere, cùm se vel cœnaturi, vel accubaturi, volunt expeditos. Hinc tot ea fuerunt quæ Ceruinis cornibus applicata reperisti. Quæ quidem si tuæ non respondent expectationi, quid ego veniam à te deprecer, qui maximè omnium vnus nosti occupationes meas? Pro summa verò eruditione tua dabis operam, vt Ceruus meus & torquibus aureis, & insignioribus aliis monilibus adornetur, vnde aliquod in eo sanctissimæ amicitiæ nostræ monumentum posteritati relinquatur.

PIERIVS VALERIANVS

AD ROMVLVM AMASÆVM, DE IIS QVÆ PER FORMICAM, ET Scarabeum, & Echinum, significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER VIII.

QVOD *maximè omnium animalium duo te, Formica scilicet & Scarabeus (quorum vitæ alterum negotiosæ eius, alterum quæ in naturæ Deorumq; contemplatione versetur, hieroglyphica sunt) in admirationem traxerint, minimè mirum est, eruditissime Romule, cùm & veteres Philosophos omnes in certamen commiserint, vtrùm brutum, humanum, an diuinum etiam eorum esset ingenium altercantes, & an ea vera sint, quæ lib. de Nat. Deo. apud Ciceronem legimus, in Formica non modò sensum, verùm etiam mentem, rationemq; atque memoriam esse. Pythagorici enim, vt optimè nosti, animam omnem, quæ sensibus & memoria sit prædita, rationis identidem atque etiam orationis esse participem asseuerant, neque interioris tãtùm, verùm etiam exterioris, qua vniuscuiusque generis animalia, quantum necesse habeant, inter se mutuò loquantur. Minimè verò mirum esse, eorum quæ Bruta vocamus, verba non discerni à nobis, Italis videlicet aut Græcis, cùm barbarorum etiam multorum verba minimè discernamus, qui vtrùm loquantur an vociferentur, distinctè satis non sanè possumus intelligere. Quamquam proditum est, fuisse etiam apud antiquos, qui sermonem animaliũ omnium intelligerent, inter quos Melampum & Tiresiam præcipuè memorent, & multorum scriptis celebratum Apollonium Tyaneum, quem referunt in amicorum cœtu & audisse & intellexisse Hirundinem aliis nunciare Asinum prope vrbem onustum tritico cecidisse, triticumq; humi diffusum. Philostratus vbi historiam istiusmodi narrat, Passerem fuisse scribit, quem ita loquentem Apollonius intellexit. Vtcunque verò, calluisse eum & auium & brutorum id genus linguas, vno omnes consensu tradunt. Sedenim parum hoc mihi videtur, quod, vt alia missa faciamus, Formicæ Scarabeive inter se loquantur, cùm alia in his spectemus, quæ prudentiam, quæ pietatem, quæ legum obseruantiam, quæ agendarum intelligendarumq; rerum, quæ vel Philosophis interdum negotium facessere consueuerint, notitiam præ se ferant, quòd in multis humanæ vitæ commoditatibus illa ipsa quotacumque animalia nobis documento fuerint, & viuendi propemodùm rationem indicarint. Sed næ ego ineptus, qui super his ad Romulum Amasæum eruditissimũ eloquentissimumq; virum disseram. Sedenim dabis hoc amicitiæ nostræ, vt etiam liceat ineptire, denique iis sermonem facere, quæ tu decies in anno longè disertiùs & eruditiùs è suggestu publico docere soleas. Nostram verò hanc diligentiam non est vt obscuram quispiam existimet, quòd in tam tenui moremur insecto, cùm in eo tam magna naturæ miracula delitescant, quæ Aegyptij sacerdotes diligenter contemplati essent, hæc per Formicam suis hieroglyphicis adscriptam significari voluerunt.*

Brutorum sermo à nõnullis intellectus.

INVESTIGATIO.

DILIGENTISSIMAM in primis inuestigationem, solertiamq; in iis comparandis, quæ ad vsum vitæ facerent, per huius animalis hieroglyphicum ostendebant. Formica siquidem ea quoq; deprehendit, quæ quisquã accuratissimè occultauerit, pari cum Sole diligentia, qui quotidiè omnia terrarum opera visitatione sua collustrat, quapropter in Isthmo Soli Formica immolari solita.

PROVIDENTIA.

Summa Formicæ prouidentia.

MOX & prouidentiam demonstrabant, quia memor hyemis cibaria comparat & recondit, & cellas promptuarias facit, semina interim ne nascantur morsu secat, abrosaq; condit, ne rursus in fruges exeant è terra, atque inutilia inde sibi ad vsum alimenti fiant. Quin etiam si ea imbre madefacta senserit, profert atque exiccat, idq; eo tantùm tempore, cùm tranquillum atque serenum cœlum præsenserit. Quamobrem nunquam ex nubibus imbrem effluxisse conspexeris, cùm à Formicis expositum est frumentum, quod supra humanæ intelligentiæ captum esse negarit nemo, nisi paucissimos commemorare velimus, ea insignes præsagitura, vti Democritum fuisse memorant, quem tradunt iussisse fratri, cœlo admodùm sereno, vt quam rapidissimè posset messem omnem sub tecta inferret, atque effusissimum paulò pòst diluuium subsecutum. Adhæc, hanc prudentiam, siue cœlestium cognitionem Formicæ adscribit Aelianus, vt cùm nonum à Lunæ coitu diem inauspicatum norit, nunquam eo die de latebris exeat. Sed vt ad asseruandæ frugis prouidentiam reuertamur, ea si homini largiùs, aut pari saltem cum Formicis portione concessa esset, Phalaris Agrigentinorum tyrannus loca quædam in Sicilia munitissima, tam paruo negotio minimè cepisset. Is enim simulato cum oppidanis fœdere, frumenta quæ residuò habere se dicebat, apud eos deposuit, deinde data opera, vt cameræ tectorum, in quibus ea condebantur, rescissæ pluuiam reciperent, frumentaq; ita computrescerent, illos fiducia additi commeatus proprio tritico abusos, primo æstatis initio aggressus, in inopia compulit ad deditionem. Quod vt exẽplo nobis sit, sacræ etiã literæ adhortantur, quæ pigros desidesq; admonent, vt ad Formicã se conferant, atque

Sapient. 6.
Prouerb. 6.

atque illa prudentiores fieri contendant. Salomon Formicam minimum terræ animal, sapientiorem sapientibus asseuerat, propterea quòd sibi præparat in messe cibum. Deus verò, vt arbitratur Adamantius, industriam hanc, vel quasi prouidentiæ similitudinem Formicis dedit, vt aliis ratione vtentibus perspicuum esset exemplar, quò Formicarum opera contemplantes, ad res gerendas ipsi quoque aggrederentur, vsui necessaria compararent, & parta discerent asseruare.

LABOR INDEFESSVS.

ADHÆC laboris perseuerantiam ex Formica picta significabant: nam ea non interdiu solùm, verùm etiam noctibus laborem exercet. Quanta verò diligentia eandem semper itat viam, neque vnquam aberrat à loco, in quo quicquam reposuerit, quanto nixu semina, quæ præpondere gestare non possit, pedibus protrudit, quàm officiosè aliæ sesis succedunt, opemq; afferunt, vt meritò sit exemplum nobis magni Formica-laboris, quæ argutam longè argutiùs Cicadam eluserit, cùm illi, vt in fabulis est, respondit, *Aestate quæ cantaueris hyeme salta.* Æneas Platonicus in Theophrasto, vbi differit Euzitheus, eorum opinionem refellit, qui defunctorum animas aiunt id genus animalium sectari, cuius vitam, dum in humanis essent, imitabantur, ad diligentissimam hanc inuestigationem, solicitosq; labores Formicam accommodat, quam, si ita esset, Vlysses post obitum assectari cogeretur, qui nobis ab Homero exemplar datus est, in quo quid virtus, & quid patientia posset, intueremur, idemq; laboriosus omnium Poëtarum celebratione decantatur. Plato autem in Phædone tradit, eorum animas, qui popularem ciuilemq; virtutem absque Philosophia, consuetudine exercitationéque freti exercuerint, in Formicas abire post obitum. Nam & ea quæ de Myrmidonibus narratur fabula, Theogenes eo quod super Aegina scribit opere, quem scriptorem Pindaricus interpres citat, Aeginetas ait, olim in subterraneis speluncis habitasse, quámque excauabant terram in cultum arborum egerere solitos, mox fructus congestos introferre, vnde à Formicarum similitudine nomen illis Myrmidonũ accesserit. Sedenim de Myrmidonibus priscorum fabula est, ne Græci vnquam nugari desinant, Iouem in Formicam mutatum Eurymedusam Archelai compressisse, vnde Myrmidon genitus eius gentis caput.

Fabula Myrmidonum.

PIETAS.

RECTE autem & pietatem, quæq; mutuò mortales mortalibus officia debent, per Formicam expresseris, si commeare eas in formicarium spectes, Formicæ alterius cadauer inferentes, prodire ex cauo aliquas, factasq; obuiam quasi consternatas retrocedere, bis idem térque factitare, alias demum vermiculos ab inferiori loco, vtpote redemptionis præmia, quibus cadauer redimant, conuectare, alias verò tentare, si quæ dissectæ fuerint, vt partes committant, & cohærere faciant impellere etiam, vt quæ nihil intermittant, quò explorent, an per se demũ redire queant. Quòd si quis, vt Aeliano teste Cleanthes inquit, animalia hæc rationis expertia contenderet, sola huius rei contemplatio admiratione errorem emendare potest. Quantum verò pertinet ad victus conuectationem, Petrarcha noster maluisset hæc de Ape potiùs, quàm de Formica dici, ne furacitati adeò fauere videremur. Nam & in fabulis est, Formicas, quæ nunc sunt, homines aliquando fuisse agrestes, eodem fermè ingenio, quo reliqui ferè omnes rustici damnantur, furaces scilicet & raptores, qui licèt in id genus animalia fuerint transmutati, pristinum tamen conuectãdi prædas, & rapto viuendi morem obtinuerunt. Animaduertendus verò locus est Leuitico cap. XXII. *Si fractum, si cicatricem habens*: vbi Septuaginta pro *Si fractum*, *Si formiculosum* reposuêre, per quem loquendi modum hieroglyphicum scilicet, interpretes eum intelligi volunt, qui cogitationem omnem in terrena & secularia negotia conferat, neque pensi habeat quicquam nisi vt cibo potuq; saturetur, quandoquidem hæc est Formicarum vita, vt quæ ventri apta sint & commoda, vndecunque contrahant congregéntque, vt notat Hesychius, illũdq; Salomonis de quo superiùs, *Vade ad Formicam, ô piger, & vias eius considera*, ita intelligit, nempè quia pigrum ignauumq; ad negotia prouocabat, non vt qualia Formica facit, rapto scilicet viuendo, faceret, sed vt laborem, diligentiam, prouidentiámque eius in rectis operibus æmularetur.

Mutua formicarũ officia.

INÆQVALITAS.

SVNT qui collegas impares, aut inæqualitatem in moribus, in dignitatibus, in cẽsu, & in omni denique vitæ colore significantes, Camelum & Formicam pingant, laboriosum vtrumque animal, sed facie, magnitudine, reliquóque ingenio magnopere inter se dissident, vt nullis comparationis terminis circunscribi valeant. Apud Aegyptios fateor hieroglyphicum hoc non haberi, sed vsitatissimi prouerbij citatio, μύρμηξ ἢ κάμηλος, ne prætereatur monet.

Morũ dissimilitudo.

OPVLENTIA.

ILLVD exploratum satis, opulentiam per Formicas significari, non tam apud Aegyptios, quàm etiam apud Aruspices, siue de nostratibus, siue de Indicis intelligamus, quarum hæ quidem victui necessaria oppidò congerunt, Indicæ aurum, & pretiosam supellectilem accumulant, vt non immeritò Formicaria bona de affluenti diuitiarum copia dicantur, quam augures iis portendi asseuerant, apud quos illæ rem congerant, veluti Midæ illi Phrygi, cùm puer esset, dormienti Formicæ in os tritici grana congessêre, ex quo ditissimum hunc fore ita prædictum est, vt euenit.

MVLTITVDO INFESTA.

Fatales Formicæ.

ALIOQVI Formicæ infestæ multitudinis signum apud Aruspices fuêre, vt quæ Neroni mortis appropinquantis præsagium attulerunt, qui sibi visus est per somnum pennatarum Formicarum multitudine oppleri. Nam & paulò pòst concitata in eum multitudo, mortem accelerare compulit. Ferales etiam fuêre Tiberio, quæ Serpentem ab eo in deliciis habitum adhuc viuentem corrosêre: nam Aruspices cauendum sibi esse à multitudine responderunt. Sunt qui inauspicatas esse putent ob colorem, qui omninò feralis est, quanquam in Pephno insula Laconiæ Formicæ candicant.

INTERITVS.

IN vniuersum autem coniectores ideò Formicas indicium esse mortis asseuerant, quòd terræ filiæ sint, & in subterraneis cauis habitent, quò identidem mortuorum cadauera inferuntur.

AVDITORVM FREQVENTIA.

AT solis literarum professoribus lætum est ex Onirocritarum disciplina Formicas in aures obambulantes imaginari: siquidem aiunt puerorum multitudinem hinc significari, quæ ad audiendum cumulato numero sit aduentura, vnde Martialis in optatissima Grammatici commoda iocatus ait:

Sic te frequentes audiant capillati.

INANIS GLORIA.

PROBATISSIMI sapientissimique morum scriptores quidam κενοδοξίαν per Formicæ hieroglyphicum expressêre. Inanem nostri gloriam dicunt, qua nos ipsos supra modum & meritum æstimamus, tacitiq; nobis applaudimus. Latet enim plurimum hoc vitium in abditis animi recessibus, cogitationisque deliciis pascitur & educatur. Formica verò in cauernis sese libenter continet, nec nisi necessitatis causa prodit in propatulum, cùm scilicet aut speculatum, aut præ-
Cenodoxiæ incõmoda. datum properat, vel congestas opes curat, de quarum solicitudine superiùs satis dictum. Habet verò hoc Formica cum Cenodoxia simillimum, quòd laboribus & fructibus insidiatur perinde ac insidiosa pestis, hæc quidquid præclarè egerimus, & quascumque adoreas acquisiuerimus, labefactare furtim aggreditur, illa in opes iam partas, hæc in virtutes & partam iam existimationem populabunda. Fecimus quid in bello fortiter, fors & corona donati sumus, surrepit hæc clanculum, & folia decerpit singula, dum nostra nos facinora narramus, & gloriosum militem, vt in comœdiarum fabulis est, imitamur. Prudenter aliquid cauimus, id quicquid est Cenodoxia vitiat, & gloriando mutat in imprudentiam. Beneficio aliquem affecimus, destruit illud gloriatio, efficitque vt de quo benemeriti fuerimus, maleficio se à nobis affectum putet, operámq; ita & oleum perdamus. Plurimum temporis in ieiuniis, in vigiliis, in orationibus, in continentia, in animi, corporisque moderatione, sine vlla mentis auersione consumpsimus, aduenit Cenodoxia, quæ fructum omnem, quem per labores tot collégeramus, rapidissimè depopuletur. Ingeniosè, doctè & accuratè aliquid conscripsimus, sed dum nos ipsi illud efferimus, & aut nostros non apparere labores ingemiscimus, aut eorum venditione molesta gloriam affectamus, Cenodoxia illa, illa inquam statim obscurat, quæ alioquin futura erant illustria, proq; ingenio soliditatem, pro doctrina imperitiam, pro studio negligentiam obiectat. Danda itaque est opera, vt laudabilia quidem faciamus, ex quibus gloria spontè nascatur, sed cùm eam visi fuerimus acquisiuisse, negligamus potiùs quàm efflagitemus: ita enim cumulatior, & corollaris etiã aucta vltrò percita subsequitur. Siquidem *Virtus ipsa sibi pretium est, nihil indiga laudis*, diceret Claudianus, eam tamen vel inuitam honor & commendatio comitatur.

DEPOPVLATIO.

SED vt ad Ægyptios reuertamur, agrorum vastationẽ & infrequentia facta loca, quæ populosa priùs fuerant, per Formicã & Origani fasciculum sacerdotes illi significabant, per Formicã, vti superiùs declaratum est, hieroglyphicum populi, quod passim iam habetur, per Origanũ, solitudinẽ eius intelligentes. Ea siquidẽ herba loco apposita qua Formicæ meant, modico vel salis, vel sulfuris puluisculo simul inspersо, efficit vt iter deserant, suisq; relictis cauernis aliò migrent. Nam &
Origanum eiusq; virtutes. Sotionis in agricultura præceptum est, Origanũ syluestre frumenti aceruis circũspargere, ne Formicę grana depopulentur. Sed si actutùm eas tollere quis velit, experimento cõpertum est, faciliùs summoueri posse, si captas aliquot cõbusseris, & cinerẽ in cauum iniecеris, in agro verò si eandefactum ferrũ in cespitẽ vbi nidificant impegeris. Est verò Origanum herba vulgò etiã nota Romę, & aliis Italiæ locis, Latinè Cunila bubula appellatur, quam vtpote præcipuè suam Ligures littorales Cornabuliã vocant putri, vt prouerbio fertur, aptissimã salsamento. Cæterùm cùm permultæ eius species ab authoribus referãtur, eademq; variis cognomentis appelletur, satis fuerit attestari Cunilam bubulã esse, quæ ὀρίγανον Græcè dicitur, quã à Testudine, cùm ea Viperam ederit, ad incolumitatẽ carpi dicit Aristoteles, & ab eo Plutarchus. Apud Plinium legas, cõtra Serpentes priuatim, quæ Cunila bubula appellatur, apud Aristotelẽ, Ciconię cũ vulnus acceperint (eas enim cum Serpẽtibus assiduè dimicare cognitũ) Origanũ plagæ imponunt. Theodorus Gaza vir accuratissimus, vbicũq; sit Origanũ interpretandũ, Cunilã reddit, quorũ fuerunt testimonia adducẽda, quia nonnulli

A nonnulli Cunilam bubulam eandem & Origanum esse, pertinaciter negant. Addam illud, cùm inter tres præcipuas Origani species Onites connumeretur, doctissimos ætate nostra viros de hac non parum dubitare, eámque sibi incognitam ingenuè profiteri. Nostri Bellunenses speciẽ quandam Origani, caule, foliis, & floribus grandioribus vulgò apud nos prouenientem, Pulegium asininum vocant, vnde putarim Onitis vocabulum, vtpote quod ὄνος & ὄνε, qui Asinus est, commodissimè deduci potest, apud nos ita Latinè interpretatum; ea verò herba nimirum Cunila est. Ne verò cuipiam mirum adeò videatur inesse vim eiusmodi gramini tam vulgari, vt Formicas fuget, Ambrosius herbam quandã memorat Gillam appellatam, cuius folia turtur nidis suis excluso fętu superiacere soleat, eoq; pacto pullos ab Luporũ incursu deprædationéque tutari. Lupus enim folium huiusmodi vsque ad fugam abhorret. Leopardus verò Allium ita sibi sentit abominabile atque contrarium, vt si quis eo locũ vbi ille moretur, confricuerit, exilire cogatur & aufugere. Ælianus primo de naturis Animalium scribit, Noctuas à Ciconiis suo nido procul summoueri, Platani eò foliis importatis, quorum contactum Noctuæ ferre nequeant, ex eo in torporẽ illabentes, Ciconiasq; ita pullorum suorum incolumitati prospicere, quibus assiduè Noctuæ inimicabiliter insidiantur, de quarum alitum inimicitiis suo loco dictum est. Neque verò Ciconiæ tantùm, Turturésve aut Testudines medelam sibi nanciscuntur naturæ ductu, verùm etiam & Canes & Sues, & ex animalibus pleraq; alia. Canes quidem cùm fellis vitio laborant, gramen illud suũ decerpunt. Sues, si cephalalgia crucientur, fluuiales Cancros inuestigant. Mustelæ rutam, si quãdo colubrum comederint, Carpũt. Angues marathro lippientes oculos depurgant. Huiusce rei quænã sit causa, non otiosè quæritur à quibusdam, quippe cùm animalia hæc talia neque didicerint ab aliis, neque quidem doceri potuerint, cur ita norint quæ suis sint ægritudinibus vtilia, quę nos aliis disputanda in medio relinquemus, iis iam contenti quæ ad veterũ picturas declarandas facere videbũtur. B

Gille, Allij, & Platani virtutes.

INCOLVMITAS.

FELICITER mihi quidam videntur excogitasse, vt si hominem grauiore aliquo morbo confectum, minimæ tamen rei cuiuspiam ope incolumitati redditum significare vellent, Vrsam lingua in Formicas exporrecta hieroglyphicè pingerent: Vrsam enim ferunt Formicarũ esu, quas lingua illexerit, ac mox potu adhibito deglutierit, morbi opem sibi comparare, quod eo præcipuè tempore facit cùm primùm è specu prodit, vbi ieiuna hyemarit. Nam Aron in primis agreste pascitur (eam Dracontij speciem Medi ponunt) cuius acerbitas intestinum inedia concretum laxat: quod si nullam attulerit opem, Formicis eo modo deuoratis, incolumitati pristinę restituitur.

LATEBRÆ.

DE latebris verò in quibus aliquis se contineat, per Vespertilionis alam, & Formicam indicatis, inter reliqua Vespertilionis significata diximus.

DE SCARABEO.

AC de Formica quidem hæc dicta sufficiant. Quod verò pertinet ad Scarabeũ, Appion ille Grammaticus, quem cymbalum mundi Tiberius est appellitare solitus, rideri à plerisque visus quòd curiosa nimium interpretatione, Solis operum similitudinem vermiculo tam exiguo, tam bruto inesse collegerit, ad excusandos gentis suæ ritus quæ pilularem Scarabeum magna ex Ægypti parte inter numina coluerit, quem reliqui etiam in
C fabulis tanta veneratione prosecuti sunt, vt scribere non dubitarint, quemadmodum Scarabeus inexorabilem se vel ad Iouis preces opposuerit, qui multis ab eo verbis contendebat, vt cum Aquila rediret in gratiam, coactúmq; Iouem ipsum alia ratione tantæ ire obuiam inimicitiæ. Cæterùm si quæ de Scarabeo traduntur vera sunt, vera autem vt credamus esse, non ipsius Appionis tantùm authoritas, verùm & Aristotelis & Plutarchi, & aliorum scriptorum excellentium consensus efficit, imò vt nihil hi scripserint, quæ passim nosmetipsi fieri possumus oculata fide perspicere, non verum asseuerare, peruicacis esset ingenij. Tam igitur super operibus eius admiranda cùm sint, tantum abest vt vel Appion, vel Aegyptij alij sacerdotes, qui signatè adeò rem interpretati sunt, ridendi videantur, vt merita potiùs, hoc est, magna & ingenti laude fraudandum minimè sit eorum inuentum.

MVNDVS.

CVR enim quis Aegyptios sacerdotes irrideat, quòd mundi speciẽ, motusq; ipsos per Scarabeum significare tradiderint, non satis video, si pilulas illas, in quibus seminiũ ex sese primùm habuerint, ac in vermiculos primùm, mox in certam effigiem conformati fuerint, ad mundi ipsius imaginem & rationem fieri compertum est. Scarabeus enim certo anni tempore bubulum excrementum nactus, materiam eam sibi suscipit elaborãdam, quod primo statim Pacis suæ versu mordet Aristophanes, αἶρ' αἴξε μάζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ. Quo loco mazam Poëta pro Excremẽto posuit, vtcunq; primùm ex ea pilulas conficit, vt iam mundi ipsius formã initiò imitetur, mox eas ab exortu occasum versus posticis impellens pedibus, non intermissa rotatione protrudit, ipse interim auersus ortum spectat, quasi de industria id det operam, vt cœli ipsius exemplar intuendo,

Mundi varij motus per Scarabeum.

imaginem

imaginem eius exprimere conetur. Quid verò illud, quòd inter rudendum à Subsolano in Africum ferrur, quasi astrorum cursui fieri obuiam contendat, qui quidem proprio motu ab Africo ad Subsolanum est? Neque me præterit, esse qui non bouillum, sed asininum excrementum ad hoc opus deligi autumant, & ab eo inter volutandum genitale semen fimo superfundi cõminiscẽtur, vnde materies ipsa concipiat. Addunt etiam, vt historia sit verisimilior, nomen ipsum conuenire, quòd Canthon asinus sit, vnde Cantharus insectũ id denominetur. Sed hæc varietas ad nos nihil, cùm de pila sermo sit, quã ex fimo Scarabeus informet, atque mox in aquas volutando protrudat.

GENERATIO.

Scarabei ortus & generatio.

PROXIMVM huic significatum est, rerum procreationem atque principium, ex eiusdem animalis imagine significare. Siquidem ex aquis in lucem prodeunt Scarabei, veluti rerum omnium generationẽ ab aquis esse Philosophi non postremæ authoritatis autumãt, Homerũ quippe secuti, qui totiens Oceanum rerum Parentem omnium appellat. Nam ea quis quotidie non tueatur, scandere aquas in cœlum, diceret Plinius, easdemq; cadentes omnium terra nascentium esse causam, fruges inde gigni, arbores fruticesq; viuere, vitalem etiam herbis animam elargiri, omnes denique terræ vires aquarum esse beneficia? Quòd verò Scarabeos diximus ex aquis primùm lucem auspicari, ex historia cognoscere est, quòd scilicet simul ac pilæ illæ ex fimo fabricatæ sunt, Scarabeus terram infodit, vbi eas per dies octo & viginti sepultas occulat, quot itidẽ diebus Luna duodecim Zodiaci signa perambularit, atque hæc hyeme potissimùm rigente fiunt. Dúmque ita pilæ terra coopertæ confouentur, animantur primùm in vermiculos, inde paulatim in id genus informantur, fimo tamen vti folliculo quodam incluſi, nono autem & vigesimo die pater è nido prodit, pilulas egerit, & figulas, vti dicebamus, protrudẽdo in aquam prouoluit, vtpote qui diem eum Solis & Lunæ coitum conciliare non ignorat, ac perinde mundi ipsius generationẽ quãdam assimilare, orbe inde Lunæ nouæ oriri incipiente. Pilæ autem in aquis mollitæ primùm, atq; haud ita multò pòst adapertæ cùm fuerint, informati iam excluduntur Scarabei, & nigrum it campis agmen. Quòd si Formica tanto hominum consensu prouidæ titulum consecuta est, quòd in conuectandis asseruandisq; prædis admodùm sedula esse videatur, quos hõnores habẽdos Scarabeo excogitabunt mortales, qui non humanarum tantùm rerum peritos eos, verùm & cœlestium, & diuinarum propemodùm non ignaros intueantur? Certè non immeritò κανθάρε σοφότερε prouerbium celebratur, ab iis qui singularem in eo vermiculo sapientiam animaduerterunt.

VNIGENITVS.

QVòd verò apud Ægyptios legitur. Vnigenitum hieroglyphicè per Scarabei figuram significari, non eo tantùm modo accipiendum, quo quempiam vnicum filium Vnigenitum appellare consueuimus, sed ea etiam de causa, quòd ab vno tantùm genus agnoscat, imò quòd solus ipse sibimet seminium fuerit: singuli enim ex pilulis singulis procreati, nequaquam habent ad quod genus referant suum, sed absque vlla propagine, nulla maris genitura, nullo fœminæ conceptu, vermium spontè nascentium instar in eam speciem prodierunt.

DEVS IN HVMANO CORPORE.

EXIGERE videtur locus is, vt quò æquiores Ægyptiis simus, Deum optimum maximum humano corpore assumpto, Scarabei similitudinem subiisse, Theologorum dictis ostendamus, neque verò quisquam indignum facinus clamitet Deum ipsum omni admiratione maiorem, insecto omnium viliſſimo, teterrimo, putidiſſimóque assimilari, qui legerit apud D. Augustinum Soliloquiis, de admiranda Christi humanitate dictum: *Bonus ille Scarabeus meus, non ea tantùm de causa, quòd Vnigenitus, quòd ipsemet sui author, mortalium speciem induerit, sed quòd in hac fœce nostra sese volutarit, & ex ipsa nasci homo voluerit.* Neque veritus est probus ille Theologus, pietatis & integritatis columen, dum in nitidiſsimo Dei fulgore contẽplãdo, hominisq; ex opposita parte cloacalẽ quendam putorem expendendo, sub turpiculam locutionis quodammodò stomachosæ nauseam, delicatiori cuipiam habitam derisui, qui satis exploratum haberet, Deum se Vermem etiã per Prophetam appellasse, proindeq; eos qui tanti mysterij cognitionem assequerentur, ac perinde stercorariam Scarabei procreationem ex historia callerent, dictum vtroque pollice probaturos. Quòd verò ad Psalmographi dictum pertinet, *Ego sum Vermis, & non homo*, fuêre nonnulli, qui pro *Sum Vermis, Sum Scarabeus*, traduxêre, quasi diceret, *Contemptiſsima res ego sum.* Euthymius ita ex Christi persona humiliare sese Dauidem ait, qui alioqui & Propheta erat & Rex, alibiq; se *Canem mortuum* appellare, vt libro Regum legitur. Qui verò putant dictum hoc propter humanã Christi generationem, quæ absque vlla viri coniunctione fuit, id nobis indicare videntur, quòd quẽadmodum Vermis è pluuia nascitur desuper in terram veniente, ita & Christus superno sancti Spiritus in Virginem aduẽtu generatus est, quam ob causam Christus Vermis dicitur. Reliqua videris apud Adamantiũ Concione in Lucã quartadecima, quam de Domini circunciſione conscripsit. Porrò Augustini dictũ eò quoque deduci potest, quòd Assertor noster ait, *Ego sum Vermis, & non homo*: quia scilicet ex mare & fœmina homo nasci solet, ego verò nõ ex masculo & fœmina secundũ ritũ humanum, atque naturam, sed in exemplum Vermis natus sum, cuius non ex aliunde semen, sed in ipsis in quibus coalescit corporibus sua est origo. Clementis Recognitionum opus circumfertur quale

Christus cur Scarabeus dictus, & Vermis.

Psal. 42.

Aqualecumque, non vocabulis tantùm vitiatum, verùm sententiis etiam deprauatum, in quo quidem multa à malignis ingeniis in institutionis nostræ ludibrium inculcata sunt. Sed hæc corrigere alterius fuerit censura, illud hoc loco tantùm attingam, quod circa 6. libri finem scriptum est: *Nos vt Canthari libenter volueremur in stercore*, vbi is qui glossemata quædam adscripsit, non *vt Canthari*, sed *vt Cantherij* legendum putat, ratus nimirum Campanum prouerbium ad hoc facere, *Cantherius in fossa.* In epistolis verò bonus ille vir quisquis censor fuerit, sed non satis eruditus, audacter *Cantherij* fecit, cùm *Canthari* dubio procul sit legitima lectio, ex hac ipsa quam retulimus historia naturali desumpta. Sed ne quid quod ad Vermem facere succurrat, prætereamus, is prauæ nonnunquam cogitationis inquietudinem hieroglyphicè significat, quod Eucherius ad Esaiæ dictum trahit, *Vermis eorum non morietur.*

VIR PATERVE.

CVM verò ita nascatur Scarabeus, vt nullo fœminæ beneficio progignatur, solaq; patris cura, labore & diligentia vitam auspicetur (non enim fœmineum est inter eos genus) hinc fit vt Ægyptij sacerdotes PATREM significaturi, Scarabei prætulerint imaginem, & vbicumque maris officium, masculamq; vim exprimi voluerint, non alio magis vterentur hieroglyphico: nam veluti pro maris & fœminei sexus symbolo Vulturem pingebant, quod illa absque patris ope procrearetur, vti commentario suo disputatum est, ita virum ob similem, quam attulimus, causam, per insectum huiusmodi intelligi voluerunt.

STRENVVS BELLATOR.

BET quoniam bellatorum animi ea maximè ratione commendantur, si viriles fuerint, virorúmque sit bella gerere, Maronis Homeriq; præcipuè authoritate, illi ipsi sacerdotes masculam virtutem atque ferociam per Scarabeum expressêre, cuius imaginem anulis insculptam milites gestasse, tradit Ælianus, de quo plura apud Plutarchum libro de Isíde & Osiride. Erat & signum Romanorum militum, Scarabeus, quo virilem animum præstare se debere admonerentur, neque muliebriter quicquam meditari faceréve, eaq; de causa dictum ab Horatio:

Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

CONTRA verò & Phrygas & ἀχαΐδας, in effœminationis opprobrium Virgilius & Homerus, vterque suos appellauit, quòd nihil saperent masculum, sed muliebri torpore ignauiáque cessarent.

SOL.

CVM verò plures sint Scarabeorum species, triũ Ægyptij meminêre, quarum vna αἰλυρόμορφος appellatur, quæ scilicet Felis faciem mira refert similitudine, estq; radiis quibusdam insignita, eaq; de causa Solis hieroglyphicum formam hanc esse voluerunt. Aiunt verò αἴλυρον, qui apud Latinos nunc Cati nũc Felis nomine receptus est, oculorum pupillarumq; vsum cum Solis cursu ἀντιπαθείᾳ quadam commutare, quippe quæ & noctu, & ingruente matutino tempore vegetiores fiunt, & acutiùs cernunt, ad ortum vsque iubaris, inde sensim incipiũt hebetari meridiem versus, atque ita quo magis ad occasum declinat Sol, eo minùs obscuriores fieri. Adhęc Scarabeo digituli sunt vnicuique triginta, totidemque sunt mensis dies quibus Sol ortu continuò gradatim per singula signa cursum peragit suum.

Scarabeorũ species tres.

LVNA.

CALTERA species bicornis est, ideoq; ταυρεία appellata, Tauri quippe insignis facie. Hæc Lunæ subiicitur, propterea quòd cœlestem Taurum Ægyptij Lunæ exaltationem commentati sunt. Gigni hos ex Vermibus, Aristoteles, qui lignis aridis innascuntur, asserit. Primùm enim Vermes ipsi immobiles fiunt, mox disrupto putamine id Scarabeorum genus exit. Cæterùm Plinius genus hoc cui Tauri cognomen cornicula dedêre, terrestre putat, eos idcirco alij terræ Pediculos vocant. Lucanos appellat Nigidius, quibus cornua, prælonga bifulcis dentata forcipibus in cacumine cùm libuit ad morsum coëuntibus, quales infantium remediis ex ceruice suspenduntur, eos in Veneta regione Gramphos, quasi Ceramphos, hoc est bicornes appellamus. Cornicula ea non tantùm collo suspensa ad quartanas, quibus id remedij applicat Plinius, verũ etiam in frigidiuscula lauatione vrinatoribus ad neruorum stuporem, qui plerumque fit in aquis, amuletum creditur; nam & id incommodi vulgò Gramphum vocitamus.

MERCVRIVS.

ERAT & sua hieroglyphico Mercurij species dedicata, quippe vnicornis, & ab reliquis forma admodùm dissimilis. Neque sum nescius, quendam etiam esse paruum admodùm Scarabeum frumenta erodentem, qui Cantharis appellatur, oritur is ex erucis fici, piri, & pini: fiunt enim ex his omnibus Vermes, cæterùm hæ postmodùm more Muscarum coëunt. Ridiculam Metrodorus Scepsius obseruationem ponit, nostro etiam tempore haudquaquàm abolitam, in frumentis oleribusque ab earum iniuria sospitandis, quod in Cappadocia inuentum prodit, ob multitudinem Cantharidum, menstruas quippe mulieres ire per media arua, hortósue, retectis (sit verbo venia) supra clunes vestibus, erucásque ita, ac Vermiculos Scarabeósque, ac noxia alia decidere. Alibi

Metrodori Scepsij ridicula obseruatio.

seruatur vt nudis pedibus eant, capillo cinctúque dissoluto versu, eo pronunciato, φεύγετε πανδαρίδες λύκος ἄγριος ὑμᾶς διώκει, *Facessite Cantharides, Lupus agrestis vos insequitur.* Cauendum verò ne id oriente Sole faciant, semen enim tunc arescere proditum est

LETHALIS A SOLE FEBRIS.

ADHÆC Ægyptij hominem lethali febre extinctum, quam sub dio solares radios perpetiendo contraxerit, significare si vellent, Scarabeum cæcum effingebant, oculos quippe vel acu, vel alia leui cuspide transfossum, ita vt exoculatus omninò videretur. Aiunt enim solares radios Scarabeo inimicos esse, quibus si vehementiùs impetatur, accidere vt statim obcæcetur, simulac verò cæcus effectus fuerit, breui etiam commori.

VIRTVS ENERVATA DELICIIS.

ATQVE hic tam egregius bellatorum ductor, tam alienus à mollitie est, vt cùm primùm venereas rosas olfecerit, emoriatur, quasi virtutem quantumuis masculam illecebris eneruari documento sit, quod quidem vel ab Aristotele traditum, ansam dat hieroglyphico non insulso: si, putà, quis velit Hannibalem durum Capuæ desidentem, effœminatum pingere, scutum illi cum Scarabei signo tribuat, oras verò clypei rosarum sertis ambiat, aut quid huiusmodi. Sunt etiam in hominum genere permulti qui rosarum halitum ferre non possunt, atque in iis pretij quantiuis viri. Nam cùm Romæ essem, vidi Oliuerium Caraffam magnæ celebritatis Cardinalem, qui rosarũ tempore quotannis secedere cogebatur, seq; intra suos, quos in Quirinali habebat, hortos claudere, custodiis ad ostia dispositis, ne quis aut salutantum, aut amicorum officij gratia ingredientium rosam inferret. Et in Romana nobilitate insignis vir Petrus Melinus, ingenio, eruditione, & loco nobilis, rosarum odore plurimùm offendebatur. Atque hæc de Scarabeo, quæ memoria complecti potui succurrerunt, plura omninò scripturus, nisi Commentarium, quod eo super olim parauera Vulturi adiunctum, ex clarissimi viri Alberti Pij Carporum Comitis scrinio surreptum, & à nescio quo bibliotapho, vel fuco potiùs, in Germaniam asportatum, adhuc desiderarem.

Rosarũ halitus nõnullis grauis.

DE ECHINO TERRESTRI.

ECHINVM Ægyptij, quod hactenus legerim, literis suis non inseruêre, multa tamen super eo significata Græci Latiniq; excogitarunt, quæ admiratione ingenij propemodùm cum iis quæ Formica super & Scarabeo diximus, conferri possint, atque ea quidem ad humanæ vitæ commoda, vtili exemplo futura, cuiusmodi illud est, quod in primis commemoratu dignum existimaui.

OPPORTVNITATIS CAPTATOR.



HOMINEM quippe temporum omnium conditioni sese accommodantẽ per id animal significari, &, quod ait Phocylides, καιρῷ λαγέδουος. Nouit siquidem Echinus (de terrestri nunc loquor, nam de marino inter pisces alibi agetur) cubilia sua Aquilonum & Austrorum mutatione commutare. Duas enim cubilibus fenestras facit, alteram Notum versus, Boream versus alteram, quáque parte ventum futurum præcognoscit, fenestram obturat, alteram recludit: sin intra tectum alatur, ad parietem discedit. Quod Cyzici quidam cùm obseruasset, consecutus opinionem est apud omnes, vt ventos qui spiraturi essent, ex se ipse præcalleret, quod alij Byzantij euenisse tradunt, fortè quòd tunc rerum summa apud Byzantinos esset. Sed vbicunque illud acciderit, satis nobis est id ab Echino fieri, quod documento nobis est, præcauere fieri possit, ne imminens nos occupet calamitas, ea si vicerit, ne aduersus præualentis fortunæ impetum reluctabundi frustra fatigari velimus: flectendam verò viam velis, cùm obniti contrà non detur, quoq; trahit fortuna, iter intendendum. Non enim est, vt idem inquit Phocylides, in ventum reflandum. Quin potiùs tales simus, vt quo nos cumque rapit tempestas, æquo animo deferamur, atq;, vt optimè Virgilius monet, si quo Italiam contingere cœlo nequeamus, quia scilicet:

Echini terrestris cautio magna.

Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër,
Nec nos obniti contra, nec tendere tantùm
Sufficimus, superat quoniam fortuna, sequamur,
Quaq; vocat vertamus iter.

Atque hoc illud esse crediderim, quod in Echino tanti facere videtur Archilochus, dum super animalis huius prudentia ita scribit:

πολλ' οἶδε ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.
Multa quidem Vulpes, magnum vnum nouit Echinus.

Vel

A Vel vt numerum reddamus,

Scit multa Vulpes, vnum Echinus, at magnum.

Sanè Salomon Erinacium inter animalia terræ minima, quæ sapientibus sapientiora sunt, nominat, vt Septuaginta edidêre. Nam Leporem vulgata editio ponit.

CONTRA PERICVLA MVNITVS.



ILLVD quoque super Echino significatum ponunt, vt per hieroglyphicum eius hominem ab insidiis & periculis ac cuiuscumque fortunæ casibus tutum ostentent. Siquidem is simul atque ferarum se impetentium odorem latratúmve senserit, in orbem sese colligit, rostro pedibúsque intrinsecus testudinis more contractis, tergore omni pilæ instar conglobato, spinisque quibus vndecumque munitus est, ad incolumitatem erectis otiatur, contactum suum omnibus formidabilem reddens. Ad hæc autem respexisse videtur Horatius Poëta, cùm se ita contra fortunæ impetum præparatum scribit, vt sua inuolutus virtute tutus ab eius iniuria fiat. Ita enim inquit:

B *Fortuna sæuo læta negotio, &*
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna:
Laudo manentem: si celeres quati
Pinnas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me inuoluo, probámque
Pauperiem sine dote quæro.

PROCRASTINATIONIS DAMNA.

ATQVE hoc tam prudens alioqui animal in opportunitate captanda, & periculis euitandis ingenio & natura præmunitus, damni tamen alicuius, ob procrastinationem ingruentis, hieroglyphicum est, si illi fœtus adiiciatur suus. Id enim malum ex contatione maius effectum ostendit, propterea quòd aluo stimulata quandiu potest partum differt, quo fit vt fœtus magis inolescens, maiorem postmodùm in pariundo dolorem afferat. Duo eius genera omninò sunt, maritimum & terrestre, vtrique nomen apud Græcos ἐχῖνος. Terrestris, de quo iam diximus, omnibus innotuit sub Erinacij nomine. Huius quoque species duæ sunt, Suilla, & Canina, quæ quidem rictu & pedibus aut Suillis aut Caninis similibus distinguuntur. De Suillis Eucherius: Erinacei chœro grilli nuncupantur magnitudine propè mediocrium Cuniculorum, qũi de cauernis petrarum procedentes, gregatímque in eremo, quæ est contra Mare mortuum, pabulantur, qui & Echini dicuntur, ita spinoso defenduntur tegmine, vt nec contingi quidem possint. Par huic cum Formica solertia comparando victu, qui poma aculeis affixa congerat in cauernam, infamis tantùm est inuidiæ nota, quòd cùm optimè norit se propter cutem præcipuè peti, cuius vsus poliendis velleribus inseruit, simulac in periculum se adactum videt, vrina sua emissa tergus omne conspergit, sibi conscius id inde putrescere, aculeósque sponte mox decidere.

C

Echini terrestris species duæ.

* *
*

PIERIVS VALERIANVS
AD FABIVM VIGILEM SPOLET.
de iis quæ per sacram Suem significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER IX.

Palæmonis dictum de M. Varrone.

PALÆMONEM *olim aiunt magni nominis Grammaticum, incomparabilem M. Varronis eruditionem admiratum, literarum eum Porcum appellasse, tanta sibi interea earum prærogatiua adrogata, vt Virgilium diceret iam tum de se præsagisse, cùm cecinit:*

Audiat hæc tantùm vel qui venit ecce Palæmon.

vnum se quippe futurum, qui de scriptoribus iudicaturus esset, cuius ferulæ atq; censuræ omnes veterum & iuniorum lucubrationes subijci deberent, natas secum literas, secum interituras summa vanitate iactaret. Hic est Rhemnius Palæmon patria Vicentinus, cuius monumentum hodie in Sumano monte agro Vicentino imminente cum epitaphio ostenditur, vbi rus ei fuisse verisimile est, cùm aliàs etiam agricolationis & vineti studiosissimum fuisse, & C. Plinius ostendat, sed ea fuerit ductus gloria. Certè dictum illud hominis de Varrone non à Grammatico, qui literarum tyrocinia doceret, non ab insano aut inepto viro quopiam effusum, sed vt diuinitùs potiùs editum accipimus: nam & olitor sæpe non contemnenda protulit. Nos quippe Varronem non ea de causa literarum Porcum vel à Palæmone vel ab alijs appellatum asserimus, quòd scripta eius sint vlla in parte lutulenta, vel ex hara producta, sed quia nihil sit Varrone ipso neque lautius neque copiosius, neque magnificentius, qui tam multa, tã varia, tam præclara conscripserit, magnæ studiosis omnibus vtilitati futura, nisi acerbissima temporum clades thesauros eos posteris inuidisset, quare is omnium consensione vir doctissimus, ac omnium disciplinarum parens, totius prædicatione vetustatis habitus. Quòd verò doctrina eius Porco æquiparata sit, ea est causa, quòd nullum animal à Sue, pluribus magisq; varijs condimentis aptum, quòd nihil ea carne parabilius, & omnium epularum vsui magis expositum, quinquaginta propè saporibus ex eo, vt veteres obseruarunt, excogitatis, vt non alio ex animali copiosior, neque lautior humano victui materia suppeditetur perinde ac multa & varia Varronis scripta argumentum nullum intactum reliquêre, splendidissimoq; rerum omnium apparatu vniuscuiusque animi famem expleuêre. Hæc igitur cùm super Varrone ipso meditarer, fortè accidit vt scripta quædam mea recognoscerem, quæ scilicet olim ad ἱερογλυφικὸν interpretationem elucubraueram, eaq; inter amicos diuiderem, mei erga se vel amoris vel obseruantiæ testimonium, prorupit ex his ecce Porcus Aegyptius, quem aufugere tentantem cùm postico arreptum pede comprehendissem, cui dono conuenienter hunc mitterem cœpi circumspicere. Varronem quippe aliquem deposcebam, hic mihi tu Fabi Vigil occurristi mortalium eruditissime, cui meritò hanc condimentorum lautitiem & σικελικὴν ὄψα ποικίλων, quam de Porco memorant, vti Varroni congruam, ita tuæ perquàm similem opulentiæ dedicarem. Nam tu quoque nullum dicendi genus, argumentum nullum, nullam arcanæ quantumlibet doctrinæ partem intactam reliquisti, quæ de diuinis humanisq; studijs, de rerum natura, de moribus, de ratione dicendi, de quacumque demùm re, vel dici, vel excogitari possunt, tuo illo magno ingenio, felicissimaq; memoria complexus es, vt vix alterum ætate nostra conspiciam, quem Varroni illi literatissimo conferre possim. Quare Porcum hunc meum tibi deberi meritò iudicaui, cuius immolatione sanctissimum amicitiæ fœdus tam piè semper inter nos cultum & obseruatum, quæ tua est animi syncerissimi, spero me perpetuò confirmasse.

PERNICIES.

Diogenis iocus in athletas.

AEGYPTII Sacerdotes vt odium, quo suille genus omne persequebantur, literis testatum suis relinquerent, pernicioſum hominem Suis hieroglyphico significari instituerũt. Est enim natura animal admodùm vitiosa, pruritu impotens, Luna maximè deficiente, constátque pariter eorum corpora vitiari, qui lac eius biberint, lepráque & putida scabie contaminari. Quinetiam frequens Suillæ carnis esitatio aciem obtundit ingenij. Vnde iocum Diogenes excepit in athletas, de quibus interrogabat quidam, cur icti non sentirent: *Quia*, respondit ille, *Suillis ac Bubulis carnibus educati sunt*, ad animum scilicet vertens quod alter de corpore quæsierat. Huiusmodi enim cibi quamuis corpus obdurent, mentis tamen acumen habebant. Adhæc, maleficum est etiam monstrum, quia satis cladem non exiguam infert, damnosamque facit pauperiem, dum teneriorem segetem non depascit modò, sed & fœdè proculcat, & rostro eruit. Vnde primùm hoc animal Cereri sacrificatum Poëtæ testantur, & fabulæ exortæ sunt de Cromyonia Sue Apri Calydonij matre, vno ex Thesei laboribus. Itaque Salaminij lege statuerunt, vt eorum Suum dentes attererentur, qui segetibus cladem aliquam intulissent, de quo publicè statutum est apud Bellunenses meos.

SEN

SENSVS MAXIME BRVTVS.

De Sue intellectus mysticus.

PRÆCIPVE verò fuit apud Ægyptios de Sue significatio, vt per eius simulacrum intellectum mystico sensum materiæ penitùs affixum, atque illi præcipuè coalitum indicarent, quod licèt in animantium omniũ, nedum in omni brutorũ genere cõspiciatur, nescio quo pacto tamen longè magis brutum in Sue plurimùm apparere, vnicuique manifestum est. Hic verò sensus rationi plerunque sese constituit aduersarium, non aliter quàm materiæ ratione habita, corpus animæ tã mulris in negotiis reluctatur, de quo præclara Platonis in Phædone sententia, τῷ μὲν θεῷ, ἐ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, ἐ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, ἐ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ κατ' αὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν, τῷ δ' ἀνθρωπίνῳ, ἐ θνητῷ, καὶ ἀνοήτῳ, ἐ πολυειδεῖ, ἐ διαλύτῳ, καὶ μηδέποτε κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον αὖ εἶναι σῶμα, *Animam quidem perquàm simillimam esse parti ei, quæ diuina est, & immortalis, & intelligibilis, & vniformis, & insolubilis, & eodem semper modo circa eadem habeat: corpus verò identidem simillimum humanæ, & mortali, & incognito, & multiformi, atq; dissolubili, & quod nunquam circa eadem, eodem habeat modo.* Ex argumentis autem huiusmodi, quicquid apud Philosophos altercationis est in explorãdis naturę secretis, emanauit, aliis rationem rerum, aliis sensum præferentibus, eam illis incorruptibilẽ perinde ac animã esse asserentibus, his hũc cogitationi, veluti & ipsos corporis affectus, propinquiorẽ esse concertantibus. Quare minimè mirum est Ægyptios, & qui disciplinam eorũ secuti sunt, in contemplandis iis potissimùm quæ à corporibus disseparata viderentur, occupatos, Porcum quippe animal sensui tantùm dedirum aspernatos esse, quippe qui corpus identidem summeq; vt in Papyro commonstrauimus, minimi faciebant, eiusq; alendi, curandiq; negotium perexiguum suscipiebant, sensui, quem falli in vnoquoque animantium facillimè posse suspicabantur, parcissimè fidem adhibebant: contrà verò Aristoteles, quique eum sequuti sunt, sensum ita sunt admirati, vt eũ cogitationibus omnibus prætulisse videatur. Sed nostra nos significata prosequamur.

VANILOQVENTIA.

Sue Elephanto inuisus.

AEGYPTII autem sacerdotes, vt apud Horum est, si vaniloquentiam hieroglyphicè significare vellent, & Suem & auersum Elephantum sculpere consuerunt, idq; perinde erat, ac si rationem à brutali sensu auersum ostẽdere voluissent. Nam cùm Elephanti significata Commentario suo conscriberemus, eum in omni ferè virtutis numero, si de brutis hoc dicere liceat, rationis propemodùm participem inueniebamus. Huic Sus opponitur, qui antipathiæ ipsius cogente vi, vsque adeò est Elephanto inuisus, vt ab eo nullo possit consilio tolerari, sed quumprimùm auditus fuerit eius grunnitus, fugam Elephas arripere cogatur. Nota historia est, quemadmodum Megarenses ab Antipatro afflicti, cùm ad manifestum exitium premerentur, vteretur; ille, Elephantorum robore, excogitarint Porcos pice oblitos, & iniecto mox igne flammatos in Elephantorum gregem immittere, quo facto validissimum Regis conatum negotio minimo irritum reddidêre, victoria per ingenium sibi comparata.

VIS ANIMI LABEFACTATA.

ANTIOCHVS aliquo hominem, qui tamen improuisa aliqua specie sit exterritus, per Porcum & fugientem Leonem exprimere quorundam inuentum fuit. Aiunt enim Leonem Suis congressum declinare, visumq; aliquando cùm Suem aggrederetur, vt setis horrẽtem aspexit, aufugisse. Sed enim hoc Leoni haudquaquàm accidit ob naturæ dissidentiam, vt Elephanto, sed ob horrificam Suis indignati speciem, quam cogebatur exhorrescere.

SOPHISTÆ.

Cur Suilla abstinebãt Hebræi.

CEPIT vt, quod initio dicere cœperamus, prosequamur, sacerdotes illi cùm nihil æquè abhorrerent quàm inanes sophistarum nugas, & cauillosas verborum, argutias argumentorumq; decipulas in naturæ vijs indagandis, eiusmodi notæ hominẽ per Suis hieroglyphicum significabant. Eodem intellectu apud Hebræos suilla abstinere præceptum ait Philo, admonitosq; nos ea diuina lege, vt sophistas cuitaremus, per cuitabilem huiusmodi animalis impuritatem: illi enim acutissimis tantùm accuratissimisq; rerum distinctionibus, quod per bifidam animalis vngulam interpretantur, quasi luto inhæsitares, ita illis adhæresunt, vt inde nunquam auelli possint, sed ad extremam vsq; senectutem ibidem computrescunt; nã & Porci nihil illustre, nihil purum, nihil limpidum amant, sed turbida tantũ, spissa & sordida & fœculenta sectantur, inq; his præcipuam statuunt voluptatẽ.

A BONIS MORIBVS ALIENVS.

Prouerb.

PER Porcum itaque inhęsitantem luto, vel vt Cratetis intellectum sequar, rosas conculcantem dispergentemq; à bonis honestisque moribus alienum hominẽ indicabant. Nam cùm Diuinæ passim literę rosas & odorata omnia ponant pro vitæ morumq; synceritate, Susq; ita rosas aspernetur, vt de iis qui sinistro, prauo maleficoq; sunt ingenio dicatur, aptissimum excogitatũ est hieroglyphicum, ὡς ἀπὸ ῥόδων. quo prouerbio Cratetem vsum aiunt opusculo quod γένους vocauit.

Quin viuere in Arabia Suillum genus vllo genere posse negant, quippe cùm ea regio sit odora- D
mentorum altrix, à boni cuiusque odoris hoste meritò declinatur, & vt luculentissimè Lucretius:

Denique amaracinum fugitat Sus, & timet omne
Vnguentum: nam setigetis subus acre venenum est,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contrà nobis cœnum teterrima cùm sit
Spurcities, eadem subus hæc tam munda videtur,
Insatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Eôdem spectat quod Assertor noster, *Nolite*, inquit, *margaritas vestras ante Porcos proijcere*, eos qui scelerum tantùm fœtoribus illsuiéque delectantur, per Porcos intelligens, putorem quippe omnem tanquam odorem suauissimum expetentes. Nam quod ad lutum pertinet Ciceronis scomma est, actione in Verrem VI. *Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigijs inuenimus?*

Ciceronis scomma in Verrem.

DISTINCTIO.

Adhæc sciendum, vngulam bifidam in Sacris literis electionis & distinctionis symbolum esse, quod apertiùs dicunt, cùm oportere Sacerdotẽ monent, vt lepram à non lepra sciat internoscere, scelerum quippe differẽtias, iustum ab iniusto, & à curuo rectum, Horat. Poëta diceret.

COGITATIO.

Rvminatio autem, vt in Ceruo dictum est, memoriam & cogitationem indicat. Vtroq; autrem horum opus est, si recto & sapienti iudicio esse volumus, præstandũ quippe discernendi acumine, vnde aureum illud Pythagoræ præceptum, De rebvs divinis absqve lvmine ne loqvare, hoc est, dandam esse operam disciplinis, quæ veritatis lumen submi- E
nistrent, si sacra tractare volueris. Sed parum id profuerit nisi & memoria, & iudicium, bonæq; mentis accesserit examinatio. Hinc exploditur Sus, qui licèt vngula sit fissa, minimè tamen ruminat. Tales ij sunt, quanto hodie numero Dij boni, qui, licèt recti prauiq; cognitionem optimè callere videantur, cœno tamen volutati, cùm doctrinam ipsi suam ad rectam viuendi rationem minimè dirigant, optimè, vt Menander ait, periti praua sectantur. Diuinarum enim literarum doctrina, vt cum Origene loquamur, non solùm Sacramentorum debet scientiam continere, verùm etiam mores gestaq; informare discentium. Plerique alij quoque dixerunt, ruminare esse deuouere se ad legis meditationem: fissam verò vngulam habere, inter mundum & immundum distinguere: hoc quidem literarum & præceptionum peritiam habere, illud verò meditationem esse, & diuinę prouidentiæ, qua rectè omnia dispensat, in omnibus cogitationem, quam veteres Prophetæ *Eructationem*, vt nostri reddunt, appellauêre: vt, *Eructauit cor meum verbum bonum*: quãcumque enim virtutem à vitio seligeremus imitandam, eam continua repetitione mandere, & in habitum assuefacere debemus. Seligere verò, est diuidere literam à spiritu, & quædam secundùm historiam solam edocere, quædam secundùm contemplationem, quædam verò secundùm vtrumque intelligere. Nam qui præstare hoc idoneus est, ille mundus, qui verò vnius tantùm partis est particeps, immundus. Hæc Hesychius. Neque dissimulanda est Irenæi meditatio super hoc loco, qui cùm proximè fuerit ad Apostolorum tẽpora, multa diuinæ illius syncteritatis interpretamenta percepit, cuiusmodi hoc posito ex lege: *Quæcumque ex animalibus duplicem vngulam habent & ruminant, munda esse, quæcumque autem aut neutrum, aut alterum tantùm horum habent, vt immunda segregari.* Per mundos is eos intelligit, qui ea quę de Patre & Filio tradita sunt ab Ecclesia firmiter credũt, & in vtroque requiescunt, vtpote quæ sit eorum firmitas quæ duplici sunt vngula, & insuper Dei traditiones die noctúque F
meditantur, cogitationes suas bonis operibus accommodantes, quæ quidem præcipua est ruminantium virtus. Immunda autem, quæ neque in Deum fidem habent, neque traditiones eius meditantur, cuiusmodi sunt qui vocantur Ethnici, idololatræ, abominationibusque dediti, nil syncerum, nil laudabile sapientes. Ex eorum autem numero, qui quidem ruminant, vngulam verò ducerum, nil laudabile sapientes. Ex eorum autem numero, qui quidem ruminant, vngulam verò duplicem non habent, Iudæi sunt in primis, quibus quidem mandata Dei plurimùm in ore sunt, sed neque Patrem & Filium agnoscunt, neque sensum à litera distinguere sunt idonei. Alij demùm duplicem vngulam habent, non tamen ruminant, quo in numero sunt Hæretici, qui sacras semper literas euoluunt, argutaq; rerum finitiones peruestigant, & quicquid vel ineptè vel impiè sentiũt, aliquo semper diuinarum Scripturarum dicto corroborare contendunt, ea tamen nesciunt, aut nolunt ad veri sensus examinationẽ conuertere, ad iustitiam, ad bonos mores dirigere, quæ legerunt. Nam bona eorum pars & Patrem & Filium agnoscere, colere, & toto mentis affectu venerari profitentur, quid tamen aut Pater aut Filius statuerit, ne minimùm quidem meminisse volunt. Et ne longè exempla repetamus, cuinam hominum generi magis in ore est Iesvs Christvs, quàm iis qui hodie concordiam vnanimitatemq; totius Christianismi, quam vnam sibi Iesvs Christvs Dei Filius à nobis omnibus deposcit, auersantur, & eam admittere Cane peius & Angue vitant? Hinc tot piorum cædes, templorum profanationes, incestus, adulteria promiscua, sacrorum censuum direptiones, conciliandi se Deo contumacia, promissæ diuinitùs expiationis abnegatio, sacrorum ferè omnium irrisio, & omnium quæcumque dictu factuq; abominanda sunt, profligatissima expeditio. Quod non nostri modò Prophetę præuidêre, sed Maro ipse, non nostri generis

Verbi, Ruminare, varia significatio, itẽ &, Fissam vngulam habere.

A generis vates, diuinasse videtur, cùm hæc scribit oracula:

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum,
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt, sæuit toto Mars impius orbe:
Vt cum carceribus sese effudêre quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

PROFANVS.

Meritò igitur per Porci simulacrum Ægyptij profanum intelligebant, Susque tanta apud Ægyptios abominationis erat, vt si quis eum vel incuria tetigisset, cum ipsis statim vestibus ad fluuium lotum abiret, subulcíque nullum omninò templum ingrederentur, connubióque aliorum prohiberentur. Scythæ quoque Sues adeò contemnebant, vt ne alere quidem eos in regione sua vellent. Apud Romanos Flamen Dialis Porcum tangere sine piaculo non poterat. Quid, quòd religioni, & pietati, etiam nostris fuit Pontificibus, ne de Sue cognomentum profiterentur? atq; ob eam causam institutum, vt Romanus Pontifex, quamprimùm designatus est, honestũ aliquod sibi nomen assumat, more hoc à Sergio cœpto, cui cùm nomen à rictu Porci esset incuria parentis inditum, ne vox ea cederet in religionis ludibrium, Sergium se vocari iussit. Neque verò sum nescius, ex Aegyptiorum cognatione solos Panselenos suilla in cibum vsos, proptereà quòd aiũt, Typhona cùm Suem insectaretur, ligneum sepulchrum apud Panselenon offendisse, in quo Osiridis cadauer vitro conditum, vti gentis mos eius erat, asseruabatur, atque eo proiectũ odio, quod B
illi aduersus Osirim peculiare fuit, membra eruta discerpsisse, mox in rei tam nefandæ memoriam Panselenos populos ex Sue conuiuia instituisse, quasi liceret iam sepulchro eo tam fœdè profanato, in profligatissimum quodque præuaricationis & contumaciæ genus prorumpere.

Panselino cur Suilla vsi in cibũ.

NABVCHODONASOR.

Invenies in Diuinis literis Nabuchodonasora, quem ναυχοδονόσορ Geographus Strabo appellat, Suis nomine vocitatum Psalmo LXXX. *Vastauit vineam tuam Domine Sus syluestris*, idque ea de causa, quòd in voluptatum luto volutaretur, & quia omni spurcitiæ genere immundus esset, quanquam loco hoc nonnulli Salmanasarem potiùs intelligi volunt. Nos autem per Suem, vti superiùs ex Hesychio dictum est, eum accipimus, qui quidem habet scientiam diuinorum, sed ea non rectè vtitur, vtpote quam incongruis polluat facinoribus, vitæ turpi atque immundæ deditus, de quo Petrus, *Præstaret his iustitiæ viam non cognouisse, quàm ea cognita retrò reuerti, sancta sibi tradita disciplina ignauiter derelicta*: quandoquidem his verè accidit prouerbium, *Canis ad vomitum suum reuersus, &, Sus lota in volutabro cœni.* Omnes denique qui vel immunditiæ, vel gulæ vel reliquæ incuriæ semetipsos dedunt, Porcorum & Canum vitam desumpsisse lex intelligit, inquit Irenæus. Quin & idipsum nomen ὗς opprobrij cuiusdam indicium facit: nam vocalẽ ipsam υ, Caius Iulius Romanus vbi de præpositionibus differit, ad vituperationis pathos exprimendum idoneam esse dicit ex Hermetis ἐν τῷ κυφίῳ λόγῳ, testimonio, additam postea fuisse F, literam, nostrosq; Fu dixisse, mox Fose, hodie passim Fy, cùm putoris aliquid perhorrescimus. Facit ad hoc Psalmographi testimonium, *Saturati sunt porcina*, quam lectionem Eucherius ita agnouit, vt hieroglyphicũ etiã eius interpretaretur, Iudæos quippe arcanis Diuinæ legis priùs instructos abstinuisse profanis, porcina mox sua, id est, priuatorum dogmatum immũditia, quam eis & Christus obiectat, saturatos, dúmque negant Christum, eandem impietatem, dicit, etiam ad suos posteros transmiC
sisse. Glossa illa Interlinearis vulgò dicta, minimè quidem contemnenda, immunditiem hanc attingit, & pro reliquiis quas reliquerunt paruulis suis, addit: *Dixerunt enim, Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Animaduerte tamen in Hebraico scriptum esse, *Beni*, quod filios significat, non porcinam. Sedenim ne à hieroglyphicis nostris auocemur, argumentum hoc de humanis hostiis à Iudaico populo immolatis, commodiori loco, in ipso calce operis, vbi multa huiusmodi reperentur, sine vllius fortè molestia percurremus.

Voluptuosi per Suem significati.

Increpatio in Iudæos.

INDOCILITAS.

Fvervnt sanè plerique veterum, qui per hieroglyphicum Suis, indocilitatem intelligi voluêre: nam apud Physiognomos Suilla frons, breuis quippe & hispida, capillis sursum versus erectis, indocilitatis indicium est manifestissimum: est enim animal maximè brutum Sus, nullúmque animalium magis indocile, cùm reliquæ omnes pecudes aliquid habeant, in quibus dum viuunt, vsus, vel industria, vel frugalitas prosit, suillum autem pecus nihil afferat vtilitatis nisi mortuum tantùm, quamquam Spartanorum inuentum fuerit Porcos in pugnam instruere, & ad bellandum idoneos reddere: Porcorum enim marium ludicra certamina, perinde ac etiam Coturnicum, in eorum Phœbeo pueri faciebant, illis ad hunc morem educatis instructisq; magno rei bene gerendæ augurio iis præsumpto, quorum Porci vicissent. Eius tamen indocilitatis ergò Marsyas, qui Apollinem in Musicæ certamen prouocauit, suillam fertur caudam postmodùm habuisse, quippe quòd temerarius eius conatus turpiter illi ob imperitiam cesserit. Et Philostratus Arcadas Rudes appellat, & Suibus similes, tum ob alia multa, tum quòd arborũ fructibus vti Sues

Sus inutilis dum viuit.

plurimùm turgeant, sintque, vt ait Horatius, *fruges consumere nati*. Eadem ratione ex ara produ-D ctum, non schola, ait M. Tullius in Pisonem, indoctum & illiteratum significare volens, quod allatum fuerat. Quin & Hippocratis Coi, Medici illius clarissimi filij, ob indocilitatem & incomptos mores à Comicis proscissi, Suem sapere ferebantur, non secus ac Varronem ipsum, tantæ virum eruditionis, Palæmon Vicentinus Grammaticorum dicacissimus, literarum Porcum vocitabat: ipse enim hunc literatum quidem, sed sine delectu, intelligi voluit, quòd omnia dum sciri expediret, in fascem coniiceret maiore curiositate, quàm iudicio, nihil satis pensi aut constituti habens, quid, aut quantum diceret. Quanquam, vt initio diximus, Palæmonis dictum in Varronis laudem, ob doctrinæ copiam & varietatem, qui lautissimus ac suauissimus fuerit animorum pastus, modestiæ causa proposuerimus intelligendum. Cessit denique res in prouerbium, vt cùm imperitissimũ quẽque eruditissimo cuipiam sese cõferre viderimus, *Sus Mineruam*, dicamus, quod ita Theocritus expressit, ὗς ὑπ' ἀθηναίαν ἕζεν ἥμενος. Et eodem ferè intellectu quo Asinus ad lyram, σάλπιγξ ὗς ἤκουσε. Subiiciamus & illud, ὗς ἐπώμοσεν, de iis qui faciunt quid ineptè admodum & imperitè: nam illud, *Sus Mineruam*, Festus Pompeius exponit, cùm is id docet alterum, cuius ipse est inscius. Atque vtinam, mi Fabi, prouerbium in me non retorqueatur, qui de his ad te scribere sim aggressus, & pleraque etiam alia argumenti huiusce modi commentaria ad aliorum institutionem elucubrarim. Quid enim (dicent nasuti plerique viri) sibi vult aulicus vir iste cum Commentariis de sacris Aegyptiorum literis? quasi non satis sit ad multarum rerum elegantem declarationem Tullius, ad eruditionem Plinius & Plutarchus, ad scientiam Plato vel Aristoteles, tótque alij Græci atque Latini scriptores, qui nihil intactum reliquerunt, quibus legendis ætas nulla, quantumuis longa, sufficiat. Sed quid agerem, si quando mihi temporis aliquid ab officiis vacuum E relinquebatur? Luderémne alea? aut latrunculis? aut alio quopiam insaniendi modo? At nunquam ita otiosus fui, vt vllum mihi ludi genus placere potuerit. Venaretur (addent) confabularetur, aut quid aliud ciuile faceret, quo ipse sibi non inuisus esset, & nulli molestus viueret, neq; nugis obtũdere cogitaret. Atqui hæc mihi alea cordi semper & pila fuit, hæc venatio, hæc confabulatio mea, inuitum neminẽ ad lectionẽ traho, mihi ipse lusi, inuidia nulla sit, si vnusquisq; sua nouerit ire via.

Prouerbiũ.

STVPIDI TARDIVE.

PARI cum Arcadibus ratione Bœotios, quòd ventri & gulæ supra modum dediti essent, crassaq; hinc Minerua præditi mentis tarditate laborarent, Porcos cognominatos aiunt authores nõ ignobiles, Achæus, Eubulus, Mnesimachus, & Alexis, vnde adagium ὗς βοιώτια. Et apud Pindarum & Cratinum constat Bœotios Sues aliquando nuncupatos, propterea quòd Hyantes, qui expulsi fuerunt à Cadmo, eam olim regionem incoluerint, sumpta inde cauillandi causa, vt pro Hyantibus, ὗας, hoc est, Sues eos populos appellarent. Sed & alij quoque gentem eam voracitati deditam attestãtur. Porrò Pindarus Olympiis fugere se ait Suem Bœotium, probrum scilicet stupidi & stolidi, quod inflictum erat sui generis hominibus.

Adagium in Bœotios.

LVXVRIOSÆ DELICIÆ.

PERVETVSTVM autem fuit apud hieroglyphicos Aegypti sacerdotes, delicias, victus luxum, & lasciuiam ex Porci simulacro significare. Argumento est columna in æde Thebis Aegyptiis olim erecta, in qua plurimæ in Menin regem execrationes descriptæ erãt, qui primus omnium Aegyptios à parsimonia ad luxuriam, à modestia ad intemperantiam, à virtute ad effœminationem illexit, quapropter simulacrum eius Porcum esse voluerunt. Meritò itaque Rhadamanthus apud Claudianum huiusmodi genus hominum petulans, ingluuiosum, & vorax, in Sues condendos damnat eo loco:

Menis voluptas notata.

At qui desidia semper vinoq́, grauatus,
Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu,
Hunc Suis immundæ pingues detrudit in artus.

F

At Xenophon Socratem ait in conuiuiis ad quæ non nisi coactus accedebat, temperatè semper atque parcissimè cibum cepisse, iocoq́; dicere solitum, Circen multis huiusmodi appositis homines in Sues conuertisse, Vlyssem verò mutari minimè potuisse, quòd Mercurij memor esset, qui consilium ei dederat, tum suamet parsimonia & abstinentia vteretur. Tale aliquid apud Musonium libro de Victu legas. Plotinus quoque cùm animal hoc maximè voluptarium agnosceret, vbi disserit de Palingenesia, in id eos reuerti dicit, qui vitam omnem in libidinibus & voluptatibus egerint. Epicurus, qui felicitatem in huiusmodi vita posuit, scitè notatur ab Horatio, qui sectatores eius cognomento Porcorum nominauit in Epistolis:

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,
Cùm ridere voles Epicuri de grege Porcum.

GANEA.

A

GANEA.

SANE quantum ad eius animalis carnem pertinet, delicatã cœnam apud Arcadas Hecatæus, vt apud Athenæum legere est, ex maza & suil a carne describit. Verrius ait à Suilla vesci carnibus cœptum, quòd animal id nullius esset vtilitatis. Nam vt Varro animam illi pro sale datam asserebat ne putresceret, ait Chrysippus, nihil porrò Sus habet præter escam, nullumq; animal pluribus & diuersioribus condimentis idoneum, vt non temerè T. Quintius Romanorum Imperator (sunt qui T. Flaminium ponant) dum apud Chalcidensem hospitem diuertisset, variáq; sibi apposita fercula obseruasset, admiratus fuerit vnde ei solstitiali tempore tam varia & tam multa venatio contigisset: *Atqui*, inquit, *hospes, omnes istiusmodi dapes ex Sue domestico fuerunt.* Tum (quod addidisse non pigeat) promptè Quintius, & acutè: *Talis est*, inquit, *edepol Antiochi exercitus, cataphracti alij, alij velites, alij hastati aut legionarij phalange compositi, verùm omnes Syri sunt.* Porrò nihil, vt suprà dicebamus, ea carne parabilius, & omnium epularum vsui magis expositum: nam quinquaginta propè sapores ex eo, teste Plinio, excogitatos suprà memorauimus, neque alio ex animali numerosiorem ganeæ materiam suppeditari. Hinc apud Comicos, lurcones, parasiti, ganeonesq; ferui, suillam semper sibi deposcunt, pernam, glandem, sumen, callum, penitam offulam, & similia. Et seruus ille Plautinus cùm se solum domi ac sine arbitro relictum iri speraret, *Quanta*, inquit, *pernus pestis erit, quanta lumbis.* Galenus porrò Suillam carnem cæteris laudabiliorem facit. Auerroës quoque Porcinam carnem, ex Auicennæ placitis, cæteris præferendam asseuerat, veluti hominibus natura cognatiorẽ, & humanũ suillúmq; sanguinem in omnibus exactam habere similitudinẽ, perinde ac etiam carnis eandem esse rationẽ, optimi quique Medici scriptis prodidére.

Caro Porci delicata valde.

CIBORVM VARIETATE SATVR.

B APVD aliquos inuenio, hominem ciborum varietati deditum per pascentem Suem significari: facilè enim is vnicuique assuescit cibo, neque suis parcit fœtibus, neque ab humanæ carnis esu refugit: Os enim porci vulgus prouerbio appellat quasi rotundum, & quod nullo escæ genere abstineat, omnia voret, omnia auiditate deglutiat, nihil quantumuis putre atque impurum horrescat. Ita denique animalia hæc gaudent pabuli mutatione, & copia, implenturq; carne, & obesiores facti mirificè opimantur ipsa cibi varietate, cuiusmodi mensam Plato Syracusanam vocat, ἡ συρακοσίων ποικιλία ὄψις, epistola quadam ad Dionis amicos nominauit. Vnde etiam Horatius inter delicias eas quas Ode prima libri tertij recenset, Siculas etiam dapes ponit, cuiusmodi distentum ingluuie Dionysium minorem Aristoteles refert in Politia, quem nonnunquam ad nonagesimum vsque diem ebrium perseueraſſe tradunt. Neque absimilem huic Heliogabalum Lamprydius incessit, qui nunquam minoris quàm centum sestertiis cœnarit. Vnde centenarias cœnas Septimius Florens, Apologetico, vituperat, cùm alioqui centenariæ cœnæ à centum assibus ex ære dictæ sint, vt Grammatici veteres interpretantur. Sed de sestertiis alibi.

Os Porci cur ita vulgo dicatur.

SALACITAS ET ÆSTAS.

EST & salacitatis signum ipsa Sus, *qua pecude*, ait Cicero, *nihil genuit natura fœcundius*, neque aliam eius improbitatis causam afferunt, quàm & multiplicem & assiduam voracitatem, cùm longè aliter euenire in agrestibus videamus, quippe qui semel, & eodem ferè omnes die, vt Plutarchus ait, æstate scilicet incipiente, fœtum edant, vnde vulgatum est dicterium, *Non expectãdum vlteriùs pluuiam, cùm Sus pepererit.* Itaque nonnulli Suem hanc pro æstate ponunt, de quo quidam versus vulgatus à Plutarcho recitatus:

Prouerbiũ.

Μηκέτι νυκτὸς ὗεν ἧεν τέκῃ ἀχριόεσσα σῦς.

C Domesticæ verò & sæpiùs, & quocunque tempore pariunt, propter eam quam diximus pabulorum vbertatem, quæ genituræ redundantiam plantis etiam nedum animalibus affatim submini-strat. Eandẽ in homine salacitatis causam tradit Empedocles. Hinc ait etiã Euripides ἐν πολυμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' ὤ, *vult crapulatum Cypris, haud famelicum*, quod ab Achæo sumptũ, qui multò antè dixerat, πεινῶσι γὰρ ἡ Κύπρις πικρά, *amara Cypris est esurientibus.* Nostri dixerunt, *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Sanè quidem Aegyptij mortuorum ventres eximere, & in sole discindere soliti sunt, vt qui scelerum omniũ causa essent, atque ira vel expiarent, vel vti de impulsore pœnas sumere viderentur. Huic verò salacitati congruere videtur illud quod χοιροπλεῖν verbum à Porco finxêre, quod corpus prostituere, quæstuiq; exponere significaret. Apud Aristophanem χοιεῖν, id est, Porcũ, pro muliebri natura positũ inuenies, ac nostri identidem Porcum virgineum inguen blando & iocoso vocabulo appellauêre. Iidem subare dicũt nequitiæ verbũ, quo in Epodis vtitur Horatius ad rem impudicã translatũ, quod est perditè impudenterq; & brutorũ more cõmisceri.

Aegyptiorũ salacitas.

ANNORVM CERTVS NVMERVS.

IN portentis verò Porcellos supra mammarum numerum editos, tot annorũ esse significatores volunt, quot numero nati sunt, ideoq; Porcam eam quæ Lauinij triginta capitum fœtum peperit, portendisse volunt, x x x. annos illos exigendos fuisse priusquàm Lauinienses oppidũ Albam conderent: párere enim oportet Porcas quot mãmas habent, vt obseruat Varro, si minùs pariant, fructuariam idoneam non esse, si plures, portentum. Eius autẽ Suis quæ fuerit Aeneæ portento, ac Porcorum vestigia, suis adhuc temporibus apparuisse, affirmat Varro. Idem, quòd eorũ simulacra

Porca portentosa.

ahena

ahena in publico loco statuta erant, & corpus matris à sacerdotibus, quasi in salsura fuerit, ostentabatur. Ita nullo vnquam tempore defuerunt, qui sub diuini cultus velamento, huiusmodi aliquo inuento rudes insipientium mẽtes per superstitionem modò hanc, modò illam deludere cogitarint.

LATRO.

Sus Cromyonia. NEQVE quidem prætereũda Sus est tot antiquis scriptoribus celebrata, quam Cromyoniam nuncupatam, vt prædictum est, Theseus dicitur sustulisse, cuius rei meminit Plutarchus & Strabo. Sunt qui fabulosè, vt eiusmodi pleraque, certamen id à Græcis confictum putent, fuisse verò hanc mulierem, quæ latrociniis regionem omnem infestaret, nonnulli prodidêre. Sunt qui Aprum Psalmo 79. *Exterminauit eum Aper de Sylua*, pro cacodæmone intelligant. Sunt qui Vespasianum præmonstratum velint, qui Iudæos bello afflixit, quódque sequitur, *Singularis ferus depastus est eam*, Titum hunc esse aiunt eius filium, qui assumpto ad Imperium patre, profectoq; Romam solus remansit, Hierosolymamq; oppugnatione consumpsit. & ita Eucherius accipiendũ censet.

IMPETVS.

QVID verò illud, quòd omnium Poëtarum consensu, impetus & bellica ferocitas per Suem, verùm eum agrestem, indicatur? Ferocem enim bellatorem si velint insigniori aliquo vocabulo honestare, Apro eum similem dicunt. Apud Aristophanem, in Lysistrate, mulierum chorus, *Si per Deas*, inquit, *hodie me commoueris, soluam ego Suem meum*. Et eadem comœdia Laconum chorus minatur se cum Leonida tanquam Apros irruturum. Nam pugnacitas vsque adeò illi propria est, vt prouocatus à venatore minimè fugiat, sed vltrò pugnam capessat, & in ostentata tela nihil veritus irruat, vnde in prouerbium cessit, cùm de audacibus aut nimiùm promptis loquimur, ad nos venire per hastam vt syluestrem Suem. Romani nostri, vt sæpius animaduerti, venatores eos ignominia notant, qui feruente iam venatione Apro conspecto, illum non illicò prouocauerint, atque hinc de eo qui sibi rixãs contentionésve quæritat, ὗν ὀρίνειν dicitur. Harum rerum causa extremæ Germanorum gentes Æstyi appellatæ, pro armis formas Aprorum olim gestare solitæ, vnà cum Matris deorum insigni, qua superstitione etiam inter hostes sese tutos arbitrabantur. Apri porrò vim, & fulmineum illud robur admiratur Oppianus, quandoquidem in venatione oppressus, tandem cùm occubuerit, dentes vsque adeò ignitos præ se ferat, vt setæ de collo adhuc trepidãtibus aulsæ, dentibúsque admotæ, quasi prunis ardentibus applicitæ concrispentur, síq; propiùs adhærescant, concrementur. Sanè Canes si tunc temporis eius dentes attigerint, attacti cutem perpetuis stigmatibus inuruntur. Tantam hanc tamen belluæ istius ferocitatem & impetum (vt κὴ πάρεργον hoc dicam) facilè declinari posse docet Democritus, qui eos ab Apris impeti negat qui Cancri vngulas ac pedes alligatos gestarint. Quòd verò Aprum hunc Vnitestem Homerus dixit, haudquaquàm huiusmodi coitus raritatem, vt aliqui putant, indicat, sed historiam ipsam, quam verissimam esse dicit Aristoteles: plerũque enim inter pascendum eo quo defertur impetu truncis & stipitibus acutis testes atterere, vt vix vnus interdum relinquatur incolumis.

Apri seu Sues syluestris pugnacitas.

ÆSTAS ET HYEMS.

ESTATEM per fœtam Suem significari tam ex historia, quàm ex vulgato dicterio docuimus. Nunc cur Aper hyemale tempus hieroglyphica imagine significaret, referendũ. Hyemis vtique facies hispida est, aspera & horrida, hispidus, asper & horridus est Aper. Humida, lutosa, pruinosaq; hyems est, humidis, lutosis pruinosisq; locis Aper delectatur, quibus dum fruitur, oblascluire sibi maximè omniũ videtur. Adde quòd hyemali fructu, quippe glande, pascitur. Adonin ab Apro confectum, mythologi prodidêre, quem Venus luget insolabiliter, id quid sibi velit, operæpretium fucrit explicare. Adonin mysteriorũ interpretes Solem esse autumant. Hemisphæria duo statuunt Astronomi, lucis vnum, tenebrarum alterum. Fines describunt in Zodiaco, hemisphærij superioris ab Arietis puncto primo ad Virginem vsque permeatam, inferioris à Libra ad extremos vsque Pisces. In superioribus autem his signis maior lucis participatio, in inferioribus longiores tenebræ. Incolit elegans Venus superius hemisphæriũ, lutulenta Sus inferius. Cùm igitur Sol nobis excipi videtur à tenebris, Adonis ipse conficitur, hinc reliquũ est vt Venus luctu & mœrore contabescat, quæ luce quam amabat priuata, lugubrem quodammodò pallam induere cogatur. Hinc idem apud Aegyptios longè quæsitus Osiris, & Cereris tandé inuentus diligentia.

Adonis ab Apro confecti hieroglyphica explicatio.

VENVS.

DIVverò apud Ptolemæum cognomento Assertorem disputatum ferunt à peritissimis viris de Plutone, declaratumq; demùm est eundem esse & Osirim & Plutonem. Cererem autem eandem ac Venerem haberi, cui cùm nitor & munditia sit cordi, meritò sibi proponit Suem semper abominabilem, animal vti manifestum est, spurcissimum, quod in Adonis elegantiam vsque adeò sæuire gestat. Sanè apud Sicyonios, cùm victimarum omnium femora Veneri adoleri solita essent, vnius tantũ Suis ob huius facti memoriã femora non aburebantur. Quoniã verò Venerem hîc eam ponimus quam Cœlitem appellat Plato, quæ pura, nitida, lucis ac splendoris studiosa est, non humilẽ vulgaremq;, quæ suæ sibi conscia turpitudinis in antro secubat, fornicibus & arborum vmbris septa, minimè absurdũ est quod ex veteribus nonnulli tradidêre fúillum genus adeò inuisum Veneri quòd immundissimi sunt Sues ex omni mãsueto pecore, vri superiùs ostésum est.

ADO

ADONIS.

QVA demum effigie ostentaretur Adonis iste in hyemalis temporis hieroglyphicum, recitare non pigeat. Simulacrum enim eius in Libano monte olim tali habitu visebatur, obnupto scilicet capite, specie tristi, faciem manu læua, dextra amictum sustinente, in quem lacrymæ confluere videbantur, quæ omnia speciem hyemis describunt.

CHAOS.

ET quoniam ita sunt mortalium ingenia, vt quod ab vno aliquo scriptore sit excogitatum, aut memoriæ mandatum, nunquam alij desint qui priorum industriam labefactare conentur, sunt qui tradãt Ægyptios non ea de causa suillo generi peperciisse, quòd impurum id esse decreuissent, sed venerationis ergô, quòd animal id tenebrarum symbolum haberetur, cumq; illi tenebras longè antiquiores luce prædicarẽt, cuiusmodi quippe erat illud quod dixêre Chaos, inanis, bruta, & stupens materia, formæ expers, ac tenebrarum omnium conceptaculum, eáque de causa Porcum tenebrarum & cęcitatis simulacrum esse profiterentur, quòd oculos ita supernè obumbratos supercilij prominentia sortitus est, vt cœlum tot luminibus insigne, tot lampadibus illustre, nunquam intueatur, cernuus verò semper humum despiciat, terram inquam ipsam, & noctis & totius obscuritatis parentem vnicè contempletur, congrua admodùm visa est similitudo, & vera sympathia, vt qui tanto cultu tenebras prosequerentur, animal auersum à luce identidem admirarentur: nam ea quoque de causa Crocodilum, vt loco suo dictum videbis, pro Deo coluerunt. Porrò Alexander Aphrodiseus Suem ait pronum adeò cibóque deditum, vt si fortè sursum aspicere cogatur, protinus stupore perculsus sileat ob insolentiam. Addunt hepar eius imminui caua Luna, atque consensum cum ea quendam habere. Lunæ verò sunt pulla omnia dedicata.

Sues tenebrarũ symbolum.

PORCI CVLTVS.

QVINIMÒ adiiciunt, non Ægyptios tantùm id honoris Porco habitum voluisse, verũ alias etiam gentes Porcum inter numina collocasse. In Creta enim sacra erat Sus, quòd creditum sit animal hoc nascenti Ioui mammam summisisse, pueríque vagitum, ne audiretur à quopiam, grunnitu peruicisse, licèt hoc Amaltheæ Capræ assignent plurimi, vsque adeò nullum apud vetustatem illam totius imperitam veritatis, tam impudens mendacium erat, quod vanitas eorum temporum non admitteret, & religiosissimè approbaret.

MILITARIS ORDO.

PORCVM sanè Romani inter signa militaria nõ sunt admittere dedignati, quæ quintũ obtinebant locum, & instructæ aciei rationem figurámve quandam, *Porcinam frontem* appellabant.

IOVII.

IN gestaminibus verò militaribus Romanorum quæsierit fortè aliquis, quid sibi velit Sus coloris rufi, habitu quodam sedenti, positis quippe clunibus, ac reliquo corpore surrecto, quæ spectatur in cæruleo clypeo, cuius marginem ruber ambit circulus. Insigne hoc erat eorum ordinum qui IOVII appellabantur, Diocletiani principatu, & sub illustri viro, Magistro peditũ nuncupato, militabant.

Sus rufi coloris quid.

HONORIANI.

IN eadem igitur Romana militia præferebatur & albus clypeus, cuius aureus erat vmbilicus à luteo circulo circunscriptus. Circulo innitebantur dimidiati Porci duo coloris prasini, alter alterum inspectantes. Insigne hoc erat eorum militum qui Honoriani vocati sunt ab Honorio principe instituti, híque sub Magistro equitum stipendia faciebant.

AGRICOLA.

SED vt ad Ægyptios redeamus, sunt qui aliam etiam affirment causam cur animal hoc Ægyptij voluerint esse inuiolabile, nempe quòd apud eos Porci agricolationis vsum præstarẽt, frumentariámque rem alicubi solis eorum operis adiuuarent. Nam qui, vt Eudoxus ait, propinquiorem Nilo regionem accolunt, quæ satis mollis & irrigua est, nullo aratri, rastríve aut sarculi vsu freti, suillibus tantùm vestigiis terram subigunt, exundante scilicet Nilo remollescit terra, cumq; redierit in alueum sementem faciunt, inde Porcos abigentes occulunt & terræ mandant, dum illi & rictu terram subuertunt, & sparsa per agrum semina pedibus occulcant. Sanè Larini vtilissimum satis sulcum Porcam appellauêre, rarum eum scilicet, qui deducitur aquæ deriuandæ gratia, quippe vt aquam frumentis nocere prohibeat. Inde veteres porcare pro prohibere vsurpauerunt, quamuis Varro elatam terrã inter duos sulcos ideò Porcam vocari dicit, quòd ea seges frumentum porricit. Sic cùm Diis exta dabant Porricere dicebant. Quoniam autem mirificè inter se congruunt hieroglyphica cum sacrificiorum ritibus, quòd vtraque iisdem causis plurimùm inniti videantur (nam vti paulò antè positum est hieroglyphicum vaniloquentiæ per Porcũ, quem Elephantus auersetur, in sacrificiis identidem immolatur Porcus ab laborantibus delirio verborum, atque etiam insania, & quòd terrenis præcipuè sensibus addictus applicitusq; est, spontéque & voluptuosè admodùm inhæsitat luto, lasciuiæ, turpitudinúmque simulacrum habetur, idem in sacrificiis Maiæ, & Diis terrenis offertur, & ita demùm in plerisque aliis hieroglyphicis, idẽ consensus est) non incongruam rem me facturum existimaui, si de Porcorum immolatione plenius quædam apposuissem, ab eo autem quod delirio super nuper attigeramus, incipiam.

Porca vtilissimus sulcus.

DELI

DELIRII PIACVLVM.

IMMOLARI siquidem Porcum ab laborantibus insania verborúmque delirio, multiscius Plautus indicat Menæchmis:

Nunc ipsi naturæ Deo mihi respondeas
Adolescens, quibus hic pretiis Porci veneunt,
Sacres, synceri: nummum vnum en à me accipe,
Iube te piari de mea pecunia:
Nam ego quidem insanum esse te certo scio.



In eandem sententiam Horatius Sermonibus,

Immolet ecquis hic Porcum Laribus.

quòd is insania minimè laborare videretur qui diues, neque periurus neque sordidus haberetur.

SACRIFICIVM.

SED tam multis porrò mysteriis Porcus sacrificari solitus, vt animalium soli Sues θύειν καὶ θύεσθαι, quod immolare est, meruerint appellari. Latinè sacres teneri adhuc, & in veteri comœdia Sues misterici nuncupantur, eáque laudatissima erat hostia, si quis inuentus esset Porcus, qui solidas vngulas non diuisas haberet. Quod ne cui mirum videatur, sciendum est ex Aristotele, in Macedonia Æmatheolicas Sues vnguibus esse solidis,



SACRAMENTVM.

Porcus in sacramentis adhibitus.

PER Porcum sanè iurare Agamemnonem apud Homerum legimus. Et pugiles certamen inituros iuxta Horcij Iouis statuam in Elide mactato Porco iurare solitos, sine fraude sese comparasse, tradit Pausanias. Quinetiã iudices præfectósque certaminum eodem sacro, & apud eandem statuam iurasse tradit. Nulli verò Porcum illum per quem illi iurasset edere licuisse, quare Talthibius Homericus Porcum quem Agamemnon pro iuramento statuerat, arreptum in mare præcipitem dedit. Addemus & illud, censores Romanos cõpleto quinquennio lustrari solitos, sacrificia de Sue, Oue, Tauro facientes, quæ vnica dictione SOLITAVRILIA vocabantur, vt obiter apud Pedianum in Diuinationem corrigas, quod duabus locutionibus dissitũ legitur in vulgatis codicibus, *Soli taurilia*. Ceteri autem Porcus, vti dictum, in primis mactabatur, siue quòd pastu segetũ & dissipatione, magnas aruis inferat clades, vt apud Ouidiũ,

----Prima putatur
Hostia Sus meruisse mori, quia semina rostro
Eruerit pando, spemq; interceperit anni.

siue conciliandæ fœcunditatis gratia, cùm animal sit (vt id identidem repetamus) fœturæ admodùm prolificæ. Adhiberi sanè sacrificio Cereali Porcam auream & argenteam nuncupatam, ait Atteius Capito, quæ etsi numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam. Propudiatus verò Porcus dictus est, vt idem asserit Capito, qui sacrificio gentis Claudiæ velut pulpamentum, & exolutio omnis recontractæ religionis est. Sed vt ad fœdus reuertamur, Porco etiã cæso sacra fieri solita, quotiens inter populos confecto bello, vel pax fieret, vel fœdera confirmarentur. Sed quod Virgilius fœminino genere, *Cæsa iungebat fœdera Porca*, dixerit, Quintilianus quædam, ait, non tam ratione quàm sensu iudicantur: vt illud, *Cæsa iungebat fœdera Porca*, fecit elegans fictio nominis, quòd si fecisset, porco, vile erat. Quod verò Seruius ait falsò dictum à Virgilio, Porca, quòd ad hoc sacrificij genus Porcus adhiberetur, Tranquillus in vita Claudij, cùm Regibus fœdus in foro icit, Porca Cæsa, inquit, tametsi Liuius quoque Porcum statuit. Sedenim apud Festum inuenies, hæc Porcus, in sacrorum Pontificaliũ libris scriptum esse. Porcam autem dicit Veranius, quæ familiæ purgandæ causa Cereri itidem solita est immolari, quòd pars quædam eius sacrificij fieret in conspectu eius mortui, cuius funus instituebatur. Extant autem etiam hodie sacrificiorum huiusmodi vestigia Romano solo: nam veteri quòdam instituto in defuncti memoriam corbes suillæ carnis atque etiam bubulę in frusta concisæ ostiatim circunferunt, singulisq; ædibus frustum carnis vnum impendunt, quíque lautiorem hanc faciunt viscerationem, panem & vini sextarium adiiciunt.

NVPTIALIA.

Mos antiquus in nuptiarum initiis.

QVINETIAM nuptiarum initiis, antiquis regibus Porcum mactare mos erat. Et potentiores quique viri in Herruria nuptialibus conuiuiis, nouæ nuptæ maritíque Diis tutelaribus Porcum immolabant, quod etiam prisci Latini & Græci in Italia factitabant. Vnde is, qui sponsam ducturus cùm omnia apparasset, & spe sponsæ frustratus esset, exclamauit:

ἀπώλετ' ὗς, ὦ παλαιὸν, καὶ γαμῶ.

Periit quidem Sus, & talentum, & nuptiæ.

Hysteria sanè festa erãt, quibus Sus Veneri mactabatur Argis instituta, cuius rei meminit Callimachus: quãquam apud Sicyonios omne animaliũ genus Veneri, vt alibi diximus, præter vnũ Suem sacrificari solitũ inuenias. Aristoph. *Sed Veneri Porcus non sacrificatur.* Causam superiùs exposuimus

TERRA

TERRA IVNO VE.

Maiæ Deæ cur Porcus sacer.

MACTABATVR etiã Maię, sed prægnans, quæ omninò terra est, &, vt ait Cornelius Labeo, nomen illi à magnitudine inditum, quæ etiam in sacris Magna mater, & Opis vocabatur, cui sceptrum etiam in sinistra manu addebatur, quòd eam Iunonis potentiam habere putabant. Quamquam sunt qui Maiam eandem Proserpinam interpretantur, ideóq; illi Porcã fieri, Suemq; mori meruisse, quia semina, vti dictum est, pando eruerit rostro. Proserpinam verò esse vim segetum & frugum omnium per hyemem terræ abditam, per mitius verò tempus in superiori apertaq; regione commorantem, mythologi docuêre. Maię autem Porcus sacer erat, quò illi cum alio quopiam nullo quàm cum terra quicquam commune esse manifestiùs intelligamus, sitq; denique, vt Flaccus ait, *amica luto sus*: victimæ enim numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolabantur, qua in sententia Virgilius dixit:

Et in verubus terrebimus exta colurnis,

in antipharmacum scilicet, vt hostia nocens eo itidem virgulto coquatur, quod vitibus nocet: nam ea de causa præceptum ab eodem fuerat, ne inter vites corylus sereretur, quamquam Festus colurnum hastile ex corno arbore mauult esse, quàm ex corylo; contrà verò Sosipater Charisius colurnum barbarissimum esse, literarum transmutatione dicit, cùm sit Corylus arbor, ita apud eum scribitur.

HVMANA HOSTIA.

Hominum, vt & Porci, mactatio vsitata.

RELIQVVM est vt de humanis hostiis loquamur, quando cõstat Porcos id beneficij humano generi contulisse, vt pro nobis in huiusmodi sacrum ipsi succederent. Nã scelera illa mactandorum hominum vbiq; ferè locorum admissa, minimè fabulosum habetur: manifestum siquidem est eiusmodi fuisse sacrificium Tauricę Dianę, quod receptorũ authorum fide testatissimum videmus. Neque quidem Scythæ solùm hæc perpetrauêre facinora, quos propter ingenitam barbaris ipsis feritatem id fecisse minimè mirum videtur, sed & Ægyptij antiquitùs tales Iunoni hostias immolarunt, Romani quoque ipsi Iouem, quem Latialem vocabant, humanis hostiis coluêre. Iam Sicinius Dentatus multis certaminibus illustris primus apud Romanos hoc sacrum Marti fecit. Sedenim alios quoque fuisse dicit Athanasius, qui postquàm à bello victores rediissent, captiuos per centurias diuiderent, deq; singulis vnum desumentes, eum Marti iugularent. Hinc Virgilian. Æneas Pallantis satis manibus facturus, -- *Sulmone creatos*

Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.

Saturni colossus aheneus.

Diodorus aheneum Saturni colossum apud Carthaginem fuisse memorat, cuius brachia porrecta in gyrum erant, quiq; ad eum peruenire adolescentes sacrificandi causa cogebantur, in foueam ignis incidebant, hacq; sacrificij crudelitate diutissimè prolem ipsi suam illi mactauerunt Deo, qui & filios suos deuorasse perhibetur, mox cùm aliquãdo scelus abhorruissent, seruitia in hunc vsum emere instituerunt. Subsecuta inde pestis est, mox obsidio grauissima, quare illi Saturnum sibi succensere rati, trecentos impuberes ingenuos sacrificarunt, quamuis, vt in Lucernæ hieroglyphicis meminimus, nonnulli ducentos tantùm ponunt. Galli etiam morem hunc sacrificandorum iuuenum in Saturni cultum (D. Augustino teste) susceperunt. Phœnices quoq; atque Cretenses eò & ipsi prouecti sunt insanię, vt filiorum sacrificiis Saturnum sibi placari arbitrarentur, ne inhumanitatis istius nota vni Heliogabalo inuratur, qui humanas hostias libẽter immolauit, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis, vt maior esset vtrique parenti dolor. Neque temerè Appion & Iulianus Apostata, & alij Hebræos carpunt, quòd humanis hostiis abusi sint, cùm in ore omnium versetur Iephtę Galaaditarum principis detestabile facinus, qui contra Ammonitas profecturus vouit, si victor reuerteretur, illũ Deo se immolaturũ, quicumque primus de suæ domus foribus egressus occurrisset sibi; accidit verò vt re ex voto confecta reuertenti filia sua vnigenita cum tympanis & choris gratulabũda occurreret prima, qua conspecta scissis sibi vestimentis infelicitatem suam & luctuosam filię calamitatem miserabiliter deplorauit, neq; tamen impio abstinuit sacrificio, cũ generosa virgo viriliter instaret, ne pater voti reus fraudaret Deum, duũm tantùm mensium implorata mora, qua in montibus virginitatem suã fleret, quo elapso tempore ad patrem magno animo rediit, seq; obtulit sacrificandam. Sed id impiè Iulianus & Appion faciunt, quòd Iudæos omnes in vnum eundemque ordinem redigunt, atque adeò Christianorum quoq; instituta, detortis præposterè horum exemplis, malignè admodùm insectãtur, contumacium & à diuino præcepto pręuaricantium moribus innixi, quos neque nos vnquam imitati sumus, nec ab vllo vnquã pio suscepti, idq; dissimulãt illi quod à regio Psalmographo tam acriter improbatur, vbi Psal. 6. supra 100. clamat, præuaricatores quosdã à vera pietate abalienatos eò dementiæ prolapsos, vt & filios & filias suas cacodæmonibus mactare non exhorruerint; & vt rem magis exacerbaret, indignationémque suam exaggeraret, eiusdem statim rei repetitione facta, innoxium ait filiorum suorum sanguinem ab eis effusum, & Cananæorum simulacris oblatum, terra fœdissimè polluta, quæ scelus tantum, & vsqueadeò impium, execrari videretur.

H

Quin & Chrysostomus, oratione contra Iudæos tertia obiicit eis, quòd filios & filias suas dæmoniis immolarint. Negat hoc Adamantius contra Iulianum, sed de sacrificio piorum, & Deo ritè facientium loquitur, non esse eos Iudæos intelligens, qui à legitimis Iudæorum sacris recesserunt. *Sacra à Iudæis hodie facta quomodo.* Chrysostomus præuaricatores taxat, quia dæmoniis ea faciebant. Et tamen hodie sunt inter Iudæos, qui cùm non possint Christianę seueritatis metu homines immolare, qua ratione tamen humano sanguine sacra faciant excogitarunt, eo quippe à thermis, à cucurbitulariis quouis pretio promercati, ita eo in vitreum aliquod vas infuso, & ad ardentes carbones admoto exciendis dæmonibus abutuntur, quos appellarint, quoad sanguis ille deferbuerit, ad mandata adsistentibus, & ad omnia quæ iis sciscitati fuerint respondentibus. Sed vt hæc non à Iudæis Domini, sed à malis & rebellibus factitata prætereamus, Porcumq; nostrum iam rude donaturi honesta etiam missione pro meritis ornemus, quid ab eo beneficij consecuti fuerimus confitendum. Siquidem Diophantes Lacedęmonius, qui de sacris Deorum opus admodùm curiosum elucubrauit, Porcum ait loco hominis immolari cœptum ab Athenien sibus: nam priùs, vti dictum est, qui centum hominescecidisset, Marti hominem faciebat. Magna igitur suillo pecori gratia debetur, cuius immolatione vita sit humano generi condonata.

PIERIVS VALERIANVS
AD LACTANTIVM PTOLEMÆVM
NOB. SENEN. DE IIS QVÆ PER GREGALIA QVÆDAM SIGNIFICANTVR,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER DECIMVS.

GREGALIVM *nonnullorum significationes ex Aegyptiorum adytis erutas, super quibus multa, literatissime Lactanti, apud egregiè probum virum Hieronymum Mandolum Picolomineum cœnantes in amœnissimis eius hortis, locuti fueramus, vt in commentarium redigerem suasisti, quòd argumenti raritas lectionem hanc faceret non iniucundam, & vt addebas, etiam optabilem, quòd super his Græci pauca admodùm dixissent, Latini verò penè omnes huiusmodi scientiam propemodùm ignorassent, minimè quidem hi atq; illi taciturni, vel rem adeò doctam in tenebris & situ computrescere permissuri, hæ si disciplinæ tunc cognitæ fuissent. Quota enim ea portio est, quam vel Tacitus, vel Ammianus, vel Macrobius, & si qui alij talia curarunt, vix primis libatam labijs attigerunt? Suasu igitur incitatus tuo, quæcumque hîc & illic comperissem, & ex veterum præcipuè numis potiùs quàm ex libris didicissem, in vsum tantùm asseruabam meum, quòd Principes, quos colimus, huiusmodi antiquitatum cognitione delectari plurimùm animaduerteram, vt scilicet pro re, quæ nasci posset, interdum haberem quod super his non inepte neque imperitè dici videretur: quædam enim omninò huius generis esse mihi persuadebam. Posteà verò quàm & tu & Bartholomæus Carolus Picolomineus, neque non Marius Bandinus sodales tui, tam emunctæ naris viri, quiq; vnà cœnabant egregiè ipsi quoque literati, industriam studiumq; hoc qualecumque meum commendare cœpistis, tuq; præclara tot, quæ scitu iucunda in veterum numis obseruata, explicasses, essentq; omnes eo in argumento facti attentiores, facilè impetrasti, imò, vt verius loquar, perpulisti, ne istiusmodi rei curam, quæ omnium literatorum ingenia videretur oblectatura, desererem. Aiebas enim Latinos hac scilicet in re Græcis inferiores esse, quòd præter Marcum illum Varronem, & nostrum Plinium, vixq; alterum ab eo, neglexisse quodammodò visi fuerint eruditionem, quam Græci tam veteres quàm iuniores tanto studio amplexi sint, vt ne leuissima quidem contempserint, & ita res tam publicas quàm priuatas minutissimè perquisierint, easq; memoriæ commendare nequaquàm eruhuerint, vt nihil in protritis, curtisq; etiam scrutis præterierint, cuius aliquam non habuerint rationem; hinc magnam antiquitatis tam in verbis quàm in rebus cognitionem, ad nostram vsque ætatem peruenisse. Fuisse nostros seueriores, & sublimium tantùm materiarum amatores, acciderèque hinc, vt eorum multa, quæ ad ritus, ad mores, ad rem domesticam, ad negotij quotidiani vsum faciunt, per nostrorum incuriam incognita nobis sint; per Græcorum verò diligentiam, qui tã Latinorum quàm suorum res perquirentes nostræ obuiam ierint negligentiæ, plurima nouerimus, quorum neminem eorum qui nunc eruditi habentur, pœnitere possit; & quæ plurima in hanc sententiam disseruisti. In hoc igitur studium cùm, quantum per occupationes meas licebat, auidiùs incubuissem, multa conscripsi commentaria, quæ tamen emendare non potui, quòd principum virorum, quibus addictus eram, negotia quæ tractabam, incœptum opus sæpiùs interrupêre, cogitationesq; meas alìò omnes auertêre. Et quia te in primis impulsore factum hoc est, necesse quoque tibi fuerit horum partem recognoscere, polire, castigareq;, ne vel ego tibi frustra paruerim, vel tu vir admodùm grauis rem nihili consuluisse videaris. Quæ tibi obuenerunt, ea sunt, de quibus sermo tunc noster fuit, cùm vir rarissimus Franciscus Bandinus Archiepiscopus vester numismata in agro suo nuper inuenta magno numero in mensam nostram iussisset effundi, in quorum bona parte Hirci, Oues, Arietes signati erant; traxère hæc reliquum gregem, vt vna viderentur caula posse commodè coërceri.

DE

DE CAPRA.

ESTO igitur prima de Capra consideratio, quoniam ea vago lasciuoq; admodùm ingenio prædita, & vorandi auiditate hac illac cursitans, locóque stare nescia, è grege prima omnium prodiit.

AVDIENDI PROMPTITVDO.

HOMINEM auditu præpollentem Ægyptij hieroglyphicè significare si vellent, Capram ponere soliti sunt, quam per aures perinde atque per nares spiritum & emittere, & vicissim recipere vnà cum Ægyptiis tam Archelaus quàm Alcmęon authores grauissimi prodidêre, quamuis opinionem hanc maximè reprobat Aristoteles, humanamq; diligentiam id nulla adhuc disfectione deprehendisse, aut sensu aliquo euidentiore coniicere potuisse, firmiter asseuerat, Ægyptiis tamen commentum placet.

CONSTERNATIO MVLTITVDINIS.

SVNT qui multitudinem vniuscuiusq; casu consternatam obstupefactámque indicare volentes, Capram villo à mento dependente comprehensam pingant. Accidit enim vt si earum vnã ex grege arunco eo apprehenderis, cæteræ stent veluti stupidæ, suos in illam vnam oculos coniicientes. Sunt verò qui loco hoc modò Eryngium, modò Moly, vel Origanum etiam quærant, quem caulem si Ouis Capellá vepascendo auulserit, & in sublimi conspicuum erexerit, grex reliquus abiecta pabuli cura attonitus reddatur, neq; priùs pabuli memor fiat, quàm caulis ille à pastoribus ab ore pecudis abstractus abiiciatur. Cuius fabulæ authores etiam citant Aristotelem & Plutarchum. Nos hieroglyphicum de apprehensa Capræ herba, quam Opilius Aurelius Spirillum vocari dicit, aruncum Plinius, ex Naturali historia desumpsimus.

Caprarum grex quomodo attonitus reddatur.

PRO VITIBVS SACRVM.

QVID autem sibi vellet hieroglyphicum aheneæ Capræ inauratæ, quam Phliasij tanto cultu prosequebantur, vt illi etiã preces allegarent, Pausanias declarat. Quippe cùm manifestum sit, sydus, quam Capram appellant, exortu suo vitibus nocere, id honoris ei habitũ voluêre, quòd, ne id accideret, ea potissimùm ratione caueri posse iudicarunt. Animal porrò id cùm sit ex domesticis omnibus damnosissimum, lege in Acropolin Athenis adire prohibitum, morsu noxio vniuersa germina abrodens, & vt more Iurisconsultorum, ac prætorij edicti loquar, pauperiẽ faciens. Alij Baccho Caprum ob hoc mactare maluerunt, vt bestia quæ morsu pestilenti vitibus maximè nocet, immolata, Deum vitibus conciliaret. Nam & Ascolia sacra, de quibus Virgil. *Vnctos saliêre per vtres*, ea de causa Baccho sunt instituta, quia vtres ex hircinis caprinisq; pellibus fieri consuerunt. *Bacho cur sacrarint olim Caprum.* Quoniam verò Caper vitem abrodens eam veluti veneficio vitiat, excogitatum est in Bacchi gratiam id in vtres ludibrium, vt scilicet eos flatu tumefactos per humum disponerent, superq; eos saltationibus lasciuirent, vnde lubricitate pellis suopte pingui delibutæ pingues identidem fallerentur, præcipitesq; saltatores, sine vllo tamen incommodo, conciderent, effusumque omnium risum excitarent. Eadem antipathiæ causa dictum à Virgilio autumant:

Et in verubus torrebimus exta colurnis.

Corylos enim vitibus vicinitate sua nocere, experimento compertum est, quãuis Festus colurna hastilia ex corno arbore facta potiùs, quàm ex Corylo velit. Contrà verò inuentum est ex tã pestilente in vites animali maximam capere vtilitatem, eiusq; beneficio augeri vindemiam: siquidem apud Africanum legas cornua Caprarum numero tria circum arborem, cui vitis maritata sit, in terram affigi, acumine deorsum immisso, ore cornuum supra terram paululum extante, vt pluuia, velut in vas influere possit, id factum vberrimæ fertilitatis in vitibus auxilium esse. Nihilo secius, vt idem Africanus author est, non morsus tantùm vitẽ lædit, verùm pulmo etiam eius contra vini vim arma capit, si assetur, & ebrioso cuipiã in cibum detur: efficit enim vt vapor ille, qui temulentiam inducit, retundatur, inaniterq; diffletur & euanescat. Quin etiam hircinus adeps, quo falx putatoria obuncta fuerit, ne pediculi in vite generentur, prohibet, ab eodem proditum Africano.

VNIVERSA MVNDI MACHINA.

HIEROGLYPHICVM erat & Panis signum, ex quo tota mundi machina intelligebatur: capripes enim erat, humana reliquũ effigie. Inferior ea pars terram hirtam & hispidam ostendebat, humana verò læuitas atq; mollities, tranquillum & defæcatum æthera, mundi ipsius ducem. Huic insuper illa in Nymphas procacitas attributa, & nunquam satiata libido: mundus siquidem assiduè rerum species progenerat, & humore plurimùm vtitur, materia quippe generationi in primis & apta & commoda. Quare simulacrum Panos tam syluis & agris, quàm hortis & fontibus & puteis vt tutelaris apponebatur. Cõ-

Pan mundi hieroglyphicum.

mentitium verò est, quòd Pana nonnulli ita dictum arbitrantur, quia Penelopes & totius turbæ procorum filius fuerit, qua in sententia Theocritiana est apostrophe ad Penelopem, Syringe, Θοὴρ τέκες ἰθυπῆα. quem quidem Epimenides ex Ioue & Callistone genitum asserit, poëmatibus: gemellus enim fuisse Pana & Arcada. Sed Aristippus, Arcadico, Iouis & Nymphæ Æneïdos prolem agnoscit. Sed qui veterum fabulas speciem quandam esse Philosophiæ autumant, delitescentem in illis doctrinam ita solent explicare, vt Pana ideò dici velint, quòd vti monueramus, simulacrum eius vniuersi naturam exprimat: forma enim eius rebus quascumque tuemur accommodata est. Cornua siquidem & Solis & Lunæ similitudinem esse perhibent. Nam alibi cùm de Moyse loqueremur, radiatam eius faciem pro cornuta à nonnullis acceptam ea de causa docuimus, quòd apud Hebræos Radius & cornu sint æquiuoca. Pantheræ pellem, stellarum, vt Probus arbitratur, vt quidam alij, simulacrũ esse terræ, quæ mira sit varietate conspicua; inferioris partis villos omnium terra nascentium imaginem haberi. Fistulam spirantium in orbe toto ventorum imitationem. Caprinam faciem repentinas procellarum turbationes, quas q; toto aëre sunt murationes, indicare. Iam per femora hyrta, syluosa loca, per crurum exilitatem, montium abrupta figurari. Sunt qui falcem etiam manu prætentam illi attribuũt, quod dubio procul labores, quos operibus mortales impendunt, indicaret. De Hirco autem qui Alexandri Macedonis apud Danielem indicium fuerit, alio loco dictum. Hîc illud potiùs ponam quod Eucherius tradit, ex Capræ symbolo iustos intelligi ex Gentibus præcipuè venientes, eoq; spectare Salomonis dictum: *Capillatura tua sicut grex Caprarum, quæ reuelatæ sunt ex Galaa*, sumpta scilicet inde similitudine, quòd Capræ de sublimi cibum petunt, veluti pij quæ supernè sunt ad animi cibum inuestigant.

LIBIDO.

CAPRINVM adhæc genus in Chimæra: Capra enim & Chimæra idem, quippe in nequitia Bellerophontis virtute domita, medium tenet, quod libidinis affectum notat, ea videlicet de causa, quòd huius generis animal in libidinem & procacitatem sit immodicum, hœdosq; petuleos eadem ratione dictos à Virgilio legimus. Deq; Satyris identidem capripedibus eadem omnium consensu feruntur non posse quidem eos libidine satiari. Minimè verò fabulosum esse de Satyris commentum, ostendit Plinius, qui illos in Subsolanis Indorum montibus inueniri tradit, humana effigie animal perniciſſimum, vt propter velocitatem nisi senes aut ægri capi nequeãt. Sed & Pausanias hæc de illis audisse se profitetur, Euphemum quendam probatæ fidei virum aliquando sibi narrasse, cùm in Hispaniam nauigaret, aduersa tempestate se in exteriorẽ Oceanum esse delatum, postq; multorum dierum nauigationem, ad insulas quasdam desertas peruenisse, quas homines ferino truciq; aspectu syluestres inhabitabant, corporibus hirtis, pilorũ colore subrufo, caudis equina penè maioribus præditi, qui posteaquàm nautas illuc aduectos inspexissent, ocyùs omnes ad extremum littus accurrêre, vocem quidem nullam, sed stridorẽ quendam informem & inarticulatum emittentes, in fœminas autem quæ naui illa casu vectabantur, eos adeò furiosos inuasisse, vt ægrè ab iniuria etiam cæsi flagris abigi, summoueriq; potuerint. Veritos verò nautas ne quid indignum paterentur, inhibita naui procul in anchoris stetisse, barbaram verò quandam mulierem, quam secum habebant, in littus exposuisse, in quam omnes petulãtissimè debacchantes, per omnia corporis caua libidinem exercuerint, easq; Satyrorum insulas à nauigantibus appellari, Euphemus idem asserebat.

De Satyris historia ex Pausania.

FEBRIS.

SVNT qui febrem ex Capræ simulacro significent, propterea quòd animal id eo semper incommodo laboret, hinc anima illi semper ardentior, ita vt attacta pastu exurere videatur. Vehementem verò in quocumque animali calorem, febrem esse, tum Aristoteles, tum alij prodidêre. Ea autem de causa in eius venditione dominus sanitatem præstare minimè cogitur, tantùm verò sufficere, si eam eo die bibisse comedisseq; profiteatur. Florentinus author admodùm celebris, qui inter multa quæ reliquit literarum monumenta, etiam de re rustica non incuriosè conscripsit, ita semper febricitare Capras ait, vt si quando deficiat febris, intereant.

AVGVSTI GENESIS.

IN numis quibusdam argenteis Capricorni cœlestis signum hieroglyphicè cusum aspicias, indicat id, vt ex Tranquillo didici, Augusti genesim. Nam cùm Theogenes Mathematicus, ad quem in secessu Apolloniæ vnà cum Agrippa comite accesserat, genituram eius inspexisset, exiliissetq; & adorasset eum, tantam mox fiduciã fati Augustus habuit, vt schema suum vulgauerit, numúmque illum argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. Numum hunc attrectaui, in quo Capricorni signum est in piscem desinẽs, quòd sphæram intra priores pedes positam euoluere videtur, ab altera parte Augusti caput.

Augusti numus.

MERETRIX.

VT verò redeamus ad Capram, ea cùm pestilenti morsu præcipuè noceat, ingenij meretricij, conuenienti admodùm hieroglyphico, symbolum habetur, ab ore quippe cuius damna tot mortalibus inferuntur: nã veluti germina præcipuè Capra peruestigat, quę depascitur auidissimè, ita meretrix cupida est in primis adolescentioris ætatis, vtpote quæ ob imperitiã magis idonea sit vt facillimè decipiatur. Vnde nõ illepidè Nicò Attica meretrix αἴξ, id est, Capra cognominata est, quoniam

Nicò Attica meretrix.

A quoniam mercatorem adolescentẽ Thallum, qui in Atticam caricas & mel Hymettiũ empturus aduenerat, abliguriſſet. Θαλὸς autẽ germen est, quem lusum haud iniucundè Machon itaexplicat:

ἐπεκαλέϊτο δ' αἶξ, ὅτι τὸ μεγαμ
κατέφαγ' ἐρασθὴν ποτε θαλὸν. quod nos ita reddidimus:
Nicò olim meretrix fuerat, mox Capra vocata
Est, quòd amatorem eximium cognomine Thallum
Fortiter absumpsit.

Neque aliam ob causam Capræ lumbi sacrificiis offerri apud Hebræos prohibebatur, nisi quia necesse erat lumbum esse immaculatum, vel vt alij, integrum, seu vt alij, perfectũ. Capra verò cùm pro delinquente ponatur, immaculatos lumbos habere non potest.

NEQVITIÆ FACINOROSITAS.

MERITÒ itaq; viri libidinosi probra, & impudica facinora notare si vellent Ægyptij sacerdotes, Hircum potiùs quàm Taurum pro hieroglyphico fingere instituerunt. Taurus enim licèt inguine sit præcipuè validus, & in re Venerea perpetranda prõptissimus, non tamen inscendit quoad anniculus fiat, neque quidem iuuenca recentior quàm annicula Venerem patitur, nisi ostento: Hircus verò septima posteaquàm natus est die, vt apud Ælianum est, alij septima dixerũt hebdomada, rem Veneream aggreditur, improle tamen & infœcundũ semen eiiciens, veluti Tauri quoque vsque ad bimatum, licèt alioqui non nisi quadrimos eos generationem implere nonnulli contendant. Sed enim Hircus celeriùs porrò quàm quoduis aliud animal inscendit, rectéque ab Horatio libidinosus appellatur, cuius fœcunditatis gratia inter Deos insipienti sæculo annumeratus aliquando est, perinde ac Panes & Satyri. Is quippe apud Ægyptios Mendesio ciuitate
B multarum & formosarum puellarũ collegio curabatur, sacro incluſus fano, cui selectiores Capras non indiligenter educabant, author est Plutarchus. Et Veneris simulacrum, quæ Hirco insideret, Pausanias obseruauit, non alia de causa puto, quàm ob huiusmodi petulantiam. Et Mathematici mulierem nudam, quæ Hircum humero gestet, vigesimosecundo gradu Virginis adscripsêre, ex eo impudicitiam eius significaturi, qui gradu eo oriente natus esset. Huic generi brutorum similis fuit Heliogabalus, qui mulieres nunquam iterauit præter vxorem; ille, vt Alexander Seuerus ait, non solùm bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus. Iam verò Sacræ literæ dum Hircos Hœdosq; immolandos monent, nequitiam omnemq; libidinem iugulandam indicant, vt interpretatur Adamantius: cuiusmodi etiam interpretamentũ habes apud Cyrillum, perinde ac etiam reliqua Leuitico contenta, vt facilè iis accedam, qui opus id adscribunt Adamantio. Hœdi autem ferè passim in Diuinis literis hieroglyphicè pro perditis & nequam hominibus, libidinis & aliorum scelerum facinoribus inquinatis designantur; idq; manifestissimè cognoscitur ex eo, quòd Dominus noster consummationem seculi, vt ait Hesychius, narraturus, ouibus à dextera statutis pollicitus est eis iustorum benedictionem; in hos autem à sinistra segregatos, dira illa omnia, quæ in profligatissimum quemque decernuntur, comminatus est. Ita verò pro sceleribus Hircus ponitur, vt in Diuinis literis statuatur ante aras Hircus viuens, sacerdosq; vtraque manu super caput eius imposita confiteatur vniuersas populi iniquitates, delicta, admissaq; prauè & impotenter, omniaq; in eius caput increpans aggerat, mox per hominem certum in inuiam desertamq; solitudinem emissum deportari iubeat. Illud etiam addunt ad causam, quòd asperum gerit pilorum indumentum, asperum interpretantur peccato refertum, atque ita mortale genus omne mysticè per Hircum accipitur, quia nihil est peccato asperius, diceret Hesychius. Sedenim quod de Capro
C emissario tetigimus, sunt qui eum signum esse velint profugarum legionum, quæ à Deo defecerunt, quæq; in fœditatem & horrorem damnatæ in omne seculum, ceciderunt.

Tauri & Hirci Venerea libido cõparatur.

DIABOLVS.

ADAMANTIVS itaque Hircum, ait, Diaboli symbolum esse, vbi ita interpretatur: *Cùm verò ad martyrium duceris, Hircum obtulisti, quia scilicet authorem peccati Diabolum iugulasti.* Hinc vulgò receptum, vt malo Dæmoni cornua passim attribuantur. Nequitiam porrò per Dæmonem intelligi, in humanicipite Serpente loco suo declaratum est. Iam hirsuta apud Esaiam inuenias genera Dæmonũ, hos nonnulli etiam doctissimorum, Incubones vel Satyros, aut quosdam syluestres homines putauerunt. Maximus Tyrius, vbi Midæ fabulam scribit, qui Satyrum per insidias ceperit, à quo omnia fieri aurea impetrasset, *Satyrum*, inquit, *ebriosum Dæmonem, infuso in frontem mero, captum esse.*

Hircus Diabolo symbolum.

PETVLANTIA DOMITA.

GRÆCI autem Poëtę Caprum ab Hercule domitum ea de causa finxerunt, quòd is cùm procaci lasciuia homines ipsos antecelleret, domitus à virtute, impositum petulantiæ modum, extinctosq; libidinis æstus, suppressosq; procacitatis impetus demonstraret. Nam eius nequitiæ vir fuit, vt triginta vna nocte mulieres aliquando feratur iniisse: & vt apud Athenæum est, idem septem diebus quinquaginta filiabus Thestij virginitatem imminuit. Illud de Proculo, qui Probi tẽpore tyrannidem inuasit, vel ex epistola sua manifestum est, qua se nocte vna captiuas decem ex Sarmatia constupraſſe gloriatur, seq; inter fortes annumerari affectat, dum mollitiem suam maximè cõmemorando manifestat. Quòd verò Iunoni Capras immolare primus Hercules instituerit, id ea de causa factum, quòd alterius hostiæ sibi facta copia non fuerit, cùm ei Deæ sacrificare vel-

Herculis Proculiq; libido.

let, propterea quòd sibi aduersus Hippocoonta pugnanti aduersata non esset, quæ res tangitur à Pausania libro 3. At Lacedæmonij Dianæ cognomento Corythalię sacrum in agris facientes, non nisi Caprarum carnes in obsonium adhibebant, neque aliud animal præter id in huiusmodi sacris immolari fas erat. Apud Xenophontem legas, Athenienses, quo tempore Persæ cum ingentibus copiis Athenas deleturi in eorum fines inuaserant, Dianæ votum fecisse, tot illi se Capras immolaturos, quot hostes occidissent.

ADVLTERÆ CONIVGIS MARITVS.

NEQVE illud inuentum adeò nouum est, vt nullã sapiat antiquitatem, quòd hodie vulgò Caprum eum appellamus, qui coniugem habeat adulteram: erat enim & hoc apud veteres hieroglyphicum, atq; illud insuper adagium ferebatur in spurios, si de patre quispiam quæritaret, vt *Adagium in spurios.* *τὸν μητρὸς ὡς αἶξ*, responderent, *Matris quippe, vti Capra, itidem*, vtpote qui de parte incertum ferret, propterea quòd Capellis nullum ducem pastores constituunt, vt ait Aristot. vel vti suos Ouibus Arietes, suos Bubus Tauros, & ita plerisq; aliis. Caprarum siquidem natura instabilis, lubrica, atq; mobilis admodùm est, quare Hœdus in Caprilibus à matre tantùm dignosci potest. Meritò itaq; vir, de cuius liberis vxor tantùm possit internoscere, Hircus appellabatur, & *ἱερογλυφικῶς* per Hircum figurabatur. Nam & Catullus in hanc sententiam, *Putare cæteros Hircos*, dixit. Quòd verò sunt non illiterati viri, qui dicterium inde sumptum putant, quòd Hirci suas fœmellas iniri facilè patiuntur, etiamsi coràm spectauerint, vt quem notat Iuuenalis cùm dixit

Doctus & ad calices vigilanti stertere naso:

aliter traditũ ab Æliano legimus, qui sentire Hircos riualitatis affectum testatur exemplo Grathis pastoris Calibri, cuius dormientis cerebrum Caper cornibus in eum incitatis eliserit, propterea quòd deprehensus esset ab eo cum Capella quam amabat Venerea copula misceri, de quo Probus Georgicῶn primo, sed, vti dictum fuit, copiosiùs Ælianus. Rusticum enim & imperitum id genus hominum, hac plurimùm nequitia famosum inuenias, vnde iocus apud Theocritum:

ὠπόλλων ὅκ' ἐσορᾷ τὰς μηκάδας οἷα βαΐδιν,
τοὺς ὀφθαλμώς, ὅτι ἐ τραύλων αὐτὸς ἔηντο.
Aepolus inscendi videat siquando Capellas,
Liquitur obtutu, quòd non Caper ipse creatus.

Becchũ vocabuli anti quis etymũ. Quòd verò vulgò Becchum eiusmodi notæ hominem appellant, quippe cui coniunx sit adultera, atque etiamnum animal hoc ita vocitent, antiquissimam esse dictionem, in Græcorum habetur commentariis. Apud historicos enim legere est, Psammetichum Ægypti Regem Phrygiorum antiquitatem, de qua magna inter Phrygas & Ægyptios contentio fuerat, in Ægyptiacis pueris humano omni consortio inhibito educatis, eo argumento deprehẽdisse, quòd ex suapte natura Bech pronunciarent, quæ vox propriè Caprarum & Hircorum est, eoq; vocabulo Phryges panem appellarent. Rostrum verò auium plerisq; nunc Italiæ locis, olim verò tota Gallia Becchum nuncupabatur, & becchare passim pro mordere decerperéve dicitur. Quasi verò fuerint primitùs homines à Capris enutriti, naturaq; ipsa vocem enunciare docuerit, quę ad alimoniam magis necessaria videretur, id honoris Phrygibus adiudicatum, vt antiquissimi omnium haberentur. Quaq; ratione balantes Oues, & latrantes Canes appellamus, eadem illi becchos Hircos vocauêre.

DE ORYGE.

INTER minores Ægyptiis greges Oryx est, quem nonnulli Caprarum adscribunt generi. Hunc ex omnibus animalibus solum auerso pilo esse authores tradunt.

MATHEMATICVS.

Obseruatio Mathematica Aegyptiorum de Oryge. PER hoc animal pictum aut sculptum, Mathematicum hominem hieroglyphicè intelligebant: siquidem Ægyptij, cùm Sothen astrum illud suum, quam nos Caniculam appellamus, magno cultu prosequerentur, deq; die, quo prę cipuè oriretur, soliciti admodùm essent, animaduerterunt, Orygem sideris eius ortum sentire, atq; etiam clamore edito significare, quasi vel ortũ nunciet, vel saluere iubeat. Sedenim eo tẽpore quo astrũ illud oritur, aiunt Capras omnes, quotquot Ægyptus habet, conuersas ad ortũ prospectare, peractamq; ita reuolutionem cũ fide fieri exploratã, consentireq; in id Mathematicorũ suppurationes. Quinetiam, vt nonnulli alij tradunt, Oryx stat contra, contueturq; stellã, ac veluti numẽ adesse sentiat, procũbitadorabundus, quare primas illi partes in huiusmodi significato tribuêre, cùm *συμπάθεια* tam insignis cũ eo sidere animal moueret, & ea viderent ab eo deprehensa, quę longa mortaliũ studia non nisi multarũ ætatum successu & obseruationibus per manus traditis, cõsequi potuêre, cœli motu prę sertim assiduè variante, quadamq; veluti trepidatione vacillante.

SOBRIETAS.

HABET & id temperaturę cum Sirio, quòd velut ille *sitim semper affert mortalibus* (vt Maro dixit) *ægris*, hic assiduam, imò perpetuam sitim perfert, & ex natura loci potu omninò caret. Quare virum perpetuò sitientem, imò dixerim ego maximè sobrium, per huius animalis effigiem significabant, quin & remedia sitientibus ex eo comparabant, liquore quodam in eius corpore haustus saluberrimi reperto.

DE

DE OVE.

QVIS nunc persequar significata, verùm ea non tam ab Ægyptiis quàm ab Hebręis & Græcis authoribus desumpta, quibus nonnulla etiam addemus à Romanis accepta, trahet verò secum hæc dictio Agnum simul & Arietem.

STVLTITIA.



Adagium in insipientes & fatuos.

IN primis autem significatum illud super Oue comperi, vt ex eius simulacro stultitia significaretur: nam vsurpatione vulgi, Ouis cognomento insipientes appellantur, in quos adagium etiam fertur, *προβατίου βίου ζῇν*. De socordia verò stoliditateq; animalis illud in ore omnium, *προβάτου ἦθος*, *Instar Ouis* Latini dicunt, quod more Ouium Græci. Et Aristophanes, Vespis, ad huiusmodi stoliditatem respiciẽs, considere ait ouillum pecus in concilio. Quare Accius in somniis ponit ouilem fœtum in Tarquinium concitatum, tanto verò impetu arietantem, vt Regem solo prosternat, quod Brutum indicabat, quem Tarquinius hebetem æquè ac pecus esse putabat, nomine etiã ex re quæ simulabatur indito, cùm tamen is pectus egregiè sapientia munitum gereret. Sed & Fabius Maximus, quòd ab ineunte ætate aliquanto hebetior videretur, quietémque & taciturnitatem adamaret, neque ad capessendas disciplinas promptitudine aut docilitate vl a præditus esse iudicaretur, magnámq; de se torporis & insipientiæ suspicionem apud domesticos concitasset, Ouiculæ cognomento appellatus est. Porrò autem in Sacris cùm Ouem offerre Deo admonemur, expertes rationis motus, insipientésque cogitationes, & quæcunque per imprudentiam peccauimus, corrigere iubemur, vt admonet Cyrillus, sed longè plenius Origenes. Hinc *χρυσόμηλον* appellauit Diogenes virũ quendam indoctum, sed splendidè vestitum. Nam & prouerbium illud, vti superius, *Ouiles mores*, de iis qui minimùm ingenio valent, dictum inuenias. Diuinæ etiam literæ plerisque locis homines diuinæ institutionis expertes indociléque nunc Oues, nunc pecora nuncupant, quòd in cõtemplationis sublimitatem suspicere nequeunt, sed cùm soli sint voluptati dediti, ea imitantur animalia, quæ, vt Græci est nominis etymologia, natura prona atque ventri obedientia finxit. De huiusmodi genere hominum quòd rectè olim instituendum esset, dictum aiunt, *Homines & pecora saluabis Domine.* Nam quòd Dominus præcipit, eum qui voluntaria dona offert, de Bubus vel de Ouibus offerre, ex vtroque Iumento similem designans hominem, qui nihil acuminis neque ad virtutem, neque ad malitiam haberet, sed traheretur ab alio, vti & Boues & Oues, quæ animalia sunt insignitei mansueta, eos qui manu trahunt facilè sequentia, ideóque non omnium hæc munera, sed Iudæorum tantùm esse videbantur, propterea quòd illis, tametsi virtutis nihil operarentur, sufficiebat tamen nihil iniquè agere. Atque huc Dauidicum illud citat Hesychius, *Homines & Iumenta saluos facies Domine.* Neque sum nescius, pastores Ouium apud Ægyptios ignominiæ cuiusdam nota & penè profanos habitõs, quo nomine Appion, vt apud Iosephum est, Israëliticos populos appellitabat, neque ipsi hoc in historia sacra dissimulant. Sed vt simplicitatẽ illam viuendi, quæ colligitur tam ex nostra, quàm ex antiqua gentium penè omnium memoria, prætereamus (certatim enim scriptores omnes primum hoc humanæ vitæ institutum laudibus omnibus ad cœlum ferunt) est & mystica interpretatio, qua Ægyptij posteriores ij, qui à priscis illis longè desciuerant, non pastores ipsos, sed pastorum significatum odio prosecuti deprehendũtur. Nam qui corporis incitationibus, eiúsque voluptatibus indulgere sibi permiserit, dubio procul hos, qui recta moneant, quadam veluti execratione declinabit. Atque id denique erat in causa, vt abolitis iam antiquioribus illis priscorum sacerdotum institutionibus, qui papyro victitabant, qui castimoniam & synceram animi puritatem amplectebantur, recentiores mox ex otio & opulentia ad delicias & illecebras prolapsi, in quas cursu effusissimo ferebantur, cœperint pastores huiusmodi pariter aspernari & abominationi etiam habere, vtpote qui, vt ait Horatius, nil vellent ab iis audire, nil discere quod ægros leuare posset, fidis offenderentur medicis, amicis irascerentur, si quando eos à funesta veterni suffocatione arcere properarent. Sic & Cainus pastorem fratrem, hominem quippe pietati addictum, ferre non potuit, cùm ipse terrenis tantùm affectibus emancipatus esset. Sic passim etiam nunc probi modestiq; viri à potentioribus ignominiosè accipiuntur, scelesti, impostores, parasiti, & ambubaiarum collegia in honore sunt, & quæcumq; appetierint commoda consequuntur, atque ita demùm

Ouis in sacris hieroglyphicum.

Potores, bibuli, media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamuis
Nocturnos iures te formidare vapores.

DOCTOR VIRTVTIS.

VT verò ad pastores nostros reuertamur, pastorem Ouium Ambrosius interpretari videtur disceptatorem rationis, doctoremq; virtutis. Et vbi scriptum, *filios Arietum Domino offerendos*,

principes Ecclesiarum exponit Eucherius, & Oues intelligit eos, qui simplici, vera, puráque fide pietatem hanc nostram amplectuntur: de quibus Christus, *Oues meæ vocem meam audiunt.* & ad Petrum: *Pasce Agnos meos.* Quo super exclamat Salomon: *Pascè animas pecorum tuorum:* de quibus scriptum est, *Arietes duos in primitiarum sacrificio ad septem Agnos immaculatos anniculos, & Vitulū vnum de armento adiici debere.* Præclara quippe mandata, diceret Hesychius, & virtutes quas sequi alias velut Oues oportet, ad primam illam oblationem applicandas. Quòd verò Aaron pontificalibus iam ornamentis instructus Arietem obtulit in holocaustum, per Arietem Theologi, vt idem Hesychius, Christum intelligunt immolatum: ille enim ducatum præbere Ouibus euntibus in pascua, & ad egressum ingressumq; à caulis & in caulas solet, sicut & Christus dux perfectæ conuersationis est, à quo videlicet ea sumpsit exordium, atque ideò intrare per se & exire Ouibus præcipiebat.

Aries oblatus quid.

INNOCENTIA.

ANTE alia autem tam Ouis quàm Agnus hieroglyphicum est innocentiæ. Hinc illud apud Cyprianum sapientissimè scriptum libro de Liuore: *Meminisse debemus quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. Oues nominat, vt innocentia Christiana Ouibus æquetur; Agnos vocat, vt Agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur.*

MANSVETVDO.

ET imbellem, purum, simplicem, ac egregiè mansuetum hominem, eundémq; immaculatum, ac pectore candidissimo præditum hieroglyphicè significare qui volūt, Agnum pingere consueuerunt: id enim mansuetissimum eius ingenium exposcere videtur. Nam & ipso vocabulo puritatem castitatémq; significat. Et antiqui sacrificuli augurésq; Maximam hostiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore. comprobant etiā hoc Sacræ literæ, & nostri Seruatoris insigne: Agnus, ab omni Christianorum antiquitate summa exceptus veneratione: de quo fertur illud à priscis vatibus dictitatum, TANQVAM AGNVS. Nam vt Agnum coram tondente obmutuisse, Agnum patibulo applicitum anniuersaria nobis commiseratio & ploratus redintegrat. Et præcursor ille Deo plenus, Agnum hunc intento digito commonstrauit. Hoc verò picturæ genus cùm synodo sexta iam antiquatum esse percepissem, neque satis mihi faceret Latina traductio, ad Græca me contuli exemplaria, in quibus rem ita traditam inueni. Ἐν τισι τ̃ σεπτ̃ων εἰκόνων γραφαῖς Ἀμνὸς σκιτύλῳ & προδρόμε λειτυργῶ ἐζωγραφῆτο, ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τ̃ χαρίτ☉ τ̃ ἀληθινὸν, ἢ μὲν Μ☉ν. νόμε προϋποφαίνων Ἀμνὸν χριστὸν τ̃ Θεὸν ἡμῶν. Τὰς ἓν παλαιὰς τύπες ἢ τὰς σκιὰς, ὡς τ̃ ἀληθείας συμβολάτε ἢ προχαραγμάτα τ̃ ἐκκλησίᾳ φανδαδομένα καλῶς ἐζόμθοι, τὴν χάριν προτιμῶμεν, ἢ τὴν ἀλήθειαν ὡς πλήρωμα νόμε ταύτην ὑποδεξάμθοι. ὡς ἂν ἓν τὸ τέλειον καὶ ταῖς χρωμαλεγγίαις ἐν ταῖς ἁπάντων ὄψεσι ὑπογράφῃ, τ̃ δ αἴροντ☉ τ̃ ἁμαρτίαν & νόσμε Ἀμνὸν χριστὸν & Θεὸν ἡμῶν κ☉ τὸ ἀνθρωπινον χαρακτῆρα, ἢ ἐν ταῖς εἰκόσι διὰ τ̃ νῦν ἀντὶ & παλαιᾶ Ἀμνὸ ἀναστηλᾶσθαι ὁρίζομθα, δι᾽ αὐτὸν τὸ τ̃ ταπεινώσεως & Θεὸν λόγε καταδεχόντες, ἢ πρὸς μνήμην τ̃ ἐν σαρκὶ πολιτείας, & τε παθες αὐτ̃, ἢ & σωτηρίε δωράτε χειραγωγέμθοι ἢ τ̃ ἐντεῦθεν ἡμνομένης τ̃ κόσμῳ ἀπολυτρώσεως. Id est, *In quibusdam venerandarum imaginum picturis Agnus digito præcursoris indicatus delineatur, qui receptus est in effigiem doni illius optatissimi, quo genus humanum Deus Opt. Max. honestauit, cui gratiæ nomen ab excellentia quadam indidimus. Ille enim sub eo velamento verum Agnum, ad quem dictata nostrorum veterum respexēre, Christum Deum nostrum ostentat. Nos verò figuras, & descriptiones veterum, prout sunt veritatis notæ, præfigurationesq; Ecclesiæ concessæ, honorificè atque libenter amplectentes, gratissimum tamen donum illud à Deo nobis liberaliter erogatum præferimus, ipsam rei veritatem, vt quæ illa veterum dictata iam adimpleuerit, admittentes. Vt igitur quod perfectum atque absolutum est in picturationibus etiam, quæ omnium oculis obiiciuntur, describatur, Agnum, qui peccata mundi tollit,* CHRISTVM *Deum nostrum humana posthac effigie, pro antiquo Agno pingendum esse decernimus, quippe qui per huiusmodi figuram humilitatem verbi illius quod à Deo processit, intelligamus, memoréque simus eum nostri corporis exuuias susceptisse, ac perinde cruciatibus affectum morte nobis salutifera decessisse, mundúmque inde redemptum esse, manu quasi præuia doceamur.* Quid verò super his Latinus interpres, quid Doctores afferant, alij viderint. Decret. de consecratione, distinctio. 3. cap. sextam sanctam Synodum. Traducere enim mihi religio fuit, cùm illa iam sint ab Ecclesia recepta. Quin & Ouem pro mansuetudine poni passim videas, præcipuè verò in Euangelica, vti dictum, disciplina, vbi Oues ab Hœdis segregandæ prædicuntur. Vitam siquidem illi peragunt intaminatam, qui mansuetudinem amplectuntur, & ab eo qui mitis est, & humilis corde, suscipiunt morum rationem, paratique sunt tanquam Oues ad iugulationem, si sit opus, trahi, vt Dominum imitentur. Sanè Ouem Hesychius hominem præ se ferre tradit in Diuinis literis, qui simplex admodùm sit, neminíque noceat, & à perperàm factis abstineat: de quo plura alibi. Hœdi verò petulci sunt atque erratici, qui prærupta quæque rupium, & loca præcipitiis exposita consectantur.

Ouis vel ἀγν☉ Agnus maxima hostia.

OPVLENTIA.

APVD alios historiæ sacræ scriptores, Ouis est prouentus etiā & feracitatis indiciū, cui Græcæ dictionis vox ipsa etiā fauere videtur. Nam vt pleriq; interpretātur, προβάτιον, quasi πρόβασις appellatur, quod rerū earū opulentiā significat, quæ ad victū faciūt. Sed vt in Ouibus persistamus (latum

A (latum enim est & προβάτε vocabulum) vbi Hesiodus ait, μαργαμθίας μήλων ἕνεκ᾽ οἰδιπόδαο, interpretes aiunt μήλων ἕνεκα de imperio & opibus debere intelligi, propterea quòd principes olim pastoralem vitam agere soliti sunt. Sanè veteres in tanto Oues honore habuēre, vt ex iis tantùm opes fieri existimarent, & pecuniam & peculium inde dicta Iurisconsulti tradunt, ideóque fictū Oues lanam olim auream habuisse. Hinc cùm Hercules ex Africana victoria nihil præter Oues abegisset, aurea mala secum asportasse dictus est, μῆλα enim dicitur Ouis, & ea locutione pomum vsurpatur. Sunt enim qui scribant in illis hortis, qui Hesperidum fuisse dicuntur, oleastros tantùm progerminari; alij autem cotonea ibi lætissimè prouenire tradunt, eáque à colore Aurea nuncupata. Nam quæ in manu Herculis poma tria statuuntur in antiquissimis ex ære statuis, cotonea sunt, de quorum significationibus loco suo inter arbores disseruimus.

Hercules aurea mala.

FELICITAS.

IN Hetrusca disciplina obseruatum inuenio felicitatem ex Oue portendi, præsertim si Ouis insolito colore fuerit, quod mihi Virgilius optimè tetigisse videtur, vbi, Pollione dicit:

Ipse sed in pratis Aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera succo.

De quo legitur apud Hetruscos: *Purpureo aureóve colore Ouis si aspersa fuerit, Principi ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus, progeniem propagat in claritate, lætioremq; efficit.* Ex quo nata inter greges Atrei aurea Agna, principium discordiarum illi ac Thyesti fuit, fratre scilicet inuidia fraternæ felicitatis exulcerato. Vnde illa citantur à Cicerone ex antiqua tragœdia Atreo, de Nat. Deorum III.

Aurea Agna Atrei.

B *Addo huc quod mihi portento cælestūm pater*
Prodigium misit regni stabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma.

Auream enim Agnam Thyesti puero natam, & Pausanias & Plato meminêre; animalq; id ex lapide positum eius tumulo, eiusdem rei monumentum, Pausanias idem attestatur. Esto autem hoc apud historicos. Sed felicia illa portendi ex euentis comprobatū, tunc præcipuè cùm Agnus natus esset vellere in fronte purpureo in villa Antonini cuiusdam plebeij viri, eo die atque hora, qua Geta, Antoninus inde nūcupatus, Mediolani natus est. Verùm is in cuius ædibus Agnus editus fuerat, cùm Imperium Antonino ex hoc portendi audisset ab Aruspice, de se dictum putans, ne fatum propalaretur, Agnum statim occidit, quod omen fuit Getam, qui & Antoninus vocabatur, vt subsecutum est, ab Antonino fratre necandum esse, quod apud Ælium Spartianum, & alios habetur. vsque adeò authores ea etiam quæ nihil attinent, in vsum ascisciunt suum. Eædem Oues Diadumeno nascēti Imperium portendêre, cùm in agris patris Oues purpureæ duodecim natæ essent, quarum vna tantùm varia fuerat. Et Mathematici, quos tamen hîc ridet Ambrosius, eum ad eroganda multa idoneum, atque itidem ad acquirendum dicunt, qui inuadente in horoscopum Ariete fuerit in lucem editus. Nam hoc animal & vellus absque vllo dolore molestiáve deponit, & à natura facilè rursum eodem vestitur. In eandem ferè sententiam Ambrosius interpretatur diuinam legem vbi Asinam Oue mutandam in sacrificiis instituta Dei iubēt. Asina quidem animal laboriosum, Ouis verò frugi, & non parui prouentus. Fructu igitur mutandum esse laborem, dicit Dominus, id sub hoc verborum velamento subinnuens, quòd vniuscuiusque laborioſi operis finis ad fructum respicere debeat. Neque tamen ignoro esse qui simpliciter intel-
C ligi velint præceptum hoc, ea de causa, quòd Asina sit immunda, ideoq; in Ouem, quæ munda est, commutandam. Sunt qui hoc verborum inuolucro dicant, laborem & industriam omnē affectu simplici commendandam, per Ouem simplicitatem tantùm, vt etiam superiùs dictum est, accipientes. Qui verò profundiùs rem exquirere sibi videntur, liberandam aiunt animam ab iis quæ fructum non habent, cuiusmodi ea sunt quæ solo sensu percipiuntur, cùm fructus per Ouem omninò exprimatur, per Asinam verò sensus ipsi materiæ simpliciter appliciti.

Asinū Oue mutandam cur præceptum.

MVLIEBRE OFFICIVM.

QVÒD verò nouam nuptam veteres in pelle lanata considere iubebant, vetustū referre morem videtur, quòd id vestimenti olim vsui fuerit. Sed illud magis verisimile, quòd hoc gestu adductas, se ad præstandam lanificij operam marito polliceri videntur. Nam ad hæc vsque tempora plerisque Italiæ locis, postero quàm noua nupta mariti domum ingressa est die, illi è geniali thalamo mane prodeunti obuiam propinqui fiunt, colum, fusum & lanam, acum & forficem, rutabulum, peniculum, quodq; cuique in promptu fuerit instrumentum, omnéque vas domesticum offerentes, quò ea muliebris haud ignara officij, se non ad delicias & voluptates, sed ad faciendam lanam, & alia quæ frugi sint curanda, venisse reminiscatur.

Nouè nupta in pelle lanata quid.

FOECVNDITAS.

SANE quidem Iunoni regnorum & opulentiæ præsidi, partuumq; sospitatrici, Oues ambiguæ, hoc est, vt Bebius Macer ait, cum duobus Agnis altrinsecus alligatis sacrificabantur à matronis quæ gemellos peperissent. At Sicyonij graues Oues Diis beneuolis & fortunatis, quas ipsi δυελφίδας, Athenienses σιμὰς vocabant, felicitandæ rei domesticæ causa immolare consueuerunt.

Herculi

Herculi quoque diuitiarum & prouentus Deo, Ouis ramis quatuor impositа pro Boue, qui se sacris surripuerat, litasse perhibetur; vnde ipse Melon, & Mellus appellatus, quod Latinè diceretur Ouillus. In Pomi verò commentario plura super hoc narrabuntur.

PECVNIA.

ADHÆC, licèt Ouidius & alij non imeritè dixerint Pecuniam à pecudibus appellatã, quòd peculium, vti superiùs ostensum, olim omne à gregum numero censebatur, eáque de causa Maronianus Corydon diuitias ostentaturus suas dixerit,

Mille meæ Siculis errant in montibus Agnæ:

illud tamen satis constat, æs priùs nota pecudum signatum à Seruio Romanorũ rege; vnde Varro etiam, vt apud Marcellum est, *Vnum Ouem multam dictam* ait, cùm citatus neque respondit, neque excitatus est. Vnum verò virili genere dixit, siue quòd numum intelligeret, siue ad imitationem Homeri. Ab hoc Marcelli loco fragmentum est etiam in antiquissimo, quem Romæ vidi, codice. In commentariis tamen sacrorum Pontificalium crebrò lectum aiunt, hic Ouis, & hæc Agnus, ac Porcus; quæ, inquit Festus, non vt vitia, sed vt antiquam consuetudinem testantia debemus accipere. Ex quibus omnibus liquidò apparet, non ineptè Pecudem pro diuitiarum hieroglyphico accipiendam.

Ouis masculino genere.

PHTHIRIASIS.

SVNT qui hominem pediculositate confectum significare si velint, ouillam illi pellem induscant, quam Lupi caput impactis dentibus dilaceret: siquidem Ouium quas Lupus occiderit pelles ac vellera, & facta ex his vestis, longè quàm cætera aptiora sunt ad pediculos procreandos. Quod cùm sit tum ab Aristotele, tum ab aliis receptum, quæsiêre multi causam, illudq; cupedinariorum experimento deprehenderunt, carnes huiusmodi quæ lupinis dentibus laceratæ fuerint, dulciores esse, quod tactum ab Horatio volunt, vbi inter ea quæ iucundiora deliciis regiis enumerat, Hœdum etiam ereptum Lupo recenset, quod ego tamen ad frugalitatem potiùs retulerim, vtpote qui eo loco parsimoniam in primis laudet, hisq; tantum carnibus fruatur, quæ aut ineptæ sint, aut nisi absumantur, perituræ. Vel ex eo magis iucundum, quia qui semel amissus erat, sit receptus. Sed vtcunque illi, sanè dulcedinis huius causam esse dicunt caliditatem, & igneam propè vim, quæ sit in anima Lupi, vtpote quæ ossa vel durissima in vtero liquefaciat, ariditate permollita, euenireq; inde vt carnes faciliùs atque celeriùs putrescant, si morsu fuerint huiusmodi vitiatę; lanásque identidem contaminatas, contagionem illam etiam in vestibus pertinaciter præseruare. Cęterùm sunt qui iudicent hoc non à colore vel putredine prouenire, sed ab asperitate potiùs, &, vt Medicorum vtar vocabulo, Vellicatiua quadam vi, quę carnem scabritie interterat, pruritumq; suscitet, vnde postmodũ humanæ cutis humore corrupto, pediculi suboriantur, absurdumq; esse dicunt asserere vim illam à Lupi spiritu morsúve vsque adeò in vellera diffundi, quæ totiens abluantur, solentur, depurgentur, inũgantur, defæcentur, ac propemodùm excoquantur. Referunt verò venatores, & caupones, animalia quæ ictu vno procubuerint, vno, vt ita dicam, spiritu suffocata, solidiora, minusq; putrefactioni obnoxia reddi. Quare Homerus rerum omniũ doctrina insignis, siue coria, siue lora commendet, Bouis ea dicit esse ἰφιτῦπτα βοὸς, ictu quippe valido mactati. Itaque eorum quæ neq; morbo, neque senecta pereunt, sed iugulatione, coria validiora sunt, neruosioraq;. At quæ pluribus conficiantur plagis, difficultérque aut contanter exagitata delassataq; perimantur, præsertímque si ferro saucientur, facilè putrescere, neque in alterum diem asseruari posse. Eorum autem quæ tam lenta exanimentur morte, contaminatam vim & in pelles, & in vellera, quin & in vngues penetrare, præcipuè autem si mordentur à feris, vngues etiam ipsos obnigrescere, sanguine, humore, & medullis etiam ipsis præ timore & cruciatu contaminatis, indiciumq; id tabis esse. Quare minimè mirum si contagio huiusmodi etiam in vellera diffluat, coriáque tentet, & omnia denique computrescere compellat. Atque hinc pediculositatis significatum.

Vestes ex vellere Ouium à Lupis occisarum cur aptiores ad pediculos progignendos.

DISCORDIA.



DISCORDIAM verò & mores maximè dissimiles Ægyptij Poëtæq; omnes significare cùm volunt hieroglyphicè, Lupum & Agnum, aut Ouem ponunt, Vnde apud Horat. legas,

Lupis & Agnis quanta fortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Et de maximè inter se discrepantibus Ouidius ait,

Nat Lupus inter Oues.

Aiunt verò eam esse antipathiæ vim, vt plerunq; Agni recenter nati, neque vllius animalis extra caulas effigiem intuiti, audito repętè Luporum vlulatu exanimascant, subitarióque eo perculsi metu, mortui concidant. Quinetiam periti rerum prædicant horum animalium in anima etiam in eadem naturæ dissensione perseuerare. Ouillas enim fides si aliis ex lupino intestino factis fidibus associentur & absonas & præ metu mutas permanere. Idem de tympanis & ouilla pelle & lupina factis accidere tradit Oppianus: simulac enim pulsantur, ouillum mutum esse, lupinum solum exaudiri.

Lupi & Ouis antipathia.

DE

A

DE ARIETE.

FEROCITAS.

Aries naturaferox.

SED quantũ in Agno mansuetudinis superiùs agnoscebamus, tantum in Ariete ferocitatis experimur: simul enim ac cornua accreuerũt, pugnacissimi fiũt, neque se tantùm in suo genere lacessunt, incursantésque inuicem arietant, verùm & homines impetunt, in bellúmque prouocant. Vnde etiam dicterium celebratur, κριὸς ἀσελγὴς ἐφεῶς, qua fortè de causa Marti cœlestis Aries dedicatus, & si qua Planetis in humano corpore vis, sel à Marte regi dicitur; in eo verò sedes iracundiæ, & bilis. Et Adamantius immolatos apud Hebręos Arietes, apud nos iracundiam iugulari debere, putat intelligendum.

BELLVM.

SIVE igitur pugnacitas hæc in causa fuerit, siue sanctiùs instituti homines, cùm aliqua affecti essent iniuria, vltionis procurationem non à se, vtpote qui ex mansueto & innocuo essent genere procreati, proficiscí, sed ab hostium improbitate atque iniustitia, indicare, testatúmque facere vellent, indicturi cuipiam bellum, Arietem per Fœcialem præmittebant, quem in hostium fines immitteret, vel honestam ita causam suam ostensuri, quòd non nisi prouocati bellum gerere cogerentur, vel, quod alij
B malunt, vt hostilem agrum suæ iam prædæ expositum indicarent. Vtcunque sit, *Aries*, vt ait Hesychius, *vexilli nostri, hoc est, Crucis, hieroglyphicum est, Crux verò redemptionis: Aries ille*, inquam, *qui pro Isaache in holocaustum oblatus est, in virgulto Sabech, vt Septuaginta ediderunt, à cornibus religatus.* Sabech verò Remissio interpretatur, quia Crucem, quæ remissionis virgultum fuit, prænonstrabat.

RIVALITAS.



Aries libidinis hieroglyphicum.

SVNT qui riualitatem hieroglyphicè per Arietes duos cornibus se inuicem lacessentes significari dicant, quandoquidem in eiusmodi certationem amoris causa ferri eos perhibent; quippe qui offensionem intelligant sibi fieri, si quas amant Oues, ab aliis saliri conspexerint, quod Hirci plurimùm negligentes, susq; déque ferre solent.

VENVS.

IN huiusmodi verò Venerei affectus hieroglyphicum Aries multis est veterum monumentis impositus. Nam qui ante Corinthi vrbem intra priores pedes Leænæ, quæ Laidis tumulo imposita erat, visebatur, libidinem nimirum eius meretricis indicabat. Erat & apud Eleos in templo Veneris simulacrum eius insidens Arieti, Scopæ, vt Pausanias ait, opus, eiq; cognomen erat πανδήμιον, quod arietinæ procacitati videtur conuenire.

VETVLIPETA PROCVS.

NAM quantum ad Arietis libidinem attinet, per eum ita in nequitiam concitatum, hominem, qui vetularum concubitum affectaretur, nonnulli notandum censuêre, quòd is primùm vetustiores
C fœminas inire consueuerit, quarum facta copia nouellas minimè persequatur.

SALVBRITAS.

Mercurius cum Ariete quid.

MERCVRIVM autem aiunt apud Tanagræos cum Ariete humeris insidente solitum effingi, eumq; κεφοφόρον Pausanias ait appellatum. Erat id partæ salubritatis hieroglyphicum, quandoquidem Mercurius expiatione Arietis, quem circum vrbem gestauerit, pestilentiam, quæ Tanagras inuaserat, sustulisse dicitur; in cuius facti memoriam, die eius festo pulcherrimus quispiam ex Tanagræa iuuentute delectus, Arietem humeris impositum frequentissima totius ciuitatis pompa circum mœnia gestare consueuerat.

CVSTODIA.

APVD Corinthios verò æneum Mercurij simulacrum visebatur, cui Aries assistebat. Causam fuisse Pausanias dicit, quòd Mercurium maximè omnium deorum custodire greges, prouentúsque ex eis augere persuasum sit. Sedenim cùm ita Mercurio facundiæ Deo præsidi Aries apponatur, maximúmque humanæ vitæ præsidium sit oratio, vt comici Græci dicterium est, minimè mirum, si Isocratis Rhetoris sepulchro Aries triginta cubitorum adsculptus fuit, in quo Siren cubitorum septem insideret: nam ea quoque orationis suauitatem indicabat. Et ferunt Astrologi, Mercurium in Ariete collocatum, orationis promptitudinem, & ex tempore dicendi facultatem

tem dare. Sed ne ab Isocratis sepulchro discedamus, propè etiam mensa apposita, quæ Poëtas D
haberet ac eiusdem præceptores, in quibus & Gorgias astronomicam sphæram inspectabat, & Isocrates ipse omnifariæ doctrinæ hauriendæ cupidus adsistebat.

HAMMON.

IN Saloninæ numo Aries est cum inscriptione, HAMMONI CONS. AVG. Animal enim hoc in veterum sculpturis frequentissimum habetur, præcipueq; Hammonem Deum, specie illa sua reciprocicorni, vt Laberij dictum vsurpem, significabat. Hunc vulgus Iouem, Ægyptij Solem esse contendebant, cornuáque radios ostentare, de quibus alibi locupletiùs. Spectare tamen est
Gallieni numus. in Gallieni numo Arietem inscriptione addita, IOVI CON. AVG. Hammonem verò veteres salutis Deum, vti Latini Iouem à iuuando dictum interpretabantur, exq; arietino capite eundem
Arietinum caput cur Hammonis signum. Deum, qui omnium saluti prospiceret ἐσοχλυφικῶς intelligebant. Hecatæus Abderita Aegyptios ait Hammonis voce vsos, cùm se inuicem salute præposita compellarent, allocutoriámque esse vocem, qua boni ominis causa Deum in primis ita venerarentur. Isq; mos in plerisque nostræ pietatis collegiis obseruatur, vt quicumque pulsauerit, non priùs ad colloquium admittatur, quàm ad Virginis Deiparæ salutationem responderit. Cúmque veterum mos esset, in mortuorum conditoriis bene defunctis ominari, eos Diis manibus commendabant; alij columnas, quæ sepulchris erigebantur, inscriptionis huiusmodi loco, arietinis capitibus hinc inde adsculptis insignibant, corymbis intermedio propendentibus, qui foliorum & fructuum varietate lasciuirent. Sed quod ad Hammonem attinet, scriptores rerum paruula quædam cornua in vtroque tempore eum habuisse ferunt. Qui verò penitiorem doctrinam perscrutati sunt, proprium id Iouis nomen apud Aegyptios fuisse tradunt. Alij dicunt arietinum caput ideò Hammonis esse E
signum, quòd is Aegypti rex, præclaris admodùm rebus à se gestis, in galea vsus sit arietini capitis insigni. Aiunt & cùm Herculi illi vetustissimo ad eum visendi studio profecto se olim ostentaret, arietino capite, quem mactauerat, vertici suo impositio, & pelle ea villosa circundatum, alia pelle amictum Heroën admisisse. Et Saporis Regis gestamen celebrat Ammianus, aureo capitis arietini figmento elaboratum. Quod & insigne militiæ, & quasi sodalitatis cuiusdam suæ, recentissima memoria Carolus fortissimus Burgundionum Dux, Caroli V. Imperatoris auus adsciuit, aureum Arietis caput singulis pro gestamine imponendo, & Arietini capitis cognomento sodalitatem vocando, eam Tottionis aurei vulgò appellarunt, quòd ea locutio caput arietinum lingua patria designaret.

DECVSSATIO.

De Ariete signo cœlesti. SED vt hæc, quamuis ad vetustatis imaginem vsumq; facta, missa faciamus, appellat nos Aries ille toto cœlo conspicuus, qui rerum temporumq; diuisionem, æquasq; vtrorumque portiones ostentat, vniformem toto anno diei noctisque partitionem, auctum & decrementum æquilibrio semper appensum. Cur verò Aries huic sit dispensationi præfectus, ea affertur causa, quòd proprium illi esse aiunt ab æquinoctio verno super dexterum latus incubare, veluti Sol quoque ad Septentrionales, quippe dexteras, vt Aegyptij statuunt, mundi regiones deflectit; ab autumnali verò æquinoctio sinistro incubat lateri, veluti etiam Sol in læuam declinare, & australia signa occupare conspicitur. Pari propemodùm ratione malorum semina ipsis fructibus inclusa, brumali die spontino motu conuerti in contrarias partes obseruatum, quippe quæ peracto iam omni maturitatis numero, natura opifice, quæ rerum omnium altrix est, retrò cedere, & ad radicem, ad
propaginem, ad specierum earundem progenerationem tendere videantur. F

PRINCIPIVM ANNI.

APVD Astronomos Aries pro anni principio capitur, & eo notatur hieroglyphico, variáque est ingeniorum sedulitas istius rei rationem afferre conantium, Hebræis præsertim nonnullis Libram potiùs caput asserentibus, quòd par fuerit omnia perfecta, & seminibus fœta, summo ab opifice creari, eo verò tempore fruges omnes maximè maturuisse. Quod verò Aries inde locum occupauerit, ex lege factum ad illius temporis solennitatem celebrandam, quo liberati sunt ex Aegypto. Sed quod aiunt tunc temporis nonnulli, quo mundus est genitus, Arietem cœli medium tenuisse, in mundi quippe vertice constitisse, quisnam id potuerit coniectare non video, cùm in sphærica cœli figura neque vertex, neque imum, neque ortus, neque occasus, qui eodem temporis articulo sint, iidem eodem momento gentibus omnibus dari potuerit. Nam nisi omnibus ea ratio gentibus inseruiat, admittenda non est. Solem verò qui dicat in hoc vel illo signo fuisse, nemo non intelligat. Astronomi quidem fuisse in Ariete volunt, & Virgilij doctrina non paruam his authoritatem adiungit, dum ita super verni temporis amœnitate canit:

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliúmve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus habebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,
Cùm primùm lucem pecudes hausêre, virumq;
Terrea progenies duris caput extulit aruis,

Immissæq;

A *Immissæq; feræ siluis, & sidera cœlo,*
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusq; caloremq;
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

Quòd verò Commentarij huius finem Virgiliani carminis amœnitate condire quæsierim, optime Lactanti, non ineptè me fecisse arbitror, qui te fortè gregalium rusticitate, stylóq; modóque pastorali, virum tam elegantem, offensum & delassatum suspicabar. Tu quicquid id fuerit, vt omnia amicorum soles, boni consule, & Pierium virtuti doctrinæq; tuæ deditissimum, vt facis, ama.

PIERIVS VALERIANVS
AD PROSPERVM SANCTACRVTIVM
NOB. ROM. DE IIS QVÆ PER LVPVM,
Hyænam, Lyncem, Vrsum, Pantheram, Tigrim, & Vrum significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XI.

B ESCIO *quo tuo fato acciderit (optime lepidissimeq; Prosper) vt qui mortalium es iucundissimus, in truculentissimas omnium feras incideris. Tibi enim ludis meis Aegyptiacis, quos propediem istic Patauij sum cõmissurus, ducti sorte obtigêre, Lupus, Hyæna, Lynx, Vrsus, Panthera, Tigris, & demùm Vrus, cum quibus tibi sit, quantum animis viribusq; valeas, congrediendum. Has omnes vel captiuas facias, vel cicures, vel conficias, vel fortè etiam deuores necesse est, legè ita sodalitia, Cosmogeriis comitijs decernêre mandanteq; exceptione, quæcumque posit excogitari, summota penitùs. Scio, adhæc, firmissimi licèt animi iuuenis, totus es commotus, qui à bestiarum venatione pastuq; semper abhorrueris. Nolim tamen putes edictum in te factum acerbi quicquam, aut æquum iustúmve minùs continere, quod ea potiùs de causa decretum est, quia noua indomitaq; fera ticuranda cùm essent, neminem habuimus, quem in huiusmodi negotio tibi præferendum existimaremus. Tanta enim est vultus animiq; alacritas tui, vt facilè speremus, simulac in theatrum descenderis, illaq; furorem, feritatem, rabiem, aut sæuitiam quaque suam in te concitarint, futurum vt tu sola Gelasini tui hilaritate omnes actutùm manuefacias, & simulac semel arriseris, adblanditúsve fueris, ad pedes tibi omnes euestigio procubituras. Vidimus enim sæpiùs homines quauis bellua ferociores, quos tu, vti tuus est mos, dicto aliquo salso, aut liberiore aliqua admonitione tactos, castigatosq; contra te irritaras, simulac furore perciti & impotentes irruerent in te minabundi, ad solam vultus tui iucunditatem, veluti aliqua incantatione perculsos substitisse, consternatosq; animi omnem statim indignationem amisisse, sponteq; tibi sese dedere, & quibuscumque rebus gratificari possent obsequium polliceri. Quare cùm velut Orpheus lyra, moduliq; tu sola illa comitate fretus tua, ferocitatem omnium mitiges, furoremq; delinias, agè nulla iam contatione exhibitas à me feras aggredere, victoriam ex illis omninò reportaturus, quia in Aegyptiorum fanis alitæ atque educatæ literæ mihi videntur didicisse. Proinde facile erit iueni literatissimo eas quoquò volueris trahere, & ad omne obsequium paratissimas efficere, id quod iam in Lupo,*
C *qui prodijt primus, experiri potès.*

DE LVPO.

PERINIQVÈ mihi facere videntur, qui Aegyptios solos de brutorum cultu derisui habent, atque conuitiis & cauillationibus etiam persequuntur, cùm nationes ferè omnes eadem fuerint superstitione aliquando contaminatæ, præsertimq; tota Græcia, quę maximè omnium sapientiam ipsam aluisse prædicatur, Romanaq; respublica, apud quam cæremoniæ primas semper partes obtinuêre. Græci enim Lupum in honorem Apollinis venerabantur, in Martis atque adeò Romuli Remiq; venerationem Romani. Alias etiam belluas afferre possem, quę apud hos & alios, diuinos sibi honores asciuêre. Sed quoniam de Lupo dicere propositum est, quod ad eum attinet præcipuè prosequemur.

APOLLO.

FVIT autem, vti dictum, fera hæc plerisque locis Apollinis memorię dedicata, eiusq; simulacri ea asseritur causa, quòd oculorum acie potens adeò sit, vt noctis tenebras euincat, acutissimo quippe polleat visu, intempestaq; nocte, etiamsi Luna fileat, clarissimè tamen intueatur, & in prædis inuadendis post nocturnam famem antelucanum tempus obseruet, à Sole tandem totum est lucis beneficium. Vtraque verò de causa, & quòd potens lumine esset, & quòd ante lucem prodiret ad prædam, Lycopolitana Thebaidos in Ægypto ciuitas hieroglyphicũ Lupi forma Apollini dedicauit, eiq; in Lupi specie sacra faciebant, tantoq; apud eos ciues cultu habitus est, vt cùm Lupum tanquam Deum venerarentur, soli ex Aegyptiis Ouibus vescerentur. Hinc ipsum Solem *Lupus cur Apollinis memoriæ dicatus.*

Homerus λυκηγενέτην vocat, nō ea quidem causa, quòd in Lycia genitus credatur: nam fabula hęc, vt Heraclides Ponticus asseuerat, recens admodùm est, neq; temporibus Homeri adhuc cuiquam innotuerat, sed veluti diem ἠεροφόνην, propterea quòd ἠέρ, hoc est, diluculum generet, ita Solem λυκηγενῆ dixit, quòd matutini splendoris author ipse sit, vel potiùs quòd Lycabanta progeneret, hoc est, annum, cui nomen, vt nonnullis placet, à Luporum similitudine quadam inditum: illi siquidē auctos imbribus fluuios tranaturi, caudas mordicùs inuicē apprehendunt, longoq; ordine seriatim aquis immerguntur, tutoq; transmeant, id quod Sol ipse in animalibus Signiferi prætereundis facere videtur, dum continuata quadam serie finem vnius, alterius principium facit. Sanè aliquot in signis Apollinis Lupos adsculptos videas, de quo diximus in Ancilib. Colebatur & apud Athenienses in Apollinis gratiam Lupus, quiq; fortè animal id interfecisset, lege damnationis promulgata parare iubebatur, quæ ei funerando forent necessaria, vt ita magistratus quod iuris esset officium executi viderentur, & religione Respublica solueretur. Eam huiusce cultus nonnulli causam memorant, quòd Latona prægnans per 12. dies in Lupum transmutata, Delon se contulerit, vbi illi

facultas pariundi fuit, quapropter Lupæ certa anni dimensione omnes intra dierum 12. spatium pariunt, quod Philostephanus tradidit Commentariis, de quo inferiùs latiùs.

MARS.

Lupus cur Martidicatus.

MARTI idem dicatus, siue, vt est in fabulis, propter Romuli Remiq; educatum, quod deridet Festus, qui velit non à ruma, sed à virtutum magnitudine vtriq; fratrum inditum nomen, quòd ῥώμη, notum apud Græcos vocabulum, fortitudinē significet, vt inde scilicet ij nomen adepti sint, veluti ἀπὸ τῆς ἀλκῆς Alcides, siue propter ipsam voracitatem, quę in bello cruciuora est: inde in Sacris etiam literis legas, *Gladius meus deuorabit carnes*. Hinc & Mauorti nomen, vt nonnulli arbitrati sunt, quasi mares vorantem dicere voluissent: bellatores enim mares esse debere, & mares dici, alibi ostensum. *Maritos* porrò Lupos Virgilius, *Maritales* Horatius vocat. Et apud Plautum eos in tutela Martis cognoscit Strabax adolescens, ita profatus: *Puit ædepol Mars meo iratus patri: nam Oues illius haud procul absunt à Lupis.* Græci sanè Poëtæ λυκόφρονας vocant strenuos bellatores: validi enim omninò sunt Lupi, & in fallendis hostibus astutissimi. Robur verò eorum plurimùm in armis est, vt apud eundem Plautum: *Quasi Lupus ab armis valeo, clunes infractos fero.*

Ob astutiam verò Pindarus aduersus inimicos comparere se vnumquemque monet λύκοιο δίκην, more Lupi, ad id scilicet respiciens, quòd Lupus tortuosis ambagibus vestigia perplexa ponit, modò hac, modò illac procurrens, vt non facilè, qua te parte sit inuasurus, aspicias.

RAPTOR.

Militum natura, & hieroglyphicum.

BELLICOSIS verò viris plerisq; omnibus is natura mos insitus, vt conuectare iuuet prædas, & viuere rapto, id quod etiam inter præcipua virtutū suarum pręconia, magnificè atq; gloriosè admodùm recensere solent. Vnde furacem & raptorem hominem per Lupum ostendi, multi aptū & congruens existimarunt hieroglyphicum, quod quidem minimè alienum est à veterum disciplina, eorum maximè Philosophorum consensu, qui palingenesiam posuēre, vt remotiorē doctrinam illam, quam ab Ægyptiis acceperant, nouo commento huiusmodi fabularum inuolucris occultarent. Illi enim hominem, qui semper promptus & paratus fusset ad rapinas, post obitum in Lupum abire tradiderunt, vt in Phędone Socrates: quæ tamen dictata Porphyrius & Iamblichus non sunt passi diutiùs in tenebris latitare, sed quid ea sibi vellent, latissimè omnia pādere curę pretium habuēre. Hos securus Poëta Claudianus, prædones ait ab Rhadamanto Lupis obiici solitos, ridiculeq;, vt assolet Aristoph. Simonem bonorum publicorū depeculatorem exprimi per Lupum à Nebulis iocatur. Et Lupi nomen in Diuinis literis, vt obseruarunt Theologi, non secus ac Vulpeculæ, semper in meli cuiuspiam significatū accipitur. At cacodæmon est interdum Lupus, plerumque tamē raptor in Euang. *Intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.* Quod verò Iacob ait, *Benjamin Lupus rapax, manè capiet prædā, vesperè autem reddet*, de Pauli conuersione dictum & Eucherius & alij plerique putant.

IMPROBITAS MERETRICIA.

ET qui meretriciam improbitatē per Lupæ simulacrum significari contendunt, hieroglyphicū nimirum id à rapacitate desumptum autumant. Notū enim, meretrices Lupas appellari, & inde Lupanaria dici. Ea de causa Messalina flagitiosum Imperatoriæ maiestatis dedecus, Lyciscæ nomen mentiri delectabatur, de qua Satyricus Poëta:

Tunc nuda papillis

Constitit

A *Constitit auratis nomen mentita Lyciscæ.*

Cicero in Miloniana, *Clodius semper secum scorta, semper Lupas ducebat.*

FORMIDATOR INANIVM.

ATQVE hoc tā bellicosum, tam noctiuagū animal, minima quadam re, lapidis quippe alicuius audito tantùm strepitu, terreri solet. Vnde sacerdotes Ægyptij, si quem vanis rumoribus, & inanis rei formidine consternatum indicare vellent, hieroglyphicum ex Lupo & saxi telo aliquo propè affito facere consuerunt: ita enim est eorum ingenium, vt qui neq; ferrum euitent, neque fustem tremiscant, lapidem tantùm impendiò perhorrescant, cuius ictum adeò pernicio sum sentiunt, vt qua parte tacti fuerint, computrescant, vermibus quàm ocyssimè redditis. Quinetiam reperti sunt qui vel duorum concussu lapidum strepitum cientes, ferocissimos à se Lupos abegerint. Nobis pueris narrare solebat Laurentius pater, homo minimè vanus aut fabulosus, cùm is ex Noricis Alpibus in Bellunēsem agrum descenderet via plurimum scrupulosa, sibi nocte præuento ad quintum ab vrbe lapidem repentè tres Lupos visendæ magnitudinis apparuisse, quos cùm qua ratione summoueret secum agitaret, id sibi diuinitùs incidisse menti, vt deiecto in terram retinaculo, quo per noctem Equus ad præsepe religabatur, altero capite manu comprehenso, id cœperit ponè trahere, quod quidem annulis fibulisque aliquot ferreis præditum cùm ingentem per viam strepitum cieret, saxeosque scrupulos quotquot incursando offendisset, excitaret, perterrefacti repentè Lupi, quasi vis magna canum incubuisset, præproperè fugam arripuerunt. Non prætermittam super hac Lupi trepidatione hominē à Lupo prequisum subitò consternari, & vocem amittere, quod non ex Virgilio tantùm, sed & ex Platone in Politicis habetur, atq; ita vice versa, si homo priùs Lupum viderit, eum eadem pati.

Lupi trepidatio ex lapidum strepitu.

INDEMNIS FVGA.

HOMINEM in hostes illapsum, qui parua admodùm iactura facta euasisset, ostendere si constituissent, Lupum extrema cauda glabrum facere consueuerant: is enim agitatus à venatoribus, quasi conscius sibi amatorium virus exiguo eius inesse villo, ne captus humanæ omninò satisfaciat voluntati, eum abiicit: aiunt enim non idem pollere, nisi viuenti direptum.

TVTVS RECEPTVS.

EVM verò qui vel prędatū, vel in aciem progressus, maiore incumbente vi quàm sustinere se posse confideret, se nulla accepta clade in tutum recepisset, indicare si vellent, currentem Lupum, cauda prę cipuè sub vterum immissa reductaq; proponebant. Summa enim Lupo calliditas in periculis declinandis, primumq; illi studium fuga sibi consulere, seq; sospitem syluis reddere, vnde, λύκῳ πρὸ ἢ βοῆς ἀποδύναι, habetur in adagiis. Reducere verò caudam sub vterum, prę cipuum est signum pauitantis. Quod cùm Maro noster non ignoraret, ingenium eius descripsit his versibus, quos recitare non pigeat.

Adagium.

B *Ac velut ille, priusquam tela inimica sequantur,*
Continuò in montes se se auius abdidit altos
Occiso pastore Lupus, magnoq; iuuenco,
Conscius audacis facti caudamq; remulcens
C *Subiecit pauitantem vtero, syluasq; petiuit.*

ABORTVS.

SACERDOTES iidem Ægyptij si mulierem abortientem indicare vellent, picturam eam instituerant, qua Lupus ab Equa calcibus impeteretur, vel aliquo modo calcaretur, propterea quòd persuasum habebatur, ita ea inter se natura dissidere animalia, vt prægnans Equa si Lupum tetigisset, statim abortum faceret, neque hoc effici de tactu solùm, verùm etiam si vestigium tantùm illius pressisset, tantam inesse Lupo veneficij vim, vt omninò abortiret.

Lupi cum Equa dissidentia.

AB INFORTVNIIS POTENTIOR.

LONGÈ verò diuersum illud, quòd hominem ex infortuniis calamitatibusq; beatiorem potentioremq; factum significare si vellent, Equum, in cuius clunes Lupus morsum infixisset, effingere consuerunt: ferūt enim Equos, quibus dimicatio cum Lupis fuerit, præstantiores reddi. Eos Græci λυκοπαδας, nos volsilupos dicere possumus, non ea quidem de causa, quam nonnulli commenti sunt, ita eos à frænatis Lupis, vtpote animosis & ferocibus appellatos, sed quia multorum experimento compertum est, pullos, qui cum Lupo certarint, euaserintq;, in bonos & velocipedes mox euadere: huiusmodi enim euentus Equos & animosiores & perniciores reddit, imò quia & animosi & agiles fuerint effugerūt; factóque ita in feris periculo solemus eos approbare, idque omnium consensu receptum. Qui tamen ab iniuria ita ferox euadit, longè ignauior fit naturæ secreto quodam, si, vt Pamphilus lib. Rerum naturalium tradit, Lupi vestigium calcarit, tunc enim ait eum cruribus obtorpescere. Quinetiam tanta est illi cum Equo naturę dissensio, vt eum quam-

Equi & Lupi dissensio.

tumlibet ferocem & generosum, vel mortuus & terra conditus absterreat, inuentique sunt hodie D qui omniuolam Principum quorundam impotentiam elusuri, cùm Equum haberent insigniorem, quem loci dominus sibi depoſcebat, admoniti sunt pupinum intestinum in via, qua producendus erat Equus, clanculum sepelire, eaq; mox Equus in Principis conspectum eductus, simulac intestini odorem sensit, nulla vnquam agitatione, nullisq; stimulis impelli potuit vt eà transiret, atque ita vel sternacis, vel indomiti, vel renitentis accepta nota, repudiatus à Principe, priori domino suo relictus est. Addam & hoc naturæ miraculum, Equis torminum doloribus cruciatis nullum præsentius esse remedium, quàm intestim lupini cinctus, quem Romę in vsum huiusmodi asseruari apud plerosque comperi. Quod verò de consternatione dicebamus, non sunt noua hæc commenta, vt terriculamenta infodi soleant, quæ vel hoc vel illud animal insigniter abhorreat. Nam apud veteres quoque viguit hæc superstitio, vt eo loco, quà iter acturi sunt Equi, infossa aliqua his torrorem incutiant, & ab incœpto cursu aliorsum auertant, vel consternati vlteriùs progredi recusent. Porrò Amphionem Thebanum memorant Pelopi quædam tradidisse, vt ob iter sepelirentur, quibus non Oenomai modò Equi perterrefacti sint, verùm omnes quotquot illac in posterum cursum arripuêre, extitisséque loco nomen Taraxippo, de re inditum.

IMPATIENS FAMIS.

IDEM hominem famis impatientẽ exprimere si curassent, Lupum vel hiantem ore, vel terram mordicùs apprehendentem hieroglyphicè figurabant. Lupus enim cùm prædę inhiat, rictu latè diducto currit, alioqui si prædę copia non fuerit, peculiare habet esuriens terram deuorare. Sunt tamen qui non hoc ad saturitatem à Lupo fieri contendant, sed vt Iumentum aliquod inuasurus grauior & ponderosior factus prædam citiùs defatiget, cui statim, qui mos est illi, se dentibus ap- E
Lupi industria. penderit, quę quidem est Alberti opinio. Sed quoniam ita in Luporum ingenium incidimus, non iniucundum relatu fuerit quod apud eũdem authorem de Lupi cuiusdam industria pro comperto ponitur, hunc scilicet cùm animaduertisset syluestrem quandam Suem cum numeroso fœtu ad locum auena satum itare pabuli gratia, offendisséq; prostratum arboris trũcum ramis etiamnum prostrantibus, arrepto in os ligno librarum circiter XI. super truncum efferri saltu assueuisse, ac in ramos repere, mox aduenientę cum Prole Porca vnum cursu rapido de Porcellis arripit, in arborem festinanter scandit, ibiq; tutò consistens rapto potitur, & in matris conspectu frustrà adgrunientis & sæuientis filium depascitur.

PROPERANTIA.

CELERIVS quid maturatum per Lupi catulum significari semel tantùm reperi: Lupam enim intra XII. párere dies fabulantur Ægyptij. Sed enim Philostephani super hoc verba, vt locum superiùs tactum ampliemus, quantum mihi videtur, non rectè accepta sunt, qui libro, cui Commentaria nomen fecit, dicere videtur, XII. esse certos anni dies, quibus Lupæ omnes pariant. Aristoteles sanè, quòd fœtum XII. tantùm gestent dies, esse inexploratum sibi profitetur, perinde ac illud etiam, quod aiunt eas semel tantùm in vita párere.

ANCEPS CONSILII.

Auribus Lupum tenere quid. VVLGATVM autem & adagii s& hieroglyphicis illud est, hominem qui Lupum auribus teneat, significare quempiã in eo statu, quo negotium aliquod neque relinquere, neque exequi tutò possit. Nam res prouerbio confirmata, & fertur in primis, Tiberiiq; pręcipuè vsurpatione dictum repetitum. Et Phormione Terẽtius, Antiphonem dicere confingit, auribus se tenere Lupum, neque quo modo dimitteret eum à se inuenire posse, neq; qua ratione retineret scire. Et causa eius ambiguitatis spontè satis manifesta est, quam hîc repetere mihi minimè necessarium videtur.



F

VENEFICIORVM AMVLETVM.

ILLVD potiùs referam, hominem tutum à veneficiis per Lupi rostrum significari, quòd persuasum est id si portis præfixũ fuerit, veneficia ei non obesse familiæ, quæ ædes illas inhabitet. Hæc verò veneficiorum commemoratio adducit in memoriam mihi homines in Lupos transformari minimè olim fabulosum habitum. De Demarcho enim Olympionica, qui demutatus in Lupum, decimo pòst anno rursum faciẽ receperit humanam, apud Pausaniam legere est, & apud Plinium, peculiaréque id Arcadibus fuisse, vt trans paludem quandam prouecti, in Lupos abirent, & si per nouennium humanas carnes abstinuissent, decimo pòst anno eôdem reuerti, vnde transuecti fuerant, ac in homines redire, decem annorum addito senio. D. etiam Augustinus de Ciuitate Dei, Varronem ait hæc de Arcadibus memoriæ tradidisse.

PEREGRINVS.

Danaus in Imperium quomodo ascitus fuerit. CIVEM ex Boue, animali quippe domestico, nobiscum alito atque educato, significari loco suo diximus. Ex Lupo autem peregrinum intelligi, historia eadem ostendit. Danaus enim cùm in Argiuos mouisset, peteretq; Gelanorem expelli, qui tunc Argis imperabat, Lupum & Taurum pugnantes conspicatus, se Lupi vice statuens, quinam foret pugnæ exitus operiebatur. Lupo verò victoria

A victoria potito, ędem Apollini Lycio vouit, atque ita rerum potitus est, cùm facilè ciuibus persuasum esset Deos victorem Danaum per portentum ciusmodi designare, q. Gelanor inter eos educatus esset, hic verò peregrinus foris aduenisset, itaque in Imperium ascitus expulso Gelanore, eaq; de causa in Argiuo foro Lupi & Tauri inuicem pugnantium effigies ex ære quàm diutissimè permanserunt, quas Pyrrhus Epirotarum rex inspectas exhorruit, domestici admonitus oraculi, tunc instare sibi fatalem diem cùm Lupum & Taurum pugnantes aspexisset. Quantum verò pertinet ad portentum, eadem sentiunt Pausanias & Plutarchus, Gelanorem per Bouem, Danaum per Lupum acceptos, sed in re gesta referenda in diuersa abeunt, quòd Plutarchus Danao portentum oblatum scribit, Pausanias ciuibus animaduersum, ciuiliq; contentione de Imperio certatum, dilatisq; in alterum diem comitiis, manè monstrum id accidisse, populique iudicium fuisse, vt Danaus in regnum admitteretur, Gelanor profugus solum verteret.

MACEDO.

MACEDONEM Herculis comitem, qui sub Osiride militauit, ea de causa per Lupum sculptum intelligi, Diodorus asserit, quòd is Lupi gestamine delectaretur. Iam & Romani veteres Lupum inter militaria signa statuêre.

SALII.

IN recentiorum verò Impp. Theodosij, Honorij, & quorundam aliorum domestico canone, quo *Saliorum insigne.* legiones ordinesq; totius eorum militiæ recensentur, Saliorum quoque habetur insigne, qui eo appellari nomine, sub militum Præsentiali nuncupato, militabant: parma quippe, cuius aureus erat vmbilicus, quem ruber ambibat circulus, hunc alius latior violacei coloris admodùm diluti,
B in summo cuius rosa erat, à medio Lupi hinc inde dimidij duo, qui ad florem supernè positum spectabant, mox parma rubro margine claudebatur. Minimè verò mirum, si qui Saliorum sibi nomen adsumperant, Martis etiam animalia in gestaminibus habere voluerunt.

AVGVRIVM MORTIS.

IN aruspicina sanè inuenias Lupum mortis auspicia fecisse, Maximino enim Imperatori, viro & *Lupi aliquãdo portentosi.* Thraci & bellicosissimo, exitium portenderunt Lupi circiter quingenti simul ingressi vrbem in quam ipse se receperat, cùm in Italiam aduersus Maximum & Balbinum profectus est. Et coloniam quam C. Gracchus instaurata Carthagine, quam Iunoniam appellauerat, deduxisse fertur, infelicé futuram, Aruspices dixêre, propterea quòd Lupi bis metas sibi positas subito incursu subuerterant, infaustum huiusmodi ostentum esse asseuerantes. Et ea Iudæorum clade quam sub Hadriano passi sunt, Lupi & Hyænæ per vrbes passim irruentes vlulabant.

PESTILENTIA.

APVD Philostratum Lupus futuræ pestilentiæ signum est, vbi Palamedes, propterea quòd Lupi ex Ida frequentes in pueros qui castris ministrabant, impetum fecerant, suadet Apollini Lycio sacrificandũ, qui feras eas suismet sagittis interficeret, ac simul imminentis pestilentiæ calamitas summoueretur. Apud Sicyonios templum erat olim Apollini Lycio dicatũ ea de causa, quòd ferunt aliquando Lupos ita corũ gregibus infestos, vt nullum possent ex re pecuaria fructũ percipere, quare consulto Deo responsum acceperunt, ex ligno quodam arido, quod humi iace-
C bat, corticem detrahendum, eumq; admixtum carnibus feris exponendum, quas cùm illi gustassent, internecione periêre. Sed & apud Throœzenios Dianæ Lyceæ templum fuit ab Hippolyto dicatum, inde, vt Pausanias putat, expulsis Lupis.

Palamedes cur Apollini Lycio sacrificãdum suaserit.

PROSPERITAS.

FELICIORIBVS verò auspiciis Lupa geminos Marte satos educat. Trogo enim cõmentum *Lupæ & Lupi auxilium memorandi.* placet, ea de causa Romulum & Remum Martis filios dictos, quòd nutricé Lupam habuerint, propterea quòd Lupa in Martis tutela esset: hinc antiqua Romę tot extant monumenta, in quibus Romulus & Remus parui atq; lactentes lupinis vberibus inhiãt. Eadẽ in somnis vberibus suis Seuerũ alit in Imperij futuri præsagium. Neq; prætereundum q. Geloni Syracusano adhuc puero, & in scholis rudimẽta prima discenti, Lupus auxilio fuerit, vt imminẽti vitæ periculo subduceretur. Nam cùm & præceptor eius & frequentes discipuli in ludo literario essent, visendę magnitudinis Lupus irrupit, Geloniq; tabulis morsu arreptis ire foras properabat. Gelon haudquaquã territus, ne tabellis priuaretur, eas manu non segniter tenens Lupũ sequebatur, posteà verò quã foras processêre, gymnasiũ repentè corruit, magistrumq; & cõdiscipulos oppressit, Gelon incolumis euasit.

HYÆNA.

ERAM penè Hyænam præteriturus, authorum offensus perplexitate, tam diuersa super ea tradentium, vt parum cognita esse animalia suspicarer, sed quoniam non ei legi addictus sum, vt animalium historiam perscribam, sed quæ tantùm ad Ægyptiorum commenta faciant perquiram, cuiusmodi ea sint, ex iis quæ collegimus, intelliges.

VICTVS HOSTIS.

HIEROGLYPHICVM Hyænę præcipuum erat, contentionẽ, vt apud Ægyptios sacerdotes reperi, significare. Quòd si victũ hostem intelligi voluissent, eum à dextro latere statuebant, q; aiunt, si ad dexterã conuersa cum venatore pugnã inierit, eam semper esse potiorem. Nam cùm flecti nisi circumactu totius corporis nequeat, spina continua per collũ & dorsum totum porrecta, prægressi hominis vestigia occupare conatur, quod si successerit, quasi magica quadam vi, quæ in eius tantũ dextera corporis parte pollet, alienari mente circumuentum hominem, & si Equo insideat, decidere, atq; ita omninò victum interfici.

VICTOR HOSTIS.

SIN victorem hostẽ significare vellent, animal idem cum venatore ab læua congressum effingebant, q; diuulgatum est Hyænã si non ab læua hostẽ occuparit, nihil ea magica vi pollere, ipsam verò quasi attonitam deficere, ac nullo penè negotio cãpi. Sed enim quęsierit aliquis, si pingẽda sit Hyena animal orbi nostro incognitũ, qua figura sit. Tradunt eã magnitudine & colore Lupi præditam, hirsutiorem tamen, acie in vtraq; oris parte perpetua, oculo vario, & colores mutãre, nullis gingiuis, dente cõtinuo, equina iuba per collum & dorsum totum setis durioribus inhorrescenti, neque imaginarium esse animal, vt plerique suspicantur, de quo grauissimi tot authores permulta quã diligentissimè disseruerũt, quę nisi ex vsu iis cognita fuissent, haudquaquã puto eos in re vana atq; mendaci vsq; adeò laboraturos.

Hyænæ descriptio.

MORVM INSTABILITAS.

INSTABILEM verò quempiã, nihil quippe in eodem vitæ tenore ac modo, quẽ sibi proposuisset, persseuerantẽ, sed aliàs quidem probum, fortem, audacemq; tam animi quàm corporis sui domitorẽ, aliàs verò improbum, inualidum miserumq; & ad cupiditates omnes impotentem, significare si vellent, Hyænam itidem hieroglyphicè proponere consuerunt: huic siquidẽ animali vtramque ineſſe naturã, & alternis annis esse marem, alternis fœminam fieri, Ægyptij præcipuè prodiderunt, & Ægyptios secuti plerique alij. Cæterùm Aristoteles commentitium hoc esse profitetur, vulgoq; persuasum eas annua vice sexum permutare, quia captæ aliquot (perquàm raro autem capiuntur, præsertim fœminæ) tenellę ahuc sine genitalibus fuerint. Mares enim impendiò timent libidinis æmulos, & ideò grauidas custodiunt, morsuq; prolem masculam vbi detur occasio castrant. Licèt non sum nescius traditum à grauissimis authoribus, habere quid Hyænam sub cauda positũ figura simile genitalis fœminę, sed sine vllo meatu, sub quo meatus excrementorũ sit, virile verò similiter atq; in Lupis & Canibus habetur. Fœmina etiam pręter suum illud, simile vt mas habet sub cauda sine vllo meatu, à quo excrementorum meatus est, sub eo genitale verũ habet. Id ita esse contendit Aristot. qui difficulter vnicuiq; Naturæ miraculo videtur assentiri. Sed miror in hoc tam veteres quàm recentiores authores diuersos ab Arist. tam constãter ire, quod ab iis temerè fieri haudquaquàm adduci possum, cùm præsertim Ælianus Historiæ huiusmodi scriptor diligẽtissimus tradat, *τὴν ὑαίναν τότε ὦ ἄῤῥενα εἰ θεάσαιο, τὴν αὐτὴν εἰς νέωτα ὄψῃ θήλειαν νῦν, μὴ ζῶσα ἄῤῥενα. ποιοῦσι δὲ ἀφεσθέντες ἑκατέρας, καὶ γαμέσιτες γαμεῖ), ἐνιαύσιον τοῦτο τὸ ῥῆμα, Hyænam siquando quis marem inspexerit, eandẽ mox fœminam videbit; sin modò fœminam, posteà mare aspiciet. Promiscuè verò coitu alterutræ coniunguntur, ineuntq; & ineuntur, per annum vnum sexus vicissitudinem alternantes.* Qui quidem author, cùm Aristotele longè posterior fuerit, id scriptis credere minimè ausus esset, nisi aut compertum ipse, aut fide dignorum testimonio certum habuisset. Accedit & Tertulliani scriptoris & doctissimi & diligentissimi authoritas, qui ita scribit, *Hyænam si obserues, sexus annalis est, marem & fœminam alternat.*

Hyænæ natura duplex, quomodo.

ADVERSAE FORTVNAE DOMITOR.

ADVERSAS verò calamitates & infortunia toto vitæ cursu intrepidè superantẽ hominem insignire si vellent, Hyænę corium indutum eũ pingere solebant, quippe quòd ex Magorum superstitionibus persuasum est, qui corium id induerit, aut aliquid ex eo secum habuerit, quaquà eum vel per medios hostes penetraturum, neq; futurum quenquam qui illi iniuriam inferre ausit, vsqueadeò hinc eius incolumitati cautum esse, vt iam credi possit, eos qui linguam Hyænæ sub pede habeant, quod idem Magi perhibent, à Canibus minimè tanquam Scipiones alteros latrari.

LARVARVM LACESSITOR.

HÆc ab Aegyptiis sacerdotibus super Hyæna tradita sunt. Vnũ addidêre Latini, ac pulcherrimum quidem hieroglyphicum, vt si hominem laruas, vt ita dicam, incessentem, neque defunctorum quiescere permittentem, maledicta quippe & accusationes in mortuos ingerentem comminiscentemq; notare vellent, Hyęnam in sepulchretis monumẽtum aliquod effodientẽ faciant, cùm satis exploratum sit ab vno hoc animali sepulchra erui inquisitione cadauerum, quòd sit humanæ carnis auidissima. Iulius Capitolinus eas Belbos appellatas ait in vita Gordiani tertij, decemq; tunc temporis fuisse in vrbe Roma profitetur. Visa verò tunc est illa dentis vnius perpetua series, qua prędita est Hyæna, id quod ne mirũ adeò sit, in quibusdam etiam hominibus aliquando spectatum. Nam Prusiæ regis filius vnum tantùm os habuit dentium loco, óbque id Monodos appellatus. Ita & Pyrrhus rex Epirotarum. Porphyrius eo commentario quod de abstinendo ab esu carniũ conscripsit, ab Indis ait Hyænam hanc Crocutam vocitari, sed Crocutam authores diuersam ab Hyæna ponunt. Reliquum est de antipathia quæ intercedit Hyænæ cum Panthera, dicere, qualeq; inde factum sit hieroglyphicum, quocirca & hoc & alia eius significata memorabimus.

Hyænæ hieroglyphicũ à Latinis sumptum.

DE

DE PANTHERA.

SPECIOSIOR ATQVE VALIDIOR A DETERIORE SVPERATVS.

QVAM tetrum animal Hyæna sit, quámque aspectu fœdum, ex iis quæ superiùs allata sunt, constare vnicuique potest. Longè verò diuersa est Panthera, qua nulla penè fera est villorum varietate speciosior, vehementior nulla, nulla impetuosior, vis tamen occulta quædam Hyænæ Pantheram exuperat. Quare cùm sacerdotes Ægyptij superatum ab inferioribus vel à deterioribus hominem intelligi vellent, duo tergora, Pantheræ vnum, Hyænæ alterum committebant, assuebántque: siquidem compertum est tanta inter se repugnantia ea dissentire, vt si simul assuantur, vel etiam contraria suspendantur, Pantheræ pili decidant, Hyænæ verò nullo detrimento afficiantur, quæ quidem tanto esse Pantheris metu dicitur, vt occupatæ ab ea, tanta animum consternatione despondeant, vt ne resistere quidem conentur. Hinc autem commentum putarim, pilos cuiuscunque generis & inutiles, maximè palpebras, auferri medicamento quodam ex Hyænæ corde in cinerem concremato, & cerebro eius illito. Præstant hoc etiam, quod Hyænæ tergus in Pantheræ pilos efficit, Aquilarum pennæ, quæ admixtas reliquarum alituum pennas deuorant.

Pantheræ & Hyænæ antipathia.

IMPROBITAS.

INSATIABILEM autem hominem & omnium appetitorem, per Pantheram significari ea de causa fertur, quòd nullum non animal ea venatur, vnde illi nomen: nam Panthera Græcũ omninò vocabulum agnoscit Varro, quòd ab omnifaria feritate, adde etiam venatione, deducitur, siue quòd omnium penè ferarum coloribus variegata spectetur: nam & hæ atque Tigres maximè omnium animalium varietate insignes perhibentur. Sanè inter Pantheras, Pardalin fœminam, Pardum marem plerique agnoscunt. Aristophanes huius non immemor improbitatis, Pardali notam inurit impudentiæ, cùm neque ignem neque Pardalin æquè impudentes ait atque fœmina est, quippe quæ omnia corripiat atque consumat.

Panthera cur sic dicta.

DISSIMVLATOR INGENII.

PRÆTEREA hominem Aegyptij suorum vitiorũ dissimulatorem, quique prauum, quo præditus esset, ingenium ita occultaret, ne vel à domesticis deprehendi posset, Pantheræ simulacro notabant. Ferunt enim eius odore mirè solicitari quadrupedes, sed capitis toruitate terreri, quod ipsa docente natura satis intelligens, occultato eo, ac odoris tantùm facta copia inuitatas corripit: atque hæc est eius in venando solertia: quamuis Plinius animalium nullum odoratum putat, nisi credamus, ait, de Pantheris quicquid dictum est. Sentiunt tamen cum Aegyptiis Aristoteles & Plutarchus, qui plurima dicunt animalia magno studio Pantheram sectari odore eius delectata: quod, nisi Plinius odorem pro suaueolentia capit, nonnihil admirationis afferre potest, cùm ferarum & omnium dubio procul animantium odor quotidiana mortalium experientia Canibus innotescat. Quin Equi odore tantùm Cameli percepto, in fugam auerti perhibentur. Recitata est loco suo historia, quemadmodum Cyrus aduersus numerosissimum Crœsi equitatum dimicaturus, Camelos contrà instruxerit, quorum odore consternati Equi, fugam ruptis ordinibus corripuerint, Crœsi conatum ita frustrati.

Panthera odor intensus valdè.

EBRIOSITAS.

QVOD autem odore vsque adeò intenso Pãthera polleat, eam Philosophi causam arbitrantur, quòd maxima prædita sit caliditate, indeq; odorem illum excitari, cumq; ita cum vino consensum quendã habere videatur, Baccho ea olim fertur dedicata. Sed quoniã sunt qui per eam ebriositatẽ intelligant, hieroglyphicum à re ipsa desumptum ego crediderim: sunt enim Pantheræ vini admodùm auidæ, & à venatoribus ebriæ plerũq; capiuntur, fontibus quo potatũ eunt, suauissimo, perueteri potentiq; vino medicatis, tanta copia, vt fonticuli aquula longè superetur: exiliores enim ad hoc fontes dedita opera perustigant. Interdum ne rem perditũ eant, & simul operam eludant, si latebrarum cõmoditatem iuxta fontẽ nacti fuerint, perforatas arundines intra terram modicum defossas in fontẽ vno immittunt capite, altero in locum vbi delitescunt, adducto, obseruatoq; animalis aduentu, per vtrem ad hoc paratum statim tubo vinum infundunt, q; vinum veluti vena de fonte profiliẽs, meracitate sua magis illectat, remq; celeriùs maturat, illis plerunq; anteaquã sitim expleuerint, procidentibus. Vidimus sanè numũ antiquissimum ex ære quod apud Massæos habetur, in quo Liberi caput iuuenile hedera redimitum, ab altera verò facie Panthera & Thyrsus pulcherrimo opere cusi sunt. Et in Gallieni plerisque Pantheræ nota est cum inscriptione LIBERO P. CONS. AVG. Sunt qui Tigrin esse contendant, de qua paulò infrà dicemus.

Venatorũ ratio in Pantheris capiundis.

MORVM VARIETAS.

QVONIAM verò Panthera variis est maculis colorata, pleriq; morũ varietatẽ per eius pellem ostẽdere instituerũt. Nã & earũ genus variè ab authoribus appellatũ, proq; Pãtheris Variarũ nomẽ apud Latinos receptũ. Quare animaduertẽdus est apud Pædianũ locus vbi *Vercias* pro *Varias* hactenus ferè passim lectũ est: de Pantheris enim illic loquitur. Idem & Africanæ simpliciter

Africanæ Pantheræ. vocabantur, quòd in Africa frequens admodùm est earum genus, fuitq; vetus Senatusconsultum, D ne liceret Africanas in Italiam aduehere, Gn. Ausidij tribuni plebis rogatione mox derogatum. Sanè Claudius Cæsar in spectaculis, vt apud Tranquillũ est, exhibuit Africanas, conficiente turma equitum Prætorianorum. Quantum verò pertinet ad colorum varietatem, iocosè dictũ apud Plautum in Epidico, vbi Thesprio variè se valuisse dicit, cui respondet Epidicus, *Caprigenum & Pantherinum genus sibi non placere*, in quo quidem non coloris tantùm varietate sensus est, vt Interpretũ bona pars opinatur, sed ab ipsius Capræ natura sumptum, quæ ferè semper febricitat. Quod verò spectat ad Pantheram, varietas morum non ex vario eius colore tãtùm intelligitur, sed, quòd & vehemens est, & ad impetus propensa, & pernix, corporéque ad agitationem perquàm idoneo. Vnde per eam in Diuinis literis varij animorum motus indicantur, de qua Hieremias: *Nunquid Æthiops pellem suam immutauit, & suam Pardus varietatem?* quod non solùm, inquit Ambrosius, de figura, sed etiã de mobilitate furoris accipitur, eò quòd Indorum populus & atri homines Æthiopum genus, ad fidei pietatisq; candorem inuitati, tenebrosis terræ cauernis insueti, inquietísque ac mobilibus mentis atque animi mutationibus decolorati, boni propositi gratiã tenere non possint, neque ad emendationem correctionémve vllam remeare, qui ferinam semel induerit immanitatem. Eucherius pro dæmone accipit, qui subdolus & varius sit in humano genere peruertẽdo.

DE TIGRIDE.

APVD Ægyptios Tigridem non inueni, apud Græcos & Latinos frequentissimè, de qua significata illa præcipuè celebrantur, quæ ad immanitatem, ad sæuitiam, ad vltionẽ, ad pernicitatem, ad amorem erga filios pertinent, quinetiam apud aliquot gentes diuini cultus E particeps iudicata.

SOL.

Tigris, cur in honorem Solis culta apud Indos. SOLIS enim simulacrum esse perhibebatur. Sed Sol & Bacchus idem numen habitum, vt vetus Græcorum habet Theologia, eáque apud Indos in honorem Solis culta. Indi siquidem clunes eius tantùm mensis inferebant, cæteris partibus ob Solis reuerentiam abstinebant. Idq; ea de causa, quòd hoc animal simulacrorum est, priores pedes attollere fertur versus exoriẽtem Solem, quem Solis adorandi morem Maro videtur expressisse, cùm XII. Æneidos scripsit:

Illi ad surgentem conuersi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas. Ita in veteribus habetur exemplaribus.

FEROCIA EMOLLITA.

Tigrides currui Bacchi iunctæ quid. QVOD verò pertinet ad ferociã, per animalis istiusmodi effigiẽ descriptã, indomitos & efferatos animos indicamus. Et Poëtæ cũ hominis cuiuspiã immanitatẽ egregiè notare volũt, Hyrcanas illas Tigrides his vbera prædicãt admouisse. Et quæ Bacchi currui iunguntur, vt pleriq; authores sunt, indicant moderatũ vini vsum ferocientis animi sæuitiam demulcere. Ita Polyphemus apud Homerum omnem exuperans crudelitatem, Maroneo delinitus vino, Vlyssi molliùs adblanditur. Et heroës illi Troiani apud Homerum eundem, qui laudibus arguitur vini vinosus, ferocitatem sæpe, æstuantisq; bile cordis acerbitatem vino deliniêre, hominiq; valde irato apud Plautum propinandũ edicitur, vt ille vino bilem diluat. Naturæ enim consentaneũ, cibo potuq; rigato corpore, ab eo discuti tristitiã. Quare Zeno Cittieus interrogatus, cur, cùm Philosophus esset, & natura seuerus, in conuiuio tamẽ hilarior videretur: *Atqui*, inquit ille, *Lupinum suapte est natura amarum, dulcescit tamen aqua maceratum.* F Atque hoc illud est, quòd Armenias curru subiungere Tigres, Bacchi Orgiis institutum.

VLTIO.



Nota historia de Tigridis amore erga suos. VLTIONEM significare qui volunt, Tigridem & Equum ab ea dilaceratũ pingunt. Nota est historia, quemadmodũ eius venator, fœtus recèns editos obseruat, ad quos, cùm mater pabulatũ abierit, auferendos perniciosimo fertur Equo, surreptisq; catulis, qui sunt semper numerosi, in cursum fertur quanto potest citatissimũ, reuersa Tigris vbi nidum vacuum reperit, velocissimo cursu totã circũlustrat regionem, donec fugientẽ venatorem deprehenderit, in quẽ omnem conuertit impetum, ille statim vnum è catulis proiicit, suscipit hunc Tigris mordicùs, & retrouersa in nidum refert, alacri mox cursu eadem vestigia repetit, exiguoq; temporis interuallo venatorem aggreditur, ille rursus catulum alterum abiicit, cursuq; nunquam intermisso nauem versus prouolat. Suscipitur hic quoque, & rapidissima velocitate reportatur, idq; & tertiò & interdũ quartò fit, donec venator conscẽsa naui vix duobus & nonnunquã vno tantùm catulo ablato aufugiat, Equo relicto, in quem illa posteaquàm frustra toto littore frendẽs desæuit, omnem conuertit vltionis sæuitiam, totumq; discerpit, & miserabiles socij furti pœnas pendere compellit. Apud Iobem, vt in Hebræo esse dicit Eucherius, Tigris periit, eò quòd non fuerit prædam assecuta, quod de fœminea arrogantia dictũ volũt.

PER

A

PERNICITAS.

IAM pernicitatis significatum ex iis quæ suprà dicta sunt desumitur, cùm citatissimum Equum ter & pluries assequatur, cursu retrorsum repetito.

AMOR IN FILIOS.

ITA etiam charitas pietásque, & affectus in filios summus, ex eadem historia consideratur, mox & vltionis studium, cùm in relictum Equum tanta ferocitate sæuiat.

MVSICÆ HOSTIS.

SVNT qui Musis auersum ingenium, omnémque Musicæ lepiditatem odio prosequentem, per Tigrim & tympanum pingant. Aiunt enim eam ita tympani sonum exhorrescere, vt eo audito mirabiliter insaniat, eóque furoris prouehatur, vt semetipsam dentibus impetat, viscéraque ipsa sua fœdè dilaceret atque discerpat.

DE LYNCE.

Lynx quid. LYNCEM in Luporum genere plerique recensuerunt, eiq; Ceruario cognomentum indidêre. Sunt qui Lynces esse quas Græci θῶας vocant, arbitrentur. Sedenim θῶες ex Hyæna & Lupo mixto genere nascuntur. Vtcunque verò authores varient, Lyncem Plinius animal esse peregrinum & in Aethiopia frequens ait: Ceruarios autem Lupos
B Septentrionalibus regionibus frequentissimos esse constat. Sed parum me mouerit eandem speciem pluribus orbis locis inueniri: nam quæ videmus in Ceruario Lupo, ea in Lynce identidem reperiuntur, acutissimus quippe obtutus, maculari in pelle varietas, vnde apud Maronẽ, *Maculosæ tegmine Lyncis*, & quod omniũ manifestissimũ est signum, Lyncurius lapis ex concreta eius animalis vrina.

ACVTISSIMVS OBTVTVS.

NONNVLLI igitur cùm Lyncem omnium quadrupedum clarissimè cernere cõsiderassent, hominem, qui visu maximè polleret, significaturi, animal id hieroglyphicum posuêre. Sanè multi eas affirmant conuexa etiam montium visu penetrare, neque defuêre Philosophi, qui fieri posse hoc commentati sunt ex imagine, quæ certo ab terra spatio summo in aëre pendeat, quam Lynx, vtpote quæ sit oculo admodùm defæcato, intueatur. Cuius rei exemplum experimur deiecto in cauum aliquod vas numo, quem, tametsi longè recesserimus, simulac vas aqua expletum fuerit, intuemur, fundo etiam ipsius vasis in aquæ superficiẽ se ostentante, quippe rerum earum radiis in aquæ summum sese exporrigentibus ea ibi species redditur, quæ aqua inde subducta, vasculi curuitate intercipitur, ac ne videri possit præpeditur. Ab hac Lynce, Lynceos oculos appellatos, quibus cernendi vis acutissima sit, plerique putant. Vnde magnæ vir eruditionis Fran. Petrarcha, pætos illos oculos quos lyricis totiens laudibus extollit, Ceruarios appellauit, ad id scilicet alludens, quòd Lyncem ætas nostra Lupum ceruarium arbitratur. Alij oculos lynceos à Lynceo Idæ fratre Argonauta dictos autumant, qui ea quoque quæ sub terra condita essent spectare ferebatur. Poëtæ sanè plerique penetrabilem huius aciem celebrarunt, maximè verò Pindarus, qui Castora in quercu abditum, penetrante per lignum acie ab eo inspectum, atque ita coniecto in arborem pilo confossum interfectúmque scribit. Fuit & alter Lynceus, qui Carthaginen-
C sium classem à Lilybæo Sicillæ promontorio portu Carthaginis exeuntem prospectare, & numerum cum fide recensere solitus, scriptorum testimonio fertur, de quo Horatius:

Lyncei oculi vnde.

Non possis oculo quantum contendere Lynceus.

DE VRSO.

SED iam nos appellat Vrsus, non iniucunda fortasse, nisi oculi iam defessi sunt, spectacula præbiturus.

PROFECTVS CVM ÆTATE.

HOMINEM originis principio deformem, mox formosum effectum, siue cuius vita ineunte ætate dissolutior fuerit, nulláque ratione moderata, cum ætate tamen modus & disciplina sanctior accreuerit, Aegyptij sacerdotes intelligere cùm vellent, Vrsam fœtam pro hieroglyphico ponere consueuerunt. Compertum siquidem est, Vrsam fœtum edere sine oculis, sine pilis, *Vrsæ fœtus qualis.* cruribúsque propemodùm & membris aliis indiscretum, informem denique carnem Catto minorem, maiorem Mure, de qua vngues tantùm promineant, cætera sanguis concretus esse videatur, quem posteà pectori femoribus apprimendo fouet eodem incubitu quo volucres oua, paulatimq; ita conformat, & lingua subinde lambendo perfectum reddit. Vtitur hoc exemplo Ambrosius ad nos cohortandos, ne prolem nostram, quantum ad animi rationem pertinet, instar Vrsini partus initiò editam, ita informem coalescere patiamur, sed disciplinarum linguis lambendo curemus, vt ad humanam, quippe rationis participem, effigiem conformetur. Nam de lingua, quæ significet eloquentiam, alio disseruimus Commentario.

EX

EX INEDIA MACIES.

Mores occulti.

Vrſæ natura qualis.

ADDVNT hominem inedia confectum intelligi per Vrſam in ſpecu latitantem,& ore pedes lambentem, cuius quidem pigerrima eſt natura, ſolitaria, latebroſa, commercij ſocietatisq; cuiuſlibet euitatrix, quod eſſe mores eos ſignificat, qui ſoleant in imo mentis receſſu deliteſcere, atque itidem corpus ſimile ſortita eſt, graue, compactum, indiſtinctum, prægelidæ feræ,quæ ſpelæis in primis gaudet, accõmodatum, vnde φωλάδες ἄρκτοι dicuntur à Theocrito. Nam, vt Theophraſtus & Soſtratus aiunt, Vrſi primum antra habitationibus commoda oſtenderunt: hi ſiquidem tempore dierum circiter XL. licèt longè plures alij ponant, quibus in receſſu aliquo deliteſcunt, priorum pedum ſuctu viuere, ac nihil edere perhibentur, cui rei documentum habetur captum per id tempus inteſtino inani eſſe, atque ita id conniuere, vt adductum propè cohæreat. Id verò libenter ab eo fieri tradit Ælianus, cùm ſe præpinguem ſenſerit, ac pleniore corpore grauatum, quò pinguedine concocta fiat agilior. Apud Euſtathium legas Athenienſes aliquando famis vltione multatos indignata Diana, quòd Vrſam, quæ in Munychio eius ſacello nata eſſet, interfeciſſent, vt ita per inediam affligerentur, qui animal inediæ patientiſſimum ſuſtuliſſent.

VIRAGO.

MVLIEREM præſtantem animis, non molli, ſed virili vigore præditam plerique ſignificare dum volunt, Vrſam pingunt, Pantheram alij: ſunt enim hæ ex omnibus animalibus maribus ferociores animoſioréſque, cùm in cæteris fœminæ ſint omninò molliores. Plutarchus tamen non Vrſam,ſed Leænam ponit in hoc albo cum Panthera,vbi rationem ineſſe brutis diſputat. Cęterùm in eodem genere fœminas omnes æqua cum maribus fortitudine pollere contendit. Quare Menæchmus etiam apud Plautum, vxorem quam timet Leænam vocat, dum leoninum cauum intelligit ædes, in quibus illa habitabat. Vrſorum autem fœuitia nobilitatę ſunt, Lucania, Vmbria, Britannia. Nam ex Britannia velut ex altero terrarum orbe, longa & periculoſa nauigatione, vt tunc videbatur temporis, aduecti Vrſi ad populi Rom. ſpectacula, maximæ fuerunt admirationi.

PVELLARIS ÆTAS.

Puellæ olim Vrſæ dictæ, & quare.

QVIA verò ſuapte natura Vrſę cohibent ſe intra frutices vel ſpelæa,niſi quantum pabulationis gratia prodire coguntur, isq; mos plurimùm in rectè inſtitutis ciuitatibus obſeruatur, vt innuptæ puellæ domi clauſæ cuſtodiantur, non abſurdè nonnulli commenti ſunt puellas Vrſæ ſimulacro referre: nam & hoc quoque ſapit antiquitatem. Siquidem apud Euripidem Hypſipilæ, & apud Ariſtoph. Lemniis, ac Lyſiſtrate, puellas apud Athenienſes olim Vrſas vocari ſolitas legimus, & apud Pollucem ἀρκτεύειν verbum inuenias, quod Latinè ſonat in Vrſas abire. Id verò erat cùm puellæ, antequam nuptiarũ tempus appeterent, pudicitiæ cauſa Dianæ conſecrabãtur.

PROVIDENTIA.

Vrſæ calliditas.

NEQVE illud diſſimulandum, licèt ab Ægyptiis minimè traditum, quòd per recedentem in cauum Vrſam,nonnulli prouidentiam ſignificari volunt. Vrſa enim,vt apud Ælianum legas, ita prouida eſt, vt ſaluti ſuæ conſultura, cùm ſe in cauum recipit ad peculiarem inediam, ne per veſtigia deprehendi poſſit, tantum illi natura calliditatis indulſit, auerſis veſtigiis irrepat retrò, eo ſcilicet modo quo traxit Auentinas Cacus in antra boues, atque ea ſpecie venatores fallat, cùm egreſſa inde videatur, non autem ingreſſa.

IRA.

NEQVE defuêre qui per Vrſi ſimulacrum iram immanem intelligi voluerint, quòd id animal immodicis ſoleat animis excitari, & in omnem truculentiam efferri, vnde apud Claudianum legas,Rhadamanthum ſolere Vrſis ingerere truculentos. Sanè Mathematici iracundum eum futurum dicentes,qui ſub primo & vigeſimo Tauri gradu naſcitur, Vrſum ibi ſtatuunt retrò ſpectantem, hoc eſt, ad ea quæ facta ſunt indignantem. Hinc Martialis lib. VI.

-----Rabido nec perditus ore,
Fumantem naſum viui tentaueris Vrſi,
Sic placidus licet, & lambat digitosq; manúſque.

Vrſæ etymõ. Ira enim, vt Theocritus,ποτὶ ῥινὶ κεθῖται. Quin ab irritatione nomen olim Vrſis impoſitum: Vt enim Hebraica lingua incitationem ad iram ſignificat, & Vr Madianitarum Rex ab Iſraëlitis occidione cæſus, ſignificat, vt Adamantius interpretatur, affectum huiuſmodi ab iis qui Deum ſequuntur debere protinus abſcindi. Alij nequaquam abſcindendum cenſent, ſed veluti ſubſidio paratum diligenter aſſeruandum,vt cùm res poſtularit, aduerſus noſmetipſos,pro iis quæ inutiliter turpitérve geſſerimus, iraſcamur, quam ſolam animi perturbationem etiam Epictetus ſapienti cedit. Hæc enim iuſta & neceſſaria iracundia eſt, vt noſtri cenſent, qua vnuſquiſque in iis quibus errauit, aut perperàm geſſit, indignatur, & ſemetipſum incuſat. Ex qua quidẽ indignatione ignis quidam in nobis accenditur, qui velut in agrum ſterilem immiſſus, conſumptis excoctiſque voluptatis peſsimæ radicibus, bono diuinarum inſtitutionum ſemini glebam præparat fœcundiorem. Atque hic ille ignis eſt, quem ſe Aſſertor noſter profitetur in terram immiſſurum, atque vt

A ſuccendatur, non indiligentem operam daturum. Alibi verò indignatio ferociáque vrſina in Diuinis literis indicium fuit Hieroſolymitani excidij, vt Eucherius interpretatur 4. Reg. Nam cùm Eliſæus aſcenderet in Bethel, ſcandenti ſemitã obuiam facti ſunt pueri paruùli de ciuitate egreſſi, qui illudebant ei dicentes, *Aſcende Calue, aſcende Calue.* Quos Eliſæus indignitate rei commotus, in Dei nomine deuouit, continuóque Vrſi duo de ſaltu proximo prodierunt, qui ex eis duos & quadraginta pueros lacerauerunt. Id ſub figura tunc geſtum, Imperatores duos prænonſtrabat Veſpaſianum & Titum Romanorum Principes, qui poſt duos & quadraginta annos ab aſcenſu Domini, captis Hieroſolymis, tantam Iudæorum deſolationem fecêre, vt deletum penitùs ſit eorum regnum. *Hieroſolymitani excidij figura.*

IMBECILLVS PRINCEPS.

CIVITATEM ab imbecillo rectam Principe ſignificare qui volunt, Vrſi caput pinguntinuaſidiſſimum enim eſt Vrſo caput, quod contrà Leoni fortiſſimum. Aiuntq; Vrſos alueatia non mellis pabulíve vllius gratia inceſſere, apéſque irritare, ſed ſalutis ergô, vt ſcilicet ápum aculeis ora vulnerati, ſanguinéque ita emiſſo, grauedini qua plurimùm laborant, remedium comparent. Venatores noſtri aiunt, ſi maior aliqua vis, quam ſuperare deſperet, Vrſo incubuerit, eum ſibi conſcium imbecillitatis, qua caput eius laborat, ſi fugiens ad præruptam aliquam rupem peruenerit, manus ſupra caput tollere, iiſq; pectinatim firmiter complicatis, reliquo conglobato corpore præcipitem ſe dare, atque capturam euadere.

DE VRO.

B NON innotuit Ægyptiis Vrus bos Germanica, ſed ante feras alias egregiè ſyluestris.

CAPTIVITATIS IMPATIENS.

PER quem, eum qui ſibi mortem conciſcat, ne in manus hoſtium concidat, nonnulli congruenter hieroglyphicum propoſuerunt. Eſt enim Vrus eiuſmodi, qui propter ferocitatem vel nunquam, vel difficulter capi poteſt, quòd ſi eò inciderit, vnde deſperet poſſe euadere, ſemetipſum præ ira ſuffocat, vſque adeò ſe genitum ad libertatem putat, qua denique nihil vnicuique animantium generi optabilius eſſe videatur.

PIERIVS VALERIANVS

AD PETRVM CVRSIVM ROM. CIVEM,

DE IIS QVÆ PER ASINVM, MVLVM & Camelum ſignificantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XII.

C *NE fortè Commentaria ea putes, Petre Curſi lepidiſſime, quæ multa adeò nudiustertius Cytorio in iugo tuo, vbi bona pars Academiæ cœnabamus, à veteribus tam Aegyptiis, quàm Græcis, atque etiam Latinis, ſuper Aſini ſignificationibus tradita commemoraueram, curæ pretium fore duxi, quantum ſolicitudine præſtare potui, primo quoque tempore pleniori obſequio tibi ſatisfacere. Videbaris enim illa, quod facilè animaduerti, attentioribus admodùm auribus haurire, & auidiuſculè, vt ita dicam, deglutire, ſed vix adduci poteras ſcriptores illos veteres in Aſino perſcrutando fuiſſe adeò curioſos, & quoniam vmbra etiam eius in vaniſſimi negotij prouerbium ceſſerat, reliquum etiam corpus paruipendendum exiſtimabas. Collegi igitur tam ea, quæ tum memoriter diſſerueram, quàm quæ aliàs ſparſim à me fuerant eare ſuper adnotata, eorum citatis teſtimoniis, qui talia memoriæ prodidêre, vbi tantùm res depoſcere videbatur: nam minus omnia tunc ex tempore dicere aggreſſo ſuccurrebant. Quare tunc non pauca prætermiſſa ſunt, quæ recitata longè maiori tibi admirationi futura fuerant, quæ quidem nunc qualitercunque à me conſcripta ſint, benignè acciptas velim. Et ſi minùs tibi lucubratio ipſa ſatisfecerit, vt quæ nimium properata non ita omnia complecti potuerit, voluntatem tamen animúmque meum exiſtimes, quantum in me fuit, tibi amico tam veteri, tam probo, ſatis plurimum facere ſtuduiſſe, non enim recens mea erga doctrinam & ingenium tuum beneuolentia, firmáque atque conſtans amicitia, quæ ab ipſo primùm die, quo Romam diu patria cariturus applicui, cœpta, mirificum in dies accepit incrementum, acceſſit & tam vnanime concórſque contubernium, conuictúſque per annos aliquot iucundiſſimus. Ita ego pluribus atque iis non leuibus de cauſis tibi ſemper coniunctiſſimus, ſcripta cogitationéſque meas communicare tecum maximè conueniens exiſtimaui, quòd optimi integerrimíq; amici, qualis es tu, vt meliores euadamus in cauſa ſunt, ſi quid admoneant, vel, vt alacriores ad lucubrandum accedamus efficiunt, ſi probent. Sedenim quid oneris gerat Aſinus inſpiciamus.*

IGNARVS HOMINVMQVE LOCORVMQVE.

D

Homo Asel liceps quid denotaret.

VMPRIMIS autem rerum omnium ignarum per Asellicipitem hominem ab Ægyptiis sacerdotibus significari, & Horus & pleriq; alij prodidêre, eamq; imperitiam in eo præcipuè notari volebant, quæ plurimùm ex solitaria accidit educatione, quippe cùm quis tanquam Aglaus alter, intra priuatos parietes semper altus & educatus, pedem è domo, vel è patria nunquam tulisset foras, oportere scilicet hunc parum experientem esse, & officiorum hospitalium insciũ. Israël itaque diu apud Ægyptios edu-

Gen.49. catus, & hieroglyphicῶν optimè peritus, cùm Isacharem filium suum Asinum appellasset, intra terminos eum occubiturum dixit. Non enim longiùs peregrinari solẽt Asini, vt Equi, & Muli, sed intra prouinciã, in qua nati sunt, plurimùm contineri. Addidêre etiam prouerbium in imperitos, *Asinus ad lyram*, quod non admodùm absimile est ab Horatiano illo, *vt qui narraret Asello fabellam surdo*, hoc est, obstupefacto, quiq; nullum ex ea re sensum perciperet. Ideóque Cicero in Pisonem: *Quid nunc te Asine literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus.* Adeò enim subiecti addictiq; fustibus sunt Asini, vt vulgus passim verbera plagasq; flagris inflictas, Asiniatas vocitet. Hanc sanè mentis tarditatem Scipio apud Numantiam ita C. Metello exprobrauit, vt diceret, *si quintum pareret mater eius, Asinum fuisse parituram.* Quin & Iunius Bassus homo dicacissimus, vulgò Asinus appellatus, ob stuporem ridiculósque mores. Ob huiusmodi ludibrium, & ignauiæ contemptum, qui pilæ ludo victus esset Asinus appellabatur, qui verò vicisset, Rex. quem morem tangit Plato, in Thæteto, & lib. 9. Pollux. Ad hoc respexit etiam Horatius, cùm epistola ad Mecœnatem scribit: *At pueri ludentes, Rex eris aiunt, si recte facies.* Cõtrà verò quod ad peregrinationem attinet, Vlyxem, quem Homerus ea præcipuè de causa sapientem effectum putat, quòd is

E

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Vlyssis nomen vnde.

quique, vt ait Horatius, *Quid virtus & quid sapientia possit, vtile nobis, propositum est exemplar:* nomen ipsum inquam Vlyxem etymologicè quidam haudquaquam ignobiles scriptores interpretantur ὅλων ξεινὸν, omnium quippe hospitem: nam Æoles, quod alij verterunt ὀδυσσὸς, λ litera quam amant incolumem retinuerunt, eósque Latini secuti sunt, Vlyxem enunciantes. Neque tamen sum nescius, Icarium eius patrem aliam nominis afferre causam, Odyssea, quæ nihil quicquam est nunc ad commemorandum necessaria. Asinus porrò in fabulis pro Imperitissima persona ponitur, & in argumento fatuitatis atque dementiæ semper habetur, in quem demùm, vti Plotinus innuere videtur, ille redit, qui sensus expers, brutalem & stolidam vitã vixerit. Quocirca Vlyxes apud Gryllum Plutarcheum, cùm bruta reliqua, ratione aliqua vti fateatur, Asinum tantùm ac pecudem ab omni rationis vsu semotos reperit. Neque quidem inficiatur Gryllus, sed plures inter homines eiusmodi ingenio præditos confidenter asseuerat. Huius non immemor stoliditatis Ouidius, Midam, quòd sententia sua rusticam Panos cantilenam diuinæ Apollinis modulationi præferendam iudicauerit, ea pœna multatum à Deo finxit, vt quæ iudicio peccauerant humanæ aures, in Asini auriculas demutarentur. Interpres tamen Aristophanis, Pluto, vt hæc quoque repetamus, tres memorat causas cur Midas asininis auribus fuisse prædicetur, siue quòd acutissimi esset auditus; cuiusmodi sunt Asini, quos præter Mures, cæteris animantibus auditu præstare tradunt: ita enim interpres ille, quisquis is est, scribit, ἢ ἐπεὶ ὄνος μᾶλλον τἄλλων ζώων ἀκοὴν πολὺν μύος. Hinc Apuleianus Asinus de se ait: *Recreabar quòd auribus grandissimis præditus cuncta longulè etiam dissita sentiebam*, siue quòd Phrygiæ pagum incoleret, cui nomen ὄνε ὦτα, *Auriculæ asininæ*, siue quòd exploratoribus accuratissimè sit vsus, delatoribúsque plurimùm delectaretur: vnde illud de principibus fertur, *Regum aures innumeræ.*

F

PETVLANTIA.

IMMODICAM verò petulantium luxuriam per animal hoc in Diuinis literis notari, indicio est quod celeber ille Propheta ait: *Quorum carnes sunt, vt carnes Asinorum.* Et Plato dum antiquorum figmenta sequitur, ne sacratioris illius doctrinæ, quam apud Aegyptios perceperat, arcana propalaret, hæc non incuriosè tractauit, ac de aliis quidem animalibus passim multa, de Asino verò hoc præcipuè dixit disputante apud Phædonem Socrate: *Homines, qui fœdis concupiscentiis manus dedissent, ventriq; dediti per inertiam atque lasciuiam ingloriam inutilemq; egissent vitam, neque quicquam pensi pudorisve habuissent, in Asinos post obitum deiici.*

IMPVDENTIA.

Cur per Asinũ impudentia significetur.

SVNT enim qui per Asinum impudentiã ea de causa significari velint, quòd Asinus sua tantùm commoda destinatissimo quodam animo prosequatur, & modò suæ morem gerat voluntati, nihil

A nihil pensi habeat, castigationes contemnat, verbera etiam nihili faciat. Id in Asino vitium ita notat Xenophon, vt de se V. de Græcorum reditu dicat: *Eo inquam tempore, si quem iniuriæ vllo genere lacessiui, non possum non confiteri, vel Asinis me, qui esse dicuntur omnium quadrupedum inuerecundissimi, inuerecundiorem fuisse.* Quòd verò Iosippus cor Asini, & Canis impudentiam, obiicit Appioni, hac eadem sententia in vno stoliditatem & imperitiam, in altero maledicentiam incessit.

POPVLVS IVDAICVS.

ET populus Iudaicus, vtpote qui sublimioris doctrinæ, quę in Diuinis eorum literis delitescit, intellectum minimè percipiunt, simplicitatemq; scriptorum tantùm prosequuntur, ob huiusmodi stuporem & imperitiam Asinæ assimilatur, quam Christus posthabuerit insenso eius pullo, qui factus est ea doctrina dignus, quam ille nos docuit. Asina enim illa, vt Græci Theologi deprehendêre, populi prioris symbolum fuit, quæ scripti onus pertulerit: est enim animal ad onera tantùm & labores genitum, vt Eucherius dicit, super quam Apostoli vestimenta sua iniecêre, hoc est, veterem hominem exuêre. Pullus verò, de quo Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator ipse pauper sedens super pullum Asinæ*, propter pristinam imperitiam, iuniorem indicabat populum, Asinæ quidem filium, vt Euangelistæ cum plerisque aliis reddidêre, nonnulli filium subiugalis posuêre, animalis quippe quod operibus & officiis seruilibus omnibus subiicitur, plerique Gentilium nationem appellarunt, quæ. Christum insidentem tulit, promissamq; à Prophetis & lege salutem minimè despexit: *Agnouit enim Asinus præsepe Domini sui.* Hoc porrò citato loco Eucherius: *Per Asellum*, ait, *quem insedit Dominus, simplicitas fidelium exprimitur; plebs scilicet quæ Dei notitiam non habebat, quam Christus regendo & præsidendo, ad Hierusalem, hoc est, ad pacis conspectum, adduxit.*

Indei Asinæ cõparati, & quare.

Cap. 9.

A DEO ET SACRIS ALIENVS.

B

ASINVM porrò Ægyptij adeò impurum existimabant, vt animal etiam dæmoniacum arbitrarentur, propter quandam cum eo similitudinem. Quò verò ostenderent eum admoueri sacris minimè debere, hominem cum secespita positis in terram genibus effingebant, cum ense ad mactationem parato, sed manibus post terga religatum, inde Asinum apponebant, euentum rei nimirum fortè irritum indicantes. Oderant autem id animal Ægyptij, non propter imperitiam & ineptias tantùm, & contumeliosam eius naturam, verùm propter colorem etiam ex albo nigroq; confucatum, quem à Deorum sacrificiis alienum abominabantur. Erat verò apud eos mos, vt Asinum ludibriis omnibus incesserent, luto cespitibúsque passim impetitum, contis etiam stimularent, quaq; se locus offerret opportunus, precipitem agerent. Vnde prouerbium in contemptioiles despicatissimosq; homines emanarit, *Asinus Aegyptius.* Apud Hyperboreos tamen institutas dicit Pindarus ἑκατόμβας, illi enim Apollini Asinos mactabant. Nam vt apud Callimachum legere est,

Aegyptiorũ odium in Asinum.

Prouerbiũ.

Τέρψασι λυπαρὰ φοίβου ὀνοσφαγίαι.
Exhilarant pingues Phœbum epulæ ex Asino.

Citat Apollodorum etiam Clemens Stromatis, de huiusmodi sacrificio. Gaudere verò Apollinem vitæ arbitrum, eorum iugulatione dicunt, propter assultus, quos indicio viuacitatis in cæde

C faciunt, difficulterque occidi soleant magnis quantumlibet ictibus percussi. Quantum verò pertinet ad impuritatem, apud alios vni Priapo sacer habebatur, ob verendi scilicet enormitatem, qua supra modum præditi sunt Asini, atque inde sunt ad generandum admodũ segnes, competúmque est omnes alios ea genitalis productione conspicuos, ad generationem ineptos esse, quòd in emissione per eam longitudinem semen transmeans & hebetetur, & frigidius fiat. Neque verò nostro tantùm tempore viri huiusmodi Asinorum instar habentur, sed olim etiam vt gratissimus ille Imperatori Commodo, qui de pene vltra animalium modum prominente Onos appellatus est, eáque de causa ditatus, & Herculis sacerdotio præpositus. Tacebo Heliogabali emissarios, in huiusmodi genus monstrorum conquisitionem, tacebo nostrorum etiam temporum opprobria.

Asinus cur Priapo dicatus.

EGREGIVM PRINCIPIVM CITO *destitutum.*

NEQVE absurdum est significatum illud, quod ex vulgi prouerbio desumptum est, cùm præclarè venustéque aliquid inchoatum citò deseritur, currentem Asinum pingere. In ore enim omniũ est, Asini succussationem parum admodùm procedere. Sanè legas apud Ælianum, Asinos eos præcipuè qui sunt in Mauritania citatissimo gradu cursum inchoare, paruóque confecto itinere citò deficere, vnde necesse sit eos ad Equos alligatos resti attrahere. Hinc Trigæus Aristophanicus suum illum scarabeum Asinum appellat, monens scilicet ne cursu nimiùm pernici viam auspicetur, sed paulatim & sensim volet, vt labori sufficere possit, quod longè secius accidit in Indicis, qui quidem, vt idem Ælianus author est, cùm iter arripiunt, tardiùs incedunt, paulatímque progrediendo feruntur incitatiùs, rapidissiméque gradiuntur.

STOLIDITATIS LVDIBRIVM.

TOT autem ea sunt quæ de Asinorum stoliditate traduntur, vt subinde sit ad eam redeundum, quam si apertiùs Ægyptij describere voluissent, animal omnium maximè docile deligebant, Simiarum quippe gregem, inter quas Asinum vel saltare, vel tibiis canere, vel etiam discertare fingebant, rem quidem tam dictu quàm spectatu ridiculam, sed quæ in secessu pondus habeat.

INDOCILITAS.

Prouerbiũ ex Platone.

ALITER frænatum Asinum in huiusmodi significatum proponebant, quippe quòd animal sit minùs idoneum ad discendum. Vnde etiam Mathematici eum qui ortu suo sextumdecimum Leonis gradum sortitus sit, indocilem futurum præsagientes, frænatum Asinum tunc oriri fingũt: irritam eo modo institutionem futuram indicantes. Est apud Platonem Legũm III. iuxta finem, prouerbium, *Ab Asino excuti*, de iis qui grauia & magna vel difficilia professi, ab incœpto turpiter desistunt. Sedenim miror vnde Grammaticus quidam adductus sit, vt Platonis prouerbium hoc ita sit interpretatus, vt de iis dictum voluerit, qui relictis voluptatibus & inquinamentis quibuslibet voluptificis & belluinis (hæc enim eius verba sunt) ad meliorem mentem regrediuntur, cui quid aliud respondeam, quàm vt ipsius Platonis verba subiiciam? *τὶ οὖν ἐστὶ ταῦθ' ἡμῖν αὖ χάειν ἐλεχθη, δεῖ φαίνεσ' ἔμοιγε, οἷόν περ ἵππον ἢ λόγον ἐκάστοτε ἀναλαμβάνειν, ἢ μὴ καθάπερ ἀχάλινον πεκτημένον τὸ στόμα βίαιόν τε λόγον φερόμενον καὶ τὸ παροιμίαν, ἀπό τινος ὄνου πεσεῖν, Cuius verò rei gratia hæc dixerimus, mihi ostendendum est, oratioq; ipsa tanquam Equus hinc atque inde coërcenda, ne effrænum veluti os nacta, ipsoq; dicendi impetu prouecta, vti prouerbium est, ab Asino quopiam excidat.* Sed cùm is & hîc & alibi sæpe cadat ab Asino, in luto hominem hæsitare permittamus, neque tollere rursùm fractum crure Planum procuremus. Id verò eò magis indignè ferendum, quòd testimonium sibi accersit ex Euangelica lectione, quam suprà citauimus, vbi Seruator noster Asinæ pullum obequitat, neque intelligit longè aliud esse, inuectari Asello in vrbem Hierosolymam, aliud ab Asino excuti, vel mente alienari: nam & iocus ex locutionis enunciatæ ambiguo resultat, cùm ἀπ' ὄνου etiam ἀπὸ νοῦ sonare videatur.

IRRISIO.

Persij Diogenisq; dicterium.

VT verò reliqua prosequamur, est & irrisionis indicium Asinus, propterea quòd rictu labiisq; latè diductis, dentibusq; deformiter denudatis irridere videatur. Quin & qui aliquem deludunt, appressa ad aures manu asininas auriculas imitantur, vnde Persianum illud in huiusmodi derisionem, *Auriculas Asini quis non habet?* Sanè Diogenes cùm ei quidam diceret, *Multi te derident: Et illos*, inquit, *fortassis Asini.* Altero subiiciente, *Sed illi non curant Asinos: At neque ego illos*, inquit.

SOPHISTARVM NVGÆ.

Iudæi Sophistis cõparati.

SILENTIO præterire non possum, Sophistas nostros, cum asino illo suo tam fœdo, tam spurco, tam abominabili, quem ita in deliciis habent, vt sine Asino nihil meditentur, nihil moliantur, nihil aggrediantur. Nulla vnquam tam grauis, neque tam seria res in consultatione ponitur, vt non ipsi asino super agendum censeant: sedenim iis optimè res cum asino, qui περὶ ὄνου σκιᾶς, disciplinam omnem suam ostentant, ac omnium ignari, quodq; peius est, indociles, de re nihili semper altercantur. Ad horum porrò similitudinem Democritus Iudæos ponit, qui in ordinariis, vt inscriptio est, historiis, eos tradit aureum asini caput adorare consuesse, singulisq; septennij spatiis alienigenam semper hominem insidiis exceptum in conuentibus suis membratim discerpsisse, quod & Plutarchus Cheronæus Symposiacis quæstionibus, & Cornelius Tacitus historiis memoriæ prodidêre, quam vti manifestissimam calumniam, ab Appione olim excogitatam, & Iosephus constantissimè refellit, & Adamantius contra Celsum acriter redarguit. Nostra tamen tempora Symeonem puerulum Tridenti videre, quem blanditiis illectum, & in synagogam perductum, Iudæi socialiter eo sacrificij genere trucidarunt, stylis per vniuersum corpus infixis, vnde sanguinis quisque guttam viuis artubus exhaurirent. Testis ara facti, quæ quotannis ibidem à piis inuisitur.

ADVLATORVM ILLECEBRÆ.

Asinus inter flores, quid.

ERAT verò illud ad bonos mores excogitatum hieroglyphicum, quòd veluti maiores nostri seruos ebrios, lingua pedibusq; titubantes in liberorum conspectum ad vitij ludibrium, producebant, quò ipsi diligentiùs cauerent, ne in huiusmodi turpitudinem inciderent, ita sacerdotes Ægyptij asinum inter flores & vnguenta statuebant, quorum nihil ad sensum eius pertineret, ex hoc scilicet perniciem, quę potentioribus præcipuè assentatorũ machinis insidiatur, indicantes, cùm inde risui & ludibriis omnium exponantur, qui enormes adulatorum assentationes aucupantur. Plerique enim magni alioqui viri à Musis & Gratiis alieniſſimi, omniq; turpitudinis genere spurcissimi, coràm tamen & dignitatis, & eruditionis, & temperantiæ non solùm commendari patiuntur, verùm etiam nisi facias, indignantur.

IGNA

IGNAVIA.

Pernicitas quorũdam Asinorum.

APVD multos asini significatum est ignauia, quæ quidem cùm sit omnibus nota, superfluũ est eam latiùs explicare. Ex hac tamen nota Palæstini asini excipiendi sunt, qui Equos ipsos pernicitate prouocare dicuntur, traditum ab Adamantio. Et apud Euphratem Xenophon primo de Cyri minoris exped. inuentos ait asinos, qui Equos cursu facilè superarent. Nã cùm ad eos equites proximè accessissent, cursum illi arripiebant, cumq; longiùs profecti essent interim restitabant, atque ita sæpius iterata fuga equites fallebant. Et Saracoras legi asinos non ad onera comportãda, sed ad gerendum bellum adornare. Apud Pollucem sanè legas per ὄνον inter alia significata inferiorem dici molam, ita à tarditate cessationéve, quæ asino propria est, appellatã. Et populos quosdam memorat Xenophon, qui non alia victitant industria vel arte, quã fodiendis τοῖς ὄνοις, hoc est, lapidibus iis, qui ad onos fabricãdos idonei sunt. Et in sacris nostrorum literis, vbi vulgata interpretatio habet, opus esse, vt mola asinaria suspendatur, ὄνῳ tantùm apud Græcos legitur. Denique ne rem tã apertam multis inferciamus ambagibus, Catullus idipsum intelligit cum super Æmylio quodam impurissimo dicit: *Et non pistrino traditur, atq; Asino?* Ne legamus, *atque Asinus*, hoc est, *perinde ac Asinus*, vt erudituli quidam putant, néve interpretemur lectionem, *atque Asino*, ad concitandum scilicet circa molam asinum, vt nonnulli ex cõmentatoribus exponunt. Sed vt ad asininam ignauiam reuertamur, hanc intelligebat Antisthenes, eùm Athenienſium rudiciũ in creandis magistratibus notaturus, suadebat eis, vt asinos ad agricultură deligerent, quos cùm illi negarent idoneos ad arationem: *Atqui*, inquit ille, *non satis vobis est Magistratum elegisse, siue aptus, siue ineptus vir ille sit ad gerendum?*

Dictum Antisthenis.

ERE MITA.

SED quoniam de Onagro facta est superiùs mentio, minimè prætereundum est quòd Diuinę literæ per Onagrum Eremitas intelligunt, qui à popularibus turbis secedentes, in solitudinariis & ab hominum vestigio semotis locis vitam degunt, vni Deo tantùm dediti, quòd tradit Eucher. de quibus dixerit Iobes; *Quis dimittet Onagrum liberum?* sed quia sequitur, *Et vincula eius quis soluit?* de Iudæis quidam dictum volunt, quorum præcepta vinculis comparantur.

MVLIER MALE MORIGERA.

SVNT qui mulierem conceptum cuitantẽ, aut virum admittere nolentem per asinam, & fustem inhærentem tergo, designẽt: ea enim semen à coitu reiicit, nisi interpelletur, quamobrẽ statim post coitum necesse est eam verberari agitariq;, & ignauiam qua prædita est solitudine castigari. Quinetiam mares ipsos fustibus salire cogunt, vnde vulgo mos est viros minimè officiosos, asinos appellare. Quid verò illud quòd huiusmodi pertinacia demortui etiam spoliis inhæresci? vngulæ siquidem asininę viuentem partum enecant, mirificeq; maturant; quare Medici abortibus euocandis, nec aliter eas in suffitum adhibere consueuerunt.

Asina in occulto pariens.

PRÆGNANTIÆ DISSIMVLATRIX.

MVLIEREM adhæc prægnantiam occultantem notare cùm volunt, parientem asinam pingunt. Obseruatum enim est, id eam impendiò cauere, ne vel in conspectu hominum, vel in luce pariat, quare ducenda est in tenebra, cùm excludendi tempus aduenerit.

SOLSTITIVM VEL TEMPVS ANNVVM.

PVLLVS verò asinę nunc Solstitium, nunc tempus annuum indicat, quòd eo tempore plurimùm & pariant, & admittantur, vt eorum seminis frigiditas cœli calore adiuuetur, & frigoris impatiens animal eò nascatur tempore, quod eius imbecillitati sit idoneum: annum enim integrum omninò gestant.

VIR FRVGI, VXOR PRODIGA.

Asellus funẽ abrodẽs, quid.

MINIME prętereundũ est illud, quod insignium pictorum & sculptorum etiam operenobilitatum est, vt cũ virum in re cumulanda solicitum, neque assiduos quantumlibet labores declinantem, vxorem verò prodigam, & ad omnia perdenda dissipandaque intentam hieroglyphicè significare vellent, hominem sparti funiculum torquentem, illam verò Aselli effigie assidentem à tergo, & opus quantumcunque fieret àbrodentem effingebant. Sunt qui Polygnoti opus id fuisse dicant, meminêre verò & Pausanias & Plinius, ac mox Romæ tùm in Capitolio, tum in Vaticanis hortis insculptũ marmore obseruatum. Hinc quid sibi velit Propertianus versus, admonemur:

Dignior obliquo funem qui torqueat ocno,
Aeternumq; tuam poscat Aselle famem.

Illud κῷ πάρεργον addam quod Pausanias ponit Asellam, non asellum marem in pictura spectatam,

quæ funem abroderet. Plutarchus commentariis περὶ ἀδυμίας, apud inferos argumentum pi- D ctum ait, sed Asinum non nominat.

PATERFAM. PARCVS. FAMILIA PRODIGA.

DIODORVS asinorum imaginem istiusmodi apud Ægyptios ostentari tradit, asinum quippe vnum longioris funis nodos complicare, ac alios à tergo clanculum dissoluere, vno porrò eodemq; argumento cum superiori, quod nonnulli Ionicum figmentum putant, cæterùm pictorum & sculptorũ ingenio variatum. Alterum tamen hoc patremfamiliâs frugi, familiã verò prodigam & perditam ostendit: nimirùm enim nodum plicare, significat congerere, accumulare, rẽ facere, dissoluere verò, destruere, dispердere, atque prodigere. Sanè apud Plin. vbi opera Aristolai Pausiæ filij recensentur, inter alia est piger qui appellatur Ocnos spartũ torquens, quod asellus abrodit, quamquam hoc eo significato accipi potest, vt ignauorum opera excipi à pernici intelligamus.

BONVM OMEN.

Simulacrũ Asini ab Augusto dicatum, quid.

QVOD verò simulacrũ & Asini & Asinarij æneum est ab Augusto dicatum vtriusq; nomen in causa fuit, quòd ab his ipse victoriæ præsagium cepit, cùm apud Actiũ ei in aciẽ descendenti facti obuiam essent, agasonij; nomen Eutycho esse, bestiæ verò Niconi intellexisset: quid enim nõ bene ominaretur victoriæ nomen bonæ fortunę iunctum? Sed habuit augurium hoc aliquid quod mouere posset, cùm tam speciosa essent nomina, quid autem in illo fuerit, mirũ est, quòd C. Mario apud Fanniam Minturnis custodiæ credito, asinus, qui ruditu quodam ingenti vociferatus fuerat, in domum eius à fonte cursu rapido profectus, sperandæ salutis maritimo itinere augurium dedit. Iam & in augurali si quis ægrotet, vidisse asinum qui à lapsu se sustulerit, indicat eũ conualiturum, in omnibus dicente quopiam, *Viden' vt Asinus sese erexerit*; decumbentem indicat surrecturum? E

VINITOR.

Asini officia.

NE tamen animalis istius stuporem, segnitiem & ruditatem vsquequaq; deludamus, grati animi opus fecerimus, si qua nos parte iuuerit, exposuerimus, & illi pro merito gratias habuerimus. Siquidem vineas colere non alio nos doctore didicisse nonnulli tradunt, quàm asino, quãdo is putandarum vitium & author & præmonstrator fuerit. Nam abroso ab eo vitis palmite, vindemiam inde feraciorem prouenisse obseruatum est, idq; summa secuti diligentia mortales, lętiorem sibi quotannis prouentum compararũt. Eius rei monumentum Naupliæ spectabatur, vbi lapideus asinus grata posteritatis memoria dedicatus fuerat. Huc illud addam, quòd is neque mortuus quidem officium facere desistit: siquidem Vadimonius compertum ait, caluariam eius in hortorum medio depositam, ad loci fertilitatem facere.

OCHVS REX.

OCHVM autẽ Persarum regem ἱερογλυφικῶς, per asini simulacrum in primis Ægyptij notauêre, quicum maxima intercedebant odia, vt fieri solet inter eos qui de imperio, deq; libertate dimicant. Hic est Ochus ille auaritia in primis famosus, adeò vt vrbem eandem intrare nunquam voluerit, ne aureos, qui singuli singulis mulieribus ex lege Cyri debebantur, erogaret. Vnum miror

Cyrus & Ochus.

apud Tertullianum Cyrum eundem & Ochum dici, hunc inquam Ægyptij sceleratum pollutúmque asinum cognomento vocitabant, in quos ille, vt Dion scripsit, hæc est retorquere solitus, *Asinus profectò vestrum deuouebit Bouem, Apinq́, ita postmodùm mactauit, Asiniq́, eos imaginem auream compulit adorare, quo nihil illi quàm ignominiosius accepêre.* Falsum verò illud est, & ab omni veritate alienum quod Cornelius Tacitus tradit de asinino capite, quo de superiùs, à Iudæis loco numinis habito, in quo impudentissimè mentitur, & ea de causa Mendaciorum loquacissimus à Tertulliano appel- F latur, ac perinde vanus est in Iudęorũ origine repetẽda, dum eos modò Creta, modò Lybia oriundos scribit, modò Aethiopum prolem comminiscitur, & in omnibus quæ de Moyse loquitur, deliria mera ponit. Aegyptiorum autem exemplo, Clisthenes cùm infestissimo Sicyonios odio prosequeretur, eorum tribus in ridicula cognomenta commutauit, eas tum ὑάτας, tum ὀνεάτας, tum χοιρεάτας appellando, *Suarios* quippe, *Asinios, & Porcarios.*

LABOR INDEFESSVS ATQVE SERVILIS.

RECEPTVM & illud est, seruilem laborem per asinum clitella instratum significare, cuius rei causa magis vulgo nota est, quàm verbis explicari necesse sit, quippe quòd animal indefessi sit laboris, vniq; & perpetuæ onerum vectationi vexationibusq; aliis damnatum esse videatur. Porrò legas in Ecclesiastico: *Cibus, virga & onus Asino, vt panis & disciplina & opus seruo.* Asini etiam cutis post obitum, ne quid eius vnquam requiescat, foraminibus dilacerata, assiduę cribrorum inseruiat agitationi. Quod porrò laboris significatum etiam ad somnia progreditur: si quis enim, vt alibi diximus, asini se aures habere imaginatus fuerit per quietem, ingruere homini seruitutẽ & ærumnas, coniectores autumant. Ita etiamsi quis asininum se caput habere somniauerit. Sed quod

Ptolemæi iocus.

ad hanc sententiã facit, nequeo illud dissimulare, quod iocosè actũ est à Ptolemæo, qui Heraclidis Lycij de laboris laudib. lucubrationẽ festiuiter illusit. Nam cùm is librum cui titulum fecerat πόνου ἐγκώμιον, Regi sibi obuiam facto, quidq; præ manibus haberet interrogãti, obtulisset, Rex accepto libro, ꝙ primum tituli elementum statim abrasit, atq; ita pro Laboris landatione, Asini commendationem legendum ostendit, quippe ὄνου ἐγκώμιον, labores scilicet illos, quos tot ille laudibus in cœlum

A cœlum extulerat, ad asinum potiùs quàm ad hominem spectare. Ita enim delicioſum ac molle potentiorum genus ingenuis etiam laboribus industriæq; generosæ, laudabilibusq; vigiliis illudunt, cùm fruges consumere nati, tantillum hoc etiam gloriæ, quod per genij fraudationem quærimus, iniquissimè inuident. Sed illud in Ptolemæi scomma facetè Lucianus Menippo, decretum recitat apud inferos ex Caluarij dicto, vt diuitum animæ quę rursus in vitam remittendæ essent, in asinos demigrarent, donec in tali rerum statu, ad multa annorum millia asini ex huiusmodi asinis renati onera ferrent, atque insuper à pauperibus agitarentur. Meministi autem, doctissime Curti, argumentum hoc sermoni nostro ansam præbuisse, cùm in medio conuiuio in magnorum quorundam hominum insolentiam acriter excandesceres, qui otio & lasciuia diffluentes, & omni nequitię genere contaminati, literatos viros omnes laborum causa asinos appellauerant: fuerint, aiebas, qui stupidos, qui profanos, qui ridiculos, qui animalia maximè omniũ bruta asinos existimarint: longè diuersum illud est, quòd apud Hebræos, præcipuè Cabalisticos, asinus est sapientiæ symbolum, *In Sapiẽte quæ requirantur.*

B cuius quippe ideam constituunt SAPHIROTH, eam afferentes rationem, quòd eum qui sapientiæ sit operam daturus, victu admodùm tenui, & eo plurimùm plebeio contentum esse oporteat, cuiusmodi parsimonia præditum esse asinum ignorat nemo: adhæc, penuriam, laborem, plagas, & famem patientissimè tolerare, neq; ad vllam excandescere contumeliam, vndecumque illata fuerit, animo esse paruum, inopem atque simplicem, vt qui nullum inter carduos & lactucam discrimen habeat, corde sit minimè vafro, minimè cupiditatibus contaminato, bile ita careat, vt cum omni animantium genere pacem sibi perpetuam constituerit, nec vllum sit onus quod detrectet, quod non obsequiosè suscipiat, & si sit opus, pro Boue terram proscindat, plaustrum trahat, præcipuè verò machinæ maximè omnium necessariæ pistrino æternũ seruiat, ligna, poma, olera, frugum genus omne comportet, sit denique totius humanæ commoditatis assiduus & infatigabilis minister, vt etiam, quod aiunt, mysteria portare compellatur. Meritò itaque Ammonius Alexandrinus magno Origene & Porphyrio discipulis clarus, asinũ his condiscipulum fertur adhibuisse. Neque verecundatus Cleanthes appellatione huiusmodi confidentissimè respondit, *Asinus quidem sum, sed qui portare possum sarcinam Zenonis.* Valebit igitur Aristot. qui opere de Moribus non quemcumque fortè esse existimat, qui quamcumq; toleret vel ignominiam vel calamitatem vel incommodum, virtutemq; vllam negat in patientia sitam esse, homo mollis, & delicatus, qui tamen liquidò perspiciebat, si fortitudo partem haberet in patientia, futurum dubio procul vt asinus animalium fortissimus haberetur. Hæc atq; alia multa in asini commendationem declamasti, Atque ego acerbiorem tuam iram illam hoc sermone commitigaueram, qui labores quidem agnosceremus, omnem verò ignauiam ad eos haud grauatè relegaremus, qui cautũ lege veteri sciremus, vtilitatis quæ ex frugi adeò animali percipitur ratione habita, vt honore cum hominibus pari dignaretur. Nam cùm primogenita sacrificari præceptum sit, homo tantùm atq; asinus excepti, vt ille scilicet certo pretio redimatur, hoc Oue, animali Iumentorum omnium pretiosissimo innocentissimóque cõmutari possit. Sed ne vllũ officiosissimę seruitutis genus huic brutorũ generi desit, nostris etiam morbis nos leuare, ac eos ad se recipere perferreq; natura ipsius vi quadam occulta, minimè dereclarunt. Nam vt Apul. lib. de re Rustica ait, si quis à Scorpione ictus super asinum assedetit ad eandem conuersus, transibit in asinum dolor, & is pro percusso torquebitur. Addit & Democritus fa- *Fabula De mocriti.*

bellam suam, qui ait, percussum à Scorpio si statim ad asinum quempiam accedens in aurem eius

C dixerit, *Scorpius me percusit*, non doliturum ampliùs, dolore scilicet in asinum transeunte, qui mox pedendo emoritur, vt Zoroastes addit. Facetiores quidam, morbos suos phratoribus, quos itinere casu obuiam habuerint, commendare solent, siq; illi addixerint, transire ad eos incommodum, donatorem liberari. Sed præstat id potiùs, quamuis κῦ πέρροθεν referre, quòd hic morborum transitus in rebus etiã inanimis inuenitur. Nam apud Quintilios præceptis de re rustica legimus, si lactans adhuc infans febre vexetur, cucumeres paris longitudinis duos dormienti, hinc vnum, inde alterum admouendos, vt cutem contingant, feruorem omnem in cucumeres transire, infantem incolumem fieri. Sed iam tempus est vt Asinorum succussatione delassati, in Mulum inscendamus.

DE MVLO.

QVONIAM verò progenerat Asinus Mulum, par est vt Mulum Asino subiiciamus, mox à laborum societate Camelum Mulo subiungamus.

NOTHVS.

AB eo verò incipiam significato quod vulgò magis protritum est. Spurium enim hominem cognomento Muli nemo non appellat, atque olim ea de causa Mulos Lunæ vehiculo adhibuerunt, quia veluti Mulus non suo genere, sed alieno creatur, sic ea Solis, non sua fulgore lucet. quod *Lunæ vehiculo cur Muli adhibiti.*

& Catullus noster agnoscit, vbi, *Sine notho es lumine Luna*, dicit. Nam quod alij factum hoc ob sterilitatis similitudinem dicunt, quòd scilicet Luna perinde sterilis sit atque Mulus, dicere non ausim qui acceperim à Cabalisticis, Planetarũ, stellarum, atque adeò cœli totius vires, rerum omnium formas in vnum lunare corpus, tanquam in matricem infundere, eámque postmodùm parturientium in morem vi sua species nouatúsque omnes conformare, factásque & adultas omnium oculis

ostentare. Quòd si res ita se habeat, ea sitne sterilis appellanda, viderint alij. Nothum verò, qui sine D patre sit, hominem nũcupare, non tam seculi nostri mos est, quàm remotioris etiam ætatis, ob adulterinum, qui nulli nõ innotuit, conceptum. Cyrus tamen legitimo quamuis matrimonio genera-tus, Mulus est dictus, propterea quòd generosiore matre natus esset, Astyagis quippe Regis filia, cùm pater Medorum imperio subiectus esset, de quo versus feruntur huiusmodi ab oracu-lo editi, quibus fuga Lydis indicitur simulac Mulus Medorum inuaserit regnum:

ἀλλ' ὅταν ἡμίονον βασιλεὺς μηδοῖσι γένηται,
τότε λυδὲ παλαιὲ πολυψηφίδα πὰρ ἑλώνην
φεύγειν μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Quamuis alij per Mulum bellicas tempestates intelligunt, propterea quòd plurimus sit belli tempore Mulorum vsus. Ferunt verò Medum Asinum primum Equæ vim intulisse, caq; inde grauida facta, mortales id seminij parare didicisse.

ALIENVS AB AMORE.

SVNT præterea qui hominem alienũ ab amore, Mulę simulacro notari velint, propterea quòd ea sit tantę cõtra amorem efficaciæ, vt puluerẽ in quo se Mula volutauerit, corpori insper-sum, mitigare amoris ardorẽ tradant Magi. Sed quanti bone Deus est ἡ συμπάθεια ἢ ἀντιπάθεια ἢ φύσεως, concordia scilicet repugnantiaq; rerum, in hoc quoq; animalium genere superstitiosa Magorum sedulitate deprehensa. Nã quę ipsa adeò sterilia sunt, diuersissimi tamen generis fœcunditati con-ferunt: siquidem seras aiunt ex cauda Mulæ, si iunctis euellantur, inter se colligatas in coitu, mu-lieres cogere vt etiã inuitæ concipiant.

STERILITAS.

SED præcipuum apud Ægyptios est Mulę significatum, sterilitatem indicare, cuius partum pro- E digiosum esse ad expiationem vsque, veteres credidêre. Eas verò ad progenerandum ineptas ob id authores tradunt, quòd animalia quæcumque tertij sunt generis, diuersis quippe generibus prognata, nõ gignant. Quas verò Theophrastus in Cappadocia & Syria vulgò párere existimauit, Aristot. diuersum ponit genus, quos Hinnos appellant, fert hos præcipuè terra Syria supra Phæ-nicem, qui similitudine quadam nomen Mularum acceperunt, cùm genus omninò diuersum sit.

Mulia ac Mulæ cur steriles.

Coëũt hæc animalia, & mutua inter se ratione progenerant. Alcmæon in Mularum genere mares ideò steriles esse dicit, quòd tenuem admodùm genituram habeant, ac perinde frigidiusculam, fœminas verò propter locos minimè adapertiles, quod & Horus noster & Empedocles tradidêre: breues enim illi sunt, humilesque & restricti, Veneríque auersè coaliti, vt neque genitura recta in illos labi, neque si illabatur percipi possit, id quod in dissectionibus Diocles optimè se obseruasse confirmat. Eandem porrò sterilitatem per Mulũ exprimunt & Diuinæ literæ. Nam Psalmo xxxi. Mulo fieri similes prohibemur, propterea quòd animal id intellectu careat, perinde ac Equus etiam. Hoc insuper sterile est animal, quippe nulla virtutis semina concipit, nec fructum vllum producit, atque hoc partim malè affectæ naturæ causa, qua præditum est, partim propter inertiam qua fit ad aliquid agiliter agendum ignauissimum. Non prætermittam loco hoc, Eleum agrum ita Equorum generositati consecratum esse, vt Mulorum genus non ferat, intra regionem etiamsi ad-mittatur Asinus & rem peragat, Equam non concipere, quod plurimum admiratur Pausanias. Vtcumq; verò hæc habeant, nemo ignorat sterilitatem, quæ Mularum propria est, fuisse causam cur partus huiusmodi in annalibus aliquãdo obseruati, habiti sint ostenti loco, bonũ verò an ma-

Ex Mularũ partu euentus varij.

lum ostenderent, in ambiguo esse facit euentorum varietas. Siquidem C. Valerio, & M. Herennio Coss. cùm Mula in Apulcia peperisset, totum annum domi foriscq; tranquillum fuisse cõperimus, F siniſtra tamen quædam obnunciata. Sed quòd omnium perniciosissimum Rom. Reipub. fuit, inter Cæsarem & Pompeium exorta bella Mulæ partu edito, L. Paulo, L. Marcello Coss. multi prodide-runt. Cumq; alia Romæ ad 12. portas peperisset M. Lepido, Munatio Planco Coss. subsequutę sunt nonnullæ sociorum direptiones, dum bella per Brutum & Cassium in prouinciis gererentur. At nihil quicquam tale euenit L. Scipione, C. Lælio Coss. cùm identidem Mula Reate peperisset.

MATRONARVM IMPVDICITIA.

INVENIO & apud quosdam matronarum notam in partubus ex Mulę parientis prodigio signi-ficari, quod earum pilenta Mulis iunctis trahi solita sint, vt numis aliquot spectare licet.

INEXPECTATI EVENTVS.

ALIIS magna rerũ molimina Mularum partus ostendêre, in iis præsertim rebus, quæ præter spem & expectationem omniũ accidêre, vt Dario Babylonem elusa totiẽs opera oppugnanti, quã tunc demùm cepit, vt vulgatissima est historia, cùm ex peruulgato per hostes ipsos omine, Mula Zopyri, cuius cõsilio, opera, ingenio & fide vsus est in eo negotio peragendo, fœtũ edidisset. Simile & illud fuit, quod Galbam ad res nouas animosiùs tentãdas confirmauit, apud quem Mula pepererat. Nam Zopyrus inde animũ sumpserat, quòd Babylonios conuiciabundos è propugna-culis audierat inclamare, *Darium non antè vrbe potiturum quàm Mula peperisset*, euentúmque rei apud se compererat. Galba aui sui omen exceperat, qui Aruspicibus rerum summam puero promitten-tibus responderat, cùm Mula peperit. Habet enim Mula regium nescio quid etiam in Diuinis literis, vt Reg. 3. Dauid, *Ponite filium meum Salomonem in Mulam meam*, dicens meam, ostendit, quòd

& ipse

A & ipse in Mulam sedebat. Nobis verò (mi Petre) quid sperandum, quídve timẽdum est, qui Mulæ fœtum domi nuper inspeximus? Anno enim hoc salutis nostræ duodeuigesimo supra millesimum & quingentesimum, Leonis X. sexto, quarto Non. Aprilis, qui dies de Assertoris nostri nece pu-blico luctu nefastus fuit, apud amplissimum dominum meum Iulium Card. Medicen, hora lucis tertia, Mulæ, vti nosti, partus editus. Quòd si quis, vt Galbæ, portendi huic aliquando summã re-rum amplitudinem dixerit, vt eueniat non erit hoc præter expectationem & spem hominum, qui vulgò illi talia ominantur, qui de hominis prudẽtia, de morum integritate, rerumq; peritia omnia sibi pollicentur. Id vnum precibus à Deo deposcendum, ne, quod factũ est Pauli & Marcelli con-sulatu, Iulij Pompeiiq; discordiæ, in magnam vrbis perniciem suscitentur, ne, quod Lepidi, Plan-ciq; consulatu accidit, intestina bella miserabiles sociorum direptiones inuehant, ne præter expe-ctatum, magnum aliquod & inexcogitabile malum oboriatur, maximarumq; in Italia vrbium ca-pturas, populationes, incendia, vastitatem inducat, cùm præsertim tam dira ea sint, quæ sidera, quæ fatidici vates, vetusta etiam de nostris temporibus oracula, nocturnæ diurnæq; sæpiùs exau-ditæ voces, breui futura minitantur, quibus consentire videtur præsaga mali tacita quædam in mortalium omnium cordibus trepidatio. Sedenim nos interim Deo freti, quicquid euenturum est forti animo tolerandum nobis proponamus, incœptúmque laborum ingenuorum iter, dum licet, alacriter peragamus. Sed illud non omiserim, Mulas non sui generis tantùm animalia pare-re aliquando visas, verùm etiam Equos, vt anno circiter M. D. LXII. in Arenate Brutiorum agro Mula Equum peperit pilo flauo, crinibus rutilis, oculis rufis, quem pòst Loisius Arenas apud Bru-tios longè princeps, ad Ferdinandum Neapolitanorum regem misit.

Ex Mula Equus.

VOLVPTARIA VENVS.

B STERILITATIS demùm, quam superiùs posuimus, ergò, qui lasciuum hominem, Venere quippe non ad prolem, sed ad voluptatem tantùm atque spurcitiem vtentem significassent, vel Mulum qui Equam saliret, vel Mulam surrecta cauda prurientem pingere consueuerunt. Huic enim generi, quamuis ad progenerandum inepto, genitalia tamen ad voluptatem natura conces-sit. Quod illis dictum velim, qui animalia rationis expertia, nullo neque voluptatis, neq; irascen-tiæ, neque cupiditatis sensu affici contendũt, mouerique ad huiusmodi incitationes naturæ quo-dam impulsu, vt vel se sospitent, vel species propagentur. Neque quidem dicendum asserũt, Leo-nem audentem animosumq; esse, neque quidem Ceruum pauidum, sed quodammodo pauidum, vllúmque quodammodo animosum, perinde ac si dicerent, animalia hæc neque cernere, neque audire, sed quodammodo cernere, audireq; quodammodo, neque vociferari, sed quodammodo vociferari, atque vt semel dicam, ea non omninò viuere, sed quodammodo viuere.

MVTVA OFFICIA.

EO verò modo quo prouerbiis argumentum datum, hieroglyphica sæpius excogitata, & hu-iusmodi picturationum species adinuentæ, vt, si quis Mulos duos mutuò se scabentes pinxe-rit, mutuam operam significari coniiciamus, ex eo quòd huiusmodi vtimur adagio, idipsum in- *Adagium.* nuentes, cùm scilicet dicimus, *Mutuò Muli scabunt*. Quamuis sunt qui prouerbium hoc non nisi ad improbos & imperitos sese inuicem efferentes spectare putent. Scripsit verò M. Varro librum eo titulo, cuius testimonium citat Nonius. Rectè verò accommodari poterit pictura hæc ad id quod Horatius ridet Epistolis:

Frater erat Romæ Consulti Rhetor vt alter
C *Alterius sermone meros audiret honores.*
Gracchus vt hic illi foret, hic vt Mutius illi.

Et de Poëtis paulò pòst:

Discedo Alceus puncto illius, ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus deposcere visus,
Fit Mimnermus, & optuo cognomine crescit.

DE CAMELO.

IPSA quidem munerum laborúmque, vti dicebamus, societas, quæ Camelo cum Asi-nis & Mulis coniuncta est, exigere videtur, vt ad eundem gregem reuocentur. Quo-niam verò cùm Porci significata recensueremus, incidimus in Camelum, quem profa-num perinde ac Suem deprehenderamus, inde videtur exordiendum, vt qua de causa veteres id existimarint, explicemus. Porcum enim ideò profanum ostenderamus, quia non rumi-naret, vngula tamen esset bifida, alterum hoc longè diuersum animal, profanum & ipsum tamen, propterea quòd vngula sit solida, tametsi ruminat.

IMPERITVS DISCEPTATOR.

VNDE fit vt per Camelum mystico sensu illi notentur, qui distinguendi seligendiq; ratione *Cameli my-stica significatio.* minimè præditi sunt, qui scilicet sacra profanis, humana diuinis nullo discrimine cõmiscẽt, ruminantes vtique veluti & Cameli faciunt, argumentorum scilicet formas aliquot concipiẽtes,



D

sententiã modò hanc, modò illã animo agitantes. Sedenim solipedes qui sunt, hoc est, imperiti, neque rerum neque verborum discrimina discernentes, ita omnia confundunt, vt curuum à directo nequeant internoscere. Quocirca non immeritò apud Christianæ pietatis proceres lege admodùm seuera cautum est, ne quis literarum imperitus, acutissimo quamuis ingenio polleat, de diuinis quicquam disserere confidentiùs audeat. Neque porrò ad Theologicam speculationem dabatur accessus, nisi de disceptatoriis & naturalibus disciplinis exactissima fuisset quæstio prætentata. Verùm omnia iamiam

In peius ruere, ac retrò sublapsa referri:

vsque adeò quæ friuola sunt, nulliúsque momenti, studiosiùs consectamur, quæ verò pondus habent, quæ locupletem veræ disciplinæ redundantiam ex toto, vt aiunt, calatho elargiri possunt, vix attingimus. Iurè igitur eos reprehendit Assertor noster, qui culicem liquant, Camelum verò tanquam potabilem deglutiunt: Culicem enim liquant, hoc est, minutissimè mandunt illi, qui minima tantùm in lege peruestigant, quibus studiosiùs insistant, vbi omnes ingenij vires intendant, Camelum verò hoc est, peruersorum actuum tortuositatem, aut quæ alioqui magni sunt momenti, deglutiunt, hoc est, paruipendunt, nullo quippe manſu, rumination̄eve deuorant, quasi nihil ad rem pertineat, sacra habere ludibrio, & sceleratissimis quibusque facinoribus inquinari. Cæterùm cùm plurima sint super Camelo adnotatu digna, miror Ægyptios tam parcè eius vsos hieroglyphico, cùm præsertim animal esset illis admodùm familiare. Sedenim illi dubio procul, vt etiam in Equo fecerunt, à sacris alienum animal sedulò auersabantur. E

CRVRA FEMORAQVE CONCIDVA.

Camelus vnde.

NAm vix illud ab eis proditum constat, vt hominem, cui inter gradiendum femora incuruari viderentur, eaq; de causa segniùs ingrederetur, per Cameli simulacrum exprimerent, propterea quòd, vt ipsi asserunt, solus ex animalibus femora etiã incuruet, vnde illi Cameli cognomentum, aspera in lenem litera cõmutata, quasi Camerus anteà diceretur κάμπτω τὸ κάμπτω, quod incuruo significat, & τὸ μηρὸν, femur. Camelus enim, vt præter Ægyptios author est Herodotus, quatuor in posterioribus cruribus femora gerit, & genua totidem, id quod omninò negat Aristoteles, genua singula in singulis cruribus esse contendens, totidemq; artuum flexus, vt verò plures esse videantur, euenire propter alui interuallum, latamq; femorum diuaricationem. Vtcunque verò Philosophi de re disputent, Ægyptij per huiusmodi picturam, hominem qui sub pondere deficere quodammodò videretur, gressúq; admodùm vacillanti progrederetur, innuebãt. Huiusmodi mihi fuisse videtur Claudius Cæsar, quem ingrediẽtem destituebant poplites minùs firmi.

FORTIS.

Mathematica obseruatio.

EST tamen in Camelo minus dorsi vigor, & onerum gerendorum robur indefessum, vt fame etiam ac siti pertinacissimè tolerata, in plures sub onere perseueret dies. Vnde Mathematici figuram eius XVII. Leonis, Libræ XVI. Scorpionis XX. gradibus intulerint, fortem & validum virum eum pollicentes, qui vno horum gradu supra Finitorem emergente, natus esset.

OPVLENTVS.

Matthæi locus explicatur.

QVoniam verò sunt qui Assertoris nostri sententiam in opulentos dictam, *facilius*, scilicet *Camelum per acus foramen intrare, quàm diuitem in Regnum Dei*, ita accipiant, vt non de Camelo animali sit intelligendum, sed de grandiori quodam restium genere, sciendum ex Origenis sententia, de animali potiùs accipiendum, eáque de causa diuitem Camelo comparatum, quòd Camelus omnium animantium, si formam spectes, tortuosissimum sit, vt (veluti superiùs dictum) ea de causa plura femora, pluraq; genua habere videatur, ita plura diuitum negotia, pluréſque atq; varię sunt auocationes, cupiditatésque, quibus implicari eos, distrahi, rapiq; necesse est. Angustius verò acus foramen, arctiorem arguit viam, quæ ducit ad vitã, vt idem ait Adamantius. Denique Camelus ruminat quidem, sed solida est vngula, veluti plerique diuitũ cogitant quidẽ agnoscuntq; quid agẽdum, sed propter peccandi facilitatẽ occasionemq; sæpius oblatã, cùm cruribus sint infirmioribus, iisq; perplexis, longè procliuiùs in libidines & reliqua vitia dilabuntur. Nam, vt prima ad Timoth. epist. Paulus ait, *Radix est omnium malorum cupiditas, rarog; diuitiæ nisi cum iniustitia congeruntur*: tali, inquit Eucherius, administratione res ista capitur, tali custode seruatur, adeò quædã societas est penè etiã nominis duabus his rebus, vitiis & diuitiis, vnde olim nos ita lusimus:

De vitiis quòd diuitiæ cumulentur apertum est,
Nomen idem vitiis diuitiisq; datum.

Operæpretium verò mihi videtur hoc loco, quod superiùs dissimulauimus, interpretationem Eucherij piam admodùm subtexere dicti illius, *Liquantes culicem, Camelum autem deglutientes: Culex*, inquit ille, *susurrando vulnerat, Camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat.* Liquauerunt ergo Iudæi culicem, cùm vnà omnium succlamatione seditiosum latronem dimitti petierunt: Camelum autem glutierunt, cùm eum qui ad suscipiendanostræ mortalitatis onera spontè descenderat, vt extingueretur clamando peruicerunt.

ZELO

A

ZELOTYPIA.

SVNT qui per Camelum zelotypiam significent, propterea quòd animalia reliqua tẽpore quo rei Venereæ cupidine, vel rabie potiùs incitata gestiunt, in suum tantùm genus ferociunt ac sæuiunt, Camelus autem in hominem etiam, atque in vnumquodque aliud animal efferascit, & vsque adeò sibi timet ab omnibus, vt solitudines petat, & id temporis ab omnium consortio disseparatus, solam fœminam assectetur.

REVERENTIA IN MATRES.

Cameli reuerentia in matrẽ quælis.

ILLVD etiam tam ad eruditionem, quàm ad bonos mores plurimùm facit, quòd nonnulli per Camelum reuerentiam in matres significari tradunt: is enim nunquam matrẽ superuenit suam, quinetiam si quis cogat, ipse non patitur. Iam cùm aliquando admissarius non haberetur, curator pullum matri opertæ admisit, qui dum coiret delapso operimento agnouit matrem, & quamuis coitum absoluerit, memor tamen commissi sceleris, paulò pòst vbi data est occasio, Camelarium morsu defixo interemit, quæ quidem pientissima modestia, cùm sit Camelis admodùm familiaris, inde factum facilè crediderim, quòd olim nupturæ Camelis virginibus supplicabant. Quæ verò de Cameli erga matrem reuerẽtia diximus, ex Aristotele sumpta sunt, quæ Auicennæ etiam assensu confirmantur. Simile quoddam aduersus matrem accidit Equo cuidam regis Scytharum, qui vt facinus expiaret, semetipsum præcipitem ex editissimo loco dedit, atque ita animam efflauit. Cæterùm non ita faciunt Equi omnes. Quin Aristoteles tunc perfectum esse armentum dicit, cùm parentes suam ineunt prolem, quod par crimen est cum eo, qui matrem tẽtat, ad quod Ouidiana Myrrha respexisse videtur, cùm dixit,

B -----*Fit Equo sua filia coniux.*

TRACTABILITAS.

Cameli & Equi antipathia.

EST & illud inter hieroglyphica reponendum, quòd per Camelum à puerulo rectum, mansuetudinem maximè tractabilem aptè significarunt. Siquidem mansueti adeò sunt Cameli, atque bilis tam expertes, vt vasta illa moles minimi cuiusque pueruli arbitrio gubernetur. Contrà verò Equus, cùm generoso sit animo ac præferoci, magna aduersus Camelum afficitur antipathia, neq; aspectum odorémve eius ferre potest. Notum est, quod superiùs attigimus, quid egerit Cyrus aduersus validum Lydorum equitatum, cui suas copias impares suspicabatur: ingentem enim is Camelorum gregem ante pedites in acie prima statuit, factóque Lydorum equitum impetu, simulac Equi Camelorum odorem hausêre: subitò consternati, non solũ insidẽtes præcipitauerunt, sed peditum quoque ordines protriuerunt, atque ita pars illa, cui Crœsus plurimùm fidebat, eluſa.

CIBI POTVSQVE ABSTINENTIA.

LONGA autem ieiunia, & diuturnæ sitis tolerantiam per idem animal significari, ex eo manifestum est, quòd nullum animal tanta insigne magnitudine, tam exigua cibi paucitate nutritur, neque dies plures sitim tolerat, cùm satis constet in duodecimum vsque diem Camelos sine potu perdurare, vnde à Poëtis *Esitientes* appellãtur. Habes iam Petre Curti, Asini, Muli, atque Cameli laboriosorum animaliũ significata, quantum memoria complecti potui, reliqua tu, si argumentum placuerit, & doctrina & iudicio tuo supplere poteris. C

PIERIVS VALERIANVS AD IOAN. ANTONIVM EGREGIVM NEPOTEM, DE IIS QVÆ PER LEPOREM, Vulpem, & alia minoris generis quædam animalia significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XIII.

IVCVNDISSIMVS *frater tuus Vendrandus, quem præter cognationem, ob summum ingenium & bonarum literarum studium vnicè diligo, proximis hisce diebus, vt nosti, Roma in patriam se contulerat, pauciſsimosq; dies hîc moratus, de digressu cæpit illicò cogitare, conatus sum iuuenẽ dies aliquot detinere, ille tamen cùm omninò Venetias sibi quamprimùm redeundum repeteret, non hîc temporis conditione, non loci amœnitate, & tranquilla anni temperie remoraturus, vt in officio esset Illustrissimo Cardinali Mediceo Mecœnati nostro, qui eum satis ægrè dimisisset, eius fidissimo, & æquè gratissimo seruitio tantisper cariturus,*

cariturus, exolui properantem, ac ne eum vlteriùs morari pergerem, suasi etiam vt magis properaret, qui patroni D *ingenium à teneris nouerim, quem aluerim, quem formauerim, quem, si licet, ornauerim, mox coluerim, & colam semper vita hos dum reget artus, ob summam animi præstantiam, & optimam vtriusque linguæ cognitionem, bonarúmque artium & disciplinarum omnium studium, vt verè oculus summi Antistitum ordinis censeatur, tum ob singularia & assidua propensiore animo in me meósque officia, & amplissimam eius munificentiæ largitionem, quibus iugiter suos fouet, amplexatur. Quoniam verò paucis abhinc diebus caueam nonnullarum auium, tum cicurum, tum syluestrium & externarum, Nicolao Cordato Iurisconsulto nostro dono dederam, æquum visum fuit per fratrem, qui te ex itinere conuenturus fuerat, aliquid & ad te mittere, opportuneq; Lepusculum alueram, educaueramq; ablactatum à paruulo, neque non Vulpeculam, & ipsam cicurem, nec nostri generis Felem, sed Aegyptiacam, diuersumq; à nostris Murem, eum autem ob nouitatem Ponticis fortè ipsis minimè posthabendū, sibrum etiam ex Pannonia, Mustelamq; & Talpam ex Italia, quos in vnam omnes inclusos caueam ad te perferendos eidem Vendrando commendaui. Quæ dona si quam tibi voluptatem attulerint, gaudebo, sin verò tu tam seuerus es, vt nullis neque nugis, neque deliciis moueare, de constantia & supercilio tuo tibi gratulatus, lætabor tamen identidem meæ erga te beneuolentiæ signum, qualecunque sit, pro loco & tempore aliquod exhibuisse.*

DE LEPORE.

PRÆCIPVA sunt Leporis significata, vigilantia, auditus, effœminatio, pauor, venustas, fœcunditas, solitudo, conatúsque summus, quorum causæ, quantum per otium licebit, E nostra hac commentatione commemorabuntur.

VIGILANTIA.



AEGYPTII sanè sacerdotes per Leporis hieroglyphicum vigilantiam in primis intelligebant. Causam ponit Horus, quòd Lepus oculos inter dormiendum patefactos ostentet, vnde etiam in adagium cesserit, *Leporinus somnus*, quotiens vigilantiam eius qui dormitare videatur, intelligendam proponimus, cùm tamen perspicacissimis oculis omnia quæ vsu veniant, in agendis rebus perlustrare non cesset. Xenophon ad hæc scribit, Leporem palpebris clausis vigilare, adapertis dormire, vt non temerè forsitan nonnulli Leporem ὑπὸ βλέφαρον, quod aspicere est, dictum existimarint.

AVDITVS.

PLVTARCHVS verò totius antiquitatis indagator curiosissimus, disciplinarúmque omnium quantumuis abditarum explorator accuratissimus, à quo longè plura quàm ab alio quopiam ad materiam hanc facientia decerpi possunt, ex Leporino simulacro auditum hieroglyphicῶς intelligi apud Ægyptios affirmat. Lepus enim aures proportione reliqui corporis maximas omniū animalium habet, auritiq; ideò ob excellentiam vocantur à Poëtis. Quin & ipsa locutio λαγὼς, vt nonnulli ex Græcis interpretantur, ab aurium magnitudine conformata est: siquidem ἓς ὠτὸς, vt scis, auris apud Dores, quæ tamen locutio iam apud omnes recepta est, & λα particula ampliationis est, augétque significatum, vt *Perauritus* Latinè sonet.

Lepores auriti.

EFFOEMINATIO.

EST præterea Lepus eneruatæ cuiusdam effœminationis signum, huiusmodi hieroglyphico F iam passim inuulgato, idq; tum propter pilorum mollitiem, quam Heliogabalus in lasciuioribus deliciis vnà cum Perdicum plumulis subalaribus habuit, quámque lepidissimus adnotat Catullus in fœdæ mollitudinis scorto, tum etiam propter pulpamenti vim, de quo Liuij Andronici dicterium peruulgatum, quod Terentius, vt Flauius Vopiscus atteſtatur, ab eo mutuatus est, *Tute lepus es, & pulpamentum quæris*, à Græcis verò Liuius acceperat, ita dicentibus, δαιτυμὼν κρεῶν ὀπθυμεῖ. Addunt ad causas eximiam etiam timiditatem, qua maximè laborant, quod aut mollium hominum, aut muliercularum proprium est. Lepus itaque in Diuinis literis impurus est, qui quidem licèt ruminet, vngulam tamen bisidam non habet, sed pedes diuaricationibus pluribus, iisdemq; admodùm infirmis disitos. Quoniam verò delicatæ admodùm est imbecillitatis, Iudaicum significat populum, ait Hesychius, de quo Salomon, *Lepusculus plebs inualida, posuit in petra cubile sibi.* Timidus etiam est Lepus, qui cubile habet in corde formidolosi Iudæi, quod ita notat vox Diuina, *Ve cordibus trepidis, & manibus remissis.* Lasciuia in Lepore plùs quàm delicata, quem gentes, vt suo loco dictum, Veneri dedicarunt. Eadem in Iudæis improbitas, Esaiæ testimonio, dicentis: *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij?* Sed de lasciuia gentis huius atq; procacitate, multa passim testimonia suis loco & tempore dicentur.

Liuij Andronici dictum.

Prou. 30.

TREPIDATIO.

QVOD verò formidinis & trepidi pauoris hieroglyphicū Lepus habeatur, facit id supremè timidum eius ingeniū, cui pauor supra vnūquodq; aliud animal peculiaris, à quo, vti Pollux ait, etiā φῶξ appellatur: φώσσειν enim formidare est. Vnde Demosthenes in Æschinē inuectus, ait,

A ait, λαγῳ βίον ἔζης ἀεθλιως ἐ τρέμων, ἐ αἰεὶ φοβηθεὶς προσδοκῶν, *Lepori similem vitam, pauitans & tremens, impendentia semper flagra prospectans.* Hinc Cornificij Poëtæ dictum memoratur ciuili bello, qui milites suos sæpe fugientes, Galeatos lepores in opprobrium appellitabat. Apud Hebræos Saphan occultationem, vt ita dicam, significat, & locutio ea per ω scripta Lepusculum significat, quòd insitam huic animali pauitationem, si dicere concedatur, notet, qui scilicet in cubilibus libentissimè delitescat. Atque hinc factum vt Leporis occursum Augures ominosum, improsperum & inauspicatum dixerint, quod quidem non nostri tantùm temporis vulgus credit, sed veteribus etiam persuasum fuisse testatur senariolus,

Φασὶ ὁ λαγὼς δυσχεῖς ποιεῖ τρέβες.
Inauspicatum dat iter oblatus Lepus.

Leporis occursus ominosus.

Archidamus autem Zeuxidami Spartiata, quamuis alij Lysandrū ponunt, Corinthiorū vrbē aggressus cùm Leporem ex loco muris vicino excitatū animaduertisset, omine in hostes conuerso, futurū ait ad milites vt hostes facilè caperentur, eius quippe casu vsus ad incendendos eorū animos, & taxandā hostiū ignauiā, quòd vrbs ea minimè bellicosa videretur, quā tuti adeò Lepores inhabitarent. Pari propemodùm euentu Arnulpho rege, qui Berengario auxiliū tulerat, Romam oppugnante, excitus è latebris clamore tumultuq; militum, Lepus vrbē versus cursum arripuit, hunc milites toto temerè agmine cōcito insequi cùm cœpissent, cursuq; & clamoribus acriùs deterrerent, Romani, qui propugnaculis stabant, vrbē eo impetu peti veriti, cui se lōgè impares propter defendentiū inopiam arbitrabātur, pari cōsensu desertis mœnibus ad terrā se summisēre. Barbari occasione freti, sellis Equorum & veterinorū ad mœnia in cumulū aggestis, per eas nullo reluctante in mœnia euasēre, Leoninamq; vrbem (primaria nunc Romanæ vrbis est regio hæc) B nullo negotio ceperunt.

VENVSTAS.

Lepus Veneri sacer.

EST & venustatis symbolum Lepus, Veneriq; fœcunditatis ergò charissimus omniū existimatur, cui non sine religione sacer est, & inter eius delicias adnumeratur. Operæpretium verò est apud Philostratum in picturis videre Leporem hunc sub arbore malo inter Amores otiantem, quem decidentia terræ poma depascentem, multaq; semesa prætereuntem, modò hæc, modò illa commordentem, vbi illi deprehenderunt, ibi tum alius complosis manibus, clamore alius, alius chlamyde ventilata iactataq; perterrefaciunt, superuolitant alij feram vociferatione illam excitantes, & modò huc, modò illuc cursu percitam agitant, pedestres alij vestigia consectantur, alius tanquam aliquid iaculaturus impetum in eam facit, alióque auertit, àlius Lepusculi cruribus insidias molitur, ille vbi in vlnas iamiam apprehensus est, mollissima pilorum lubricitate fretus, minimo se negotio expedit, sublimiq; sublatus saltu capturam euadit. Risu itaque Amores diffluūt, collabentesq; præ lasciuia, & nimia cachinnorum agitatione, alius in latus, alius supinus, resupinus alius, per herbas passim strati prouoluuntur. Sagittam verò nemo vnus intorquet, sed viuum capere contendunt, gratissimam Veneri matri victimam oblaturi. Atque ita Lepus præcipuè Veneri debetur. Accedit huc & Valerij Martialis testimoniū, qui persuasum mortalibus ait, ex Leporinæ carnis esu formosiores venustioresq; fieri homines, salso & mordaci eius Epigrammatis ioco:

Leporine carnis esus efficax.

Si quando Leporem mittis mihi Gellia, mandas,
Formosus septem Marce diebus eris:
Si non derides, si verum Gellia mandas,
Edisti nunquam Gellia tu Leporem.

C Et quod super Alexandro Seuero dictitatum est, quem & formosum & humanum & cultum & venustum & affabilem ex assidua Lepusculorum esitatione factum asserebant. Vnde versus illi circunferebantur ex Epigrammate:

Venatus facit & Lepus comesus,
De quo continuum capit leporem.

Tum Plinius vbi ex Catonis sententia scribit Leporis assumpto cibo fieri somniosos, vel fieri, vti nonnulli legunt, Somnos, aut, quod magis placet, formosos: statim enim subiungit, tum vulgò etiam persuasum conciliari ex eo corpori gratiā. Sed quod ad somniosos pertinet, Medici dicunt Leporinā carnē melancholiam alere, & sensus spiritales obstupefacere, quia crassum generat sanguinē, vt libello de Victus ratione Psellus ait: nā caro ea subfrigida omninò est, & humoris plurimū habet, quæq; eiusmodi sunt escæ, somnos nimirū ciere cōperiūtur. Prætereo de industria quod impuri faciūt amatores, ope Leporis amorē sibi conciliantes, quod etiam libēter est à Philostrato dissimulatū, quando spurcissimum id genus hominū pernicioſum est, neq; dignū vt à quopiam redametur, cùm in amore conciliando candor syncerita sq; mentis, non magicæ violentiæ conquirendæ sint.

FOECVNDITAS.

NIMIRVM verò fœcunditatis hieroglyphicū est Lepus, animal vtpote rei Venereæ deditissimū. Nam fœmina dum interim quæ peperit lactat, identidē superfœtat, neq; vllum vnquam parturiendi facit interuallū. Mas verò præter id quod more marium progenerat, fœtum ipse quoque concipit & excludit, pariq; cum fœmina modo educat. De quo scribit Archelaus, benignam fuisse naturam, quæ innocua & esculentis tantùm nata animalia, fœcunda fecerit, quibus etiam

vtranque

vtramque vim tradiderit, ac masculo fœminas esse omnes, ac sine mare æquè gignere voluerit. D Aristoteles tamen hoc omninò pernegat, marémque in iis & fœminam separatim agnoscit, quia verò fœmina sæpenumerò marem superueniat, factum vt rerum ignari mutuo eos impleri coitu crediderint. Cæterùm Archelao Philostratus, Plutarchus, & plerique alij subscripsêre, qui cùm longo post Aristotelem tempore fuerint, neque quid ille tradidisset ignorauerint, haudquaquam credibile est eos rem, de qua tam perspecta esset apud omnes obseruatio, temerè ausos asseuerare. Nam Philostratus ferre quidem omnes in vtero partum ait, fœminas tamen non nisi ad conceptum idoneas agnoscit. Democritus huiusmodi sexus mutationem per varias vices fieri dubio procul affirmat, quod alij viderint.

SOLITVDINARIVS.

NON imperitè nonnulli hominem solitudinarium & reliquorum contubernia declinantem, per Leporem in cauum se proripientem descripsêre: nũquam enim duos pluréve in eodem cubili versari comperias, sed qui maximè vicini sunt, vnius vel circa iugeris interuallo secubant, cumq; se recipiunt cubitum, ne deprehendi possint, multum priùs hac & illac discurrunt, vestigiaq; variis ambagibus obturbant, postremò magno sublati saltu, in cauum quieturi prosiliunt, author Plutarchus. Sanè Salomon Parabolis, Lepusculum sapientibus sapientior dicit, qui cùm optimè suam intelligat imbecillitatem, ad cauernosas lapidum latebras confugiat, infirmitatemq; ita suam tueatur.

Leporis prudentia in se conseruando.

CONTENTIO LAVDIS.

PVLCHERRIMVM verò mihi commentum illud inter hieroglyphicas literas videtur, quo veteres Aegyptij contentionis illius studium, quam Aemulationem appellamus, ab Hesiodo maximo opere commendatam, cùm iurgiosam & inuidam illam alteram vtuperet, per exanimatum Leporem & Canem sese cohibentem effingebant, cuius picturæ causam Plutarchus idem pulcherrimè delineauit, Canes, dicens, qui lepores insequantur, si contigerit vt eos vi necent, discerpere, & sanguine sese proluere inquinaréque mirificè gaudent, quòd si animum Lepus desponderit, neque vllum iam effugio locum superesse viderit, quod plerunque accidit, quantumcunque spiritum habet in intentissimo consumat cursu, vt ita deficiat exanimetúrque, tunc compertum est Canes simulac ita exanimè conspexerint, omninò non attingere, sed consistere, sibíque temperare, motare caudas, argumẽtumq; manifestum omninò præbere, se non carnium, sed victoriæ tantùm gratiâ decertasse, atque hoc sæpissimè & passim euenire, vna venatorum omnium asseueratione confirmatur. Quod verò de Leporis cursu dicebamus, id in memoriam adducit quòd reprehenditur à Quintiliano M. Varro, qui dixerit se à præceptore audiuisse Leporem quasi leuipedem dici. Sedenim apud Varronem legas Leporem Græcum esse vocabulum, Siculósque quondam è Græcis λέπειν dicere, cùm tamen non neget facilè euenire potuisse, vt cùm à Roma Siculi sint orti, quod in veteribus annalibus habebatur, hinc vocabulum illuc tulerint, eodem apud nos relicto nomine. Quoniam verò controuersia nunc magna est, vtrum Dasypus & Lepus vnum idémque sit animal, an diuersa, loco Plutarchi superiùs citato manifestè scriptum, *Canes qui Dasypodas insequantur.* Mox de eodem animali: *Quòd si λαγὼς animum desponderit.* Vterque autem omninò hirtipes, id sibi vult δασύπους. Iam & antiquum dictum ostendimus, δασύπους κρεῶν, quem Liuius Andronicus Lepus vertit. Plinius tamen Dasypum distinguit à Lepore, vt eo loco: *Pili acutè exeunt Dasypodi in buccis intus, & in pedibus, quæ vtraque Trogus & in Lepore deprehendit.* Et alibi: *Coagulum inutile Leporis, Hœdi laudatum, præcipuum tamen Dasypodis.* Alibi: *Lepus omnium prædæ nascens, solus præter Dasypodem superfœtat.* Alibi: *Superfœtant & Dasypus & Lepus tantùm.* Alibi: *Dasypodes omni mense pariunt & superfœtant, veluti Lepores:* qui quidem loci, vt congruant, Delio indigent natatore, ita confusa omnia. Sedenim quæ Plinius de pilis loco primo posuit, mera sunt Aristotelis verba. Sunt autem ex peritis qui Dasypodem Plinio positum pro cuniculo arbitrantur, quem nusquam nominat Aristoteles. Sanè Varro tria ponit Leporum genera, vnum Italicum, primis pedibus humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulla, ventre albo, auribus longis. Secundum genus Gallicum, idq; plurimùm candidum, quales passim Alpes etiam Noricæ progignunt. Tertium quos Hispania producit, similes nostratibus ex parte quadam, hos cuniculos vocant. Si quis autem vnum atque idem animal esse contenderit ex Plutarcho aut aliis, idq; liquidò docuerit, gratiæ illi meritò debebuntur.

Aemulationis symbolum.

De Dasypo & Lepore Authorum opinio.

HISPANIA.

VLTIMVM autem genus hoc, omninò Hispaniæ est hieroglyphicum, vt cernere est in quibusdam Hadriani numis. Et Catullus ab hoc animalium genere Hispaniam insigniuit, vbi dixit in Epigrammatibus, *Cuniculosæ Celtiberiæ fili.* Leporem verò & currum Rheginorum fuisse monetam, apud Pollucem legas. Nam Anaxilas Rheginus cùm Olympia vicisset, Rheginorum numis & Leporem & currum impressit, de quo etiam Aristoteles libr. Rhetoricorum tertio. Aiunt verò Lepores in Sicilia olim non fuisse, importatos verò per hunc Anaxilam, hanc illi memoriam

A moriam comparasse: aduectionem enim ex curru significari, nisi quis victoriam malit.

TERIVNGI MILITES.

OBSERVES autem alicubi Lepores duos dimidios coloris lutei in punicea parma, cuius medium rubra occupat columella, supra quam pila lutea, facie insignis humana, coloris iden- *Militiæ veteris parma.*
tidem lutei sustinet. Gestamen id erat ordinis TERIVNGORVM sub magistro militum præsentiali merentium.

VALENTIANENSES.

IN eadem veteri militia lutea erat parma viridi circulo circumscripta, in cuius medio columella punicea ab imo margine ad centrum vsque porrigebatur, inde duę lunulę coloris eiusdem sese in aduersum incuruabant, inferiori parte columellæ applicitæ, superiore aliquantulum dissidentes, à medio verò columnæ Lepores duo dimidij, colore ipsi puniceo, sed densiore, in diuersa prosiliebant. Insigne hoc erat, vt vetusta indicant monumenta, VALENTIANENSIVM, à Valente Principe delectorum, qui sub illustri viro magistro militum per Thracas militabant.

DE VVLPE.

VVLPEM Lepori subiungere non incongruum videtur, quare eius quoque significata suscipiam explicanda, quamquam apud Ægyptios super ea nihil aut minimum quid traditum reperias. Tota verò Vulpes Græcorum & Latinorum est.

CALLIDITAS DOLOSA.

PER eam vtique vafrum, callidum, astutúmque hominem, ac dolis omnibus instructum significari tradunt, de qua Horatius:

B *Nunquam te fallant animi sub Vulpe latentes.*

Huic dolos à natura datos Lucretius attestatur. Et apud Varronem insignis adeò est animalis huius calliditas, vt Vulpinari inde verbum cõfictum fuerit, quòd ἀλωπεκίζειν dixêre Græci, cùm astutè doloseq; fieri aliquid, exprimere significantiùs voluerint, atque etiam pro decipere ἀλωπεκάω, hanc αἶνωνα Pindarus Olympiis Agesidamo nuncupat, idq; ἀλφηστύεσσιν, quippe promptitudinem, & sagacitatem morum significare ait Demetrius Triclinius eius interpres. Verba Pindari sunt, τὸ μὴ ἐμφυὲς ἐς τ' αἶνον ἀλώπηξ, ἐς τ' ἀμφίβροτοι λέοντες ἀλλάξαντο ἦθος. hoc est, *Neque callida Vulpes, neque latè rugientes Leones quem à natura acceperint morem immutarint.* Vulpem sanè Siculi ob versutiam facillimamq; in deludendis Canibus motationem, doliq; promptitudinem, Cinædum appellauêre. Deniq; hæc, vbi quid vafrè sciteq; dictum factúmve fuerit, in Æsopicis fabulis principatum obtinet, veluti Dauus in Comœdiis, atque apud Philostratum fabularum choream circa Æsopum lasciuientem ductat, & Vulpibus apud Claudianum, Rhadamanthi sententia, fallacium hominum animæ immittuntur. Assertor noster super Herode loquens: *Dicite*, ait, *huic Vulpi*, subdolam nimirum & vafram eius astutiam notans, de qua Plutarchus in Moralibus ait: *Pardum Vulpem olim contemnere solitum, quòd ipse tot colorum lepore pellem variegatam haberet, cui Vulpes respondit, in animo sibi esse eam colorum varietatem, quam ille haberet in tergore.* Ideò autem Vulpem senem laqueo capi non posse, dictitatum. Et vt semel dicam, vel à Prophetis, vt ait Adamantius, nec Vulpis nec Lupi nomen vnquam fuit ad bonum aliquod vsurpatum. Quod verò in Diuinis literis legitur, *Partes Vulpium erunt, tradentur*, indicat in manus dolosorum & fallacium versutorumq; hominum, diceret Euthymius, cuiusmodi feruntur esse Pharisæi, à quibus Saul vnà cum exercitu in insidias tractus, occidione occisus C est. Quamuis Adamantius dici de iis interpretatur, qui extremo iudicio dæmonibus malis addicentur. Sunt enim hi Vulpes illæ, quæ vineas Domini corrumpunt, vt apud Theocritum puerulo fœcundam vitem custodienti, Vulpes duæ insidiantur, quarum vna matureſcentes vuas populatur, altera panariũ properat exhaurire. Et quod ad Theocritianum hoc facit, Aristophanes Equitibus, milites Vulpibus assimilauit, quòd racemos esitent per agros, dissipatísque vitibus non exiguam, quaquà incubuerint, pauperiem faciant.

Vulpis astutia declaratur.

MALA COGITATIO.

ILLÆ verò (vt ad sacra redeamus) quę Canticorum Canticо Sponsi iussu capi iubentur, quia noua teneraq; vitium germina corrodunt, prauæ cogitationes sunt, & intelligentia peruersa, quæ à genio malo suggeritur. Nouellas porrò Vulpes occupari iubet, priùs scilicet quàm adolescant & altiùs insideant, fiantq; aduersus rectè viuendi rationem pugnaciores. Dum enim mala cogitatio in initiis est, de corde facilè potest exturbari: quæ si frequenter iteretur, diutiusq; insuescat permanere, quodam quasi vsucapionis iure, animam facillimè ad consensum adducit, confirmato autem intra eor consensu, procliuis inde est ad peccandum effectus. Hinc illa Nasonis admonitio:

Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat Equus.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit vuas,
Et validas segetes, quæ fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus vmbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.

Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis. Itaque
Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuêre moras.

MAGNVS CONATVS CVM DOLO.

Leonis & Vulpis antipathia.

SI quid autem omni conatu, omniq; arte dolóque factum, hieroglyphicè veteres ostendere voluissent, Leoninæ pelli Vulpinam assuebant, quarum altera vires, altera fraudes indicaret: id quod, vt inquit Plutarchus, adagij loco sæpe vsurpatum est à Lysandro. Dicere namque solebat is: *Leonis spolio Vulpeculæ pellem assuendam*, quippe vbi per vires sufficere non posses, & astum & dolos adiiciendos. Omnem enim is ingenij vim ad hostes dolo fraudeque decipiendos conuerterat: Quam sententiam secutus Maro: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* ait. Dixerat verò longè priùs Pindarus in hanc sententiam, τόλμᾳ δὲ ἐοικὼς θυμὸν ἐνερεμεδᾶν θηρῶν λέοντ' ἐν πόνῳ, μῆτιν δ' ἀλωπεκῆς, *Leonibus vastùm rugientibus audacia animum ministrat ad inuadendum, consilium verò Vulpes.*

RATIOCINATIO.

Vulpis indagatio diligens.

AD hæc nonnulli adiungunt, hominem discursu mentis & ratiocinatione vtentem, per Vulpem significari, quæ aurem ad terram apprimat: ea enim paludosam aliquam regionem peragratura, si de soli firmitate dubitauerit, aure admota terræ contatur, an strepitum sentiat exploratura, quem vbi percepit, non esse soli firmitudinè coniectat, sed infirmum & voraginosum locum, ideoq; non progreditur, nullo verò audito sonitu, omni semota contatione ire pergit audacter. Videtur autem inde vti ratiocinatione, vt obseruabat Plutarchus, perinde ac si quod strepit moueri cognoscat, quod mouetur infirmum esse, quòd verò infirmum inaccessibile. Tradit idem author, Thracas in paludibus explorandis huiusmodi Vulpium indagine plurimùm vti, quas in obsequium assuetas alunt, & ad huiusmodi negotia præmittunt. E

MVNIMENTVM.

QVOD si munimentum ab insidiis alibi per platani folium à Ciconia gestatum, nidoq; illatum suo, & per rutæ ramusculum ad alam Gallinæ summissum significari diximus, non erit incongruum idem hoc hieroglyphicum per Vulpem quæ scillam gestet exprimere: illa enim scillam latebris apponit suis, vt à Luporum iniuria tuta sit. Nam Lupum conuelli aiunt scillæ contactu.

DE FIBRO.

Fiber quid, vnde sic dictus, & eius species.

FIBRI significata dicturus, id primùm ambigi video, nunquid is Castor sit, quo de apud Horum mentionem factam inuenimus. Nam qui Castoris ingenium, mores & faciem describunt, eadem ipsa pingunt, quæ veteres nostri de fibro retulêre: eundemque & fibrum & lytram Varro ponit, fibrosq; eos appellari quasi fimbrios dicas, ab extremis fluminum oris, in quibus maximè versantur. Succidunt enim arborum radices per fluuiorum margines, vbi cubilia sibi parant. Vnde Plautus: *Sic me subes quotidie quasi fiber salicem.* Sunt qui extremas fluminum oras lytras olim dictas autument, & antiquos fibrum pro extremo posuisse. Vnde in singulis fimbriæ, & in iecinore extremum fibra, hinc Fiber dictus. Sunt tamen qui lytram diuersam à fibro velint, & fibrum à Castore, Castoremq; à lytra aliud esse animal contendant. Sedenim tres eiusdem generis species obseruarunt Scythæ, rusticum, nobilem, & regem, quos à villorum mollitie & colore, neque non magnitudine distinxêre, delicatissimum omninò Lutram appellantes. Accolere verò omnes fluuiorum ripas, foramina diuersa facere, mutare domicilia pridiè quàm flumen crescat, in conuectandis in cauum pomis, miræ esse solertiæ. Horum porrò testes Castorea nuncupari, vimq; maximam esse iis, qui nascuntur in Ponto, in aliis regionibus non æquè pollere. F

PETVLANTIÆ SVPPLICIVM.

Pœna adulterorum.

PER animal hoc Ægyptij sacerdotes eum, qui pœna sit affectus ob nequitiam, qua fuerit in muliere aliqua petulãs, significabant. Proditum enim est, fibrum in venatione deprehensum suos sibi testes abscindere, atque eos proiicere, gnarum se eorum præcipuè assequendorum causa peti. Nam & adulteri eadem affici pœna solent, vt deprehensi præfectis testibus dimittantur. Omnibus verò animalibus natura duce ostensum, vt & commoda sua norint, & nocentia contraria q; sciant declinare. Hinc illud epistola Saporis regis ad Constantium Imperatorem, cui suadere conabatur, vt bona Asiatici regni dimissa parte, quieti & incolumitati suę consuleret, hoc bestias factitare dicens, quæ cùm aduertant cur maximo opere capiantur, illud propria sponte amittant, vt viuere deinde possint impauidæ. Amputari tamen hos ab eo animali cùm capitur, negat Sestius diligentissimus Medicinæ, quinimò paruos esse substrictosq; & adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse, adulterari autem renibus eiusdem, qui sunt grandes, cùm veri testes exigui admodum reperiantur, ammoniaci coloris circundati liquore, veluti mellis cerosi, odoris grauis, gustu amaro & acri, vt sternutamenta olfactu moueant. Vtcumq; verò, siue sponte, siue vi testes auferantur, cùm satis cõstet eos ea præcipuè de causa conquiri, non ineptè datus hieroglyphico locus, vt per id animal id supplicij genus ostenderetur, quo mœchorũ lasciuia puniri consueuit, atq; ita malè tractari.

ATRI

ATRI FESTIQVE DIES.

Dierum distinctio per fibros.

SVNT qui atros festosq; dies per fibros ita distinguant, vt cùm festum significari velint, anteriora eius pingant, propterea quòd populi plerique, qui nostræ pietatis ritu viuunt, à Ponto & à Septentrione in Pannoniam vsque porrecti, anterioribus membris pro carne vescuntur, posterioribus piscis loco, caudam verò eius animalis, quæ præpinguis prægrandisq; est, salitam plurimùm conditamq; pro tarico pisculento habent, eaq; ieiuniorum tempore, quo nobis ex constitutione Pontificia carnibus interdictum est, mensis inferunt: eiusmodi enim dies pleræque nationes Atros vocant, quibus carne vesci ex lege nostra non licet. Ea verò illi ratione se tuentur, quòd posteriores fibri partes aquis semper innatantes, piscem dicant, & esse arbitrentur, quia scilicet animal id tam aquaticum est quàm terrestre, cùm in extremo riparum semper degat, partem quæ caput versus tendit, terræ dedicarunt, & carnem esse voluerunt.

DE TALPA.

QVONIAM verò Talpa nonnihil habet similitudinis cum fibro, quòd ipsa quoque in terræ cauis habitat, vt de ea post fibrum dicamus, admonemur.

CÆCITAS.

Prouerb.

VVLGATISSIMVM est Talpã pro cæcitate poni, vulgatiusq; prouerbium, τυφλότερος ἀσπάλακος, propterea quòd animal perpetuæ cæcitatis tenebris damnatum est, lucemq; ita habeat aduersariam, vt simulac ad diurnam claritatem eductum fuerit, emoriatur. Atque hoc illud est quod in Academicis quæstionibus ait Cicero: *Quid Talpam? num desiderare lumen putas?* Nihil ea prorsus videt, neque quidem oculos habet, vt veteres tradidêre, vt verò obseruarunt alij, habet vtique partes easdem omnes quibus oculi integri constant, nigricantem quippe illum orbiculum & quod intra eum continetur, quam Pupillam vocant, atque etiam portionis albidę ambitionem, sed non tam liquidò quàm oculi conspecti & eminentes. Nec in partem exteriorem apparere hęc possunt, propter cutis, quæ crassiuscula circùm obducta est, corpulentiam, vtpote cùm natura inter generandum lædatur, atque ita opus inchoatum relinquatur. Vtcumque apud Hesychium Talpa huiuscemodi cæcitatis ergò hieroglyphicum est & ignorantiæ, cùm oculus sua pollens vi, cognitionis & intelligentiæ signum habeatur. Eucherius hæreticos per Talpam in Diuinis literis accipit, vtpote qui, licèt aliquid cernere videantur, ipsum liquidæ veritatis lumen minimè discernunt. B

AVDITVS E LONGINQVO.

NEQVE verò desunt, qui auditum ex quantumuis remoto loco per Talpam significari tradant, liquidiùs siquidem audiunt Talpæ obrutæ terra, tam denso atque surdo naturæ elemento. Quinetiam exploratoribus mos est caput in scrobem aliquam summittere, cùm procul aduentantes turmas, vel equitatum præsentire voluerint.

PRÆSAGIVM.

Cor Talpæ ad præsagium vtile.

FVERVNT & qui per hoc animal præsagium intelligi asseuerarent. Explorarunt siquidem Magi, vt Proclus tradit, cor Talpæ ad præsagium mirificè conferre. Nam, vt Porphyrius etiam attestatur, veteres illi diuinatores simulac Talparum corda deglutissent, accipiebant subinde præsentem animam Dei ritu vaticinantem, quod similitudinem quandam habet cum auditu illo promptissimo: siquidem quæ præsagimus minimè cernentes, sentire videmur tamen. Fuisse verò Talpam in cultu apud imperitam rerum vetustatem didicimus ex Esaia, vbi dicit: *Simulacra quæ fecerat sibi, vt adoraret Talpam & Vespertiliones.* C

DE MVSTELA.

EDEM verò vaticinium Mustelam huc accersit, quòd persuasum sit quandam eius disciplinæ vim in ea consistere.

ARVSPEX.

ARVSPICEM enim, vel eum qui quoquomodo futura prædiceret, per eius imaginem significari dixerunt, eáque ob idipsum Thrasybuli simulacro, quod in Olympia dicatum erat, adsculpta fuit, vt meminit Pausanias: illi enim præter dissectum Canem, qui iecinoribus patefactis adiacebat, Mustela quoque dexterum humerum obrepebat, singula diuinationis hieroglyphica.

INFORTVNIVM.

PER eandem pictam, infortunium etiam intelligebant: animal enim inauspicatum infaustumq; esse perhibetur iis, quorum habitet domos: insidiatur siquidem domesticis animalibus, præsertimq; auibus tam altilibus quàm nidum sub tecto facientibus, easq; ad internecionem vsque persequitur. Occursus eius plerisque

religiosus habetur. Alij etiam in negotiis obeundis vel nomen ipsum horrescunt, vtpote contrarium efficaciæ.

VIRAGO.

HORVS Ægyptiacus author ait, per animal hoc mulierē virilia facinora pertentantem ostendi, propterea quòd osseo sit genitali prædita. Impedior autem verecundia, ne significatum hoc apertiùs explicem, quamq; inter sese mulieres turpitudinem, absque viris exercere nonnunquam deprehensæ sint. Id potiùs ponam, singulare stranguriæ remedium esse genitale id, si rasum tritumq; detur, vt Aristoteles de hist. Animalium testatur. Nam & Strophilus scribit, mustelæ genitale esse solidum instar ossis, cuius ramenta si in potu dentur, singulare remedium sit vrinæ stillicidio. Eam à Thebanis coli scribit Ælianus, quòd Alcmenæ Herculi pariundo laboranti, opem tulerit haud contemnendam.

Mustelæ genitale.

DE MVRE.

MVREM associari sibi deposcit mustelæ nomen, cùm præsertim in omni familiari supellectile corrumpenda, non minorem mus iniuriam & detrimentum afferre soleat, quàm mustela.

DETRIMENTVM.

PRÆCIPVVM enim eius est significatum, vt hieroglyphicum detrimenti sit atque perditionis: is siquidem, vt apud Ciceronem est, dies ac noctes aliquid semper rodit, ac omnia quæ ronit inquinat & inutilia reddit. Quare in ostentis quoque, si mures aliquid corrosissent, pernicios portendi aiebant iis, quorum instrumentum aut opus esset, quod ita corruptum erat: veluti ante Marsicum bellum quòd clypeos Lanuuij abrosissent maximum id portentum aruspices dixerunt, & eorum quæ subsecuta sunt incommodorum indicium. Iam & Carboni Imperatori mures exitium abrosis fasciis, quibus in calceatu vtebatur, portendêre. Sed falsè risit hæc Cato, cùm eum quidam consuleret, quid ostenti esset, quòd sorices noctu caligas abrosissent: respondit enim is, non esse ostentum si sorices caligas abrodant, sed si caligæ sorices ipsos abrosissent. Sedenim Cicero quamuis id & ipse ridere videatur, cùm iam Respublica titubare cœpisset, Platonis politiam corrosam turpiter à muribus apud se deprehendit. Et si parua licet cõferre cum magnis, nos quoque portenta hæc tetigêre. Nam quumprimùm Romam applicui, sedemq; ibi fixi, ne miserrimas incensæ, deuastatæ ac penè dirutæ patriæ calamitates, fœdissimasq; clades ante oculos in dies mihi atrociores spectando fieri sentirem, mihi accidit, vt pulcherrimum Horatij opusculum, quod in deliciis habebam, mures à liciis, quibus conglutinatus erat, protinus abroderent, omnibusq; paginis ita discissis inutilem codicem efficerent, mox & Pindarum aggressi, eum quoque ab eadem parte qua plicatus conglutinatusque erat, inquinarunt, quod ostenti loco fuisse, euentus posteà comprobauit, non esse tunc Romę locum Musis, & amœnioribus his disciplinis, idq; magna & studiorum meorum & diuturni temporis iactura compertum habui, donec vicesimo post anno, ex quo huc migraueram, Hippolyti Medicei discipuli mei liberalitate atque beneficentia fui tandem subleuatus, vsu rerum ad vitæ necessitatem, quod satis esse duxi, suffecturo.

Portēta ex Murib. aliquid corrodentibus.

OPTIO.

EODEM vtebantur hieroglyphico sacerdotes Ægyptij, si optionem atq; iudicium significare voluissent. Mus quippe plures diuersosq; panes aut poma nactus, purissimum optimumq; ex omnibus quo vescatur deligit. Quapropter in panificiis emundis, optionem ex huiusmodi murium indicio facere solitum est multis. Idem in fructibus aliis, præsertimq; melopeponibus, summa nepotum curiositate obseruari videmus, cùm eos meliores esse constet, quos mures cœperint abrodere. Plinius vbi de Ponticis muribus loquitur, mirari videtur quonam modo authores intellexerint eorum palatum in gustu sagacissimum esse.

Melopepones meliores, quis.

IMBECILLITAS.

SVNT qui per murem exanimatum, imbecillitatem intelligi posse tradant: is siquidem minimo quoque incommodo exanimascit, plerunque verò sponte moritur effluentibus intestinis, hinc κατὰ μυὸς ὄλεθρον dici solet, qua similitudine Menander vsus est, vt citat Ælianus lib. 2. cap. 10. cùm valetudinarius quispiam ipsa fuerit naturæ imbecillitate consumptus. Muribus enim in vniuersum vita breuissima, vnde musculus apud Horatium alteri ait: *Viue memor quàm sis æui breuis.* Sūt qui putent soricem ea de causa dictum, quia σορὸν apud Græcos putridum significet, quod huic qua de loquimur imbecillitati congrueret. Sedenim multò magis placet eorum sententia, qui quemadmodum suem ὀπὸ τοῦ ὄς à nobis factum constat, ita ὀπὸ τοῦ ὄραξ soricem deductū asseuerant. Nicander sanè ὄραξας mures apellauit Æolum lingua, apud quos ὄς, hoc est, sus, ὄραξ dicitur. Murem verò, quòd rostrum habeat suilli perquàm simile, Suis etiam cognomento dicunt, quod interpres Nicandri obseruauit. Sus verò sorex que tanta concordia naturæ consentiunt, vt quod Magi tradunt, si quis muris iecur in ficu porco vorandum dederit, animal id eum qui dederit, nullo edito grunnitu vltrò deinceps adsectetur quoquò ierit, quod ego Patauij factū memini nonnullorum iuuenum astu, qui

Mus cur soris dictus.

A qui gancæ potiùs quàm disciplinis dediti erant, non sine totius viciniæ querelis, quæ sibi porcos incertis authoribus abduci lamentabatur.

AMATORIÆ DELICIÆ.

LONGE verò diuersum illud, quod illecebras amatorias, petulcioresq; lasciuias per album murem significare, non Ægyptiorum modò commentum, verùm & Græcorum fuit. Nam de muris salacitate multa sunt à plerisque prodita, sed præcipuè mihi videtur Plautus rem expressisse, vbi Phronesium Dinarcho suadere conatur, vt multiuolus sit in re venerea, sic enim ait: *Sed tamen cogitato mus pusillus quàm sit sapiens bestia, ætatem qui vni cubili nunquam committit suam, quasi vnum obsideatur, aliunde profugium quærit.* Moris verò fuisse muris nomine amatoribus adblandiri, ex Epigrammatarij versu noscitur.

Salacitas Muris maxima.

Nam cùm me murem, cùm me tua lumina dicas.

Ob notissimam verò muris salacitatem, mulierem quandam portentosæ libidinis, qualem nostri Messalinam fuisse memorant, ab Epicrate Myoniam, quasi nos Murinam dicamus, appellatam ait Ælianus.

INTAMINATA MVNDITIA.

QVEM verò intelligat Ælianus & Philemon per album murem, nemo ex nostris, quod hactenus legerim, explicauit, si tamen ad Plinium & alios probatissimos authores aspexeris, cum esse coniicies, quem Armenium vocamus, villi pelliumq; molitie delicatum Francisci Petrarchæ versibus pro castitatis hieroglyphico nobilitatum, vtpote qui delicatioris cuiusdam munditiæ exemplar haudquaquam ignobile esset, cui scilicet spurcitia tantæ sit abominationi, vt limo ante
B ostiū caui illito, capi potiùs à venatoribus, quàm eo fœdari patiatur, quod cùm sanctioris sit amoris proprium intemeratæ castitatis symbolum, quæ diuina tantùm flamma succendatur, à peritissimis rerum ponitur.

Mus albus quis.

ARGIVI.

INVENITVR & in numis muris signum, eam verò Argiuorum præcipuè monetam fuisse, Plutarchus ait, apud quos fuisset moris, vt numum imagine muris insignitum cuderent.

DE FELE.

SI pro Æluro Felem reddidero, satis scio paratos emissarios esse qui me dentibus inuadant. Sedenim quæ Plinius de Fele refert, dum quærit quo silentio, quamq; leuibus vestigiis auibus obrepant Feles, quamq; occulto speculatu in musculos insiliant, tum ea quæ ab Anniano Poëta memorantur apud Gellium, quæ ab Aegyptiis eo super sunt memoriæ prodita, cuius oculi ad vices Lunæ, aut ampliores fiūt, aut minores domestico huic animali, quod Albertus modò cattum, modò Murilegum appellat, congruere manifestum est. Sunt & qui Musionem vocent, Felem autem alij, quæ vulgò Felina, alij qui Martes appellatur, esse volunt, eoq; & Varronis & Columellæ authoritatem trahunt. Nam quæ illi vnà cum Nicandro de venatu auium clandestino nocturnoq; tradunt, Martem id facere satis exploratum est. Sed quoniam de harum nomine plerique certant, ne temerè vni magis quàm alteri faueamus, Aeluri vocabulum interim vsurpabimus, de quo in antiquo Festi Pompeij codice hæc adinueni: *Est Aelurus animal Leoni cùm procreatur persimile, olim syluestre: maximè muribus aduersatur, salax, oculi cuius acie flammea, ad*
C *imitationem Lunæ crescunt & decrescunt. Nam veluti Luna pro solaris luminis participatione faciem quotidie variat, ita Aelurus pari cum Luna conditione afficitur, nunc aucta, nunc imminuta pupilla, prout Lunæ orbis nunc se plenum, nunc dimidiatum, nunc cauum, nunc tuberosum ostentat. Licinius Vmbrei in Nerea: Murum strages Aelurorum oculi vt minuti Lunam ariolantur.* Quibus quidem verbis nescio an explicatiùs cattus noster domesticus à quopiam describi possit. Sed quoniam de Aeluro satis constat, de Latina locutione nondum per hos liquet, quamuis totiens Cicero Felem & Canem inter Aegypti numina socialiter enumeret, dubio procul cattum intelligens. Aeluri ipsius, si catti nomen ita abhorrent, significata referamus.

Varia Felis nomina.

IMPLORATIO.

VETERES cùm hominem in manus hostium illapsum, qui miserabiliter auxilium imploret, indicare vellent, Soricem pingebant ab Aeluro comprehensum: exauditur enim statim miserabilis eiulatus, & vox veluti auxilium implorantis, vbi mus in dentes incidit eiusmodi, vnde prouerbium: *Sorex Hecaten.* Causam Simnius Capito sic interpretatur, quòd is qui in manus hostium incidit, illorum ducem implorat. Est verò Aeluros (vt Verrius ait) sub tutela Hecates. Apud mythologos inuenias Iouem ludicro certamine Apollinem cū Hecate tenella adhuc ætate commisisse, argumento proposito, vt ipsi quoque certatim animalia conformarent atque producerent, terræq; theatrum implere procurarent, tū Apollinem statim hominem protulisse, aduersus quem Hecate Simiam opposuerit à se factam, exceptam risu rem Apollo Leone terribili producto interturbauit. At Hecate ludo etiam indignata vinci, Aelurum genuit. Maiore hinc Apollo effusus risu Murem in Hecates ludibrium protulit, illa magis indignata cùm vi non posset vincere, ad artes conuersa, Simiam in Leonem, Aelurum in Murem acriter incitauit. Leo diu à Simia natibus eius

Prouerbiū, & eius explicatio.

affixa, tota est arena ad furorem vsque exagitatus, Mus aufugiens ad Apollinis pedes procubuit, D atque ita seruatus. Vlturus autem Leonis iniuriam Deus, vim medicam in Simiæ sanguinem immisit, qua Leo febre correptus sanaretur, atque ita factum vt Leo semper Simiæ pastum à petierit Æluri autem genitale semen ita reddidit igneum, vt eius generis fœmina de re omni animantium generi voluptuosa, & angi & cruciari ad miserabilem vsque vociferationem compellatur.

Altera proverbij declaratio.

Alij rem tametsi manifestè fabulosam, ita gestam memorant: Solem & Lunam initio rerum in certamen deuenisse, vt terram animalibus replerent, cura eiusmodi illis à summo opifice demandata, statimq; Leonem ea, qua insignis est, specie à Sole conformatum, Lunam verò æmulatione concitat

ANGVIS, atque adeò reptilium aliquot significata dicturus, cùm pro varia eorum pictura, diuersisq; speciebus varia identidem significata sint, curæ pretium esse existimaui genus eiusmodi priùs tractare, cuius effigies excogitata est auspicacior augustiórque, magno apud veteres in cultu habita, cærulea quippe facie, colore nitido, squamis pellucentibus, capite minimè formidoloso, à quo nostræ erit dictionis initium. Cum his Basiliscum enumerant, tametsi eius animalis violentiam mortales reliqui longè aliter interpretantur. Post Basiliscum Aspis est, ac mox Vipera, à quibus Ægyptij multa hieroglyphicôn argumenta desumpsêre, & diuinæ nostrorum literæ horum sæpe mentionem faciunt, sed Dana illum religiosè præferunt, qui opem omnibus præsentaneam polliceatur, quare quænam sint ea quæ hinc significentur, dicere iam incipiamus.

MVNDI MACHINA.

Serpès caudam depascens quid.

MVNDVM vniuersum Ægyptij sacerdotes scribere volètes, Anguem qui caudam propriam depasceretur, cúmque variis insignem maculis pingebant, de quo Claudianus:

Perpetuúmque virens squamis, caudámque reducto
Ore vorans tacito relegens exordia lapsu.

Quod dubio procul significat omnia, quæ diuina prouidentia in mundo generantur, ab eodem cùm solui cœperint, siue paulatim imminui atque deficere, in sese recipi, fieriq; illud propemodùm, quod apud quosdã Æthiopiæ populos assiduo est in vsu, qui cùm nullo alio nutriantur cibo quàm piscium, humana deinceps cadauera piscibus obiectant, victum quem ab eis acceperant ex seipsis repẽdentes. Hæc verò cauda ab suo animali corrosa, receptæ authoritatis assumptum illud significat, quod vno omnium consensu fertur, decrementum vniuscuiusq; rei alterius incrementum esse. Aiunt verò Phœnicũ hoc fuisse hieroglyphicum, per Draconem in orbem redactũ, caudámque suam deuorantem, id exprimere, vt appareat mundum ex seipso ali, & in se reuolui. Nam cùm æterna sint elementa, neq; corruptione, neque variatione per se vlla immutentur, corruptioni tamen ac variationi subiecta videntur, ea parte qua specierum informationi admiscentur, vi tamen ipsa incolumi permanente, quippe veluti ex literis nihil separatim significantibus apud Chalcographos siue impressores librarios dicere malimus, nomina componuntur, quę aliquid copulata significant, mox vtilitate ipsa, impresso notatóq; libro, quãtum vsui venerit recepta, nomina ipsa dictionesq; omnes corrumpuntur, solutæ literæ incolumitati pristinæ genericq; suo restituuntur, & in alterius formæ vsum asseruantur, ita corpora quæ Græci συγκεχυμένα, iuniores Philosophi confusa, hoc est, in vnũ conflata, dicunt, cùm aduenerit exitus, diminuiq; cœperint, sigillatim in eadẽ ipsa resoluuntur elemẽta, aliarũ itidem specierum compositioni obnoxia, ac semper exposita: quod ex nostris optimè Pacuuius intellexit, ad hoc luculentissimis his versibus alludens:

Quicquid est hoc, omnia animat, format, alit,
Auget, creat, sepelit, recipitq; in sese omnia,
Omniumq; idem est pater, indidemq; eadem
Quæ erunt deintegro, atque eôdem occidunt.

Eôdem respexit Lucretius, cùm dixit:

Denique iam ruere hoc circum superáque quod omne
Continet amplexu terraï procreat ex se
Omnia, quod quidam memorant, recipitq; perempta,
Totum natiuum mortali corpore constat:
Nam quodcunque aliàs ex se res auget alitq;,
Diminui debet, recreari cùm recipit res.

Sed ne multa adeò congererent Ægyptij sacerdotes, néve longis discere volentes ambagibus implicarent, cùm omnem illi naturæ obscuritatem manifestè adeò sibi cognitã profiterentur, & quasi per manus proditam hæreditariam disciplinam possiderent, vno contenti hieroglyphico, mundi conditionẽ omnem expressam esse voluerunt. Serpens igitur caudam depascitur suã, vt generum immortalitatem, qua rerum naturam Deus insigniuit, ostentet: vt principiũ ad finem directũ esse, finemq; ad principium reflecti doceat. Nam vt hoc apertiùs explicetur, ex plantis fructus, velut ex principio finis, ex fructibus verò semen, in quo planta ipsa delitescit, atq; ita principiũ ex fine. Sic nihil denique viuum intra mundum perit, sed eorũ quæ nobis interire videntur, solæ mutantur species: de quibus Virgilius, nec morti esse locum dixit. Idem per atomos suos Democritus intellexit, quamuis vocabulum nonnulli contendunt impropriè esse dictum, indiuidua tamen corpora ea esse voluit, quæ disiuncta cùm fuerint, neque legantur, neque internecionẽ recipiant, nec sectionibus diuidantur, sed omne per æuum infinitam in se retineant soliditatem. Hoc illud idem figmentum est, quòd Saturnum, quem pro tempore figurant, aiunt filios deuorare solitum, Iouem verò interceptum, lapide supposito, quem Saturnus deglutierit. Terrestria porrò huic varietati commutationiq; rerum plurimùm obnoxia esse, per huiusmodi figmentum indicabant, animam verò, quæ per Iouem, vt Plotinus interpretatur, fingitur, immortalem esse. Sanè Hesiodus posteaquàm prolem à Saturno & Rhea susceptam enumerauit, illud statim adiecit:

Quid per atomos Democritus.

Καὶ

A Καὶ τὸς μὲν κατέπινε κρόνος μέδας, ὅστις ἔκαστος
Νηδύος ἐξ ἱερῆς μητρὸς πρὸς γόνατ' ἴκοιτο.
Atque hos deglutit Saturnus, vt ille vel ille
Diuino ex vtero genua ad materna veniret.

Quod ita accipiunt interpretes: Nascuntur è terra rerum species, & in terram mox recidũt: nam Rhea defluxus est, & corruptio mundi. Quæcunque igitur tempus protulit, eadem tempus absumit, vnde sacris quibusdã apud nos dicitur, puluerem esse hominẽ, & mox in puluerẽ reuersurum.

Non omittenda verò sunt quæ de figura Anguis, Mundum ipsum mira similitudine referentis, veteres Philosophi quasi ludentes conscripsêre, ipsam rerum speciem vniuersam non temerè oculis omnium subiicientes. Siquidem pro corpore quod habet, grauissimum est animal, perinde ac terra, quæ ponderibus librata suis ob grauitatem insitam in centrum vndecũque recidit, Prætereà verò toto distentus humi corpore, per terram repit, vnde etiam genus id nomen accipit, modò Serpens, modò Reptile nuncupatum. Sed quoniam huiusmodi terræ hieroglyphicũ loco suo copiosiùs tractabitur, ne nunc stylo vniuersi speciem percurrenti morã aliquã interponã, omittetur. Est prætereà lubricissimum, quẽadmodum aqua, atq; inter serpendum pandos ac repandos vndarum flexus imitatur, & apud fabularũ scriptores Draco euripus erat, qui Hesperidũ hortis in insula positis tutelaris effingebatur, & amnes quosdã spiras circũ terrarũ orbẽ replicare instar anguium Socrates ait, Phædone. Quinetiã Hesiodus Echidnam àit dimidia sui parte Nymphã, dimidio altero immanem Anguem, pro qua interpretes vapores accipiunt exhalantes à mari, neq; non omnem humoris vim. Nympha verò est ob id, q; subministrat nutrimẽtum. Serpens, propterea quòd B flumina tortuosis ambagibus feruntur, perinde ac Serpentiũ, vti dicebamus, corpora sinuosis plurimũ flexibus obrepunt. Sed quod facit ad Nymphã, quæ loci omninò genius est, occulta quippe vis illa, quæ graminibus & plantis vitam fouet, auctumq; subministrat, ignarus non sum quosdam alios Draconem hortorũ custodem pro radicibus arborũ accepisse, q, tortuosæ sint vti Serpentes, & in terram adactæ, perinde ac Anguiũ genus in terræ visceribus plurimũ delitescit, ita verò Draconis speciem hanc pomis operã præstare vt asseruentur: radicibus enim aut cæsis, aut exiccatis, poma etiã auferri necesse est. Aërium verò spiritũ, de quo latiùs in Basiliscí significationibus dicetur inferiùs, per sibila, quæ vel ad audientiũ horrorem nõnulli eorũ excitare solent, intelligimus. Squamæ verò, stellarũ mundũ ambientiũ varietatẽ, quiq; ignes in supremo micãt orbe, hieroglyphicè significant: nam & hinnuleæ pellis varietatẽ, quam Pan gestare fertur, stellas ex maculis imitari ait Probus. Eandem Libero patri attributam, idem significare tradit Eusebius lib. de præpar. Euang. primo, vbi Osirim, Sirium, Liberum, Solem, & Phaneta, ex Homeri, Eumolpi & Orphei versibus eundem esse disserit, de quo loco suo plura erunt inferiùs repetenda. Est & alia super hoc consideratio, quòd anguis hyberno situ membrana corpori, præcipuè autem oculis, obducta obcæcatur, verno verò tempore fœniculùm pastus, id Græcè μάραθρον est, eiúsque succo oculos inungens, impedimentum illud exuit, & acutissimo quo pollet visui restituitur, senectutémque ita singulis deponit annis, nudúsque propemodùm vernat, & glabro corpore iuuenis, vt Maro ait,

Lubrica sublato conuoluit pectore terga.

Leberida verò, membranam scilicet quam deponit, ita exuit, vt à capite orsus ad caudam replicet, interiore parte in exteriorem, exteriore in interiorem versa, cute intus altera subnascente. At mundus quoq; (de inferiori hoc mundo loquimur) hyemali tempore pruinoso, quodã non modò C obcæcatus, sed vndecunque obductus situ, annuo peracto spatio, Zephyris flare incipientibus, squalorem abiicit, quæque rerum semina intus fuerant superioris defectu coloris obstrusa occultáque, extrà aperiuntur excludunturq;, ac senectute deposita per vices iterum iuuenescũt. Quinetiam quæcunq; de Anguis renouatione traduntur, cum hac ipsa mundi nostri renouatione consensum habent: ferunt enim Colubrũ cùm exuere incipit, ab oculis primùm detrahi, ita vt occæcari videatur, tum caput exuitur, glabrumq; hoc omninò antè quàm reliquum corpus, apparet. Arbores quoque oculos primùm exerunt, gemmas alij vocant, germen alij, sed oculatio inde insitionis genus, mox exsinuant flores, paulatímque fructuum fœtus aperiunt. Neque vere tantùm exuit Anguis verùm etiam autumno, & pro locorum temporumq; conditione, æstate etiam, Aristotele hoc asserente, licèt id abneget Plinius. Atqui mundum etiam non vere tantùm hæc facere, sed æstate autumnóque omni, tot species, tantósque ortus, variósque nouatus aperire, pro regionum situ ac rerum natura, conspicimus.

Serpẽtis & Mũdi sympathia, ac consensus.

IVVENTVTI REDDITVS.

SVNT verò qui per Anguem & Leberida hieroglyphicôs hominẽ ostẽdant iuuẽtuti redditum, si vel de morbo, aut alia aliqua lue aut calamitate, squallorem atque maciem deposuerit, fitq; demùm habitior atque validior factus. Libet verò fabellam super huiusmodi renouatione, ex Nicandro & eius interpretibus recitare. Mortales enim aiunt impetrasse olim à diis multis precibus vt perpetuo iuuentutis munere donarentur, atq; ita nunquam in posterũ senio cõtabescerent, sed quãdiu vnicuiq; viuere permissum esset, integris viribus & florẽti semper ætate vegeti perseuerarent. Hanc igitur simulac benignitate Iouis accepissent, imperitos adeò rerum fuisse, vt eam Asino

Fabula super hominũ renouatione.

vectandam

vectandam commendarint, hunc verò siti confectum ad fontem quendam peruenisse, in quo Serpens loci custos statiuam habebat custodiam, cúmque inde bibere tentasset, à Serpente prohibitum, neque alia conditione bibendi facultatem illi factam, quàm vt id omne quod vehebat onus Angui mercedis nomine concessisset, ex eo inde tempore omnes Angues senectute singulis annis abiecta inuenescere, homines verò senio confectos emarcescere, ac stoliditatis pœnas luere, quòd iuuentutem tanto expetitam studio negligenter custodissent. Hinc illa Tibulli querimonia:

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
Cur nos angusta conditione sumus?

Sed quoniam in fabularum figmẽtis varij admodùm Græci sunt, eásque vnusquisque suo ex commodo, & vt adlibuerit comminiscitur, ferunt alij Promethea cùm cœlestem ignem furatus esset, eúmque mortalibus communicasset, nullam illos accepti muneris gratiam Prometheo retulisse, quod cùm Iupiter approbasset, pharmacum hominibus, quo senectutem amolirentur, elargitus est, quod donum Asino vectandum illi destinarint, atque illa mox subsecuta de Asini imprudẽtia, de Serpẽtis astutia, de commutatione, quæ superiùs enarrata sunt. Meminit huius fabulæ Sophocles, *κωφοῖς*. Quoniam verò Asinus ille & sitim eò contulerat, factum est vt ex pacto Serpens eam quoque sibi vendicaret, hinc supra modum illos siticulositate plerique eorum pertentare solent, quos momorderint, de quo tamen plura loco suo dicuntur, vbi Dipsadis significata recensemus.

TEMPVS.

Quomodo Serpens tẽpus signet, eiusq; ratio.

ERAT autem aliud hieroglyphicum Serpentis, caudam suam sub guttur attractam occultantis, eáque species in Saturni dextera manu statuebatur, quem pro annuo circuitu, pro tẽpore, pro ætate, pro immortalitate poni ex multorum scriptis accepimus. De anno apertissimè Maro:

Atque in se sua per vestigia voluitur annus.

Quòd verò Serpens temporis signum esset, causam Cyrillus hanc subiicit, quòd in longitudinem porrigitur, & multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorúmque series, taciteq; proserpit, nullo edito strepitu, vnde Poëta non incelebris dixit,

Labitur occultè fallitq; volubilis ætas.

Verùm ea quoque causa esse potest suppressæ caudæ, quòd tempus aut à præterito, aut à præsenti, aut à futuro consideratur, quæ omnia incerta nobis omninò sunt: præteritum siquidem intueri minimè possumus, & cùm principio careat, neque mente quidem concipitur, futurum longè minùs, quia nondum est, & finis eius prorsus incognita, qua de Horatius tertio Carminum:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Præsens verò cùm sit instabile, velocissiméque transcurrat, vix percipi potest, veluti si digitum in defluentem aquam intingamus, discernere non possumus vtrùm in præterita, an in futura, an in præsenti, quia præterita iam elapsa, futura nondum adhæsit, præsens puncto ipso statim elabitur, quæ cùm omnia cognitioni nostræ subducantur, Aegyptij forsitan pro hieroglyphico huiusmodi caudam ita reduci occultaríque voluerunt.

CALAMITAS.

HABET & vocabulum ipsum, Temporis, hieroglyphicam omninò significationẽ, vt hoc obiter attingamus, & à pernicioſa Saturni vi non admodùm alienam. Nam Poëtæ *tempus edax rerum* esse dicunt. Neque Latini tantùm, verùm etiam Syri & Hebræi dictionem Tempus, pro Calamitoso rerum statu ponere consueuerunt. Nam, *Et erit tempus eorum in seculum*, primo & octogesimo Psalmo legas, & huiusmodi passim multa. Quòd verò hîc *in seculum* legitur, interpretes de calamitatibus dictum volunt, quæ post neglectum Christum perpetuò erant Iudæos oppressuræ.

MVNDI MOLES.

Elemẽtaris orbis figura, & eius declaratio.

SVNT qui aliam etiam picturam simulacrúmve mundi fuisse dicant, vt scilicet intra circulum Særeum Serpentis effigiem accipitrino capite insignem circumducerent ad Θ propemodùm literæ similitudinem, ære quippe ignem referente, circulo magnitudinem & formam orbis indicante, Serpente bonum dæmonem, cuius merito ac beneficio omnia alantur, vigeant, ac perennent. Sed non elementarem hunc orbem tantùm ex hieroglyphico huiusmodi colligimus, verùm etiam & cœlum ipsum, quod sub Iani figmento fabularum inuolucris occultatur. Ianum enim ab eundo dictum, peritiores asserunt. Mundus itaque initium ex se faciens, cùm in se reuertatur, figuræ ipsius, quæ posita est, rationem ostendere videtur.

ANNVS.

CÆTERVM quia Ianus vbique anni dominus decantatur, quem à circuitu vocatum dicebamus, eundémque ac Apollinem intelligunt, veluti Dianam Ianam olim appellatã affirmant, quos vtriusque anni arbitros esse testatur antiquitas, præcipuè verò Virgil. cùm dicit,

-----Vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres. Nam & Lucretius serpere Solem dixit vt annum struat:
Annua Sol in quo contundit tempora Serpens.

Quòd

A Quòd verò Maro Liberũ & Cererẽ huc inculcarit, doctissimè factum, vt potè qui apud Orpheum legerat, *ἥλιον ὃν Διόνυσον ὀπάλλησιν καλέουσιν.*
& apud Euripidẽ & Aristotelẽ eundẽ Solem & Bacchũ esse, de quo nos apertiùs alibi. Dionysium eundẽ & Bacchũ, & Liberũ & Solem, aut igneam solis vim, non ex Orpheo tantũ, sed & Euripide, Aristotele & Eusebio Macrobioq; citatis indicauimus, vbi apud eundẽ Virgiliũ ex antiquis codicibus legendũ ostendimus, *Qui ducitis annum*, scilicet Liber & alma Ceres: licèt, quæ lumina, idẽ fit.

AEOLVS.

IPSA autem macularũ varietas, & anni significatũ in Serpente detectum, id in memoriam adduxit, quòd Aeolum eiusdem varietatis gratia vetustas pestilentibus præpositũ effinxit, per quem annum ipsum intelligebant, eaq; de causa Hippotæ filium dixêre, quòd celeri cursu tempus elabatur. Equis enim hoc à natura tributum, vt nascantur ad cursum, quod loco suo disputatum est. Habere verò Aeolũ filios XII. ait Homerus, mares sex, fœminas totidem. Menses ij sunt, ait Phurnutus, quorum qui fœcundi fruges omnium vsui reponũt, fœminæ dicantur, qui verò steriles sunt, mares habeantur. Apud alios longè secus inuenio, ex religione quippe veterum menses singulos ita Diis singulis adscriptos, vt Ianuario Iuno præficiatur, Februario Neptunus, Martio Minerua, Aprili Venus, Maio Apollo, Iunio Mercurius, Iulio Iupiter, Augusto Ceres, Septembri Vulcanus, Octobri Mars, Nouembri Diana, Vesta Decembri. Apud celeberrimum Cardinalẽ Hippolytũ Medicẽ cippum Romæ vidi marmoreũ obrorundũ, in quo duodecim hæc numina pulcherrimo opere circumsculpta sunt, qui quidem cippus indicans Augusti Octauiani mensam illam, qua de Suetonius mentionẽ facit, consuesse eum & sodales amiciores ad duodenarium vsq; numerũ deorum habitu cœnitare, & *δυοδεκαθεῶν* conuiuium celebrare, ad eius certè rei argumentum mirificè conformatus est: nam & figura quæ pro Apolline sculpta est, Augusti ipsius faciem totam refert & exscribit, quod & in plerisque aliis eius Dei statuis factum obseruauimus. Sed nos ad Anguẽ nostrum reuertamur, quo super animaduerti, plerosque figuram eius in orbem circumducti, & caudã nunc occultãtis, nũc admordentis, nũc depascẽtis, cõfundere, quod ita distinguendũ est. Quæcumq; de mundi anniq; varietate reciprocationeq; dicta sunt, ea per caudæ morsum intelliguntur. Sedenim cùm æternitatem, siue, vt nonnulli malunt, æuum seculúmve significabant, Serpentem pingebãt cauda tãtũ sub corpus, ita vt delitesceret, reducta: sic enim circuitus ille perpetuus intelligebatur.

Aeoli filij XII. quid.

BASILISCVS.

Basilisci descriptio.

ANGVIS autem huius species ea erat, quem VRÆON Aegyptij, Basiliscum Græci vocant. Animal id duodecim non ampliùs digitorum magnitudine vt authores nostri prodidêre, candida in capite macula, & quodam diademate, vnde regium illi nomen, insigni, siue Basiliscus ea de causa dictus fuerit, quòd eius aspectum reliqua Serpentium genera vereantur. Hic sanè flexu haudquaquam multiplici corpus impellit, quod reliquæ faciunt Serpentes, sed celsus & erectus à medio incedit, quæ omnia cum Nicandri versibus his optimè quadrant.

Τειμαίῃσι δ' ὀλίγον μὲν, ἀτὰρ προφερέστατον ἄλλων
Ἐρπετῶν βασιλῆα, τὸ μὲν δέμας ὀξυπάσσῳ,
Ξανθὸς ὅπη τελέα δῶκε φέρων μήκῳ τε, καὶ ἰθύμ
Οὐκ ἄρα δὴ κείνῃ παραγάβεα μηκάδα γαίης
Ἰυγὴν μιμεῖσθ' ὅτ' ἐς νομὸν ἦε καὶ ὕλην.

C Surrectum verò pectus in animali huiusmodi, in obeliscis & aliis Aegyptiorum monumentis animaduertas, præcipuè verò in numo quodã qui Fabatio cusus est, in cuius altera facie caput est cum spolio capreæ, ab occipitio vasculum in modij formulam, quale etiam in Antonini Aug. & aliorum quorundam numis cernere est, nusquàm verò frequentiùs, quàm in Aegyptiaca Bembi tabula ex ære, vbi Basiliſci huius forma sæpè conspicitur, capite aliàs accipitrino, aliàs humano, aliàs vt hîc figurauimus. Quod verò Albertus de ouo Galli gallinacei fimo obruto tradit, quodq; inde Basiliscus enascatur, sitq; figura eius omninò Gallo similis, cauda tamen serpentina, fabulosum indicant peritiores.

AETERNITAS.

SEDENIM cur Aegyptij per hoc potiùs colubri genus, quã per aliud quodquam seculum æternitatémve significarent, causa erat, quòd inter serpentium genera hoc vnum interfici vi non potest, si Horo Niliaco hieroglyphicõn nonnullorũ authori fides adhibenda est, quinimò tanta huic vni vis est, vt animalia reliqua solo sibilo fuget, quo audito ferunt omnes auium cantus coërceri, fruticésque & herbas non vllo morsu, sed olfactu aspectúve solo enecari. Archelaus tradit, vt apud Aelianum habetur, veterinum olim iumentum in Africæ solitudine quadam defecisse, ad cuius cadauer Serpentes plurimæ ventitarint, vt eius viscera depascerentur, interim Basiliſci audito sibilo omnes profugisse, aut in fabulum sese abdidisse: progressum verò Basiliscum, per otium sine cuiusquam

Sibilus Basiliſci.

quam tumultu quantum appetierat esitasse, cúmque satur iam abiret, iterum edidisse sibilum, D quod indicium fecerat serpentibus aliis ad escam tutum patêre reditum, atque ita eas oblatam prædam repetiisse.

CALVMNIIS AFFLICTVS.

HÆc igitur Basiliſci vis, quæ sine morsu pernicioſa sit, argumentũ hieroglyphici dedit Aegyptiis sacerdotibus, vt si hominem à calumniatoribus malè acceptum, & mortiferis delationibus afflictatum significare vellent, Basiliſcum apponerent: non enim alia ratione calumniatores homines conficiunt, quàm faciat Basiliſcus: clam siquidem illi Principum auribus insusurrãt, nullo palàm morsu infixo, quò diluendi ansa præripiatur, atq; ita plerique falsò delati, extrema quæq; pertulêre. Sed ne talem ac tantam Basiliſco vim ineſſe quiſpiam admiretur, Thebiorum natio peſtifera adeò fuit, vt vel ſolus oris eorum halitus exceptus, interimendi vim habuerit, illorúmque præſentiam non animalibus tantùm, verùm etiam ſatis noxiam fuiſſe: de quibus hæc & alia ſecundo Sympoſiorum Didymus.

OCVLI DIVVM.

Basiliſci oculi clauſi, & aperti quid.

IN ea tamen religione Basiliſcus habitus apud Ægyptios, vt ex auro dedicaretur. Caput autem illi accipitrinum faciebant, oculóſque eo artificio concinnabant, vt & claudi & aperiri poſſent. Hunc ſimulatque oculis adapertis proferebant, vniuerſa Ægyptus lætitia atque hilaritate perfundebatur, perinde acſi deorum oculi eos aſpicerent, opemq; præſentem omnibus pollicerentur, in luce igitur & in propatulo omnes eſſe, riſui & iocis atque conuiuiis dare operam. Quòd ſi clauſis eum oculis extuliſſent, ibi tum omnia mœrore luctúque confundi, auerſos & iratos eſſe deos exiſtimari, abdere ſe omnes in tenebras, & obſcura penetralia, miſerabiliſque deploratione pro ſe quemq; niti, vt deorum indignationem quacunque poſſent ratione mitigarẽt. Non fuit horum ignarus Philon, & Epies quidam diuinorum interpres apud Ægyptios nominatiſſimus, rem memoriæ prodidit. Figura autem hæc ita habetur in Bembæa tabula. Vt verò hæc magis innoteſcant, Iouem Aegyptij, authore Plutarcho, ſpiritum eſſe dicunt, ſpiritus nulli animalium vehementior quàm Basiliſco, ideóque nulli magis diuinitatis ſymbolum quadrat.

E

SPIRITVS.

Anaxagoræ de ſpiritu opinio, cui aſſentitur Virgilius.

PORRÒ Anguis apud eos hieroglyphicum eſt ſpiritus illius qui per vniuerſam mundi molem diffiatur. Anaxagoras quoque quatuor elementis conſtitutis, quæ per Anguem ſignificari ſtatim initiò diximus, rectorem adiungit, ſiue ſpiritum, ſiue Deum, ſiue mentem, vt Probus interpretatur, per quem hæc quatuor regantur, quod Virgilius etiam nullius ignarus diſciplinæ affirmat dicens:

Principiò cœlum ac terras campóſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

F

Quem enim Anaxagoras νῶν, is ſpiritum & mentem dixit. M. Tullius, Platonis ſententiam, quæ in libro de Anima eſt, ſecutus, principiò terram ait ſitam in media mundi parte, circunfuſam eſſe hac animabili ſpirabiliſque natura, cui nomen aër.

ÆOLIPILÆ.

Aeolipilæ quid.

NON imperitè igitur qui Aeolipilas cauant, ſolent illis in conuexo Draconem ſuperinducere, ex cuius ore circa medium ſito ſpiritalis illa fiſtula promineat, quæ vẽtum profiet. Sunt verò pilæ huiuſmodi æreæ, cauæq;, in quas per anguſtiſſimum punctum homore inſtillato, vbi ad ignem admotæ concaleſcere cœperint & efferueſcere, ſpiritum vehementem admodùm efflant: humor ſiquidem caloris vi rarefactus, magnam aëris copiam generat, cuius cùm minimè capax ſit ea concauitas, vehementi eo impetu cogitur erumpere, cui ſi tantillum argenti viui infundatur, ex diſcordia, quam materia hæc habet cum calore, inquietata magis aqua vehementiùs expirabit.

SVCCESSVS VOTI.

Sanguis Baſiliſci in quanto pretio olim.

TANTAM verò affinitatis cum Diis exiſtimationem Basiliſcus aſſecutus eſt, vt auſi olim ſint mortales ſanguinem eius difficillimè conquiſitũ curioſiùs aſſeruare, Saturni eum ſanguinem appellantes, quem ſi penes ſe haberent, exiſtimabant & ſucceſſus petitionum à Poteſtatibus; & à Diis etiam precũ, morborum remedia, beneficiorumq; munera largiùs impetrari. Aſtrologiquoq; Basiliſco tantum tribuunt, vt ſtellam in corde Leonis ſitam, Basiliſcum appellent, quam Chaldæi rerum cœleſtium reginam & dominam exiſtimarunt, quod in Arati commentariis tradit Theon, vbi de Leone agitur, neque diſſimulat Nicephorus in Aſtrolabij ſtructura. Quamquã in vniuerſum ineſſe

A ineſſe Anguibus vim magicam ad gratiam ſibi comparandam, Magi tradidêre, quibus perſuaſum eſt primum vniuſcuiuſque Draconis ſpondylum mulcere aditus Poteſtatum, Principumque gratiam conciliare.

SACERDOTIVM SACROSANCTVM.

QVI verò Serpens ſacerdotum inſigne oblongo obuolutus pileo geſtabatur, monumento erat, vt ſi quis contra Reges (penes enim ſacerdotes Ægyptiorum erat imperium) auderet inſurgere, ſciret ſe in venenatos morſus incurſurum.

ORIS VIS.

HAc autem de cauſa oris vim deſcribere ſi voluiſſent, colubri ſignum protuliſſent: nam coluber nullis aliis corporis partibus validior quàm ore ipſo. Celebratum eſt illud ad horrorem incutiendum, δῆγμα ἀσπίδος, cùm virulentum & immedicabile vulnus aliquod intelligi volumus. *Adagium.* Aſpidum ictui vel nullum, vel rarum admodùm remedium inueniri, tradit Aelianus, compertúmque eſt plerumq; ictu læſos huiuſmodi, vix horis quatuor ſuperfuiſſe. Et Moſes cantico venenum Aſpidum ait inſanabile. Euſtathius, eam morſu lethiferum ſomnum ſuperinducere: Plinius, ea percuſſos torpore & ſomno necari tradit, eáque de cauſa ſomniculoſa dicitur à Siſenna. Color Aſpidis plurimùm niger, quibuſdam & cineritius, quandoque etiam Aſpis fulua deprehenſa eſt, quam ego in agro Bellunenſi vidiſſe olim reminiſcor.

IVROR IMPLACABILIS.

B IMPLACABILEM furorem Diuinæ literæ per Serpentem voluminibus implicatum, & qui *linguis miſcet ore triſulcis* (ita enim deſcribitur irritatus) expreſſêre, Pſal. 58. legas: *Furor eorum Serpentini furoris inſtar, & ſicut Aſpis*, & quæ ſequuntur. Incomparabilis porrò eſt in Angue furor, qui ſimulac ſe læſum ſenſit, ita veſanè furit, vt nunquam abſiſtat, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur, vt ait Euthymius. Et quoniam feritate, vti dictum, reliquas colubras Aſpides antecedunt, poſito genere ad iſtius accedit ſpeciem quæ maximè ſit intractabilis.

CONTVMACIA.

INDE aliud deſumitur hieroglyphicum: ſunt enim qui contumacem hominem, nulli quippe legum imperio, vel magiſtratuum edicto, potentiorúmve iuſſis parêre deſtinatum, per Aſpidem aurem obturantem aptè ſignificari tradant: ea ſiquidem vbi ſe excantationibus accerſiri ſenſerit, ſtatim vna in terram aure defoſſa, alteram cauda obturat, ne carminum vocem exaudiat, atque ita Magorum conatum eludit. Veram autem eſſe Serpentium excantationem, manifeſtiſſimè conſtat Pſalmo 57. vbi Dauid ita canit: *Furor eorum par eſt Anguium furori, ſicut Aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ vocem ritè quantumlibet excantantium non exaudiat.* *Serpẽtium vera excantatio.*

DE VIPERA.

VXOR INIMICA MARITO.

ADHÆC Vipera ſuo quodam ingenio prædita, extra ordinem ſua habet hieroglyphica, quorum illud præcipuum, quòd mulierem, quæ virum oderit ſuum, cui mortem etiam intentet, neque niſi coitus tantùm gratia blandiatur, per pictam Viperam ſacerdotes illi intelligebant: ea ſiquidẽ, vt apud Horum eſt, cùm mari copulatur, caput eius ori inſerat ſuo, atque in concubitus conflictu nimia voluptatis vi ſuperata, capite maris mordicùs amputato, maritum extinguit. Id cùm Plinius, Nicander, Galenus, tum plerique alij authores graC uiſſimi tradant, miror Albertum vnum è noſtris conatum eos redarguere, qui dicant Viperam in coitu mariti caput amputare. Sed miſſa faciam quæ Galenus & alij ſcripſêre in hanc ſententiam, Nicandri verò carmina tam pulchra minimè prætermittenda fuerint: *Viperæ generatio.*

Μὴ συγ' ἐν τρίοδοισι τύχοις, ὅτε δῆγμα πεφυγὼς
Ἑρπετὸς ἔχις δυσι τυπὴν ἀολόεντι ἐχιδνης,
Ἡ νίκα θορνυμένη ἔχθει δολερῇσι κυώδοντι
Θερμὰς ἀμυξ ἐμφῦσα πάρην ἀπέκοψεν ὁμοῦνα,
Οἵ ῥ' ἤτοι λαῶν μελεηδέα δαῖτα τυτθοὶ,
Τεννόμενοι ἐλάχες ἐπ' ἀμφὶ μητρὸς ἀέκαιν,
Γαστέρ' ἀναβρώσαντες ἀμήτορες ἐξεχύοντο.
Οἵη γὰρ βαρύθῃ πατρὸς μέτα τοῖσδε κακὸν ὕλην
Ὠδῖνες ὄφιες λεπτυρὴν θάλπωσι ῥηθέλην.

Quæ ſic Latinè traduci poſſent:

Dij meliora velint, ne tunc incautus apertis
In triuijs, cùm forte acres mas luridus atræ
Coniugis euaſit dentes, & fulminis ictum,
Vipereo occurras generi, námque illa in apertas
Excipiens ſemen fauces: caput inde mariti
Complexu in dulci abſcindit: moxdamna parentis
Extinctifera progenies vlciſcitur, al u o

M

Materna abrosa, & catuli sine matre oriuntur:
Sola etenim hæc animat fœtum, reliquæ oua colubræ
Per syluam excludunt, fouentq; in cortice prolem.

Neque me præterit, esse qui alia quædam Serpentium genera animal párere tradant, qua super historia multum diuq; annis proximè elapsis decertatum est inter literatos viros, lite adhuc sub iudice destituta, cùm etiam fuerint ætate nostra, qui has quas putamus Viperas vtriusque sexus electas viuariis inclusêre, easq; aliorum instar animalium coniungi, concipere, párere, educareq; fœtus suos experimento compererint, nullo parentum desiderato. Quòd si quis in hoc negotio plura deposcat, ab editis iam eorum libris desumendum fuerit. Sanè alia etiam est Viperę generatio: siquidem Aristot. vt apud interpretem Theocriti legitur, lacertam exiccatã ait in Viperam mutari.

FILII CONSPIRANTES IN MATREM.

VT verò reliqua prosequamur, filios aduersus matrem conspirantes, Ægyptij sacerdotes per eiusdem Viperę hieroglyphicum notabant. Quòd si quis hominũ tantum sceleris admisisset, articulatim eum acutis calamis cæsum, iubebant viuum super spinarum aceruos comburi, meritò maximum omnium scelus indicantes ei mortem inferre, à quo vitam quis accepisset. Hac verò de causa dicunt Viperas in parricidæ culeum includi solitas: nam Simia, quam Iuuenalis innoxiam appellauit, filios, vt in Cynocephalo diximus, suos necare ipsa solet. Canis verò & Gallus non alia de causa creditur cum his idem subire supplicium, nisi quia & ipsi impiè facere videntur, quòd & sorores & matres ipsas saliant. Sed quod ad parricidiũ attinet, non id tantùm animantium genus eo scelere contaminatur, verùm etiam phalangia, vt & Polypos & fluuiales Equos taceam, eadem prorsus impietate notata sunt: hæc enim fœtu numeroso, quippe supra triginta interdum, edita matrẽ, quamprimùm orta fuerint interimunt, nõnunquam & patrem, eo Viperis immaniora, quo illæ nascendi necessitate, hæc iam nata, nulla cogente causa, nullo inuitante commodo, sponte se parricidio polluunt. Non præteribo quòd Theophrastus negat Viperarum vterum à catulis suis exedi: namque author ille summæ inter Græcos diligentiæ, aliam in his maternæ mortis causam comminiscitur, disrumpi quidem spontè vterum, vtpote qui angustus adeò sit, vt tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere non possit. Idem marinis acubus euenire, quas admodùm tenues prolis multitudo disrũpi cogat. Quòd verò Dominus Pharisęos Viperarum sobolem vocat, ad Dauidicum illud spectare dicit Irenæus, *Alienati sunt peccatores ab vtero, ira eis secundum similitudinem Serpentis*, siue quia venenum semper sub lingua promptissimum habebant, siue quia erga patrem ingrati abdicatiq; sunt, nullam hæreditatis partem assecuti, siue ob perplexas vias, quas à recto itinere declinantes occupabant, per ambages & deuia progredientes.

Parricidæ supplicium.

Psal. 57.

ABORTVS.

PRÆTER hæc sunt è iunioribus, qui abortiuum incommodũ per Viperam mulieris pedi suppositam significare commenti sint, quod apud veteres nusquam memini me legere. Figmenti tamen huius causam minùs explodendam apud Plinium olfeciſſe videor: siquidem is traditum ait à veteribus, mulierem prægnantem si Viperam siue studio, siue incuria transcenderit, abortum facere, vsqueadeò Viperæ venenum vel afflatu solo in humani generis perniciem grassatur, fitq; ita Serpens ea humanorum partuum fascinatrix, quòd illi ritè párere non liceat, vt minùs iam miremur venenum illud quo Scythæ sagittas suas inficere consueuerunt irremediabili scelere, non aliis libentiùs rebus confici solitum, quàm Viperina sanie, & humano admixto sanguine.

Vipera mulieris pedi supposita, quid.

VVLNVS AMATORIVM.

QVÆ verò de morsu Viperę ponũtur à Platone Symposio, eius scilicet ictu tactos aperire nolle quid patiantur, nisi iis qui similiter ægrotant, mysticè, vti suus est mos, posita sunt. Sed cur Platoni veritatis discipulo innitamur, cùm liceat homini Christiano Platonis ipsius præceptores, Prophetas quippe & sapientes alios legere, qui de mundo, & iis quæ supra mundum sunt, accuratissimè differuêre, cœlestiq; numinis afflatu cognita, mortalium ingeniis cognoscenda proposuêre, perq; eos ad eam, quæ vera & sola est, sapientiam peruenire? In hoc autem Serpente, sacratioribus interim interpretationibus omissis, nostræ nobis imbecillitatis conscij, humaniora quædam prosequemur, quæ si non ad diuinorum intelligentiam, ad mores certè, & vitæ nostræ conditionem facere videbuntur, eamq; ingrediemur viam, quam admirandus Philon primus omnium videtur aperuisse. Dicemus igitur viperinum hunc morsum spectare nimirum ad illud amatoriæ mollitudinis hieroglyphicum, quod apud nos in Diuinis literis per Serpentem, qui Adamum decepit, probatissimorum authorum opinione designatur: in illo enim, vt hi tradiderunt, voluptatis, nequitiæ, mollitieiq; fomes delitescit. Picturata siquidem cutis, vt cum ipso Philone & aliis super hoc latiùs philosophemur, varias delicatasque rerum omnium illecebras præ se ferre videtur. Et mortale genus nulla re magis afficitur, quàm rerum varietate, cuius experimentum est in pictura, in fictili fabriliq; arte qualibet, aliqua ratione digesta. Quin & natura ipsa varietate ad lasciuiam vsque delectari videtur. Plantarum enim diuersicolores flores, varia germina, specioſi fructus, & alia atque alia forma, hisq; atque illis coloribus intincti, ac multiformes animalium facies, visum oblectant, quibus si supra modum delectemur in eorum admirationem nimiùm illecti, inhæsitare videmur

Viperinus morsus quid in Diuinis.

A videmur luto, proniq; in faciem procumbere, totoq; ventre serpere: terreno enim vescimur cibo, posthabito cœlesti: nam, vt optimè ait Horatius:

Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltrà quàm satis est, virtutem si petat ipsam.

Illo priùs aptè proposito subsequitur:

-- Quid censes munera terræ,
Quo spectan da modo, quo sensu credis & ore?

Adhæc comessationes & ebrietates, gulæ ministræ non minùs quàm mordax Serpens miseros artus animæ depascuntur. Reptatus autem nihil aliud significat, quàm animum qui attolli nequeat in sublime, semperq; deiectus ad sola terræ commoda prorepat. Spiræ conglobataq; volumina mille, quibus assiduè decipimur, laqueos intento veluti digito demonstrant. Latebris gaudet coluber, latebris & voluptas impura, quæ veluti in scrobibus & hiatibus, in humanis quoq; sensibus occultatur. Hinc apud Græcos Mycheæ Veneris sacra, quæ in specubus & abditissimis penetralibus celebrantur: μυχὸς enim secessus est. Et scitè Lysiteles Plautinus adolescens Trinummo, amorem lasciuum latebricolarũ hominum corruptorem vocat. Super hoc Tertullianus ita declamat: *Abscondat itaque se Serpens quantum potest, totamq; prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam euoluat, tortuosè procedat, nec semel totus lucifuga bestia.* hæc ille. Venenosa verò sibila veluti surrepentis ipsius mali blandimenta quædam sunt: nam boni specie decipimur. Adhæc futurum dicit Deus, vt homo Serpentis caput obseruet, ille hominis calcem aggrediatur, malorum illud affectuum principium contagionemq; mentis ex multiplicis voluptatis vsu indicat, cùm eus præcipua vis nostræ insideat cogitationi. Per calcem verò animæ pedem intelligimus, quæ illa est portio despicatissima, qua materiæ vti solo innitimur, altrix inquam, & cibaria potestas, libidinis irritamentum, & voluptariæ totius lasciuiæ magistra. Est hæc, inquam, Philonis sententia, cui D. Ambrosius è nostris libenter accedit, & ex Serpentis specie figuram delectationis intelligi asseuerat in Hexamero, & ad Sabinum epistola. Nam & Origenes reptile venenatum in nobis esse dicit, cùm mulierem aspeximus ad concupiscendum eam, atque vt in ea penetralia & sacra adyta subeamus, vnde sublimiora quædam ad puriorem aërem patefactis hiulcæ terræ foribus proferamus. Nónne idem Origenes de immaculato Virginis vtero, & ortus vitaq; eius integritate perpetua loquens, eam ait neque Serpentis persuasione deceptam, neque venenosis eius flatibus infectam? Cyprianus de Serpente eodem contra Nouatianum: *Plus metuendus est*, inquit, *& cauendus inimicus cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit, vnde & nomen Serpentis accepit, ea eius est semper astutia, ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia, sic à principio statim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit.*

Voluptatũ & Viperini morsus conuenientia.

B

DE SYRTIBVS ANGVIPEDIBVS.

FABVLAM Libycam ponit D. Chrysostomus oratione 5. ab istiusce modi commento non admodùm alienam. Esse quidem in Lybia ferarum genus ex promiscuo bestiarum plurium, & diuersorum generum coitu progenitum, id autem immane admodùm sęuumq; & ferocissimum circa Syrtes plurimùm versari, cibi gratia tum feras reliquas venatu, tum humanum pastum conquirere quàm auidissimè. Eius verò monstri naturam faciemq; forma esse huiusmodi conspicuam, corpus quidem muliebre, idq; admodùm formosum, lasciuè tumentes papillæ, totumq; pectus ac ceruix pulcherrima, colore cutis nitidissimo, mira ab eius oculis profluebat hilaritas, quæ intuentẽ quemlibet in amorem procliuiter alliceret, reliquum autẽ corporis horridum, & squamarum scabritie asperum & intractabile, infernè demùm in longum anguem desinebat, cuius caput in extrema parte positum acre admodùm esset & mordacissimum; alis non esse præditum, sed sphyngis instar factum, neque tamen eloqui, vt illæ faciunt, sed Draconum in morẽ sibilum tantùm edere acutissimum. Feras has tota Lybia plurimas, atq; omnium quę quot & qualibuscumq; pedibus ingrediantur velocissimas, vt nemo esset tam alacer, qui earum insultus effugisse gloriari posset. Animalia itaque reliqua quotquot nactæ fuerint, pernicitate sua fretæ ac robore, per vim assequũtur, & opprimunt, sed vnum hominem dolo tantùm blanditiisq; adoriuntur, & superant, vtpote quæ pectoribus tam amabilibus ostẽtatis, spectatores vti præstigiis implicant, fallacissimosq; amoris laqueos intentant conciliandis congressibus admodùm idoneæ, in hos quippe cum inciderint, nullũ ciẽt tumultum, nihil hostile minantur, immotę verò manẽt, oculis interim ad terram magna cum modestia deiectis, instar specioſæ lepidæq; fœminæ ad colloquij congressum inuitant, lenociniisq; omnibus alliciunt: simulac verò quis, vt voluptuosorum hominum imprudẽtia est, cominus accesserit, extemplò eum arripiunt, iniectis quas aduncis vnguibus præditas habent manibus, tandiu priùs occultatis, quoad prædæ capiundæ oblata sit occasio, insurgit extemplò Serpens à tergo aggressus, apprehensumq; lethali morsu transfigit, venenoq; immisso necat cuestigiò, mox cadauer miserabile Serpens, & feræ ipsæ lætantes vnà socialiter depascuntur. Adhæc addit Herculem Libycum iter eà facientẽ in eas incidisse, quas vbi primùm è lõginquo prospexisset, cursum arripuerit pernicissimũ, illæ autem cùm diu nec ignauiter subsecutæ, prædã tamen eam nancisci minimè potuissent, indignatione succensæ omnem in se crudelitatem conuertêre, ora pectoraq; vnaquæq;

Fabula de Vipera ex D. Chrysost.

Herculis Libyci.

sua fœdissimè dilacerata discerpentes. Ita monitos esse nos debere, vt more Herculis, improbitatem atque lasciuiam tantummodò fugiendo superemus. Quod quidem figmentum ex aurea illa Ecclesiastici sententia mihi desumptum videtur, *Peccatum tanquam Colubrum fugiendum*, paratum id enim esse vnumquemque ad se accedentem haud grauatè suscipere.

FAVNVS ANGVIS.

Eadem habetur folio 494. F.

HVIC perquàm simile est quod apud antiquiores Græcos super Hecate proditum, eã alij Semelem vocant, quæ tandiu Fauni patris nequitię restitit & obluctata est, etiam virga myrtea verberata, & vino oppressa: donec ille in Anguem transformatus, filiam spiris vndique colligatam improbitati suæ parêre compulerit. Cuius fabulæ apud veteres indicia fuerunt, ab Hecates tẽplo longè summota myrtus, vitis supra caput signi eius extensa, vinumq;, quod proprio nuncupare nomine non licebat, sub lactis vocabulo inferri solitum, quiq; ibidem passim obrepunt innoxij Serpentes, quæ quidem fabula facilè ostendit eandem diuinarum humanarumq; rerum disciplinam vniuerso mortalium generi diuinitùs in vsu habitam, sed ab aliis nullo verborum aut rerum inuolucro, ab aliis sensu mystico, ab aliis per symbola, ab aliis per similitudines, per fabulas ab aliis memoriæ scriptorum diligentia commendatam, aut à patribus acceptam, posteris per manus proditam: lacessit enim assiduè humanum genus, quod & Apostolus Paulus apud Deum queritur, *Faunus pater naturæ stimulis importunus*, id est, originis ipsius compages coagmentatioque, & modò myrto, hoc est, imaginatione Veneris, modò vino, hoc est, lætitia & hilaritate, modò spiris ingentibus, hoc est, multiplici voluptatis ipsius varietate suggesta, nos oppugnat, perque eam demùm exuperat. Atque hæc illa patris domus, cuius obliuisci nos debere, admonet Propheta. E

SENSVS A VOLVPTATE, MENS A SENSV DECEPTA.

Lapsus viri & mulieris.

MVLIERIS porrò figura apud Diuinarum literarũ interpretes pro sensu accipitur, viri verò pro mente, vnde quidam Adam, terrenam mentem interpretati sunt. Hic igitur siue Faunus, siue, vt nostri rectiùs, Serpens accingit se primùm ad expugnandam mentem, subuertendúmque intellectum. Hic sua virtute opibusq; fretus, hostem repellit acerrimè, vti Adamum decet. Quid ille vafer & malignus? Eam adoritur, sensus ipsius obiectat commoda, delicias proponit omnes, voluptatum explicat illecebras, quarum gustu vel minimo expugnatur Euæ imbecillitas, illa incautum opprimit Adamum, mendaciumq; commenta, lenocinio suo atque blanditiis eum cogit aberrare. Athanasius sanè cùm puritatem animi, quæ in Adamo primitùs fuit, in spiritualium rerum contemplatione tantùm occupato, metaphoricè Paradisum à Mose nominatum ostendisset, ibidem adiecit quo pacto sensus mentem à spiritalium rerum meditatione Serpentis consilio ad corporis voluptates auerterit abstraxerítque. Diuus Augustinus in 48. Psal. *Singulis*, inquit, *nostrùm inest mulier hæc: quippe caro nostra, Eua est, quæ seducit virum, id est, rationem: per quam carnem labitur homo, quem lapsum calcanei nomine quòd à Serpente fuerit impetitum, Prophetæ appellauerunt.* Hinc Menander Samarita occasionem sumpsit sceleste pernicioſiq; dogmatis, qui nuptias & generandi studium à Viperinæ naturę satana mentiebatur emanasse.

SENSVS QVINQVE.

Saturnus ὁ πρεσβύτατος appellatus.

IN Euangelica lectione virgines quinque fatuæ totidemq; prudentes cum lampadibus producuntur, quæ, vt Ambrosius putat, sensus quinque in sapientibus suo lumine lucidos, eosdemq; in insipientibus erroris tenebris offuscatos indicarent. Quare videndũ an Fulgentius rectè ex Apollophanis Epico, vt ipse dicit, carmine, commentus sit Saturnum satum ἀπὸ τοῦ πρεσβύτατος appellari, quod ἀπὸ τοῦ Græcè Sensus dicatur, quem pro Mente & intellectu poni passim inuenimus, nisi ea de causa vocabulum vsurpemus, quòd per sensum, vt Aristotelici, ad rerum cognitionem deuenimus: à νοέω enim νόος. Quod tamen alicubi νόος significatũ vsurparit pro sensu, id in Aonibus Valentinianis habetur: nam is Aristotelem secutus, λόγον à Νῷ emissum prædicabat, rationem quippe à sensu proficiscí, de quo Irenæus lib. 11. cap. 32. & 40. nam hæc nunc nostri non sunt negotij. Duo verò sunt, si credimus Aristoteli, quæ nostri ad vnamquamq; rem motus causa sunt, vel ipsa scilicet cogitatio, si nunc intellectum vereamur appellare, vel sensus: rerum enim aut vtilium, aut cõmodarum, aut quas quoquo modo bonas existimamus, imaginatio, vel ab ipsa cogitatione procedit, quia tales fore existimamus, vel ab eo quod sensu experti sumus. Ipsa igitur vel cogitatio vel sensus, imaginationem creat, imaginatio statim excitat appetitionem, appetitio affectum, affectus motum, vt ad assecutionem perueniatur. Nostri igitur primi parentes duo, intellectus & sensus. Intellectum verò hîc accipio cogitationẽ quæ certo sit cursu peracta. Sensus vbi intellectui páret, perpetua vtitur tranquillitate, ipsoq; deliciarum paradiso perfruitur, vbi verò intellectus sese sensui manciparit, tota aberrat via, & à priore illa amœnitate quieteq; ad labores, & inuisas rerũ omnium turbas eiicitur. F

MALVS DÆMON.

QVòd verò malum dæmonem per Viperinam figuram indicamus, multorum consensus accedit. Nam & apud D. Hieronymum Draco inter Diaboli cognomenta numeratur, & diabolus locutione Mali sæpe ponitur, vt in prece quotidiana diceret Cyprianus, *Sed libera nos à malo*, quod tamen ipse, *Libera nos à maligno*, protulit. Sed præcipuè Ecclesiastici 10. eo loco: *Si momorderit Serpens*

A *Serpens in silentio*, si quem, ait is, Serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, & quæ super pœnitentia sequuntur. Et causam addidêre nonnulli linguæ motationem, quæ tam multiplex appareat, ex quo multiplicia eius incitamenta interpretantur. Nam qui eius minister est, aliud porrò lingua loquitur, aliud corde meditatur, his Dominus ait: *Generatio Viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali?* Et in Diuinis literis alibi: *factum silentium in cælo*, legas, *dum committeret bellum Draco cum Michaële Archangelo*, alibi contritum ab Assertore nostro caput draconis in Iordane fluuio, atque ita nos ab eius dominatione liberatos, & huiusmodi pleraque alia. Nam & Pythones genus dæmonum est, & Pytho Serpens apud gentiles effingitur, quem Apollo sagittis confecerit, quod quid sibi velit, alibi diximus. De Pythonibus habemus in gestis Pauli, qui vnum ex his exire iusserit è muliere, quam is occupauerat, propterea quòd clamitabat illa, & Paulum & eius comites esse seruos summi Dei, qui viam salutis annunciarent. *Id verò dolebat Paulus*, inquit Origenes, *quòd indignum iudicaret sermoni suo à Pythonis ſpiritu teſtimonium exhiberi.* Et Reg. 1. *Saul mulierem, quæ Pythonem habeat, ſibi ſiſti mãdat, vt per incantationes, Samuelis animam euocaret.* Sunt qui dicant (vt hoc κατὰ παρεργον admoneamus) Samuelis non animam, sed imaginem Pythonissæ aggestam, sunt qui Dei permissu veram animam asserant, vt ex calamitatis, quæ Sauli totiens prædicta fuerat, assueratione, acriùs cruciaretur: alioquin, vt Deut. 18. *maximè eum abominatur Deus qui Pythones consulat.* *Pythones quid.*

DELECTATIO.

B QVANTVM verò pertinet ad delectationem, audimus Deum Opt. Max. ita illum execrãtem deuouentemq;, vt super pectus suum & ventre incumbens suo, sit semper incessurus, Serpens, quod, vt diximus, Philoni, Ambrosio, Athanasio, & aliis subscribentibus, de terrenis delectationibus intelligitur, quare in id quoque deuouit Serpentem Deus, vt terra perpetuò vesceretur. Ac ne Menippeam fabulam ab aliis recitatam seriis his admisceam, adagium illud ex ea tantùm attingam, quod de Lamia fertur, quæ libidinis appetitu, percita, Menippi admodùm iuuenis sanguinem deglutire cupiebat, ab Apollonio Tyanæo, vt memorat Philostratus, dictum ὄφις φιλοφεῖς, ὁ δὲ ὄφις, *Anguem concupiſcis, teq; Anguis*, quòd is scilicet mulieres appeteret, & ab eisdem identidem expeteretur. Quid Plato? nónne Mosaicam secutus historiam ait Phædro, dæmonem aliquem in ipso statim principio rebus humanis voluptatem immiscuisse, veluti oblectamentum aliquod non inconcinnum, adulatori grauissimæ bestiæ, maximæq; calamitati, natura inseruerit? *Adagiũ, ex Menippea fabula.*

LIBIDINIS ANTIDOTVM.

Serpens à ieiuni hominis ſputo neeatur, & quare.

ANIMADVERTENDVM verò est naturam ostendisse nobis, ieiuni hominis sputo Serpentem necari posse, ex quo tacitè submonuit, Venereas voluptates libidiniſq; ardorem, ieiunio idẽtidem extingui: nam hæc sine Cerere & Baccho, vt ait ille, omninò frigent. Et Matth. 9. adolescens ab impuro oppressus dæmone, nonnisi oratione & ieiunio curari potest, vt Assertor noster admonuit. Et quoniam sunt quibus commẽtitium hoc videtur, asserit id Galenus περὶ κράσεως tertio, asserunt idem Alexander Aphrodiseus, author minimè contemptibilis, & Plinius, & plerique alij rerum naturalium scriptores, qui rem ita tradunt: *Si saliua ieiuni hominis in os, vel vulnus Scorpionis, vel Serpentis, vel alterius venenati animalis inciderit, & ad interiora penetrauerit, exitialem eis esse.* quod & Lucretius his versibus tangit;

Eſt itaque vt Serpens, hominis quæ tacta ſaliuis
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.

C Causam Philosophi perscrutantur, aiuntq; fieri hoc ob magnam inter vtrumque animal contrarietatem, Serpens siquidem, frigida & sicca est corporatura, homo autem calida & humida, hinc alterum alterius visu tactuque exhorrescere, humanoq; sputo tactum Anguem æquè fugere, ac si feruentem in aquam incidisset, id si penetrarit in fauces, etiam extingui. Quòd verò aiunt pollere ad hoc ieiunioris hominis saliuam, sciendum & ab ieiuno quoque morsum esse pestilentem.

PETVLANTIÆ FINIS.

NEQVE absimile est à sacris inuẽtis, quod de Chimæra dicitur, cuius extrema pars in draconem desierit. Amorem enim lasciuum per figmentum illud significari tradunt authores optimi, cuius finis quinam alius esse potest, nisi voluptuosa procacitas? quæ tamen, vt ex voto facta transactaq; omnia sint, venenum demùm interneciua animi exulceratione relinquit, quæ latiùs in Leone, vbi de Chimæra agitur, sunt explicata, vbi & quid super hoc Hesiodi interpretes afferunt, addidimus. Talis dubio procul Serpens incautam Eurydicem afflixisse fingitur à Poëtis.

VOLVPTAS MATVRE EXTINCTA.

HERCVLEM verò, quem vetustas illa pro virtutum omnium tam animi quàm corporis idea proposuit, Angues etiamnum in cunabulis elisisse canunt, quippe eum innuentes, qui ad magna præclaraq; negotia sit natus, debere, vel à teneris vnguiculis extinguere voluptates. Meritò igitur insigne facinus hoc vtili omnibus exemplo futurum, tot in marmoribus sculptum videas, atque in numis etiam, cuiusmodi ille est, cuius altera facies inscriptionem habet ΚΡΟΘΩΝΙ. Literæ verò reliquæ in numo quem attrectauimus, detritæ sunt. Quod si qui figuram huiusmodi autumant institutam, vt fortitudinem, incolumitatem, ac membrorum robur, quo Croroniatæ

vulgò præditi ferebantur, Herculi commendarent, non laboro, quippe qui non ignorem bonæ valetudinis laudem scriptorum omnium consensu Crotoniatis attributam, adeò vt in vno certamine Olympico septem viri, qui reliquos virtute præcesserant, pariter Crotoniatæ omnes sint reperti, quod latiùs apud Strabonem libro Geographiæ sexto. Vnde etiam dictum illud emanarit, κρότων ὑγιαστέρων. Deq; optima valetudine Plautus ait, pugilicè, atque athleticè: nam membra fortia vegetaq; magis omninò ea sunt, quæ minùs sese voluptatibus & nequitiæ dediderunt. Sed vt ad Anguem reuertamur, ne adeò mirum sit eum voluptatis & libidinis habere significatum, legimus apud Plutarchum eos puellarum amasios aliquando deprehensos esse, omniaq; amoris & nequitiæ signa præbuisse, veluti is qui Ætoliæ cuiusdam amore captus, noctu eam adire suetus, puellæ corpori circunfusus, hac atque illac illabens, illam nunquam neque vltrò, neque inuitus lædebat, opportuneq; sub diluculum recedebat, quod cùm ij, quibus puella curæ fuerat, intellexissent, eam aliò migrare compulerunt, Serpens per triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateq; circuire illam quæritans, quam vbi mox inuenit, casu illi obuiam factus, non vti solitus erat mitis & blandus, sed asper & horridus in eam insilit, manibusq; primùm spira ad corpus adstrictis, caudæ residuo femora flagellabat, leuem quidem iram præ se ferens, quæ licèt indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen apertè demonstraret.

Aetoliæ amasius puellæ cuiusdã.

ARAXA.

NEQVE quidem dissimulandum, quòd Scythę huius salacitatis ergò, quę per Serpentem symbolicè fingitur, Araxam famosæ libidinis fœminam, cuius Diodorus tertio meminit, semiuiperam figurabant, humana quippe forma vmbilico tenus, reliqua Viperina. Ferũt hanc cum Hercule copulatam filios tres genuisse, Agathyrsum, Gelonum, & Scytham iuniorem, qui totidem gentium mox authores fuisse perhibentur.

CONTINÆNTIA.

Dan Serpẽs cur ex ære.

IN sacris Hebræorum literis Dana Serpentem æreum Moseos admonitu factum legas, qui aduersantem voluptatibus virtutem præ se ferebat, hominemq; à pestifero quouis veneno sospitem reddebat, ea est continentia, atque constantia, atque ideò ex ære, hoc est, fortiori perenniorique materia conformatur: æs enim valdè solidum est, neq; vlli obnoxium rubigini, quare *nexas ære trabes*, apud Virgil. legas, ad perennitatem catenarũ, &, *monumentum ære perennius* apud Horatium eodem sensu. Idem & viuentium salubritati aduersus putrescentia efficacissimo est remedio. Acuti quoq; mucrones ærei cadaueribus infixi, ea ne putrescant, vel vt diutissimè saltem asseruentur, efficiunt.

CALLIDITAS.

SED neque calliditas prætereunda est, quæ per Serpentis imaginem indicatur. Et Moses prudentissimum inter bruta Serpentem dixit. Animal prætereà motu varium est, atque ad subsidium defensionemq; præcipuè paratum, quodq; hostem vlcisci probè possit & norit. Draconi verò similis est virtus indagatrix, quæ diligenter omnia perscruteretur, rimerurq; studiosissimè, ideoq; ab acuto visu nomen illi factum. Et quoniam in primis voluptatem ex eo significari diximus, vt quod instat agamus, ea demum vera voluptas est, quę ex intellectu depurgato, & sano sensu perfectissima redditur, vnde absolutum oritur iudicium, quo freti possumus nosmetipsos prudenter tueri, atque sapienter conseruare. Quod igitur vitę periculum amatorię morsiunculę, & voluptatum vulnera, intortiq; deliciarum laquei intentare videbuntur, id omne temperantia depellat, longeq; summoueat: illa enim vna incontinentię opponitur aduersaria, Equum hęc, vtpote ferocientis improbitatis & vitioſę cupidinis simulacrum, mordeat, atque ita vitio prostrato, sessorem in virtutis æqua planitie sanum incolumémque sistat.

PIERIVS VALERIANVS
AD ACHILLEM MAFFÆVM PATRITIVM

Rom. de Serpente in aliquot signis militaribus, deq; caduceo ad rem ipsam,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XV.

VI verò opusculum hoc alterum de quibusdam Serpentis significationibus, in signis præcipuè militaribus, deq; caduceo, nuncupem potiùs, quam tibi, Clarissime Achilles? qui præter absolutam Legum peritiam, totius etiam es antiquitatis non incuriosus assectator, cuiq; hæc domi nascuntur tam patris tui viri elegantissimi cura, quàm accuratissima aui illius tui clarissimi diligentia, qui cùm à secretis Pauli Veneti II. P. M. esset, quantulumcumque otij publicis à negotijs surripere poterat, totum id rerum harum cognitioni studioq; tradebat, meq; fateor à vobis mutuò accepisse plurima in toto hoc negotio meo, quæ tibi reddere, post rem arbitrio meo digestam, iustum æquumq; existimaui. Accipies igitur à me redhibitionis, sed liberæ & ingenuæ

ingenuæ nomine, multarum rerum expressa significata, quarum figuræ imaginesq; apud vos laudabili cura custodiuntur, illudq; præcipuè familiaribus nobilium domorum insignibus argumentum, contra iuniorum quorundam eruditorum opinionem scriptum ostendisti, quod ex ipsa vetustate desumptum, & apertissimè comprobatum perlegisti. Subieci, me quoque sentire tecum, & in hoc comprobando non parum allaborasse Imperatorum veterum atque adeò militum insignia, & in parmulis & in signis more nostro picta fuisse multa enumeraui, præsertim eorum qui Serpentem protulissent: nam circa caduceum solicitus plurimùm esse videbaris, & quæ de principatus hieroglyphicis multa disserui. Iussisti mox vt ea omnia conscriberem, quòd per otium ea recognoscere constituisses. Quàm primùm igitur mihi quoquo per otium licuit, quod optare te tantoperè contenderas, efficere procuraui, idq; quàm libentissimè, qui quantum in lucris ponerem non ignorabam, simulque mihi stimulus addebatur ad studia hæc veluti postliminiò reuisenda, quæ in multarum occupationum quasi concursu, diutiùs fuerant intermissa. Tuæ præterea humanitatis opera, multa in melius reſarciri posse videbam, vt ita minimè fortè peritura esset lucubratio mea, quæ talem tantumq; sibi argumenti huius non lectorem modò, verùm etiam adiutorem comparasset: censuram enim doctrinamq; tuam spero mihi plurimùm profuturam.

IMPERATOR.

PRIMVM igitur hieroglyphicum in hoc genere illud erit, quod ad rerum summã pertinet. Sacerdotes enim Ægyptij si vellent Imperatorem, aut potentissimum quempiam Regem per institutas ab eis imagines indicare, Anguem, vt apud Niliacum Horum est, in spiram collectum faciebant, palatij cuiusdam specie in voluminum medio statuta: siquidem domus regia in imperij totius centro sita esse debet, vt omniũ æquè commodis consulatur. Nam Plato Legum quinto, Reip. suæ vrbem iubet in medio regionis, quo ad fieri potest, poni. Et Geneseos 23. cùm dicendum esset, *Erat autem Ephron longè princeps Hetheorum*: scriptum inuenias ad huius instar hieroglyphici, *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Hethios*. Hinc rerum scriptores memoriæ non temerè prodiderunt, Antoninum Pium in vrbe semper sedisse, vt ita medius nuncios vndique citiùs accipere posset, ideóque ne longiùs abesset, nullas vnquam expeditiones obiuit, prædia sua tantùm in Campania nonnunquam visere contentus, quamuis esse scio, qui factum hoc ab eo dicant, quòd grauem esse prouincialibus comitatum Principis etiam nimis parci existimaret. Diodorus autem licèt alia quoque Serpentis significata commemoret, quin tamen & imperium ex eiusdem animantis pictura intelligi possit, nequaquam inficiatur. Quidam hominem regni potitum hieroglyphicè ita describunt, vt eum manu Serpentem comprimere indicent, cuiusmodi simulacrum est in numo Aurelij Cæs. Aug. Pij filij, in quo sigillum est, Serpentem à medio manu tenens, admouentem caput dexteræ cibum porrigenti.

Regia domus vbi esse debeat.

Numus Aurelij Cæsaris.

OSCVS.

MANETHON Ægyptius author, quisquis ille fuit, ait Oscum, qui Tyrrhenis imperauit, insigne Serpentis habuisse, Oscosq;, ait Seruius, populos dici vbi plurimùm Serpentes abundant, in Campania quippe: nam Oscum hunc aiunt coloniam eò transmisisse, Hetruscis tunc Italiæ ferè totius rerum potientibus, vrbémque in ea regione longè principem, ab accipitris augurio, quem Hetrusca lingua Capym appellabant, nominasse, vt scriptores quidam vetustiores memoriæ prodiderunt, licèt tempore succedente creditum sit, eam ita à campestribus locis nuncupatam. Poëtæ verò Hecatæum secuti, eosdémque Hecatæus, Capym Troianum virum vrbis authorem fuisse tradunt, & ab eo nomen. Sed hæc vtcumque fidem faciant (in nulla enim re magis authores diuersi abeunt, quàm in vrbium originibus repetendis, dum Græci sibi omnia adscribunt, Latini sua possidere contendunt, nationes pleræque aliæ non ignobiles esse volunt) satis constat Oscum, Aegyptiorum principum more, Serpentis insigne gestasse, & Oscos eius colonos inde nuncupatos. Oscus dubio procul Hetruscum nomen est, & apud eos ad hæc vsq; tempora Viperæ Oscorzones appellantur, si modò Vipera Serpens ille sit, qui tota Venetia vulgò Marassus dicitur. Et sacræ apud nos literæ Serpentem principis elogio nominarunt, dum ait Assertor noster, fore vt huiusmodi princeps foras eiiciatur, cùm de diabolo loqueretur, qui per Serpentem multis in locis vtriusque institutionis nostræ figuratur. Hanc interpretationem D. Ambrosius è nostris nequaquam aspernatur.

Osci populi, & Capys vrbis origo.

IVNO DOMINA.

ET indicandi dominij causa, in Iunonis quoque dextra Serpentis caput statuebatur, in læua verò lapideum sceptrum, cùm Iuno ipsa dominij præses apud gentes haberetur, incederetq;, vt ipsa de se apud Virgilium dicit,

----Diuûm Regina, Iouísque
Et soror & coniunx.

IVNO CONSERVATRIX.

NAM in Iuliæ Mameæ Aug. numo simulacrum est, sinus fluentes collectum, læua hastæ adnixa, dextera Anguem in spiras conuolutum porrigente, vbi Anguis omninò Imperium, hasta Defensionem indicat, quod vt coniiciam facit inscriptio, quæ in hunc modum legitur, IVNO CONSERVATRIX.

Iuliæ Mameæ numus.

ORBIS DOMINIVM.

Dictum in potẽtiores.

SERPENTES quoque Leonibus, qui Opis deæ simulacro apponebantur, adjuncti, terrarum orbem vel orbis ipsius dominium significabant. Argutum verò dictum apud Græcos contra potentiores ciuili quadam libertate iactari solitum, ὄφις, εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων ἐ γένηται: hoc est, *Anguis, nisi Anguem comedat, non fiet Draco.* Nam inter Serpentum genera, Dracones ij vocantur, qui corpore sunt immaniore, vastioreq; magnitudine, tametsi pro quocumque Angui plerunque nomen hoc authores vsurpãt. Quem igitur Imperatorem statuas, eo adagio ajebant illi, ei necesse esse Reges & Principes multos deglutire, vt ita Rex regum fieret, & dominantium dominus.

IMPP. DVO.

Græcorum numisma.

IN Græcorum etiam numis dominium per Serpentum effigiem significari obseruauimus: nam in numo quodam videas Serpentes duos ad semicirculi curuaturam inuicem spectantes, caudis introrsum incuruatis, cuius inscriptio dominium penes duos esse demonstrabat: ita enim habebat, ΔΥΝΑΡΧ. ΕΞ ΥΠΑΤ. Β. Quod ita apertiùs exprimitur, δυναρχία ἐξ ὑπάτων δύο.

PROVINCIÆ PRINCEPS.

QVOD si regem Ægyptij prouinciæ tantùm alicui iura legésque dantem pingere voluissent, dimidiatum, vt apud Horum est, Anguem figurabant, per animal quidem Regem, per segmentum verò, quòd non vniuerso imperaret orbi, subindicantes: omnipotentem siquidem ex integro Dracone intelligi, superiùs ostensum est. Sanè Anguis ille, qui Tarquinij Superbi animum perculit, anxiúmque reddidit, cùm à columna lignea repentè elapsus omnes vertisset in fugam, tota rei miraculo curia consternata, nimirum significabat nouum & inexpectatum principẽ, eundémque iuuenem L. Brutum, de columna lignea, hoc est, de stupore, quem diu simulauerat, proditurum. Lapis enim & caudex, pro stupido & alienatæ mentis homine, apud Comicos ponitur.

Tarquinij Superbi Anguis, quid.

REX OPTIMVS.

SI verò Regem optimum significare procurassent (κάλλιστον enim, non autem κάκιστον, in emendatis Hori codicibus habetur) Anguem vtique in orbem collectum effingebant, cauda mordicùs apprehensa, sed regis nomen in spiræ medio describebant. Quin etiam certam Anguis speciem, μεσὸν cognominatam, huic significato adhibebant. Cur verò Anguem fingerent sibi caudam admordentem, authores quos sequimur nusquam tradunt, sed si ariolari licet, indicabat, omnia vsque ad minima vltimáque curæ esse Regi, qui bonitatis nomen sit adepturus, cùm ea præcipuè de causa Sardanapalus & plerique alij infames habiti sint, quòd simulac ad principatum peruenêre, omni abiecta cura sibimet tantùm vacare, séque vnos curare instituerunt.

REX TVTELARIS.

QVOD si Regem Aegyptij suum vel alium quempiam in obeliscis aut monumentis aliis curam populi sui gessisse regiam attestarentur, eumq; tutelarem fuisse cõmonerent, Anguem vigilem, vertice quippe surrecto, elatóque pectore sculpebant, cuiusmodi species adhuc plerisq; locis inspicitur, hîc verò pro regio nomine CVSTOS inscribebatur, vtpote quòd æquè vigilabundum esse deceat Regem, cui gentium regniq; tutela sit curæ credita, quare apud Homerum Somnus Nestoris personam indutus, his verbis compellat Agamemnonem:

Vigilantia in Rege necessaria.

ἐ χρὴ πανυχιον δ'δειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοὶ τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Quam sententiam ita reddamus:

Non decet ignauum tota producere somnum
Nocte virum, sub consilio, sub numine cuius
Tot populi degunt, cui rerum cura fidésque
Credita summarum.

Quod P. Scipio, vir alioqui rebus tot præclarè gestis omni laude maior, cùm minimè præstaret, somnolentiæ taxatione malè apud Romanum populum audiebat, author Plutarchus libro ad Traianum Imper. de ciuili institutione. Sanè verò Dracones à visu, quem acutissimum habent, nomen apud Græcos habuêre. Palladi autem eadem de causa dedicatur, quia nomen id ἀπὸ τοῦ πάντα ἰδεῖν, καὶ βλέπειν, καὶ πρὸ πάντων νοεῖν, factum nonnulli tradunt, prudentiámque hinc interpretantur, quæ omnia perspiciat, & ante omnes intelligat. Carpit Horatius quendam, qui in amicorum vitiis tam acutè cerneret quã Aquila, aut Serpens Epidaurius, puto prouerbium secutus, ὄφεως ὄμμα. Neque temerè Aristophanes finxit Angues duos Pluti oculos in gratiam Aesculapij lambere, cuius rei beneficio ille ex cæco cernere cœpisset.

HEROS.

Draco cur Heroibus dicatus.

QVOD autem Heroibus in vniuersum Draco sacer habeatur, ea de causa Plutarchus, Agide, factum putat, quòd ex medulla hominis Serpens gigni soleat, quod non ignorauit Virgilius, cùm ad Anchisæ tumulum hæc accidisse memorauit:

----Adytis cùm lubricus Anguis ab imis,
Septem ingens gyros septena volumina traxit
Amplexus placidè cumulum, lapsúsq; per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro

Squammam

Squammam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerso sole colores.
Obstupuit visu Aeneas, ille agmine longo
Tandem inter pateras & leuia pocula Serpens,
Libauitq; dapes, rursusq; innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.

Quod quidem non temerè fictum à Poëta, sed ex historia desumptum. Athenienses enim contra Medos apud Salamina naualem pugnam inituris, Serpens draco in naui dicitur apparuisse, secundissimo rerum, quæ prosperè subsecutæ sunt, prodigio, cuius rei monumentum in Salamine templum fuit Cychreo, vt apud Pausaniam est, dicatum, quòd Apollo responderit Serpentem illum Cychreum heroëm fuisse, qui auxilium allaturus adueniisset.

EPAMINONDAS.

EPAMINONDAS autem Imp. ille clarissimus, qui ad Mãtineam tam fortiter occubuit, Draconis gestamine insignis fuit. Eo verò loco vbi prælium commissum est, columnam erexit antiquitas cum clypeo Draconem in eius memoriam sculptum ostentante. Quod Pausanias ideò factum arbitratur, quòd is ex Spartiatarum cognatione, quæ Thebis erat antiquissima, progenitus diceretur, quorum id gentile esset insigne, quippe quòd à seminio anguineorum dentium, quos Cadmus seuerit, oriũdi essent, Spartanosq; ipsos in Laconia inde originem duxisse nonnulli crediderint, quos olim ὀφιοδάκτους nuncupatos alia de causa historici tradiderunt: cùm enim annonæ caritate laborarent, compulsi sunt Serpentes, quorum vis magna in Laconia multiplicauerat, in humani cibi vsum conuertere. Sed quoniam de clypeis & gestaminibus militum atque cohortium multa dicturi sumus, quia id præcipuè contendebas, vt aduersus eruditorum quorundam sententiam veterum exempla tibi suggererentur, quò non esse nouum institutum familias variis gestaminibus tum colorum, tum dissectionum, atque etiam insculptarum in illis animantium, figurarum, plantarum, instrumentíve alicuius adiectione discerni, comprobare posses, priusquam ad horum explicationem aggrediar, alia quædam ad principatum & nominis claritatem per Anguem commonstrata dicere necessarium est. Sed priùs aliqua de ostentis.

Spartani cur ὀφιοδάκται olim.

AMPLITVDO NOMINIS.

IN ostentis enim summam nominis amplitudinem portendere Anguis fertur, nos iis tãtùm quæ ad imperium aut alium quemcumque principatum attinent, sed ad ea quoque quæ vel ingenio vel arte celebritatem sibi aliquam comparauêre, vt in histrione Roscio, artis suæ gloriam præmonstrauit: cùm enim puerum Anguis dormientem noctu complicasset, pater ad aruspices detulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.

Anguis varia portenta.

DOMINIVM.

AVRELIANO verò, quamuis modicis parentibus ortus esset, summum tamen imperium Anguis portendisse fertur, cùm eius pueri peluim plerunque cinxisset, neque vnquã occidi potuisset, postremò matrem eius, quæ templi Solis sacerdos erat, & aruspicinæ non ignara cùm hoc vidisset, Serpentem quasi familiarem occidere noluisse. Pari præsagio Seuero imperium præmonstratum est, cui dormienti, vt Spartianus ait, in stabulo, Serpens caput cinxit, & sine noxa, expergefactis ac acclamantibus familiaribus, abiit. Quin & Maximini iunioris, quẽ pater secum Imperatorem appellauit, caput dormientis Serpens circundedit, futuræ dignitatis argumento. Quid autem somnia? nónne ipsa quoque vel in conceptu vel in partu quotiens Draconem obtulissent, eiusdem amplitudinis prænuncia fuerunt? Mamæa Alexandri Seueri mater, pridie quàm puerum eum pareret, somniauit se Dracunculum enixam edidisse. Nam & Alexãdro Macedoni Draco dominij claritatem præsagiuit, qui marri Olympię congressus est in somniis. Hoc idem de Pomponia Africani Scipionis matre traditum est, & ipsi Draco circunfusus nihil attulit nocumenti. Dedit & Augusto Imperij præsagium ostento simili. Nam cùm Actia mater eius ad solẽne Apollinis sacrum media nocte venisset, positaq; in templo lectica, dum cæteræ quoque matronæ dormirent, obdormisset, visus est Draco repentè ad eam irrepere, pauloq; post digressus, illa verò expergefacta quasi à cõcubitu mariti se purificauit, & statim in corpore eius extitit macula veluti picti Draconis, quę nunquam eximi potuit, adeò vt publicis inde balneis perpetuò abstinuerit. Sedenim facile fuit ostenta, quæ principibus viris aut nobilitate aut opibus claris accidissent, ad futuram eorum amplitudinem accommodare, quid autem de seruis dicemus infima fortuna genitis? Spartacus venalis cùm Romam delatus esset, deprehensus est dum quiesceret, habere sub capite Draconem in spiram complicatum, quem Thracia itidem mulier conspicata vaticinandi peritissima, signum esse dixit magnæ cuiusdam & formidabilis potentiæ, quæ tamen infaustum esset exitum habitura. Idem Serpens vbi defectus casu aliquo fuerit, imperij adesse finem idem ostendit. Nam Tiberius Cæsar Serpentem Draconem in deliciis habere solitus, eique manu sua cibum ministrare, quem cùm is corrosum à Formicis reperisset, monitus est cauendam sibi esse vim multitudinis: Formicas enim populi significatum habere, non fabula tantùm Pelei Thessaliæ Regis, verùm & portenta & prodigiosa somnia declarant. Nam & Nero paulò antè

Mamæa somnium.

Actiæ somnium.

Thracia mulier.

quàm

quàm extingueretur, visus est sibi per somnium pennatarum Formicarum multitudine oppleri. D Sedenim de Formica loco suo plura. Quod ad Serpentem pertinet, idem Nero qui Serpẽtis spolium à matre pro amuleto commendatum, brachio alligatum aliquandiu gestauerat, inde memoriæ maternæ tædio abiecerat, tunc id perquisiuit incassum, cùm omnia contra se fremere comperisset, maternæ erga se pietatis serò memor.

ASIA.

Tres Serpẽtes quid.

ANTEA verò quàm militaria signa promoueam, scrupulus ille mihi videtur eximẽdus, quòd nonnulli per Serpentes tres, Asiam prouinciam significari putant, non secus ac Ibes Ægyptum, Elephanti Africam, Cuniculus Hispaniam, Equus Italiam, quæ sigillatim suo quæq; Commentario declarata sunt. Id ea de causa suspicari videntur, quòd numi plerique argentei conspiciuntur, quorum inscriptio est, CÆSAR IMP. VII. ab altero latere Angues tres, quorum duo pectoribus hinc inde sinuosè surrectis attolluntur, tertius iacens, capite caudam vnius, cauda verò caudam itidem alterius implicat. Hos inter Victoria surrigitur calathisco insistens, quippe ad ipsius terræ Asiaticæ feracissimam vbertatem significandam. Inscriptio verò est, ASIA RECEPTA. Sedenim ego Angues eos tres indicare crediderim, Imperium Romanum tres iam orbis partes occupasse: Europam enim diu possederant, Africam paulò antè subiugarant, nunc Asia recepta, & ad reliquas applicata, tertiam quoque partem adepti videbantur.

PRÆFECTVS MILITVM.

Cæsaris numus.

QVOD verò pertinet ad insignia militum, numus est Cæsaris Dict. III. in quo Victoriæ caput est, alatũ quippe, & capillis in nodũ collectis, ab altera cuius facie Roma gradiens, stola ad pedes demissa, capite, vti mos, galeato, ancile sinistrâ gestans, læuâ trophæum, quod humero E inhæret, sustentans, à latere verò Serpẽs Draco prorepit capite surrecto, magnis voluminibus terga trahens, cuius inscriptio est, C. CLO. VI. PRÆ. M. Caius Clodius VI. præfectus militum.

Capita Draconum.

In sacris literis legas, Draconum capita in aquis à Deo contrita, quod Psalmo quarto supra LXX. habetur, quod milites, cẽturiones & duces cos significat, qui fuerant à Pharaone immissi, vt Hraëliticũ populum persequerentur, ij aquarum mox inundatione suffocati sunt, atq; ita cõtriti, quódque mox sequitur phrasi longè insigniori, *Tu confregisti caput Draconis*, Pharaonem ipsum intelligit. Qui mysticum sequuntur sensum, hæc ad Christum referunt, qui dæmonis vim omnem sustulerit.

COHORTES.

Insignia cohortium.

QVIN & cohortium erant insignia, pérque singulas earum, vt Flauius Vegetius scribit, ferebantur ad prælium à Draconariis, quo nomine κατ' ἐξοχὴν, signiferos omnes appellitabãt. Quo verò pacto gestarentur, videre est apud Ammianum Marcellinum, vbi pompam describit, quam Constantius Imp. vrbem ingrediens duxit: erant enim, vt is inquit, & Dracones hastarum aureis gemmatisq; summitatibus illigati, hiatu vasto perflabiles, & ideò velut ira perciti sibilantes, caudarúmque volumina relinquentes in ventum. De iis Claudianus:

Mansuescunt varij vento cessante Dracones.

Erat verò signum Draconis purpureum, vt idem Ammianus attestatur. Atqui non in signis tãtùm Serpentes militibus vsu fuêre, sed viui etiam pugnatoribus sociis auxilium non contemptibile

Annibalis stratagema.

præstitêre. Legimus enim Annibalem mõstrasse Antiocho nauali prælio pugnaturo, vt in hostium classem vascula iacularentur Viperis plena, quarum metu perterriti hostes à dimicatione & nauticis ministeriis impedirentur. Idem cùm Prusias iam cedente classe sua fecisset, victor euasit. Antiquæ verò illius militiæ vestigia quædam habentur apud vos Maffæos Romæ in Canone quodam circa Theodosij tempora & aliquando etiam priùs confecto, in quo militum omnes ordines recẽsentur, gestamináque ipsa suis etiam coloribus picta conspiciuntur, quæ quisq; manipulus tũrmáque, ex quadrupedibus vel alitibus, vel ex colorum varietate signa sibi desumpsissent, ex quibus quæ facerent ad Anguem, quoniam id operis ordo sibi deposcere videbatur, subiicere non importunum iudicaui.

SENIORES MENAPES.

Varia Militum insignia.

EX his enim seniores Menapes dicti, Anguem luteũ pro insigni habebant in parma viridi, cuius marginem ruber limbus ambibat. Vmbilicus argenteus erat, circa quem luteus circunducebatur circulus. Hic autẽ Serpẽs terga infernè habebat, caput & caudã sursum versus inflectebat.

CORTONACENSES.

QVI verò coloris albi Draconem præferebant in rubra parma, cuius vmbilicus erat argẽteus, in margine verò circuli duo, quorum interior prasinus, albus exterior, ij Cortonacenses appellabantur, & cum superioribus vtrique sub Magistro peditum stipendia faciebant.

THAIPSALI.

NAM qui sub equitum Magistro militabant Thaipsali, nisi codex in damno est, & Thessali fortè castior lectio sit, nuncupati, cæruleum gestabant Anguem, terga læuam versus porrigentem, in dexteram verò caput & caudam incuruantem, qui gestus in Cortonacensibus diuersus erat. Horum verò parma alba, vmbilicus identidem argenteus, circum quem ruber ducebatur circulus. Inter caput & caudam Colubri, violaceus erat orbiculus.

PRÆ

A

PRÆFECTI FABRICÆ.

INTER gestamina verò Fabricæ præfectorum, quæ sex numero erant, dimidiatus Serpens luteus in horum vno conspiciebatur, parma cærulea, aureus vmbilicus, margo ruber, intra quem à læua parte Onyx paruus cum Aethiopis sigillo. Sequebantur ij virum illustrem, Magistrum officiorum appellatum.

SAGVNNENSES.

SED Angues duo in huiusmodi militum gestaminibus colore rubro, siue, vti ex Ammiano diximus, purpureo, ad similitudinem X. Græcæ literæ in transuersum siti, in cærulea parma, cuius marginem ruber limbus circundaret, eorum erat insigne qui sub Magistro peditum merentes, Sagunnenses appellãbantur.

BIANENSES.

HVMANICIPITIS autem Serpentis effigies in cærulea parma ipse quoque vnicolor, spiris duabus circa vmbilicum aureum datis, capite eo humano superarrecto, & in auersum respiciente, cauda aliquantulum infernè summissa propendentéque, gestabatur à militibus qui sub Magistro militum per Illyricum merebant, Bianenses nuncupati.

HONORIANI IVNIORES.

ERAT inter hos quoque mutilati Serpentis insigne, cuiusmodi eorum habebatur qui Honoriani iuniores vocabantur. Serpentis id frustum luteum, totam ferè parmam circumplexum. Inter caput & segmentum quadra erat & ipsa lutea, angulis in os & in cæsurã versis, in qua tessella conspiciebatur purpurei coloris. Intra Anguem parma omnis rubra, extra tergum circulus albus

B ducebatur, vmbilicus erat argenteus. Erant ij sub illustri viro equitum Magistro.

MARCOMANI.

SVB eodem præfecto merebant & Marcomani, qui dimidium ipsi quoque Serpentem præferebant coloris identidem lutei in alba parma, cuius aureus erat vmbilicus. Inter segmentum & caput lutea etiam lunula cernebatur adpicta.

CVRATII IVNIORES.

CONTRA verò in nigra parma luteus erat Serpens eodem circunductus modo, & ipse curtus, orbiculo quodam cæruleo inter caput & incisionem collocato, vmbilicus ad angulos rectos decussatus, partes duas aduersis angulis oppositas albas, duas cæruleas habebat. Gestabant hoc Curatij iuniores sub eodem Magistro equitum militantes.

MAVRIALITES.

AT dimidij duo, seq; inuicem inspectantes albi coloris in parma viridi, quam margo ruber ambibat, eorum erat gestamen qui sub eodem Magistro equitum Maurialites appellabantur. Huius quoque parmæ vmbilicus decussatus erat transuersis lineis, cuius duæ oppositæ partes albæ, aduersæ cæruleæ.

FABRICAE.

PRÆTER sex illa insignia, quorum superiùs mentionem fecimus, præfectus Fabricæ septem alios ordines ducebat totidem gestaminibus insignes, in quorum vno Serpens luteus dimidiatus sui parte conspicuus, capite truncíq; parte cæsa in læuam versis, parma cærulea. Inter Serpentis caput atque segmentum orbiculus erat luteus, vmbilicus quoque in obliquum decussatus, partim aureus, partim argenteus erat.

C

DEFENSORES.

DVOS verò Angues in caducei speciem implicatos, capitibus ad osculũm coëuntibus, in parma cærulea, quam ruber ambitus latè circuibat iuxta marginem, illi gestare soliti sunt qui Defensores vocabantur. Horum præfectus erat illustris vir militum Præsentialis nuncupatus.

SEXTA PARTHICA.

INTEGER etiam caduceus, hoc est, totis expressis Anguibus, iisq; vnà cum baculo, luteis, in parma cærulea, cuius marginem purpureus circulus ambibat, insigne erat legionis eius quæ Sexta Parthica vocabatur. Militabat sub Magistro militum per Orientem.

ANGLEVARII.

SVB militum autem Præsentiali Angleuarij erant quorũ insigne fuit caduceus ruber, in baculi cuius summitate pila erat, vnde Angues prorumpebant, & ad osculum iuxta parmæ medium adflectebantur. Parma erat sapphirei coloris, at dilutioris, quam purpureus ambitus circuibat.

CORNVTI.

AT sub Magistro militum præsentiali (alia hæc erat præfectura) Cornuti merebant, quorum gestamen erat parma tota lutea, sed nigro circulo aliquãtulum interiùs circunducto, in medio cuius Angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam identidem rubro emissi ad osculum incuruabantur. In cippi medio ancile paruum erat colore perpictum luteo, duabus in medio nigris lineis à dextera ad læuam in parallelum dissecantibus, in superiore cuius parte T. centurionis signum notatum erat, de quo alibi diximus.

FALCO

FALCONARII. D

IN eadem Magistri militum Præsentialis militia gestamen erat in parma tota purpurea Angues duo cærulei, colore tamen dilutiore, binæ vtrique aures acutæ, longéque surrectæ. Hi non baculo, sed lato cuidam pedamento committebantur (liceat ita columellam appellare, quæ sustinebat Angues) vnde mox in superiorem caducei partem curuabantur, fulcrum illud lato spatio binas hinc inde plicas acutis angulis porrigebat. medium huius spatij vmbilicus aureus occupabat, qui id præferebant, milites Falconarij nuncupabantur.

VINDICES.

IIS proximi erant & ordine & præfectura vocati Vindices, qui cæruleas Mori instar colubras in caducei morem flexas pro insigni habebant in parma tota lutea, vbi Angues pedamento committebantur appliciti coalitique, aureus erat vmbilicus.

SAGITTARII NERVI.

DVCEBAT & Magister peditum ordines aliquot caduceis insignes, ex quibus præcipuè erãt sagittarij Nerui, qui dimidio vtrebantur caduceo, quorum scilicet parma coloris erat prasini, rubro circunducto limbo. Parmæ medium occupabat orbis luteus, in quo Angues purpureæ rubro coalitæ fulcimento, ad osculum in circuli se formam incuruabant.

BATAVI.

HORVM socij erant, qui cæruleos gestabant Angues in caducei morem flexos, in parma tota rubra. Anguium verò pedamentum album erat veluti squamis acutis quatuor altera super alteram scandentibus, quarum apices infernè summittebantur. Bataui autem erat eorum nomen. E

MARCOMANI IVNIORES.

IIS additi erant Marcomani iuniores, qui & ipsi caducei formam præferebant, albas quippe Angues in clypeo rubro, cuius margo albo circumplectebatur circulo, qui fundamentum ad Angues vsque coloris eiusdem proferebat.

MARCOMANI SENIORES.

NEQVE quidem hinc aberant seniores Marcomani, qui hunc eundem secuti præfectum, prasinas habebant caducei colubras in alba parma, quam luteus ambibat circulus, rubra verò erat sedes pro fulcro supposita, cui applicitæ erant colubræ.

ATECOTI IVNIORES.

ORDINIBVS his adnumerabantur illi quoque, quorum gestamen erant Angues ex caduceo luteæ, cum rubro pedamento in cærulea parma dilutiore, quam margo ruber ambibat, intra ambitum Anguium figura cordis erat coloris purpurei. Hi verò Atecoti iuniores appellabantur.

EXCVLTATORES.

VNVS etiamnum ordo caduceatus eundem Magistrum peditum sequebatur, quibus nomen erat Excultatoribus. Gestabant ij caduceum ex luteis Anguibus auritis, quorum terga crispis acutioribus inhorrescebant. Alba erat parma, quam margo ruber amplectebatur.

BRACHIATI.

QVI verò sub Magistro equitum caducei gestamen vsurpabant, albas præferebant colubras cum pedamento identidem albo in parma prasina, quam ruber ambibat limbus, hiq; Brachiati vocabantur. Reliqua verò insignia, quæ innumera penè sunt, per commentaria cæterorum animalium, vt loco quæque congruebant, singula dispositã sunt, partim in arma & signa reliqua militaria congesta. Nunc quia res nobis cum Angue est, & in caduceum incidimus, satis habituri F sumus si reliqua caducei significata Commentario hoc explicuerimus.

DE CADVCEO.

CADVCEI species tota prorsus Ægyptiaca est, quam Mercurio præcipuè veteres consecrarunt, Draconibus duobus, mare scilicet & fœmina parte media voluminis sui inuicem in nodum, quem Herculis vocant, obligatis, quorum primæ partes reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli iungunt, caudæ verò ad Caducei capulum reuocantur, ornantúrque alis ex eadem capuli parte nascentibus.

GENESIS.

Hominum natiuitatis præsides quot, & qui.

ARGVMENTVM huius hieroglyphici commenti ad geniturã hominis, quæ genesis appellatur, Aegyptij protendunt, deos præsides homini nascenti quatuor esse memorantes, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, τὴν ἀνάγκην. Ac priores duos Solẽ & Lunã intelligunt, q. Sol author spiritus, caloris & luminis, humanæ vitæ genitor & custos est, ideoq; nascentis dæmon creditur. Luna τύχη, quia corporum præses est, quę fortuitorũ varietate iactãtur. Amor osculo significatur, Necessitas nodo: pinnæ mentis velocitatẽ indicant, qua pernicius nihil. Inuolucrũ verò Draconũ, iter vtriusq; flexuosum ostẽdit, quæ omnia & pleraq; alia Macrobius diligenter examinauit, à quo, quæ diffusiùs quis exponi quæsierit, petẽdũ. Occultã sanè rerũ originẽ per Serpẽtis effigiẽ Valentiniani cõmonstrabant, positionẽ intestinorum nostrorũ, per quæ esca infertur, in exemplũ adducentes, quæ serpentinæ spiræ instar in vtero delitescens, occultatæ in nobis genitricis substantię specimẽ habeat.

MINAE

A MINÆ PAXQVE.

SVNT authores haudquaquam aspernandi, qui Serpentes illos mutuis nexibus implicitos, minas & pacem simul ostentare putent, cuiusmodi simulacrum Gephyrei armato exercitui prætulisse feruntur, cùm Eumolpus Athenienses profligauit: illi enim Caduceum prætendentes, & pacem quietis, & minas insultantibus offerre visi.

TERRA.

INTERPRETATIONEM eam quæ Caduceum ad geneseos significatum trahit, Ægyptiacam esse non negarim, sed alia quadam ratione à Macrobiano commento seciore. Siquidem Ægyptij, cùm maximè omnium humanum genus ex cœno genitum profiterentur, colubros terræ filios esse non ignari, prout etiam in ostentis aliquot accipiuntur, fingentes colubros ita mutuo complexu ad osculum tendere, omnem indicant humanitatem, si salua esse velit, oportere in eiusmodi concordiam conuenire, Caduceatores itaque Serpentes eo complexu coniunctos præferunt, vt eos qui aliis iniuriã facere moliuntur, humanitatis admoneant. Quòd verò terræ signum sit Anguis, plerisq; historiarum locis, sed eo præcipuè reperias, vbi Crœsus aduersus Cyrum bellum suscepit: eo enim tempore vis colubrorum ingens in suburbanis Sardium locis repentè coorta est, quos Equi in pascua dimissi passim deuorarunt, respondentes diuinationum periti, futurum vt externæ gentes, indigenas consumerent: indigenam enim esse colubrum, terræq; filium, Equum verò & aduenam & bellicosum hostem, de quo suo satis dictum Commentario. *Anguis terræ signum.*

CONCORDIA.

B VERVM si quid in longa huiusmodi rerum indagine ariolari licet, putarim ego picturationem hanc in pacis & concordiæ significatum inde sumptam, quòd Serpentis effigies plerisque locis pro bello & odio, funestaq; alia quauis clade poni solita est, osculum autem, & pacis & concordiæ signum esse, negarit nemo. Quin & sacræ pietatis nostræ literæ pacis osculum identidem attestantur. Virga, vt loco suo latiùs ostenditur, tum disciplinam, tum eloquentiæ vim indicat. Si quis igitur pietate grauis, & eloquentia potens, altercantes aggressus, nullam bello salutem esse docuerit, dubium bellorum omnium euentum dixerit, funesta pernicioſaq; demũ esse bella commonstrarit, & quæcumque alia ad huiusmodi rem pro loco, tempore, personisq; facientia excogitare & eloqui potuerit, perfacilè is discordes animos in concordiam trahet, duosq; Angues, hoc est, odia mutua doctrinæ suæ virga in vnum obligabit, quibus ad osculum coëuntibus conuenire animos & ad concordiam conuersos esse, meridiana luce clarius apparebit. Neque me fugit, esse ouorum genus in magna Galliarum fama, quod anguineum appellant Druidæ, quòd ex numero suorum ouorum faciant Angues, conuoluentes ea, & saliuis faucium corporumq; spumis conglomerantes, vt tandem fiat ex multis vnum, siue Angues ea sint oua spiris ita conglobati, artificiq; complexu adstricti, saliuarumq; profluentium humore concreto crusta superinducatur. Vtcumque, id sanè constat, ouum hoc quodcumq; sit, ad victorias litium, & ad conciliandos sibi Regum aditus mirè laudari, perinde ac etiam pinguem Anguis in pelle Dorcadum (ne Draconum, vt in corruptis Plinij codicibus habetur, dicamus) neruis ceruinis alligatum in lacerto, conferre ad iudiciorum victoriam perhibetur, cuiusmodi rebus magica superstitio morralium plurimos eludit. Quòd si hoc credibile videatur, Philostrato etiam, præter innumeras quas confinxit fabulas, fides adhibenda est, qui Gygis anulum habuisse lapidem scribit, qui montanis Indiæ locis, cristatorum quorundam Draconum capitibus insit. De quo quidem anulo multa Plato libro de Iusto, & ab eo C Tullius in Officiis, quòd is qui eum gestaret, pala in volam conuersa, à nemine spectaretur, quamdiu pars illa palàm attingeret. *Ouum anguineum.*

PAX.

PLERISQVE sanè locis videre est Anguium huiusmodi globos in vnam quasi massam adstrictos, de iugorum verticibus ad ima peruolui. Et in Æthiopia aiunt tantam Anguium vim conuenire, conuoluiq; in gyrum inuicem, vt montis speciem procul aspicientibus reddant, cuiusmodi quidem complexus Anguium, & frugifera eorum concordia, causa, vt Plinius inquit, videtur esse, quare dexteræ gentes caduceum in pacis argumentum circumdata effigie Anguium fecerint, neque enim cristatos esse in caduceo mos est. Adhæc numismata tot caduceis insignita, pacis inscriptionem præferunt, vt in numo Cæs. Vesp. Aug. P. M. TR. P. COS. VIII. sigillum est cum caduceo, & ramo oliuæ, inscriptione adiecta, PAX AVGVSTI. Vidimus & numum aureum Bononiæ apud Achillinos, in quo simulacrum alatum est cum caduceo & Serpente quodam à pedibus abeunte, cuius inscriptio est, PACI AVGVSTÆ. Illius sanè Serpentis abitus ablegatum aliò bellum ostendit. Aliæ in hoc numo literæ sunt, TIB. CLAVD. CÆS. AVG. P. M. TR. P. Nam in altero ex ære eiusdem Tib. Claudij numo alatum sigillum est, dexterâ vestimentum à pectore ad faciem tollens, lævâ caduceum exporrigit, pedibus Serpentum sinuosum calcat, quod bello oppresso pacem condonatam omninò significat. *Numismata caduceis insignita.*

FELICITAS.

CADVCEO verò si cornu copiæ adiiciatur, felicitatis indicium est, quod in eiusdem Vespasiani & aliorum numis obseruauimus. Nam & Hadriani numus est eodem significato atque

Hadriani Traiani, Imppp. numi Antonini Pij Seueri, Macrini, Iuliæ Mæmeæ.

inscriptione, quæ in Traiani habetur, quippe FELICITAS AVG. Vidimus etiam in Antonini D Pij numo caduceum, & oliuæ ramum fructibus & foliis onustũ, cuius est inscriptio, FELICITAS AVG. In Seueri verò Macrini Augusti numo, non oliuæ, sed hasta in læua est manu, caduceus dextera prætenditur, inscriptio, FELICITAS TEMPORVM. S.C. Hastam autem intra alia significata humanæ etiam ætatis indicium esse alibi ostendimus, ac perinde temporis. In Iuliæ Mameæ numo Deæ læuo cubito columellæ assurgentis capitulo innititur, dexterâ caduceum tenet, inscriptio, FELICITAS PVBLICA S. C. Columna enim habet nescio quid in significato quod ad publicum pertineat, de qua loco suo plura. Ex his dubio procul constat, quid sibi velit caduceus ille, qui situs est in medio cornuum duorum in numo Drusi, quidq; solus ille in numo cuius inscriptio est, M. PLETORI CEST. EX S.C.

Drusæ.

ELOQVENTIA.

SED quia Serpentem pro astu poni docti sumus ex Aristotele dicente, animalia quædam esse astuta per se, sicuti sunt Serpentes, magis verò ex lectione sacra, quę prudentiam huic in primis animali tribuit, ea etiam de causa Angues caduceo complicari putamus, quòd ostendere voluerint, & calliditatem & prudentiam necessarias eloquentiæ, quæ per virgam significatur, quippe quæ regat dictis animos. Neque desunt qui virgam auream Mercurij manibus, à qua Deus ipse χρυσόῤῥαπις appellatur, dignitatis & excellentiæ, quæ illam ornant, qui & scitè & opportunè norit orationem contexere, signum esse contendunt.

SAPIENTIA.

Virga Palladis quæ.

VIRGA verò Palladi totius sapientiæ Deæ, ab Homero passim accommodatur. Vlyssis quoque socij vno virgæ capite, falsa quippe persuasione ac insipientia, in brutorum species transformantur, altero virgæ capite, vera quippe disciplina ac rerum peritia, in humanam restituuntur effigiem. Reliqua verò taceo, quæ Moses vbiq; virgæ fretus munere scribitur effeciſſe: nam alibi super hoc suus erit locus. Quam verò nunc tractamus, ea est diuina virgula, de quæ M. Tullius in calce primi libri Officiorum ait: *Quòd si omnia nobis, quæ ad victum cultumq; pertinent, quasi virgula diuina, vt aiunt, suppeditarentur.* Atque hanc dicendi formam apud alios etiam authores inuenies, qui ex hoc effusissimam eam Dei Opt. Max. munificentiam intelligunt, quò omnia secundat, fortunat atque felicitat.

E

VERA DISCIPLINA.

EVNDEM hunc scipionem nostri sic figurant, vt ad omnium ferè templorum facies iuxta limina, colossææ magnitudinis figuram humanam pingant, quæ Christum puerulum in humeros sustulerit, quod, vt mea fert opinio, nam historia omninò apocrypha est, ea de causa fit, vt si Christum gestare humeris, hoc est, veram sapientiam enanciſci volumus, dandam esse operam impensissimam disciplinæ admoneamur, robori cuius innixi, rapidos quorumcumq; amnium cursus profunditatemq; ac torrentium impetus facilè superemus. Et quod Iacob ait, *In virga nostra Iordanem pertranseamus*; sanè Iordanis vel quoduis aliud flumen, fluxos animi motus, & voluptariæ mollitudinis affectus indicat, virga disciplinam, sine qua non esse progrediendum Græco monemur adagio, qua qui firmiter innituntur, nullis perturbationum occursibus deturbantur, nullis vndarum quantumliber inturgentium fluctibus immerguntur, pedibus verò per ima vel ipsius pelagi demersis vix crure genúve tenus alluimur, capita autem, vt ait ille, condimus intra sidera, Deumq; ipsum sustinere humeris videmur, ac veri demum euadimus χρισοφόροι, in quos vbi sagittæ fuerint immissæ, eadem in iaculatores suos sponte retorquentur, vt in vulgata habetur historia. Quid enim in vniuersa literarum peritia facilius quàm eorum calumnias repellere, ac suismet vnumquemque iaculis conficere, qui sanctissima nostrę pietatis instituta vel incessere vel conuellere aggrediatur, quæ certo Dei sit præsidio firmata, ac magni veríque numinis munimento quàm validissimo roborata?

***

PIERIVS

A

PIERIVS VALERIANVS AD MAGNIFICVM MARIVM MAFFÆVM ROM. PATRITIVM, DE IIS QVÆ PER ÆSCVLAPIVM, GORGONAS, Hydras, & id genus alia significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XVI.

TIBI verò, elegantissime Mari, tertium de Serpentium significationibus commentarium dedicandum iudicaui, vt vniuersa hæc materia quæ à vobis honoratissimis fratribus magna sui parte profecta est, ad vos identidem rediret, laudatiq; ea quæ ad Reuerendiss. Cardinalem, quæq; ad Achillem fratres tuos miseram, significatiq; libellos illos pro humanitate tua libenter à te lectos, in illis tamen desiderasse quædam alia, vt opus absolutum vndecumque videretur, præter Aesculapium, fabulosa scilicet illa, Gorgonas, Hydras, & id genus alia, tum quædam venenatorum genera, Dipsadem, Scorpium, Salamandram, quòd in illis quoque inesse debere hieroglyphica auguraris, proinde curasti, vt hæc mihi nomine tuo per Florum nostrum significarentur, ne contentus ijs esse vellem, quæ duobus illis Commentarijs collegissem. Respondi, dilectiss. Mari, agere me gratias incomparabili humanitati tuæ, quòd ita me admonueris, mearumq; nugarum, qualescumq;
B essent, curam suscipere dignareris, sed quòd in prioribus illis non omnia sim complexus, minimè per negligentiam esse factum sciæs, imò quia veritus sum vos fratres viros tam præstantes, magnis & innumeris Christianæ Reipub. negotijs oppressos, dictione mea tam leui diutiùs occupare, summumq; fuisse breuitatis studium, ne in publica peccarem commoda, si tempora eorum longo morari sermone voluissem. Quoniam verò ita te cupere declarasti, vt illa ad argumentum hoc adderentur, dedi operam vt ea quoq; colligerem, quæ cùm longè plura essent, quàm pro corollario subijci possent, eadem impeditus verecundia, ne nimia nugarum congerie importunus fierem, longè tolerabilius esse iudicaui, si residua hæc in vnum, idque iustum adstruerem commentarium, ac veluti Serpens linguis micat ore trisulcis, tribus itidem libellis loqueretur. Nam si alitum pleraque quadrupedum multa, humani tantùm corporis aliquot, multa de plantis, de piscibus & alijs rebus non admodùm pauca, cur non & tria de tanta Serpentium varietate conscribi possent? Sedenim hoc tertium nulli conuenientiùs dedicari debuit quàm tibi, qui author impulsórque fueris vt ea conquirerentur, egóque importuni notam perbellè declinauero, cùm tu ipse crabrones in te sponte tua concitaris. Vale.

ÆSCVLAPIVS.

ANGVIS significatũ apud Romanos, perinde ac apud Græcos & Ægyptios, sanctum semper fuit, per quem nimirùm ipsum salubritatis Deum Æsculapium intelligebant, quod numismata, quod marmora, quod Græcę Latineq; omnes historię testantur, plurimęq; passim statuę, per quarũ crura & genua Serpens flexuosis voluminibus implicatur, locorum vbiq; Romę, ac in toto terrarum orbe cõspiciuntur. Inesse quidem Angui remedia multa, experimento cõper-
C tum est, neq; vllum esse aiunt apud Medicos volumen, quod Anguium in ægritudinibus beneficia non latissimè demonstret, vt minùs miremur Serpentis effigiẽ ex ære in contum surrectam à Mose, in quã populus oculos intendens, ab incommodis, quę se in itinere tã longo oggerere potuissent, diuino spirante præsidio liberarentur, de quo loco suo plura diximus. Quinetiam, vt ad remedia reuertamur, inuentum est ab Antonio Musa Augusti medico, in vlceribus insanabilibus Viperas edendas dare, miraq; ita celeritate persanare. Et quãuis pernicioſa multa sint ex Anguibus exempla, non ita tamen alienum à ratione est eorum genus, si modò quæ bruta honestè atq; prudenter facere videntur, ratione ea fieri concedamus, vt nõ aliquando magna & amicitię & fidei documẽta præstiterint, & eam iustitię partẽ exercuerint, quę in homine rarò admodùm inuenta perhibetur.

In Angue remedia multa.

HOSPITALITATIS IVRA.

SCRIBIT Plutarchus Aspidem ab Ægyptiaco viro quodã patrię religionis superstitione tam familiariter alitam, vt ad mensam assiduè vẽtitaret, quæ cùm catulos enixa esset, quorum vnus hospitis filium enecauit, regressa parens, intellecto facinore, filium & ipsa suum morte multauit, ac voluntarium exilium sibi in perpetuum delegit. Apud Philostratum legere est, Aiaci Locrensi Draconem mansuetum in deliciis fuisse, cui cibum de mensa communi ministrabat, quemq; perinde ac Canem secum comitem adducebat, addit, eum quinque cubitorum magnitudinem expleſſe. Neque illud prætermittendum, quantum ad salutis significatum pertinet, publicatum esse, Neronem à percussoribus, quos in eum Messalina immiserat, Serpentis ope seruatum, cùm è puluino, vbi ipse quiescebat, se proferens, eos absterruisset, siue ea fabula fuerit, siue Serpentis exuuię, quas ex voluntate matris dextero brachio adalligatas aliquandiu gestauit, ac tædio tandem maternæ memoriæ abiecit, rursusque, vti alio Commentario diximus, extremis suis rebus frustra

requisiuit, quippe qui speraret aduersus infortunia, quæ vndique iam pertimescebat, amuletum D id sibi profuturum.

SERVATOR.

QVINETIAM ferunt Heleos aduersus Arcadas dimicaturos, Serpentis ope victoriam consecutos, oblato sibi puero, dum in aciem descenderent, quem nudum ante omnes ordines statuerunt, Arcadibusq; irruentibus puer is in Draconem mutari visus, cuius horrenda specie perturbati Arcades, disruptis ordinibus fugam turpiter arripuêre, in cuius rei monumentum Helei sacello ibi erecto, vbi condi Serpens visus fuerat, Sosipolin inde Deum religiosissimè coluerunt.

SALVS.

MERITÒ verò salutis significatum Serpens sibi vindicasse videtur; à quo, vt initio dicebamus, multa in humanum genus remedia procedunt. Apud Lactantium legas ictui viperino præsens admodùm esse remedium Viperam ipsam exustam & in cinerem redactam. Citat hanc artis medicæ peritiam Adamantius, vbi homilia 17. super Numeros sacrificiorum dæmonicorum virus per sacrificia, quæ olim Deo offerebantur, depelli dicit, veluti Serpentium venena medicamentis nihilominus ex Serpentibus confectis depelluntur, vt perhibêt. Apud Ceberem obserues, Viperæ dente semel tactum quempiam, nulla deinceps venena formidare. Tradunt alij, qui Viperæ iecur conditum semel hauserit, nullius inde Serpentis ictum pertimescere debere. Quid verò illud quod à Dioscoride traditum est, homines qui Viperis conditis in cibum vti consueuerint, longiora vitæ spatia producere, & ad summam senectutem incolumes peruenire? Isigonus Cirnos memorat Indorum genus, qui centenis quadragenis annis viuant, quia Viperinis carnibus alãtur, adhæc, neque capiti neque vestibus eorum, noxia corpori inesse animalia, eamq; causam videtur Tertullianus afferre, cur tanta sit Ceruo viuacitas, quippe quòd ipse ætatis suæ arbiter Serpente E pastus, veneno augescit in iuuentutem: vel, veneno languido exit in iuuentutem, vt vulgata habêt exemplaria. Et Nazianzenus, vbi Basilij rudimenta commendans, philosophiam & politiores alias literas à Christiano homine minimè contemnendas esse disserit, Viperam in exemplum adducit, ex carne cuius singulare remedium grauioribus morbis excogitatum est, id ad hanc vsque diem à maximè fera pernicioságq; bestia κατ' ἐξοχὴν Theriacum vocamus. Sunt qui tradãt Viperas in Arabia, vbi balsamum colligitur, innoxias ictu, quòd venenum balsami leniatur succo, quo illę dicuntur ali. Addam & illud, tametsi κῆ πάρεργον, quod apud Theophrastum legas, Viperarum morsibus tibicinem qui moduletur adhibitum, efficacitatem habere medicinæ. Quæ quidem commemorare libuit, vt non immeritò numismata tot cusa existimemus, quæ Serpentem habêt cum inscriptione Salutis: veluti ille est numus in spiram collectus cuius inscriptio, SALVS ANTONINI AVG. In alio eiusdem numo Serpens est tractu sinuoso, tortiliq; obrepens virgæ, quam signum ibidem adiectum dextera humi applicat. Atque in alio Dea ipsa læuâ virgam gerit, dexterâ poculum Angui porrigit, inscriptio, SALVS AVG. COS. III. In aliis ipse sellâ sedens pateram porrigit Angui suo de loculo exeunti, caputq; pateræ admouenti, inscriptio, SALVS AVG. In numo verò M. Aurelij Seueri Alex. sedenti simulacro pateramq; porrigenti assurgit Angui, cum inscriptione, SALVS PVBLICA. Sed ne singula commemorem, quę quidem sunt innumera, Commodi, Crispinæ, & aliorum per Angues denique omnes Salutem intellexêre. Quòd autem ferunt Æsculapium sub Anguis specie Romani legati nauem spontè ingressum, cùm ipsi Epidaurum aduersus pestilentiam opem imploraturi adnauigassent, scribunt Græci tale aliquid sibi etiam obtigisse, cùm ipse idem Deus Draconis effigie à Nicagora Echetimi vxore ad Sicyonios mulorum bigis inuectus est. Neque desunt qui super Æsculapio comminiscantur historiam, educatum quippe Draconem ab eo, in Pelei montis loco, qui Pelethonius à florum vbertate nuncupatur, Throna enim flores vocant lingua Thessala. Addunt Anguem eum fuisse nigrum, vtero subuiridi, figura pulchra, triplici dentium ordine, fronte & supercilio admodùm pingui, cui præ pinguedine toruli veluti quidam sub mentum reducti, barbæ speciem reddebant, quæ lurido fellis colore intincta videretur. Ictus eius innocuus, illi quem forices infigunt, perquàm similis, etiam cùm vehementer lædere conabatur. Genus hoc Serpentum assiduè cum Aquila bellum gerere aiunt, sæpeq; in eius nidum prorepere, ouaq; depasci, ac illi semper insidias struere, cùm præsertim ad prædam abuolarit, quasi Iouem vlcisci velit, qui dominum suum fulmine sustulisset. Horum autem conflictum operæpretium est apud Nicandrum legere. Sed vt apud Pausaniam est, Dracones qui Æsculapio appingebantur, colore erant subflauo, quales in Epidauria tellure tantùm inueniri tradit. Cùm verò Æsculapius Apollinis, hoc est, salubritatis filius fingatur, ideò nonnulli dixêre, Serpentis eum insignia gestare, quòd homines cùm in ægritudinibus, vt Homerus inquit, neque non Hesiodus, citò senescant salubritate adueniente iterũ iuuenescere videantur. Spectatur hoc idem in Sole, dum ab hyemali senecta ad vernam sese proripit iuuentutem.

Numismata plurima cũ Serpentibus quare cusa.

De Aesculapio sub Anguis specie historia.

PRVDENTIA.

QVOD si medicinæ rationem habeamus, Serpens hic prudentiam indicare videbitur: nam & Assertoris nostri dictum est, *nos esse debere prudentes*, admonentis, *sicuti sunt Serpentes*. Ideò ex Valentinianis quidam sophiam illam suam Serpentem factam dicunt, quapropter & contrariam extitisse factori Adæ, & rerum cognitionẽ hominibus infudisse, eaq; de causa Serpentem omnium sapientiorem

A sapientiorem habitum, de quo latiùs apud Irenæum. Nam cùm prudentia non præsentia tantùm examinet, verùm & lapsa & futura meditetur, & tanquam è specula prospectet, medicum exscribere videtur, quem oportet, inquit Hippocrates, pensitare diligenter.

Medici qualitas vna sapientia.

Ος ἤδη ἐόντα, ἐόντ' ἐσόμενα, πρόσθ' ἐόντα.

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

quod quidem hieroglyphicè per tricipitium in Apollinis etiam simulacro factum inuenies, cuius pedibus ingentis vastitatis Serpens triceps subiiciebatur. Capita ea, Canis vnum, Lupi alterum, tertium Leonis, de quo alibi disseruimus, & prudentiæ signum id esse demonstrauimus.

PERNICIES.

VISEBATVR autem in Delphis apud oraculum Serpens, qui singulari certamine videretur Apollinem prouocare, obseruatum à Plutarcho: pernicies enim saluti semper aduersatur. Inter agalmata Pontificia, quæ Romæ in Pulchræ speculæ recessu, ob veterum quippe artificum admirationem, visuntur, Iulius II. admirandæ illud vetustæ artis & ingenij signum restituit, Apollinem ἐκαλήθελέτην, vbi Vipera serpit ab imo laurini trunci, cui dextero innititur femore. Non temerè illa facta, sed tum hæc quæ modò retulimus, tum Pythonis, hoc est, ægritudinarij veneni cædem indicat, quem Apollo, vt Ouidius:

Statua Romæ à Iulio II. restituta

Mille quidem fodit telis & pluribus hydrum.

Statuæ verò huius facies ósque ipsum Octauiani Augusti videtur esse, eiusq; iunioris lineamenta quæ spectantur in numis, repræsentat. Sunt autem Pythones & dæmonum genus, cui, vt scribit Adamantius, Dracones aliique Serpentes ministrare perhibentur. Sed de iis alio commentario B plura disseruimus.

GIGANTES.

DIODORVS quoque per Serpentem voluminibus implicatum, malum interpretatur, præcipueq; Gigantum genus qui terrarum orbem olim oppressêre. Et Commodus Imperator, vti legere est apud Lamprydium, homines obtortis pedibus, vtpote Draconteis, Gigantes appellare solitus, eosq; sagittis ex libidine configere. Et statuas giganteas penè omnes obtortis cruribus videas, vt anguipedes illos Terræ filios ostentent: nam & Naso anguineos habuisse pedes ait Gigantes, qui centum quisque brachiis cœlum capere conati sunt, eo versu:

-- *Cùm centum quisque parabat*
Inijcere anguipedum captiuo brachia cælo.

Et in Ætna Maro:

His natura sua est aluo tenus, ima per orbes
Squammeus intortos sinuat vestigia Serpens.

HORRIFICVM.

QVAS verò colubras Eumenidum crinibus obuolutas aiunt, ab Æschylo Poëta tragico primùm excogitatum Pausanias attestatur, cùm antea nihil neque in his, neque in alio quopiam ex infernis deis quicquam esse horrificum, existimaretur. Manifestissimum est enim totum hoc terroris argumento confictum, loca tamen ea terribilia esse ex Assertore nostro totiens audimus, vbi sit fletus & stridor dentium, & quæ passim sacræ literæ de gehenna ponunt. Vt verò ad Anguium terrificum hieroglyphicum reuertamur, non temerè Tib. Gracchus timuisse videtur, cùm in spatiosa galea, qua in bellis vti consueuerat, Angues offendit oua peperisse, fœtusq; iam C formatos, paulò antequam multitudine Quiritum oppressus, interficeretur.

Colubræ Eumenidũ crinibus velatæ.

VASTITAS.

IAM Draconem, quem mali significatum habere dicunt, Crocodili nonnulli speciẽ esse putant, fortasse quia vastiore pingeretur corpore: nam alicubi mirificè crescunt. Maximus enim Tyrius tradit, apud Indos Alexandri tempore Draconem fuisse quinque iugerum magnitudine, cui Boues & Oues in cibum Indi ministrarent. Alij omne Serpentum genus indifferenter accipiunt, cuiusmodi monstrum Annibal à tergo subsequi prospexisse fertur, belluam quippe vastam & immanem circumplicatam Serpentibus, quæ quacunq; incederet, omnia arbusta, virgulta & tecta peruertebat, quòd vastitatem Italiæ portendere diuinitùs intellexit. Neque temerè Faustina visa sibi in somnis Serpentes párere, sed ex his vnum ferociorem, cùm Antoninum & Commodum in vtero gestaret, quod vitæ deinde Commodi voluptuosa simul ac pernicioſa, reipsa comprobauit, non hominem, sed immanem Hydrum ad humani generis internecionem emissum. Argiphontem Pausanias dictum ait Mercurium, quia ὀφιοκτόνος fuerit, Serpentem quippe sustulerit, quem nonnulli ἄργην vocant, vel quasi ἀργὸς, ἀπὸ τῆς φονεύειν, quòd cæde abstineat: pacis enim Deus est Mercurius. quamuis Leutychidas Lacedæmonius Aristone patre nobilis, neque sua obscurus virtute, portenta hæc atque alia eludere consueuerit: nam cùm propinquioris portę claui Draco circumuolutus esset, monstrumque id esse vates denunciaret: *Minimè mihi quidem videtur*, inquit, *sed si clauis Draconi circumuoluta esset, monstrum esse asseuerarem.*

Faustinæ somnium.

VOLVMEN.

ALIBI cur Dracones Cereri vectandæ adhiberentur, explicuimus, sed quoniam nihil præ-

tereundum existimaui, quod in significationum argumentum apud scriptores veteres comperis- D
sem, addendum quoque fuit, scripta lucubrationesq; in Anguium nomen deuenire: siquidem Zezes Hesiodi interpres Dracones, quibus vecta Ceres Proserpinam quæritabat, significare ait volumina quæ Triptolemus de agricultura conscripsit, eoq; loco δήμητρεον, Terram matrem interpretatur: consuesse enim Dores γ in δ vertere, ita quæ γῆ μήτηρ, δήμητρεα mox dicta.

TROPHONIVS.

SIMVLACRA quædam iuxta Ercynam fluuium in specu quodam fuisse memorat Pausanias, quæ dicata erant cum sceptris, circa quæ Dracones obuoluti complicabantur, quæ nonnulli antiquarum rerum ignari, Æsculapij & Hygiæ simulacra existimabant, cùm tamen & Ercynæ & Trophonij essent hieroglyphica, quibus etiam antiquitas Dracones consecrauit, siue ob oraculorum prudentiam, siue ob rei, quę in promptu erat, similitudinem, quòd oracula Trophoniana subterraneo in specu reddi solita, in specu autem & subterraneis cauernis Angues libentissimè latitare, ignorat nemo. De Trophonio pleni sunt doctorum ætatis nostræ libri.

BOREAS.

BOREAM quoque ventum aiunt hieroglyphicè Viperinis caudis, pedum loco, præditum figurari, qua quidem specie insignis cum Orithyiæ raptu in Olympia visebatur in donario à Cypselidis dicato.

DE SCORPIO.

INTER serpentia Scorpius non habet locum, sed quia venenosum est animal, hîc minimè prætereundus fuit, super eo tamen partem eam tractare priùs instituimus, quæ cùm E
Crocodilo negotium habet.

HOSTIVM CÆDES MVTVA.

Crocodili cũ Scorpio odium.

HOSTES enim duos pari conditione inter se dimicantes, viciſſimq; in damna mutua concurrentes, ostendere si vellent Ægyptij sacerdotes, Scorpium & Crocodilum pingebant: nam ij genuino quodam inter se odio flagrantes, simulatque alter alterum inspexerit, in mutua funera spontè rapiuntur, amboque eadem dimicatione perimuntur. Quia verò & terrestris & marinus Scorpius inuenitur, de marino hîc dubio procul intelligendum. Quòd si rem euestigiò peractam indicare voluissent, Crocodilum Scorpio subiectum pingere mos erat: ictus enim Scorpij quamprimùm interimit Crocodilum, sin distractam diutiùs pugnam, difficulterq; in necem deuentum ostenderent, superatum à Crocodilo Scorpium faciebant: is enim motu segnis longè diutiùs laborat antequam hostem assequatur, & interficere possit.

DOLI FALLACIÆQVE.

Prouerb.

TERRESTRIS verò Scorpius doli atque fallaciæ signum habetur in primis, estq; apud Sophoclem Captiuis, prouerbium in hanc sententiam, ἐν παντὶ χάρτῃ σκορπίῳ φρυᾶι λίθῳ, quippe *sub omni lapide Scorpium insidiari.* Sic & Theriacis Nicander:

Σκορπίῳ ἀφροίδης ἀλίγῳ ὑπὸ λεῖ λοχήσας.
Scorpius insidias parua sub caute tetendit.

Apuleius acerbitatem morum per Scorpium notat, vbi illa: *Nosti quendam barbarum nostræ ciuitatis Decurionem, quem Scorpionem præ morum acritudine vulgus appellat.* De insidiis verò quæ post aliquam felicitatem subsecutæ fuerint, Sidonius de fortuna loquens ait: *Quæ virum, vt Scorpius, vltima sui* F
parte percussit. Quin & Mathematici, vel Ambrosio teste, percussorem, & ad inuadendum ex insidiis promptum cum futurum dicunt, quem Scorpius nascentem exceperit.

INNOCVA PRAVITAS.

Scorpius in Diuinis.

IS in aquam mersus si figuretur, innocuam significat pranitatem, quandoquidem & ipse & Serpentes alij, qui prævalent in sicco, si præcipitentur in aquam, vt Cyprianus ait, prævalere non possunt, innoxiiq; efficiuntur. Diuinæ verò literæ per Scorpium indicant & diabolum & eius sectatores, de quibus Euang. *Dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes & Scorpiones.* De Serpente autem, quod ad hanc rem facit, satis supérque superiùs dictum est.

LIBIDO.

Mathematica de Scorpio obseruatio.

ADHÆC, libidinem & nequitiam Scorpius pictus ostendit, eiq; ex humani corporis partibus pudenda sunt dedicata. Ei signo Mars dominatur, adulteriorum semper infamia notatus. Et milites omnes mulierosos ait Aristoteles. Et supra finitorem prodeunte Scorpio ortos, Mathematici lasciuos esse dicunt, quare huc fortè spectat illud D. Hieronymi dictum de virgine ad Auitum: *Cauendum, ne arcuato vulnere Scorpij vulneretur.* Cœlestem verò Scorpium, ob aculeum, qui est instar teli, sunt qui velint humani generis perditionem significare, cùm Libra Veneri dicata, inter Scorpij chelas posita, matrimonij concordiam ostendat.

TERRA.

AB eisdem Mathematicis desumptum crediderim id Scorpij significatũ, vt pro terra nonnunquam figuretur, aiunt siquidem illi necem à terrestribus animalibus iis obuenturam, quibus Mars

A Mars in Scorpio certo quodã loco repertus fuerit. Adhæc numus quidã est, in quo quadrigæ sunt cum Victoria & his literis, Q. EL. IVLI BVRSIO. ab cuius altera facie caput est cũ laurea & alis, ab occipitio cuius fuscina est & Scorpius, quod victoriã terra mariq; partã significare videatur.

AFRICA.

VTRVM verò doli fallaciæq; Pœnorum, quæ tot bellis vniuerso terrarum orbi per tot annos innotuêre, an corporũ color fuscus, an quid aliud argumentum dederit, vt Scorpius Africæ terræ symbolũ haberetur, diu multi quæsiuêre. Id sanè constat, in Hadriani quibusdã numis, Scor- *Hadriani numi.*
pium non aliter Africam significare, quàm Cuniculus Hispaniam, Equus Italiã ostentet. In quam sententiam vt adducar, facit ingens atque adeò pernicioſa Scorpionum multitudo, quã ea regio gignit, aduersus quos Strabo ait remedia ab indigenis excogitata, cùm dormitũ eunt pedes allio, atque etiam lectos ipsos illinere. Animaduertendum verò, si Scorpium pingere contingat, ne quis Nicandri versu decipiatur, vbi author ille dicit, à cuspide nouem compagibus spondylos eõtineri:

-----Τοιῳ δ' ἐὶ δὴ πένταρθρα
Σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι ὑπαρτέες ὀπιπερὲς.

Ἐννεάδεσμοι non est ibi simpliciter pro nouem nodis positum, vt Antigonus & Demetrius arbitrati sunt, sed pro multis, ait interpres: septem enim tantùm compages habere caudam Scorpij, manifestum est, sæpe verò nouem pro multitudinis numero ponitur. Quinetiã Nicander idem ἐννεάνευρον dixit, de eo qui duos tantùm aculeos haberet, quæ quidem opinio est Apollodori. Et de nobis numero septem, vnicuique cernere volenti facilè constabit.

B

DE SALAMANDRA.

SALAMANDRA quoque inter malefica venenosaq; animalia recensetur, quare illã quoque quãta poterimus dexteritate tractabimus. Est hæc Crocodilo terrestri facie perquàm similis, licèt non sit Stellione maior, maioris quippe lacertæ magnitudine, quales ego in Bellunensis agri saltibus Castalioneo secessu meo magnis imbribus excitatas aspexi: & in fontis mei cuiusdam aquæductu, quem macerie atque cespitibus struxeram septimo pòst anno cùm eum reficerem, multas inueni ipsum fluentis aquæ marginem accolentes, paruo inter se distantes interuallo, ea ipsa figura coloribúsque præditas, qua pingitur ab authoribus.

AB IGNE CIRCVMFVSO NON OFFENSVS.

Salamãdræ rigor.

HOMINEM vndique ignibus impetitum, siue cladibus iis quæ per ignem significantur, obiectum, minimè tamen vlla ex iis parte læsum significare si vellent Ægyptij sacerdotes, Salamandram pingere consuerunt: ea siquidem per ardentes carbones inambulans, nullo ab his afficitur nocumento: tantus enim illi rigor, vt ignem tactu extinguat, non alio modo, quàm glacies.

CONSTANTIA.

NAZIANZENVS pro constantia Salamandram ponit, dum animal id in igni medio, qui omnia domat, non solùm lætari dicit ac viuere, sed eum omninò etiam extinguere. Ita se cum Basilio, Athenis in igne perfidiæ Deum verum colendo incolumes versatos gloriaetur, quinetiam eum professione sua atque constantia suppressisse.

AMATOR.

Amatorum ardor.

SVNT qui per huiusmodi speciem, per Salamandram quippe in igne positam, amatorẽ ostentent, quòd amorem ex igne significari apud omnes vulgatum sit, vt in Facibus latiùs à nobis C
dictum, & ardere se amantes omnes profiteantur, cúmque ita vitam in æstu trahant, eruditè se fecisse putant, si figuram huiusmodi ardoris sui simulacrum prætulerint. Sedenim hoc haudquaquam probatur, quia si Salamandra ignem rigore extinguit suo, ea vtique non æstuat, quod in primis amator sentire se clamat, vtpote qui vel intimis medullis exuratur, vel lentis penitus ignibus maceretur, hunc vrat amor, hunc vrat proteruitas, cùm *feruidus sit puer Veneris, Cupidoq; semper ardentes acuat sagittas, Ardeat Atrides medio in triumpho virgine rapta,* & quæ plurima in hunc modum Poëtæ scribere consueuerunt, vti etiam apud Maronem, *Cæco carpitur igni Dido, agnoscitq; malum eadem veteris vestigia flammæ, vritur infelix, ardet amans, traxitq; per ossa furorem, ac totam incensa per urbem debacchatur.* Mitto quòd fabulantur alij, Salamandram igne pasci, atque ideò amantem referre, quòd ille sit huic veluti cibus, quo se oblectet assiduè.

AMORIS NVTRIMENTVM.

Pyralis & Pyraustæ cũ Salamãdra cõparatio.

SIGNIFICANTIVS enim hoc exprimi potuisset, si bestiola illa posita esset paulò Musca grãdi maior, quæ in medio nata igne, per ignẽ salit atq; inambulat, id quod in Cypro insula videri authores tradunt æratiis fornacibus, vbi chalcites lapis ingestus diebus compluribus crematur, de qua quidẽ illud spectandum maximè, quòd quamprimùm longiore paulò volatu à flãmis abscesserit, emoritur. Hanc alij Pyralin, alij Pyraustam vocant. Zenodotus in eius cognomine videtur hallucinari, cui de lampade id attribuit, quod minutulo cuidam Papilionum generi inesse videmus, æstiuis temporibus, vespertino crepusculo statim incipiente, quam Apuleius nouo, vti suus est mos, vocabulo Flammidem appellat, multi Nitedulam, certè Græci Lampyridem vocitarunt. Verùm hæc qua de loquimur Cypria, longè alia est. Quòd verò dictum est Salamandram inam-

bulatione sua ignem extinguere, authores grauissimi sunt qui contrà vnà cum Sextio sentiunt, ignémque ab ea lædi omninò negant, idq; Plinianis adhuc temporibus Romæ incompertum erat, neque adhuc aliquis se vidisse testabatur, nos verò eam non modò ardentes prunas non extinguere, verùm etiam euestigiò emori experimento comperimus, animali eo à Bernardino Pollano nobili Taruisino, hospite tunc meo, ab eodem fonte meo allato in domum. Alij verò qui rem vt exploratam & ipsi scribunt, causam etiam inuestigarunt cur id efficiat Salamandra: animal enim sine squamis & cute esse, corpus habere frigidum, & maximè humidum, quo singula quæque contigerit humectet multò magis, quam Limaces faciant, humorémque illum à corpore tam longè diffluentem, vim eam habere, vt ignem extinguat quem attigerit, λιπορρυὸν ea de causa Nicander eam appellat, siue quòd cute careat, quæ ῥυὸς dicitur, siue quòd à cute humor ille largiùs emanet.

Per mediũ ignem ambulantes.

HIRPI.

NE verò adeò alienum à fide videatur, Salamandram & aliquod aliud animal posse per medium ignem incolume transire, scimus familias quasdam agro Falisco rum fuisse, qui super ambustam igni struem ambulantes non adurerentur. Hirpos illos vocauêre, & ob id perpetuò s.c. militiæ omniumq; aliorum munerum vacationem habuisse. Sedenim ætate nostra vidimus Romæ Benedictum quendam Teutonicum arte speculorum fabrum, qui non temerè profitebatur se per flammas medias incessurum citra vllum vel capilli vnius detrimentum, quem & plurimum, & Teutonico ritu valde promissum habebat. Vidi ego hominem manus in liquefactum plumbum immittere, idq; ex candenti patella in volam accipere, æquè ac si argentũ viuum aut tepida fuisset aqua, introductus olim ad hoc spectaculum ab ampliſſimo viro Bernardo Vibienio, qui mox magni nominis sacerdos Cardinalis fuit, in cubiculum Ioannis Medicei tunc Cardinalis, in conspectu cuius hæc fiebant, cùm ego tanti Præsulis manum osculaturus accessissem, quadriennio antè quàm is ad summum Pontificatum ascendisset. Quòd verò aiebat Benedictus hoc se arte magistra facere, quippe qui vnguento quodam partes eas oblineret, quas ab igne saluas vellet, id in memoriam adducit quod Varro ait, Hirpinos eos, de quibus paulò antè dicebamus, solitos medicamento quodam pedum plantas tingere, atque ita per ignem ambulantes *multa*, vt Virgilius, *premere vestigia pruna*. Inueni verò, quod ad hanc rem facit, apud Andream Græcæ nationis medicum, cui multum interpretes Nicandri tribuunt, hoc de Salamandra traditum, vt si quis eius sanguine vel manus vel vestem obunxerit, quod oblitum fuerit, ab igne nihil quicquam lædi: quamuis Plinius hoc non facilè credat. Eiusmodi medicamini admiscent alij albumẽ oui. At iam minus admiremur quod in Quadrigarij annalibus legitur, oblitam alumine materiam succendi nõ posse, idq; esse verum, Sylla in Archelaum bellante comprobatum. Sanè laricem inter arbores neque flammam emittere, neque nisi longa & vehementi exustione in carbones abire manifestum est, quod in fornacibus exploratum, reliquis lignis admixtum longo temporis interuallo consumi. Hoc & Cæsari in expugnatione castelli cuiusdam, quod Larignum nomine dixerunt, quia larice præmunitum fuit circa Alpes, non citra summam admirationem cognitum. Lino verò, quod nonnulli Carpasium appellant, de quo Pausanias, ardere id perpetuò ante Mineruæ illius simulacrum, quod cœlo, vt fama fuit, delapsum, in Acropoli visebatur, Patauij ego pro ellychniis in lucernis aliquando vsus sum: materia enim integra & incolumi perdurante, tandiu ardet, quandiu oleo intinctum fuerit. Nascitur id inter venas aluminis, ac veluti densior quædam cartilago intersepimenta.

CORRVPTOR OMNIVM.

SED vt ad Salamandram redeamus, nunquid eorum quoque nobis arriserit significatum, qui damnosum hominem, omnes quibuscum versetur aliqua pernicie aut iniuria labefactantem, & quacunque incesserit calamitatis aliquid inuehentem, per Salamãdram ostendi voluerũt? quippe cui sit pernicios a adeò vis, vt arboris quam irrepserit poma omnia inficiat veneno, & eos qui ederint, necet frigida vi nihil aconito distans, ait Plinius, atque his quædã magis exitialia, quæ apud authorem ipsum latè recensentur. Illud sanè admiratione dignum quod traditur ab Ælrano, sues Salamandra impunè vesci, verùm vbi quis eius Suis, qui Salamandram deuorarit, carnem ederit, præsentaneo eo veneno correptum interimi.

Salamãdra multũ pernicios a.

DE DIPSADE.

Descriptio Dipsadis.

AFRIGIDISSIMO animali ad ardentissimum accedere, ad historiæ nonnunquam venustatem pertinet, quare incommodis recitatis, quæ de Salamandræ gelu proceduntur, iam quæ de Dipsadis ardore proueniant, memorabimus. Animal id reptilium pernicios issimum, corpore modico, ac viperino perquàm simili, sed ad ictum violentissimo, de quo ita Nicander, Theriacis, vbi

Ναὶ μὴν δι ψάδ' ἐδ' ὁμοίσῃ, ὲν δὲ ἐχιδνὴ
Παφοτέρη θανάτε ἢ θοώτερ' ἴξεται αἶσα

Οἷσις

Οἷσις ἐνισκήψῃ βλοσυρὸν δάκος.
Dipsadis hanc speciem iuret quis, ni minor insit
Vipereo generi vis mortis, at ocyor iis qui
Affixi fuerint truculenti fulmine dentis.

Figuram eius Sostratus à reliquis colubris ita distinguit, vt eam dicat habere caudam duabus lineis nigricantibus distinctam, corpore reliquo albicante.

SITICVLOSITAS.

Homo bibacissimus notatur.

CERNERE olim erat in littore, quod è regione maioris Sirtis inter Libyam & Ægyptũ porrigitur, columnam quandam in qua vir moribundus cælatus erat, cuius pedes Serpens impactis dentibus affligebat, spirísque volubiliter implicabat. Erant & mulieres aliquot, quarum aliæ aquatum ibant, aliæ aquam decumbenti propinabant, adiacebant passim & struthiorũ oua hinc inde strata temerè. Quæ quidem species tota prorsus hieroglyphica hominem significabat bibacissimum, vel ardentissima confectum siti, vt Lucianus interpretatur, id quod etiam ad totius illius regionis naturam indicandam accommodari potest, nam ea siti laborat in primis. Serpẽs verò ille circa pedem obuolutus & mordicùs inhærens, Dipsas erat. Veneno verò hæc est plurimo & immedicabili, quósque momorderit, vsq; adeò inflammat, vt propemodùm exardescere videantur, ac igne veluti circumfuso concremari. Supremè verò sitiunt, quóque magis potant, eo potandi auidiores fiunt, vt sitis ea nulla aquarum vi sedari posse videatur, verùm eo magis æuire quo magis alluitur & irrigatur, perinde ac si quis ignem oleo superfuso extinguere conaretur. Hinc non infacetè nomen confinxit Ouidius, cùm lenam quandam temulentam, Dipsadem appellauit:

----Est quædam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet, nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit Equis.

Epigrãma peruenustũ.

Neque fortè importunum fuerit, Epigramma quod olim in Framarianum facetissimũ æuo nostro scurram lusimus, Ouidiano lusui subiicere. Id est huiusmodi:

Narrabat quidam vim Dipsados exitialem,
Perpetuam infundat quæ pede fixa sitim.
Nempe sitim, tria quam nequeant extinguere Nili
Ostia, vel magnis stagna perhausta cadis.
Interiore loco Libyæ, Garamantas ad ipsos,
Quà fouet arenti Struthius oua solo.
Quippe vbi quis misera spatiatus fortè per arua,
In pede fulminei vulnera dextis habet.
Ritè duæ dextrâ famulæ, totidemq; sinistrâ
Hæc gerit, hæc pleno vase propinat aquas.
Illa propinatis alias superingerit, illa
Nec mora, nec requies, pocula mille parat.
Frammarianus ad hæc, hanc ô mihi quærite amici,
Figat vt illa meos officiosa pedes.

Sapienter itaque vt reliqua, Moses Deuteronomio inter maximè pernicios a animalium genera Dipsadem posuit, vbi terrificam illam describit solitudinem, in qua erat Serpens flatu adurens, quippe Basiliscus, & Scorpio animal insidiosissimum omnium, mox adiecit, & Dipsas, quod vt atrocius redderet, subiecit, & nullæ omninò aquæ, quæ scilicet opem essent aliquam allaturæ. Eadem de causa Apollonius Poëta terram aridam Dipsadem vocat. Admiratur autem Aphrodisieus, cur illi quos animal hoc momorderit, sitim illam intolerabilem Theriaca epota sedent, cùm genus id medicaminis ex siccis & calidis rebus conficiatur, neque adduci potest id alia ratione fieri, nisi mutuo consensu quodam Viperarum, & quæ admiscentur, carnes antipathiam habere aduersus quoduis animal venenosum.

Theriaca sitim sedat.

APPETENTIA.

NEQVE verò sitis ipsa simpliciter passim intelligenda, sed nonnunquam pro effrænata rei cuiuspiam appetentia capitur: nam & sitibundum pro maximè cupidum authores ponunt, & sitim Onirocritæ nihil aliud præ se ferre autumant, quàm auidissimam cupiditatem. Ipsa porrò sitis hieroglyphicè sæpe ponitur in Diuinis literis, vt Ambrosius super hydropico in domo Pharisæi curato disserit: nam sitire impium dicit, dum huius mundi bona concupiscit. Iam & sitire aurum, in huiusmodi significationem passim inuenias, non aliter quàm & *auri sacra fames*, Poëta dixit. Delitescit autem, vt ad Dipsadem reuertamur, Anguis id genus in insidiis inter Struthiorum oua, quæ Garamantes non ad cibum tantùm perquirunt, verùm etiam ad vasculorum & poculorum vsum, quippe qui propter solum arenidum & exustum argilla carent, qua nos vasa nostra fictilia conformamus. Quin etiam eiusmodi ouis, quæ aliquanto grandiora fuerint, dissectis, elegantissimos sibi pileos faciunt, ex ouis singulis binos, quibus capita obtegant, eoq; gestamine plurimùm delectantur.

DE MEDVSA.

MEDVSA quoque figmentum licèt fabuloſum, aliqua ſubminiſtrauit hieroglyphica.

TERROR.

ILLA enim horrificis Anguium hiatibus tremenda, terroris ſignificatum habuit. Præfectum verò caput id à Perſeo, terrorem ſummotum ab eo patria procul indicat virtute duce, quæ per falcatum enſem & interpoſitum ſpeculum effingitur.

PRVDENTIA.

Meduſæ deſcriptio, & ortus.

IN hiſtoriis Theogneti antiquitatum ſcriptoris (nam alium Poëtam Comicum memorat Athenæus) Meduſa legitur ex tribus Phorci filiis magis aſtu pollens, quæ regnum à patre derelictum in magnam auxerit opulentiam, atque eius prudentiæ cauſa ſerpentinum caput illi confictum à Poëtis. Cæterùm Apollonius Rhodius ἐν τῇ τῶν ἀλεξανδρείας κτίσῃ, omnia quæ morſu lædunt genita dicit ex guttis eius ſanguinis, qui ab obtruncato Gorgonis capite deſtillauit, quamuis Acuſilaus nata hæc ex Tiphonis ſanguine aſſeueret. At Nicander Heſiodi teſtimonio τιτάνων ἀφ' αἵματος, quippe Titanum à ſanguine nata hæc mauult, quod tamen apud Heſiodum, in iis quæ extát operibus, non inuenitur, quare nonnulli ſcribunt Heſiodum, à Nicandro falsò citatum, qui Poëtarum morem & licentiam non examinant, cùm etiam Oratoribus in declamandi genere tam nomina quàm hiſtorias pro commodo ſuo commutare, atque etiam præter fas quædam in vſum ſuum extorquere concedatur.

STVPOR ET ADMIRATIO.

Domitiani ſigillum.

QVAM verò Meduſam Domitianus Imperator pro pectore eſt geſtare ſolitus, vt in pulcherrimo eius ſigillo ſpectauimus, omninò ſtuporem quem de ſe omnibus in negotiis quæcunq; tractaret concitatum volebat, ſignificaſſe tradunt, quamuis nonnulli non alia de cauſa factum putant, niſi vt patris geſtamẽ vſurparet: nã in pulcherrimo Veſpaſiani ſigno apud Melinos Romæ, Gorgonem huic pro pectore adpoſitam aſpexi. Alij factum à Domitiano in honorem Mineruæ volunt, quòd numen id ſibi colendum præcipuè ſuſceperat: nam clypeus huiuſmodi Serpentũ horrore præmunitus, in primis Palladi dedicatus erat. Eam Euſtathius ideò Glaucopin appellatam cenſeri ſcribit, quòd ex Poëtis nonnulli Dracones Glaucopas vocitarint, quamuis & à formidoloſo aſpectu dici poſſe non inficiatur, quòd Leones illi, qui præcipuè Regij nuncupantur, quóſq; loco ſuo inter alia ſignificata ſymbolum terroris eſſe oſtendimus, Glauci à colore nominentur.

Veſpaſiani ſignum.

PRVDENTIA.

Caput Meduſæ quid.

NEQVE tamen deſunt qui Gorgonis caput pro Mineruæ pectore ſtatutum, prudentiæ, vti id ſuperiùs, ſignum eſſe contendant, quæ locum habeat in pectore, qua qui præditi ſunt, facilè alios confundere, vel imperitiæ redarguere, ſaxeóſque quodammodò reddere, vbi adlibuerit, poſſint. Apud Poëtas tamen Pallas Meduſæ caput ad incitandum, vel ad terrorem incutiendum prætendit, vt tradit Ouidius, loquente Perſeo:

Nunc quoque vt attonitos formidine terreat hoſtes,
Pectore in aduerſo, quos fecit, ſuſtinet Angues.

Idq; præcipuè cernere eſt in ſcuto Herculis apud Heſiodum, quamuis non ſum neſcius, eſſe multos qui opus id Heſiodi illius celeberrimi, quippe vt Naſo, *Seruantis pecudes vallibus Aſcratis*, eſſe negent, alios qui ad CCL. tantùm carmina Heſiodi, reliqua ſubiuncta ab Ariſtophane Grammatico contendant. Sanè Megacles Athenienſis legitimum agnoſcit opus, ſed Heſiodo ſuccenſet, quòd Vulcanum finxerit matris inimicis arma fabricaſſe. Apollonius Rhodius & Steſichorus Heſiodi omninò eſſe volunt: ait igitur,

ἐν δὲ σφιν δῖον ἦκε θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη
αἰγίδ' ἀνασείσασα. Quem Statius ita ſecutus eſt:

Sectæ prætendens colla Meduſæ
Ceu ſtimulis accendit Equum.

DE HYDRA.

ERAM me iam de his Anguium voluminibus explicaturus, cùm maiori me obuolutum negotio conſpexi, ſupererat enim Hydra, quæ me vltimo loco aggreſſa moraretur, quare ope Herculis implorata, ipſam quoque ita confecimus.

SOPHISTÆ.

HYDRÆ ſignificatum, cuius vno præciſo Anguineo capite, alia atque alia eueſtigiò repullularent, multi aliis atque aliis modis interpretati ſunt, nos ea contenti eſſe poſſumus expoſitione, quam Plato, Euthydemo, poſuit, vbi per eam perinde ac per Cancrum ſophiſticas ait nugas ſignificari. Hydram Pauſanias vno tantùm capite præditam ſcribit: ſedenim Piſander Camireus multa illi capita tribuit. Alcæus ἐννεακέφαλον eam vocat, πεντηκοντακέφαλον Simonides, quem Maro noſter ſequitur, vbi dicit:

Numerus multitudinis.

Quinqua

Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.

Sedenim hi numero vſi ſunt, multitudinem ſignificante, more Poëtico: numerus enim nouenarius, neque non quinquagenarius, ex iis ſunt qui multa ſignificant, vt illud apud eundem Maronem, *Quinquaginta intus famulæ*, pro *plurimæ*. Ita ἐννεάγηρα κορώνη, in Arati carmine, pro *multæ viuacitatis*, quod ſuperiùs in cauda Scorpij tetigimus, & in Digiti commentario, vbi de numeris agitur, latiùs explicuimus, vbi paſſim numeri illi recenſentur, qui tam apud Græcos quàm apud Latinos pro multitudine vſurpantur.

INVIDIA.

NONNVLLI ex peritioribus inuidiam per Hydræ ſpeciem ſignificari tradũt, ideoq; in nullo alio monſtro domitando Herculem magis laboraſſe, quàm, vt Horatius ait, *ſupremo tandem fine domari* comperit. Ea verò paluſtris fingitur, & è ſordido cœno pullulare, quòd non niſi in abiecto viliq; animo reperiatur, qua de cauſa Ouidius inuidiam in imis vallibus latitare confinxit: ita reliqua quæ ſuper ea conſcribit, ad Hydræ ſignificatum omnia quadrare comperies. Nam & Erichthonium, quem alij pedes Anguineos habuiſſe, alij Serpentem illi ad cuſtodiam datum ſcribunt, inuidiam ſignificare nonnulli arbitrati ſunt: ea enim poſt res præclarè geſtas ſuboriri ſolet, & in cordis penetralibus occultari, virulento ad cuſtodiam adiecto ſpiritu. Atque hoc illud odium eſt, quod Diodorus ex ſerpente picto ſignificari tradit.

Erichthonius.

EDOMITVM A VIRTVTE VITIVM.

HABET & pietas noſtra heroas ſuos, quorum è numero fortiſſimum illum cœlo intulit, qui fatalem Draconem ex vrbi ſubiecto lacu quotidie proſilientem, nunc longo voluminũ tractu ſpatioſa per arua latè proſerpentem, nunc ſpiris implicatum collectúmque in inſidiis per frutices & florulenta gramina latitantem, horrenda interdum lethiferáque die noctuq; ſibila diſpergentem, immani venenoſarum faucium hiatu lethum omnibus intentantem, nulloq; non die mortalium aliquem deuorare ſolitum, interfecerit. Non temerè hæc literarum monumentis tradita, tametſi rem vti geſtam Concilia maiorum noſtrorum actis inferẽdam vetuerunt. Videtur enim hæc picturæ ſpecies vnumquemque admonere virtutis, cuius telo fretus illecebras amatorias, quæ dubio procul per Serpentem exprimi conſuerunt, fœdasq; voluptates ex lacu, hoc eſt, ex infirma fluxaq; mollitie mentis emergentes, ſinuoſis voluminibus, hoc eſt, variis delectamentorũ laqueis manuſq; pedéſque hominum implicantes, arctiſſimisq; vinculorum nexibus obſtringentes, nullo timore perculſus ſummouere contendat, ſimulq; odium & æſtuantia indignati cordis incitamenta, vnde rixæ, contumeliæ, calumniæ, peſſimæq; perſuaſiones ortæ, magna ſemper rerum humanarum pernicie, vti ſibila tetérque halitus per cogitatus aurésque noſtras illabentes, extinguere aggrediatur: malos denique affectus, prauóſque mores omnes, qui graſſatoris veluti quodam inſultu animum incautum adoriuntur, cuius puritatem, quæ per virgunculam intelligitur, viruléta contagione turpiter labefactant, lethaliq; morſu in pedes affixo, vniuerſum corpus contactu vitiant, proſerpentéque in dies magis peſtilenti morbo fœdiſſimè interficiunt, firmo conſtantíque propoſito perdormitet, animumq; incolumitati nitorique ſuo aſſertum reſtituat patri. Operæpretium eſt videre, quemadmodum virgunculam puellam expoſitam adapertis faucibus rictúq; latè diducto, in parentum ac totius vrbis conſpectu iamiam inuadere tentaret ingluuioſus Draco, vtq; tam præſtans animi iuuenis intrepidè eum aggreſſus, vibrato pilo, ferróque per os mediũ adacto, pertranſitaq; ceruice terga illa immania transfoderit, attollentémque interim iras & cærula colla tumefactum, harena moribundum ſtrauerit, fruſtráque volumina illa terrifica quatientem replicantémque, pluribus tandem ictibus ad ſaxum alliſo capite confecerit, atque ita verè fortitudinis coronam, & deorum illatus numero conſecrationem etiam fuerit aſſecutus.

Herculis victoria nota tur, herois noſtri Chriſti victoriã aptè repræſentans.

PIERIVS VALERIANVS ÆGIDIO VITERBIENSI, CARD. S.P.D.

AMPIE' me futurum exiſtimo, niſi ſtudiorum meorum, qualiacumque eſſe poſſunt, rationem omnem ad te deferam, quem humaniſſimum ſemper eorundem moderatorem habui. Nam duriſſimis etiam temporibus, cùm ea omnia deeſſent quæ vniuſcuiuſque ingenium ad labores inuitare ſolent, rebuſq; ſæpius deſperatis, non Romam tantùm, verùm etiam ipſa literarum ſtudia deſerere ſolicitarer, cùm præſertim eſſem non ſemel in officij ſocietatẽ à Banniſio, qui de Maximiliano ſuo tam multa, tam honorificè prædicabat, inuitatus, vna tamen authoritas tua in cauſa fuit, cur non vſque adeò animum deſponderem: tu enim nunc hortando, nunc monẽdo, nunc opem auxiliumq; tuum pollicendo, bono me ſemper animo eſſe iuſſiſti. Neque per te ſtetit, dummodò æquiora fuiſſent tẽpora, quin aliquod ſtudiis meis otium aliquando compararetur, quo vno ego grauitatis & beneuolentiæ tuæ præſidio ſuſtentatus, anguſta illa omnia ea conſtantia pertuli, quam in tot annos firmiſſimam perdurare, amici dubio procul omnes admirabantur. Quem verò non confirmaſſent frequentiſſimæ illæ adhortationes tuæ, cùm tanta me charitate complecterere? cùm me non priuatim modò, ſed publicè etiam commendares? Poteróne ego vnquam dememineſſe præclariſſimæ illius concionis tuæ, quam

frequen

Aegidius Viterbiẽſis in ſtudiis Pierij firmũ præſidium.

frequentissimo totiúsque Vrbis, an orbis dicam; confessu, tantæ vir authoritatis habuisti, vbi cùm è re nata quædam D *ætatis nostræ lumina laudibus in cœlum extulisses, quæ tua de me quoque specula, quæ prædicatio fuerit, Roma (scimus quanta huic nomini vis) tunc nouit vniuersa, in quo licèt illa pietati erga te meæ permiseris, non quod merita postularent mea, id tamen de me iudicium testimoniúmque tuum multarum inde vigiliarum incitamentum fuit? Hinc factum vt lucubrationes aliquot alias, tum in primis Aegyptiaca illa commentaria de rerũ significationibus, tot annorum vigilias, tot dierum atque noctium sudores, tot in reconditissimis rebus eruendis luciũ dandis conatus, in eam demum speciem informarim, vt conspici nullo iam meo, quamuis maximè verecundi, rubore posse confidam. Quod verò in huiusmodi negotio absoluendo reliquum est, cùm vniuersum opus insignire nunc speciosis literatorum hominum nominibus constituerim, argumentáque ipsa partiri, ne vno continenter libro complexa, odiosum ob rerum multitudinem volumen efficiant, amicos mihi quosdam designaui, quorum hortatu modò hoc modò illud à me conscriptum esset (nosti hoc* Πλεῖστον) *id enim maximè commodum visum est quod ambitioni prætexerem, amicorum scilicet impulsu me tam multa elaborasse, quando hodie id plurimùm vitio verti video, quòd laboriosa quis difficilia aggredi ausus sit, quòd honestam industriam turpi otio prætulerit. Inter hos autem eorum in primis rationem mihi habendam proposui, qui mihi talia meditanti suffragati sunt, cúmque tu omnium maximè non modò album adieceris calculum, sed author pene fueris, ne inchoatum hoc opus olim abiiceretur, mihi præcipuè delectus es, cuius nomini lucubrationum huiusmodi partem nuncuparem. Quòd si meum hoc institutum non aspernatus fueris, fac ex te sciam quod præcipuè animal tibi velis inscribi. Putes verò inuitatum te ad Corytianas cœnas, in quibus discumbent tecum Bembus, Sadoletus, Sanazarius, &* E *plerique alij, quos à te summo opere diligi, & à quibus te plurimi fieri non ignoro, vbi tamen id tantùm honoris extra ordinem tibi habendum sit, vt eius animalis, quod tibi apponi iusseris, ferculum accipias. Obsecro verò te pro summo meo erga te cultu & incomparabili obseruantia, ne aliter huc descendere dedigneris, quàm vocatus olim ad Elegiacam Amorum meorum cœnam conferre te non erubuisti, & meam hanc qualemcunque grati animi declarationem eo vultu suscipias, quo me ad exhibendum huiusmodi munus totiens accendere consuesti.*

ÆGIDIVS CARDINALIS PIERIO VALERIANO SVO S.P.D.

QVANTVM *me commouerint literæ tuæ, suauissime mortalium Pieri, vt sine incredibili voluptate cogitare, ita verbis satis assequi nunquam possem. Nam tametsi antiqua illa amicitia nostra, omnia quæ ab amicissimo expectari possunt, ab humanissimo isto ingenio tuo mihi expectanda esse pollicebatur, non erat tamen vt vnquam aut præcipuè hoc tempore diuinis illis tuis lucubrationibus, tot huius ætatis luminibus, posse me hominem admodum tenuem & obscurum inseri, sperare auderem. Sed vt nihil infelicius quàm in mala ingenia incidere, ita nihil felicius, quàm in bona. Mentis enim istius bonitas fecit, vt nec huius temporis absentia diuturna obfuerit, nec mea superiorum temporum negligentia, ne culpam fortè aptius dixerim, & peccatum. Dicis enim, cùm laborares rebus parum secundis, minus arridente fortuna, perspecte à me fuisse in bonam spem erectum, & ad melius sperandum confirmatum. Dispeream si quid vnquam occurrit mihi in vniuersa vita, vnde plus angar, erubescam, dolcam, quàm quod solis verbis isto tunc officio functus sum, cuius ego rei cùm recordor (recordor autem frequentissimè) non modò facti, aut infecti potiùs me pœnitet, verùm etiam mei supra quàm cogitare quis posset, & piget & pudet. Quòd verò & boni consulueris, & bene merentissimis istis* F *clarissimisq; viris annumerari me statueris, facis, vt cùm iure illi quidem hæc à te recipiant, vnus ego, cui nullo ista iure tribuantur, grauissimo obstringar ære alieno, quo quidem non sum in contrahendo promptior, quàm futurus sim, si vnquam dabitur, in soluendo. Animal mihi peculiare est cœnis ineptum Ciconia, vbique non obscurum exemplum pietatis, non ab Aristotele & sensilium studiosis modò memoriæ proditum, verùm à Theologia arcana Hebræorum tum culta, tum diuinis honoribus venerata. In arcanis enim eum habet locum ea auis, vt nihil posit aut reperiri sacratius, aut diuinius excogitari. Poteris, si videbitur, auem vt in hominibus pascendis ineptam, ita in alendis parentibus laudatam commendare. Quòd si id minus ad rem, quam tibi proposuisti, facit, dici posset, quando Ciconiam ad dapes ferre non est, Columbam similem afferri licere. Sed iam Sus non vlteriùs Mineruam. Ego non ad Corytianas cœnas, vbi quandoque quasi digladiatum pugna pluſquam Centaurea, sed velut in arcanum Corytium specum, qui, vt Pomponij verbis vtar, mirificus & pulcher, ac paulò post totus augustus & verè sacer, habitarig, à Dijs & dignus & creditus. Nam si datores ἐάων Dij, quis neget antrum Musæ tuæ à dijs inhabitari, qui eodem tempore Aegypti gloriam instauras, quo Turca euertit? simulq; illa sensit inde malum dæmonem militiam delentem, tyrannide prementem, signa, statuas, marmora, & quicquid antiqui splendoris erat, diripientem. Hinc te Dijs comitibus non cæmenta, non saxa, non vanas pyramides, sed sapientiæ veteris, sed diuinæ eruditionis, sed arcanarum sacrarúmque literarum sepulta monumenta reponere, ignota mortalibus arcana instaurare, lucem canæ doctrinæ, quam à Græcis abesse audiuit Solon, post tot secula ab inferis reuocare. O felicem Aegyptum: longè quidem illa felicior à te facta est cùm cecidit, quàm cùm staret, illa enim humi sita à Selym Turcarum principe occupari potuit, vt sapiens Ciconia altum in cælo nidum struens, in æuum tuta viuet sempiternum. Vale. Romæ M. D. XXV. VII. Id. Aprilis.*

Pierij laus ab operis excellentia.

PIERIVS

A

PIERIVS VALERIANVS
AD ÆGIDIVM VITERBIEN. CARD.
DE IIS QVÆ PER CICONIAM, MEROPEM, Cucupham, Ibin & Gruem significantur,
EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XVII.

HIC tibi, Præstantissime vir, Ciconia illa tua pietati cultrix, Sacerdoti omnium pientissimo dedicata, quam tu scilicet non reliquis tantùm volucribus, verùm & vniuerso animantium generi solitus es anteponere, quippe quòd adeò peculiaris & ingenita sit illi pietas, vt & ipsum humanum genus, in huiusmodi capienda adorea, longo post se interuallo reliquisse videatur. Hinc non in Ægyptiacis tantùm hieroglyphicis sculpta, verùm etiam in Romanorum principum numis summo cultu cusa reperitur.

PIETAS.

VIDERE enim est eam passim in Hadriani numis, inscriptione etiam adiecta, PIETAS AVGVSTA. Significabat hæc hominem erga parentes pium, & veræ caritatis officiis insignem, *Hadriani numi.*
B quippe quæ parentes nunquam deserat, senectutem eorum curans, non modò senescentium, sed quotiescumque opus est, vt alantur opera liberorum. Alites enim hæ nec patrem nec matrem errare huc & illuc cibi causâ patiuntur, sed operam dant vt in cubili maneant, & eorum labore pascantur, quos ipsi genuerunt, educaruntque. Vnde pientissimum illud ἀντιπελαργεῖν, vsurpatum in adagiis. Et antiquissima lex Pelargica, honore nominis his auibus habito, *de parentibus*, vt ita dicamus, *renutricandis*. Sed quas nos, rogo, mortalium aut naturæ ipsius leges curiosiùs vestigemus, cùm *Lex Pelargica.*
in sacris literis, post tria illa de diuino cultu præcepta in Decalogo contenta, primum rerum humanarum decretum à summo Deo sit, Parentes venerari? quæ doctrina apud Hebræos primùm popularibus literis mandata est, vt omnibus esset in promptu fugiendorum expetendorumq; notitia. Identidem verò nos admonent diuinæ literæ, vt si diuturniore vita frui cupimus, & patrem, & matrem cum primis honore prosequamur. Vnde senariolus ille dictitatus in scholis,

ἰκμενὲς βιώσεις, γηροβοσκῶν γ' ἀπὸ γονέων,
---- εἰ δὲ τοιοῦτοι
Diu vives, senectam si parentum nutrias.

Quam sententiam Homerus ita sibi surripuit:

Θρεπτὰ φίλοις ἀπέδωκε μινυνθάδιον γ' οἱ αἰών.
Et quoniam charis nunquam genitoribus æquum
Reddidit officium, immatura est morte peremptus.

Cæterùm Athenienses eos tantùm filios huic legi addictos voluerunt, qui vel disciplinis, vel honestis artibus fuissent à parentibus instituti, qui verò negligenter educati essent, nihil eos parenti-
C bus debere. In hanc sententiam Boëtius historiam recitat minimè contemnendam, libro de Institutione scholastica, de eo qui malè à patre institutus, cùm post multa & enormia scelera per patris indulgentiam perpetrata traheretur ad crucem, accersito ad se patre, quasi pietatis officio, veniam *Historia de puero malè instituto.*
actæ per flagitia vitæ petiturus, dum oscului se ferre simulat, ei nasum dentibus amputauit, memorabili nimirum omnibus exemplo futurus, educationem esse, quæ vniuscuiusque vitam instituat, & siue boni, siue mali euaserimus, vni illi acceptum ferre nos debere. Neque obiiciat quis, ingenium vnicuiq; suum in vtero matris ipsius attributum, cùm vel in brutis animalibus Lycurgus, concione super liberorum institutione, rationéque legum ferendarum habita, ostenderit ex duobus catulis, quos ab eiusdem matris vberibus subductos, in syluis alterum, in culina alterum educandos curauerat, vbi aliquantulum adoleuissent, in media concione simul emissos, ad patinam hunc in medio positam, ad Leporem illum, qui statim emissus erat, insequendum accurrisse, atque hoc illud est quod apud Horatium legimus:

-- *Venaticus ex quo*
Tempore Ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in syluis catulus.

At quanto magis honorandum est ingenium Ciconiæ, eo magis damnãdum est humanum genus, *In senes impietas quorundam maxima.*
cùm satis olim celebres ciuitates eò impietatis ferantur irrupisse, vt senes quicumque sexagesimum ætatis annum excessissent, de ponte in subiectum profluentem deiicerentur, aut si fabula est, tam perdito fuisse quemquã ingenio, qui rem vsqueadeò abominandam commentari sit ausus. Vtcumque, fabula inde ansam cepit, quòd aliquando senes eius ætatis Romæ in Senatum ad ferenda suffragia non admitterentur. In Comitia verò per pontem, qui colliculos duos iungeret,

transitus erat, qui verò prohiberentur, eò accedere, Depontani appellabantur. Sed vt manifestas A fabulas, bona Festi & Erasmi venia omittamus, alij lege longè iniquiore sanxerunt, ea ætate senes mortis inter se certamen inire, vt inutilis, quod illi censebant, ætas facesseret, victusq; necessaria & iuuenibus & adultis viris largiùs suppeterent, quod moris in Iulide Cô insulæ vrbe Menander fuisse notat, vt apud Stephanum legitur. Menandri verò versus qui superant, ita legi debent:

καλὸν τὸ κῖον κομιδῆ δῆτ' ἐστὶ φανία,
ᾧ δυναμένῳ ζῆν καλῶς, ᾧ ζῇ καλῶς.
Lex pulchra Ceæ ciuitatis Phania,
Cui læta non est vita, ne tristis siet,
Ferro iubentur præsecare incommoda.

Vltimum hoc, quæ legis sanctio est, apud Stephanum non habetur, sed ex historia omninò subiungendum.



B

IMPIETATI PRÆLATA PIETAS.

Ægyptiorũ documentũ memorabile.

IN piscium Commentario cum Hippopotami significata recẽsere-mus, memorabile illud Ægyptiorum documentum recitauimus, quo illi sceptra regia in summa parte Ciconiæ capitibus insignita faciebant, fluuialis Equi vngulis in imum appensis, ex eo innuere volentes, amplexandam, colendam, suspiciendamque esse pietatem, gratumque animum ingrato præferendum, impietatem verò, cuius hieroglyphicum est Hippopotamus, pessundandam. Amphibium enim animal hoc patrem solet de matris coitu, quem affectat, malè multare. Id sceptri in ahenea Bembi tabula ita habetur.

DE MEROPE.

SVNT qui Meropem etiam in hoc statuant significato, cui pietatem eandem in parentes Aristot. attribuerit. Eam Ælianus omninò in Ciconiarum genere posuit, essecq; in parentes ea nutricandi pietate, vt eorum senium haudquaquam opperiatur, quibus pientissimam educandi curam impẽdat, sed quamprimùm volare cœperit, spontè animum ad necessaria parentibus submini-stranda conuertat, quapropter eam auium iustissimam appellauit. Figuram eius apud Simeonem quendam Antiochenum, qui multa de animalium vi medica conscripsit, ita traditam inueni. Meropi animali volatili pectus esse accipitrinum, ventrem albicare, tergum & apicem auro similes, genas candidas, rostrum magnum, indeq; nomen consecutam, quòd procliuis admodùm sit ad contrahendam cum humano genere amicitiam. Homines enim μερόπας appellare præcipuè Homericum est. Sunt qui Gangrenam eam vocent. Id verò insigne est in eius ingenio, vt paritura huc & illuc transmigret identidem, vt ita fallat, neq; facilè pargnus eius deprehendi possit. Verũ enimuerò diuersum hoc Merops habet à Ciconia, quòd cunabula in terra facit, corporis grauitate sublime petere prohibita, in specu itaque nidificat, sex pedum defossa altitudine, quod & de Cassita fabulosè perhibetur. At Ciconia nidum in altissimarum abietum verticibus ponere comperitur, quamuis quónam è loco venirent, quóve se referrent Plinianis adhuc temporibus incompertum erat. Sed quantum ad regium illud sceptrum pertinet, Plutarchus hoc de Grue sentire videtur, opusculo cui titulus: *Quæ nam sint prudentiora animalia, terstria an aquatica.* Gruem enim facit fluuiali Equo oppositam, ea qua de superiùs causa dictum est.

Meropis figura, eiusq; cũ Ciconia discrimen.

C

DE CVCVPHA.

PHILIPPVS ille, qui fragmenta quædã ex hieroglyphico literarum Ægyptiarum interprete, cui Horapollinem nomen faciunt, satis curiosè collegit, & Græco sermone scripta posteritati commendauit, Cucupham quandam nominat in huiusmodi pietatis significatum. Nomen mihi, vt ingenuè fatear, nondum cognitum vocabuli nouitate, siue potiùs ea Cicuma sit, quæ & ipsa parentum curam suscipit, & à Latinis inter Ciconiarum genera recensetur. Sed enim in his facilè sum iis, qui certiora compererint, acquieturus.

GRATVS ANIMVS.

Cucuphæ in genitorẽ pietas.

SED vtcumque gratum animum is per eius alitis hieroglyphicum significari dicit apud Aegyptios, propterea quòd vnũ hoc animal (ita enim illic habetur) ante alia omnia genitoribus senio confectis eodem modo gratiã rependit, quo ales ipsa fuerit educata: in eodem enim loco vbi fuerit à parentibus enutrita, eis nidum parat, pennas vellicat inutiles, eoq; cibum importat (τρόφας enim in manuscriptis codicibus antiquis, non τροφὰς, legitur) idq; quoad resumptis pennis ipsi sibi sufficere queant. Atque hæc est, quam ait in sacris sceptris prærogatiuam habere. Apud Suidam in Reciconiandi prouerbio, vt nouo vocabulo verbi Græci proprietatem explicemus, nimirum le-

gere

A guere est, in eiusmodi sceptris σκέλαρχον adsculpi, quæ dubio procul Ciconia est. Atq; ego animaduerti quibusdam in numis huiusmodi sceptri speciem Ciconiæ capite insignem esse.

VERNVM TEMPVS.

HABETVR & tepidi temporis hieroglyphicum Ciconia, quippe quæ adueniente hyeme in tepidiores regiones transmigrat, verno verò tempore nos inuisit, quare Petronius eam felici compositione Exulyemem vocauit. Hinc in æstatis pictura Ciconiam nonnulli addidère, quando constat eam ex erraticis auibus æstatis aduenam esse.

MVNIMENTVM AB INSIDIIS.

Platani folium gestans Ciconia, quid.



INVENIO & munimentum ab insidiis atque veneficiis per Ciconiam platani folium gestantem significari: ea siquidem huiusmodi folio nidis impositio, editis ouis ea ab Noctuarum iniuria defendit. Compertum enim est, si Noctua ea contigerit, fascinari, incubationem quippe omnem, ac si oua essent subuentanea, irritam fieri, quod obseruauit Ælianus. Nouit verò Ciconia amuletum id, vt eò non accedat Noctua, vbi platani folium fuerit. Quid enim commune esse potest aliti lethali cum arbore geniali? Vel eam inesse folio vim dicemus, vt ab eiusmodi fascinatione valeat oua liberare.

MEDICINA.

QVOD si Ciconiam ore tenentem origani ramusculum quis figurarit, hieroglyphico eo medicinam sibi comparatam indicabit: nam eius herbæ pastione Ciconiæ stomachi fastidium B leuant.

VIGILIÆ SPECVLATIONESQVE.

IN augurali disciplina Ciconiæ vigiliarum custodúmque vrbium signa perhibentur, propterea quòd ædium fastigia & acroteria plurimùm inhabitant. Hinc augurium Attilæ dederunt, futurum vt Aquileiam, quam per triennium obsederat, multisque oppugnationibus attriuerat, expugnaturus esset: visæ siquidem Ciconiæ vno impetu ex vrbe migrare, fœtúsque suos sublatos rostris per ruta foras asportare, vnde ille vrbem euestigiò perituram præsagiuit, ostensoq; militibus augurio, expugnatione perquàm properè parata, vori compos euasit. Et, si parua ponere cum magnis licet, Patauij sub Ezelini dura dominatione, cùm iniecta esset Iordano Bonzio viro strenuo tyrannicidij concepti calumnia, ob quam is damnatus est, domusq; eius diiecta, & à fundamentis euersa, obseruatum est paucis antè diebus Ciconiam, quæ in summa illarum ædium turri nidum struxerat, paulatim nidum ipsum auellere cœpisse, móxque eum in Manfredi Cuticelli turrim transtulisse, ibíque oua posuisse, quod casu factum credere difficillimum est.

Augurium Attilæ.

MILITARIS DISCIPLINA.

Ciconiarũ ἀγέρωχια.

EST & militiæ hieroglyphicum Ciconia, in ea siquidem frequenter illud agitatur, qua quis ratione locum ponendis castris præcipiat, vel si maior ingruat vis, quo pacto motis castris hostem fallat. Compertum verò est huius generis alites magno numero certo congregari loco, ex omnibus prouincia omnes in vnum cogi, vt nulla sui generis relinquatur cui liberum sequi fuerit, ídque prædicta velut die, & siue discedant, siue aduenient, etiam obseruantes fallunt, quòd nocturnis vtrumque temporibus aggrediuntur. Quid quòd & concilia inter se in concionis morem agitare eas obseruatum est? vt in Come Pithonis parentibus Asiæ campis congregatæ inter se commurmurant, ramq; seuerè disciplinam hanc exercent, vt eam quæ nouissimè aduenerit, lacerent, atque ita cæteris negligentiæ castigatæ admonitis, castra subito volatu mouent, & vnanimi profectione commeant.

C

HOSTIS PROFLIGATVS.

Thessalorũ lex.

PRIMVM verò illud optimi est Imperatoris munus, vt hostes longè à patriis sedibus summoueat. Serpentem loco suo belli & ingruentis calamitatis esse signum, multis ostendimus argumentis, atqui nullum animal contra Serpentes acrius, neque assiduè magis dimicat, quàm Ciconia, quare honos illi Serpentium exitio habitus, capitaléque fuit plerisque gentibus, si quis Ciconiam occidisset, pœna eadem legibus statuta, quæ homicidis, quod Thessalos religiosè admodùm obseruasse, tradit Plinius, & pleriq; alij. Et apud Stephanum de vrbibus legas, Θετταλία ἐν Θετταλοῖς ἔξεστι πελαργὸς κτεῖναι, τὰς δὲ χώρας ὄφεις ἀναιρῶσιν. Id quod notatum volui, ne quis Θελαρχὸς legeret, vt in vulgatis habetur exemplaribus. Vnde fortè factum, vt dum illi vtili hac de causa parcitur,

prohibitum sit eam mensis inferre, non aliter quàm Bouem olim occidere atque ciuem, eidem D subiiciebatur supplicio. Sed veluti neque Boui perpetua fuit immunitas, ita Ciconiæ in culinam & ipsæ raptæ, in quo tamen hoc illi accessit honoris, vt cùm delicati alij cibi plurimum ab hoc vel illo ganeone priuatim conquisiti laudatíque fuerint, vna Ciconia edicto Prætorio epulis inferri meruerit, de quo Flaccus in Gallonij gulam, qui acipenserem tantùm approbabat, ita scripsit:

Ciconiæ in epulis datæ.

----- *Quid tum Rhombos minus æquora alebant,*
Tutus erat Rhombus, tutoq; Ciconia nido,
Donec vos author docuit Prætorius.

Nam Ruffus quidam vir Prætorius, vt apud Porphyrionem legimus, quidam Asellum dicunt, instituit, vt Ciconiarum pulli manderentur, ísque mox repulsam in Prætura passus, huiusmodi scazonte processus est:

Ciconiarum Ruffus iste conditor,
Hic & duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem:
Ciconiarum populus vltus est mortem.

Cornelius Nepos, qui principatu Augusti obiit, cùm scriberet de saginandis alitibus, Turdósque paulò antè cœptos saginari monuisset, addidit: *Ciconias magis placere quàm Grues*, quamuis longè secus humanum mox palatum iudicauit: nam Grues inter primas, Iouij etiam nostri iudicio, commendantur.

IRRISIO.

PRÆTEREVNDVS non est Persianus locus, per quem Ciconiam illusionis & suggillationis E signum haberi dicimus, vbi dicit:

O Iane, à tergo quem nulla Ciconia pinsit.

Ad id scilicet respiciens, quòd petulciores homines cùm quempiam ludibriis incessere aggrediuntur, soleant digitis in vnum adstrictis exporrectísque, quasi Ciconiani rostri speciem reddentes, identidem pinsando abeuntes eludere, qui mos in Principum aulis frequentissimus.

DEVS.

Ciconia & Crocodilus elingues.

ADDEMVS & illud, posse etiam hieroglyphico Dei Ciconiam ea ratione figurari, quòd his alitibus non inesse linguam obseruatum, ideóque earum vocem murmurationi potiùs esse similem quàm clangori. Nam & Crocodilum ea de causa Dei simulacrum Ægyptij statuebant, de quo suo dictum Commentario: elinguis enim omninò est Crocodilus, idq; tam significat Deum tacito omnia silentio perficere, quàm non debere nos super eo loqui, quem nulla queat humani vis ingenij satis admirari.

ANIMVS DIVINIS INTENTVS.

NEQVE verò minori obseruatione dignum illud, quòd purum animum, supra terrenas fæces elatum, & diuinarum tantùm rerum meditationi deditum, per Ciconiam hieroglyphicè significant sacræ etiam nostrorum literæ. Fastigia enim apicésque rerum semper quæritat Ciconia, quique Hebraicam sequuntur lectionem apud Psalmographum, quod vulgò legitur: *Herodij domus dux est eorum*, ij reddunt, *Ciconiæ domicilium abies præbet*: vel, *Ciconia nidum suum ponit in abiete*, arbore scilicet supra reliquas verticem attollente. Quod quidem ex Hebræorum disciplinis memini te, Pater amplissime, pro concionibus declamitare, nidos scilicet eius alitis in excelsissimis abietibus positos ostendentem, multa super ea ex vndecimo Leuitici capite, octauo apud Hieremiam, quinto apud Zachariam, & tertio supra centesimum Psalmo memorantem, præcipuè verò trigesimonono Iobis locum declarantem, qui non intellectus, longè alienum habeat sensum, quàm plerique interpretes opinati sunt. Quædam enim ibi enumerantur animantes, præcipuè autem aues, in quibus multa, in primisq; manifesta atque clarissima apparet prouidentia, inter quas Hassida ista tua est, quam nostram esse Ciconiam (id enim rectè memini) contendebas, de qua dictum ab Iobe: *Num illa relinquit humi oua sua, vt quæ puluis excalfaciat, pes opprimat, fera calcet?* Quem locum interpres tuus enarrans, ait nequaquam ita esse, sed Hassidam auem vt clementissimam, ita & prudentissimam, eminentissimis in speculis arboribusq; montiúmve aut ædificiorum apicibus nidificare, humo humilibúsve locis minimè credere animalium accessum, omnésque fortunæ casus inaccessæ altitudinis altissimo consilio cauere, quamuis Latinus interpres, oua eam humi relinquere tradiderit. Velle verò Theologos, quos enumerabas, multa inesse Ciconiæ diuina lumina, omnium supremum, quo maximè dando clemens appareat Deus. Nasci præterea plerasque, imò innumerabiles animas tantæ lucis fastigio ineptas, raras admodùm aptas, propterea quòd corpore mortali obtectæ sunt, cuius si quando obliuiscantur, gradum illum eminentissimum, vt astrum proprium, semper ante oculos habituræ sunt, ita vt nidum illum antiquum agnoscant, quæque inferiora illo sunt, contemnant & aspernentur.

Locorum quorundam sacræ Scripturæ explicatio vbi de Ciconia mentio.

F

VOLV

A VOLVPTATVM ET MALORVM AFFECTVVM DISSIPATIO.

HABET & hoc Ciconia commune cum superis, quòd, vti dicebamus, bellum illi assiduè cum Serpentibus est, quod quidem animantium genus ita prorsus terrestre est, vt humi repat, humi semper vel adhærescat, vel in abditissimas se terræ latebras occultet. Ita animus qui mortalium delicias auersetur, terrenosq; affectus humi propemodùm obuolutos longè summoueat, & penitus amoliatur, per hieroglyphicum huius alitis, quæ Serpentem dilaceret, aptè significabitur. Serpentem verò inter alia significata petulciorum voluptatum, molliumq; illecebrarum symbolum esse, plerisque locis toto hoc opere declaratum est, suo verò Commentario pleniss imè.

Ciconiæ bellum cũ Serpentibus, quid.

ANIMVS AD HVMILIA DELECTVS.

AD hunc itaque modum Ciconiæ nidulantur, sed si super ea vnquam mentio sit, quòd humi oua deponat, alterius significati gratia confictum, quasi rem ab ingenio suo alieniss imam aggrediatur, eritq; Ciconiæ humi oua deponentis hieroglyphicum, animus ad humilia deiectus. Aliqua est omninò anima talis, atque vtinam non innumerabiles huiusmodi reperirentur, quæ, licèt totæ in res diuinas vergant, totæ assurgant, totæ humanas res contemnant, totæ diuinis aspirent, quadam tamen vulgarium animarum labe contagioneq; fit, vt cum aliis mortalibus versentur, eorumq; curas inaniss imas in necessariis parandis, in periculis vitandis, in familia, domo, agris, honoribus, aliisq; id genus sexcentis procurandis imitentur. Atque ita auis cœli gratia nata, dum ad humana serpit, humi oua collocare dicta sit, & à sanctissimis naturæ suæ institutis aberrare. Memini verò & illud disputasse te, Latinorum aliquot per Hassidam Cassitam interpretatos, fabuloseq; Gellium fabulam commentum de nidificatione in agris & in segetibus, sed eum apologum, non historiam scripsisse, dicebasq; Latinos nostros, vnà cum Græcis, quippe qui sint ad diuinos sonos soli barbari, cùm sacris literis careant, aspirationem grauem in c literam mutare solitos, & pro filio Noa, Ham, scriptitare Cham: pro Ahab, Achab: pro Ohozia, Ochozia. Et Blondum in asportando D. Marci corpore Suum tergis operto, exclamatum scribere, *Cancir Cancir*, ab iis qui Alexandriæ custodes erant, cùm Hazir Arabum lingua enunciassent, quæ vox Suem sonat: esse verò Arabum linguam Hebræorum linguæ non absimilem, & hos, & illos æquè suillam abominari, manifestum est. Qui quidem error à quodam nostri temporis nouo interprete, omnibus diuinarum institutionum ex historiæ tam veteris quàm nouę libris, suprà quàm dici possit auctus est. Sed hæc alij viderint. Nos quę ad alitis significata spectare videbantur, quæq; ad rem ipsam attinerent, ita vt vides, qua potuimus cura, collegimus:

B

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis,
Effluxisse meo forte putes animo.

Hæc demum est illa Ciconia quam per literas apponi tibi iusseras, Pater sapientissime, insipida illa quidem futura, nisi aromatibus ex Arabia illa tua petitis, largeq; superfusis, commendationem aliquam acquisierit. Sed iam reliqua huius generis aggrediamur.

C

DE IBI.

DE Ibi nunc dicere consentaneum est, quę quidem omninò est Ciconiæ species excelsa ea quidem, rigidis cruribus, procero rostro, multò tamen alia quàm nostra. Atque eædem in Ægypto duplici genere distinguuntur: sunt enim aliæ candidæ, aliæ nigræ. Candidæ apud Pelusium tantùm non sunt, cùm in reliqua tota Ægypto habeantur, ideò verò Candidæ appellatæ, quia capite sunt & collo penè candido, reliquo tamen corpore nigricante. Nigræ contrà apud Pelusium tantùm, in cætera Ægypto nullæ. Sunt verò hæ nigræ totæ cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco. Sed quæ candidæ dicuntur, pedibus sunt humanis propè similibus, & graciliori capite.

Ibis quid, & eius species.

ÆGYPTVS.

QVÆ quidem geminæ species in Ægypto tantùm repertæ, argumentum dedêre, vt Ibes geminæ pro Ægypto ipsa figurarentur, vtpote quæ ei tantùm regioni familiares & propriæ essent. Eas in huiusmodi significatum passim in obeliscis videas. In numis verò Q. C. Mari, obseruauimus Ibes Elephanto adhibito, earum quippe regionum hieroglyphica, quas ipsi ditioni Romanæ subiecissent, aut in quibus æternæ memoriæ aliquid dignum effecissent. Sunt verò aues hæ ita Aegypti propriæ, vt extra eam regionem viuere non possint, asportataq; ocyssimè moriantur. Est & alia ratio cur Aegyptum hieroglyphicè significarent Ibes, nempe cùm ea regio Delton, à Δ Græcæ literæ figura nuncuparetur, eam cum Ibibus similitudinem habet, quòd alites hæ literam eam incessu pedum, interstitio ad æquales trianguli lineas diducto, figurare videantur, idémque

Aegyptus Delto dicta.

rostrum patefactum signat: ποιεῖ δὲ τῇ τῶν ποδῶν ἀνασάσει πρὸς ἀλλήλας, καὶ πρὸς τὸ ῥῖπτ- ἰσόλιθον τοῖς ζῴοις. D

COR.

Ibis pōdus. QVONIAM verò Ibis Mercurio in primis dedicata erat, qui totius cordis & sermocinationis dominus habebatur, ales ea cordis hieroglyphicum proponebatur: nam & alibi cor in thuribulo positum, Ægypti habere significatum ostendimus. Verùm alia ibi ratio. Quod verò ad Ibin pertinet, auis ea simulac nata est, si perpendatur, duas æquè drachmas ponderat, Plutarcho referente, quod vtique pondus est par cordi nuper nati pueruli, ἣ φησὶν ὁ Πλούταρχος ἀκολαφθῆσαι δ' ὑπὸ Ἑλλήνων δύο δραχμὰς, ὅσον ἄρτι παιδὸς γενομένου καρδίαν. Medici verò causam aliam adducunt, quia scilicet suapte natura Ibes cordi mirificè conferant, de quo apud eos locupletiùs. Sedenim super hoc in Accipitre plura.

SALVBRITAS.

Cur Ibes salutis simulacrū. EADEM, quia medicamenti genus quod in maximo ad salubritatem vsu est, commonstrauit, rostri aduncitate per eam partem se proluens, qua reddi ciborum onera maximè salubre, & in primis necessarium est, eo illa gestu figurata, salubritatis apud Ægyptios hieroglyphicum fuit. Eo autem præsentaneo remedio cùm vulgò vterētur Aegyptij, euenit, vt postquàm eius vtilitas vniuerso terrarum orbi communicata est, dictitatum sit, in Aegypto omnes esse Medicos, quod ab Homero sumptum multi posteà vsurparunt. Accessit huc ciborum abstinentia, succorum herbarumq; non incuriosa cognitio, de quibus licèt alij multa, plurima tamen Aegyptij deprehendêre, institutúmque apud eos, vt singulorum morborum singuli essent Medici, vnde Medicorum illic coaluerit multitudo. Alij eam afferunt causam, cur Ibes salutis simulacrum essent, quòd ex Arabia in Aegyptum volent alatæ Serpentes, quibuscum Ibes certamen ineunt, Aegyptiósque ab earum iniuria defendunt. Earum verò Serpentium alæ minimè pennatæ perhibentur, sed Vespertilionum alis perquàm similes, glabra subtilíque membrana quadam insignes. Nota est historia, quemadmodum Moses florente iam ætate, vt Iosephus memoriæ prodidit, Aegyptiorum copiis aduersus Aethiopas hostes infestissimos profecturis, dux à Pharaone, ita oraculo præmonente, electus, quia is per loca magna vi Serpentum occupata ducturus erat, vim Ibidum ingentem papyraceis instrumentis in arcarum speciem contextis incluserit, incolumémque ita exercitum earum alitum ope præsidióque ad hostes traduxerit.

E

MALVM EX BONIS INITIIS SVBSECVTVM.

Ortus Basiliſci. PERNICIEM aliquam ex institutis optimis sanóque consilio subsecutam, Aegyptij significare si voluissent, Ibin & Basiliscum facere consueuerunt: siquidem ex Ibidis ouo Basiliscum nasci, plerique veterum tradiderunt. Causámque insuper eam Philosophi afferunt, quòd auis ea multiuora sit, & Serpentum venenatorumq; genus omne abliguriat, quorum virulenta putredine oua ipsa prædita, animal id pernicioſum efficiant. Aegyptij sanè cùm Ibin alioquin egregiè colant, oua tamen eius, ne quid tale progeneretur, inuenta frangunt.



F

INEFFICACIA VOTI.

Pēna Ibidis DESIDEM ac adeò eneruatum hominem, vt nulla in re sibi sufficere possit, fruſtráque omnia tentet & aggrediatur neque vllius rei compos per summam ignauiam euadat, hieroglyphicè significare si vellent, Crocodilum Ibidis pennam in capite gestantem effingebant: compertum enim est animal id ad rapinam & impetum alioqui promptissimum, si penna Ibidis demulceatur, ita obtorpescere ac debilitari, vt immobilis reddatur, omnem pristinæ rapacitatis violentiam obliuiscatur, tanquam aliqua fascinatione sit repentè demutatus. Quinetiam Serpentum genus omne reddi immobile penna huiusmodi ipsis iniecta, ex Democrito tradit Florentinus libro de re rustica.



VOCALIS

A

VOCALIS PRIMA.

ERAT & Ibis auis primæ literæ symbolum: siquidem Plutarchus ait Mercurium, qui primus literas Ægyptiis communicauit, Ibin primam esse literam voluisse. Sedenim ipsa quoque literarum elementa non apud Ægyptios tantùm, sed etiam apud Græcos Romanósque hieroglyphicum aliquid habuêre: vt, A indicium erat absolutionis, C condemnationis, N verò & L, comperendinationis, per quam non liquere significabant. Vniuersi enim iudices, vt Pedianus ait, in cistam tabellas simul coniiciebant suas, singularibus literis signatas. Interdum etiam sententiam suam cur quis damnaret, aut cur absolueret, perscribere consuerant.

DE DAGNIDE.

ENTER Ægypti aues celebris est Dagnis, ab infesta mordacitate ita nuncupata: δάκνω enim mordeo est.

EBRIETAS.

PER eam supra coronam aliquam statutam, ebrietas significabatur: eas enim volucres Ægyptij in symposiis, quibus redimiti essent coronis aduincire soliti sunt, vt assiduè morsiunculis vellicando cantitandóque, potantes dormire non permitterent.

B

DE GRVE.

GRVVM significata in postremis minimè habenda sunt, quibus multa cum humana diligentia, rectéque regendæ familiæ ratione, communia sunt.

CVSTODIA.

Vigilantia Gruum. SED illud in primis referam, quo exercitus ducem ab hostium insidiis se custodientem significabant. Proponebant quippe Gruem vigilem, hoc est, lapillum pede sustinentē: illæ enim excubias ordine suo tota noctē disponunt, lapillúmque ideò prensant, vt lassatis somno decidens indiligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Philippus ille, qui breuissima Hori Apollinis lemmata in Græcam linguā traduxit, loco hoc γερανοφόνον καὶ ἀφύλακτον, Romano vocabulo tunc à Græcia cum imperio recepto, vsus est. Harum alitum vigilantiam imitatus Alexander Macedo, si quando peruigilandum esset, ne somni violentia opprimeretur, vas aëneum prope thorum adsistebant, supra quod brachium exporrigebat, pilam, vt Ammianus Marcellinus ait, argentea manu complexus, quæ si quando ipse somno vinceretur, elapsa, sonoro strepitu somnum abrumperet. Sedenim idem author Iulianum Cæsarem absque pila, vel instrumento alio, quotiens & quantum voluisset, euigilasse profitetur.

DEMOCRATIA.

C EX eo verò collegio, quòd Grues celebrant inter se, nonnulli dicunt democratiam hieroglyphicè significari: cum pluribus enim consultandum, si quid rectè fecisse voluerimus, & felicem rebus nostris succeſſum optauerimus, Æsymnio Megarensi honestissimo loco nato, dum super hoc consulta posceret, respondisse Apollinem Delphicum ait Pausanias, referret ad multos si gerere quid feliciter vellet: plurimorum enim sententiis auditis, facile est quod optimum sit discernere. Ea de causa Megarenses, ne vllam interpretandi oraculi occasionem amitterēt, vel quidpiam quod intelligi potuerit præterirent, comitia ad heroum sepulchra habere deinceps decreuêre: nam plures esse mortuos manifestum. Sanè quidem apud nostros consensus vnióque partium in eandem sententiam aut rem, Latino vocabulo formam ab ipsis Gruibus videtur accepisse, vt inde CONGRVERE, pro CONVENIRE dicamus.

Apollinis Delphici responsum Æsymno Megarensi.

PRVDENTIA.

SI autem volantem Gruem cum lapillo pinxissent, hieroglyphicum id prudentiā significare dicebatur. Ex probatissimis enim authoribus didicimus, Grues dū in sublime volāt, lapillū ideò gestare, vt lapsu illius explorēt, supra terrámne an mare volitēt, quod intelligūt ex sono, ac proin-



de considendúmne, an vlteriùs procedendum sit. Maximus Tyrius causam aliam memorat lapilli assumendi. Nam quoniam in volatu fluitare videntur instar nauis, quam agitent impellántq; vndæ, suæ sibi conscíæ imbecillitatis, antequàm volatui se credant, lapillum rostro suscipere, quo vnaquæque earum veluti firmamento vacillaturi volatus vtatur, eamq; habeat salutis suæ custodiam. Atque hoc est quod apud Solinum legas, Grues harenam deuorare, sublatísque lapillis ad moderatam grauitatem saburrari. Quarum prudentiam cùm Deucalion non ignoraret, eũ à diluuij clade seruatum aiũt Gruum beneficio: hunc enim Pausanias ait ad superuolãtium Gruum clangorem enatasse, atque ideò montem, in quem demùm euasisset, Geranium, in harum alitum honorem, appellasse.

SVBLIMIVM RERVM INDAGATOR.

Prudentia Gruum maxima.

QVòd si absque lapillo volantem Gruem figurassent, hominem sublimium indagatorem, & eorum quæterra procul, & à materia remota sunt studiosum, significari volebant. Ipsa enim præpes altissimè volat, vt longè latéq; speculetur. Quòd si subsidere nubes infrà despexerit, nunquam ad terram se demittit, vsque adeò tempestates & ventorum procellarúmque motus summo studio declinat, vtpote quæ sit quietis amantissima. Si verò acciderit vt in tempestate aliqua deprensa sit, confestim ad terram se confert, atque humi potiùs quiescit. Quòd si quam in alitem Plotinus hominem transmutari dixerit, qui absque sapientia sublimia tractauerit improbiùs, cùm nullam ille speciem ponat sublimis huius volatus, nempè Gruem ipsam ex Plotini sententia commodè pinxerimus.

PERSEVERANTISSIMI MORES.

PVLCHERRIMVM & illud est, quòd alij excogitarunt, hominem qui cum ætate mores minimè commutauerit, sed eodem semper ingenio perseueraverit, per Gruis pennas indicare. Reliquarum enim auium pennæ per ætates ferè omnes mutantur, nigrescéreque in senecta perspiciuntur, sed Gruum eodem semper colore perseuerant.

ORDINIS OBSERVATOR.

QVINETIAM in moribus eadem propositi constantia consideratur, cùm Grues in volatu ordinem pertinacissimè seruent. Quare Palamedes apud Philostratum Vlyssi obiicienti literas, non ab eo, sed à Gruibus inuentas, respondet is, Grues quidem, quod ad literas attineat, nihil adinuenisse, verùm ad ordinem, quem nunquam Vlysses seruare didicisset, earum curam referri. Vlyssem enim aiunt quotiens in bello aut Hectori, aut Sarpedoni, aut Æneæ obuiam fieret, ordinem deserere solitum, & ad imbecilliora declinasse.

LABORIS TOLERANTIA.

INDEFATIGATVM verò laboribus hominem significantes, alas vel pedes Gruum in manibus eius statuebant: ferunt siquidem non lassescere vllo labore, qui neruos ex alis aut cruribus Gruis habeat.

FERACITAS.

IN ostentis Grus biceps feracitatis indicium est. Appion enim tradit, Oenæo in Menide rerum domino bicipitem Gruem apparuisse, vberrimámque eo anno annonam in Ægypto fuisse. Ad hæc, auem sub alio Rege conspectam quatuor capitibus insignem, lętissimumq; frugum omnium prouentum subsecutum.



VER ET HYEMS.

Grus ver, aut hyemẽ nunciat.

SVNT qui per venientem Gruem, tempus vernum, per abeuntem, hyemem significari tradant: quandoquidem ea ales omninò est veris & hyemis nuncius, modò veniens, modò recedens, propterea quòd calorem & frigus peregregiè præsentiat. Itaque cùm frigus ingruit, altè sublata vastum quid inclamat, cùm verò clementius est nacta cœlum, per interualla vocem emittit, & taciturna propemodùm allabitur, atque ita vel ex accessu, vel recessu, & ex earum voce, nunc veris, nunc hyemis admonemur.

DE MILVIO.

SE verò picturæ desint, ex quibus temporum qualitates indicentur, cùm æstatem Cicada, autumnalem vindemiam Epops, brumale tempus Alcyone, ver Cuculus, Luscinia, & aliquot aliæ, aduolat huc Miluius, in huiusmodi ipse quoque hieroglyphicorum caueam includendus.

VER

VERNVM TEMPVS.

ERAT enim Miluius ipse quoque verni temporis hieroglyphicũ, propterea quòd ales ea verno primùm tempore incipit apparere, certissimumque sit eius nuncium. Vnde etiam prouerbium emanarit, *Miluiis procumbere*: quia scilicet pauperum sit mos, hyeme iam desæuiente, qua male semper afficiuntur, aduentantibus Miluiis procumbere eo genuum cultu, quo Reges coli solent, vt apud Suidam legas. Aristophanes ait, eo apparente contrarium autumno tempus ingruere, adesseque tondendi opportunitatem. Nomen autem illi ἐαρινὸν apud Græcos ab aduentu, quòd tanto scilicet desiderio expectatus accedat. Hanc autem loci temporisque cognitionem sacræ etiam nostræ literæ per Miluium ostendunt, in quibus habetur: *Miluius in cœlo non ignorat tempus suum: Turdus & Hirundo & Ciconia tempus ipsa quoque aduentus sui obseruauêre, populus autem meus iudicium Domini non cognouit.* *Prouerbiũ.*

LOCVPLES.

SVNT qui locupletem hominem, latisque agrorum possessionibus ditissimum, per Miluij volantis hieroglyphicum significari tradant: siquidem is dum prædam enanciscitur, spatiosissima aëris interualla vno oberrat impetu, quasi latifundia descripturus. In huiusmodi significatum Iuuenalis Satyra nona:

Tot Miluis intra tua pascua lapsis.

Et Persius priùs dixerat:

Dives arat Curibus quantum non Miluus oberret.

RAPACITAS.

SEDENIM Philosophi antiquiores illi qui doctrinam ab Aegyptiis magna ex parte mutuati sunt, deque hominum moribus per palingenesiæ figmenta disseruêre, cuiusmodi est Plato, quique eum secuti sunt Plotinus & Harpocration, Boëthus & Numenius, rapacitatem per alitem huiusmodi intelligi tradidêre, hominesque eos qui auaritiæ studuissent, promptíque semper ac parati ad imbecilliorum expilationes, & rapinas, & violentas tyrannides fuissent, in Miluios ac lupos conuerti, vt Socrates, Phædone, disputat, abireq; omnia in ea genera opinati sunt, quorum in vita moribus similes fuissent. In Diuinis quoque literis Miluus pro grassatore prædonéve ponitur, Psalmo, vbi secundum Hebræos haberi ait Eucherius, *Milui abiẽs domus est.* Aristophanes ad hanc alludens rapacitatem, ἰκτῖνα dixit παντόφθαλμον καὶ ἅρπαγα τέρφον, *aliturus omnituum ac rapacem Miluum.* Admiratur Plinius rapacissimam & famelicam semper auem, nihil rapere vnquam ex funerum ferculis, quæ veteres erant ad sepulchra afferre soliti, persuasi scilicet defunctorum animas eundem tenere sensum, & iisdem affici voluptatibus, quæ vnicuique, dum viueret, placuissent. Addunt & aram Olympiæ, quam alites huiusmodi nunquam infestarint. Idem sacri sunt apud Britannos, non enim Miluium iis occidere licebat. *Dei ibi Philosophica diuinaq; interpretatio.*

NAVIGATIO.

SVNT qui nauigationem, sunt qui gubernandi rationem ex Miluij volantis hieroglyphico significari tradant, propterea quòd multorum sit opinio, ait Plinius, didicisse homines ex Miluiis temonem nauibus immittere, quippe cùm obseruassent Miluium cauda modò hac, modò illac flexa, vice claui volatus sui cursum dirigere, natura scilicet in liquido cœlo monstrante, quod opus facto esset in humido profundo.

PIERIVS VALERIANVS
AD CORNELIVM MVSÆVM PRÆSVLEM BITONTINVM, DE IIS QVÆ PER VVLTVREM SIGNIFICANTVR,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XVIII.

INTERROGASTI me, Præsul honoratissime, quænam illa sit Vultur mea, quam libris editis Germani quidam ex Horo Niliaco à me Latinam factam diuulgarunt. Sedenim scias me olim Romæ dedisse eam videndam clarissimo Alberto Pio Carporum Principi eruditissimo, verùm ex eius scrinio, vna cum aliquot aliis huius notæ scriptis à nescio quo laborum alienorum suppressore ablatam & in Germaniam asportatam. Cuius facti indicium est, quòd docti quidam viri, cùm opusculum id legissent, Hori esse arbitrati, scriptis prodidêre, Horum Apollinem de sacris Aegyptiorum literis à Io. Petro Valeriano Latinum factum. Ioannis autem Petri mihi est peculiare nomen (cur enim id inficiar?) priusquàm M. Ant. Sabellicus præceptor meus id Venetiis in Pierium immutasset. Sed Horus Apollo à me non est conuersus, frequenter verò in scriptis huiusmodi citatus: argumenti enim huius alios etiam authores, eósque multos

multos habui, vtcumque, ea deperdita lucubratione, alteram reparaui: ablati enim illius reliquiis archetypi toto D *pluteo dissipatis, hanc priori illi non absimilem informaui, quam tibi dono darem, qui aliquid ex hoc meo argumento lecturum te libenter significasti, quod quidem summæ tuæ erga me humanitati potius, quàm vlli studiorum meorum merito attribuerint, & tamen in iis aliquid est; vnde huiusce generis lucubrationes tibi fortè minimè displicituras mihi confingam: siquidem ego libentissimè, hinc occasione qualibet arrepta, vt hac parte videre poteris, ad nostræ pietatis doctrinam diuinarumq; literarum interpretes me conferre soleo. Ex iis verò tam multa excerpsi, vt profiteri valeam, authorem alium neminem meo huic argumento, quòd multis iam commentariis auctum est, plura suppeditasse. Neque enim ego vnquam impurum nonnullorum ingenium approbaui, qui dum politiores haberi volunt, sacras nostrorum literas, vtpote squallorem, quod vnum obiiciunt, quendam præ se ferentes, attingere pertimescunt: sed enim in ea semper sententia fui, nullam esse lectionem quæ plus afferre possit eruditionis, quàm sanctorum hominum, qui diuina tractant, institutiones. Nam si artium ferè omnium liberalium finis denique est, vt veram edocti rationem, bene honesteq; viuere adlaboremus, fateor me, quantulumcumq; hoc studiorum genere assequi licuit, non plura, neq; e admirabiliora ex quibusuis disciplinarum quarumcumque magistris exhausisse, quàm ex mysteriorum, quæ ad pietatem nostram faciunt, interpretibus, siue rerum naturam, siue morum synceritatem, siue quæ ad veritatem, & Dei Opt. Max. cognitionem pertinent, inspexerimus. Sed ego imprudens, qui hæc tibi commemorem, qui tandiu, tam diligenter, tam assiduè in omnium doctrinarum lectione versatus es, quiq; alios hæc per doctissimas conciones tuas, tam doctè, tam eleganter, tam copiosè doceas potius, quàm à quoquam doceri possis. Idcirco his omissis, ad rem ipsam, quam, qualiscumque sit, recognoscere cupis, accedamus.*

DE VVLTVRE.

EVOLVCRVM genere nullam omninò Vulture magis admirandam inuenias, siue peculiares in eius vita, & ab omni vulgo semotos mores, siue conceptum, partum, educationemq; alitis, siue excellentes quasdam ingenij dotes, siue significata varia per eam in picturis, in portentis, in dicteriis posita consideres. Neque illa quidem plebi obuia & vnicuique expósita, sed magnis Regibus atque Diis accommodata, ipsis etiam Philosophis, ac peritissimis Theologis explorata: per huius nanque simulacrum hieroglyphicúmue, annum, matrem, siue, vt apud Ammianum est, naturæ vocabulum, mundum, intuitum aut speculationem, terminum, hæredipetam, stragem, præsagituram, miserationem, iustitiam, liuorem, Pallada, Iunonem, & quædam alia, veteres significabant. E

ANNVS.

QVONIAM verò ex ea præcipuum erat anni significatum, qua ratione sit id receptum, operæpretium fuerit explicare. Vultur, vt apud Ægyptios habetur, trecentos eos quinque & sexaginta dies, quibus annuum conficitur tempus, ordine mirifico dipartitur. Nam cùm annum Aegyptij per tres tantùm qualitates metirentur, ver quippe, æstatem, & hyemem, quę singula tempora centum viginti diebus constare voluerunt, ac vti Theopompus ait, hyemem Saturnum, æstatem Venerem, ver verò Proserpinam appellabant, quinque insuper dies addiderant, quos intercalares vocitabant: Vultur verò ad eiusmodi partitionem anni accommodata, cum primùm concitata fuerit ad conceptum, qui fit à vento, quinque continuos dies sine cibo & potu consumit in eiusmodi initu, natura in ventum adaperta, mox centum & viginti dies prægnans manet, totidemque diebus pullos educat, reliquos c x x. dies immunis est, suarumque tantùm rerum satagit, neque prægnationi, neque educationi intenta. Summotis itaque intercalaribus, ad antiquiorem illam rationem trahere possumus supputationem illam Xenophontis libro qui περὶ πρόσοδων inscribitur, vbi sex mancipiorum millia, si singuli singulis diebus obolum lucrifaciant, vnoquoque anno hos sexaginta talenta vectigalis allaturos: sic enim c c c l x. dies in vnius anni tempus videtur enumerasse. Sed ne quid, quod vel vtile vel delectabile esse possit, prætereamus, super horum quinque dierum, qui anno superant, argumento fabella fertur, quemadmodum Rhea cum Saturno clanculum rem habuerit, idq; vbi Sol explorasset, imprecationibus deuouerit, néue mense, néue anno páreret. Mercurium verò Deæ amore captum hoc iniisse cõsilium, vt opem laboranti ferret: Lucinam quippe deam talorum ludo illectam detinuisse, atque ita ab sexagesimo quoque die lucem vnam interuertisse, donec dies sibi quinque cõparasset, quos anno vertente certis illis temporibus elapsis, immunes, liberos, exemptosq; cùm nusquã nomina dedissent, ad anni supplementum accõmodaret, factumq; ita est, vt per huiusmodi dies Rheæ facultas pariundi fuerit. Hos intercalares Aegyptij habent, Deorumque suorum adscribunt genethliaco. Ferunt verò die primo Osirim, rerum dominũ futurum, editum; secundo Aruerim, quem Apollona, & seniorem Horum nonnulli vocant; tertio Typhona, verùm hunc intempestiuè, neque proprio meatu egressum, sed ex disrupto latere; quarto Isim; quinto Nepthen, quam nonnulli finem, vel potiùs interitum, alij Venerem, alij Victoriam appellarunt. Satis hæc ad intercalares dies quinque. Quid verò sibi de diis quinque commẽtum velit apud Plutarchum quærere licebit. Neque verò hic numerum illum c c c l x v. cœlorum, cuius principem Abraxan Basilidis deliramenta constituerunt, curiosiùs prosequar, ne rem tam seriam inanibus & ridiculis fabulis infarciam. Illud addam, quantum ad anni

Aegyptiaca anni dimẽsio, & super hoc fabula.

Dies Aegyptiorum intercalares.

F

A anni rationem pertinet, quod Vmbricio teste Plinius scribit, Vulturem oua XIII. párere, quod ad instar totidem Lunæ coitionũ accipio, quæ per vniuersum annum potissimùm obseruantur. Porrò annus etiam apud Persas in dies c c c l x v. describebatur: eáque de causa igni illi suo, quem Sacrum & Æternum vocabant, totidem sacerdotes iuuenes instituerant, qui canentes, ignem quaqua gestaretur, sequerentur.

ANNORVM CENTENA.

ANNVM itaque per Vulturem apud Ægyptios significari non leui de causa, manifestum est. Ab hoc aliud sequitur hieroglyphicum, vt per eandem alitem vel senio confectam, vel demortuam, centum annos intelligamus: eam enim augures magna semper religione sunt obseruare soliti, ac per singulas Vultures annorum centena totidem portendi tradiderunt, duodecimq; illas quas Romulus obseruauit, Imperium Romanum ad m c c. annos duraturum ostendisse, quod obseruatum à Vectio tradit Varro, exceptum mox à Censorino, qui circiter millesimo ab vrbe condita anno claruit, quod ita postmodùm euenisse, fœda ac miserabili totius Italiæ clade, quódque acerbius est, totius literaturæ interitu, satis constat. Nam quo tempore capta est vrbs Roma, & in ciues omnes occidione aut misera captiuitate sæuitum à Genserico, qui dolosè seruis impositis eam occupauit, anni circiter m c c v i i i. ab ea condita numerantur, vt Paulus Diaconus in iis quæ addidit Eutropio, neque non Orosius recensent, penéque tunc periit Romanum nomen. quare Vectij quadrat interpretatio, tametsi hanc Romani Imperij ruinam nonnulli properantius annis aliquot accipiunt. Sub Athalarico tamen (ita in numis nomen eius inscribitur, non Halaricus) qui Vrbem quatuor & x l. annis anteà inuaserat, Impetatore Romano incolumi, non extinctum, sed valde attritum Imperium est. Neque sum nescius, Imperij speciem, quæ ab Augusto inceperat, in Augustulo finitam, qui metu Odoacris, qui totam Italiam sibi armorum vi subdiderat, perterrefactus, purpuram Imperatoriam sponte abiecit, maiestatémque illam deposuit, barbaro tyranno tota rerum concessa potestate, quod fuit anno ab Vrbe condita circiter m c c x x i x. à C. Cæsare d x v i i. à salute nostra c c c c l x x v. Sanè dignitas hæc apud nostros, Occidentales scilicet, ad c c c x x x. annos non resumpsit purpuram, quam omnium primus Carolus Magnus ab interitu propemodùm vendicauit. Eò verò tunc miseriæ redacta est Rom. maiestas, vt Odoacer ipse de Roma Odoacria vocanda cogitarit, quò nominis etiam Romani memoria aboleretur, factúmque omninò fuisset, nisi qui meliùs aut piè magis sentiebant, persuasissent Regi, maiorem illi apud omnes gloriam futuram, Romam domitam, quàm Odoacriam instauratã. Neque verò prætereundum est, in nostrarum etiam miseriarum memoriam, quod rerum scriptores prodidêre, Octauiano etiam primo Consulatu augurium captanti duodecim se Vultures, vt Romulo, ostendisse, atque iam ex eo tempore, anno quippe vitæ x x. ad monarchiam aspirabat, quæ longa annorum serie ad nos vsque permanauit, si non Imperij viribus, saltem titulo tenus, & licèt aliquando interrupta, in eundem tamen titulum postmodùm restituta, prout temporum vicissitudines permisêre. Quorum quidem temporum historias si perpenderimus, ad annos circiter m c c. ab Augusto, inueniemus Pontificum totiúsque Senatus decretis magnum id Imperij nomen abolitum, pérque annos multos adulterinam fuisse Imperatoris nuncupationem. Quamquam ne tam venerabili titulo defraudaremur, aliquot pòst annis, sanctissimo Gregorij v. Pont. Max. decreto, noua quadam ratione ansa præbita est, vt ea maiestas per Electores certos conseruaretur, cuiusmodi suffragiorum ratione post Othonem Othonis secundi filium, primus omnium Henricus Imperator declaratus. Quorum electio ita aliquando despicatui habita, vt Othocarus Bohemiæ Rex vocatus ab iis ad Imperium capessendum, vltrò contempserit, qui pluris Bohemiæ Regem esse existimaret, quàm Romæ Imperatorem, atque illi tandem ad Rodolphum Habsburgi Comitem, qui Magister curiæ Othocari erat, deuenêre. Sed ne longiùs ab instituto nostro recedamus qualiacumque hæc fuerint, illud inter hæc obseruatione dignum mihi videtur, ter iam hanc annorum m c c. supputationem, tribus in maximis Imperiis, æquo propemodùm temporis sui curriculo, insignes admodùm rerum mutationes adduxisse. Primam à Romulo ad Genserícum, siue quis ad Odoacrem maluerit, secundam ab Octauiano Augusto ad Fridericos, tertiam Constantinopolitanam à Fl. Constantino ad Constantinum eum, qui oppressus ab Othomano Turcarum duce, vitam & Imperium finiuit, qui etiam eiusdem nominis matrem habuit cum Imperij conditore. Nam inter duos hos Byzantij principes anni mille centum supra vnum & nonaginta decurrerant. Neque obstat quod à Valente Mathematico inspecto vrbis horoscopo prædictum sit, Imperium id ad annos d c x c v i. duraturum, quia post eam annorum summam qualescumque fuerint Principes siue viri, siue fœminæ, à Maximi tamen Constantini institutis pendêre videbantur. Sub Turca verò longè alia Imperij forma, longè aliæ leges, longè alij ritus superinducti. Itaq; cur annorum centena per singulas Vultures significarentur, inde sumptum, quòd eas ad centum vsque annos viuere compertum est apud antiquiores, quibus adstipulatur Ambrosius. Nunc reliqua huius imaginis hieroglyphica aggrediamur.

Romani Imperij ruina, & interitus multiplex.

B

C

CVM ergo in genere Vulturum mas nusquam inueniatur, omnes autem fœminæ sint, vtpote quæ ex vento concipiant, manifestum est cur Ægyptij sacerdotes per eam alitem vropygio surrecto, atque ad Aquilonem verso, matrem aut naturam ipsam intelligerent: mater siquidem fœmineum est animal. Vultur enim, vti dictum, tempore conceptus appetente, quod per quinque dies illos quos suprà memorauimus, producitur, natura in Aquilonem vt Ægyptij tradunt, in Eurum, vt Plutarchus, exporrecta adapertáque ab eodem initur, non secus ac plantæ Zephyris genialibus iniri traduntur. Sedenim hîc dissimulare non possum nonnullorum imprudentiam, qui Horum Apollinem citant nouo verbo ὀργύζω, conficto, vltimóque Hori capite appellato verba etiam infarciunt, ὅθεν ὀργύζῃ πρὸς σύλληψιν ἡ γυνή, cùm in codicibus manuscriptis, iisque plerisque quos euolui, non ὀργύζῃ, sed ὀργάξῃ scriptum reperiatur: vti etiam aliquanto pòst de coëunte Vacca, cap. πῶς ἀκοήν. ἐπεὶ δ' ἂν ᾖ ἡ θήλεια ὀργῶσα πρὸς σύλληψιν ἢ. ὀργᾶ ὃ ἐ πλεῖον ἢ ἐφ' ὥρας τρεῖς. Quæ porrò de Vulture apud Horum habentur, vndecimo in impressis capite sunt, non vltimo. Perdurat verò Vultur quinque eos dies pertinacissimo ieiunio macerata, tale est eius in concipienda prole studium atque cupiditas. Neq; quidē negarim alia etiam esse volucrum genera (ὄρνεις enim, non γῦπας, in castigatis Hori codicibus legitur) quæ vel inter se, si mas non adsit, fœminæ, æquè saliant; & mutua libidinis imaginatione cōcipiant, vel vt nōnulli arbitrati sunt, ipso puluere in naturā vi pruritus attracto, cuiusmodi sunt Columbæ, Gallinæ, Perdices, Anseres, & Vulpanseres, quarū tamen oua irrita, minimeq; prolifica sunt, ad cibi tantùm vsum faciētia, minora reliquis, ac minùs iucundi saporis, cæterùm magis humida. Tertullianus: *Et Gallina*, ait, *sortita est de suo párere, sed Vultures fœminas tantùm párere aiunt*. Oua huiusmodi, quia, vt plerique omnes asserunt, ex vento generantur, & *Zephyria*, & *Hypenemia*, quasi subuentanea dicere velint, appellantur. Eos verò non audiendos dicit Aristoteles, qui dicunt, vere tantùm hæc fieri, incubatione derelicta, cùm & iuuencæ expertes adhuc coitus, ea pariant. Cæterùm idem author, qui subuentanea omnia infœcunda esse vult, in quodam auium genere existere simile piscibus, spontina oua ad fœcunditatem progenerantibus, non inficiatur, quod nimirū de Vulturibus in primis fertur. Eas porrò author is quoque volare versus Austrum, atq; ita ab Aquilone iniri prægnantesq; fieri tradit, perq; tres annos párere, quod etiā apud agricultores Constantini legimus. Apud Hesiodum οἰωνοὶ interpretes aiunt: Vultures, quarum oua subuentanea sunt, absque maris copula, neq; alia earum generatio reperitur. Neque desunt interpretes etymologici, qui dicant, οἰωνὸς quasi οἰωὸς, quòd οἷ & ὠὸν sibi sit, quippe qui sine maris auxilio ex vento concipiat. In cuius quidē fœcunditatis cōmendationem illud addere nō incongruum est, quòd non intra suum tantùm genus ea felicitas continetur, sed proficua quadā vi ad aliorum etiam beneficium celebratur. Penna siquidem vulturina subiecta pedibus, adiuuat parturiētes. Id verò quod de Vulturum huiusmodi conceptu fertur, ne quis fabulosum putet, inter quadrupedes etiam Equas aliquot ex vento concipere, Probus ex comperto refert, quod & D. Augustinus, diuinarum humanarumq; rerum peritissimus, affirmat, & velocissimos ex eo genere iugales apud Homerum comperies haudquaquā fabulosè dictum. Basilius Magnus ex hoc omnibus animaduersum cupit, vt cùm nostrū arcanum nonnullos homines irridere conspexerimus, quasi fines naturæ cancellosq; egrediatur, & fieri non posse contendant, vt virgo pariat, virginitate ipsius integra, illæsa atq; intemerata persistente, contemplari debere nos, Deum exempla pleraque iam inde ab initio præmisisse, ex ipsaq; natura rerum semina quædam cōspersisse, vnde posset vnusquisque, vbi quod alta iam mente conceperat, effecisset, talibus mirabilibus fidem adhibere, atq; ita iis occurrere voluisse, quorum stuporine dicam, an peruersitati, nihil quicquā aliud persuadere queas, quàm quod vel manibus attingunt, vel oculis assequuntur. Hinc ait Ambrosius, neminē subuentaneo Vulturis audito conceptu, rerum naturalium scriptoribus refragari, cùm verò virginem diuino afflatā numine peperisse audierint, risum incœptare. Tangit hoc idem Adamantius, vbi Celso respōdet, duplex Almæ significatum ex Hebræorum interpretatione obiectanti. Sedenim de intacta virgine, non autem de adolescentula (quod Theodotion Ephesius & Aquila Ponticus intelligendum frustra conantur persuadere) prophetarū est priusquàm in Babylona fieret populi trāsmigratio, hoc est, antea quàm Medi & Persæ principatum inuaderent. Reddita autem sunt hæc in sermonē Græcum ab ipsis Iudæis multùm ante tempora aduentus Domini nostri, vt nulla relinquatur suspicio, inquit Irenæus, ne fortè morem nobis gerentes Iudæi, hæc ita sint interpretati, qui quidem si cognouissent nos futuros, & his testimoniis vsuros, quæ sunt ex eorum scriptis, nunquam & hæc & monumenta Prophetarum reliqua comburere dubitassent. Venerunt igitur in Latinorum manus Græco sermone translati Hebræorum libri, multò antequam Romani Iudæos in potestatem redegissent, Macedonibus quippe adhuc Asiā possidentibus. Ptolemæus enim Lagi cupiēs bibliothecam, quam Alexādriæ struxerat, illustribus scriptorū omnium monumētis implere, ab Hierosolymitanis

Tempus cōceptus Vulturum, & modus.

MATER SIVE NATVRÆ genus.

De B. Mariæ virginitate dubitantiū peruersitas elu ditur.

Amitanis petiit fieri sibi copiam vt eorum libri in Græcum sermonem transferrentur. Illi, qui tunc Macedonibus parebant, Septuaginta viros ex primoribus, & vtriusque linguæ cognitione præstantibus, ad Ptolemæum miserunt: qui veritus, ne, si inuicem consultarent, veritatem absconderent, eos omnes in singula contubernia separauit, iussitq; vt vnusquisque pro se librum eundem trāsferret, eoq; in libris singulis ordine seruato, opereq; perfecto, omnibus mox conuocatis, & per libros singulos interpretationem suam vnoquoq; eorum proferente, ita omnium sententiam eandem esse constitit, ac si ab vno tantùm traductiones omnes emanassent. Neque tamen ignoro esse qui rem aliter gestam narrent, & Pentateuchum tantum LXX. traductum contendant, & non separatos, sed vnanimi concordia sententiam vnoquoque suam proferente. Sed ego & Irenæo, & antiquis aliis potiorem adhibeo fidem. Quare non est vt calumniatores, Almam, iam excogitent & loco Virginis legitimi nominis, & à tot eruditis agniti, substituere contendant. Plurimùm verò (vt ad Vulturem redeamus) indignatur Adamantius, pleroſque adhibere fidem Historicis Philosophisq; hæc de Vulture & aliis aliquot animantibus, quæ sine maris coniunctione concipiunt, indubitatò tradentibus, & Deum negant, qui hæc in aliquot aliis animalibus facit, posse etiam in hominibus idem, vbi adlibuerit, facere. Et Græcorum plerique credunt homines primùm ex limo procreatos, nos non credemus ex dimidia humanæ substantiæ parte, iussu Dei, imò eo de se ita statuente, fieri potuisse, vt IESVS ex eo filius nasceretur? Esto igitur Vultur documento nobis, ne mysterium illud sacrosanctum, vnde vera salus, veraq; felicitas nobis obtigit, fabulosum fuisse vel minimum quidem suspicari vnquam in animum inducamus.

MISERATIO.

ADHÆC Ægyptij sacerdotes miserationem per Vulturem femora sua rostro proscindentem exprimebant: illa enim centum & viginti diebus, quibus in filiorum educatione detinetur, nunquam ad prædam longiùs prouolat, vni illi curæ intenta, ne pullos deserat, deq; propinquo tantùm quæ fuerint in promptu conuenatur. Quòd nisi aliud quicquam suggeratur occurrātve, quod filiis in alimentum paret, ipsa suis femoribus rostro vellicatis sanguinem ciet, quem filiis exugendum præbeat, tanta curat charitate, ne illi victus egestate deficiant. Sanè verò factū hinc crediderim, vt maiores nostri, cùm incomparabilem prorsus Assertoris nostri miserationem, qui pro salute nostra sanguinē suum profundere non dubitauit, alitem hanc, non autem Pelecanum, in sacrosanctę crucis apicem ea femorum vellicatione spectandam popularium omnium oculis erexerint. Nam quamuis omninò per Pelecanum incredibilis erga filios amor hieroglyphico longè alio significetur, nusquā tamen apud antiquissimos rerum scriptores, qui saxum hoc euoluerūt, legimus auem aliam, quàm Vulturem, femorum suorum vellicatu pullos suos pascere consuesse, Phœnicem tamen & ipsum vellicare femora, sed, vt suo loco disputatur, non vt eo filios alat, quos nullos habet, sed vt ex eo fuso vermiculus ille oriatur, qui mox exeat in Phœnicem. Alia verò ratione mortem oppetere Pelecanum, vt filios sospitet suos, Ægyptij tradiderūt, de quo quid illi tradiderint, suo differuimus Cōmentario.

Vulturis, Pelecani & Phœnicis erga suos amor compa ratur.

IVSTITIA.

HERODOTVS Vulturem ab Hercule pro iustitiæ symbolo habitam tradit, quòd ea iustissima omnium auium, quæ volatilibus vescantur, iudicetur, eaq; de causa semper apud eum magnę æstimationis fuisse, lætariq; solitum cùm inter res agendas Vulturem aspexisset. Vultur enim nihil quod viuit attingit, nec animatum quicquam interficit, quod Accipiter & Aquilæ faciunt, cadaueribus verò contenta, nullius vnquam auis pastione pollui visa est, vt Aegyptij obseruauēre. Eadem fructus nunquam lædit, nec vlla in re animali cuiquam mansueto nocet. Quare mirum videtur quod traditum est à Dionysio, Aquilarum pullos, quorum nidus erat in Palma, quæ Tarquinij Superbi regiæ incumbebat, dum parentes absunt incursu subito à Vulturibus discerptos. Sed id videtur ea præcipuè de causa diri prodigij loco habitum, quòd cædes ea ab hoc animantis genere profecta sit, quæ in animatum animal sæuire minimè consuerit. Vtcumque, non immeritò innocentes Vultures Hermodorus Ponticus apud Plutarchum dicit: nam & ab iis quæ maximè nocere soleant animantibus, mortale genus liberant: ex volucribus enim in auxilio contra Serpentes primam aiunt esse Vulturem, corq; eius alitis habentem, tutum esse non solùm à Serpentum impetu, sed etiam à ferarum & latronum periculis, & vt aliquid omninò dicant, à Regum etiam indignationibus incolumem euadere.

Vulturum innocentia.

DESIGNATIO.

ALIA quædam ex Vulture hieroglyphica commenti sunt Aegyptij sacerdotes, ex iis quæ ab ea plurimùm fieri obseruarunt. Nam scopum, siue locū, quò quis tendere designarit, per eam alitem altè volantem expressêre, propterea quòd Vulturem supra reliqua omnia animantia acutissimo visu præditam asserebant, atq; oriente Sole occasum versus aspicientem, decedente verò ad orientem spatiosissimis quantumlibet interuallis esculentū, quod vsui suo competit, prospectum

Visus Vulturum acutissimus.

enanciſci, vnoq; ad id volatu quaſi ſagittam ad ſcopum ferri. Quinetiam, vt D. Hieronymus atreſtatur, tranſmarina cadauera ſentiunt. Sunt autem qui viſui, ſunt qui odoratui, quo ſagaciſſimè pollent, rem adſcribant, ſed vtcumque hoc ab ingeniis hominum diſputetur, illud ſatis conſtat, Ægyptios intuitum ea loci deſignatione, in remotiſſimas quantumlibet partes, per Vulturis hieroglyphicum ſignificaſſe.

TERMINVS.

Vulturum prouidētia maxima.

QVINETIAM circumſcriptum terminum per eiuſdē alitis picturam intelligi volebant, propterea quòd, ſi conflictus vſquam futurus eſt, locū ipſa præſcribit, vbi acies concurſurę ſunt, & pugnam initurę, quò ſeptem antè diebus, vt Ægyptij tradunt, aut, vt alij, triduo tantùm præuolant. Hinc illud apud Plautum, in Truculento, de cœnipeta Dinarchus ait:

Iam quaſi Vulturij triduo priùs prædiuinant quo die eſuri ſint.

PRÆSAGITVRA.

AB hac verò præſagiendi vi, quòd tot ante dies vbi ſtrages futura ſit præſentiunt, iidem ſacerdotes Ægyptij præſagituram ex Vulturis ſimulacro ſignificabant, idemq; aſſerunt, conſueſſe priſcos Reges belli tempore exploratores dimittere, qui obſeruarent in quamnam exercitus partem Vultures imminerent, indē commonefacti ſtragem ibi futuram, vbi earum halitum grex frequentior incubuiſſet. Quę quidem huiuſmodi alitis prouidentia redigit in memoriam mihi, quòd Hermes Aſtronomus eum, qui Vulturis cœleſtis afflatum ab horoſcopo ſortitus fuerit, ſapientem & prouidum in negotiis obeundis futurum aſſerit, imperiumq; ſuum: nam & Regem fore pollicetur, valido munimine, animoq;, conſilio & prouidentia optimè valiturum. Quòd ſi priuatæ vitæ fuerit, pecunioſum omninò futurum, multos eius auſpiciis bene res geſturos, magnaſq; diuitias comparaturos. Præter hæc etiam aſſerunt futurum eum militum ductorem, cui Vultur volans in horoſcopo feliciter affulſerit, eundemq; magnis ſemper negotiis deditum, honoratiſſima quæque modò in hanc orbis partem, modò in illam appetiturum, quo nomen in longinquas regiones extendat, populóſque, ciuitates & regna extera ditioni ſuæ ſubiiciat, cui libenter omnes, tanquam Indi Auguſto, inſeruiant, & ſtudiis omnibus obſequantur.

Aſtronomicæ obſeruationes non reſpuendæ.

HAEREDIPETA.

IVNIORES hęredipetam, mortuorum quippe bona captantem, per Vulturem ſignificari tradunt: vnde mordax apud Senecam dictum, *Si vultur es, cadauer expecta.* Huc etiam alluſit Martialis epigrammatarius:

Cuius Vulturis hoc erit cadauer?

Profanæ in Diuinis literis Vultures habitæ.

In primis verò Diuinæ literę neque Aquilam, neque Vulturem mēſis inferri volunt. Hîc Adamantius illos in iis nominari putat, qui alienis mortibus incumbunt, qui arte fraudéve teſtamenta ſubiiciunt, velut mortuorum cadaueribus inhiantes, propterea quòd his auibus ſemper mortuorum, ait, corporum cibus eſt, & ex cadaueribus nutriuntur & viuunt. Ea verò de cauſa profanæ ſunt in Diuinis literis, vt ait Hieroſolymitanus Heſychius, quòd per eas homines intelliguntur, qui rixis & bellis gaudent, vt cadaueribus, viſceribus quippe miſerorum & atro ſanguine depaſcantur, cùm minimè oporteat hominem contemplationi deditum, aliorum caſibus paſci & enutriri.

FVNVS.

Vultur Marti dedicata

SVNT, qui Marti Vulturem dedicatam aſſerant, quòd diuerſo ab aliis ingenio prędita, omnem viuentium cōſuetudinem abhorreat, ſtudiumq; omne ſuum circa huiuſmodi cædes intendat, atque demùm funeſta omnia hieroglyphicè ſignificet. Sanè cùm natura omnia in ſeſe recipiat, ſitque decidentium omnium receptaculum, Vulturq;, vti ſæpe dictum, naturam exſcribat, non mirum ſi quæ ſpontè cadauera nanciſcatur, tam pro naturæ quàm funeris ſigno accepta eſt à veteribus. Olim autem apud Iberos Vultures erāt pro ſepulchro, ſicut apud Hyrcanos Canes, ob id dicti ſepulchrales. De Iberis ita Sillius XIII.

Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumit corpora Vultur.

De his Virgilius dixit: *Alitibus linquere feris.* De his Homerus, οἰωνοῖσί τε πᾶσι. De his Octauianus Philippenſi prælio cuidam ſuppliciter ſepulturam precanti reſpondit, *Iam iſtam in volucrum poteſtate fore.*

PEREGRINVS.

SVNT qui peregrinum hominem & ignotum omnibus hieroglyphicè per Vulturem aptè ſignificari dicant, propterea quòd multæ Vultures exercitum ſequentes repentè apparere ſoleant, volatu

A volatu ſemper ob raritatem prodigioſo, & tamen vnde, conſtat nemini, quapropter eos ex diuerſo orbe nobis incognitos aduolare plerique putant, argumento, quòd nemo, vt Herodotus Bryſonis Rhetoris pater aſſerebat, nidum Vulturis vidiſſet. Illæ ſanè in excelſiſſimis & inacceſſis rupibus nidificant: & quamquam difficulter nidum aut pullos eius alitis videris, aliquando tamen viſos tradit Ariſtoteles.

CONCVPISCENTIA.

QVOD verò Poëtæ fingunt eam Tityi iecur abrodentem,

-- Per tota nouem cui iugera corpus,

vt apud Maronem legere eſt,

Porrigitur, roſtroq; immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viſcera, rimaturq; epulis, habitatq; ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

Animæ partitio.

ab Ægyptiacis commentis haudquaquam diſſimile eſt. Anima enim, vt Philoſophi Poëtæq; veteres commentātur, in portionem rationis participem vnam, & rationis expertem alteram diſpertitur. Sedenim quæ rationi adglutinata eſt portio, ſupra ſenſum & ſenſibilia ſublata, quāto poteſt luctamine, tanquam Vulcani congreſſum effugiat Pallas, ſemetipſam ſibi aſſerere meditatur, quæ verò aliena eſt à ratione brutis proxima, temerè omnia vel appetit, vel cōcitat. Appetentis autem vim totam in hepate Philoſophi plerique conſtituunt. Quare quòd concubitus illegitimos Tityus appetierit, iecur ab alite rodi fingitur, ſiue ea Vultur, ſiue, vt alij quidam, Aquila ſit, quæ illud abrodat. Vtcumque, noctu ait Heſiodus tantum accreſcere, quantum die fuerat abſumptum, propterea quòd mentis agitatio noctu præcipuè vigeſcit, cogitationeſq; & conſilia noctu vndique ſuggeruntur. Sedenim quia dictum eſt ſuperiùs, Vulturem odoratu ſagaciſſimo ad putredinem deferri, cogitationis inquiunt nonnulli principium, motuſq; omnis à corde proficiſcitur, qui quidem eſt voluntatis fons, vt ex Homero & Poëtis aliis tam Græcis quàm Latinis accepimus. A corde igitur eſt, quòd malè habet iecur, itaq; Tityus ratione hac à Vulture laceratur. Sedenim Triclinius apud Pindarum viſcera Tityi à ſerpentibus diſcerpi depaſciq; dicit, quæ quidem eſt Poëtarum licentia, non in his fabulis tantùm, verùm etiam in hiſtoriis, ex commodo ſuo quæcumq; voluerint variare.

LIVOR.

NONNVLLI liuc rem ex hieroglyphico hoc interpretantur, eoq; ſpectare Tityanam Vulturem in appendicibus Virgilij,

Quæ ſemper lacerat, comeſtq; mentem,
Viuit pectore ſub dolente vulnus:
Quod Chironia nec manus leuarit,
Nec Phœbus, ſoboléſve clara Phœbi.

In quam ſententiam alitis huius figmentū Petronius Arbiter, Nicagoras, & Ariſtoxenes accepēre.

DIVINA PROVIDENTIA.

QVOD denique Vulturem nonnulli Promethei etiam cordi abrodendo applicant, Ægyptiacæ eruditioni longè accōmodatius eſt: Vulturem enim in mundi modum conſiderant. Cui pictura illa etiam applicatur cauſa, quòd mundus celeri quadam volubilitate verſetur, & cadauerum naſcentium occidentiumq; perennitate paſcatur: cúmque in corde ſapientiæ ſedem veterum pleriq; poſuerint, alitis huius cor depaſcentis hieroglyphicum, ali ſuſtentatiſque mundum diuinæ ſapientiæ prouidentia, quæ nec ipſa finiri nouit, nec mundus ceſſare ab eius alimentis vel tantillum queat, manifeſtiſſimo ſignificat argumento.

CONSVMMATIO,

Perfectionis figura, eiusq; declaratio.

NEQVE illud parui momēti myſterium eſt, quòd cùm perfectum quid in rerum natura Ægyptij ſacerdotes indicare vellent, Vulturem & Scarabeum ponere conſuerunt, vtpote qui ex duobus his ſimulacris Palladem & Vulcanum, vt ipſi aiebant, intelligerent. Comprehendebant autem picturam hanc vno tantùm argumento, ex quo maſculo fœmineum, vt dicam, ſexum ſignificari profitebantur. Ita tamen imagines diſponebant, vt ſi Vulcanum ſignificare vellent, Scarabeum primò incœptarent, mox in Vulturem deſinerent, ſin Mineruam intelligi vellent, à Vulture principium ſumentes, in Searabeum deſinebant. Cæterùm quia primo ſtatim obtutu noua hæc fortè videbuntur, ea latiùs explicabimus pro eorum inſtitutione, qui nondum rerum naturalium ſacris initiati ſunt.

PALLAS ET IVNO.

ILLVD autem in primis non ignorari velim, cœlo in ſuperius & inferius hemiſphærium diuiſo, Ægyptios quod ſupra finitorem eſt Palladi cōſecraſſe, quod verò infra ab oculis ſemper noſtris ſummotum, Iunoni dedicaſſe. Et quoniā cœlum ipſum muliebri genere Vraniam, nō οὐρανὸν, quod præcipuè etiam apud Arabes erat, vocitabant, vtpotè quæ Solis, Lunę, ſtellarumq; omnium mater haberetur, & Vulturem, vt ſæpe dictum, omninò fœminam intelligerent, vtrumq; itidem hemiſphærium, quo cœlum conſtat vniuerſum, per Vulturis hieroglyphicum exprimebant, atq; ita tam

Pallada quàm Iunonem, simulacro Vulturis significabant. Quinetiam vnicuique muliebri signo D alitem hanc pro gestamine addidêre, atque ita demùm vnamquamque Deam vnius figuratione Vulturis intelligebant. Vt verò ad Vulcanum & Pallada reuertamur, mũdum in vniuersum Ægyptij ex mare atque fœmina constare profitebantur, solos verò deorum Vulcanum & Pallada masculo fœminas asserebant, cùm tamen, vti castigatiores Hori codices habent, supra Vulcani caput Scarabeum, suprà verò Mineruæ, Vulturẽ statuere soliti essent. Atqui mundum ex Scarabeo, qui tantùm mas est, ab eisdem intelligi, suo ostendimus commentario: ex Vulture autem Pallada significari, quę supremum est hemisphæriũ, ac muliebri sexu perhibetur, vt paulò antè dicebamus, atque ita fieri vt Palladis & Vulcani opera, quicquid in rerum natura cernere est, formam consequatur, & ad absolutam speciem redigatur. Nam Pallas ingenio capacissimo freta, nihil non concipit, nihil non parturit: Vulcanus verò eo quo pollet artificio optimè peritus, ignis sui accedente beneficio, omnia quæ fuerint dissoluenda liquat, contrà verò alia cogit in duritiem, firmóque concretu peruincit. Atque hoc illud est quod Maximus Tyrius principium artis Vulcanum ab Homero dictum autumat: nam & quem ignẽ Prometheus furatus dicitur, Hesiodiani interpretes vitam variis artibus implicatam exponunt. Neque seciùs in iis quę ad sapientiam spectant, de quo pòst latiùs dicemus, operatur.

ARS ET INGENIVM.

Palladis cũ Vulcano copulatio quid.

EA verò de causa commenti sunt Ægyptij Vulturem adiungere Scarabeo, qua itidem fabulę Pallada Vulcano matrimonio collocatã fingunt. Vsurpatum autem à veteribus maximè, quòd in Orphicis etiam hymnis obseruatur, duas has vires in eadem substantia meditari, quarum altera contemplatur, quod munus est Palladis: altera præest corpori, quod ad Vulcanum spectat, easq; cognominibus maris & fœminæ nuncupare. Sed enim alij omniũ hanc cœlestium animorum prærogatiuam esse dicunt, vt vtrumque obeant munus, concipiendi quidem per contemplationem, quę à superiori potestate eorum infunditur intelligentię, simulq; agendi in inferiorum corporum cura, quæ sibi credita regant, instauantq; qua ratione per afflatum datur, atq; etiam è periculis eximant, & sospite valetudine tueantur. Vnde etiam Empedocles cùm se Deum iam effectum asseueraret, puerum & puellam esse se dicitabat, cuius hæc circumferuntur carmina, quæ rem attestantur:

Χαίρετ' ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητός,
Ἤδη γ' οὕτω ἐγὼ γθόμιν κυκήτε κοσέσσι.
Immortalis ego, haud quaquam mortalis habendus,
Summq; valete omnes, puer ecce, puellaq; factus.

Atqui etiamsi rem vlteriùs scrutari voluerimus, hominem, de quo apud Philosophos consideratio, vtriusque sexus esse comperimus, vnde quantum pertinet ad intellectum, nullum discrimen Socrates inter marem & fœminam discernebat, eandemq; virtutem atq; docilitatem in vtroque deprehendebat: cœlestemque illum nos etiam talem agnoscimus, cuius appellatione & angeli ipsi, & sæpe mali dæmones intelliguntur, cui' nuncupationi nostræ etiam Sacræ literæ adstipulantur, frequentissimumque hoc apud Prophetas de bonis Angelis, ac de malo etiam dæmone, qui nihil natura differt ab illis. In Euangelio scriptum est: *Inimicus homo hæc fecit.* Denique apud antiquos, quamuis duos hos tantum Ægyptij masculo fœminas ducerent, in deos omnes vtriusq; sexus testimonia reperias. Quinetiam minimè commentitium est, vtriusque naturæ homines inueniri, qui partem inter se vtramq; peragant, cuiusmodi sunt populi supra Nasamonas, confinesq; illis Maclias, Calliphanis testimonio satis cogniti, ac in reliqua etiam Europa deprehensi, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Annalium commentator Fenestella, seueraq; admodùm lege cautum, vt quem malint sexum eligant, altero si abutantur capitali supplicio puniendi. Qui verò Hermaphroditi ex marmore facti passim reperiũtur, facie quippe muliebri, mammisq; notabiliter tumentibus, aluo coxendicibusq; grandioribus, virilique natura procaciùs excitata, ad superiorem intellectum referri debẽt. Huius imaginis simulacrum pulcherrimum Romæ apud Petrum Melinum vidi. Sed vt ad deos, de quibus agebamus, reuertamur, Ægyptij tum alia pleraque, tum præcipuè liberorum procreationem, sententia à Græcorum fabulis aliena, inuentum esse aiunt Palladis & Vulcani. Atqui Scarabeus natos ex materia putida conformat, humiq; fouendam condit. Vultur ex halitu superioris aëris prolem suscipit, iuncta hæc hominem efficiunt, in cuius dispositam materiam animus immittitur cœlitùs, dum scilicet embryon in matris vtero coalescit. Porrò quòd Vultur & matris & Palladis symbolum est apud Aegyptios, id in memoriam adducit, quod in Diuinis literis Mater sæpe hieroglyphicè pro Sapientia ponitur, vt apud Salomonem Prouerbiis: *Fili mi, audi doctrinam patris*, id est, Dei, *& non discedas à lege matris tuæ*, id est, sapientiæ. Quòd verò natam ex Iouis capite Pallada confinxêre, sciendum eam pro intellectu Iouis accipi, in eiusq; prouidentia consistere: quapropter in Mineruæ gratiam antiqua superstitione Sapientiæ templa, eaq; potissimùm in arcibus, dedicabãtur. De capite autem veteres præcipuum animæ regimen emanare iudicarunt, quod & alij postea multis experimẽtis cognitum prodidêre. Prætereà veluti caput superior pars humani corporis est, ita æther, in quo regimen rerum, & totius prouidentiæ causa, vertéxque deorum, vt apud Euripidem est:

Lucidus

Homines vtriusque naturæ.

A *Lucidus hic terræ qui circumfunditur æther.*

Nullo prætereà matris beneficio genita Minerua, quo magis cum Scarabeo sine compare genito, commercium inire possit. Virtutis siquidem generatio diuersa est ab eiusmodi rebus, quæ parium concubitu fiunt. Hinc Iouem nonnulli aiunt consilium (ita enim βουλὴν exponendum) deglutisse, & mox Palladem edidisse, quippe qui consultor & sapiens sit habendus, non alia quàm consilij via ad prudentiam deuenire potest. Alij fabulam aliter contexuêre, dum Iouis caput à Vulcano comminutum aiunt, sirq; ita de patrio vertice nata dea. Ignis siquidem, quo in operibus ad demõstrandam naturæ puritatem vtimur, humanæ est instrumentum industriæ. Ignis occulta omnia dat luci, quod verò quis exquirit, si fuerit inuentum, id is & párere, & tanquam fœtum edere videtur. Sanè vetustas (id enim sæpè repetendum) Mineruam omnium operum inuentricem sapientissimam ponit, & omnia apud nos per Filium facta sunt. Orta illa ex Iouis capite confingitur. Vera Minerua sine qua factum est nihil, noster quippe Ehieh, hoc est, artifex, quod nomen secundo loco literæ sacræ ponunt, nutu consilioq; intimo summi Dei, non inferiorum operum more, sed ex Dei capite emanauit. De hoc, Prouerbiis: *Et Ehieh secundum se artifex, & Ehieh deliciæ quotidianæ.* Nostri: *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies.* Ita semper diuina dubio procul dispensatione apud nationes omnes aliquis semper veritatis fulgor illuxit. Nam ignis quem Hebræi, vt Reuchlin obseruauit, Esth vocant, vnum est ex primoribus Dei nominibus. Ab eo nomine Græci ἑστίαν, Romani Vestam fecêre, de qua Ouid. *Nec tu aliud Vestam quàm puram intellige flammam.* Quare triplex illa diuinorum nominum obseruatio, quæ ad omnium ferè gentium, quę disciplinis vsæ sunt, vsum faciunt, diligenter animaduertenda, ita enim habent:

B

Hebræi,	Hu,	Ehieh,	Esth.
Græci,	ζεὺς,	ἀθήνη,	ἀφροδίτη.
Latini,	Iupiter,	Minerua,	Venus.
Theologi,	Idem,	Ens,	Ignis.
Antiqui,	Nox,	Cœlum,	Æther.

Denique Deus, inquit Apostolus, qui dixit in tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem notitiæ claritatis Dei, in persona Iesu Christi.

IGNIS DVPLEX.

CVM itaque Pallas translucidus & purus ignis intelligatur, ne Græcorum figmenta huiusmodi prætereamus, meritò Vulcani nuptias auersatur, vt in virginitatis suæ puritate persistat, neq; quidem ea coniugem aspernatur, sed ab eo cõtingi contaminarive minimè patitur, siquidè is, quo vtimur, ignis, qui materiæ adhærescit, ære tamen commistus, Vulcanus est. Affectat is nuptias Palladis, quantoq; conatu potest sursum versus erigitur, ac nisi perpetuis materiæ vinculis præpeditus quodammodo in ergastulis detineretur, nimirum sponsæ thalamũ ascenderet. Iouis hic & Iunonis filius effingitur, Homero id asserente, quorundam verò commento, Iunonis tantũ, vt apud Hesiod.

ἥρησ' ἠφαίστου κλυτὸν ἐ φιλότητι μιγῆσα Πέσατο.
Illustrem Iuno nulli conuincta marito Vulcanum genuit,

propterea quòd densiori applicitus materiæ, atque vti pauimento adglutinatus, ne ad sublimia sustolli possit, coërceatur. Inferiora autem hæc Iunoni adiudicata esse tunc ostendimus, cùm infernum hemisphærium eam sortitam esse commemorauimus. Quare Varro dicere solebat, Vulcanum intelligi de vehementiore, vtpote fabrili fornacaliq; igne, Vestam verò de domestico. Vtcumque autem, flamma nihil aliud est quàm aër crassiusculus incensus, inferior verò aër hic Iuno, sic ea Vulcanum generat. Claudus idem perhibetur, siue quòd ob densum materiæ meatum, consensum habet cum iis quæ vmbram reddunt, vmbræ verò pleræque omnes obliquæ sunt, neque sine solido corpore esse queunt, inde etiam conficta claudicitate, quòd progredi nequeat absq; aliquo quasi ligneo baculo, siue quia superioris mucronis motum diuersum & inæqualem ab inferiori vbi depascitur, efficit, qui cùm sit omninò tardior, claudicare Deum ideò dixêre. Verùm apud Homerum vtroque pede claudicat, quia scilicet nunc in dexteram nunc in læuam agitatur, dum aërem perrumpere contendit, cuius densitas ne ascendat ad Palladem, obsistere videatur, inde cùm sit corpori adalligatus dum se vinculis liberare nititur, modò hunc, modò illum pedem tẽtat è compedibus extrahere, vnde moţari quoquouersum, & vndequaque distorqueri cogitur, atque ita speciem hominis vtroq; pede claudicantis exhibet. Proiectus ab Ioue de cœlo in terram fertur Vulcanus idem, nempe quia, vt nonnulli tradunt, qui primi ignis vsum adinuenêre, in ardentem materiam aliquam fulmine tactam incidêre, atque ita mox vtilitate cognita, ad igniaria deuentum, quam inter varias opiniones, vnde ignis datus mortalibus, primam ita Lucretius ponit:

Illud in his rebus, tacitus ne forte requiras,
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus, inde omnis flammarum diditur ardor.

C

Vulcanus claudus, & quare.

DRACHMÆ DVAE SIVE COR.

HIS igitur notis, Aegyptij tam in mysteriis suis edocendis, quàm in naturæ secretis aperiendis & ciuilium morum præceptis proponendis vtebantur. Sed & in reliquis disciplinis ab eodem



scriptionis genere non recedebant, vt si de Mathematicis rebus locuturi, in numeris drachmas duas ostendere voluissent, Vulturem, ait Horus, ponebant. Causam nonnulli commenti sunt, quia vnitas apud Ægyptios duarum drachmarum instar æstimatur. Vnitas verò vnà cum binario, totius est numeri generatio. Meritò itaque si drachmas duas indicare vellent Vulturem pingebant, quandoquidem & matris & generationis prærogatiua polleat, perinde ac vnitas ipsa vnà cum binario, numeros omnes generat. Quare cùm ita mater esse videatur, optimè Vulturi competit. Vtcumque, curta sunt hæc in exemplaribus Hori, quod alij viderint, si castigatiora in exemplaria inciderint. Cæ-

Cor per Vulturem.

terùm si ariolandum sit in re vsqueadeò perplexa, putarim ego Cor hinc significari, qui legerim apud eosdem sacerdotes, vel qui doctrinam eorum interpretati sunt, infantium anniculorum cor duabus drachmis ponderari, augeri autem per annos singulos drachmis itidem duabus ad annos vsque quinquaginta, inde per annos alios eodem decrescere æquilibrio, quod ad id vsque tempus auctum fuerit, hominemq; tunc deficere, cùm ad drachmas iam duas cor ipsum redactum fuerit, ita vitam humanam centum annis plurimum circumscribi, nisi aut negligenter, aut intemperàter actam, ipsa sibimet, vti Turdela, incommoda comparârit, seq; parte aliqua fraudauerit: nam cor affectum iniuria, & tranquillitate sua defraudatũ, pro molestiarum portione properantiùs efflacceſſit & deficit. Quę quidem cùm admodùm insignia sint apud Ægyptios, non vno erunt loco repetenda. Id autem annorum spatium cùm Vulturinæ congruat vitæ, sitq; vitæ omnis vis in corde sita, facilè vnicuique constare puto, cur drachmæ duæ ex Vulturis simulacro significẽtur. Sanè verò siue numus hic fuerit duab. drachmis imputatus, qui Vulturis imagine signaretur, siue alia fuerit eius nota, illud manifestum est, Didrachmã apud veteres numi pondus fuisse, quem suo nomine Siclum Hebræi vocabant, qui quidem 20. obolis imputabatur, frequentissimusq; est huius locutionis vsus in Diuinis literis, vt alij siclum, alij didrachmam ponant. Nam Leuit. cap. 7. supra 20. vbi Legislator pretium ponit quo se redimere possit, is qui honorem animæ suæ Deo vouerit, legas *à quinto anno ad vigesimum qui se Deo vouerit, siclis viginti posse redimi.* LXX. Interpretes, *viginti didrachmis* reddidêre. Ita illud pretium masculi à vigesimo anno vsq; ad sexagesimum, *quinquaginta sicli argenti ad mensum Sanctuarij*, iidem LXX. transtulerunt, *quinquaginta didrachmæ*, & multa passim huiusmodi. Adeò verò illis arridebat Didrachmæ vocabulum, vt si drachma vna esset enunciandum, didrachmæ dimidium potiùs, quàm drachmam vnam, aut sicli dimidium ponerẽt, cuius facti rationem, & cur hoc pondus *Sanctum* appellaretur, legas apud Hierosolymitanum Hesychium, libro eius 7. in Leuit. cap. 27. Atque vt huius monetæ pondus ad temporis nostri vsum deducamus, sciendum Obolum eius pretij esse qui Romę nunc literis aliquot immutatis Baliocus, quasi obolicus dicere velint, appellatur. Drachma verò pondus est eius numi, qui Romę Iulius hodie vocatur, Venetiis Marcellus argenteus eiusdem ferè ponderis est, vti etiam Ferrariæ atque Mantuæ vulgò Buxoloti nomine. Aureus quoque numus drachmæ ferè pondus æquat, atque ita siclus argenti vel didrachma, vno Mocenico Veneto imputatur, qui proximè accedit ad Iulios duos: non enim hæc ad vnguem explanari possunt, propter locorum varietatem, quia Iuliæ monetæ Romanæ pretium, extra Romanæ Pontificiæve ditionis loca, minoris quàm Romæ æstimatur: contrà Mocenicus moneta Veneta, extra Venetorum ditionem pretiosior est quàm apud ipsos, vel eorum socios. Aurei quoq; tam pretio variant, quàm varij sunt qui eos cudunt domini. Sed ponderis in eodem genere parua admodùm differentia. Atque hæc sunt, eruditissime Præsul, quæ doctrinam Ægyptiorum secutus super Vulture conscripseram, nescio an plura in archetypo fuerint, quem surreptũ initio conquestus sum, puto tamen hæc ad huiusmodi mysterij cognitionẽ factura satis. Multa verò de industria præterij, veritus ne nimia prolixitas delicatiorib. fastidio esset, & otij quod mihi exiguum concedebatur, habenda ratio fuit, cùm multa alia, ac penè innumera sint in huius generis commentaria, si per otium licuerit, redigenda, vt amicis argumentum hoc, vix vlli hactenus attentatum, deposcentibus, quantum pro tenuitate mea præstare potero, satisfaciam.

D

E

F

PIERIVS VALERIANVS AD CLARISS. ABB. D. Paulum Iustinianum, de iis quæ per Aquilam significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XIX.

SVMMVM *ingenij tui acumen, suauissimi mores, incomparabilis benignitas & eximia in amicos omnes liberalitas effecerunt, Paule Iustiniane vir rarissime, vt Aquilam tibi ex auiario meo Aegyptiaco dedicare cogitauerim, quippe quòd tu alitis huius pleraſque, vt ita dicam, virtutes, aut excellentis naturæ dotes, præ te ferre mihi compertus es. Sed potior nimirum causa fuit, quòd Iustiniana familiæ*

A *familiæ gestamen est Aquila aurea, quia scilicet progeniem hanc ex Iustiniani Imp. sanguine deduci, omnibus est exploratissimum, celeberrimi illius inquam Imperatoris, qui Bizantij præcipuè claruit, & vniuerso præfuit Orienti: illi siquidem Aquilam in signis auream præferebant, qui Orienti præerant; qui verò Occidenti, quod in hanc vsque diem continuatur, fuscam, bicipitem autem vtramque, sed vno tantùm corpore conspicuam: quod hieroglyphicum erat, administrationem atque potentiam in duos diuisas, vnius tamen esse consilij atque voluntatis. Ex ea vos progenie progressi, in Venetam, nobilitatem cooptati, regias virtutes ineſſe vobis per ætates singulas testatissimum effecistis, Fabiorumq; Romanorum exemplo bello Hierosolymitano pro Christiana pietate contra barbaros fortiter dimicantes, in acie ad vnum cæsi, mox vno tantùm, qui Venetiis supererat, vitamq; cælibem Deo vouerat, rogatione Senatus ad maritalem copulam compulso, reparata familia, ex qua breui post tempore tot illustrium Senatorum effulsere lumina, Marcus Iustinianus, summæ vir probitatis: Beatus ille Laurẽtius, sacra literatura scriptisq; nobilis, sanctitate vitæ insignis, & primus Venetiarum Patriarcha: Leonardus Diui Marci procurator, Græcis Latinisq; literis ornatus: adde Bernardos, Vrsatos, procuratores ipsos quoque, & honoratissimis legationibus functos, vltimum hunc insuper vigilantissimum classis Venetæ Imperatorem: ætate verò nostra Sebastianum & Antonium literis & disciplinis eximios, qui legationibus ipsi etiam ad summos quosque principes felicissimè administratis, patriæ charissimi, gentis huius splendorem offuscari minimè permiserunt. Tuam autem hereditariam illam à maioribus tuis acceptam probitatem, & à te studiosissimè cultam appellarem, quam Venetiæ prædicant, admirata est Pataunium, Gallia nouit vniuersa, & vbiubi literarum studia florent, omnes gestiunt celebrare: sed de re omnibus manifesta, ne actum agam, néve modestiam offendam tuam, qui mauis probus esse, quàm videri, longior non ero. De te verò quid sentiam, quid reliqui summis laudibus efferant, non tibi, sed seculis spero me aliquando in propatulo positurum. Nunc ad Aquilam aggrediamur.*

B

DE AQVILA.

AQVILA, vt hinc exordiar, non temerè cognomento Romana meruit appellari, cùm nulla ferè fuerit in vniuerso terrarum orbe pars, quà daretur accessus, quam auspicatissimo ductu Romanæ non subiecerit authoritati. Quamuis non sum nescius, Persas multò ante Romanos auream Aquilam pennas extendenti similem sacrasse. Huic autem vni aliti, ætatum & aruspicum omnium cõsensu, id honoris datum, vt magnarum rerum prosperi semper euentus significatione, auspicia faceret, Buteonem, Sanqualin, Immusculum ac Vulturium longè anteiret, reliquarum verò volucrum ostenta, quæcunque oblata essent interuentu suo aboleret, neque per aërios tractus omnes, vlli cederet, quàm fulmini. Cùm verò auspicia portentaq; omnia ferè similes quasdam habeant significationes cum Ægyptiorum hieroglyphicis, & manifesta inter se germanitate consentiant, non abs re fuerit in Aquila primùm auguria, mox hieroglyphica percurrere, vt hoc honoris ei tribuatur cuius est in auguriis prærogatiua.

Aquilæ cõmendatio.

RERVM PROSPERITAS.

PRÆCIPVVM itaque eius significatum est, vt oblatam diuinitùs prosperitatẽ ostendat, quod iam inde initium sumpsit, quòd Anacreon author antiquissimus scribit, Iouem aduersus Titanas profecturum, sacrificium Cœlo fecisse, Aquilæq; volatum prospero ei auspicio victoriam portendisse: quæ cùm subsecuta esset, insigne bellicum aureum inde Aquilam gestasse. In huiusmodi autem auguriis id veteres obseruabant, vt quo gestu Aquilam spectassent, magni dicerent interesse. Nam si volantem conspexissent, faustissimum & citra puluerem augurium putabant, vti Arexion Parrhasius indicauit Xenophonti expeditionem in Bithynos agitanti. Sin verò sedentem animaduertissent, magnum omninò esse augurium, præclaræque rei alicuius indicium, in qua tamen peragenda laboris plurimum esset adeundum, propterea quòd sedentem Aquilam aues reliquæ infestare consuessent, cuiusmodi augurium eidem Xenophonti tunc oblatum est, cùm Epheso ad Cyrum iter arriperet: dexteræ enim Aquilæ, quæ sedebat, obuiam factus, futuræ celebritatis, magno tamen labore comparandæ, vt postmodùm probauit euentus, omen accepit. Nimirum autem illud n Aquila præcipua admiratione dignum est, quòd vna omnium animantium idem apud gentes nationesq; omnes semper indicarit, cùm pleraque alia ita vel populorum vel gentium certarum propria fuerint, vt quanto huic vel illi feliciora portenderent, infausta aliis & ærumnosa magis minitarentur, quæ locis quæque suis toto opere commonstrantur. Verùm Aquila cui non semper prospera felixq; fuit? Quæ bella vnquam hominum memoria depugnata sunt, in quibus illa fuerit otiosa, siue quis Assyriorum, siue Medorum, siue Persarum historias percurrat, siue Græcorum, atque adeò Macedonum monumenta, resq; præclarè gestas memorauerit, siue Romanorum, qui mox omnium excepêre gloriam, famam celebritatémque, & sublimem felicitatis apicem, admiretur? Apud hos autem quid vnquam Aquila frequentius? quid honoratius? quid vnquam sacratius fuit? Sed vt ab externis ordiamur, quanta illud admiratione dignum, quòd Aquilæ currus Gordij, pauperis alioqui viri, iugo per totum diem insedit, vnde Phrygiæ regnum Midæ eius filio præmonstratum. Vel illud potiùs, quòd cùm apud Argiuos Heraclidarum familia defecisset, ex qua Regem eligere mos illis antiquitùs fuerat, qui Rex creari deberet per oraculum scisciantes, responsum acceperunt, Aquilam id ostensuram, paucisque

Ex Aquilæ gestu varia auguria, prosperæ fortunæ indicia.

admodùm pòst diebus, Aquila supernè delapsa super Ægonis domo consedit, atque ita omnium consensu Ægon Rex creatus. Hieroni quoque Siculo admodùm adolescẽti, priuatæ fortunæ homini Aquila, quæ primo bello quod iniit, in eius clypeo resedit, Regem eum aliquando futurum indicauit. Vulgatissima ea sunt quæ de Tarquinio Prisco memorantur, cui Romam migranti Aquila pileum ex itinere abstulit, futuri, vt Tanaquil vxor interpretata est, principatus augurio. Quin & Diadumeno Macrini filio in agro ambulanti, Aquila pileum abstulit, quem in capite cuiusdam regiæ statuæ deposuit, id honoris aruspicibus adolescenti pollicentibus. Et quoniam in nostra deuenimus, C. Marius cùm nidum Aquilæ cum septem pullis puer adhuc in agro reperisset, cumq; gremio susceptum ad patrem detulisset, is admiratione motus, consultis aruspicibus, septies penes filium rei summam futuram accepit, quòd in tot, quos gessit, cõsulatibus apparuit, quos eo numero primus omnium assecutus est. Quamuis Plutarchus, Romanarum quodammodo hostis historiarũ, rem ideò fabulosam existimat, quòd authores tradant Aquilam non vltra duos párere, tametsi Musæus dixerit ab ea tres excludi, vnum ali, duos abdicari. Cui responderi potest, id ostento feciſſe fidem, quod & patri admirationem incusserat, præter morem septem genitos: illi enim portentosi partus Varroni nostro sunt, qui longè morem excedunt, vti porca quæ triginta capitum fœtus enixa, Æneæ augurium dedit. Cæterùm, quod ad numerum facit huiusmodi, Albino etiam septima postquam natus est hora, conuiuio quod eius celebritati deputabatur, cùm ei fierent nomina, septẽ Aquilæ paruulæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad locum circa cunas pueri constitutæ: quod omen pater eo procliuius admisit, quòd rarissimum est in illis regionibus vbi Hadrumentum, huius natale solum, in Africa, videre Aquilas. In huiusmodi ostentũ accepit Octauianus, quòd sibi ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti, Aquila ex improuiso panem de manu rapuerit, cumq; altissimè volasset, rursus ex improuiso leniter delapsa reddiderit. Eadem nunquam anteà Rhodi conspecta, ante paucos dies quàm Tiberius inde reuocaretur, felici admodùm auspicio in culmine domus eius assederat. Et Claudij, qui diu inter ludibria aulæ fuerat, sub Caio demum fratris filio Consulatum adepti, quam primùm cum fascibus ingressus est forũ, præteruolans Aquila dexteriore cõsedit humero, indicio futuri apud eum Imperij manifesto. Acie autem Bebryacensi, priusquàm concursum esset à militibus, Aquilæ duæ in conspectu omnium conflixêre, victaque altera tertia subuenit à solis ortu, quæ victricem abegit. Ita duobus inter se decertantibus Imperatoribus, Vespasianus, qui Orienti præerat, rerum potitus est. Quin & Maximo, qui turbulentissimis Reip. temporibus Imperator electus est à Senatu, vt Maximini obuiam iret crudelitati, quamuis humillimo genere nato, patre quippe plebeio homine, arte ferrario, vt alij dicunt, carpẽtario, auspicium Imperij dederat Aquila, cùm eo nato carnem bubulam & quidem multam in eius cellam proiecisset, quæ angusto patebat impluuio, eam denique cùm faceret, nec quisquam auderet attingere religionis timore, iterum sustulit, & in proximum sacellum, quod erat Iouis Præstitis, detulit. Eadem ostento huiusmodi infantem adhuc Aurelianum vinctũ fasciola sine vlla noxa de cunis sustulit, & in aram quæ iuxta sacellum fortè sine ignibus erat, deposuit. Verùm hæc temerè fortè accidere potuerunt, cùm nulla non die ignobilissimis etiam viris Aquilæ sese ostentent, & his etiam admirabiliora nonnunquam faciant, quorum tamen nemo vllam assequitur celebritatem. Ostenta in aliis obseruata, quòd eorum qui ad aliquam rerum amplitudinem euehuntur, dicta factaque omnia quantumlibet leuia repetuntur, & oraculorum instar in acta referuntur. Sed demus hoc contentiosis. Illud puto non negabunt, alicuius esse momenti, quòd Aquilæ gerendis rebus tam sæpe se duces exhibuerint, & quasi diuinitùs missæ, vel quid agendum ostenderint, vel quò res euasuræ essent præmonuerint. Cùm natus esset Alexander Macedo, Aquilæ duæ tota ea die præpetes supra culmen domus insederunt, omen duplicis Imperij, Europæ Asiæque præ se ferentes. Ea autem quæ à classe in continentem progressa, ibique firmata, augurio fuit, Persas terra, non mari debellandos esse, Alexandri ipsius interpretatione, secus quàm Parmeno sentirer. Et difficillimo eo prælio, quod cum Darianis apud Arbellam commissum est, quo nullum vnquam acrius inter eos fuit, Aquila paululum supra caput Alexandri placidè volitare visa, nec armorum sonitu, nec gemitu clamoréve vllo morientium territa, diuque circa Equum ipsius regis pendenti magis quàm volanti similis apparuit, præsagio, vel indicatione potiùs, quò res euasura esset, manifestissima. Augurium huiusmodi legas apud Tacitum Fabio Valenti oblatum. Cùm is exercitum in bellum ageret, ipso profectionis die Aquilam leni meatu, prout agmen incedebat, veluti ducem viæ prouolasse, longumq; per spatium, nullo gaudentium militum clamore, augurium accipientium, & alitem saluere iubentium, terrefactam, ita iter continuasse, vt haud dubiè magnæ & prosperæ rei omen acciperetur. Eiusmodi auspicij lætitia Vitellio fuit, copias aduersus Othonem præmittenti: siquidem à parte dextera repentè Aquila aduolauit, lustratisque signis, ingressos viam sensim antecessit. Et memorabili ea pugna, qua Locrorum x v. millia tantùm, ducenta & viginti millia Crotoniẽsium profligarunt,

Portẽtosus partus.

D

E

F

A fligarunt, qua pugnabant parte Locri, Aquila ab acie nunquam recessisse fertur, eosq; tandiu quoad vincerent circumuolasse. Quid, quæ Deiotaro Regi augurium dedit, ex itinere diuertendum? cui ille obsecuturus cùm esset, conclaue mox illud, vbi Rex mansurus erat, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Eadem Mario reditum cum summa gloria triumphabundum pollicita est, cùm Anguem arreptum vnguibus dilacerasset, & in aquas abiecisset, & occasum inde versus abuolasset: quæ Cicero luculentissimis carminibus in Mario decantauit.

IMPERATORIA MAIESTAS.

OMNIBVS igitur nationibus & gentibus Aquilam in ostentis Imperij magnitudinem portendisse multis exemplis apparuit. Cæterùm cùm multæ sint Aquilarum species, eam Ægyptij sacerdotes in regio hoc significato deligebant, quæ à nigricãti colore Fulua potest appellari: huic enim Rex deorũ Iupiter, *regnum*, vt Horatius ait, *permisit in aues vagas*; in ea regiæ virtutes omnes eluceſcunt, quippe quæ viribus omnium præstantissima vna fœtus suos alit atque educat, vna pernix, concinna, polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, minimè inuida, minimè petulans, verùm quadam etiam modestia prædita; ea non clangit, non lippit, non murmurat, sed regios denique mores, regiam prorsus maiestatem in omnibus imitatur. Quinetiam inuenias homines eo naso præditos, cuiusmodi Aquilæ rostrũ est, pro regiis æstimari solitos, quod Plato tradit, & Plutarchus receptum asseruit, Persæque hominum id genus mirum in modum commendabant, eiusmodique fuisse Cyrum, historiarũ authores tradũt, atque ea se specie factum gloriari solitum. Sed quoniam rostri τὸ γενναῖον illud est quod ijsti regium existimant, animaduertendum duplex esse τὸ γενναῖον genus; vnum, cui à fronte statim nasus insurgit, id impudentis animi signum ponit Aristoteles, simi-
B litudinemque eam ad Coruum propiùs accedere; alterum, cui nasi curuatura separatur à fronte, circáque medium intumescit, & in vnci speciem exit. Hoc esse magnanimitatis indicium, & ad Aquilam referri, Philosophus idem tradit. Meritò itaq; Pyrrhus quoque multis à se rebus magnificè præclaréque gestis, Aquilæ cognomento plurimùm gaudebat, quanquam ea erat modestia, vt non omnem sibi rerum gestarum gloriam vsurparet, sed bonam eius partem in milites transferret. Nam cum aliquando rebus bene gestis domum rediisset, illúmque milites Aquilam appellitarent: *Per vos*, inquit, *Aquila sum, qui vestris armis veluti pennis subleuor.* Vidimus eius numum, in quo Aquilam cum fulmine sub pedibus iacente, & ramis duobus quernis in coronam flexis, cum inscriptione Dorica, ΑΓΕΙΡΩΤΑΝ ab altera parte caput est, quod alij Iouis, alij Pyrrhi ipsius esse dicunt: nam inscriptio Epirotarũ videtur ad Regem spectare. Querna verò corona, quæ apud Romanos hieroglyphicum eius est, qui ciuem seruarit, in hoc numo glandes Chaonias & oracula Iouis Dodonæi significare potest. Apud Pindarum legas Aquilam ita volucrũ reginam ab Ioue declaratam, veluti Delphinum piscium, vtriusque pernicitate genus omne suum exuperante. Hinc idem ait, Aquilam in sceptro Iouis præfigi solitam. Neque verò mirum, Pindarum vbique honoris tantum Aquilæ tribuisse, cùm Aquilæ apud Thebanos non aliter inter numina colerentur, quàm Cynocephali, Crocodili, & alia quædam bruta apud Ægyptios in cultu fuêre, &, vt sumus passim totis his Commentariis ostensuri, pro diis habita.

Fulua super omnes Aquila habita.

Pyrrhi numus.

APOTHEOSIS.

CVM igitur Imperatorem atque regem Aquila describeret, eorum etiam iustis dedicabatur, qui filiis superstitibus decedebant: eos enim inter diuos referre mos erat, cuiusmodi morem
C Herodianus in Seuerianis iustis latissimè prosequitur, ex quibus Aquila, simulac ignis pyræ subiectus esset, ex intimo suggestus tabernaculo emittebatur, quæ Principis animam in cœlum referre videretur, eamque in numismatis videre est, nonnunquam cum spoliis, nonnunquam cum Fastigio: sic enim suggestum illum, in quo cadauera Principum cremabãtur, Cicero videtur appellasse, cuius formam apud Herodianum legimus, & in plerisque numis conspicimus. Vsque adeò verò sunt Imperatoribus Aquilæ dedicatæ, vt ne in extremo quidem vitæ eos deseruerint, deque cœlo, quibuscunque modis possent signa dederint, si qua posset ad salutem via præmuniri. Nam eidem Imperatori Seuero signa mortis attulerunt Aquilæ quatuor, à quibus sibi visus est per nocturnam imaginem in cœlũ rapi. Et Octauianum Augustum, cùm lustrum in Campo Martio magna populi frequentia conderet, Aquila sæpius circumuolauit, transgressáque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ ad primam literam sedit, vnde aruspices interpretati sunt, eum paulò pòst moriturum, quod haud ita multò pòst euentus comprobauit. Videre autem est in numo, cuius inscriptio est DIVI AVGVSTI PATRIS, Aquilam igni subiecto, quod ego ad iusta eius retulerim, quamuis nonnulli sacrum esse putant, propterea quòd Imperatoria, quæ Græci Hecatomben appellant, ex centum Leonibus & centum Aquilis celebrata fuerint ab aliquot Imperatoribus, & à Græcis etiam, quòd tradit Iulius Capitolinus in vita Maximi & Balbini. Sed nihil hoc ad Augustum, de quo nihil tale memo-



Aquilæ Principum iustis dicatæ.

Octauiani Augusti numus.

riæ

Pertinacis. riæ proditum. In numo, cuius inscriptio est, DIVVS PERT. PIVS PATER, Aquila est pilæ insi- D
dens, quasi eum supra cœli conuexa sublatum esse velit innuere: nam altera inscriptio est, CON-
Antoni Pij. SECRATIO. Atque hæc in diui M. Antonini Pij numis multipliciter habetur, nonnunquam
cum fulmine, nonnunquam etiam Antoninum ipsum inter alas gestans, nonnunquam verò cubi-
cularem lectulum in cœlũ tollens, cum inscriptione, CONSECRATIO. Qui Bellunensi in agro
reperiuntur argentei, ex vno latere pulcherrimum ipsius Antonini caput habent cum inscriptio-
ne, DIVVS ANTONINVS, ex altero Aquilam aræ rotundi ambitus insidentem, inscriptio,
Vespasiani. CONSECRATIO. Verùm etiam in Vespasiani numo Aquila est quæ pilam gestat, atque eiusdẽ
alis tabernaculum corymbis & sertis redimitum. In Hadriani numis aliquot, Imperator ipse sce-
Hadriani. ptrum ab Aquila recipere videtur, quasi illi ab Ioue delatum esset Imperium, quod & inscriptio
Sabinæ Augustæ. declarat, PROVIDENTIA DEORVM. In numo diuæ Sabinæ Augustæ Aquila est cum fulmi-
ne, & inscriptione, CONSECRATIO, quamuis in fœminarum iustis Pauo, non Aquila, est ad-
hiberi solita, de quo in Pauonis commentario.

REX PIVS ET MISERICORS.

Ossifraga dicta. SED iam nos appellant Aquilæ virtutes, illáque in primis, quòd pium & misericordem Regem,
qui scilicet victum & necessaria inopibus eroget, ostẽdere qui volunt, Aquilam eam proferunt,
quam à vigore, quo egregiè prædita est, Ossifragam appellãt: ea enim pullos, quos sub Aquila, vel
montana Ciconia, inuida illa inquam, & famelica, quã Græci γυπαιετὸν, nostri aliquot vulturinam
Aquilam nuncupant, nido eiicit, parentes adhuc operam desiderantes, cùm volandi facultatem
nondum adepti fuerint, ad se recipit, atque educat, benigneque tuetur, dum quãtum satis sit ado-
leuerint. E

BENIGNITAS.

Aquilæ mãsuetudo. QVÆ quidem mansuetudo fecit, vt iuniores (nam apud Ægyptios commẽtum huiusmodi nõ
inueni) si benignitatem commodissimo hieroglyphico explicare vellent, Aquilam cum alia
quauis alite ex eadem olla cibum capientẽ fingerent. Sed quoniã in Aquilæ benignitatem incidi-
mus, missum illud facere non possum, quod admiratione dignum apud Plutarchũ legi, vt si cui ar-
gumentum placuerit, totius historiæ scenam sibi pingendam curet. Cùm pestis olim Lacedæmona
exhauriret, oracula monuerunt mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem im-
molassent. Obsecuti Lacedæmonij, oraculi fidẽ approbauerunt. Fortè verò euenit vt Helenæ sors
obtigerit, quæ cùm mactãda duceretur, Aquila deuolans sacrificuli gladium abripuit, & ad armẽta
delatum super iuuencã demisit, cuius prodigij argumento παρθενοκτονία, id genus sacrificij sublatũ
est, quod memoriæ prodidit Aristodemus. Idẽ olim euenisse Romæ in Valeria Luperca, & eadem
de causa, tradit Aristides Italicarum rerum volumine decimonono, quem idem Plutarchus citat.

RELATA GRATIA.

CRATES verò Pergamenus, quod & Stesichorus Poëta poëmate prosecutus est, historiã ab eiusmodi bene-
ficentia non absimilem recitat. Nam cùm decem & sex messores quendã è sociis aquatũ misissent, reperit is apud
fontem Serpentẽ, qui complexus Aquilam arctissimis eam spiris implicitam suffocabat. Ille vt falce messoria armatus
erat, audacter progressus, ferro Serpẽtem dissecuit, Aquilam liberam abire permisit, cumq; hausta in vrnam aqua
rediisset, sociis singulis poculum ministrauit, mox cùm & ipse quoque bibere vellet, præsto adfuit Aquila, quæ pocu-
lum ab ore dispulit eiectum procul, dumq; messor factum miratur, & Aquilam, quã probè nouerat, increpat, eamq;
apud socios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos & hìc & illic concidentes vitam exhalare, vnde simul &
aquam, quam illi biberant, veneno infectam, & se periculo subductũ intellexit, beneficiúmque in volucrem optimè collocatum, manifestissimè cognouit.

F

CONVICIORVM CONTEMPTOR.

QVANTVM verò illud est, & verè regium, quòd Aquila est conuiciorum contemptrix? Vn-
de nonnulli commenti sunt Aquilam figurare statu immobili confidentem, nulla penna-
rum asperitate terribilem, neque hiatu rostri minacem, iuxta hanc Cornicem summittere, eo ge-
stu, vt & lacessere, & conuicia facere videatur, si conuiciorum contemptorem hieroglyphicè re-
ferre voluerint. Cornicem enim aiunt solere Aquilam lacessere, & in certamen quodammodò
prouocare: illam verò non plus Cornicis conuicia & importunitatem facere, quàm Elephas
Culicem.

PATERNA DIFFICVLTAS.

SED ENIM ab his diuersa ponere videntur Ægyptij sacerdotes, qui morosum patrem, & diffi-
cilem admodùm in filios, per eius generis Aquilã cui Pygargo nomen ab albicãti cauda est, si-
Pygargus dicta. gnificari voluerint, siue hæc γυπαιετὸς sit, de qua superiùs: ea enim maximè omniũ animaliũ pullos

fastidit

A fastidit suos: vt nõ immeritò Plotinus eos qui sine ratione modoq; ciuitates atque imperia guber-
nanda regendáque susceperint, post obitum per παλιγγενεσίαν Aquilas fieri dixerit. Damnat &
Basilius in hoc ingenium Aquilæ, & in educanda prole sua iniquissimam appellat.

SOLITVDO REGNI.

QVOD verò per Aquilam regni solitudinem intelligimus, sunt qui factum ea ratione defen- *Malum vbi plures regnãt quãtũ.*
dant, quòd regium esse dicant, vnum è filiis hæredẽ instituere, vni rerum habenas commen-
dare, quandoquidem, vt ait Ouidius,

Non bene cum sociis regna Venusq; manent.

Et apud rerum scriptores quotidie legimus, potentissimas vrbes euersas, clarissima deleta regna,
illustres familias extinctas, & in populos omnia malorum genera debacchari cœpta, simulac pote-
stas regia pluribus fuerit communicata. Quinetiam Isocrates, quamuis de regimine multa quoquo
versum disputet, & nunc huic, nunc illi rationi fauere, pro loco quem tractãdum sumpserit, videa-
tur, æquabiliorem tamen ciuibus monarchiam ostendit, propterea quòd illa ambitiones, omnium
popularium dissensionum semen, extinguat, quod cùm Aristoteles quoque mirum in modum ap-
probaret, Homeri sententiam secutus, quòd disputationibus suis pondus adderet & authorita-
tem, versum eius citauit:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς.
Multos esse duces haudquaquam proderit: esto
Rex vnus, princeps vnus, qui publica tractet.

Non indecenter igitur Aquila, vt vulgato per Aristotelem Musæi versu fertur,

B *Tres parit, atque duos nido eiicit, educat vnum.*

Sed, vti superiùs ostendimus, specierum diuersitas in eo genere efficit, vt contraria super alitis na-
tura authores scribere videãtur. Vtcunque verò, educationis huiusmodi ratione habita, per Aqui-
læ pullum solitudinem interpretabantur.

PERNICIOSA POTENTIA.

QVINETIAM iidem sacerdotes Aegyptij potentiam cuiuspiam, quæ sociis & amicis omni- *Pennarum Aquilæ vis.*
bus pernicioso esset, per Aquilæ pennas significabãt. Huiusmodi siquidẽ ea vis est, vt aliarum
auium plumas, si cõmisceãtur, interterere, & quodãmodo deuorare videantur, quod & in tergori-
bus Pantheræ atque Hyænæ identidem fieri cõpertum est. Pantherinũ quippe tergus Hyænæ ce-
dere suo loco diximus. Eandẽ inter iuglãdẽ & quercũ antipathiã esse, scribit Plinius, tanto quidẽ
naturæ dissidio, vt si quercus iuxta nucem iuglandẽ sata sit, prorsus emoriatur. Est & illud huic mi-
raculo perquã simile, quod de cardamo fertur. Olus id apud Persas vsitatissimum, cuius natura est
humorẽ omnẽ terræ ad se ita attrahere, vt reliquæ circũpullulantes herbæ cogãtur exarescere: de
quo prouerbiũ est apud Aristophanẽ. Id alio vocabulo Scaphõ vocãt, Iberis est Dioscoridi, Aegy-
ptiis Semeth, Nasturtiũ Romanis. Causam verò super Aquilæ pẽnis Philosophi cõmẽtãtur, quòd
cùm auis ipsa sit omnibus aliis infensa, deriuet vis ipsa animalis in res quoque eius inanimes, per
sympathiæ contagionem. Alij pestiferam malcolentiæ vim quandam inesse aliti deprehendẽre,
propter quam tacta ab ea facilè computrescant, indicio esse reliquias eius hesternas neque ab ea
ipsa, neque ab alio quopiam animalium repeti. Permeare verò contagionem eam etiam in pennas,
quæ alienas iuxta se positas adurere propemodùm pro comperto traduntur. Ita eius qui rerũ sum-
ma potiatur maiestas, fulgore suo reliquos obscurat, & veluti micãtissimum Solis iubar, vbi exor-
tum fuerit, lucem omnibus stellis intercipit. Obiiciunt alij hoc in multorum Principum tyranni-
C dem & rapacitatem, quibus non sine rerum tuarũ iactura possis adhærescere. Quomodocumque
autem quispiam acceperit, natura hoc comparatum, vt debiliora à validioribus absumantur.

ERVDITVS IMPVRVS.

IN Diuinis literis, quæ rem hanc austeriùs tractãt, Aquila, Gryphus, Haliætus, & Miluius rapaci-
tatem significant, & à sacris vt immunda reiiciuntur, per quas alites, vt signat Hesychius, intelli-
gimus eos, qui sublimia quidem perscrutari videantur, cœli quippe motus & rationem stellarũ, si-
tum atque naturam, quæq; superioribus in elementis igne & aëre fiunt varietates, contemplationi
vigiliisq;, non sua tantùm causa, sed aliorum etiam institutionibus dediti, vita tamẽ & impuri sint
& malefici, dum vel insidias aliis intendunt, vel sordida quæque conuenantur, suarum ita rerum
satagentes, vt ad commoditates suas omnia contrahant, inexplebiliq; auaritia æstuantes, non suis
tantùm fruantur, sed imbecilliorum quoque bona diripiãt, qualem Hieronymus notat lib. de Viuendi forma ad Rusticum monachum, super Eremita quodam, qui publicas priuatasq; eleemosy-
nas in suum & suorum tantùm vsum verterat. Ita enim scribit: *Vidimus & planximus Crœsi opes vnius morte deprehensas, vrbisq; stipes quasi in vsum pauperum congregatas, stirpi & posteris derelictas.*

MALVS DAEMON.

NON imperitè igitur Aquila diuo Gregorio malignus est spiritus animarũ raptor. Vt verò ea
quæ de pernicioso dominatione dicta sunt, quæ omnia ad mũdi huius Principẽ accõmodari
possunt, iam prætereamus, habet & hoc proprium Aquila, quòd pisces ab alto aëre conspicata, eos
præcipiti cursu delapsa rapit. Pisces verò animarũ hieroglyphicum esse, dictum Cõmentario suo.

PRINCEPS SIBI TANTVM STVDENS.

ADIVNGVNT ad hæc Ægyptij sacerdotes, Regem rerũ tantùm suarum satagentem, neque aliorum incõmoda calamitatésve miserantem, per quam proposuissent Aquilam ostẽdi, eam quippe in astruẽdo nido soliciram: illa siquidem in solis excelsis, arduis & præcipitibus locis nidulatur, & omninò longè sublimiùs volat, quàm volatilia reliqua. Hinc fit vt ab aliarum auium consortio atque cõsuetudine sese abducere videatur, qui quidem plerisq; Regibus mos est, qualem in Hadriano sexto Pont. Max. viro Batauo vidimus, qui humanã omnem consuetudinem ita auersabatur, vt non nisi propria vel vtilitate, vel necessitate cogente, sui videndi copiam faceret. Quòd si, quod rarò admodùm vidisses, spatiatũ in subiectos Põtificio palatio campos obequitaret, nullis accitis comitibus, nullo, vt Põtificum mos est, æris tinnuli signo dato, iter arripiebat: simulac principes, antistitesque & cohors reliqua ex officio assecuti essent, Equum ipse, nullius salutationem moratus, citatiore gressu perurgebat, conspectumq; omnem hominum, tanquam nihil ad se eorum ingenium pertineret, effugere properabat, seque in intimas palatij latebras occultabat.

Hadriani V. I. P. M. viuẽdi modus.

PRÆ FAME MORIENS.

QVOD si hominem eo mortis genere periturum, quod Homero Platonicq; omnium est miserrimum, iidem significare voluissent, hieroglyphicum habebant Aquilæ, cuius rostrum esset enormiter incuruatum: senescentibus enim Aquilis rostrum supernũ accrescit adeò, incuruaturq; subinde magis ac magis, vt nulla demùm aperiendi data copia, inedia plerunque deficiant & extinguantur. Hinc illa in bibaces, *Aquilæ senectus*, exprobratio: quippe quæ amissa edendi facultate, humorem assiduè sorbillare cogitur, vitamque aliquandiu pertenui ea ope protrahere. Ac ne vsquam desint Græcorum fabulæ, commenti illi sunt, fuisse olim hominem, qui hospitem affecisset iniuria, proindéque deorum ira in Aquilam commutatum, inque sceleris pœnam eo affectum malo, vt fame consumeretur.

Prouerbiũ.

IVVENTVS RENOVATA.

ADDVNT alia quædam iuniores, vt illud ex Psalmo interpretentur, *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua*, quod nescio cur nonnulli legunt, *Renouabitur*, cùm Græcè sit ἀνακαινισθήσῃ. Diuus Hieronymus Aquilam ait, vbi consenuerit, pennis supra modum grauari, ideóque fontem ab ea quæri, cuius aspergine pennas egerat, quibus leuata colorem intra se colligit, sanarique tum primùm oculos, mox ab immersatione in iuuentam redire. Eucherius Aquilas ait vi nimiæ senectæ implumes fieri, & nido relatas à pullis suis vicissim ministrantibus pasci, donec deterso senij veterno, cum pennis volandi etiam vsum recipiant. D. Augustinus Aquilam ait senio grauatã rostri immodicè crescentis aduncitate eò redigi, quod paulò antè dicebamus, vt nec os aperire, nec cibum vllo pacto capere possit, impulsam itaque naturæ vi collidere rostrum ad petram, cuius attritu excussa ea parte quæ redundabat, ad cibũ redire, atque ita ex eo senio reparari, vt omninò iuuenescere videatur. Nostri petram loco hoc Christum intelligunt, próque rostro obunco, prauitatis peruersitatisq; opera, quòd Physiognomici eius figuræ nasum, vti superiùs dictum, iracundiæ & rapacitatis indicium esse volunt, huiusmodíque homines auaros plurimum alieni appetentes, & vltionis studiosos inueniri. Vitia verò hæc non alia excuti ratione, quàm per Christi disciplinam queunt, atque ita pro iuuentutis renouatione animi depurationem intelligunt. Corpus enim nostrum ab adolescentia pergit in senium, verùm anima sapientis, pij probatiq; viri, à senecta in adolescentiam transmittitur, atque ita homo hic exterior flaccescit, & deficit indies, interior verò eo magis vigescit ac renouatur, quo diutiùs in iusti honestíque meditatione exercitioq; vitam degit. Tale aliquid apud Platonem inuenias, dicente Socrate: *Tunc sanè mentis oculus acutè cernere incipit, cùm corporis oculus incipit hebescere.*

Quomodo Aquila in iuuentã redeat.

APOSTOLI.

QVOD verò legitur in Euangelio Matthæi, *Vbi fuerit cadauer, illic & Aquilæ congregabuntur*: per cadauer Adamantius Dominicæ passionis mysterium interpretatur, per Aquilas Apostolos, de quibus etiam dixerit Esaias: *Assument pennas sicut Aquilæ, & current, & non lassabuntur, & ibunt, & non esurient*: siue vt alibi legitur, *Current & non laborabunt, iter facient, & non lassabuntur.* Huic interpretationi adstipulatur etiam Eucherius, qui loco hoc Euangelico pro Aquilis sanctas animas accipi tradit, & Salomonicum illud, *Via Aquilæ in cælum*, de Christi ascensu intelligi debere contendit. Quòd si ad eruditionem hanc profana etiam adiungere liceat, Antipatri memorabile fertur epigramma, siue illud Speusippi fuerit, in Platonis sepulchrum, quem vt diuinum antiquitas vniuersa venerata est, cuius ille animam ad sepulchrum è cœlo allapsam in Aquilæ speciem agnoscit:

Explicatio mystica.

Epigrãma in Platonis sepulchrũ.

Αἰετὸ, πίωτε βέβηκας ὑπὲρ τάφον, ἢ τινος, εἰπὲ
A'στερόεντα θεοῖς οἶκον ἀποσκοπέεις;
Ψυχῆς εἰμὶ Πλάτωνος, ἀποπταμένης δ' ὄλυμπον
Εἰκὼν, σῶμα δὲ γῆ γηθέω ἐνθάδε ἔχει.

Cur Aquila ad tumulum hunc volitas dic: nunc quid ab astris
Hic habitare Deum fortè aliquem intuita es?
Imò anima extincti sum diua Platonis, Olympum
Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.

INGENIVM VELOX.

PINDARVS cùm aliis plerisque locis, tum præcipuè Nemeis, ingenij promptitudinem & velocitatem per Aquilam ostendit, sumpta ab eo comparatione, quòd prædã etiam valdè procul distantem mira pernicitate nanciscatur, visúq; ita polleat, vt profundissima quæq; prospectet, quę omnia ingeniorum acumini sunt accommodata. Idem cùm Bacchilidis & æmulorum suorum gloriam eleuat, Coruos illos, se vnum Aquilam iactat, quòd promptissimo ingenio nihil nõ concipiat quantumlibet arduum, & à terra mariq; remotum, mox & styli velocitate quæcumq; conceperit assequatur. Ad huiusmodi rerũ amplitudinem alludere mihi videtur Aristophanes, Auibus, cùm Athenien sibus aut adulaturus, aut eorum spes inanes elusurus ait, αἰέτος ἐν νεφέλῃσι γλήσεαι. Nimirum enim oraculũ acceperant Athenienses, fore vt tãto vrbes reliquas post se interuallo relinquerent, quãto Aquila reliquas aues volatu superat. Et Sosithei dictũ illud celebre super vi eius impetuosa:

De Aquilæ pernicitate

Εἷς μυρίας ὄρνιθας αἰέτος σοβεῖ.
Vna Aquila innumeras exagitabit aues.

NILVS.

ATQVE Aquila hac quidem de causa Nili fluminis hieroglyphicum in sacris Ægyptiorum literis habita: quoniam enim Nilum perniciter currere, tantaq; profunditate insurgere obseruatum est primùm Promethei tẽpore: eam enim fuisse Aquilam nonnulli tradunt, quæ Promethei cor discerperet, quippe cùm causas incrementi peruestigare non posset, ab Hercule demùm Aquilam cohibitam, qui fluminis impetum partim aggeribus, partim fossarum deriuio coërcuerit, Prometheaq; omnes exundationis causas edocuerit. Inter autem vetusta Nili cognomẽta AQVILÆ nomen inuenias, quod nomen à colore nonnulli dictum putant, vtpote qui, vt Maro ait, *viridem Aegyptum nigra fœcundat arena*, & æquora ab eo colorari Catullus inquit; nomenq; illi à limo, quem trahit, factum aiunt Etymologici, nã mare in longa inficit spatia, eaq; de causa Melas olim, & mox Melon appellatus Ennio, Ausonio, & aliis: idq; etymon in nomine à nigrore Festus & Seruius agnouêre.

Nili cognomenta.

ALTA COGITATIO.

NON defuêre tamen qui Aquilam huiusmodi Promethei cor adrodentem, ad mores trahere conarentur, ac profundæ cogitationis principem significare contenderent. Sed ne diutiùs in Prometheo hæsitemus, quæ nostri super Aquila senserint, potiùs aperiamus.

DIVVS IOANNES.

SANE homines cùm solam auium omnium Aquilam esse diuinam autument, & antiquitas eam Ioui tela gestare crediderit, inde persuasi sunt, quòd eam omnium maximè oculo valere conspexerant, longissimoq; interuallo minutissima quæque discernere, Homeri ad hoc accedente testimonio, ita dicentis:

ὡς δ' αἰετὸς ὑψιπέτηνος.
ὀξὺ δέρκεται ὃς τε θεῶν ὑπατος πέλεται.
Vt Iouis ales,
Cuius acutam aciem perhibent præstare volucres
Ante alias, quotquot cælo spatiantur aperto.

Et hymno Mercurij, vbi Apollo de Mercurij occultatione loquitur, qui ita latitaret, ait, vt neque ipsum vel Aquila, quæ tam acutè videt, inspexisset. Hinc Theologi nostri D. Ioannẽ Euangelij scriptorem per Aquilæ hieroglyphicũ à diuinis illis vatibus præmonstratũ deprehendêre. Sanè Aquilam (vt nomen etiã interpretemur) ab acutè videndo dictam nonnulli ex veteribus asserũt, vtpote qui Aquilam quasi aculam ab acumine dictã velint; quãuis, vt paulò antè dicebamus, alij ab aquilo colore vocẽ ducant: est enim aquilus color fuscus & subniger, ab aqua denominatus. Vtcũque autem, acutissimi visus Aquila est Ioannes, qui oculi acie in altissimæ diuinitatis recessum directa, præ omnibus maximè superioris naturæ secreta reuelauit, cuius facies Ezechieli visa supremũ ex quatuor locũ obtinere, qui ad abolendam Abionitarum hæresim, quæ Christum hominẽ tantùm, non Deum etiam asseuerabat, ad altissima remotissimaq; rerũ principia præpetibus euõlauit pennis, deq; penitissimo diuinitatis nido nitidissimas ac maximè pellucidas illas gemmas surripuit, quæ postmodùm intuentium oculis quantumlibet conniuentibus hallucinantibusq; micantissimi luminis claritatem attulêre. Illic enim erat lux vera, quæ sola lumen mortalibus elargitur. Hic ille deprehendit humanarum diuinarumq; rerum omnium λόγοις initio fuisse, atque penes Deum, ipsum denique Deum, ipsam esse rationem, quæ apud nos sub Verbi nomine recepta est: vt reliqua missa faciam, tam multis diuinæ sapientiæ luminibus illustrata. Hæc est deniq; illa Aquilę volantis effigies, diceret Irenæus, quam sacri præuidêre vates, quæ Ioannis nostri beneficio, spiritus in Ecclesia aduolitantis gratiam manifestat. Nam hic altè exorsus principium, quod à patre est, effigiem Verbi, quæ refertur in filio, & præclaram eius generationem enarrat, tanta cum fiducia rem tam arduam aggressus, vt Aquilæ symbolo meritò figuretur. Ioannes inquam ille altiloquus, quòd Aquilæ referatur hieroglyphico, ipsa susceptæ lucubrationis materia sublimis, ait Eucherius, & ab

Aquilæ etymon, eiusq; ad D. Ioannẽ relatio.

ipso rerum principio repetita, in causa fuit. Proinde cùm volatu sublimi in ipsam Dei omnipotentis aulam elatus sit, & oculorum aciem visu præpollens in admirandæ diuinitatis faciem infixerit, doctrinam nullo anteà mortalium ingenio conceptam ab alto detulit, cuius initium: *In principio erat Verbum.*

STATVTA FIRMITER SEDES.

Aquila saxū gestans.

HOc quoque sacerdotum Ægyptiorum hieroglyphicum fuit, per Aquilam, quæ saxum gestaret, hominem significare, qui firmam stabilemq; in ciuitate, locóve aliquo, sedem sibi posuisset: illa enim simulac nidum sibi comparauit, quò possit firma & inconcussa rem suam procurare, lapidem quempiam exquirit, quem in nido pro libramento collocet, neque aliam huius rei causam sacerdotes illi tradidêre, satis habentes constructi nidi firmitatem per huiusmodi argumentum indicasse. Nam & firmandis nauibus, priusquam anchoræ vsus repertus esset, id opis saxa contulêre, id quod Apollonius Argonautas fecisse scribit, vt minimè mirum sit, saxum, etiam in Aquilæ nido positum, inseruire stabilitati. Cæterùm lapidem hunc eum esse credere possumus, qui ἀιετὸς appellatur, *Aquilinum* Latini dicunt, ad multa remedia vtilem, adq; id præcipuè, quòd partum contra omnes abortuum insidias custodit. Idem muliebribus feminibus adalligatus, quotidiano experimento mirificè prodesse, pariundiq; facilitatem inducere comperitur. Eo incenso morbum Herculanum, hoc est, furorem qui plerumque ex atrabili accidit, qua potissimùm Herculem laborasse tradunt, explorari putant. Inædificari nido asserunt authores nostri, nihil igne deperdere, prægnantem esse, alio velut in vtero sonante. Sed vim illam medicam nõ nisi in nido direptis pollere, magorum tradit superstitio: neque tamen in omnium generũ nidis inueniri, sed in Melænaëti tantùm, Pygargi, Morphni, siue vt Homerus, Percni, atque Gnesij. Duas verò Aëtitis species agnoscit Zoroastres, vnum densum & solidum, alterum rarum & inanem, ineseq; solido vim illam perficiendi fœtum, & vsque ad partus debita tempora continendi. Occurrebant hîc multa super lapide significata, quandoquidem ex eo ab Aquila in nidum collocato, rerum stabilimentum Ægyptij significare commenti fuerant: eaq; firmitas ad Capitolij immobile saxum referenda videbatur, quæq; veteres passim de cultu lapidis sanxissent, vtq; vel nomen ipsum magni instar numinis aliquando habitum, quæq; hîc pietas nostra de petra sentiret, sed quoniam nobis cum Aquila res erat, quæ lapidis essent, in commentario quod est super ædificiorum partibus; transferre, ibíque commodiùs de argumento huiusmodi disserere constituimus, cùm multa adhuc ad Aquilam pertinentia superessent.

Aquilini lapidis species & vtilitas.

TERRARVM DOMINATIO.

ET vt longo circumuecti circuitu rursus ad Imperij significatum reuertamur, nostræ etiam sacræ literę per Aquilam terrarum dominationem intellexerũt, vbi apud Ezechielem legimus, Aquilam visendæ magnitudinis, quæ latè passis alis, immaniq; membrorum ductu, oppleta plumis, varietate insignis, vnguibus ferox & minabunda, præpeti volatu ad Libanum applicuerit, Cedriq; inde medullam, tenelloq; surculos euulserit, tota aliorum frondium summitate decerpta, ad hæc succisis etiamnum vitium seminibus, quæ omnia Babylona translata sunt, ibiq; sata. Neque huic absimilem alteram adiecêre, quæ vitium earum palmites deprædaretur. Per priorem illam nostri aiunt Nabuchodonosora Babyloniæ Regem interpretari, per alteram hanc Ægypti tyrannum, quorum prior Hierosolymam cepit, & populum cum Rege ipso Sedechia principibusq; aliis in captiuitatem abduxit, alter verò, cùm bellum aduersus Assyrios mouisset, Israëliticum populum seruitutis affectum rædio ad se traduxit. In vtroque Rege Aquilæ hieroglyphicum proponitur, sed longè latior interpretatio est in ea quæ Nabuchodonosora describit. Alæ siquidem diffusæ, numerosos indicant exercitus, quos ille secum traxerat. Membrorum exporrecta longitudo, regni eius diuturnitatem. Plumæ nihil aliud sibi volunt quàm diuitias, quibus locupletissimus esset. Varietas plumarum, rerum ab eo gestarum gloriam indicat. Armorum horrorem, vngues. Libanus Iudeæ claritatem atque celsitudinem longa annorum serie conspicuam, vnde ille medullam Cedri auulserit, quippe nobilitatem extirpauit, & summas quasque frondes decerpserit, hoc est, ne tenerrimæ quidem Regum proli, ætati scilicet infirmæ, pepercerit. Sedenim totam oraculi ænigmatici seriem interpretatur Adamantius in eundem Ezechielem homilia vndecima.

Explicatio huius hieroglyphici.

AQVILARVM INSIGNIA QVÆDAM.

QVOD verò in eo dicebamus Iustinianam familiam aurea insignem Aquila, alios huc trahit ex antiquis, quorum claritas gestaminibus huiusmodi innotuerit. Sed illud priùs dicam, quod dissimulandum in huiusmodi narratione minimè videatur.

TERRARVM VMBILICVS.

APVD Delphos scilicet duas fuisse aquilas ex auro, quod monumentum erat terrarum vmbilicum apud eos esse, quem Iupiter ea ratione explorauerit, vt aquilas duas, vnam ab Oriente, alteram ab Occidente dimiserit, quæ pernici volatu in aduersum allapsæ, supra Pythona factæ obuiam sunt: quo loco designato, declaratum est ibi terrę habitabilis medium esse, isq; honos geminis aquilis habitus, vt in templo ibidem excitato, aureę constituerentur. Atque hinc illud innotescit, quod in Maronianis appendicibus legitur:

Duæ ex auro Aquilæ apud Delphos.

Pallas

Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis vmbilicum.

Ab Apolline autem ad Respubl. & milites transire ipso narrationis ordine inuitamur, ad eorum igitur insignia quædam ostendenda calamum conuertemus: gentilem enim sc utorum vsum, variasq; in eis imagines, aut picturas, quæ familiarum indicant stemmata, cognationesq;, tametsi viri haudquaquam contemnendi, esse hæc recentioris ætatis inuenta, existimarint, nos antiquissimi moris esse, & hîc & alibi toto opere disseruimus.

LACEDÆMONII.

Literæ Lacedæmoniorũ ad Hebræos.

NAMQVE Aquila, quæ Draconem arreptum gestet, Lacedæmoniorum rempublicam ostendit: huiusmodi enim signo literas illi publicè obsignabant. Tradit hoc Iosephus, vbi literas Lacedæmoniorum recitat Arij eorum regis ad Hebræos Onia Pontifice datas, quarum sententia ea erat, vt profiterentur Lacedæmonij se per Abrahamum Iudæorum esse consanguineos, proinde gentem ipsam hortabantur, vt quæ Lacedæmoniorum essent pro veteri necessitudine communia ducerent. Epistolam eam Iosephus ait complicatam figura quadrangula fuisse, eoq; obsignatam argumento, quòd suprà posuimus. Quòd verò designarit epistolam fuisse quadrangulam, alios atq; alios indicat complicandarum epistolarum modos apud hos vel illos extitisse: alij enim paginis, alij tabellis, voluminibus alij in vmbilicos complicatis scribere consuerunt.

CLEARCHVS.

CLEARCHO autem Heraclienſium Tyranno, qui Iouis se filium dixit, in publicum prodeunti, aurea Aquila velut argumentum generis præferebatur.

HERCVLIANI IVNIORES.

B EIVSMODI coloris Aquila, quippe lutea, trunco insidens in parma luti sapphirei, cuius marginem eodem colore, sed admodùm dilutiore, circulus ambibat, Herculianorum iuniorũ erat, qui sub Magistro militum Præsentiali militabant, quod in antiquis quibusdam eius militiæ commentariis inueni apud Maffæos Romæ.

HERCVLIANI SENIORES.

Herculiani quid.

SENIORES verò Herculiani cæruleam Aquilam alis vtrimque passis habuêre in rubra parma, cuius latus ambitus in margine lutei coloris erat, quem nigra linea circumducta in partes duas æqui distantes dissecabat. Erant verò Iouiniani, siue, vt apud Vegetium est, Iouiani, atque Herculiani, Illyricæ legiones duæ, quę sena millia militum habebant, quos Diocletianus, qui se Iouem Latinè vocitabat, & Maximianus, qui pro Hercule se gerebat, cùm ad Imperium peruenissent, pro merito virtutis ita nominibus à se inditis, appellandos censuêre, eosq; cunctis legionibus prætulerunt. Tela verò illis erant plumbatæ, quos Manobarbulos vocabant, eosq; portabant scutis insertos, iisq; opportunè iactis, hostes equosq; priusquam non modò ad manum, sed ad ictum missilium peruenirent, graui admodùm percussione consauciabant, Imperatorésque illi horum opera bella plurima confecerunt.

IOVINIANI IVNIORES ET SENIORES.

IOVINIANORVM autem qui Iuniores vocabantur, insigne erat Aquilæ apotheosis, redimiculo supra caput imposito. Ales ipsa natiui coloris in parma lutea, quæ rubro primùm circulo claudebatur, inde altero sapphirei coloris toto margine complectebatur. E pectore autem Aquilę aureus extabat vmbilicus. Seniores verò purpuream gestabant Aquilam in parma cærulea, duoq; erant pro margine circuli, ruber interior, exterior luteus.

QVARTODECIMANI.

C CÆRVLEI coloris aliquanto diluti Aquilam gestabant. Quartodecimani, qui sub Magistro militum per Thracas militabant. Ea verò ales in alba parma insidebat orbi cęruleo densioris luti, intra quem circulus ruber erat, à cuius medio aureus extabat vmbilicus. Verùm hęc satis fuerit attigisse, ne opusculum vniuersum insignibus & gestaminibus farciamus. Hęc atque alia pleraque huiusmodi scriptores rerum memoriæ prodiderunt, quæ si prosequi velim, nullus vnquam futurus sit modus, quare manum de tabula, sitque iam super Aquila satis superque declamatum.

PIERIVS VALERIANVS
AD CLARISS. ACTIVM SYNCERVM, DE IIS QVÆ PER PHOENICEM, PE-
lecanum, & quasdam alias aues significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XX.

IBI verò (SYNCERE ACTI cariss.) Phœnicem & Pelecanum, quiq; in ipsam historiæ seriem quibusdam veluti laqueis detenti sese inuicem implicuerunt, sociatiq; in hunc locum aptissimè conuenerunt, Noctuam, Cornicem & Passerem, dedicare consilium fuit. Ac Phœnicem quidem ea de causa, quòd veluti ille admirabili quadam insignis pulchritudine, visu rarissimus post longissima temporis interualla conspicitur, ita Latinæ linguæ nitor, & eloquentiæ cultus ornatusq; per tria fermè Phœnicis secula desiderati, ætate demùm nostra, beneficio, opera, & labore plurimùm tuo suscitati, spectandos sese theatris tam omnibus exhibuêre. Pelecanum ob eam, qua præcipuè commendaris, in amicos omnes charitatem atq; beneficentiam, vt nemo vnus hodie magis amico amicus, quàm Syncerus Actius esse prædicetur. Noctuam, quæ tuarum indicium sit lucubrationum, quas Minerua haudquaquam inuita elegantissimas elaborasti. Cornicem ob diuturnitatem, quæ scriptis debetur tuis, non modò vno plus seculo, sed perpetuò summa omnium commendatione victuris. Passerem ob orationis tuæ Veneres cupidineasq;, qua nihil suauius neq; iucundius excogitari potest. Sedenim quæ multa atque præclara de ingenij tui sublimitate dici possent, ea consultò prætereo, quia tu longè maior es quàm meâ te capere possit commendatio: quis enim Soli lumen afferre, nisi fatuus quispiam aggrediatur? Igitur cum tuo ipse sis splendore clarus, principatum hinc in literaturâ candore tuum suo se præsidio tuentem missum faciemus, quodq; nostrum est institutum, ad animalium quæ interpretanda suscepimus, significationes conuertemur, quæ quidem quales & cuiusmodi sint, quamuis tu eas tum ex Græcis Latinisq; scriptoribus non ignoras, tum ex admirabili illa venerabilis antiquitatis tabula ænea, quam simul apud Bembum inspeximus, potes edoceri, quæ omnem Ægyptiorum historiam antiquiorem, argento atque auro delineatam ostentat. Quid tamen & nos super his compererimus, ex ipso Phœnice indicare incipiemus.

INSTAVRATIO.

AEGYPTII sanè sacerdotes, cùm longa quid annorum serie intermissum, & iam antiquatum esset, quippe ludi, sacra, ceremoniæ, supplicationes, mores, ritúsve aliqui, triumphorum splendores, vel quid huiusmodi, euenisset; postmodum vt eadem instaurari contigisset, Phœnicem in huius rei significatum sculpere consuerunt. Vnicum enim pleriq; omnes authores tradunt Orientales habitare solitudines, ab omni hominum commercio visuq; separatum. Nomen illi Plinius inditum ait à Phœnice arbore, quæ palma Romanis est, ob id, quòd ex Syagrorum genere vna quæ in Chora est intermoritur, ac ex seipsa renascitur. Phœnix quoque noster vbi moriendi tempus ipsemet aduentare præsensit, post annos, quos viuere perhibetur, circiter quingentos, in Ægyptum fertur, vbi ad humũ demissus (ita enim Ægyptij rem memoriæ prodiderunt) rostro semetipsum vellicat, acceptoq; ex eo vellicatu vulnere cruorem emittit, ex quo primùm ceu vermiculus nascitur, mox pullus fit alter, forma priori similis: qui quamprimùm pennas indeptus est, confert se vnà cum patre in Heliopolin, quæ in Ægypto est, vbi primum Phœnicem ortum, ait Athenæus, quò simulac venerit, oriente mox Sole moritur, nouo pullo in regna sua transmigrante. Vnde minimè mirum est, duos aliquando Phœnices simul visos proditum ab historiis. Alij scribunt defunctum parentem à Phœnice pullo in eandem Soli dicatam vrbem gestari Smyrnea sphæra reconditum, quod non inficiatur Adamantius: sedenim cuius textoris manu obrotunda illa cistula contexatur, maximè velim edoceri. Ouidius hoc priùs dixerat decimoquinto Metamorphoseos. vnam esse alitem quæ sese ipsa reparet atque reseminet: nam vbi vitæ suæ secula compleuit, structo in palmæ alicuius vertice, ex casia, nardo, cinnamo & myrrha, nido se superimponit, finitq; in odoribus æuum, inde Phœnicem alterum renasci de patris corpore: qui cùm satis virium per ætatẽ indeptus fuerit, vt oneri ferundo sufficiat, nidum è ramis auellat, suaq; incunabula & sepulchrum patris in Heliopolin deferat, atque vt ipse dicit, reponat ante ipsius Solis fores: res quippe ingeniosissimo quouis Poëta digna.

Ortus Phœnicis.

Horus

A Horus nihil amplius ait, quàm ab Ægyptiis sacerdotibus alterum defunctum, illum summo cultu suscipi, cui mystæ iusta ea ritè redderent, quæcumque in reliquis alij sacris animalibus facere mos erat. Quæ verò de nido eius Manilius senator togatorum, vt aiunt, diligentissimus, tradidit, quæq; inde nouis adiectis ad fabulam commentis posteri licentiosiùs ampliarunt, cùm maximis ille nobilis doctrinis, doctore, quod asserit Plinius, nullo fuerit, hi verò nullo veterum authorum testimonio fabulentur, quæ sit adhibenda fides, aliorum fuerit iudicium. Obiiciet aliquis Lactantium, summum, non inficior, virum: sed is, vt etiam Ouidius, poëma scribit, non historiam. Ego sanè super Phœnice atque Pelecano, de quo paulò post, superq; nonnullis aliis, maiorem his adhibeo fidem, qui eadem in regione locisq; vbi animalia hæc reperiuntur, & geniti & educati sunt, ac ea perinde conspicere aliquando potuerunt, quàm iis qui auditu tantùm eorum naturas excepêre.

Quamuis verò de moriendi modo, deq; funerandi ratione super Phœnice scriptores diuersi abeant, in eam tamen omnes concordiam deueniunt atque consensum, vt Phœnicem nouum ex præmortui corpore fieri nequaquam inficientur, esseq; hoc plenissimum atque firmissimum futuræ resurrectionis specimen, Tertullianus asseuerat, quippe qui de Phœnice loquens ait: *Ille semetipsum libenter funerans renouat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix: vbi iam nemo, iterum ipse, qui non iam alius idem.* Quid expressiùs in hanc scilicet resurrectionis causam? aut cui alij rei tale documentum? (de resurrectione quippe loquitur.) Addit & hæc etiam scriptis suis: *Et florebis,* inquit Deus, *velut Phœnix*: id est, de morte, de funere, vti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Prosequitur mox rationes suas: *Multis Passeribus antestare nos Dominus pronunciauit: si non & Phœnicibus, nihil magnum.* Inde subiicit Ironiam: *Sed homines semel interibunt, auibus*

Verba Tertulliani super Phœnice.

B *Arabiæ de resurrectione securis.* Ita ille passim acerrimus Christiani nominis propugnator, labentem hanc aciem restituere contendit, cui veluti sacræ innixus anchoræ, vxorem quoq; vna eius commemoratione ad vidualis pudicitiæ obseruationem adhortatur. *Probè enim vxor,* inquit, *quæ maritum in pace præmisit, pro anima eius orat, & refrigerium interim postulat ei, & in prima resurrectione consortium, offertq; annuis diebus dormitionis eius,* & quæ plurima omnium lectione digna prosequitur.

ABSENTIA D'IVTVRNA.

VTCVMQVE autem de morte Phœnicis traditum sit, Ægyptij sacerdotes tam diuturnæ migrationis ergô, eum qui peregrè profectus diutissimè domo procul abfuisset, per hanc alitem significabant, propter viuacitatem autem, animam hîc diuturno tempore versatam. Nam animi patriam non esse corpus, sed nos hîc, quamdiu viuimus, peregrinari, non Ægyptij tantùm, sed Græcorum Latinorumq; authores præstantissimi, nostraq; in primis pietas, passim admonuêre.

SOL.

CVM verò Phœnix vnicus omninò esse perhibeatur, & pulchritudine volatilium genus omne longo post se relinquat interuallo, quippe qui sit aureo circa colla fulgore rubicundus, cætero corpore purpureo cæruleam caudam roseis pennis distinguentibus, cristis faciem caputq; plumeo apice, vt Plinius diceret, honestatus, simulacrum Solis ab Aegyptiis ferebatur, cui, quòd solus sit, à raritate nomen: quo quidem nihil admirabile magis intuemur, dum lumen ille suum longè lateque per ima etiam penetralia exiguo quouis aditu veluti suprema quadam inundatione diffundit, eaq; de causa φολὸς cognominabatur, id enim est apud Philippum Aegyptij vocabuli significatum voce Græcanica inductum, à multarum scilicet dotum opulentia magnitudinéve, quia omnia sibi collata latissimè superat & excellit.

Cur Phœnix Solem denotat, & signat.

C

PRÆSTARE.

AEGYPTII denique cùm Sole magis quàm reliqui homines gaudeant, eiusq; beneficio perfruantur quo maximè feruet tempore, prouinciis reliquis quantumlibet remotis & in Septentrionem declinantibus grauis, Aegyptiis solis est commodus, Nilo tunc scilicet exundante. Cùm verò per Phœnicem Solem intelligerent, per eundem exundationem identidem significabant. Neque tamen simplex erat apud eos exundationis vocabulum, sed id PRÆSTARE ET EXCELLERE etiam indicabat, atque vti cuiusquam esset in aliqua vel ingenij, vel corporis, vel opum dote claritas, ita eum exundare dicebant. Nos quoque rarissimos doctrina virtuteq; viros, qui longè reliquos antecellunt, Phœnices appellare consueuimus. Oppositò verò modo *Multitudo*, pro vilitate ponitur: vt, *Vnus è multis*, apud Plin. in Epistolis, ex vulgaribus quippe & ignobilibus hominibus. Et apud Ciceronem *Multi* sæpe eodem sensu. In sacris literis Psalmo 70. *Quasi prodigium factus sum multis*, hoc est, imprudentibus, insipientibus & ignobilibus.

Multitudinis vocabulum quid.

D

DE PELECANO.

EX eadem solitudine Pelecanus occurrit, quam Latini Plateam vt putat Gaza, vocauêre. Nam sunt qui Plataleam eam apud Plinium vocandam existiment, voce hac ex Ciceronis de Natura Deorum, lib. 2. desumpta. Idem nomen apud Hebræos Quat, à nonnullis Pelecas, ab aliis Onocrotalus interpretatur. Pelecanum sanè auem paruam esse, quæ solitudine delectetur, Eucherius scribit. Esse tamen aliud Pelecanorum genus in Nilo, non inficiatur, passimq; in stagnis & lacustribus locis habitare, penè Cygnis simile, nisi quòd paulò maiores sunt. Atque hi forsan Onocrotali, quos Veneti syllabis aliquot ademptis Crotos vocant. Deuorant hi conchas auidissimè, multitudinemq; laxo admodùm ingestam gutturi euomunt, atque ita mox quod aptum cibo quasi coctum absumunt, crustas negligunt. Deq; genere hoc dubio procul quæ dicturi sumus hieroglyphica desumuntur.

INSIPIENTIA.

Pelecani in nidificando cõsuetudo.

INSIPIENTEM hominem, quippe qui nullam rerum rationẽ examinet, per Pelecani hieroglyphicum significari tradunt Ægyptij, propterea quòd auis ea cùm posit in editioribus locis nidificare, veluti prudentiora faciunt volatilia, quæ ita se à multorum iniuria subducunt, ea satis cum imprudentia spatiosas areas perquirat, in quibus terra defossa oua ibi edita deponat: quod simulac animaduersum est à pastoribus, vel ab iis qui id genus alites aucupantur, vbi primùm pulli excluſi sunt, eò properant, & vel aridis Boum excrementis, vel alio quopiam fomite locum sepiunt, mox ignem iniiciunt: (ἐμβάλλεσι enim in manuscriptis codicibus, non ὑποβάλλεσι.) Pelecanus autem quamprimùm conspexit fumum, ocyùs aduolat, & longè maiore imprudentia quàm nidificauerat, ignem alarum quassatione querit extinguere: cæterùm ignis ventilatione agitatus, vehementiùs incenditur, perstat illa nihilo secius flammas alis verberare, rata se opem ità filiis allaturam: sedenim contrà accidit quàm sperarat, quia pennis omnibus ita exustis, euolandi facultate priuatur, atque ita minimo negotio capitur. Animaduerte verò in antiquis Hori codicibus esse, ὑφ' ἑ καταφλόμενον τὰ ἔμπροσθεν πτερά, non vt in vulgatis, καταφλόμενα. Hinc Ægyptij reliqui, qui sacris initiati non erant, alite hac nulla religione vescebantur, pietatem autem in filios huiusmodi, vitio dabant insipientiæ. Dicebant enim Pelecanum non consulto, vti Vulpanseres faciunt, ad id certamen ferri, sed per imprudentiam, & mentis alienationem quandam ἀνοίας enim, non σύνοιας in manuscriptis Hori codicibus habetur) quare tanquam auem inauspicatò genitam ac malè feriatam contemnebant, nullo eam honore prosequentes. Hebræi nomen id huius alitis, quo de superiùs mentio facta est, punctis iis præsignant, quæ profanam eam, & à mensis reiectam indicant. Sanè Leuitico Pelecanum, quæ Septuaginta interpretes cum Ibide, Porphyrione, Cygno, Herodio, & Charadrio nominant, ideò cum his omnibus profanum decreuêre, quòd longi gutturis sunt, si nouum licet proferre vocabulum: quæ autem alites sunt huiusmodi, cibum non ex aëre, aut ex arboribus aucupantur, sed vel à terra, vel ex mari fluminibúsve aut stagnis, vt Ibis Serpentes venatur, Porphyrion Vermes, Pelecanus & Cygnus Pisces: ex earum figura hominem scilicet intelligentes, qui cibo posthabito cœlesti, terreno pascatur, aut marino, hoc est, mentem ad inferiora deiiciat, diuinóque neglecto cultu, humana quæque, atque ea & sordida & parum vtilia perquirat. Sordidi enim Vermes, sordida reptilia. Pisces verò parum conferunt ad nutrimentum, de quibus loco suo disputabimus.



E

F

PIETAS ET AMOR IN FILIOS.

SACERDOTES tamen Ægyptij alitem hanc cum primis sacram venerabantur, eiq; parcendum existimabant, & honoris causa nullo pacto vt mensis inferretur, æquum arbitrabantur, cùm factum id, quòd pro filiorum salute neci se tam atroci dederet: non imperitiæ stuporíve aut imprudentiæ imputarent, sed incomparabili paterni affectus charitati, supremæque miserationi, qua erga filios maximè omnium afficiatur. Fallere enim venatores, eósque transuersos seducere, non sine spe fugæ, quòd Vulpanser agit, parui omninò momenti est. Femora etiam, quod Vultur facere perhibetur, vellicare, vt excusso sanguine filij pascantur aliquandiu, non magni admodùm est cruciatus. Sedenim in adeò penetrabiles furentis ignis ardores iniicere se, eáque perseuerantia tam cruciabili tormento torreri, suprà quàm excogitari possit admirandum. Quódnam enim animal tam fatuum, tam stupefacto sensu inueniemus, quod ad vnius prunæ tactam non è vestigiò resiliat? quod adeò robustum atque impauidum, vt accensam non expauescat flammam? Animosi atque imperterriti ante omnia animantia Leones, illi tamen tam feroces, tam indomiti, tanto animi corporísque vigore præditi, consternantur statim ad vnius prætentæ faculæ conspectum, præque timore propemodùm exanimascunt. Videt Pelecanus ignem, cuius non ignorat vehementiã, audacter accedit, ardorem in membra singula intolerabili cruciatu penetrantem sentit,

Laudatur hic Pelecanus cõmendatur à pietate in suos.

A sentit, neque loco dimouetur; exuritur penè tota, neque tantillum quidem consternatur, patientissimaque constantia vigens, saluti filiorum intenta potiùs, quàm suæ mortis genere omnium atrocissimo conficitur; tanta in eo charitas, tantus amor, tanta vis pietatis eluceſcit, & quispiam audebit eam stuporis insimulare, & malè feriatam auem appellare? Subit ad hanc sententiam Arsinoës recordatio, quæ à Ptolemæo fratre insidiis & fraude decepta, cùm percussores in duos filios impuberes immissos à fratre conspicata esset, complexa eos ad se fugientes, ea parte qua vulnera filiis intendebantur diu corpus suum cædẽdum opposuit, multisque ita vulneribus saucia, eorum tamen saluti consulere nõ potuit, illi enim in matris gremio inter oscula ipsa truculentissimè trucidati sunt. Quòd si Pelecanum simili casu sese morti obiicientem, insipientem appellauerimus, longè quidem insipientiorem Arsinoẽm dicemus, quæ ita pro filiis trucidari pateretur, cùm præsertim ipsa non ad mortem, non ad vincula, sed ad nuptias & regni successionem à Ptolemæo deposceretur. Sed tantum abest vt vel Arsinoë, vel Pelecanus sint imprudentiæ damnandi, vt omnium consensu merita, hoc est, ingenti laude, ob incomparabilem, quam omnes admirentur, charitatem, minimè fraudandi esse iudicentur.

Arsinoës pietas.

MISERATIO.

B SEDENIM nostri quoque cum Ægyptiis sacerdotibus in hoc pingendi genere consentientes, Pelecanum pro miseratione ponunt, & Assertoris nostri hieroglyphicum in summa cruce statuunt, qui nos sospitaturus, atrocissima torqueri morte voluerit. Agnoscit & Eucherius Pelecanum pro Christi symbolo, quamuis Hieronymus tradit eam pullos suos rostri percussu interficere, pœnitẽtem mox factum, nido in ipso per triduum lugere, postremò seipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios effundere, quo illi perfusi reuiuiscãt; quod alij viderint. Sed quòd eam alitem, vt etiam aliis pleriſq; persuasum est, rostro pectus dissecantem pingunt, vt ita fuso sanguine filios alat suos, ab Ægyptiorum historia valde alienum est: illi enim Vulturem tantùm, vti suo diximus Commentario, id facere tradiderunt, neque non, vt paulò antè dicebamus, Phœnicem, sed hunc non pietate adductum, Vti vultur, sed fato ita coactum suæ consulere posteritati. Sunt & mutua filiorum officia, qui parentibus vicem reddunt, & escam famescentibus subministrant, verùm iis quæ à parentibus in eos proficiscuntur, haud quaquam paria. Quòd verò Celsus persuasum, facere nititur, eos humanum genus superare pietate, Adamantius hæc ab iis geri natura tantùm duce profitetur.



SOLITVDO.

NOSTRÆ autẽ sacræ literæ per hieroglyphicum Pelecani, solitudinẽ interpretãtur, cuius factum se esse similẽ Dauides canit, quia scilicet errabũdus tunc per solitaria diffugiebat loca, qui Saulis Regis indignationẽ euitaret, quod vt apertiùs explicaret, nycticoracis etiam similitudinem adiecit, qui quidẽ nõ luce, sed tenebris in cõparandis vitæ suæ necessariis plurimùm fruitur.

DE VVLPANSERE.

C SED ne longiùs ab hac in filios charitate discedamus, insigne illud quoque exemplum incomparabilis amoris est, quòd à Vulpanſere præstatur.

FILIVS.

FILIVM, vt inquit Horus, vt alij, affectum in filios, scribere si vellent Ægyptij sacerdotes, Vulpanseris hieroglyphicum faciebant. Ales hæc, ex Anserum genere, qua lautiores epulas non norat olim Britannia, tanto filios amore prosequitur, vt si vnquam accidat, vt cum filiis in venatores incidat, simulatq; conspecti sunt illi, pater & mater spõtè accurrunt, seq; ipsos venatoribus dedunt, vt ita eos à filiis aliorsum auertant; ἀγεστωθῇ, enim non ἀχεστωθῇ, in antiquis manuscriptis codicibus habetur. Cuius pietatis ergò visum est Ægyptiis animal huiusmodi magna prosequi veneratione. In iisdẽ enim manuscriptis exẽplaribus est, αἰγυπτίοις ἔδοξε σεβάζειν τὸ ζῶοις, nõ αὖτ συμβαλλεις, vt habetur in impressis. Porrò Britanni, qui, vti dicebamus, Vulpanserẽ in deliciis habebãt, nostrũ Anserẽ religiosum opinabãtur, eoq; abstinebant. Nã cùm de moribus eorũ Cæsar loqueretur, eos dixerit Anserũ cibo non vesci, perinde ac etiam neque Gallina, neque Lepore. Verùm istud olim.

Vulpanseris pietas in suos.

DE NOCTVA.

RELIQVVM est vt & Noctuæ, & aliarum auium quas promisi significata prosequamur, quæ cùm nostrates sint, Latinis & Græcis plurimùm innotuêre, quare de his longè certiora sumus allaturi.

MIVERVA.

D

PRIMARIVM Noctuæ significatum est, vt Minerua per hieroglyphicum eius intelligatur, de qua ipsa Glaucopidis etiam cognomentum sumpsit, siue propter cæsium oculi colorem, quo qui præditi sunt, præstantioris & acutioris ingenij feruntur esse, siue propter lucubrandi contemplandíque munus, quòd animi vis nocturni potissimùm temporis silétio vegetatur. Qua de causa Dracones etiam, Gorgoneũ quippe caput, ægidi adsculpebantur. Acutissimum enim esse Draconi visum, ex eo potissimùm apparet, quòd ab intuendo illi nomen, vt in Serpentis commẽtario copiosiùs. Addunt alij tertiam quandam causam, quia nusquam Noctuarum vis maior quàm Athenis, vbi dea ipsa præcipuè colebatur, vnde prouerbiũ illud emanarit, γλαῦκας Athenas ferre, siue id ob Noctuarum copiam, siue ob numorũ multitudinem, qui Noctuæ signum habebant. Acerbè verò Demosthenes in huiusmodi Noctuæ cultum lusit, cùm è carcere populi Athenensis elapsus fugeret: nam ad Palladis arcem subinde respectans, sublatis manibus: *O pallas*, inquit, *vrbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris? Noctua, Dracone, & populo?* ex vna fortè cæcitatem, ex Draconе liuorem animorum, ex populo instabilitatem & inconstantiam intelligens.

Prouerbiũ.

SAPIENTIA.

SANE verò cùm Minerua consilij prudentiæque Dea diceretur, aliquot in ostentis Noctua sapientiæ signum fuit, vt quæ in Hieronis priuati adhuc hominis hasta consedisse conspecta est primo bello quod iniit: nam aruspices hinc eum cautum in consilio futurum prædixêre, id quod sapientissimum totius eius vitæ regimen comprobauit. E

VANÆ SAPIENTIÆ STVDIVM.

SED quantum pertinet ad doctrinæ studium lucubrationesq; ipsas, interpretationem eiusmodi non respuit Basilius, sed eos intelligi vult, qui vanæ sapientiæ studiis incumbunt. Nam vt illius aspectus noctu quidem valet, Sole autem illucescente non mediocriter obfuscatur, ita istorum hominum mens acutissima quidem ad inanium rerum cognitionẽ esse videtur, hebetissima verò caligineq; oppleta ad veram lucem hallucinatur, neque liquidò quicquam intueri potest. In hanc ferè sententiam Hierosolymitanus Hesychius Noctuam comedi prohibitum ait, quia lucis beneficio nocte polleat, interdiu cæcutiat: ex quo illi debeant intelligi, qui legis contemplatione & scientia plurimùm gloriantur, Euangelicam autem claritatem ferre non possunt.

NOCTVARVM NVMISMATA QVÆDAM.

IN numis aliquot videas Palladis ipsius simulacrum cum ingenti vmbone, dextera ad oram vmbonis adiecta, virga à pectore ad solum applicata, cui videtur inniti: nam virga, vt in caduceo disputatũ, disciplinã ostẽdit. Sub vmbone Noctua est, inscriptio, B PETTIΩN. Ab altero latere caput galeatum, cum Pegaso in plano galeæ. Sunt verò Brettij, quos nos Bruttios vocamus, vt Hermolao Byzantio, qui Stephanum defloravit, placet, à Bretto Tyrrhenorum ciuitate, quam Brettus Herculis filius condidisse fertur: quin & regio ipsa Brettia nuncupata, neque non & Lingua. Aristophanes, μέλαινα δεινὴ γλῶσα βρεττία παρῆν. Antiochus autem Italiam vocatam olim Bruttiam dicit, mox Oenotriam. Alibi verò videre est in numis caput Palladis galeatum, ab cuius altera parte Noctua est prostrato innitẽs carchesio, iuxtaq; quadrigæ cum victoria laurea circũducta cum baccis Huiusmodi autem numos argenteos magno numero comperies. Literæ in nonnullis quæ legi possint, A Θ E. à tergo caput ipsius Palladis galeatæ, varijque admodùm sunt hi Noctuarum numi. F

Brettij siue Bruttij quid.

VICTORIA.

Adagium.

PORRO Noctua Athenienſibus indicium victoriæ fuit, cuius etiam volatus in adagium cesſit, Γλαὺξ ἵπταται, *Noctua volat*, cùm profligatos hostes, & subsecutam victoriam innuerent. Id verò sibi proponebant, propterea quòd auis hæc, vti dictum, Mineruæ sacra crederetur, quæ quidem dicta est etiam malè consulta Athenienſium fortunare. Atque hac de causa Demosthenes oratione περὶ παραπρεσβείας, Solonis versus citat:

ἡμετέρα δὲ πόλις κῆρι μὲν οὐδὲ θεὸς ἐπότ' ὀλεῖται,
αἶσαν γὰρ μακάρων δώσει φρένας ἀθανάτων.
Τοίη γὰρ μεγαθυμος ἐπίσκοπος οὐρεμοπάτρη
παλλὰς ἀθηναίη, χεῖρας ὑπερθεν ἔχει.

Nostra quidem ciuitas nunquam fato Iouis neque Deorum immortalium arbitrio peritura est. Talis illi contigit custos, magnanima scilicet potentissimo patre genita Pallas Athenæa, quæ manus supra caput eius habet. In adagiis autem, rebus quibuscunque feliciter & ex animi sententia succedentibus, dici consueuit vsitatissimum apud eos illud, *Noctua volat.*

PECVNIÆ.

APVD eosdem Noctuæ cesserunt in pecuniarum nomen; hinc apud Plutarchum in vita Lysandri à Gylippi seruo dictum, *Multas sub domini sui tegulis Noctuas cubitare.* Gylippus enim cùm ex

A cùm ex ingenti pecunia, quam Lacedæmonem asportare iussus erat, partem interuertisset, eam sub ædium suarum tegulis occultauerat, cumque seruorum testimonia cõtra dominos non admitterentur ex lege, & irritum facerent iudicium, callidè admodùm ille commentus est rem aperire sub eo verborum inuolucro, vt indicio pecuniarum facto, neque ille accusasse dominum videretur, neque ius vllum violasse, Athenienſis tamen reipub. commodo cõsuluisse. Alibi Noctuas Laurioticas pro pecuniis appellatas inuenias, non, vt nonnulli putant, à circunducta in numis laurea, quæ admodùm conſpicua est, sed à Laurio Atticę regione auriuenifera. Obſerues tamen in huiusmodi numis non modò laureas circa Noctuas, sed eas laureo etiam ramo insidentes cudi. eius dubio procul hieroglyphico victoriæ, qua de superiùs meminimus. In aliquot procumbentem Leonem superuolat, cum inscriptione, ANTIOXOY quod nimirum hostis ferocitatem Athenienſium prudentiæ succubuisse significat. Sunt aliquot numi in quibus Noctua cum Iouis facie cusa est, eos diobolares fuisse tradunt, quibus verò Noctuæ duæ impressæ sunt, quatuor obolis expendebantur.

Dictũ serui Gylippi explicatur.

MORS.

APVD Ægyptios verò Noctua mortis erat hieroglyphicum, vulgatissimo iam etiam apud nos & Oratorum & Poëtarum testimonio, Noctuã lethale aliquid, aut inauſpicatissimum infortunium afferre. Cauſam huiusmodi significationis duplicem inuenio: vnam, quòd cùm Cornix vitæ longioris symbolum habeatur, compertum est Noctuam quadam naturæ discordia, eius nidis magis quàm aliarum auium insidiari, repere eam clanculum, noctis tenebris fretam, & vel pullos, vel oua Cornicis inuadere atque deperdere. Nam & in manuscriptis Hori codicibus legas, ἀφοῖον δὲ ἐπιφέρεται τοῖς νεοσσοῖς τῶν κορωνῶν. quæ vltima locutio in impressis exemplaribus desideratur. Altera conſideratio est, quòd mors furtim irrepit; & nox pro morte ponitur, vt illud: B

Causa duplex huius hieroglyphici.

In æternam clauduntur lumina noctem. & alibi:
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.

& similia passim. Eucherius Lumen in Diuinis literis pro Die, iustitia, fide prosperisq; cunctis poni autumat, contrà Tenebras pro Nocte, iniquitate, infidelitate, aduersisque omnibus, ac perinde pro errore, & ignorationis cæcitate, atque etiam mortis acerbitate. Denique Diuinæ literæ mortem sæpe pro vniuersa calamitatum strue ponunt, sicuti etiam viuificare, pro liberare à periculis & ærumnis: ita enim interpretes exponunt illud Psal. LXXI. *Et conuersus viuificasti me.* Demum Noctua noctis domina perhibetur, vnde illi apud Latinos nomen. Quòd verò nocturno cantu suo infortunium semper aliquod minitetur, Pyrrhi tantùm Epirotarum Regis exemplum ponam, qui cùm Argos expugnatum duceret, infelicissimæ atque ignominiosissimæ mortis signum accepisse fertur à Noctua, quæ hastæ illius ex itinere insedisset. Nam cùm is detracto insigni à galea, ne internosceretur, in Argiuos oppidanos cædem incœptasset, aniculæ cuiusdam filius eum hasta leuiter vulnerauit. At cùm Pyrrhus impetum in percussorem faciſſet, Argiui mater, quæ supernè spectabat, periculum intuita, tegulam ambabus manibus arreptam super Regis galeam effudit: quo ictu cùm exanimatus concidisset, Zopyrus quidam, qui sub Antigono militabat, Rege cognito accurrit, detractaq; galea ferrum gutturi admouit, sed toruis Pyrrhi oculis attonitus, os & mentum eius pro iugulo recidit. Hoc igitur mortis signum illud esse crediderim, quod ab lictore ferebatur ad damnatum publico iudicio, præsertim apud Aethiopes, à quibus Aegyptios aiunt multa rituum id genus mutuatos: nam pios eos ante omnes extitisse, familiaritates eorum commerciaq; cum diis, & inuicem agitata conuiuia, de quibus & Homerus & alij scripserunt, facile indicant ita C fuisse tunc hominibus perſuasum. Eo verò signo viso reus sponte sibi mortem conſciſcebat, magno & sibi & patriæ dedecori futurus, nisi feciſſet: adeò illi Regem suum vt numen venerabantur, vulgoque adorabant. Atqui ferunt quendam per hęc morti destinatum, cùm de fuga cœpisset agitare, priusquàm periculo se abstraheret, zona à matre strangulatum; adeò perſuasum fuit genti, non licere mortem magistratuum pronunciatione decretam, exilio vel subterfugio quopiam alio commutare, vt iam seuera Lacænarũ exempla in desertores filios edita mirari desinamus. Quamuis verò Regem illi suum tanto cultu & obedientia prosequerentur, supra Regem tamen, qui Meroë incolebant, Memphitici sacerdotes erant, quibus memoriæ proditum ius olim fuisse mortis Regi per internuncium imperãdæ, alteriusque in demortui locum, cùm libitum esset, constituendi. Sed nos ad hieroglyphica, quæ tractanda suscepimus, reuertamur.

Pyrrhi Regis infortunium.

MVTVA HOSTIVM DETRIMENTA.

SI verò hostes duos capitali odio detrimenta & insidias alterum alteri sempiternis indignationibus molientes, manusque mutuarum cædium sanguine commaculantes, notare vellent Aegyptij sacerdotes, Noctuam & Cornicem proponere consuerunt, quarum vsque adeò immortales sunt inimicitiæ, vt & hæc & illa in mutuo semper damno odium exerceant: Cornix enim interdiu oua Noctuæ rapit, absumítque sibi conſcia Noctuam interdiu cæcutire. At Noctua contrà, vti dicebamus, noctu in oua Cornicis inuadit, quæ subfuretur ac edat; sicque altera interdiu, altera noctu potentior. Quinetiam, quod ad earum inter se temperaturam nullo modo congruentem, facit, sunt qui exploratum se habere dicant, confusum vtriusque sanguinem coire non posse.

Noctuæ cũ Cornice de sidium.

ABSTE

ABSTEMIVS.

Oua Noctuæ qua vim habeat.

LONGE salubrius est significatum illud, quo hominem sibi ab ebrietate cauentem significare volentes, Noctuam oua sua defugentem effingebant, quandò memorãt oua Noctuæ ea vi pollere, vt si per triduũ ebriosis in vino dentur, tædium eius adducant, & abstemios homines reddant: quod etiam apud Philostratum assertum comperi, qui abstemium scribit ita reddi puerum, vt donec vixerit vini odio teneatur, si priusquam vllum vini gustum nouerit, Noctuina oua leuiter cocta; illi sorbillanda propinentur: vini enim odium inde suboriri, quia temperantior hinc fiat naturalis calor.

PATROCINIVM FRVSTRA IMPLORATVM.

ADDIT his Horus, vt si hominem ad alicuius misericordiam, patrocinij vel salutis causa euentu irrito confugientem, significare vellent, Passerem & Noctuam soliti essent figurare: siquidem ille, vel alia quæpiam auicula, vbi aucupis infestas artes declinare studuerit, ad Noctuam confugiat, cuius patrocinio sperat se periculum euitare posse: sedenim ibidem intercipiuntur, vbi sibi perfugium adesse proposuerant.

TYRANNVS.

HVIVS quodammodo generis est Nycticorax, quæ tyrannidem significat, ob occultationem scilicet consiliorum, quæ dissimulare potentiores pro magno habent negotio. Huic significato Callimachus ansam dedit, qui tyrãnos loqui veluti σκῶπας ait; σκῶπες verò αἱ νυκτιφοιτιδες dictæ, quasi σκοποὶ, quòd scilicet eorum sermones nocturni plurimi sint, & in arcanis habeantur, vti Nycticoraces noctu plurimum obstrepunt. Et quoniam ales hæc mihi inter lucubrandum obstrepuit, minimè prætereunda fuit, vt omen eius eluderemus.

HYPOCRITA.

Noctua edi perhibita.

EAM Diuinæ literæ inferri mensis non permittunt, quoddam hominum genus hieroglyphicè innuentes, qui palàm strepitum nullum, tumultum nullum, insidias nullas mouent, sed hypocritæ tristes, omnem mansuetudinis, modestiæ, benignitatisq; colorem præ se ferunt, clàm verò fornicationes, immunditias, crapulas, ebrietates, & multa humani generis opprobria consectãtur: latet enim interdiu Nycticorax, noctu verò prodit ad infausta negotia, deque culminibus ædium lethalia quæque meditatur, & inuisum quiescentibus tumultum excitat inauspicatissima.

CHRISTI HVMILITAS.

Christus & Christiani Nycticoraces dicti.

EADEM verò causa, qua Christi humilitatem agnoscimus in humana forma suscipiẽda, quem scilicet modò Vermem, modò Scarabeum, modò quid huiusmodi aliud in Diuinis literis appellatum comperimus, Nycticoracem quoque nuncupatum Theologi veteres obseruauêre, & ipsum inquã; & vtumquemque ex iis qui eum tempore hallucinationis sectabãtur, nempè quòd tam Christus, quàm Christiani, despectui ludibrioq; fuerint apud Gentes. Vnde Paulus: *Nos Christum prædicamus crucifixum, Gentibus quidem stultitiam, Iudæis scandalum.* Eoque spectare aiunt Psalmi dictum: *Factus sum sicut Nycticorax in domicilio*; de quo apud Eucherium. Sunt qui Noctuam & Nycticoracem eandem alitem putent, & qui hanc Bubonem esse contendant; neque tamen desunt, qui Orientalem esse auem autument, nostris parum cognitam, apud quos nominis tantùm interpretatio manifesta sit, nocturnus quippe Coruus.

DE CORNICE.

Mars & Venus per duas Cornices.

CORNICEM ea potissimùm de causa Noctuæ subiũximus, vt qui summam ex vtraque discordiam intelligi ostenderamus, ex altera tantùm, quippe Cornice, concordiam significari comprobemus, si tamen cur Martem & Venerem per Cornices duas Ægyptij significarent, ostẽdi priùs curauerimus. Ex alitis huius fœtu duo tantùm oua oriri compertum est, inde autem & marẽ & fœminam pariter excludi. Quòd si, quod rarò accidit, geminos vel mares, vel vtramque fœminam gigni contigerit, cœlibem vtrunque vitam agere, coniugatorum verò si alterum moriatur, marem cum nulla vnquã alia Cornice copulari, neque etiam semel viduata fœmina, marem vnquam ampliùs quærit vsque dum viuit, sed, vt apud Maronem est, *Sola in sicca secum spatiatur arena.* Vnde fit, ex Ægyptiorum disciplina, vt in Cornicem vnam tantùm incidentes, inauspicatum esse mortales putent; quod Ælianus etiam tradit, viduato scilicet animali obuiam facti, ac perinde cœlibem solitariamq;, hoc est, tristem, ac necessariis destitutam adminiculis, vitam degendam esse. Hinc etiam Zezes apud Hesiodum, vbi Poëta vxorem auspicatò ducendam monet, *si*, ait interpres is; *Cornices duas obseruaueris.* Sunt qui auem hanc inauspicatæ omninò putent garrulitatis, à quibusdam autem impendiò laudatur.

MARI

MARITALIS COPVLA.

ET eodem quidem argumento, iisdemque Cornicibus geminis, congressum maritalis copulæ legitimum indicabant, quòd aiunt eas ita inuicem copulari, quemadmodũ homines naturali more coniunguntur. Hinc illud, quòd ore eas coire vulgus arbitratur. Præterea omnia quæ coruinam speciem habent, rarò coire solent, identidemque sacrum matrimonij fœdus nulla labefactari petulantia, vel improbioris lasciuiæ nequitia debet, vti multos legimus non nisi liberorum quærendorum causa coniungi solitos, à conceptu sibi temperasse, qui quidem modus & tenor sobriè ac honestè seruatus in causa fuit, vt per Cornices duas nuptiarum fieret hieroglyphicum.

CONCORDIA.

Cornicis clamor in nuptialibus festis antiquus.

CÆTERVM quia in nullo vnquam vitæ colore ac statu concordia magis expetitur quàm in maritali commercio, Cornix hinc ipsa concordiæ symbolum habetur; ideoq; vulgò Græci, vt Hori interpres Philippus obseruauit, nuptialibus festis ἐκκοπτοροφώνη clamitare consuerant, cùm tamen ignorarent, ex instituto veteri Cornicem in nuptiis omine auspicatissimo nominari solitum. Animaduertendum autem in Græcanica illa succlamatione aliquid desiderari, videdunque apud Æschylũ, Danaidibus, ita scribi, σὺν κόραις τε, καὶ κόραις, κἀν τῷ βίῳ ἐκκοροῖ, pro κόρας κορώνας. Nonnulli verò dicunt hortandi modo enunciandum, ἐκκοροῖ κόρας κορώνας, quod nescio quid esse volebant, quod cantillatum verecundiam iis, qui liberis operam dabant, auferret, quæ siquis vberius sibi declarari cupiat, ad commentaria Pindari se conferat, in Pythiis, ode tertia. Sed vt ad cõcordiæ hieroglyphicum reuertamur, alitis huius simulacrum sæpe vidimus in Faustinæ Augustæ numis, cum inscriptione, CONCORDIA. Eoque nimirum Iuuenalis respexit, cùm veterem concordiam dixit nido increpitare, quamuis superiore ætate fuerũt, qui Ciconiam ad hoc signari arbitrati sunt: sedenim quam in numis conspeximus, nihil habet quod ad Ciconiæ effigiem referri possit.

CORONA VRBS.

CORNIX verò in manu Palladis, cuius simulacrum aheneum sub dio Coronæ visebatur, ciuitatis ipsius & nomen, & nominis causam significabat. ait enim Pausanias, Coronem ciuitatem ideo eo nomine nuncupatam fuisse, quòd in fundamentis, dum vrbs ea in Peloponneso conderetur, ahenea Cornix inuenta fuerit, ea verò κορώνη Græcè nimirum est.

GARRVLITAS.

SED esto, fuerit Cornicis simulacrum in manu Palladis in clara admodùm Peloponnesi ciuitate, longè secus Athenis, vbi Cornices ad arcem Palladis non adrolabant, de quo Lucretij sunt carmina in hunc modum:

Est & Athenais in montibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidis almæ,
Quò nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non cùm fumant altaria donis.
Vsque adeò fugitant, non iras Palladis æres
Peruigili causa Graiùm vt ceninêre Poëtæ,
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa suapte.

Ex Græcorum igitur ipsorum sententia, abiecta repulsaque Cornix à Pallade est, vtpote quæ meditationum peruigilio infesta sit, & mentis agitationem interpellet obturbetque garrulitate sua, cuius est hieroglyphicum. Inde autem & Cornicari verbum, quo vtitur Persius:

Nescio quid tecum graue cornicaris inepte. Id Græcè κρώζεις, de garrientibus.

TABELLARII FIDES.

SEDENIM ea quæ ad Crocodilorum vrbem supra sepulchrum quoddam Cornix in columna insublata erat, fidelem operam in tabellario munere præstitam indicabat: huiusmodi enim honos & sepulchri & columnæ habitus est olim Cornici à Marrhe Ægyptiorum rege, quòd munus id diligenter obiisset, quò volandum, aut vbi sistendum, summa docilitate perdocta. Sepulchrum id visebatur ad paludem Myridis appellatum.

PROSPERITAS VITÆ.

Quot annos viuat Cornix.

IVSTVM vitæ spatium ab homine feliciter decursum Ægyptij sacerdotes hieroglyphicè tunc intelligendum proponebant, cùm Cornicem vita functam figurassent. *Viuere* enim *Cornices multos dicuntur in annos*: & Lucrẽtius, *Cornicum secla vetusta* dixit. Compertum verò est ex alitis huius viuacitate, carnes etiam eius in cibum sumptas, non tantùm ad diuturniorem vitam conferre, verùm etiam in longissimis morbis, & carnes esse, & nidum contritum illinere vtilissimum. Quòd autem tradiderunt Aegyptij centum eas annos superare, animaduertendum est, annos de quibus sacerdotes illi mentionem faciunt, quadriennes esse singulos, ratione à Sotheos ortu supputata, quatenus scilicet superãtibus vnoquoque anno solari horis sex, integer demùm dies vnus, qui apud nos intercalaris habetur, apud illos integrum & perfectum annum absoluit. Quare qui annos eas ferè quingentos viuere dixerunt, haud ita multùm diuersi abeunt ab Aegyptiis. Neque me præterit, Aristotelem arbitratum, nullum animal homine diutiùs viuere præter Elephantum; quod si ad huius ætatis spatia referamus, breuissima admodùm erit viuaciorum

animaliam

animalium vita. Cæterùm Ægyptiorum traditioni subscribunt plerique authores minimè con- D
temnendi, acceptissimumq; illud apud omnes dictum, *Cornice viuacior*: vt non temerè mihi videatur Hesiodus scripsisse,

ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν ἡβώοντος. Et reliqua de animalium ætatibus ex grauissimis authoribus exploratissima.

Quem secutus Plutarchus eo opusculo, quo bruta etiam ratione vti disserit, ὧν ἕκαστης φησὶ ἀποθάνῃ ἄῤῥην, οὐκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλὰ ἐννέα χηράσει γενεὰς ἀνθρώπους, *quarum vniuscuiusque vir si occubuerit; non breue temporis spatium, sed nouem hominum ætates vidua permaneat.* Theon tamen in Arati carmine ἐννεάγηρα κορώνη, non pro nouem ætatibus, sed pro multis accipiendum censet, essecq; tantumdem ac si πολύγηρα κορώνη dixisset: eam enim esse nouenarij numeri vim, vt pro multitudine accipiatur, de quo etiam in caudam Scorpij disputatum à nobis est super Nicandri versu. Quinque itidem ætates hominum Cornicem viuere legas apud Aristophanem. Psalmographus autem intra octoginta annos plurimùm ætatem hominis concluſit, quæ summa in Cornice esset quadringẽtorum annorum. Atqui receptum est apud nostros ex Diuinis Hebræorum literis, aliquos noningẽtos circiter annos peruixisse, qui vt etiam ad veterem Ægyptiorũ rationem supputentur, quadrimestribus annis ad calculum reductis, vt nonnulli accipiunt, erunt omninò anni rationis nostræ multò plures, quàm nunc viuitur. Sed vt sacra missa faciamus, quorum fides à Theologis absque cõtrouersia est accipienda, nónne Seras adhuc populos supra c c c. annos viuere prædicant? Quare si fides rerum scriptoribus adhibeatur; nihil hic diuersum ab aliis allatum ab Aristotele fatendum erit, si modò iis nullum animal homine diutiùs viuere professus est. Sed fuerit varia annorũ ratio pro locorum & gentium institutis, dummodò vno authorum omnium cõsensu Cornix viuacissima reperiatur. E

IVVENILIS SAGACITAS SENILI EXPERIENTIÆ PRÆPOSITA.

Prouerbiũ eiúsque explicatio.

ILLVD ad hanc materiam facit, quod huius viuacitatis ergò prouerbium factum aiunt, *Cornici oculos configere*, quo Cicero, Macrobius, & D. etiam Hieronymus vsi sunt, volentes antiquitati vel sublatam, vel diminutam authoritatem nouo iuniorum inuento commonstrare. Porrò Ciceronianum illud pro L. Muræna, *Inuentus est scriba quidam Gn. Flauius, qui Cornicum oculos confixerit*: eò spectat, vt inuenisse eum rationem ostendat, qua legum sacrorumq; interpretibus authoritatem & existimationem imminueret, cùm eo præcipuè nomine colerentur à rudi populo, quòd fasti diebus penè singulis ab eis petendi essent, vt ex eius arcani peritia cognitioneq; crescerent, suamq; illam scientiam magis ac magis populo venditarent; is verò cùm singulis diebus ediscendos fastos populo publicasset, re iam diuulgata peruicit, vt in minori deinceps pretio sacrorum interpretes haberentur, atque ita consilia eorum de tuenda existimatione prorsus euertit, Cornicumq; demùm oculos confixit, fama per magnam inuidiam sibi comparata. Quod verò ad mentis prauitatem pertinet, ibi Propertius tangit, vbi de lenæ cuiusdam ingenio & sagacitate differit, pluribusq; eius vaframentis & imposturis enarratis, vt vno omnia verbo claudat, ait:

Posset & attentos astu cæcare maritos,
Cornicum immeritas eruit vngue genas.

Sumptum ex historia, quòd Areopagitæ puerum damnauerunt, propterea quòd is Cornicum oculos studiosiùs erueret, perniciosissimæ mentis id signum esse indicantes, quæ multis malo futura esset, si adoleuisset.

F

INQVIETVDO.

HORVS hominem in assiduo motu mentisque agitatione ita versatum, vt neque dũ cibum capit interquiescat, per Cornicis pullos significari tradit. At rectiùs per Cornicem & duos illos pullos suos dixerimus: hæc enim volans, volantes idemtidem pullos aliquandiu pascit. Nihil verò magis negotiosum hominem indicat, quàm & rerum satagere, & nihilo secius interim aliquid esitare.

HYEMS.

APVD Hesiodum Cornix est hyemis symbolum, vt eius interpres eo versu tradit:

Μήτοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη. quod ita Maro trãstulit:

Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in secca secum spatiatur arena.

Apertius Euphorion: ὑετομάντις ὅτε κρώζεσι κορώνη.

DE PASSERE.

LONGE diuersum à Cornice Passeris est ingenium, ac perinde vitæ breuitas angustissima: Passerum enim mares anno diutius durare non posse, compertum est, cuius rei causa salacitas incontinentissima, quæ tot hominum etiam ante diem effœtos exhaustósque viribus tradit senectuti.

ANNVVM

A

ANNVVM VITÆ TEMPVS.

SEDENIM & Ægyptij, & aliæ quoque nationes, tempus annuum per Passeris hieroglyphicum intellexêre. Nam & Calchas in artificio augurandi genere celeberrimus, ex Passerum numero, quot Serpens deuorasset, belli Troiani tempus auguratus est, qui pro Passeribus annos, pro Angue tempus intelligeret, vt in Serpente Saturnum significari ex huius animalis gestamine demonstratum. Solum enim *Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas Omnia destruitis.* Quare iam taceat Epicurus, neque amplius portenta derideat, neque vlterius asseueret Passerem nihil simile habere cum annis, cùm & Græcorum disciplinæ, & hæc Aegyptiorum oracula testatissimum relinquant, tempus annuum ex figura Passeris non temerè ab Homero & aliis positum.

PROLIFICA SALVBRITAS.

IDEM Aegyptij sacerdotes si prolificum hominẽ & petulantiæ intemperantiùs deditum significare vellent, Passerem pingebant θυεστὴν, fuluũ quippe & æris instar rubicundum, non autem pyrgetem, quod nonnulli turricolam interpretati sunt, cùm exemplaria Hori manuscripta θυεστὴν legendum indicent. Passer enim titillatione immodica & seminis vbertate concitatus, vel septies vna hora fœminam salit, nunquam egens genituræ. Eiusmodi porrò salacitatis obseruatio effecit, vt ad languescentem Venerem excitandam Passeres in cibo, vel eorum oua Medici propinarent, ideoq; eos Veneris currum trahere mythologi confinxerunt. Iam & Thersicles ait Passerum esitationem rem Veneream plurimùm adiuuare. *Figura & pictura Passeris.*

SIRENES.

B QVIN & Sirenas quæ suauitate cantus & mollibus quibusdã illecebris illectos homines apud se ad mortem vsque feruntur detinuisse, Passeris effigiem à pectore suprà, fœmineam verò infrà habuisse tradunt quædam Græcorum fabulæ, vt in Suidæ Collectaneis habetur, quamuis alij aues eas fœminea tantùm facie fuisse prodiderint. Has verò Veneris illicium significare vsitatissimo hieroglyphico, negat nemo. *Sirenum hieroglyphica.*

PETVLANTIA PERNICIOSA.

ADDVNT & perniciem, quæ subsequitur ex nequitia, per Sirenis imaginem significari, eoq; tradũt nautas illos apud Homerum cantilenis illectos, exitij sibi causam comparasse. Sapientissimumq; ideò Vlyssem fingunt, quòd sociorum auribus cera oblitis, pereundi periculum sustulerit, sibiq; cauerit, ne illi quicquam, quod imperaret, aut nutu significaret, facerent, ad malum se vinculis alligari passus, neque priùs dissolui, quàm in tuta superato periculo, euasissent.

ELOQVENTIA.

SAPIENTIORES tamen, Sirenas pro hieroglyphico eloquentiæ, felicissimaq; persuadendi vi posuerunt, vnde dictum illud de Catone Grammatico:

Cato Grammaticus Latina Siren.

Et Apollonius Tyaneus apud Philostratum, in Apollinis templo suspensas etiam aureas Sirenum illecebras memorat, in huiusmodi significatum. Atque vt ad Passerem reuertamur, diuinæ etiam literæ alitis huius hieroglyphicum nonnunquam pro anima ponunt, quæ voluptatibus & sensui dedita facilè seducatur, nequitiæq; laqueis identidem irretiatur, vnde Psalmographus ille fatidicus plurimùm exultat, *animam suam ereptam esse, veluti Passer, de venãtium laqueis.* Et Psal. 82. *Inuenit sibi Passer domum*, qui scilicet priùs erat erraticus & vagabundus, modò his, modò illis illecebris auocatus. At vbi sacras cœpit ædes frequentare incoleréque, domum est sibi visus inuenisse.

C

PIERIVS VALERIANVS
AD IACOBVM SADOLETVM VIRVM PRÆSTANTISSIMVM, DE IIS QVÆ per Accipitrem significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXI.

COMMENTARIA *de sacris Aegyptiorum literis, quæ aliquot abhinc annis inter varias occupationes, quæ studiorum meorum cursum sæpiùs interrupêre, conscripseram, prout ab amicis, modò hoc, modò illo poscebantur, ita sua singulis distribuere consueui: tota enim hæc lucubratio ad eorum fuit obsequium accommodata. Inter hæc tamen cùm Accipitrem plerique à me extorquere contenderent, impetrare minimè potuerunt, quòd eum, honoratiß. Pater, præcipuum mei erga te cultus & obseruantiæ argumentum esse constitueram. Memor enim tuorum erga me meritorum, neque non humanitatis ac beneficentiæ, qua me totiens duro meo tempore liberalißimè prosecutus es, id semper in animum induxi meum, vt quando nullam tot*

R

beneficijs gratiam referre possent, quantum saltem tibi deberem, apud omnes ingenuè profiterer. Accipitri itaque meo id præcipuè mandaui, vt quaquà iter arriperet, quaq; expatiaretur, si modo probante Deo volatum auspicatus esset, Sadoleti merita locorum vbique meo nomine prædicaret: neque tamen magni fe effecisse aliquid arbitraretur, si doctrinam hominis in vnoquoque disciplinarum genere absolutißimam, si summum ingenium, si beatißimam eiusdem eloquentiam atteſtaretur (non enim noſtra hæc indigent prædicatione, quæ ſua ſe vi per vniuerſum iam terrarum orbem immortali cum laude diuulgarunt; nomenq; nullo vnquam tempore intermoriturum ſibi ipſa peperêre) ſed ijs quædam admirabiliora patefaceret, nulli quippe parem in eruditione tanta humanitatem, nulli in tam varijs aulæ noſtræ conflictibus caſtiores mores, nulli manus ad promerendum promptiores, nulli ad amicorum quorumcumq; res iuuandas officia præſentiora. Natos è literatis hominibus pleroſque ſibi, natos alios patriæ, domeſticiſve ſuis, alios ita huic vel illi, vt per factiones etiam reliquos infectentur: Sadoletum vnum ad totius humani generis commoditatem huic ſeculo ab immortali Deo datum. Hæc ſecum allaturus eſt Accipiter noſter, quem pro teſtimonio opera ipſa tua omnibus cognitißima ſubſequentur, neque non omnium, quotquot ætate noſtra viri probi ſunt, ſuffragatio conſenſu mirifico repetita. Sedenim tu, qui vt literatißimus es, ita etiam humanißimus, cùm hæc leges, puta te Pygmæorum agmen intueri, quod dormienti Herculi negotium faceſſere conetur, armaq; eius omnia ſibi aſſerere meditetur, qui tametſi nihil proficere videantur, de ridiculo tamen conatu delectabile poſſunt ſpectaculum exhibere. Interim quid Accipiter ex Aegypto attulerit, explicare incipiam.

DE ACCIPITRE.

ACCIPITRIS quidem ſignificata multa & admodùm varia ſunt, cùm ex eo victoria, celeritas, aër, ſacerdotium, Sol, Deus, Animus, Mars & Venus, & pleraque alia hieroglyphico ſchemate oſtendantur, quorum cauſas ſigillatim explicare noſtri fuerit inſtituti.

SOL.

PRÆSTANTISSIMA autem omnium apud Ægyptios conſideratio ſuper Accipitre fuit, vt Soli eum æquipararent, ſolariſq; vigoris ſymbolum hieroglyphicumq; inter volucres omnes conſtituerent, propterea quòd animal eſſet genituræ, vt compererant, fœcundiſſimæ, eaq; de cauſa in eo genere πελώριον recenſebant, quem Latini Butionem appellarunt, ſiue quòd reipſa tres habeat teſtes, ſiue quòd duos tantæ ſalacitati ſufficere non poſſe crediderint. Ea nuncupatione Agathoclem Siciliæ tyrannum à Timæo hiſtoriarum ſcriptore notatum obſeruauimus, quem tota pueritia κοινὸν πάθημα fuiſſe tradit, nec minùs petulanter reliquum ætatis tempus in nequitia peregiſſe. Cæterùm Accipiter præter id quòd egregiè eſt prolifica vi præditus, id etiam commune habet cum Sole, quod & viuaciſſimus eſſe perhibetur, & iubaris ipſius radios firmiter intuetur. Vnde etiam fit vt Medici ad oculorum morbos Accipitrinæ herbæ vtantur beneficio. Qui quidem rerum conſenſus etiam tranſit ad metalla: ſiquidem ferunt oſſa ex eius tibiis admota auro, ita id attrahere, quemadmodum Magnes ferrum ſibi cogit adhæreſcere: nimirum enim Chymici aurum ſolare metallum ponũt. Porrò Accipitrem Apollinis nuncium dici, legas apud Adamantium. Plutarchus, qui eundem Oſirim & Solem interpretatur, omninò propter eximiam videndi facultatem hoc aſſertum putat. Habet & aliam cum Sole ſimilitudinem Accipiter, quòd, vt perhibent, triceſimo quoque die ſoleat fœminæ conſortium appetere, vti Sol eo circiter temporis interuallo ſuperato, Lunæ coniungitur. Ea verò fuit mortalium religio, Medicinæ inuentum Apollini adſcribentium, vt in deſperatis à clinica medicina morbis, cuiuſmodi quartanæ ſunt, in quibus parum illa, aut nihil pollet, perſuaſum ſit vel pluuerem, in quo ſe volutauerit Accipiter, lino rutilo in linteolo adalligari decumbentis collo, remedio, vt aiunt, efficaciſſimo.

De Butione

DEVS.

Cur Deus per Accipitrem.

SED cur ego diſſimulem quod ab Euſebio refertur ſuper alitis huius præſtantia, vt inquit ille, à Zoroaſtre traditum, Deum Accipitris habere caput? quippe qui inter omnia ea quę labem nullam aut corruptionem ſentiant, primus ingenitus, neque interiturus vnquam, partium expers, ſibiq; ipſe ſimillimus, bonorum omnium origo atque author, rerum pater omnium optimus ac prudentiſſimus, ſacrum iuſtitiæ lumen, abſolutiſſima naturæ perfectio, ciúſque inuentor & ſapientia, quas dotes cùm Soli plerique attribuant, quanto magis eius authori ſummo conueniunt, qui tabernaculum ſuum in eo, vti apud ſcriptores diuinos legitur, collocauit.

SVBLIMITAS.

MOTVM adhæc philoſophantis cuiuſpiam, qui rectà feratur in ſublime, nulla prauæ rationis fallacia perplexitatéve labefactatus, ſed quicquid hic conſpexerit, ſtatim ſurrigat ad Deum, iidem ipſi ſacerdotes oſtendere ſi vellent, Accipitrem ſurſum verſus aëra captantem pingere conſueruerunt. Cætera enim volatilia ſi curſum arripuerint in ſublime, obliquo ferri tractu, curuatíſque ſpatiis agi coguntur, neque rectà curſum poſſunt intendere. Solus autem Accipiter ſublimipeta recto meatu volat.

HVMILI

HVMILITAS.

CONTRA verò ſi à ſublimium conſideratione ſeſe adhæc inferiora demiſerit, quaſq; ibi ideas conſpexerat in centro hoc recognoſcat, neque ab recto quicquam aberrarit itinere, volentes indicare, Accipitrem identidem ſeſe ad terram demittentem faciebant: nam volucres reliquæ veluti ſurſum verſus volaturæ, per circuitus aſcendunt, ita cùm deſcendunt, tranſuerſo, tortuoſoq; volatu id facere coguntur. Verùm Accipiter vti ſurſum verſus efferendus, rectà fertur, ita ſi ſupernè delapſus, ad terram humipeta fiat, recto ad nos tramite defertur.

ANIMVS.

Animus alatus.

CVM itaque potiores volandi partes Accipitri datæ ſint, animuſq; ſit Platoni alatus, ſint volatilia etiam in Paradiſum deliciarum, quippe in animam ad hominem adducta, quod varios ipſius cogitatus oſtendit, non immeritò Accipiter tam ob hoc, quàm etiam ob ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, animi ſimulacrum habetur apud Aegyptios, hiq; duo quos ponunt motus, totidem in animo affectus indicant, qui tunc Accipiter ſublimipeta eſt, cùm cogitationem in Deum & in cœleſtia ſurrigit: humipeta verò, cùm ſe ad ea, quæ terræ beneficia ſunt examinanda applicauerit. Accipitrem igitur ſurſum verſus tendentem quis pingat, animum qui ad diuina ſuſtollatur intelligemus, quem ſi ad inferna delabentem effinxerit, Philoſophum præcipuè Peripateticum, cuius ſcilicet omnis contemplatio circa materiam verſatur, delineatum intuebimur. In vniuerſum autem, vt Heſychius ait, volatilia in ſacris literis homines oſtendunt qui contemplationi vacant, terrenis ſe negotiis haudquaquam immiſcentes, quòd ſi neceſſe fuerit ab ea ſe deiicere, ſtatim reuolant in ſublime. Nam & Eucherius ſanctum virum hieroglyphicè poni tradit per Accipitrem in Diuinis literis, ſiue ea de cauſa quàm ſuperiùs attigimus, ſiue quia volucris hæc præcipuè, mutata veteri penna, inſigniter renouatur. Ita vir qui ſe Deo dedicat, inueterata prioris vitæ ſtudia proiiciens, ſimplicem bene viuendi regulam aſſumit, ad quam omnem vitæ ſuæ rationem dirigat, eoq; ſpectare Iobis dictum, *Nunquid in ſapientia tua plumeſcit Accipiter?*

MARS ET VENVS.

Marti & Veneri cur dicati Accipitres duo vtriuſque ſexus.

ERAT & illud apud ſacerdotes Aegyptios memorabile commentum, quòd Martem & Venerem per duos vtriuſque ſexus Accipitres intelligebant, quorum marem Marti, fœminam Veneri dedicabant. Cauſam figmenti eam memorant, quòd reliqua fœminei ſexus animalia maribus concubitum aſſiduum depoſcentibus minimè morigera ſint, quod vna præſtat Accipiter: trigeſies enim vno die requiſita, quantumlibet receſſerit, appellata à mare iterum atque iterum obſequitur, fœminas verò maribus morigeras, ſiue, vt in aliquot Hori codicibus habetur, in Venerem procliuiter pronas, elogio Veneris Aegyptij honeſtabant: difficiles autem ruſticas & moroſas, ab huiuſmodi cognomento repellebãt. Alia item cauſa eſt cur Martis vocabulo Accipiter accipiatur, quia ſcilicet ex traditione quadam aſtronomica ſanguinem à Marte regi nouerant, cuius Accipiter eſt egregiè ſitibundus; eſt autem animal omninò violentum, imperioſum, cædis cruoriſq; auidum. Hinc apud Platonem Phœdone, legas eorum animas qui dominationem per vioientiam & iniuriam & rapinas exercuerint, poſt obitum in Accipitres & Miluios abire.

RAPINA.

Accipitrum vſus ad quid.

HVNC quoque ſacræ literæ Leuitico, mẽſis inferri prohibent, propterea quòd rapax alioquin animal, ad impietatis quidem diſciplinam, vt diceret Heſychius, cicuratur, & imperata facere aſſueſcit, vſus tamen eius ad ſimplicium auium exitium expetitur. Hi ſunt, qui ſacerdotalem huius vel illius familiæ vitam profeſſi, meliora ſecuti videbantur, vt nihil iam his ad hominis verè Chriſtiani tranquillitatem abeſſe videretur. Principum tamen aulas affectantes, ad rapacitatem, ad priſtinos reuerſi mores, & ſuis & aliorum libidinibus inſeruientes, diuina profanáque omnia commiſcent, hinc hæreſum fauor, atque fomẽtum, hinc bellorum adhortationes, impulſionéſque, hinc bonorum preſſuræ vexationéſq;, populorum cædes, vrbium incendia, regnorum euerſiones, terrarumq; deſolationes oboriuntur. Sic olim Baſilius, ſic Athanaſius, ſic Chryſoſtomus, ſic magno numero alij malè habiti, ſic nunc armorum ſonitum totus ferè Chriſtianus orbis exciuit, quæ tragœdia quam ſit habitura cataſtrophen, nemo coniectare poteſt, calamitatem tamen in Chriſtianum nomen facilè omnes præſagire poſſunt.

FILIORVM ABDICATIO.

Aquilæ & Accipitris conuenientia.

SIMILE quid Aquilæ in Accipitre accidere tradunt Aegyptij, cùm ſcilicet tria pariat, vnum tantum ouum ſeligere, fouere, ac alere, reliqua verò duo confringere. Quapropter iidem ipſi ſacerdotes, ſi quem filios domo exactos ablegantem exprimere voluiſſent, Accipitrem fœtam vel incubantem pingere ſoliti erant, ita tamen rem accipiebant, vt qui abdicaret, vel à ſe reiiceret, propter egeſtatem & inopiam id facere cogeretur. Nam eadem in Accipitre cauſa fertur, cùm in Aquila non indigentia, ſed faſtidium in cauſa ſit, vt vnum tantùm alat. Ferunt autem incubationis tempore vngues Accipitri decidere, quorum adminiculo deſtituta, fit vt vix ad alimenta, quæ vni ſufficiant conquirenda, idonea ſit: quare, ne qui reliquus eſt vnus pereat, omne in eum ſtudium & diligentiam impendi.

VITA VITALIS.

SED illud interim obliuiſci nolim, alitem hanc indicium eſſe vitalis vitæ, ſiue id propter ſanguinem, cuius eſt auidiſſimus, ſiue propter Solis imaginem, quam exſcribit; ſiue, quod receptum erat apud Ægyptios, circa centeſimum ætatis annum, vti ſuprà dictum eſt, Vulturis Commentario hominem ex defectu cordis deficere, vt Plinius etiam atteſtatur: nam, vt Varro tradit, hominis anniculi cor, quod ſæpe in his Commentariis repetendum erit, duarum eſt drachmarum, atque ita ſingulis annis vſque ad quinquageſimum, accedunt binæ; conſtatq; hominis quinquagenarij cor centum drachmis: ab eo tempore, annis ſingulis totidem imminuitur drachmis, quot excreuerat, creditumq; inde, ex defectu humani cordis non vltra centeſimum annum poſſe homines viuere: cuiuſmodi vitę terminum in homine ſtatuiſſe videtur etiam Dioſcorides (Aſtrologum illum Dioſcoridem intelligo, ex cuius dictatis ea excerpſit Varro) ille enim hac ipſa ratione compertum ſe habere ſcripſit Alexandriæ inter libitinarios, quorum ibi cura mortuos exenteratos & aromatibus delibutos diutiſſimè conſeruare, hominem plus centum annis viuere non poſſe, eaq; de cauſa Empedocles, quem in hoc Ariſtoteles ſecutus eſt, ante omnia cor iudicauit increſcere, quòd hominis vitam maximè contineat. Quamuis Hippon, Democritus, Anaxagoras, Diogenes, atque alij nonnulli aliter, quorum bona pars cerebro principatum formationis attribuit. Quod tamen pertinet ad annorum centena, Mathematici & Diuinæ noſtrorum literæ viginti inſuper addunt, neque amplius euiquam eſſe conceſſum aſſerunt, atque hoc terrarum orbe iam mortalibus expleto, & vitæ noſtrę decreto quaſi quodam diuinitùs promulgato. Illud etiam adiiciunt, Moſem ſolum, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, centum vigintiquinque annos vixiſſe, qui cùm quereretur quòd iuuenis interierit, reſponſum ei ferunt à numine, neminem plus eſſe victurum, hæc Pollio. Plurimùm verò octoginta & vnum à natura & à ſyderibus conceſſum aiunt, quod vitę ſpatium his potiſſimùm condonatur, qui & corpore & animo valeant, vt Platoni, Dionyſio, Heracleotæ, Diogeni Cynico, Eratoſtheni & Xenocrati Platonico liberaliter cõceſſum. Qui verò centeſimum attigerint, Carneades, à quo tertia Academia eſt, quæ dicitur Noua, neque non Cleantes & Xenophanes Colophonius, Democritus Abderita, Iſocrates Rhetor, & Gorgias Leontinus, cum aliis pleriſque memorantur.

Hominis anni completi ex Dioſcoride, & alijs.

ÆGRITVDINE CONFLICTATVS.

Cauſa præcipua ſenij.

QVOD autem dictum eſt imminui cor in ſenium vergentibus, ſunt qui cor dentibus ambeſum pro homine ponant, qui ægritudinibus afflictetur. Nam Homerus frequenter admodùm iis & exedi & conſumi cor ait, qui vehementiori aliqua animi ægritudine conflictantur, quòd ipſe vnà cum Heſiodo facilè homines in anxietatibus & ærumnis in ſenium ire peſſum aſſeuerat, fatalemq; neque non naturalem ætatem ita vitio vel imprudentia noſtra comminui. Pythagoras quoque volens nos admonere, vnicuique vitæ ſuæ curam minimè negligendam eſſe, eruditè ſimul ac ſapienter imperauit, μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν, hoc eſt, adhibendam eſſe diligentiam, ne noſmetipſos ægritudinibus ſubiicere contendamus, quæ potiſſimùm in cauſa pleriſque ſunt, vt dono diuùm conceſſus vitæ curſus interrumpatur.

ANIMA.

QVONIAM verò Latini ſermonis authores, animum quo ſapimus, animam qua viuimus eſſe dicunt, nos eorum ſecuti diſtinctionem, cùm ſuperiùs de iis, quæ ad animum pertinent ex ex propoſito argumento diſſeruimus, nunc quæ ad animam faciant exequemur: quamquam differentiam eam non vſquequaque receptam video, vnde neceſſe ſit interdum, vel in eodem vtrumq; ſignificato ponere, vel alterutrum vſurpare. Animam igitur quæ noſtræ ſit vitæ fundamentum & ſedes, Ægyptij ſacerdotes per Accipitrem intelligi voluêre, quandoquidem BAIETH apud eos is eſt, qui apud Græcos ἱέραξ, apud nos Accipiter: Aegyptiaca verò elementa illa ſi per ſyllabas diuidantur, BAI per ſe animam, ETH verò cor ſignificat. Vtebantur enim illi libenter ex huiuſmodi compoſitione vocibus, ex quibus ipſa rei natura, vel originatio, vel aliqua vis appareret, quod & apud Hebræos frequentiſſimum eſt, vt vnà cum locutione ipſa, res etiam qualis, cuiuſmodive ſit, intelligatur: vt quo vocabulo cœlum nominant, conſtare id ex aqua & aëre doceant: cùm Adam dicunt, & craſſam qua compacti ſumus terræ materiam, & inſitam ſimul mentem oſtẽdunt: mentem enim terræ appliciram id nominis ſignificare tradit Philo. Sed iam quid commercij anima cum ipſo corde habeat, videamus. Aegyptiorũ opinio fuit, cor eſſe animæ receptaculum, quaſi igitur nominis coagmentatio ſignificetur & ineſſe anima cordi conſtet, per Accipitris ipſius picturam animæ reminiſcebantur. Neq; quidem Aegyptij tantùm, verùm & Stoici animam in corde potiſſimùm ſtatuerunt: ſentiendi enim vires omnes ad ſenſum, quem ex re ipſa communem vocamus, vti flumina ad mare, confluunt, hic autem ſi Ariſtotelem ſequimur, in corde eſt. Neque abſurdè dixerimus, ab eo mari quinque corporis ſenſus, viſum, auditum, guſtatum, odoratũ, tactum, quaſi quinq; maria mediterranea, diffuſos intrare corporis continentem, quæ manifeſta Platonis in Theæteto ſententia fuit. Quòd verò ſuper animo paulò antè dicebamus eũ Accipitri comparatum, imò alitẽ ipſam pictam congruum huius eſſe ſymbolum, redigit in memoriã mihi Zoroaſtris dictum:

Quid rei cũ corde habeat anima.

A dictum: *Alatum quippe eſſe animum*, quod apud Platonem latiſſimè diſſeritur, decidentibuſq; alis præcipitem eum in corpus ferri, illiſq; mox ſuccreſcentibus ad ſuperos reuolare. Sed percontantibus eum diſcipulis, quo pacto alis bene plumantibus, animos volucres ſortiri poſſent: *Irrigetis*, inquit, *alas aquis vitæ*. Iterum ſciſcitantibus, vnde has aquas peterent, ſic per parabolam, qui erat hominis mos, reſpondit: *Quatuor amnibus Paradiſus Dei alluitur & irrigatur, indidem vobis ſalutares aquas hauriatis*. Quæſierit verò aliquis, quinam hi fluuij ſint, vt ſi Accipitrem merſare ſuum ibi velit, eos nanciſcatur. D. Ambroſius flumina Zoroaſtris quatuor, virtutes totidem, in quas diuiditur ſapientia, prudentiam quippe, temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam intelligit, fontemq; eſſe ſapientiam: ex quo flumina hæc quantacumque ſunt deriuentur: nam in Diuinis literis fons paſſim accipitur pro ſapientia, ad quem accedere ſitientes, admonemur, de quo plura in cœlo aquis irriguo. Vbi verò Plato in alarum, quas animæ tribuit, mentionem incidit, per alas naturalem eam intelligentiam capit, quæ, vt inqit Alcinous, eſt intellectio quædam in anima quæ corpori ſit applicita, non ea quæ animo à corpore ſoluto conuenit, ea igitur, cùm labem à corpore contraxit, nunquam ſeſe tollere humo poterit, niſi fluminibus, quæ poſita ſunt, infectum eluerit ſcelus. Quoniam verò, ſunt qui duram metaphoram contendant, Gangem, Nilum, Tigrin, & Euphratem, ea enim iis amnibus nomina faciunt, pro quatuor illis virtutibus poni, quæ omnem in hominum vita principatum obtinent, minimè fuerit importunum hæc latiùs interpretari.

Fluuij animi quatuor.

PRVDENTIA.

EX amnibus his Gangem primùm enumerant, qui pro Prudentia ponatur. Trahit hic ramenta auri, carbunculum, praſinum lapillum, quem alio nomine Smaragdum vocamus. Aurum pro
B inuentis prudentium ſæpiùs accipimus, vnde diuinum numen per Prophetam ait: *Odi illius aurum, & argentum*, de quo quidem alio loco commodiùs. Deuoluit & ſplendidum carbunculum, in quo ſcilicet animæ noſtræ viuit igniculus, qui ſi tempore ſuſcitetur, neque apta fomenta deficiant, micantiſſimum ignis fulgorem totis ſit ædibus exhibiturus, vt in anima corpori inſita, pennarum radices actæ altiùs inhæreſcant, quæ ſi prorumpere ſemel cœperint, breui ſint omnem corporis molem per ſublimem aëra libraturæ. Per Smaragdum verò virorem intelligas, porrò autem quæ virẽt, viuacitatem præ ſe ferunt. Oſtendit prætereà viror, præteriti ſeminis vitam. Aurum fulgore ſuo præſentium rerum pretia proponit. Carbunculus excitato lumine, quid futurum ſit, quiſve aduentet, aperit. quæ tria ſunt prudentiæ munera. Ganges ad hæc (Phiſon eſt Hebræis) vocabulum ſignificare tradunt oris mutationem, ſiue dicere velimus, ſermonis varietatem: non enim Ganges vnam tantùm gentem circuit, ſed, vt aiunt, omnem terrarum orbem ambit, & vt nonnulli opinati ſunt, vel myſticè rem intelligentes confinxêre, in Libyam vſque prolabitur: manifeſtè enim accipiendum, mythologum non ad hiſtoriam, ſed ad myſticum aquarum ſenſum animum adieciſſe. Atqui prudentię munus eſt prodeſſe quamplurimis, neque vllam tam remotam, tam efferam gentem prætermittere, quàm beneficio non demereatur, ideóq; in omnem terram exiuit ſonus eorum qui nos piè ſanctéque inſtituerunt.

Primus.

TEMPERANTIA.

GANGI mox Nilum adiungunt, per quem Temperantiam intelligi volunt. Alluit Nilus pla-
C nitiem Ægyptij. Ægyptus in Diuinis literis voluptatem & deliciarum illecebras ſignificat, vt de ferociente Equo, ſuo dictum Commentario, qui latos Ægypti campos gaudet inſultare. Lex igitur Iſraëliticis data eſt, in Ægypti captiuate detentis, hoc eſt, nequitiæ ac effœminationibus impuriſſimè deditis, vt ex Ægypto quã ocyſſimè recederẽt, ſuccinctiq; lumbos Agnũ ederent, quod eſt temperantiæ ſignum: caſtos enim oportet, & viuo ablutos flumine, ſacra Deo ferre, ſupremique numinis Paſcha celebrare. Gæon hic amnis Hebræis eſt, à quo terram etiam Aethiopicam perlui dicunt, nempè vt deſpicatiſſimum corpus abluat, & libidinis ardorem extinguat. Aethiopia enim, vt nonnulli diuinarum literarum interpretes exponunt, abiecta, vilis, & deſpicata ſonat, cuiuſmodi noſtrum eſt corpus Aethiopiæ perquàm ſimile, quod ſcelerum infectæ maculæ deturpant, & & aduſque nigri coloris ferrugine inficiunt.

Secundus.

FORTITVDO.

TERTIVS amnis Tigris eſt, qui fluuiorum omnium velociſſimus perhibetur, nomemq; illi tam animali omnium rapaciſſimo, quàm fluuio velociſſimo, à ſagitta eſt, Armeniorum lingua: qua enim parte ex Armenia in Meſopotamiam labitur, ibi propter rapidiſſimam velocitatem Tigres ſagitta dicitur. Per hanc fortitudinem interpretantur, quòd fortitudo curſu quodam pernici concita, obſtantia quæque demoliri atque proſternere videatur, nulliſq; obicibus oppoſitiſq; mollibus aut obſtaculis impediri, quin quò ferri deſtinarit, eò victrix prorumpat.

Tertius.

IVSTITIA.

QVARTVS eſt Euphrate, per quem fœcunditatem & fructuum exuberantiam intelligi volunt, ac perinde iuſtitiæ ſymbolum eſſe. Ex nulla ſiquidem virtute opimiores lætioreſq; fructus colligi feruntur, quàm ex æquitate. Hinc Ceres, quod ſæpe diximus *Legifera* Poëtis, eademq; *Aſtræa*. Hinc tellus ipſa iuſtiſſima, ac ipſius iuſtitiæ ſimulacrum perhibetur. Putant verò plerique Euphratem ἀπὸ τῆς εὐφροσύνης appellatum, quod nulla res magis, quàm æquitas ac iuſtitia, humanum genus lætitia perfundat, & hilaritate repleat affluentiùs. Ex his igitur manifeſtum eſt, quibus

Quartus.

aquis implumis Accipiter noster lustrari possit, atque identidem ita plumescere, easq; alas emittere, vt non supra nubes tantùm, quod faciunt grues, sese attollere, verùm super omnes cœlorum orbes efferri valeat, pariq; cum Aquila honore acceptus, in ipsius Iouis gremium audeat volitare.

SANGVIS.

In lege veteri quãdo sanguis apponebatur, quãdo non, & eius significatio declaratur.

HABET præterea similitudinem Accipiter cum anima, vt aquam omninò non bibat, sed solo sanguinis suctu sitim leuet, quo vno & anima ipsa nutriri quodammodo videtur. Ideò veteri illo instituto, libaminibus quæ pro anima parabantur, sanguis apponebatur. Et Deuteron. XII. sanguinem hostiarum pro anima esse monet Moses, idcircoq; non debere nos animam comedere cum carnibus. Passim verò Leuitico monemur, sanguinem non esse comedendum, quia vniuscuiusque carnis anima sit in sanguine. Sed præcipuè cap. 17. interminatur Deus exitium cuilibet, tam ex domo progenieq; Israëlis, quàm etiam hospitibus & peregrinis, qui apud eos diuertissent habitarénve, si sanguine vesci ausi fuerint. quem ea de causa datum eis asseuerat, vt super altari per eum animas suas expiarent, essetq; ita sanguis animæ litatio, dum funderetur per altaris circuitum, & quod residuum esset, terra operiretur. Quod verò dictum, *Vniuscuiusque animam in sanguine eius esse*, nequaquam intelligendum est, substantiam animæ esse sanguinem, ait Hesychius, sed pulcherrimè exturbare quorumcumque animalium cognatas nobis animas nefanda cæde ideò prohibemur, ne sanguine sanguis alatur. & in hanc sententiam tum apud Græcos, tum apud Latinos plurima. Quamuis alio significato accipi purpuream animam, alio de Piscibus commentario docuimus, vbi agitur de purpura vno ictu collidenda, si sanguinem ad tinctum comparare voluerimus. Sed quantum ad eos pertinet qui sanguinem animæ commiscent, ego non ita fuerim impius, vt non profitear, de brutorum animis hoc tantùm intelligi, de quibus capite nono Geneseos scriptum est, *Anima illius in sanguine est*, cùm in homine tantùm ex animalibus, anima per se vitalis sit, suáque se contineat immortalitate. Et quamuis Salomon pro concione tertia, vnum eundémque interitum hominis & iumentorum, & æquam vtrorumque conditionem, ex impiorum opinione posuerit, ex sua tamen sententia, puluerem ad terram reuerti, spiritum ad eum qui dederat, asseuerat. Basilius ad hæc, vbi concione octaua die quinto locum exponit, *Educat terra animam viuentem*, brutorum tantùm animam esse sanguinem disputat. Ait verò sanguinem coactum in carnem suapte natura verti, carnem autem corruptam in terrã redire, vnicuique manifestum; itaque iumentorum animam terream quandam esse naturam. Eos verò valere iubet, quos nihil quicquam pudet animas suas, & Equorum, & Canum, in eadem specie collocare, quiq; seipsos etiam, & mulieres, & frutices, & æquoreos Pisces olim fuisse reminiscantur, idque asserere non erubescant: quos quidem Pisces fuisse nemo sanæ mentis dixerit, quo vero tempore isthæc literarum monumentis mandauêre, expertes magis rationis quàm Pisces fuisse quisquis mente iudicioq; polleat, dubio procul asseuerarit. Illud verò commercij cordi est cum sanguine, vt ex Philosophorum obseruatione compertum sit, cor iis omnibus esse, quibus & sanguis: id quod etiam de iecinore proditur. Neque tamen infirma est eorum opinio, qui nonnihil sanguinis ab iecinore procedere iudicarunt. Sedenim potior eorum, qui sanguinis principatum cordi dedicarunt, à quo, tanquam à fonte perenni, in venarum conceptacula diffundatur: nusquam enim nisi in corde sanguinem concrescere, ex Medicorum & Aristotelis traditione didicimus, in quo quidem primum oritur, etiam antequam totum corpus informetur, quæ idem latiùs libro de Animalibus tertio pertractat. Ac ne interim nos plura de anima, de corde, de sanguine disseramus, ea consultò præteribimus quæ dici possent, si quid cordi, quid iecinori, quid arteriis, quid venis inseruiat, & vnde triplex animæ potestas originem & fundamentum consequatur, repetere voluissemus: sedenim hæc ita breuiter tacta sufficere visa sunt pro redditione causæ, cur talia sacerdotes Ægyptij pingere commenti essent. Illud addam, sanguinem religiosissimo Hebræorum ritu in summo cultu semper habitum, quẽ ex alite qualibet effusum simulac ostenderint, insperso puluere sepelire pro magno negotio habent, quòd persuasum illis ex Prophetarũ dictatis, sanguinem ad contractæ labis abolitionem, & animorũ deputationem facere: sed non intelligunt, mysterium id ad pretiosissimum Christi sanguinem spectare, cuius aspergine maculæ omnes nostrę, cùm expiari voluerimus, abluuntur.

VICTORIA GLORIA VE.

Accipitris super alites reliquas præstantia.

DENIQVE propter eas dotes, quas huic aliti natura supra volatilium aliorũ conditionem elargita est, factũ vt in vniuersum Accipiter esset excellentiæ hieroglyphicum, præcipueq; victoriam significaret: nam reliquas omninò volucres volatu antecellit. Neque frustra Theoclymenus apud Homerum, obseruato Accipitris auspicio, Telemachum bene sperare iubet, eiusq; genus in Ithaca suprà reliquorum omniũ gloriam potens, celebre & illustre futurũ pollicetur. Ea sanè Accipitris prærogatiua est, vt agilitatis in volãdo principatum obtineat, ab eoq; desumantur præclara illa

A illa alarum insignia, quæcunque in huiusmodi deueniant gloriæ significatum. Hinc Victoriæ hieroglyphicum passim in numis & monumẽtis aliis alatum, quia victoriæ partæ fama sese statim humo tollit, amplexaq; gloriam per summum æthera latè volat, perque immensos terrarum tractus expatiatur, offensiones impedimentaq; omnia agilitate sua declinans. Hinc ipsi numi Victoriati dicti, quibus Drusus in Tribunatu plebis octauam partem æris argento miscuit. Hinc Musis coronæ ex pennis quas ex Sirenum alis euulsêre, postquam eas in certamen impulsu Iunonis congressas facilè superauerant, vt Eustathius & Pausanias meminêre, quãuis alij Sirenas indignatas sponte alas deposuisse dicant, reiq; monumentum esse Apteram ciuitatem, ea de causa cognominatam. Vtcunque verò, ad id Homerum alludisse ait Eustathius, cùm ἔπεα πτερόεντα protulit: quem Horatius noster secutus, *volare verba* dixit. Et nostri per pennas columbæ deargentatas in Psalmo, sermones Dei interpretantur, vt ait Adamantius, quod merum est hieroglyphicum. Philosophi ad dissectionem aëris, quæ verborum tanquam alarum illapsu fiunt, id referendum autumant. Sedenim de Musis alibi locus erit suus.

VICTORIA PERPETVA.

QVAMVIS autem & in Olympia, & vulgò esset alatum Victoriæ simulacrũ, apud Athenienses tamen exarmatum alis cernebatur, vt & Pausanias & Heliodorus Periergeta meminere: Mineruæq; id fuisse signum dedicatum, in cuius dextera manu malum Punicum esset, in læua galea, de quo ita Harpocration: λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ ἱερείας, ὅτι νίκης ἀθηνᾶς ξόανον ἀπλοῦν, ἔχον ἐμμὲν τῇ δεξίᾳ ῥοιὰν ἔν τε τῇ εὐωνύμῳ κράνος ἐτιμᾶτο. Id ea de causa factum Pausanias tradit, ne Victoria discederet Athenis, ac aliò quopiã abuolaret. Ita numen apud se perpetuò detineri posse arbitrati sunt
B Athenienses, dum alarum omen, veluti quoddam instabilitatis signum, reformidabant. Nam quæ Amori alæ attribuuntur ad frequentissimas in eo rerum vicissitudines referuntur, vt Propertius de eo qui figuram eius pinxerat libro II.

Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostraq; non vllis permanet aura locis.

Alæ Darij humeris inhærentes, quid.

Alæ autem à Cyro visæ, quæ Darij humeris inhærentes, vna Asiam, altera Europam inumbrabant, nimirum victoriæ signum portendêre. Solitus verò est Darius, qui sibi totius orbis victorias proponebat, pallam gestare auro distinctam, quam aurei Accipitres tres, velut rostris inter se concurrerent, adornabant, literis NIKHTIKΩTATOΣ, inter alas & singulorum caudas dispositis. Et Antiochus magnarum sibi conscius expeditionum, quia multa strenuè fecerat, gentes plurimas debellauerat, vrbes innumeras subegerat, longa victoriarum continuatione illustris, Accipitris cognomine vocari gestiebat. Septem autem Accipitres qui Vulturem insectabantur, victoriæ eius signum hieroglyphicè constituti fuêre, quam viri septem in Smerdis Magi exitium coniurati, assecuti sunt, votiq; compotes facti, patriam ab illegitimo Rege liberauerunt. Illè siquidem regnum sibi nullis natalibus comparauerat, veluti Vultur non ex legiti-
C mo conceptu, sed sine patre generatur ex vento. Est & illud victoriæ significatum hieroglyphicum, quod in antiqua columna Viterbij spectatur, duos scilicet Accipitres ex diuerso aduolantes, per quos, vt nonnulli tradunt, Herculis ab Alpibus, & Osiridis à Brundusio motus in Gigantes, neque nõ victoria describitur. Neque verò ea solùm de causa, quòd Accipiter volatu præstet, quodq; alæ victoriæ attribuuntur, ales ea victoriæ symbolum est: verùm ob id etiam quòd eius pugna tam artificiosa est, eóque astu patratur, vt necesse sit hostem, qui cum ea congressus fuerit, omninò vinci. Nam si cum fortiori res agatur, tum sese in aëre resupinat, vngues sursum versus intendens dimicat, alas verò caudámque inferiùs expandit, quibus vice soli fungatur. Vnde fit vt cùm aduersarius voti compos fieri minimè possit, vel re infecta abire cogatur, vel omninò superetur. Quæ quidem solers dimicatio, cùm sit etiam Noctuarum propria, quæ maiore circundante multitudine resupinæ pedibus repugnant, collectæque in altum rostro & vnguibus totæ teguntur, Accipiter simulac pugnam animaduerterit, aduolat Noctuis opem allaturus, atque ita quodam naturæ consensu eis auxiliatur. Nam & Noctua apud Athenienses victoriæ hieroglyphicum fuit, de qua suo loco, quæ ad rem spectant, diximus.



Cur victoriæ symbolũ Accipiter.

SED minimè κῆ παρέργους puto ponere quod in quodam Canone Imperialiũ militiarum apud Maffæos Romæ vidi, militarem ordinem fuisse qui Accipitrem luteum in parma identidem lutea gestabant. Erant hi, qui Sagittarij Venatores nuncupabantur, qui sub Magistro peditum stipendia faciebant. Sed & alius ordo LAVNI nuncupati, insigne idem Accipitris lutei in parma identidem lutea gestabant, & sub eodem Magistro peditum merebant, eo tamen discrimine, quòd

Sagittariorum Accipiter caput in alam lævam vertebat, Launorum in dexteram. Iam de DIVI-DENSIBVS, Gallicana legione, quorum insigne erat cæruleus Accipiter, colore tamen dilutiore, vna cum Tauro, in ipsius Tauri commentario dictum inuenias.

CELERITAS.

DIODORVS per Accipitrem volantem, per quem alij victoriam interpretantur, celeritatem ipse significari tradit, propterea quòd in volatu sit omnium volucrum velocissima, vultque significatum ad res domesticas transferri, quæ citò fiant. Leges & Pterophoros apud Plutarchum, Othonis vita, qua locutione tabellarios intelligendum, quorum insignia forent surrectæ pennæ, ad celeritatem indicandam. Inde Iuuenalis:

Anxia præcipiti venisset epistola penna.

AER.

ACCIPITER ad hæc passis aliis figuratus, elementum aëris indicat apud Ægyptios sacerdotes. Atque adeò alæ pennatorum singulę aërem significant, vtpote solũ Auibus proprium, perinde ac aqua Piscibus, terra aliis atque aliis solum est. Animaduertendum verò, locum de pennis alísve corruptum esse in impressis Hori codicibus, legiq; debere, vt in manuscriptis exemplaribus antiquis, *περὶ τὸν ἀέρα*. Inde quædam desiderari, quæ ad aliud pertinẽt significatum. Sunt qui
Vetus quod, ventos ex ea specie significari tradant. Ventus autem nihil aliud est, quàm incitatus & fluens aër. Triclinius apud Pindarum Pelopis *ἵππους ὑποπλέους* velocissimos exponit. Sunt qui cœlestium corporum ortum hinc interpretentur. Nam quæ sidera super horizontem attolluntur, volucrium in morem surgere, & per immensum inane ferri videntur. Pennata verò apud Mercurium talaria, nimirum Homericum illud innuunt, quòd verba ipse volucria nuncupauit. Eâdem ratione Irin & aëripedem & procellipedem vocant, quæ deorum sit internuncia, vt apud Maronem legimus:

Irin de cœlo misit Saturnia Iuno.

ANIMVS.

SEDENIM cùm etiam animi signum sit Accipiter, facilè identidem celeritatis indicium esse potest, cùm animi celeritas omnem exuperet velocitatem. Sedenim siue victoriam, siue hanc quam alij ponunt alacritatem, ex Accipitre significari dixerimus, tantundem esse videtur.

SACERDOTIVM.

NEQVE quidem tabellarij tantum alas gestare iussi, verum etiam sacerdotes Aegyptij capita habuerunt aliis insignia: quod quidem gestamen ideò susceperunt, quòd Accipitri ex eo honorem habitum voluerunt, quem dictitabant librum olim puniceis literis perscriptum, Thebas ad sacerdotes detulisse, in quo quidem libro, qui cultus, quiq; honos diis deberetur, quaque ratione sacra plurima procuranda essent, notatum erat. Hinc eos sacerdotes à Poëtis nostris Cristatos appellari comperias, vt apud Martialem:

Linigeri fugiunt calui cristataq; turba,
Inter adorantes cùm stetit Hermogenes.

Habes honoratissime vir Accipitris hieroglyphica, lectionem non quidem tuo sublimi ingenio dignam, neque multiplici eruditioni tuæ necessariam, sed cultus & obseruantiæ in te meæ pignus. Neque enim is ego sum, qui putem te ex dedicatione hac mea vel minimum crescere, sed si illi locus apud te in angulo aliquo concedatur, sciam me laudis plurimum comparaturum. Vale. F

PIERIVS VALERIANVS
AD ILLVSTRISS. HEROINAM VICTORIAM DAVALAM PISCARIÆ PRINCIPEM, DE IIS QVÆ PER COLVMBAM, TVRTVREM, & Hirundinem significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXII.

MAGNI *omninò ponderis est Pindari, Lyricorum principis, dictum illud, alio quamuis numero, in hanc certè sententiam:*

Carmine res viuunt, carmina rebus egent.

Nã scriptor quãtũlibet elegãs & eximius, si vana & inania mãdare literis aggrediatur, putà purpura
Simiam

A *Simiam vestiat, nihil aliud assequatur, nisi vt omnibus sit derisui atque ludibrio. Si verò facta inclyta præclaraq; ab inepto imperitoq; scriptore celebrentur, neglecta statim turpiter exolescent. Hæc dum mecum reputo, honoratissima* VICTORIA, *tuamq; erga desideratissimum coniugem pietatem considero, illinsq; res præclarè gestas Musarum tuarum elegantia decorari conspicio fortunatissimum Principem appello, qui cùm tot ante annos è vita migrarit, per te quotidie reuiuiscat, clariorq; & illustrior euadat. Te autem non minus beatam, quæ materiam susceperas tam insignem, tam celebrari dignam, quæ immortalem gloriam tam illi sit, quàm tibi sine dubio paritura: ideoq; vestræ plurimum gratulor felicitati. An non ille egregiè felix, qui virtutibus omnibus heroicis ornatissimus, rebus tot tamiq; sapientissimè procuratis, glorioßissimèque confectis, post optima illa spolia tam præclara ad Ticinum parta, quasi splendidius nihil in posterum expectare posset, è vita migrans, vxorem te reliquerit tam piam, tam pudicam, tam doctam, tali præstantem ingenio, eaq; facundia & arte scribendi præditam? vt quantum ille rerum gestarum splendore illustris est, tantum tu scribendo, & vnum illum celebrando, clarissima passim habearis, in ambiguoque posueris, vtrum ille res illas prudentius feliciusve fecerit, an tu ea doctius & elegantius victuræ memoriæ commendaris. Magnificentius dicat fortè aliquis Artemisiam feciße, quæ marito celebrationis tantæ sepulchrum struxerit, vt inter septem orbis miracula nomen habere meruerit. At tu quotidie tuo Mausolea facis, quotidie nouas statuas ponis, quotidie columnas erigis, non quas temporis iniuria demoliatur aut perdat, sed quæ in animis hominum sitæ, nulla vnquam fortunæ temeritate labefactari possint, nulla vetustatis edacitate consumi. Quem referent Musæ viuet, meritò Poëtæ clamant, & è classe tua vnus, isq; summus, fabricas has eludens, exegisse se monumentum ære perennius, regaliq; situ pyramidum altius, gloriatur. Vincis igitur Victoria Artemisiam, quæ marito nullo non die monumentum aliquod excitas non ex marmoribus aut cementis, quæ aliquando fatiscere putrescereq; necesse sit, sed ex politissimis poëmatibus, quæ donec erit hominum memoria, summa cum*
B *vtriusque laude perdurabunt. Euadnem opponet alius, in qua vulgus maiorem quendam affectum charitatemq; decantat, quòd flammis iniecta mariti arserit. Imò superstitio maior ea fuit, ac perinde execrabilior, vtpote quæ vtrique acciderit perniciosa: sibi, quòd se ausu temerario tam atrociter dono vitæ priuauerit, isq; affligi pœnis voluerit, quas superi mortem sibi consciscentibus statuêre; marito autem, quòd manes eius non ea tantum morte tam miserabili mœstos reddiderit, sed vt de supplicijs etiam eiusdem, si quis apud manes sensus, æternum cruciaretur, effecerit. Altera huic non absimilis, P. Cornelia Annia, clara satis fœmina, quæ ne in desolata orbitate superuiueret, viuam se vltrò in arcam cum viro defuncto damnauit. Sedenim furor hic, profectò furor, non amor fuit; cuius vecordiæ testimonium vt transiret ad posteros, testamento etiam cauit, vt sacrificio super arcam Plutoni & Proserpinæ peracto, ea rosis exornaretur. Sed facessant exempla hæc à pietate institutisq; nostris alienißima. Longè glorioßius proferet se forsitan Alceste Admeti Regis coniux laudatissima, quæ mori ipsa pro mariti vita, quem fata sub hac conditione damnauerant, elegit: cuius mutua inter coniuges charitatis exempla, apud Romanos pleraque sunt memoriæ commendata. Tu non minori in coniugem tuum affectu succensa, mortem idèo non effectasti, quòd viuendo, viuum nobis maritum ingenij tui clarissimi opera repræsentas, &, quod admirabilius est, immortalem facis. Quinetiam dum viuis, eum, quamuis apud superos incomparabili fruatur beatitudine, tuæ tamen pietatis officiis, sensu nescio quo, rerumq; nostrarum, quæcunque illum tangit, cura, iucundiorem hilariorem; efficis, ac beatiorem. Cùm itaque insignioribus viduis, quæ anteacta ætate claruerunt, anteferenda sis, cogitaui ego ex hieroglyphicis lucubrationibus meis Columbam & Turturem tibi dedicare, vt commentarium hoc sanctißimæ viduitatis exemplar, non tibi, quæ testimoniis his non eges, sed mihi iucunditatis illius, quàm ex virtutum tuarum contemplatione percipio, monumentum sit, atque conseruatio. Tu quid fusci coloris Columba apud Ægyptios, quid*
C *Turtur sacris eorum literis significaret, & quæ veluti in comitatum accedunt, si adlibuerit, leges. Ego me satis animo feciße videor, si quam antiquißimi sacerdotes illi viduitatem quibusdam rerum imaginibus occultabant, nostro tempore per te prodire in lucem, & omnibus innotescere contigerit.*

DE COLVMBA.

PERSEVERANTIS CONTINENTIÆ VIDVA.

QVAMVIS multa essent apud Ægyptios & nationes alias Columbæ significata, illud tamen in primis continentissimis illis sacerdotibus admiratione dignum habebatur, quòd cùm animal alioqui procacissimæ salacitatis esset, lasciuiæque notam apud omnes ferè gentes contraxisset, incomparabile tamen exemplum continentiæ, summamque pudicitiam in ea deprehendebant, quòd marito fidem seruaret inuiolatam. Quare mulierem quæ vidua perstaret significare illi cùm instituissent, Columbam nigram pingere commenti sunt. Pudicitia siquidem Columbis prima, & neutri nota adulteria, coniugij fidem non violant, communémque seruant domum, quam nisi cœlebs aut vidua non relinquit, & quandiu marito priori viduata est, alij non copulatur. Si verò iussa sit à domino transire ad secundas nuptias, fidem eandem seruat secundo, qua se priori obstrinxerat, vt Propertius: *Nigra Columba.*

Exemplo

Exemplo iunctæ tibi sint in amore Columbæ,
Masculus & totum fœmina coniugium.

Idcirco Tertullianus in sua illa Monogamia hanc in exemplum trahit, nos ad simplicitatem eius prouocatos ea de causa differẽs, quòd ea auis non innocua tantùm sit, verùm etiam pudica, quam vnam vnus masculus nouit. Nigram autem illam Ægyptij faciebant, id scilicet indicantes, quòd ad secundas nuptias non transisset, sed atrata viri prioris desiderium præ se ferret: in luctu enim pullo vti colore, multarum gentium mos est, quamuis apud Romanos in Imperatorum funeribus vestibus albis, vt Plutarchus & Herodianus asserunt, vtebantur. Venetos autem Padanosq; omnes atratis vti vestibus, quòd Phaëthontis casum adhuc lugent, fabulosus idem Plutarchus ait: siue, quia niger color firmitatis & perseuerantiæ signum. Calores enim alij ex vno in alium transeunt, obscurioriscq; corporis admistione densiores fiunt: sed vbi ad nigrorem peruentum est, ibi consistitur. Aiunt verò nonnulli, non omnium hanc Columbarum naturam esse, vt pudicitiam ita custodiant suam, at earum tantùm quas Græci φάσσας vocant, pullis gallinaceis haud multò minores, quas ferunt trigesimum sæpius & quadragesimum etiam vitæ annum excedere. Cœlibatum verò quem alterutro eorum extincto coniux alter fideliter seruat, & Coruis & Cornicibus & Graculis communem esse perhibent. Columbarum autẽ oblationem in sacris Theologi ita accipiunt, vt coniugij tam firmi ratione habita, nos quoque mentem stabili firmitate perseueraturam Deo, vti vero coniugi, sociemus.

CORRECTIO.

SED & ille Columbarum pullos aut par Turtũrum obtulisse dicitur apud Adamãtium, qui aliquem absterruerit à vitiis & sceleribus, hortandoq; monendoq; ad animæ simplicitatem traduxerit. Tãgit hoc etiam Cyprianus, qui emissam ab Noë Columbam lapsorum imaginem præ se ferre commentatur. Sed his iam aliquantulum insistamus, cùm nequaquam Diuinæ literæ sint ab hoc argumento dissimiles, in quibus Columbam multipliciter figurari comperimus, ac perinde significata etiam variari. Sed hîc series exigit, vt priùs de fusca loquamur, de aurea atque argentea suo mox loco dicturi. Nam quę ad Noam Oleæ virentis ramum ore gestat, fusca ponitur à Prophetis, esseq; indicium perhibetur mentis, quæ à perperam factis iam abstineat, seque quieti dedat, hoc est, tranquillitati, quæ non nisi inde purgato à vitiis animo locum habet. Sub vesperam hæc reuertitur, deficiente quippe luce, quod tantundem est, ac si momentaneę, aut breui temporis curriculo duraturæ felicitatis diceremus. Sub vesperam, inquam, aduolat, ne occupetur à nocte, quippe ne intercipiatur à morte, priusquam infectum eluerit scelus, atque ita perpetui carceris supplicio afficiatur. Promissam enim esse veniam ei, qui paratus sit in posterum bene, piè & honestè viuere, & à quibus emerserit vitiis & voraginibus abhorrere, alio loco indicat vropygium auri fulgore illitum; de quo tamen apertiùs disputatur inferiùs. De Olea quoque, quæ sit misericordiæ signum, suo loco dictum.

Columba Noæ qualis fuerit.

ILLECEBRÆ AMATORIÆ.

QVOD verò sacerdotes Ægyptij per volucris huius simulacrum illecebras amatorias significarent, duabus vtriusque sexus Columbis sese inuicem exosculantibus addictis, ea de causa factum, quòd illæ non prius ad Veneris copulam, quàm ad osculationem deueniunt. Hinc legas apud Senecam Mæcenatis dictum illud, *Columbatim labra inferens labris.* Extant & Gallieni Imp. carmina satis luculenta, quibus lasciuiam huiusmodi per amatorium etiam murmur ab eis exprimi declarat eo in epithalamio quod ipse lusit, cùm fratrum suorum filios iungeret:

Ite, ait, ô pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura vestra Columbæ,
Brachia non Hederæ, non vincant oscula Conchæ.

Cur Veneri dicatæ Columbæ.

Ea autem de causa, quòd osculorum blanditias Columbę norunt, dedicatas eas Veneri, Græcorum plerique tradidêre. Cæterùm Atheneus ob id factum putat, quòd in Cypro Columbæ primùm repertæ indeq; ad gentes alias transmissæ: Veneri enim sacram esse Cyprum, omnes norunt. Propter verò salacitatem eam quæ notissima est in Columbis, Albertus non ineptè nomẽ iis inditum ideò putat, quòd lumbos colant; in Venerem quippe se vltrò incitent, ingenita nequitia stimulatæ, cuius sedem in lumbis esse, alibi disseruimus. Apollodorus quoque in iis quæ de Dis conscripsit, columbam Veneri sacram lasciuiæ ergò dicit, nomenq; illi Grecè ἀφροδίσιον, ἀπὸ τὸ ἀφροσύνης ἐρᾶν, quòd supra modum amori det operã, arbitratur. Sanè Siculi olim persuasum habuêre Venerem ab Erycis monte digressam, per dies nouem fato singulis annis tempore secessum colere, interimq; nullas toto eo tractu Columbas apparere: abire enim illas Deæ suæ comites, nonam verò post diem aduentare vnam reditus prænunciam, quæ Veneris templum ingrediebatur, reliquas mox vno turmatim agmine reuerti, atque hinc gaudio exultantes Venerem adesse profitebantur, diemq; eum hilarem, cantibus & iocis festiuum atque iucundum celebrant.

CHARITAS.

SANE quòd mutuis sese osculis Colũbæ suauientur, ansam dedit vt charitatem, amoris quippe pij

A pij virtutem, hieroglyphicè per Columbam nonnulli interpretentur. Et Apostolum citat Origenes, qui de charitate locutus Columbam protulerit. Eruditissimus etiam Cyprianus tam vitæ sanctitate quàm facundia clarus, in iis quæ aduersus Nouatianum pro vnitate concordiaque piorum omnium scripsit: *Idcirco*, ait, *& in Columba venit Spiritus sanctus, simplex animal, & latum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violẽtum, cuius ingenium est hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cùm generant simul filios educare* (ita enim legendum est, non edere) *cùm commeant volatibus inuicem cohærere, communi conuersatione vitam suam degere, oriẽ osculo concordiam pacis agnoscere, circa omnia demùm humanitatis omnem implere legem.* Noti sunt humanissimi Gallorum omnium mores, qui passim oscula tanto studio colunt, vt honori sibi ducant, quòd aduenientes hospes vxorem, sorores, filias etiamnum virgines osculo adhibito salutauerit, & in amplexum acceperit, & in gremium sibi assidere iusserit. Nam & apud Romanos olim licebat obuias quasque mulieres excipere osculo, quod ideò Cato institutum tradit, vt explorarent an mulieres temetum olerent: capitale enim erat Romanis fœminis gustare vinum, ideoq; ferunt fœminam, quæ sub Romulo vinum biberat, à marito impunè occisam. Apud Lacedæmonios oscula non concessa modò, sed etiam instituti Ludi, propositaq; præmia iis, qui seniores lepidiùs suauiarent. Nisæorum id inuẽtum, & à Megarensibus etiam in honorem Dioclis obseruatum. Nam & illæ Romanorum exosculationes, vt fœmineo generi honos haberetur, sancitæ sunt, vt apud Plutarchum legitur libro de claris Mulieribus, nempè quòd Aboriginibus in Tyberim inuectis, Roma quæ quam nomine inter mulieres quas secum adduxerant nobilis, author fuit vt classis absumeretur incendio, vnde coacti sint ibi sedem figere, quod cùm illis feliciter succesisset, eius generis præmia mulieribus detulerunt, quæ B auspicatissimi facti memoriam prorogarent. Ad hæc Nomadum asperrima rusticitas incessitur, quorum tanta fuit seueritas, vt ne filios quidem suos osculari entur. In Diuinis nostræ pietatis monumentis ipsum Assertorem nostrum legimus charitatem, vt ita dicam, frigidam in Simone hospite, quòd osculo non fuerit ab eo exceptus, exprobrasse. Et sacris Pontificiis Romæ ritu solenni per mutuas exosculationes pacis augurium celebratur:

Gallorum mores humanissimi, & aliorum.

Ipse etenim casta dum operatur mente sacerdos,
Oscula dat, quæ dent ille vel ille aliis.

AER.

CREDIDERE nonnulli Columbã ab Assyriis coli in Semiramidis gratiã, sed authores Græci in Rheæ potiùs memoriã, vtpote qui asserant, aërem & aquam potiores esse partes, in quibus ostentet se natura rerum, pariq; ratione abstinere eos à piscibus. Cùm verò volatile vnumquodque animal sit aëris indicium, Columbam præcipuè nuncupatione hac hieroglyphicóve veteres honestarunt, quòd domesticis alitibus nulla neque longius domo neque diutius abuolet, tecti tamen lariumq; memor summa fide reuertatur, & mansuetissima nobiscum consuetudine diuersetur. Obiectabunt Hirundinem alij, quæ trans mare etiam migret, ad sibi domesticam tamen sedem redeat, sed illæ nunquam cicurantur, neque vlla nobiscum cõsuetudine sociantur, siue ea potiùs fuerit huius honoris causa, quòd illi tanta sit cum aëre familiaritas, vt ibi tutiùs quàm humi versari videatur, tantaque sit eius volatus facilitas, vt Maro dicat,

Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas:

pernicissimus enim est eius volatus. Vndè Hesychius Columbam neque non Turturem hieroglyphica ponit hominis, qui mente sublimia quæque facillimè penetret, & contemplationi sit egregiè deditus. Meritò itaque Syri qui aërem vsqueadeò colunt tanta religione Columbæ pepercêre, quod ita tangit Tibullus: C

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta Columba Syro?

In numo sanè Cibyratico Columba cusa hanc loci religionem mihi videtur indicare. De vrbe hac Horatius:

Mumus Cibyraticus.

Ne Cibyratica, ne Bithinna negotia perdas.

In Cilicia ea est, quamuis & alia sit minoris Phrygiæ. In numo autem inscriptio est KYBIPA. Signum, *Columba volans.* Fuit & puella Phthia nomine, quam Iupiter fertur adamasse, eiusque formam in Columbæ speciem commutasse, traditum ab Æliano. Sed hoc nihil facit ad Ægyptiaca. Quod verò de Semirami dicebamus, addemus & illud ab ea deriuatum, vt Persæ matrum filiarumque suarum coniugia non abhorreant, vtpote quę filium ad stupri vsque consuetudinem adamasse fertur.

IMPIVS INGRATVSQVE.

QVIN hæc inusta est Columbarum generi nota, quòd eorum mas iam validior factus, patrem rostro impetit, & à matris consortio tentat abigere, eiusque coniugij locum occupare. Quapropter Ægyptij sacerdotes impium ingratumq; hominem, ac in eos qui de se bene meriti fuerint, perduellem, significare si vellent, *Columbum*, inquit Horus, *aut pullum eius, qui matrem solicitaret, facere consuerunt.*

CASTI

CASTITAS.

Palumbes vnde dictæ. SED esto lasciuum animal Columbinum genus, contrà Palumbes parcissimi coitus sunt, ideoq; quòd Parcant lumbis, Albertus existimat appellatos. Nam & qui frequẽtiori vsu eos in cibum sumptitare consuerint, in Venerem hebetiores redduntur; quare non inscitè illud de alitibus huiusmodi dictum:

Inguina Torquati tardant, hebetantq; palumbes:
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

SEMIRAMIS PROCACITAS.

QVONIAM verò, vti dictum, fama est Semiramin sub effigie Columbæ ab Assyriis coli, Gnidius scribit eam à Columbis enutritam, & in Columbam inde conuersam, qua specie colebatur apud Assyrios, id quod de petulca eius improbitate intelligendum est, tametsi quos Diodorus citat, eam & modestam, & nota admodùm integritate præditam fuisse prædicant, neque eam ignobiliter natam inficiantur, vtpote quæ circa stagnũ quoddã in parte Syriæ in crepidinẽ aquis prominentem proiecta, aliquandiu fuerit ab aquatilibus volucribus, quę apricatum eò se recipiebant, miro propemodùm studio educata, quippe quæ nõ solùm alimenta congererẽt iacenti, sed perinde eam fouendo, ac implumes pullos ab omni aëris iniuria protegerẽt, quoad pastores creberrimo volucrum concursu, insolitaque trepidatione moti, ex proximis insulis eò conuenientes iacẽtem extulerunt, alitamq; apud se diligenter Menoni, Regis Nini familiari, in vxorem concessêre. Sed-

Scaurobates in Semiramin. enim de famosa eius fœminæ procacitate Scaurobates Indorũ Rex apud historicos ita in eam inuehitur, vt pastorale scortum, vt Assyrij Regis cõcubinam fuisse proclamet, vt nullum egerit diem in castris sine adulterio, raroq; vllus ad eam adulter bis admissus fuerit. Satis verò constat tam immoderatę libidinis fuisse, vt Equum abominabili probro turpitudineq; adamauerit, authore Iuba. Eam sanè ob libidinis feruorem Euphorio ἡμέρην, hoc est, Ardentem appellauit, epitheto admodùm proprio, perinde ac Callimachus Venerem eo versu ἡμερὴς κύπριδος ἁρμονίην, id est, *ardentem Cypridis harmoniam*. Hanc Hieremias quoque Columbæ notauit elogio, cùm Babylonios Hebræorum excidio venturos vaticinaretur: *Fugite*, inquiens, *ab occursu gladij, quem Columba vibrabit*: per Columbam Babylonis conditricem & eius populi authorem innuens. Quòd autem vates hic fatidicus eam gladio insignem inducit, de feroci & impigro eius ingenio multa rerum scriptores tradidêre,

Semiramis facinus memorãdum. sed illud præcipuè facinus memorandum, quòd Nino Bactrianos obsidente, Menon hanc, vxorem quippe suam, accersiuit, quæ vbi primùm in castra venit, mulier acri ingenio Bactrianæ arcis situm contemplata, confestim viro rationem ostendit loci modico negotio occupandi. Erat arx ab vna parte præceps, atque in profundam vallem insigniter abrupta, quam hostes velut inaccessam, nullo præsidio custodiebant. Huc audax mulier cum paucis, quos sibi ad id facinus delegerat, per loca ab hostium oculis maximè auersa, atque eadem aspera & confragosa, præter spem omnium obrepsit; vnde cùm sese veluti cœlo delapsa hostibus (quorum oculos Assyrius, dum negotium conficeretur, subita oppugnatione ab omni sensu eorum quæ fierent longè auerterat) ex improuiso obtulisset, Bactriani omni spe retinendæ vlterius vrbis abiecta, alij aliò præcipiti fuga dilapsi, vrbem in regis arbitrio reliquêre.

REGIVM AVSPICIVM.

Columbarũ ostenta varia. ADNVMERANTVR verò Columbæ inter eas alites, quæ Regibus auspicia faciant. Hinc Maroniano Æneæ, Columbæ geminæ à matre in auspicium missæ. Et Cæsari originem inde trahenti prospero fuerunt ostento, cùm palmam eam nidis frequẽtare cœpissent, quam ipse castris locum capiens, inter syluas quas cædebat repertã, conseruari vt omen victoriæ iusserat: ea enim de causa mirum & inusitatum videbatur, quòd id auium genus duram & asperam frondem studiosè soleat euitare. Et eadem die qua natus est Diadumenus Macrini filius, Aquila ei palumbũ regium paruulum attulit, & in cunis posuit dormienti, receſſitq; sine noxa, quod dubio procul eum ab ineunte ætate Imperatorem futurum indicauit. Quinetiam aruspices dixerunt Alexandrum Seuerum futurum Imperatorem, consulti quid haberet auspicij, quòd anicula quædam, quo die natus est, matri eius huius generis aues obtulerit. Apud Hebræos legas, prædiuitum ac potentiorum hominum morem fuisse, Columbarum alas gypso illitas in summæ felicitatis signum summis tectis affigere. Hoc Euthymius.

A SE MINIME IRACVNDVS.

QVOD verò de bilis defectu in Columba paulò antè dicebamus, Ægyptij sacerdotes hominẽ natura ipsa nequaquam iracundum, qui tamen aliorum peruersitate cõmoueri posset, ostendere cùm volebant, Columbam pingebant vropygio surrecto, propterea quòd eã, vti dictũ, vel nõ habere bilem, vel si habeat, in vropygio esse tradunt authores veteres. Vnde Græci cùm mansuetudinem exprimere vellent, ἡμένη πελειὰς, hoc est, *quieta Columba*, dicere consueuerant; & πραότερος πελειερὰς, eodem significato. Quæ cùm porrò sit gregalium omnium mansuetissima, iudicata est

Purissima Columba. à Mose purissima, vt inquit Philo, veluti ex solitariis sola Turturdelecta, quæ in eo auium genere, tali omnes antecellit ingenio. Neque temerè Dauides abuolandi desiderio succensus, vt sese periculis eximeret, pennas sibi dari cupit, vt instar Columbæ volare possit. Psalmo LV. Columbam ponit

A ponit, non Aquilam, non Accipitrem, longè fortiores impetuosiorésque alites, nempè quia eadem prædita est mansuetudine, tractabilitatéque & simplicitate, qua Rex ipse insigniter pollebat. Puritatis huius meminêre etiam authores Græci, quin & osculorum, propter quæ sit Veneri dedicata, & quòd ea de causa Dis adoleretur, quòd fel in interioribus haudquaquam habeat.

TREPIDATIO.

ILLVD autem vulgatissimum est hieroglyphicum Columbam pro trepidatione ponere: nam & nomen illi apud Græcos τρήρων hoc idem significat, à τρέω enim deducitur, quod trepidare est. Et Poëtæ tam Græci quàm Latini passim in pauidis hanc vsurpant comparationem, vt Homerus:

αἵ τ' ὔβδην τρήρωσι πελειάσσιν θυμὸν ὁμοίας.
Hæ pauidis gressu similes abiere columbis.

Quam similitudinem Maro ita transtulit:

Præcipites atra ceu tempestate columbæ.

Etymologici enim τρήρων paronymon, non epitheton Columbæ ponunt.

SALVBRITAS.

CÆTERVM quamuis aliqua det impietatis exempla, nihilo secius inter animalia maximè pura recensetur, propterea quòd persuasum est eam carere bile, vti dictum: morboq; & pestilenti quantumlibet tempestate sæuiente, qui non alia quàm earum carne vescatur, contagio eiusmodi non contaminari. Quare si pestis vnquam debacchari cœpisset, nihil aliud in obsonium Regibus comparabatur, quàm ex Columba: quamuis Diodorus Vitulum alioqui & Anserem simplicem tantùm, eorum regum cibum fuisse contendit. Sanè Florentinus lib. de Re rustica pullos co- *Carnis Columbinæ victus.*

B lumbarum necessarios esse dicit iis, qui vires à morbo recolligunt.

MEDICINA PETITA A' DIIS.

CVM verò aliquem, medicina ab aliquo Deorum præmonstrata, à morbo conualuisse ostendere voluissent, Columbam, vel, vt scribunt alij, Palumbem (nam hæc etiam in auguriis aliquando confunduntur) lauri ramusculum rostro gestantem exprimebant. Ales enim ea quotiens ægrotare cœperit, lauri folio decerpto sibi ipsa medetur. Neque verò palumbes tantùm, sed & Graculę, Merulæq; & Perdices lauri folio annuum fastidium purgant. Coruus quoq; occiso Chamęleonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit. Vnde dicterium frequentissimum est apud Græcos, *Scipionem laureum gestare*, de iis qui in aliquas insidias lapsi, vitæ periculum feliciter euaserint. Medicinam autem multifariam ab oraculis petere antiquorum mos fuit, & suis quoque tem- *Prouerbiũ Græcorum.*

poribus petitam memorat Plinius: ille enim quotiens grauiori aliquo morbo correpti essent, soliti erant in triuiis aut sacris locis deponi, operiẽtes vel oracula, vel somnia, quibus quid ad sanitatem faceret, edocerentur. Præterea non contemnenda fuit veterum opinio quam Homerus sequitur, morbos ad deorum immortalium iram referri, meritoq; ab eisdem opem poscere necessarium esse. Philon Medicus pharmaca quædam summæ efficaciæ, quæ ipsemet concinnare solitus erat, θεῶν χείρας appellabat, quòd non aliter ad salubritatem conferrent, quàm si dij ipsi manus suas ad curationem apposuissent. Et Astrologi quosdam homines à geneſi eo fato nasci prædicant, vt votorum potius ope, quàm medicinis, ab ægritudinibus & morbis liberentur. Notũ est Alexandri Ma- *Exemplum memorandum.*

C cedonis exemplum, cuius milites plerique, & cum his Ptolemæus, cui postea Ægypti regnum obtigit, sagittis veneno intinctis ad Sami regnum, vel, vt alij scribunt, in Musicanis, cùm vulnerati essent, neque remedium vllum ad salutem inueniretur, Draconem in somniis, qui herbam quandam ore gestaret, oblatum regi, qui remedium sibi ex illa imagine commonstratum ratus, exquisita inuentaq; herba ea vulneribus adhibita, vel vt nonnulli tradunt, potionibus instillata, cunctos sanauerit. Solitum enim esse Deum Opt. Max. hac etiam ratione mortalium rebus ferre opem, & vt à dęmonibus quoque ferretur permittere, vt nostra nunc missa faciamus, ex multis veterum memoriis & Poëtarum testimoniis confirmatur. Nam quod pertinet ad Æsculapium, quem egritudinum causa consulebant, in agro Bellunensi Læbactiorum vico memoria est huiusmodi:

ASCLEP
IO. P. XE
LIVS PO
LIO MO
NITVS PO
SVIT.

Et Pannoniam à Norico à Bellunensi territorio proficiscentibus, Albæ Iuliæ monumentum offertur in hunc modum:

I. O. M. STAT
C VALERIVS
VALERIANVS
EX VISV P.

Multaq; huiusmodi passim reperiuntur. Quod verò traditum est à Poëtis, Homerus, qui somnium ab Ioue esse ait, Agamemnonem excitari facit ad præliandum, somno ab Ioue misso, Nausicaam à Pallade, vt in agrum progrediatur, quò susciperet Vlyssem, & multa passim eodem modo. Virgilius quoque hanc ipsam rem latissimè & hîc & illîc prosecutus, nusquam tamen pleniùs, quàm vbi de Latino loquitur:

At rex sollicitus monstris, oracula Fauni

Fatidici genitoris adit, lucosq; sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sæuamq; exhalat opaca Mephitin.
Hinc Italæ gentes, omnisq; Oenotria tellus
In dubijs responsa ferunt, huc dona sacerdos
Contulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosq; petiuit.
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
Colloquio, atque imis Acherontia affatur Auernis.
Hìc & tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes,
Atque harum effultus tergo, stratisq; iacebat
Velleribus, subita ex alto vox reddita luco est.

ANIMORVM FVTVRA FELICITAS.

Oracula diuina prosa nis adnexa, & eorum sensus hieroglyphicus.

SED quoniam incidimus in oracula, nusquam ego plura notis hieroglyphicis similia comperio, quàm in Diuinis nostrorum literis, ita omnia sensu mystico conscripta quæcumq; Moses, quæ Dauid, quæ Prophetæ reliqui diuino afflati spiritu protulêre. Talis est argentea Columba illa, cui aurum in dorso, posteriorem partem versus inductum. Significat quidem hoc, vt Theologi nostri interpretantur, instare à tergo aurum perpetuæ felicitatis. Nam quam quis quietem in humanis assequatur, quæ præ manibus sit, & ante oculos sita, eam per argentum, quo anteriores Columbæ E istius partes bracteatæ sunt, accipiunt. Longè autem pretiosiorem illam, quæ subsecutura est post obitum, per aurum à tergo illitum, intelligunt, si modò, vti superiùs monuimus, ante noctis tẽpus ad arcàm cum oleæ surculo reuertamur. Nam & apud aruspices profanos, feliciora tempora subsecutura indicatum est, ex aureo gibbo, quem sibi accessisse in tergus Domitianus Imp. paulò antè interficeretur, per nocturnam imaginem visus erat se videre. Eucherius Columbam illam argento illitam, cuius posteriora in specie splendentis auri radiabant, significasse ait, prima quæque in Diuinis literis argento fulgere, occultiorem verò sensum longè pretiosiorem veluti aurum rutilare, longaq; admodùm disceptatione rectè procuratum ostendit, vt illa sermonum, qui de Diuinis haberentur, castitas intemeranda à promiscuis cunctorum oculis, in abdito sepositа, suo quasi quodam velamine pudicitiæ contegeretur, cœlestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto ipsa suo diuinitas operiebatur. Nam quid aliud sibi vult: *Aperiam in parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar:* quàm hieroglyphicè sermonem faciam, & allegoricè vetusta rerum proferam monumenta? Et illud: *Iesus in parabolis loquebatur ad turbas*, nisi sermones suos mystico sensu conuelabat? Ita Prophetæ, ita Apostoli ab vsitato loquendi more recesserunt, facilia in promptu habentes, magna in recessu continentes. Quod ea de causa congruum fuit, vt sacra de Deo dicta à cæteris scriptis, sicut meritò, ita & specie discernerẽtur, ne illa cœlestium arcanorum dignitas passim & indiscretè pateſceret, sanctumq; canibus, & margarita porcis exponerẽtur. Ita consecrata vasa tẽpli inuoluta promiscuus populus ferret, nec tamen conspicerentur. Addam & illud, quod ab eodem Eucherio traditum in iis, quæ de formula spiritalis intelligentiæ scripsit: *Posteriora in diuinis incarnationem* (admisêre enim vocabulum Theologi) *filij Dei, quæ subsecutura esset, indicare:* eoq; spectare quæ per Angelum Moysi dicta sunt, *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris,* quia scilicet: *Patrem nouit nemo nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Atq; hæc quidem de Columbæ hieroglyphicis Theologi veteres tradidêre: & argenteam eam, purissimo scilicet candore spectabilem fuisse dicunt, quę supra caput astiterit Assertori nostro, dum sanctissimæ illi aspergini in Iordano tinctus initiaretur. Columbæ autem oculos habere, vt Canticorum cantico, ea intelligitur anima, vt tradit Adamantius, quæ diuinas literas non in superficie primoribúsque, vt aiunt, labris, sed ad intimum vsque sensum exquirit. Duabus hęc dum sedet, alis tegitur: iisdem nixa fertur in sublime. Volamus, cùm philosophica quadam morte separati à corpore, rapimur ad diuina: sedemus, cùm in amicorum conuentu atque consortio, de sobrietate, de temperantia, de modestia sermones varios commiscemus: cuiusmodi illi sunt qui nos quotidie monent, vt cum Columba pro cantu gemitum edamus, cùm scilicet quæ perperàm à nobis facta sunt expendimus: id procuremus, vt veluti Columba felle careamus, hoc est, iracundiæ amaritudinem à nobis amoueamus, vt Columba osculis inhiemus, quippe pacem ipsam vndecumque perquiramus, vt Columbæ gregatim volitemus, piorum scilicet conuentus candida simplicitate præditos frequentemus: vt Columba ex rapto viuere abhorreamus, nempe nulli esse iniurij, nulli detrahere, neminem offendere caueamus: vt Columba, cùm cibum sumimus, meliora grana secernamus, dicta quidem præceptáque ad institutionem & bonos mores facientia, à turpibus seligentes, ea gustare properemus: vt Columba cadaueribus vesci abominemur, affectus scilicet qui corpori sunt insiti, qui sensibus adblandiuntur, auersemur: vt Columba in petræ foraminibus nidulemur. Petram Christum diuinæ lectionis Magistri interpretantur, in cuius vulneribus & plagis nidum nostrum imponere debeamus, vt Columbæ iuxta riuos

Quomodo fiet homo Columbæ similis.

& fluenta

A & fluenta resideamus, vt vmbra Accipitris inspecta, si fortè impetum in nos fecerit, possimus eum commodiùs & expeditiùs declinare. Fluenta, riuos, aquam cœlitùs stillantem pro Disciplina poni, alibi dictum: hinc igitur lectionibus incumbendum admonemur, vt à mali dæmonis fraudibus ita nos faciliùs subducamus. Vt Columba geminos pullos enutriamus. Columbam amorem superiùs significare dictum. Geminos igitur amores educemus, vnum quo Deum piè colamus, alterum quo mortales alios ardenti quadam charitate prosequamur, quæ quidem si præstiterimus, nihil nobis ad bene beatéque viuendum est in posterum defuturum.

DE TVRTVRE.

PARVM Ægyptiis cognita Turtur fuit, nisi plura super ea tradiderunt, quàm legatur apud Horum. Sedenim minimè verisimile est, sacerdotes eos in vniuersa rerum natura toto vitæ tempore versatos, non longè plura ac penè innumera intellexisse, quàm ea pauciſſima, quæ, vt Plautus diceret, *fruſtillatim hìc & illìc conſpiciuntur.* Sed quoniam doctrina hæc prorsus extincta est, satis nobis fuerit, si quando corpus ipsum ab inferis reuocare non possumus, aliquam tamen rei vmbram ob oculos exhibere, siue ab Ægyptiis, siue ab Hebræis, siue à Græcis aut Latinis ea tradita reperiantur.

CONTINENTISSIMA VIDVITAS.

B PLERIQVE igitur continentissimam viduitatem expsimere cùm volunt, Turturem in aliquo ramo insidentem pingunt: ea enim coniuge vita functo, ita se ab aliarum volucrum consortio separat, tantiq; mœroris exempla exhibet, vt nunquam inde societatem inire cum alio quopiam patiatur, sed quod reliquum est vitę, absque coniuge in perpetuo cœlibatu degat, sola volet, neque in frondescenti ramo vnquam insideat, eaq; omnia faciat, quæ ad luctum spectare, & ad viduitatis ac solitudinis mœrorem exprimendum aptissima vel in homine videantur. Eiusdem est etiam mas continentiæ, qui nulli ampliùs fœminæ copulatur, sed in eodem comparis desidério perseuerat. quinetiam dum viui sunt, mas nullam aliam adit, quàm eam vnam, qua cum semel coniunctus fuerit, & identidem fœminam suum ipsa marem vnum tantùm agnoscit. Quod quidem ex eo maiorem affert admirationem, quòd nullus adhuc hominum neque quidem ipse Paulus, ausus est legem viduitatis præscribere: & tamen vna inueniatur auicula, quæ nos sponte in continentiæ moribus antecellat. *Audiant,* inquit Basilius, *mulieres ipsæ, vt animalia rationis expertia viduitatis honestatem indecoro iterati connubij anteponant, si hæc auicula, recordatione consortis, coniugium alterius abnuit, sua contenta solitudine.*

Hoc totum ad viduas spectat.

PVDICITIA.

APVD Hebræos ipsos omninò reperias Turturum par pudicitiam significare: siquidem, vt apud eundem Basilium habetur, in Circuncisione par Turturum aut duos pullos columbarum offerre mos erat, quod indicium esset pudicitiæ, ac vitæ continentis exemplum. Origenes porrò, siue ea Cyrilli fuerint, quæ in eandem prorsus sententiam plerisque locis & huic & illi inscripta reperiuntur, tunc offerre nos Deo muneri par Turturũ inquit, cùm mentem nostram Dei verbo velut vero coniugi sociauerimus, sicut hoc genus auium vnum atq; illud idem castum seruare coniugium dicitur. Addit alibi, Apostolos, cùm de castitate sermonem habent, eam per Tur-C turem quam memorauerint, intelligi. Diuinæ siquidem literæ per Turturem vnamquamque animam castitate præditam intelligunt, de qua Psalmo 82. dictum volunt: *Inuenisse eam nidum, vbi poneret pullos suos*, hoc est, Ecclesiam, piorum scilicet cœtum, vbi virtutum genus omne appareret. Turturis enim pulli pro virtutibus accipiuntur. Alibi diximus pudicitiam à Romanis velata facie pingi sculpíque solitam, & apud alios Testudini æquiparatam, quòd pudicarum est sese domi continere, & frequentia loca omnia declinare. Atqui Turtur in secretioribus & remotis à multitudine locis vitam transigit, aut deserta montium deligens, aut secreta syluarum à frequentiore auium aliarum cœtu sequestrata.

Par Turturum quid.

PROVIDENTIA.

OBLATIO verò Turturis & Columbæ in sacris literis significat, vt Hesychius exponit, hominem contemplationi deditum, qui munus offerat suum in scientia & mansuetudine spirituali: hìc enim opus est prudentia, vt non excedat legis consideratio circa res vanas occupata. Turturem quidem ponit, quia cognitionem atque prudentiam habet rerum, quas sibi necessarias fore viderit, ita vt eius exemplo exprobraretur populus Iudæorum, Hieremia dicente: *Turtur & Hirundo & Ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Columba autem munda est & simplex, præsentiæ sancti Spiritus index, quales esse oportet eos, qui diuinarum literarum contemplationi sese dedicarunt: quam quidem simplicitatem Iesus Assertor noster Apostolis ita commendauit, vt eos simplices esse debere sicut Columbas identidem admoneret, & beatos mundo corde plurimùm affirmaret. Ideóque Ezechias cùm neque altum sapere vellet, neque maiora se quærere paratus esset, *Meditabor,* inquit, *vt Columba.*

SALTATIO.

APVD Philippum illum qui sacerdotum Ægyptiorum lemmata quædam Græcè scripta posteritati tradidit, saltatorem hominem & tibiis deditum, per Turturem significari comperio, neque quicquam aliud: nam eam omninò tibiis mirum in modum affici compertum est, quarum etiam audita modulatione, dare eam motus incõpositos, & saltationem imitari dicunt: quinetiam eo cantu in insidias allici atque capi. Ad huiusmodi saltationem addemus, quòd Theocritus Idyllio cui Συεραισία titulus est, loquaciores quasdam fœminas Turtures vocat: illæ enim non ore tãtùm garrulitatem ostentant, verùm etiam caudæ motu, qua propemodum obstrepere videntur.

INTELLECTVS ÆTHEREVS.

AT in Diuinis literis Turtur intelligentiam, quæ à diuino Spiritu est, significat, ait Eucherius, eo Cantici Canticorum loco: *Vox Turturis audita est in terra nostra*, neque inficiatur idem de Columba dici. Sed Spiritum sanctum ex Columba tunc intelligi vult, quando, quæ de sacris literis disputatio commentatióque profertur, ea manifesta est & adaperta, tunc verò ex Turture, cùm res altis obscurísque mysteriis agitatur.

DE HIRVNDINE.

ET quoniam Hirundo, quam Hieremias dicit Turturi comitem itineris additam, in manus indicis, eáque non minus garrula quàm Turtur notetur à Theocrito, naturæ puritatem quandam secuti, significata eius superioribus duobus, priusquam abuoler, excipiemus, quæ sunt huiusmodi.

ÆQVALITAS.

AEGYPTII per Hirundinem in primis, quæ filiis suis cibum subministraret, hominem intelligebant qui liberis æquas hæreditatis portiones distribueret, neque non Principem qui se ciuibus æquaret suis, neque vllo vellet ornatu vel apparatu magis quàm reliqui sumptuosiore accipi. Hirundo siquidem mira filios alit æquitate, singulis cibum parem impartiens, ea adhibita diligentia, ne qui semel acceperit, bis accipiat, atque ita, vt par sit omnium sportula, procuret. *Hadrianus summè æqualitatis amator.* Æqualitatis istiusmodi adeò studiosus fuit Hadrianus Imp. vt in victu familiari Homericum illud obseruari voluerit, ne quis δευτὸς ἔασης indigeret: quoq; obsonatoribus nullum relinqueret peccandi locum, sæpe fercula de mensis aliorum etiam infimorum apponi sibi iubebat. Nihil enim ad conciliandos sibi populorum animos æquè principibus prodest, quàm æqualitatis ostentatio. Nam cùm potẽtia suapte natura odiosa sit, per moderationem maximè omnium euadit amabilis.

INSTITVTIO.

SVNT qui calathum cum pullis Hirundineis in aliquot veterum monumentis obseruatum, hieroglyphicum institutionis esse contendant, argumentúmque eiusmodi ad Osiridis & Cereris beneficia in mortales collata, referant, quòd scilicet ab iis & viuendi leges, & agri colendi præcepta receperimus, & æquo cum reliquis iure vitam degere didicerimus. Legifera enim Ceres est Poëtis, de qua plura alibi. Et apud Diodorum sacris Ægyptiorum literis, Osiris Iupiter, iustus, pater, dux, & consultor omnium habetur, quæ siue ad institutionem, siue ad æquitatem accommodes, omnia quadrabunt.

ARCHITECTVRA.

Hirundinũ in nidis construendis industria. STVPENDVM ædificationis hominem, quiq; ampla ædificia, vel etiam oppida condiderit, per Hirundinem, quæ nidum astruat, intelligi nonnulli volunt: ab Hirundinibus enim aggeres fluminibus opponere, muros construere, domos cæmẽtitias ędificare didicisse nos, qui de architectura scripserunt authores optimi tradidere. Operæpretium verò est spectare alitis artẽ & ingenium. Cùm nidum luto construit, stramento roborat ad lutarię paleationis normam: ac si quando euenerit vt luti copia non suppeditetur, ipsa se totam aquâ madefacit, mox volutat in puluere omnibus pennis, lutum ita contrahens, ne omninò illi materia desit ad fabricandum. Manifestum autem industriæ huius argumentũ in Heracleotico Ægypti ostio præstant vsque adeò tenellæ auiculæ, molem continuatione nidorum ita vaganti Nilo inexpugnabilem opponentes stadij vnius spatio, vt id humano opere perfici vix posse credatur, vnde mortaliũ primi, qui casulas ædificare cœperunt, exemplar non tantùm ad ædes, verùm etiam ad aggeres & munitiones construendas acceperunt.

PATRIMONIVM.

HAEREDITARIVM patrimonium ex asse filiis relictum, per nidum Hirundinem apud sacerdotes Aegyptios significare tradit Horus, hieroglyphico inde desumpto, quòd ab auium nulla nidus tanto labore, tanto studio, tam diuturnus, & posteris quoque vsui futurus ædificetur: nam si parentes intereant, eam adeunt hæreditatem filij, vel eam artem à parentibus edocti, vnde sibi necessaria comparare possint, norunt. Agnoscit hoc Basilius, vbi ait: *Nemo paupertatem deploret suam, neque is de sua vita desperet, actumq; iam esse de ipsa putet, cui nihil est de patrimonio relictum: non enim desunt artes & industriæ, quibus si nos exercere voluerimus, neque Hirundinibus deteriores esse, vitam commodè agere valeamus.* Huius verò hieroglyphici argumentũ ex eo desumptum scribit Horus, quòd vti superiùs dictum

dictum, Hirundo vsqueadeò filiorum commodis studet, vt vel peritura dum aqua perfusa, & puluere volutata capturæ periculum adit euidentissimum, nihilo seciùs sedem filiis paratura opus perficere conatur.

IMPLORATIO AVXILII.

INVENIAS apud Xenophontem (quisquis ille fuerit) eo libello, qui titulo De æquinocis circumfertur, per aues has in nido ore patente pictas, populos auxilium implorantes hieroglyphicè significari: nidus enim patriam, os verò adapertum clamorem & implorationem ostendit. Hinc illud in Ezechię Cantico: *Sicut pullus Hirundinis, sic clamabo.* Vnde admodùm eruditè Plautus Hirundines obiicit in somnium Demonæ, quas Simia solicitabat, qui sit filium statim penes lares suos in phano Veneris opem implorantem inuenturus: illa enim Hirundinum more quodammodo transfretauerat, & ad consuetas sibi sedes, domum quidem paternam, delata erat.

AMICVS INVTILIS.

APVD aliquos Hirundinem pro amico poni tum inutili, tum ingrato & perdifficili, cõperias, quippe qui moribus nostris, & familiaris vitæ rationi difficulter assuescat. Hirundo siquidem nostro magis quàm vlla alia volucris contubernio freta, diu nobiscum versata, nostra omnium maximè familiaris atque domestica, nullam tamen nobis vtilitatem affert, nunquam manuescit ciuratúrve. Proinde verno, hoc est, tranquillo aduentante tempore, nos inuisit, & quasi in officio futura præstò est: hyeme verò, hoc est, turbido cœlo instante, aduersaq; fortuna ingruente profugit: qua similitudine vtitur ad infidam amicitiam notandam, author Rhetoricorum ad Herennium. Eaq; de causa Pythagoras eas à testis ablegauit, id scilicet innuere volens, huiusmodi notæ homines euitandos, ac nullo pacto consuetudinem & amicitiam cum illis ineundam esse. Id quod & Plutarchus Symposiacõn octaua decade latiùs explicauit, quæ ne tam multa congeramus, breuitatis causa præterimus. *Nescit assuescere Hirundo.*

VERNVM TEMPVS.

ILLVD verò nulli non innotuit, Hirundines plures conuolantes à mari verni tẽporis indicium esse, cùm vulgatum sit adagium: *Vnam tantùm Hirundinem ver non facere.* Accedit huc Ciceronianum scomma in C. Verrem, vbi dicit: *Satísne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis sinu in prouinciam profectus est, Veneris nomine quæsisse videtur?* Alludit, inquit Asconius, ad nomen, quod Hirundo, quam Chelidona Græci vocant, Veris, id est, temporis verni sit amica: illa enim adulto semper veré præstò est, totamq; apud nos æstatem agit. Atque hoc illud est quod Horatius ait: *Cum Zephyris & Hirundine prima.* Et apud Aristophanem, Equitibus, φοιδες ἀχ ὁρᾶ ὦ φα, νέα χελιδώς. Apud Athenæum legas Rhodiis præcipuum fuisse morem sub tempus vernum Hirundinem inuitare, idq; χελιδωνίζειν dicebant. Apud Aristophanem Hirundo chlænam vendere, theristrum emere suadet: præteriisse quippe hyemem admonuit, adesse verò æstatem. *Scomma in C. Verrem.*

GARRVLITAS.

CÆTERVM D. Hieronymus & Cyrillus cum Aristotele consentientes, per præceptum illud Pythagoricum, ὁμοσοφίως χελιδόνας μὴ ἔχειν, abstinendum à commercio garrulorum & susurronum intelligunt, quam quidem sententiam corroborat Alexandri historia, quem cùm quiescentem Hirundo quædam magno garritu supra Regis caput importunè volitans interturbaret, Aristander Thelmisseus pro domesticis accipiendum, qui Alexandro insidias pararent, interpretatus est, quas tamen facilè deprehenderet, idq; garritum indicare, quod euentus postmodùm comprobauit, Alexandri Æropi, quem ex amicorum numero Thessalis equitibus præfecerat, consilio patefacto. Sanè κωτίλλη ἡ χελιδών Hesiodo, propter garrulitatem, vnde Poëta is κοτιλλᾶσα formauit. κωτίλλειν enim garrire est, eoq; cognomento ales hæc apud Anacreontem & Simonidem appellatur. Et Aristophanes, Ranis, Musæa Hirundinum vocat nugationem nihili, & quæ foliis leuior sit. Sunt qui super hoc D. Hieronymum impugnent, sed ij fabulosè potiùs, rhetoriceq; lasciuiunt, quàm quicquam sani afferant, præter ea quæ desumunt ex Plutarcho. Nos ex Nicostrato garrulitatem hanc notatam his iambis afferemus: *Præcepti Pythagorici explanatio.*

Εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ καὶ ἄκρως λαλεῖν,
ἦν τῆ φρονεῖν ἄδιάσημος ἡ χελιδόνες
ἐλέγομεν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.
Loqui si indesinenter, multaq; & velociter,
Prudentiam indicaret, vtique Hirundines
Fortasse quàm nos sapere dicantur magis.

LVCTVS ET QVERIMONIA.

ALII Pythagoricum idem symbolum interpretantes referunt ad tragœdiam, quasi triste omen, lugubreq; argumentum secum afferat Hirundo, quæ, vt apud Ioannem Grammaticum in Hesiodi Commentariis legimus, cùm priùs Philomela Pandionis esse, nunc Hirundo auis τηρεύς, φυσὶ, μὲ ἐξιάζετο. *Tereus*, inquit, *mihi vim intulit.* Nam quod nonnulli tradiderunt Philomelam in Lusciniam abiisse, idem author Procnæ, non Philomelæ id obtigisse dicit: ἐγὼ πρόκνη ὠνδὼν χρονίαι ἀπ' ἴτυν ὀδύρε). *Et Procne in Luscinam commutata Ityn deplorat.* Idem apud Ouidium habemus:

Sola virum non vlta prius mœstissima mater,
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Ita & Horatius Flaccus de Procne loquens, quamuis non expresso nomine, Luscinię tamen similem dicit:

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix auis & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quòd malè barbaras
Regum est vlta libidines.

Et Catullus eodem modo:

Qualia sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli.

Sentit idem doctissimus Probus in Bucolicis. Sed hinc alia oboritur quæstio, quoniam super eandem Hirundine dixerit Hesiodus:

Τόν δε μετ' ὀρθρογόη ϖανδιονὶς ὦρτο χελιδών.
Quem manè gemens Pandionis excit Hirundo.

Ὀρθρογόη exponunt interpretes, clamosa, non autem diluculò flens, cùm Hirundo tota clamitet die, non autem manè tantùm aut vesperi, veluti facit luscinia. Sed hîc quoque quantum pertinet ad cantus querimoniam & fletum, quæstionem mouet Proclus, Platonis nixus testimonio, nullam alitem dicens dolore affectam canere, quare quod Hesiodus de Hirundine ὀξυθρογόη scripsit, is ὀρθροβόη legendum censet, quæ scilicet matutinò clamet. Atqui nullo etiam teste scimus auem nullam afflictam canere. Sedenim haudquaquam leuiter, sed ex arte Poëta dixit Hirundinis loquacitatem lamentationem esse, fabulæ ratione habita, quæ de Pandionis filia fertur, cuius lamentationem paulò antè ex Io. Grammatico retulimus. Sed quonam modo Proclus lugere negat Hirundinem, cùm eam Pandionis filiam agnoscat? quóve modo ὀξυθροέη scribendum contendit, cùm non matutino tantùm, sed toto vociferetur die, diluculò verò haudquaquam magis? Sed vt ad Platonis sententiam conuertamur, ille nimirum, de auibus, quatenus aues sunt, afflictas eas non canere dixit: qui verò flebili quid Pandionis filiis attribuunt, ad eam, quę de iis fabula vulgata est, respiciunt. Verùm operæpretium est fabulam, quemadmodum apud Sophoclem digesta est, poëmate de Tereo, subtexêre. Pandiona quidem, ait is, Athenienssem filias habuisse Procnen & Philomelam, quarum Procnen Tereo Thraci in matrimonium collocarit, qui Ityn ex ea filium susceperit. Aliquo verò post tempore accidit, vt Tereus Athenas repetierit, Philomelam ad Procnen vxorem deducturus in Thraciam, quam in Aulide Bœotiæ defloruit, linguamq; eius abscidit, ne quid ad sororem deferre posset. Cùm verò hæc in Thraciam appulisset, historiam vt acta fuerat, acu pingit, remque ita omnem manifestat. Procne re cognita Ityn filium discerpit, patrique Tereo epulandum apponit. Hic verò vbi se filium absumpsisse cognouit, eas erat districto iam gladio interfecturus, quas Dei miserti, vt aiunt, in aues transmutarunt, & Procne quidem Luscinia facta, Ityn absumptum lamentatur, Philomela Hirundo, Tereus mihi vim intulit, assiduè clamat. Ille verò in epopem mutatus, ϖὲ ϖὲ gemens dicere videtur. Hæ cùm filium meum discerpsissent, eum mihi in epulas apposuerunt. Quare Proclus veniam antiquissimo Poëtæ dare potest, qui sorores infelicissimas, etiam aues factas, sortem quamque suam, quasi permanente præteritę calamitatis memoria, ita lamentari confinxerit.

Procli quæstio.

Terei fabula.

PEREGRINATIO.

IN coniecturis alioqui, habere se Hirundinis caput imaginari, peregrinationem significat: id enim earum auium præcipuè proprium, vtpote quę neq; quidem apud parentes degere soleant. Hinc Hirundo quæ in Pyrrhi tabernaculo nidum posuit, rerum quæ peregrè instituerat, irritum euentum ostendit. Indicauit id ipsum Cyro, quæ in tectis eius nidificauit. Quamuis Dionysio priori arcem relinquenti, cùm ibi nidularentur, reditum portendêre.

RESIPISCENTIA.

SVNT qui resipiscentiam per Hirundinem acu transfossam oculos indicent: ea siquidem si vulneratis oculis obcæcata fuerit, oculos tamẽ & lucem recuperare fertur. Cuius rei causam commentantur, imperfectionem quandam qua prædita sit, natura quippe nondum vires omnes subministrante: in pullis enim tantùm hoc euenire, quare si punctu læsi eorum oculi fuerint, superesse vigorem adhuc luminis, quem natura ipsa subministrat. Lumen autem pro Sapientia & cognitione poni, perinde ac pro imperitia & insipientia tenebras, vnicuique manifestum crediderim. Tertullianus addit, vti eam ad hoc chelidoniæ suę beneficio, cuius scilicet herbę succo pullorum oculos oblinat, atque ita visum restituat. Ne tamen nullus sit nobis ex Hirundine vsus, Cecinnam Volaterranum equestris ordinis virum, legimus comprehensas Hirundines in vrbe, secum in expeditionibus afferre solitum, quas postmodùm victorię nuncias amicis mittebat in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Vt minus iam illud admiremur, quod à Fab. Pictore traditum aiunt, cùm obsideretur præsidium Romanum à Iugurthinis, Hirundinem ablatam à pullis ad se mox cum epistola rediisse, vt lino ad pedes eius alligato, nobis significaret quoto die aduéniente auxilio, eruptio fieri deberet.

Vsus ex Hirundine, quis.

PIERIVS

PIERIVS VALERIANVS
AD ANGELVM COLOTIVM BASSVM, DE IIS QVÆ PER OLOREM, LVSCINIAM, PSITTACVM, ET ALIAS ALIQVOT aues significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXIII.

OPTIME quidem, doctissime Coloti, vt totius es antiquitatis studiosissimus, bonarumq; disciplinarum egregiè peritus, mecum sæpe de non contemnendis veterum scriptorum inuentis, quocunque scripta fuerint argumento disseruisti, etiam si non vsquequaque eorum enitescat eloquentia: quæq; ex diuturna & varia tam Græcorum quàm Latinorum lectione, & eorum etiam qui remotiora quædam literis mandauêre, de prodigiis, de somniis, de sacrificiis, deq; multis antiquorum ritibus & institutis collegeras, mecum communicasti, quæ licèt ex vsu iam recesserint, delectant tamen, & veterum scripta reddunt ad intelligẽdum faciliora. Præcipuè verò ea mihi placuêre, quæ de ponderibus & mensuris comperisti, quæ paucissimi hactenus perspexêre, licèt idem saxum voluere plerique ætate nostra conati sint. Hæc, inquam, mecum ingennè conferre, meaq; vicissim, qualiacunque essent, auscultare dignatus es. Quia verò videbas cogitationes meas ad materiam hodie, dicere possumus, intactam, vel parcissimè à nonnullis traditam, intentas esse, ad Ægyptiorum scilicet hieroglyphica studiosiùs anhelare, longamq; istiusmodi rei seriem iam instructam, non tamen absolutam, quam tamen quanta poteram festinatione vrgebam, vt quod angustia temporis inuidebat, industria & vigilantia suppleret, subinnuere visus es mihi, cupere te quam plurimũ, quæ super Olore conscripsissem inspicere: nimirum enim quod senio tuo tam iucundo, tam facili, tam vrbano atque festiuo conueniebat, poposcisti. Quare ego tuo huiusmodi studio delectationeq; perspecta, nihil contatus Olorem ad te misi: poëticam quippe alitem optimo Poëtæ cantatricem in senectute sua, suauissimam seni lepidissimo, qui ætatem iam grandiorem pari cum Cygnis harmonia traducit, Sophocleamq; secutus diligentiam, Musas cursu nunquam intermisso prosequi perseuerat. Subsecutæ autem sunt Olorem aliæ quoque eiusdem ingenij volucres, Luscinia, Psittacus: quinetiam nonnullæ earum æmulæ, sed præ raucitate sua mimæ illarũ potius quàm cantatrices, Pica, Larus, Miluius, Gryphus, & Coruus demùm. His omnibus necesse est caueam pares vnicuique suam, quia tua indigent saginatione: quæ quidem tibi haud quaquam grauis futura est, viro eorum, quibus alites meæ pasci queant, opulentissimo. Sed vt iocari desinamus, tu vale, & quantulumcunque id est quod exhibere potuimus, boni, vti solitus es, consulito, quod enim ab amicissimo profectum est, id & ames, & charum habeas necesse est.

SENEX MVSICVS.

AEGYPTII sacerdotes senem Musicæ studiosum per hieroglyphicam Cygni effigiem significare consueuerunt, quippe quem omnes eò suauiùs modulari ferunt, quò magis in senium vergit. Musicæ verò illi symbolo (vt hoc obiter interpretemur) compositissimos mores intelligebant, veluti in senibus mores ipsos compositiores, & sibi maximè consonos esse par est: de iis loquor, qui Colotio similes, sanctius instituti, vitam integerrimam, & à turpitudinibus alienam peregêre. Socrates porrò apud Platonem, Cygnos tum magis dulciusque canere affirmat, cùm se breui præsentiunt morituros, quasi lætantes Deo gratias agere videantur, quòd ad eum, cuius ministri sunt, migrationem parẽt. Addit, homines quosdam, cùm ipsi mortem expauescant, Cygnos quoque falso criminari, cantusque huiusmodi dicere doloris argumentum esse, quem ex aduentante morte conceperint, sedenim haudquaquam animaduertunt, in omni volatilium genere nullam esse auem, quæ vel in esuritione, vel in rigore, aut alio quopiam incommodo, quo se affectam sentiat, emoduletur, cantillétve, non Luscinam quidem ipsam, non Hirundinem, non Epopem, quarum cantum, & luctum & querimoniam esse fabulantur. Sibi verò videri neque quidem aues has, neque Cygnos præ dolore canere, sed quia Phœbo sacræ sunt, caq; lætitia concitatæ, forsan & diuinatione præditæ, alterius vitæ bona præsagiunt. Hinc M. Tullius Tusculanis quæstionibus *Cygnos*, ait, *non sine causa Apollini dedicatos esse, sed quòd ab eo diuinationem habere videantur, quia præuidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Omninò autem quod de morte narratur, falsis aliquot experimentis compertum est, tametsi Lucretius Poëta peruulgatam tangit opinionem, cùm eos nece detortos, ac anxiè cruciatos, liquidam lugubri voce querelam attollere ait ex vallibus Heliconis. In quo illud etiam animaduertẽdum ad hoc & Horatium & alios respexisse, cùm Poëtas Cygni symbolo nuncuparunt.

Quo tẽpore cantat Cygnus potissimum.

POETA.

NAM veluti Cygni senio confecti argutioribus, ob gutturis exilitatem organis affectis suauiorem simul & vocaliorem emittunt vocem, ita etiam boni Poëtæ, quo per ætatem magis profecerunt, scribere itidem solent elegantiùs & sapientiùs. Sic Oedipus Coloneus opus ea conscribens ætate, qua propter senium author desipere videbatur, à filio etiamnũ rei familiaris malè curatæ actus insaniæ reus, omnium quæ anteà conscripserat operum cultissimum iudicatum est. Et Isocrates (vt Oratores etiam huc admittamus, nam & id dicendi genus musicum est, & certis constat numeris) Panathenaicam orationem, omnium quas anteà scripsisset luculẽtissimam, post octogesimum vitæ annum elucubrauit. Sic Pontanus & Vraniam & Meteorica, Syncerus Actius poëmata pleraque, Aurelius Augurellus Chrysopœiam, & alij plerique ætate nostra bene literati viri eò suauiùs Cygneum hoc melos emodulati sunt, quo magis visi cõseneſcere. Sic tu Musas assectaris, quæ salis & lepõris plurimum præ se ferunt, denique omnia quæ ad eruditionem spectant, non ignauiter peruestigas. An verò Platonem dissimulare poterimus, quem annũ circiter octogesimũ agentem scribẽdo vita functum aiunt? Vt fabulosum minimè videatur, quòd Socratem perhibent per quietem existimasse nouellum se Cygni pullum inter genua tenere, qui plumis repẽtè sumptis euolauerit in sublime, ætheraq; omnem suauissimo clangore compleuerit; postridieque Platonem ab Aristone patre ei commendatum in institutionem, visoq; statim puero dixisse Socratem ferunt, eam esse auiculam, cuius imago nocte proxima sibi per somnum fuerat obuersata.

Senũ opera elegãtiora.

MVNICIPIBVS INIVRIVS SVIS.

SED, vt etiam attingamus Poëtarum fabulas, Cygnum aiunt hominem municipibus suis iniurium hieroglyphicè significare. Siquidem Olores in volucrum genere id habent peculiare, vt alter alterum depascatur, atque inter se morsus conuertant, vnde illum crediderim Pindaro *Inhospitalem* appellatum: id quod nescio qua æmulatione præstantiæ, in Poëtis præcipuè, & nunc esse, & fuisse semper, exploratissimum est. Nam vt ipsi aiunt,

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Adde quòd Melistus Euboicus auem hanc ita conuiciis plenam esse dicit, vt ea clamante, reliquæ aues quæ præstò sunt conticescere cogantur.

ANIMI CANDOR.

SED fuerint hæc improborum exempla, cùm ego bene literatos viros eò benigniores cãdidioresque semper expertus sim, quò magis & ingenio & eruditione pollerent. Pontanum aiunt omnium ingenia fouisse, de nullo vnquam etiam cum familiarissimis obloqui solitum. M. Antonium Sabellicum, quem ego per quinquennium audiui, tanto candore præditum agnoui, vt quia nulli vnquam detraheret, neminem carperet, neque manifestos quidem hostes incesseret, quos professionis initio, molestissimos inuidia homini comparauerat, & quòd omnes alba, quod aiunt, linea notaret, nõ emuncti satis iudicij plerunque retulerit notam. Talem fuisse Romæ Pomponium Lætum aiunt, qui licèt à multis iniuria lacesseretur, nunquam tamen ipse maledicendo calumnias propulsare curauerit. Talis apud nos Nicolaus Leonicus, talis tu, talis Iacobus Sadoletus, cuius nomen ætate nostra in Modestiæ appellationem abiit. Sunt itaque Cygni, qui verè literati sunt, qui benigni, qui nulla syncerum animum macula labefactarunt. Nimirum enim candoris est indicium Cygnus, quem omnes insignem memorant albedinis epitheto, ne λευκότην albitudinem vt Plautus, dicam. Ita apud Ouidium:

Eruditiores viri, benigniores.

Ad vada Mæandri concinit albus Olor.

Et, *candidior Cygnis*, apud Virgiliũ. Theocritus ea de causa θήλην κύκνον dixit, quòd fœmineus color plurimùm à candore commendari soleat. Albos autem esse à natiuitate Cygnos, ait Hellanicus,

GLORIÆ CALCAR.

IDEM verò Poëtæ hoc commune cum Cygnis habent, quòd gloriæ studio trahuntur, fauoriscq; & laudationis omninò sunt auidiusculi,

Nec petitur sacris nisi tantùm fama Poëtis.

Cygni quoque tunc suauiùs canunt, cùm Fauonius eos ad cantum visus fuerit inuitare: ᾄδουσι δὲ μᾶλλον ὅταν τὸν ζέφυρον ἐλαφρῶς ἢ ἐνδιῷ, ait Philostratus Phaëthonte. Sed longè venustiùs & pleniùs id recenset, vbi palustria & aquatica loca verbis pingere conatur. Ælianus quoque non canere eos ait, nisi flante Zephyro.

Quod

MVSICA.

QVOD quidem ideò repetendum duxi, quia si quis Musicam ipsam aptissimè describere voluerit, non aliâ libentiùs speciem imitabitur quàm quæ in hunc modum ab eo authore oculis subiicitur. Ex Oloribus verò qui vocaliores sunt, in ripæ margine, circulo quodam facto, sidunt, vbi argutũ nescio quid certandi studio videntur emodulari. Cantilenę verò signum videas puerulum alatum, qui ventus Zephyrus est is enim cantum Oloribus inspirat, & elargitur. Pingitur verò is delicatus, mollis, cuiusmodi est aura eius, quam libenter adeò captamus. Olorum verò plumæ identidem afflatu eo surriguntur, quippe quæ repercussu venti commouentur.

Zephyri pictura.

APOLLO FIDICEN.

APVD Card. Hippolytum Medicen alũmnum meum, signum ex marmore pulcherrimè ductum habemus, qui nimirum Apollo Fidicen est: læuam enim manum admouet ad lyræ iugum, ea Cygni dorso sustinetur, Cygnus ipse collo suauiter reflexo, rostroq; ad chordas verso, parem cum lyra videtur harmoniam emodulari. Dextera Dei dextro innititur genu, eaque plectrum continet; adiacet ibidem humi pharetra, vtpote signum, Deum ipsum non semper arcum tendere, sed aliquando tacentem Musam cithara suscitare. Et hæc quoque faciũt ad Musicæ significatum.

Pictura seu descriptio Apollinis fidicinis.

ORPHEVS.

SANE Plato Ægyptiacæ doctrinæ nunquam immemor, cùm felicem illam ciuitatem conderet, illic fermè ait Orpheum Calliopes filium, cùm à mulieribus fœdè discerptus excessisset è vita, homine, quod erat, derelicto, in Cygnum emigrasse mutata specie, vt qui insignis Musicus fuerat, Musicam itidem perseuerantiùs exerceret. Hinc locum mutuatus est Horatius noster, cùm in Cygnum abire se scribit ad Mecænatem:

Iamiam residunt cruribus asperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Supernè, nascunturq; leues
Per digitos humerosq; plumæ.

Et cùm piscium silentio vocalissimam opponeret harmoniam, ita de lyra canit:

O mutis quoque piscibus
Donatura Cygni, si libeat, sonum,

Platoni ea super Orpheo scribenti adsentitur Æneas Philosophus, qui quidem vbi ex Chaldæorum, Ægyptiorum & Græcorum opinione defunctorum animas euocari posse docet, Orphea Cygni specie euocandum ait. Quòd si quis Homerum euocare voluerit, oportere eum Lusciniæ formam indutum apparere, de qua paulò pòst.

NAVIGATIO SECVNDA.

CVM verò Cygni & aquis & Fauonio plurimùm gaudeant, in ὀρνιθογονίᾳ solis nautis, veluti Aquila tempestati, Columbæ Regibus dedicantur. Hinc illud apud Virgilium:

Ni frustra augurium vani docuêre parentes,
Aspice bissenos lætantes agmine Cygnos,
Aetherea quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare videntur:
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxêre polum, cantuq; dedêre:
Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum,
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.

DE LVSCINIA.

VELVTI post Orphea, ex antiquorum traditione, meritò succedit Homerus, ita post Cygnum Luscinia locũ tenet, quando, vt paulo antè dicebamus, Cygnus Orphei, Luscinia Homeri simulacrum est.

MVSICA.

NON immeritò autem Musicam, atque omnibus eam numeris absolutam, per alitis huius hieroglyphicum significari tradiderunt, siue multiplicem vocis varietatem, siue delectabilem suauitatem, siue pertinacem in ea continuationem admiremur, vt vna denique perfecta Musicæ scientia sonum moduletur, quẽ nunc continuo spiritu in longum trahat, nunc inflexo variet, nunc conciso distinguat, intorto copulet, promittat, reuocet, & ex inopinato infuscet. Quid cùm secum

Cur Musicæ hieroglyphi cũ luscinia.

cum ipsa murmurat, quàm plena, quàm grauis, quàm acuta, quàm crebra, quàm extenta modulatio? atque vbi visum est, vt sonus ipse vibrans, vt summus, vt medius, vt imus exauditur? omniaq; tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. quibus Musicæ leporibus enarrandis, cum Luscinia Plinius ipse contendere videtur. Vt iam Luscinias taceamus Græco & Latino sermone dociles, Druso & Britannico Claudij filiis, fuisse. Huic autem aui tam genuina, tam voluptaria est modulatio, vt, si Aristoteli credendum est, obseruatum sit eam pullos erudire. quòd si procul à matribus alantur, nõ ita suauiter, neque ita peritè canant. id quod tamen non mercedis neque gloriæ spe faciunt, quæ duo mortalibus ad augendam industriam calcaria potissimùm adhibentur, sed vnius delectationis gratia qua sese oblectãt. Quòd si qua vnquã auis fuit, ex cuius cantilenis homines Musicam excogitauerint, vt Chamæleon Ponticus arbitratur, nimirum Luscinia est, quam habuisse magistram neminem pudere debeat, dummodò vim in hac re alitis non ignauiter assequatur.

D

GERMINATIO.

GERMINATIONIS tempus nonnulli per Lusciniam indicant, propterea quòd auis ea cum primùm sylua frondibus incipit opacare, diebus ac noctibus quindecim assiduè canat, lætitiã testata, quã ex verni temporis aduentu præsentit. ab eo verò tempore canit quidẽ, sed nõ assiduè.

LVCVBRATIONES.

QVARE factum, vt qui eam vernis mẽsibus per totam ferè noctem dulci eo modulamine delectari obseruarũt, vigilantiam ex eius hieroglyphico, nocturnasq; lucubrationes significari dixerint. Nam nisi litterarum studiis summa inesset delectatio, mirificusque concentus, pro vniusquiusque ingenij captu, haud facilè reperias qui laboriosis vigiliis temerè velit insenescere, atque assidua mentis agitatione consumi. Cui quidem sententiæ fauet, quod Hesiodus ea similitudine, quam de Luscinia ab accipitre in altum rapta, miserabiliterq; conquerente, posuit. Per Luscinam, vt interpretes addunt, Poëtam causa modulationis intelligit, semetipsum scilicet, qui fuerat à iudicibus vexatus; per Accipitrem verò iudices, ob rapacitatem, qui Perſæ fratris largitionibus corrupti iniquè iudicauerant.

In literarũ studiis mirificus concentus.

E

DE PSITTACO.

PSITTACVM apud Ægyptios, de quibus aliquid habuerim, non inueni, sed authores, nationesque reliquæ, auem in humani sermonis imitatione omnium maximè admirabilem indictam minimè reliquêre.

ELOQVENTIA.

Præstantia vocis in Psittaco.

PER eius enim effigiem eloquentem hominem, qualem se negat Tullius reperisse, significabant, cùm nullum ex animalibus rationis expertibus articulatiùs humanas explicet voces, id quod ideò præstat, quòd linguam habeat latiorem carnosioremq;, & humanæ propemodùm similem: nam quæ angustam habent, literas proferre nõ possunt. Atque hanc verisimile est inter eas, quas Psaphon Libycus enutriuit & instituit, principatum obtinuisse: ille enim cùm alioquin vir esset perditissimus, & omni scelerum obscœnitate cõtaminatus, viam excogitauit, qua non modò se purgaret infamia, sed diuinos etiam honores post mortem assequeretur. Aues enim magno numero in seductum penetrale clausit, quas cicuratas, nemine conscio, docuit canere, μέγας θεὸς ψάφων, *magnus Deus Psaphon*: mandauitq; moriens, vt penetrale illud nulla interposita mora diſsectis fenestris patefieret, atque ita prouolantibus per vrbem totam, totúmque agrum auibus, *& magnus Deus Psaphon*, vbique Græcè concinentibus, factum vt sit creditus Deus, & templa sacraque illi fuerint instituta.

F

DE PICA.

EST & Picæ docilitas ad humana verba, sed quoniam nõ ita liquidè nec concinnè loquitur vt Psittacus, & quadam omninò raucitate sermonẽ obfuscat, præfractoq; sono syllabas enunciat, estque memoria minimè tenaci, vt nisi quæ didicit frequẽtiùs replicari audierit, facilè obliuiscatur, ideò non meruit, vt Psittacus, eloquentiæ titulũ sibi vendicarẽ.

GARRVLITAS.

Cur Bacchо Pica dicata.

SED pro garrulæ potiùs loquacitatis hieroglyphico posita est, quod & in rudis plebeculæ ore quotidie versatur, garrulos Picæ cognomento vocitantis: ea enim & loquacitate plurima, & assidua vocum mutatione insignis est, vtpotè quæ diebus ferè singulis diuersam emittit vocem. Cuius quidem garrulitatis ergò Baccho dedicatur, vt Plutarchus affirmat: dicacitate enim plurimùm

A plurimùm ebrij valent, *& arcanum demens detegit ebrietas*, atque, vt apud Horatium est,

Fœcundi calices quem non fecêre disertum?

Sedenim super hoc plurima apud Platonem in Legibus, vbi nullum tormentum, ad veritatem eliciẽdã, vino efficacius adhiberi posse differit. Mira sunt quę de Pica Plutarchus refert, quæ alioquin loquacissima, auditis Romæ buccinatoribus obstupefacta siluerit eueſtigiò, tantoq; ita silentio dies aliquot meditata, repentè quasi expergefacta omnem eum buccinarum sonum, harmoniam & numeros summa omnium admiratione reddiderit. In portentis quoque Pica sermonis significationẽ habet, vt ea quæ Ezelino in Feltrinos mouenti facta obuiam, & in eius humeros delapsa, indicium fuit, populum cui plurimũ in loquendo studium, ad eius authoritatẽ se nullo negotio collaturum; paulóq; pòst, anteaquàm mœnibus appropinquaret, affuerunt ab ea vrbe legati, qui se duci dederent, pacataque ad eius arbitrium omnia nunciarent. Nonnulli verò scribunt huiusmodi Picam militari signo insedisse, quam manu captam, & in augurij omen acceptam, Tyrannus ipse expeditionibus omnibus seriò circuntulerit.

Vinum tormentum dictum.

SIMVLATIO.

EST & mendacij siue simulationis hieroglyphicum Pica, vtpote quæ anteriore parte candida sit, posteriore autem nigricet, amicum scilicet purum atque syncerum affatu primo simulet, mox vel decipiat, vel eludat. De his Pythagoræ dictum aiunt, τῶν μελανέρων μὴ γένεσθαι, *minimè gustandum ex iis, quibus est nigra cauda*: non admittendos in amicitiam homines simulatores, & dissimulatores hypocritas. Quod verò facit ad mendacium, Tryphon Grammaticus ait, τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μελαίνεται, *mendacium quippe in extrema parte nigrescere.*

Dictum Pythagoræ.

B

DE LARO.

ET quoniam à Musicis elegantibusque volucribus in clamosas incidimus & importunas, Larum quoque nescio quid obstrepentem audiamus.

EXPECTATIONE FRVSTRATVS.

HOMINEM, de quo magna aliqua fuerit expectatio, quã tamen ignauiter sit frustratus, ostendere si vellent, Larum figurabant: illa siquidem clamore arguto admodùm cùm parturit vociferatur, partusque edit plumosos vtique ac apprimè pẽnatos, cæterùm carne admodùm exigua. Sunt qui hanc auem eandem cum Ceppho esse putent, prouerbio decepti quod circumfertur, λάρος κέπφος. Sedenim diuersam esse Larum alitem à Ceppho, inde mihi suspicio est, quòd Laro longè aliud est ingenium quàm Ceppho sit: Cepphus enim ad cibum tenuia quæque sectatur, vt etiam marina sit spuma contentus: Larus verò inter voraciſſimas numeratur, omniuorumque animal esse fertur, vnde sit à veteribus Herculi dicatus, quem helluonem maximum fuisse prædicant. Neque temerè Aristophanes, Ranis, Cleonem rempub. omnem deuorantem, Laron vocarit. Præterea Hesychius Hierosolymitanus, Larum ait esse auem quæ tam in mari quàm in terra versetur, & vtriusque partis cibo, quem plurimum & vndecunque perquisitum deuoret, enutriatur: perque eam piorum mensis Leuitico prohibitam, eos à Theologis accipi, qui circumcisionem simul venerabantur, & baptismum minùs aspernabantur, de quo Paulus, ipso diuinarum institutionum primordio restitit in faciem Petro, licèt ipse Timotheum, vtpote vno ex parentibus Iudæo genitum, circuncidisset. Eos demum homines alitis huius hieroglyphico indicari posse manifestum, qui vitam suæ libidinis arbitrio degendam instituêre, modò Iudæorum rigorem in Diuinis literis æstimantes, modò in iis tantùm quæ ad voluptatem suam faciunt, excusso legis iugo, omnia sibi licentiùs permittentes, Christianumq; dogma in eo tantùm sectantes, quòd de summi Dei clementia, plus quàm audere debeant, sibi pollicentur, mox perfractis vtriusque agonis carceribus, effusissimo cursu in Mahumetiam, aut si quid hoc perditius, libertatem, & vitiorum omnium campum effunduntur. Quod verò ad Lari vocabulum pertinet, cùm adolescens adhuc essem, Luciani opusculum *De iis qui mercede conducti aliena quadra degunt*, vt ea ferebat ætas, Latinum feci. In eo locus est, ἐπὶ χείρῃ τῇ ἀγορᾷ, εἰ θέλεις, καθάπερ ὁ λάρος ὅλον ἀφιχωῶν τὸ δέλεαρ. Illud, καθάπερ ὁ λάρος, *veluti Gauia feceram*, secutus Gazam, qui Laron Gauiam reddit ex Eucherio, qui vbi de Laro mẽtio est in Pentateucho, eam Gauiam esse dicit. Et ita reliqui, vulgatis Luciani codicibus in quibus λάεος habetur, decepti, modò Gauiam, modò Mergum traduxêre. Ita & ego, cùm alia nõ extaret lectio, quam præ manibus habebam, profitebar: sed posteaquàm Romæ in vetustum Palatinæ bibliothecæ codicem incidi, reperi loco hoc, καθάπερ λάεος, lectione longè castiore scriptum esse. Piscis hic est edaciſſimus, quem Lupum Latini vocant. De pisce autem & hami esca eo Luciani loco agitur, non de alitibus. Sed vt ad Larum nostrum reuertamur, versus Homeri est, τῷ ἐν τῇς ὀδυσσείας,

De Lari vocabulo.

Σθλατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς.

vbi Mercurij ornatus omnis scribitur: quem locum Maro Æneid. quarto totũ sibi desumpsit. Vbi verò de mutatione in hanc alitem agendum est, ita eloquitur:

Hinc toto præceps se corpore in vndas
Misit, aui similis quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos humilis volat, æquora iuxta.

Hic

Hïc Seruius. *Incongruum*, inquit, *heroico credidit carmini, si Mergum diceret*, vt alibi Ciconiam per pe- D riphasin posuit:

Candida venit auis longis inuisa colubris.

DE CEPPHO.

SED quoniam & Cepphus ipse suam habet significationem, quem is in hieroglyphicis locum teneat, videamus.

FATVVS.

CEPPHVS vbique hieroglyphicum est fatuitatis & stuporis, quo animal id egregiè laborat. Ferunt siquidem eum spuma marina victitare, cuius rei non ignari piscatores, spumas è littore collectas eminus proiectant, ita volucres ad escam allectantes, mox cominus, inde etiam manu porrigentes, facillimo eas negotio capiunt. Theodorus hanc Fulicam interpretari videtur, ea, vt arbitror, ratione adductus, quòd Arati carmina quædam Virgilius ad verbum ferè in Georgicis expresserit, atque vbi ille κέπφον, hic Fulicam posuerit. Arati carmina ita habent:

Καί ποτε καὶ κέπποι, ὁπότε δ' ὄιοι ποτέωνται,
ἀντία μελλόντων ἀνέμων εἰληδὰ φέρονται.
ποιμακιδὲς ἀγρίαδες νῆσαι, ἢ εἰν ἁλὶ δῖναι
αἴθυιαι χερσαίαν ἀνάσσωνται πτερύγεσσι. Virgilius ita reddidit:

Cùm medio celeres volitant ex æquore Mergi,
Clamoremq; ferunt ad littora, cumq; marinæ E
In sicco ludunt Fulicæ:

Proverbiũ. quòd verò vnà iungantur λάρῳ κέπφῳ in adagiis, geminatum esse opprobrium dixerim, vt, *lapis, caudex*, apud Terentium, & quod ad Mergum & Fulicam nostros facit, *scortatores, nebulones*, & alia huiusmodi apud Horatium.

DE GRYPHE.

EXIGERE videtur rerum series, vt qui ab olore Phœbea alite exorsi sumus, Gryphes identidem Apollineos subiungamus, tametsi quid hi sibi vellẽt, nunquam compererim apud Ægyptiorum hieroglyphicorum interpretes. Ægyptium tamen esse commentum Bembæa ostendit tabula, in qua Gryphes multis variisque formis cælati, & ea etiam quam fabulantur effigie conspiciuntur, passimq; in terra Græcia, & Italia vniuersa, quaq; Romanum olim Imperium extendebatur, in mysticæ huius Philosophiæ vsum figurati.

APOLLO.

HI siquidem auritum animalis genus, qui capita habent Aquilę, cætera Leonis, vt plerique tradidêre, & vt in ahenea Bembi mensa cernitur, cum alis ingentis admodùm magnitudinis, Apollinem indicabant, veteresque eos Apollineo currui succedere finxerunt, Grypheumque Phœbum hac de causa vocitatum à nonnullis manifestum est, quod ita tangit Claudianus:

At si Phœbus adest, & frænis Gryphas iugalem
Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe.

Gallieni numisma. Et in Gallieni numis Gryphes cusos inspicias, cũ inscriptione, APOLLINI CONS. AVG. Duo F verò animalia in suo quæque genere reliquis imperantia complectuntur, veluti Sol reliquis in cœlo micantibus ignibus imperitare, & luminis sui magnitudine vbertateq; reliquos omnes alere & illustrare videtur; meritò itaque sacris profanisq; rebus omnibus, aris, sepulchris, vrnis, tẽplis, publicis priuatisq; ædibus custodes passim adhibiti. Sunt tamen qui Gryphis figuram non, vt vulgò creditur, Leonina in inferioribus specie esse dicant, sed Equis haud absimilem, verùm quæ capita cum incuruis rostris Aquilarum more, sed ea aurita habeant: ita enim ab Aristæo Proconesio memoriæ super his proditum tradit Pausanias.

NASONES.

INVENIES aliquando Nasones, id enim nomen à nasi magnitudine est, Gryphos nuncupatos, quo quidem cognomento Syriæ Rex Gryphus Cleopatræ filius appellatus est: fuit enim is visenda nasi magnitudine præditus. Sed quid ego vlterius de Gryphis commentari pergam, cùm rerum scriptores dubitẽt, an huius imaginis animal inueniatur? Capite enim nono supra quadragesimum libri decimi Plinius sententiam attestatus suam ait: *Pegasos Equino capite volucres, & Gryphas auritos aduncitate rostri, illos in Scythia, hos in Aethiopia fabulosos reor.* Idem tamen quarto libri XXXIII. cap. apud Scythas ait aurum à formicis aut Gryphibus erutum. Sed hoc ait ex vulgatæ historiæ opinione. Nam illud Virgilianum, *Iungentur iam Gryphes Equis*, nihil aliud sibi vult, quàm euenturum vt ea, quæ minimè fieri possunt, protinus fiant; aëria quippe animalia cum terrestribus eidem iugo summittantur, quod natura minimè patitur. Sed, bone Deus, quorsum Hydra multiceps? quorsum triceps Geryon? quorsum tribus compacta feris Chimæra? quorsum Sphinges, & mõstra alia? nisi

De Gryphe Plinij iudicium.

A alia? nisi vt partium complexum ostendant, veluti ex verbo & diuersis nominibus oratio constituitur. Quare qui simplicium significationes rectè perceperit, facilè ad mixtorum interpretationem accedet; quæ cùm tibi, mi Coloti, cognitissima esse non ignorem, superuacuum duxi plura super his inculcare.

DE CORVO.

EINEM eram his nugis facturus, qui mihi videbar plus nimio tibi obstrepuisse, cumque coronidem ducere pararem, visus mihi sum crocitantem audire Coruum, quasi se quoque Phœbeam alitem venditaret, & in harum cõsortium admitti se quoque postularet. Non ineptum iudicaui, qui orsus essem à candidissima, desinerem in nigerrimam, à vocalissima in raucissimam, quòd sciebam antipathiã istiusmodi in naturæ rebus considerandis suam habere voluptatem. Tu igitur necesse est summittas auriculas, & quicquid crocitauerit, & quicquid contra aliarum auium morem fecerit, boni consulas.

FILIORVM EXHÆREDATOR.

CORVI autem figura hieroglyphicũ erat hominis qui liberos suos exhæredaret, abdicarétve, aut domo quoquo eiiceret modo: aiunt enim eũ pullos suos, simulac volandi potestatem assecuti fuerint, nido expellere, mox & regione tota interdicere, quòd vsqueadeò sit amans solitudinis. Faciunt hoc & subaquilæ, quarum greges vsquam difficulter inuenias. Authores nostri, qui rerum naturaliũ historiam conquirũt, magna ex parte scribunt, B Coruum pullos quidẽ parere, sed eos non alere, mœstitia scilicet affectũ, quòd eos, simulac excluſi sunt, pennis candicãtibus præditos aspiciat, ac perinde vix à se genitos arbitretur. Vtcunque, pro maximè laborantibus inopia, Psalmographus ait: *Et pullis Coruorum inuocantibus eum alimenta subministrat Deus.* Cùm enim ita fuerint tanquam adulterini, à parentibus destituti, vel rore cœlitùs distillante, vel minutissimis quibusdam animalibus, quæ nidos eos circumuolant, nutriuntur, in supremæ benignitatis summæque prouidentiæ diuini numinis argumentum. Eucherius hinc filios fideles doctrina cœlesti imbutos, ex infidelibus tamen parentibus genitos, indicari ex veterum Theologorum traditione commonuit.

Quare Coruus pullos suos non alat.

IMBRES.

IN auguriis Coruus, perinde ac Cornix, de qua dictum alibi, imbrium significationẽ habet. quare Nicander ita de Coruo: κόραξ τ' ὀμβρηέα κεφάζοις, vbi ait interpres, ὅτι χειμῶνα θελλόσι οἱ κόρακες καὶ φύλα κολοιῶν ὕδατος ἐκμυχίοιο δύσις σῆμ' ἐπέφυτο. Quem Virgilius secutus, de pluuiæ portentis ait:

--Et è pastu decedens agmine magno
Coruorum increpuit densis exercitus alis.

DISCORDIA MILITARIS.

LONGE autem diuerso à Cornice significato Coruus accipitur, quippe cùm ea, vt suo loco dictum, sit cõcordiæ signũ, vt pleraque Poëtarum elogia indicio sunt, Corui contrà futuram quandoque inter collegas discordiam ostenderunt, Aqui- C lam, quæ Augusti tentorio supersederat; duo numero insectantes, à qua & afflicti, & ad terrã deiecti sunt, cùm is ad Bononiam Trium virorum copias traduxisset, Philippo rerum exitum, qualis inde subsecutus est, præsagiente. Fuerunt & Alexandro Babylona iter intendenti, infausti ominis signum, Corui sublimi volatu se mutuò incessentes, quorum afflicti quidam, ac penè discerpti, in illius conspectu ad terram decidêre.

Coruli Aquilam insectantes.

EMANSOR.

ET quoniam in milites incidimus, est cur apud eos aliquantulum immoremur. Emansorem ex Coruo figurato significari, tam diuinæ quàm profanæ literæ docuerunt; quippe eum qui officium suum deserat, veluti miles ignauus, qui ad constitutum diem adesse iussus, domi desederit. Secundo Fastorum habemus, Phœbum, cùm Ioui sacrum facere instituisset, Coruum qui aquam *Fabula de Coruo.* de viuo fonte afferret, præmisisse, qui cùm insedisset fico quæ acerbos adhuc fructus haberet, tamdiu moratus est, quoad maturi fierent; inde pastus Anguem corripit, quem ad Apollinem defert, eum aduersarium causatus moram iniecisse, ne aquam haurire potuerit; quem Phœbus cùm mendacij redarguisset, Coruum inde damnauit, vt quamdiu ficus lacteus esset, aquam de nullo fonte biberet. Atqui multis antè seculis Coruus in Diuinis literis contumaciæ huiusmodi nota inustus est: præmissus ille siquidem ab Noë ipsa ex arca, vt pacata ne res essent exploraret, circa sordes desinentis diluuij desedit; quod quidem, vt Hierosolymitanus Hesychius philosophatur, signũ fuit futuros homines, qui admissi ad sacra, sublimisque scientiæ mysteriis initiari, animo postmodùm

inconstanti, qui sub fuscarum pennarum veste delitescebat, præclara incœpta ignauiter frustraturi D
essent, institutionis probæ sanctæq; consortia derelinquētes; vt inter Domini discipulos Iscariotis
filius Iudas tam turpiter quàm flagitiosè defecit à Domino. Sanè Cyprianus ad Nouatianū, Cor-
uum hunc emissum à Noë, neq; reuersum, quòd ad cadauerum pastum se cōuerterit, hæreticos in-
dicare ait, qui secedentes ab Ecclesia, ad meliora, ad membra quippe sua redire minimè curant, sed
cum immundo grege perpetuis sordibus volutantur. Has volucres Abraham frumēta depascētes
abegisse dicitur, vnde nomen meruit Abactoris, nimirum indicaturus futurū, vt is Assertoris libe-
ratorisq; nomen assequeretur, qui prauorū hominū collegia summoueret, qui impios tolleret, qui
de sacris literis, quæ animorū pastus sunt, malè sentiētes opprimeret. Ita Samson, vt Hieron. quin-
tis supra vigesimis castris Hebræorū ait, à fructib. suis aues abegit, Vulpes quę vineas exterminabāt
in vincula cōpegit, interfectoq; Leone illo rugiēte, in eius mox cadaueris ore fauū mellis inuenit.

Coruus emissus à Noë, nec reuersus, hæretici.

IGNOMINIOSA REPVLSA.

PER hominem Coruis obiectum destinatúmve, aut quid aliud ita expositum, id hieroglyphico manifesto intelligimus, quod ignominiosè repulsum fuerit, è conspectuq; summotum. Et quoniam, dæmone malo nihil magis abominabile, nihil contemptius, neque abiectius, Euchierius monet eum ipsum in Diuinis literis per Coruum intelligi, eo apud Salomonē loco: *Effodiant eum Corui de torrente.* atque hinc prouerbiū, apud Græcos Comicos vsitatissimum, ἐκ κόρακας. Sed eruditè atq; copiosè alij de prouerbio. In iisdem Diuinis literis Psal. xxvi. legitur apud Græcos, μὴ συναπολέσῃς με, quod nonnulli ad huiusmodi prouerbium trahunt, verbumq; συναπολεμίζομαι, Suidæ agnitum dicunt, eo ipso Dauidico citato versu: & ignominiosæ repulsæ mentione facta, Latini simpliciter, *Ne repellas me*, reddidēre. Sedenim Euthymius innuit posse id verbi ex metaphora scoriæ desumi: nam scoria spurcitia illa est, in omni metallo, quæ tanquam fæx, nulli vtilis operi proiicitur, indeq; fieri συναπολεμίζειν, contemnere, & nomen, συναπολεμισμὸς, contemptus. E

Prouerbiū.

RHETOR.

SVMVNTVR etiam hieroglyphica de celebris alicuius viri nomine, veluti à Corace rhetore, qui post Hieronis obitū primus Rhetoricā Syracusis docuit: propter cuius celebritatē Metellus Diodorum rhetorem, quo magistro vsus fuerat, iam defunctum honoraturus, Coruū lapideū eius sepulchro imposuit, quasi antiquissimo illi Coraci similem indicare vellet. Cæterùm Cicero rem falsè detorsit cauillatus, in Metellum, rectè eum fecisse, propterea q; discipulū non dicere, sed volare docuisset, incōstantiam scilicet Metelli, qua malè audiebat, eo scōmate perstringēs.

Diodori sepulchrum.

APOLLO.

QVOD verò Coruus hieroglyphicum Apollinis haberetur, nonnulli ea de causa factum existimant, qua Caper Baccho, Sileno Asinus datur, & eadem ratione in antipharmacū aliis alia. Inauspicatissimum, aiunt, animal, auspicatissimo oraculorum authori meruit immolari. Sedenim aliud est, hostia hac vel illa Deo cuipiam facere, aliud specie sua Deum ipsum explicare: nam hoc modo dicimus animaliū figuras esse huius vel illius hieroglyphica, quorum figura posita Deus statim suus intelligatur. Igitur alij dicunt, propterea quòd mediis æstiui temporis feruoribus, Solis beneficio fretus, pullos excludat suos, quod præter aliorum animalium naturam Coruo datum, peculiare aliquid sibi cum Sole intercedere significat. Inde legere est apud Petronium:



F

Causa ob quas Coruus Soli dicatus.

Si contra rerum naturæ munera nōtæ,
Coruus maturis frugibus oua refert.

Sedenim cùm Porphyrius dicat libro *De abstinentia carnium*, colorem nigrum Soli dedicatum, quòd eius calore humana etiam corpora fuscata nigrioraq; reddantur, sitq; Coruus inter aues maximè niger, manifesta est causa cur is Apollini sacer habeatur. Porrò Brachmanæ colorem atrum in primis venerantur, propter Solem omnia denigrantem. Iam & Salomon rem egregiè nigram ostensurus Canticorum cantico, *Crines*, ait, *eius vt abietes, nigri sicut Corui.* Auem autem eam Apollini priùs familiarē fuisse, neque non insigni candore præditam Apollinis mox indignatione, q; ad se dilectæ Coronidis crimen detulisset, in eam nigritiam demutatū fabularum scriptores, Hesiodum secuti, meminēre. Sed Artemo Pindarum commendat, qui, in Pythiis, dissimulata quæ de Coruo fertur historia, Apollinem ipsum scripserit per se Ischios & Coronidis furtum deprehendisse. Anaximāder in Horoscopicis libris Apollini sacrum ideo Coruum facit, q; solus inter omnes aues vocum significationes, quas accuratè admodùm augures obseruarint, habeat. Addam & illud, nigrorē ita Coruo ingenitum esse, vt ad intinguendum capillum, nihil eius ouo dicatur efficacius, & nisi inter tinguendum ore oleum contineatur, dentes quoque ita nigros effici, vt mox vix possint elui.

Coruum

A

SITIS.

CORVVM superiùs siti damnatum ab Apolline dicebamus, ideoq; hieroglyphicum esse incommodi eiusmodi, eaq; de causa Nicandrum scripsisse, frequentiores eius alitis crocitatus venturæ pluuiæ indicium esse. Sedenim Corui natura ipsa siticulosi sunt per sexagenos prēcipuè æstatis dies, quibus ventris profluuio laborant, vltroq; potu abstinent, vt incōmodo illi obuiam eant, aluumq; sistant. Quare si consilium eius animalis pensitemus, Sobrietatem conuenientiùs quàm sitim, hanc vocitabimus.

Siticulosi Corui quādo.

IMPOSTVRA.

NON possum loco hoc dissimulare, quàm aptè quispiam impostorem per Coruum ora saxum tenentem, & vnam appositam significarit. In Libya siquidem siticulosa admodùm regione, viri aquā, quam de remotis admodùm fontibus aut fluuiis attulerint, in fictilia vasa ad hoc comparata distribuunt, quæ alioquin ventre sunt admodùm capaci, ore tantum patent quantum satis est ad gallinaceum ouum recipiendum, eaq; minus obturata, ad captandum nocturni aëris beneficium, per summa domorum tecta disponunt. Corui rem intelligentes, non data alterius aquæ copia eò conuolant, immissisq; in vrnas capitibus humorem sorbillant, qui simulac deficere cœperit, lapillos conquirunt (quod Plutarchus se vidisse affirmat) quos afferentes in aquam subinde deiiciunt, atque ita surgente in dies humore, siti consulunt suæ. Idem scribit de Cane, qui lapillos in amphoram olearíam coniiciebat, B donec oleo redundante lambere arbitrio posset suo. Dicet aliquis, Philosophum hinc aut Geometram significare potiùs, quàm sycophantam, quia rerum plenitudinem, mutuamq; corporum inter se repugnantiam atque cessionem cognoscant, natura ipsa docente, & Coruus & Canis, & qui maiora etiam de intellectu suo miracula profitentur, in hoc autem probè norunt necesse futurum, vt in corporum conflictu alterum alteri cedat, eam quippe intelligant rationem qua coronæ illius sacoma deprehenderit Archimedes, quā Hieron Syracusanorum rex faciūdam locauerat, de quo latè apud Vitruuium. Ego verò ipsa edoctus re, impostorē potiùs ostendi ex huiusmodi hieroglyphico dixerim. Fuit siquidē mihi Romę famulus natione Gallus, patria, vt ipse aiebat, Virdunēsis, Rolandinus ille, quē probè noueras Coloti facetulū, & morionem non sanè illepidū, & cumprimis officij memorem sui, cuius opera vtebar plurimum in scribēdo. Allatus ad me Venetiis fuerat vini Cretici cadus generosi admodùm atque suauissimi, iussi, vti mos est talia nō credere famulis, diligentiùs asseruari, amicis aduenientibus potiùs quàm mihi vsui futurū, interdū tamen vnciatim minimū quid hauriebatur, intermonebat subinde famulus nectar (sic enim ipse vinū id appellitabat) facilè, si parcere ita pergerem, in massam obdurari posse, atq; etiam lapidescere. Putabā ego de firmitate dici, quam vinum indies veterascens acquirebat, atque, *Bene sanè* respondebam. Quid autem? venit æstas, visumq; est cadum, ne conciperet æstum, loco dimouere, cumq; in commodiorem cuppam transferre vellē, vix duobus inde sextariis effusis, nihil amplius effluebat, ipso tamen pondere permanente. Quid sit miror, operculum supernè tollo, introspicio, rem immisso intrò digito peruestigo, atq; ecce ibi vim glareæ ingentem quanta nux iuglandis est magnitudine, ad summum vsque cadum aggestam, quam non in cuppam, sed in vimineam corbem transfundere necesse fuit. Ita astutulus ille veterator quotidie aliquid subducebat, & ne tubulus, qui paulò infrà cadi mediū C immissus erat, aliquādo rem proderet, ad exhausti vini modum lapillos eos, amoto supernè operculo, qua liquor infundi solet, immittebat, oppletoq; ita calculis cado, vt nullum ampliùs infarcire posset, satis iam colluctatus, non expectato vt res propalàm fieret, domo emigrauerat. Atque hæc certò mihi videtur, quę verissimè dici possit impostura, tot per tres continuos menses lapillis subducti liquoris loco fraudulenter impositis. Sed agnosco, mi Coloti, Parioniam loquacitatem, quam tamen ita auribus tuis familiarem scio, vt post tot auium clangores eam imitari non erubuerim, tua quippe fretus beneuolentia, quę dictionem meā longius protraxit, quàm tuę postularent occupationes; itaq; omnia boni consules, & vt tuus est mos, næuo etiā in animici articulo delectaberis.

Historia de Coruo, ex Plutarcho, & eius hieroglyphica explicatio, cum exēplo famuli nostri authoris appositissimo.

PIERIVS VALERIANVS AD NICOLAVM

Cordatum nepotem Iurisconf. de iis quæ per Pauonem, Gallum, Gallinámque, Gallinaginem, Anserem, Perdicem & Coturnicem significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXIIII.

PERQVIRENTI *mihi, cui magis cogitationes meas, quas de Pauone, Gallo, Gallinaq;, Gallinagine, Anſere non nostri generis, Perdice & Coturnice ex sacris Aegyptiorum literis in hasce nostras misissem, dono darem, Cordatissime Nepos, ex meis te potissimùm delegi, cui hæc familiariora gustu ex clientum nostratium, & præcipuè externorum muneribus, qui his vel quotidie ædes tuas frequentant,*

& veluti superpondia ad te deferunt pro tuis responsis in personarum & fortunarum suarum tutelam, vt grauioribus illis veræ (ni fallor) Philosophiæ studijs delassatus, te ad harum lectionem quandoque transferas, moxq; tibi & amicis tuis lautiores mensas pares exhibeas, qui his optimè saturati, ex earum indiciis seu significationibus te referente secunda veluti cœna animum pariter pascant & oblectent, conferantq; quantum hæ his salsamentis sapidiores epulæ, & quotiens ad huiusmodi discubuerint, & palato & animo simul faciant satis, quas etiam Petrulo nostro propinabis, quem iam videre videor discumbentem, & supra ætatem maiora satis audentem, cui Dij tutelam fortunent. Reliquum est, vt & tu de tuarum reliquijs mihi communices: sin minùs (quando plures non flagitem quàm præstare possis) præscriptis verbis tecum experiar. Vale.

IVNO.

Iuliæ Piæ & Faustinæ numus.

IVNONI Pauo præcipuè dedicatus erat, Deamq; ipsam nonnulli solo Pauonis hieroglyphico intelligebant. In Iulię Pię Felicis numo signum Iunonis est cum hasta & patera, Pauone iuxtà appositò, cum inscriptione, IVNONEM, casu quarto, quod lectu rarũ est. In Faustinę verò numis idolum identidem est cum lancea & patera, à cuius pedibus Pauo inscriptio est, IVNONI LVCINÆ. Iunonis autem auem esse hanc, eiusq; currui succedere nonnulli ideò confingunt, quòd Iuno dubio procul opulentiam significat, ea verò cùm exponitur spectanda, omnium in se oculos contrahit. Verùm ideò Pauones Iunoni consecratos putat Athenæus, quòd huiusmodi aues in Samo insula priùs repertæ fuerint, indeq; ad gentes alias delatæ: sacra enim apud veteres fuit Iunoni Samos, & in Samiorum pecunia impressus Pauo, vt idem Athenæus author est. Spectabatur & Mycenis Pauo pulchritudinis admirandæ, in æde Iunonis, quam Hadrianus dedicauerat.



E

DIVITIARVM TVRPITVDO.

Dicti Theophrasti.

CÆTERVM plerumque diuitiatum finis in turpitudine consistit, taleśq; sunt Pauonis pedes, quare Theophrastus super hoc sapienter dixit, τὰ ἄλλα θεῖνωδι, cùm admonere vellet, in speciosa rerum ostentatione etiam alia circumspicienda perserutandaq; esse, quasi multa turpia & fœda visu dictuq;, sub tam formosa specie delitescant. quod Theophrasti dictum ita Horat. expressit:

Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota,
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

Huiusmodi sunt apud Lucianum tragœdiarum libri, cocco, purpurâ, auro, argentóve foris amplificè decorati, intrò verò simulac inspexeris, nihil lætabile, nihil deliciosum deprehendas, sed adulteria infanda, incestus, sacrilegia, turpissimas cædes, & omne scelerum & impietatis genus: ὑψοχεῖ enim, vt antiquus Phocylides ait, πάντως πλεῖστον, ἢ ἐς ὕδρις ἀέξει. *Diuitiæ elatum faciunt, scelera impia adaugent.* Argumentum autem huiusmodi ἱερογλυφικῶς exprimere qui voluerit, aperè Pauonem cauda passa, vnóque elato pede ostentatóque figurabit.

DIVITIÆ VICISSITVDINARIÆ.

AST hominem qui modò diuitiis affluerat, modò rerum inopia premeretur, varioq; euentu fortunæ volubilitatem iacturis & donis experiretur, significare qui vellent, pro hieroglyphico Pauonis tantùm caudam facere consueuerunt: caudam is siquidem singulis annis cùm primis arborum frondibus amittit, cùmq; earundem germine recipit. Ab elaboratarum autem diuitiarum similitudine factum crediderim, vt Homerum Platonici dixerint in Pauonem abiisse, qui tantam rerum varietatem poëticis coloribus ornatam explicuerit.

F

NOX.

Pauo Argus dictus.

NOCTEM verò significantes, Pauonem surrecta in orbem cauda figurabant. Nam cùm Pauonem Argum interpretarentur, cor luminibus insignitum, neque aliud quidpiam per Argum quàm cœlum nocturno tempore, si detur dicere, oculatissimum intelligerent, atque illi nomen à splendore atque velocitate inditum profiterentur, vtrumque enim ἀργὸν significat, neque alio tẽpore micantissimi stellarum radij coruscarent splendescerentq; quàm nocturno, datus est fictioni locus, vt per oculatam eius alitis caudam nox ipsa sensu mystico hieroglyphicoq; significaretur.

DIES.

QVOD si diem innuere voluissent, eandem ipsam volucrem demissa cauda pinxissent, quasi tunc nox stellas occulere videatur, cùm dies ipse cœperit aduentare, tamq; diu latitent stellæ, quandiu Sol supra terram est.

GLORIOSVS.

VERVM eadem species quæ noctem significabat, hominem etiam glorię plenum exprimebat. Pauo enim pretiosam eam caudæ suppellectilem tum plurimùm ostentat, cùm plurimos ad se spectandum aduenisse conspexerit, quòd si nullum admirari, adesséve cognouerit, eam recondit veluti indignatus. Hinc Ouidius, *Laudata Pauone superbior*, de valde sibi placente dixit. Quoniam verò

A verò fœminarum est proprium, qualibet in re sibi applausum quærere, gloriosasq; esse, inter Pauonem & fœminam mirus quidam naturæ consensus est, vt minimè mirum sit virginem in Leucadia vsqueadeò adamatam à Pauone, quem ipsa aluerat, vt ea defuncta ipse etiam commori voluerit.

PRODIGVS.

NON ineptè autem nonnulli, perdito luxu prodigos, Pauonis imagine describunt, in quibus quidem cauda mirę conspicitur pulchritudinis, verùm ea neq; ad volatum, neque ad motum vtilis, cùm plerisque aliis omnibus volatilibus cauda vel ad volatum dirigendum loco temonis cuiusdam attributa sit, aut etiam vt motum iuuet, vicemq; remotum submini stret, Pauoni verò ea tam ampla, tam sui prodiga, ad solam colorum ostentationem data.

CONCORDIA.

Domitiæ Augustæ numus.

IN numo DOMITIÆ AVGVSTÆ IMP. DOMIT. altera facie Pauonis effigies cum inscriptione, CONCORDIA AVGVST. Hæc ea Domitia est, quam Domitianus Augustam salutauit, posteaquàm ex ea filium susceperat, mox eam repudiauit, repudiatam ob instabilitatẽ ingenij cœpit iterum deperire, iterumq; eam duxit, quasi populi precibus coactus, atque huc spectare crediderim Concordiæ, quæ scilicet maximè omnium in connubiis expetitur, inscriptionem. Pronuba enim Iuno cuius Pauo, vel ex Pauone imperium, cui fuerat restituta, siue quòd cùm se Domitianus Iouem appellitari pateretur, vxorem etiam Iunonis honore voluerit decorari.

FOEMINARVM CONSECRATIO.

Augustarũ fœminarũ numi.

SEDENIM in Faustinæ numo, quem argenteum vidi, Pauo habetur cum inscriptione, CONSECRATIO. In numo etiam cuius inscriptio hæc, DIVA PAVLINA, caput grandioris natu mulieris ab occipitio velatę, à tergo Pauo, qui eandem effigiem insidentẽ dorso inter alas sustollit eadem, quæ in superiori est inscriptio, quippe CONSECRATIO, obseruatum enim est in fœminarum consecrationibus. Pauonem, auem quippe Iunoniam, è fastigio emitti, prout in marium apotheosi Aquila Iouis ales emittebatur, quamuis in Diuæ Sabinę Augustę numo Aquila non Pauo sit. Videmus etiamnum Faustinæ Piæ numum, in quo Aquila imagunculam cum radio gestat, cuius inscriptio est eadem, CONSECRATIO. Sed minimẽ mirum Faustinæ Aquilam ritu virorum datam, quæ viro ipsa dederit imperium, quod etiam iure suo plerisque in rebus administrabat, non sine Marci Antonini coniugis viri vndecumque probatissimi nota, cui cùm amici suaderent, principis sui ignominia offensi, repudiandam esse Faustinam, si nollet eam occidere, quæ, vt fama erat, Commodum ex adulterio concepisset, & apud Caietam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisset: *Atque*, respondit ille, *fieri hoc minimè potest, nisi dotem etiam reddiderimus*, dos autem erat Imperium, quod ille à socero, volente Hadriano, adoptatus acceperat. In numo tamen cuius inscriptio est, DIVÆ MAXIMINÆ, cum muliebri capite, quod Lunæ insidet cornibus sursum versis, ab altera facie solus Pauo est, cauda in rotam passa, inscriptio, CONSECRATIO. Horum numorum vis magna, dum hæc scribebam, eruta est in agro Bellunensi vico Plauterio, cum ingenti Gallienorum copia. Ad huius similitudinem factus & numus ille quem Romæ apud Colotium, alterumq; apud Georgium Anselmum Parmæ vidi, in quo scilicet Pauo est cauda in rotam effusa, à cuius pedibus hinc inde S. C. notæ singulæ conspiciuntur, circumcircà, CONSECRATIO, ab altera facie muliebre caput occipitio velato, literæ, DIVÆ MARINIANÆ. Inferiorum ea Augustorum aut mater, aut coniux, quod ex operis ruditate coniicimus, nam quo tempore, non reperi.

B

C

DE GALLINA.

GALLINÆ significata, quæ Pauoni subtexere visum est, in hunc modum habent.

TRIBAS.

MVLIEREM tribadem, vel quæ maris officium aggredi non erubescat, vel etiam quæ viro dominari affectet, per Gallinam quæ cristam erexerit, caudamq; sustulerit, cuiq; etiam parua quædam calcaria promineant, intelligi veteres tradiderunt: ea siquidem vbi marem, quod nonnullæ faciunt, pugnando vicerit, cicurire incipit, & exemplo marium tentat coitu superuenire, Gallinasq; reliquas perinde ac si rem peragere possit, solicitat, & saliendo defatigat, cristam caudamq; erigit, atque ea incedit specie, vt non facilè inde sit, vtrum mas an fœmina sit, internoscere.

DIVITIARVM FLAGELLATOR.

VIRVM verò qui opulentissimas diuitias prodegerit, &, vt apud Horatium est, res maternas atque paternas fortiter absumpserit, significare qui volunt, Gallinam aureos numos depascentem pinguns, de qua miraculum id proditur, vt si auro liquescenti Gallinarum membra misceantur, illud in carnes eas consumi deprehendatur, atque ita fit vt Gallina sit auri venenum. Tradit hoc Aristoteles, atque eum secutus Plinius. Coniectores tamen autumant eum, qui per somnium Gallinarum gregem ad se venientem, & domum ingredientem inspexerit, & diuitiis &

honoribus auctum iri. quinetiam addunt, si Gallinæ ita per quietem visæ, pusillæ admodùm apparuerint, lucelli identidem tenuitatem præsagiri.

PERDITIO RERVM.

Sirenes cũ pedib. Galli naceis quid.

QVI fabulas delectabili philosophandi genere commenti sunt, Sirenas confinxêre, quæ blanditiis amatoriis & voluptuosa nequitia homines ad se traherent, illecebrísque irretirent, apud quas mollitudinis omnifariæ luto inhæsitantes fœdè computrescerent. Harum pedes Gallinaceos fuisse tradunt, intellectu à superiore non dissimili. Scribunt enim huiusmodi fabularum interpretes, significari ex hoc hominem libidinibus deditum, fortunas suas perseueranti studio dispergere, inutiliterq; prodigere, cuiusmodi esse Gallinarum morem, cùm pleno aceruo pascuntur, aspicimus.

FOECVNDITAS.

Fœcunditas Gallinæ mirabilis.

SVNT qui ratione habita quotidiani fœtus, & geminorũ aliquando pullorum, qui ouo ex vnico excluduntur: ouorum etiam, quæ nonnullæ gemina singulis diebus edunt, cuius generis Gallinas Patauij vidimus, tertio etiam nonnunquam addito, verùm eo abortiuo, sola quippe cartilagine conspicuo, fœcunditatem per Gallinam & ouum significari velint. Sanè de Gallinarum fœcunditate Albertus multa. Illud mihi satis fuerit adnotasse, quòd apud Macedones gallinam repertam aiunt, quæ oua duodeuiginti semel ediderit, & incubitu binos pullos ex ouis singulis excluserit. Sed à mirifica omninò alitis fœcunditate factum, vt Theologi veteres gallinam pro piorum conuentu poni tradiderint, ideóque dictum in Euangelio ait Hesychius: *Sicut Gallina congregat pullos suos sub alis.*

SALVBRITAS.

QVÆ verò gallina apud veteres Æsculapio est immolari solita, salubritatis indicium erat, propterea quòd id sacrificij genus ideò ferunt institutũ, quòd harũ caro leuissimę sit digestionis, ac perinde languentibus cõmoda. Huius rei locupletissimũ testimoniũ apud Angelum Colotium deprehendimus, magnã quippe pedum gallinaceorũ copiam proximis dieb. defossam iuxta cippũ, in quo Romæ Æsculapij statua erecta erat, loco qui hodie Viuarum appellatur: quis enim tanto numero pedes eiusmodi eò congessisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuisset?

SECVRITAS.

Ruta in galinis securitatis symbolum.

ATQVI veluti per Lauri furculum in ore Columbæ, & per Platani folium in Ciconiæ nido securitatem significari prodidimus, cur non etiã per gallinam, ad alam cuius Rutæ ramusculus applicitus sit, securitatem eodem modo pingi, hieroglyphicumq; sapere fateamur? Siquidem Africanus in iis, quæ de re agraria Constantinus Cæsar colligi mandauit, ait gallinas à fele tutas fore, si Rutę syluestris ramusculus sub eius alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit, eo præsidio munitas, neque à Vulpibus, neque ab infesto quopiam alio animali contingi.

DE GALLO.

De vocabulo, Gallus.

GALLINACEI galli significata quædam dissimulare nostræ fuerit verecundiæ, vtpote quæ vix saluo verborum pudore scribi queant. Id tantùm dicamus, gallum alitem, eiusdem nominis gentem interpretari. Scimus gallinaceum aliquando gentem ipsam gallicam prodigio Vitellij demonstrasse, cui Viennæ pro tribunali iura reddenti, gallinaceus supra humerum ac deinde capiti superastitit, quod ipsum venturum in alicuius gallicani hominis potestatem portendit, vt Tranquillus etiam interpretatur. Is mox ab Antonio, primo aduersariarum partium duce, oppressus est, cui Tolosæ nato cognomen in pueritia Becco fuit: ea verò voce gallinacei rostrum & olim appellabant, & nunc vniuscuiusque alitis nuncupant: quam locutionẽ à Scythis omnium antiquissimis emanasse alibi diximus, quòd illi cibum Bech dicunt vocabulo genuino. Et orto Galliarum aduersus Neronem tumultu, Romæ passim columnis adscriptum est, GALLI TE CANTANDO EXCITARVNT, aptè scilicet ad eiusdem nominis gentem nuncupatione deflexa.

TIB. IMP. NEQVITIA.

QVANTVM verò ad alitis petulãtiam pertinet, crediderim ego pullum illum gallinaceum, qui exclusus est in manu Liuiæ, Tiberium adhuc in vtero gestãtis, cùm ipsa exploratura, an esset marem paritura, ouum incubanti gallinę subduxisset, idq; nunc sua, nunc ministrarum manu adeò vsque fouisset, vt pullus excluderetur, non tantùm sexum in Tiberio portẽdisse, quàm salacitatem & procacitatem eam, qua ille mox famosissimus fuit.

PVRITAS ANIMI.

Præceptum Pythagoræ.

SED quãto sanctius fuerit hieroglyphica illa referre, per quę animi diuinitatẽ ex galli simulacro apud veteres intelligi solitam comprobemus? Pythag. præceptum est, gallũ nutrire: quod nihil aliud

aliud sibi vult, nisi vt diuinam animi nostri partem, diuinarum rerum cognitione, quasi cibo solido, & cœlesti propemodum ambrosia pascamus. Quare Socrates moriens cùm animi sui diuinitate, maioris mundi diuinitati speraret se copulaturum, Gallum Æsculapio, id est, animorum Medico, iam extra omne morbi discrimen positus, debere se, dixit: cùm enim de corpore migrandum intelligeret, conualuisse prorsus arbitrabatur. Vt verò intrepretantur alij, ea de causa dictum hoc à Socrate, quòd lethali eo sumpto pharmaco, sanitatis beneficium iam sentiret, cùm exiret à corpore, à quo omnes animi morbi scatere pullulareque sentiuntur. Lactantius Firmianus Septimius Florens Apologetico, neque non illi omnes qui cum Aristotele Platonis verba, non sensa, cauillis incessunt, hoc dissimularunt, in quo summæ sapiẽtiæ veritas delitescebat. Sed vt animi Medicum cum his dissimulemus, non desunt Platonis interpretes, qui Galli huiusmodi sacrificium eò trahunt, vt animas in cœlum migrantes Phœbo pæane canere comminiscantur.

APOLLO.

INTER ea quæ Apollini dicata sunt, quippe Arietem, Crocodilum, Scarabeum, Accipitrem, Leonem, Gallus etiã à Chæremone Stoico & à Porphyrio recensetur. Insitum autem est Gallis, inquit Proclus, numen Apollinis aduocare, & veluti propriis canticis assurgenti applaudere: & vt lib. de Diuinatione ait Cicero, animal hoc admodùm canorum est spõte sua, nos verò sacris hymnis canimus gallicinio Luciferum venturæ lucis prænuncium excitari, obductum caligine cœlum aperiri, dari copiam vt patefacta iam via, errores ambageq; omnes declinemus, canẽte Gallo valetudinariis aliquam salutis, aut saltem alleuationis spem affulgere, meticulosos trepidatione liberari, & multa quæ per insidias parabantur dissipari: quæ omnia aduenientis lucis beneficia sunt. Neque verò Soli tantùm, verùm etiam Lunæ dicatum eum esse Pythagoras aiebat. Pausanias vbi statuas eorum qui cum Hectore singulari certamine congredi, coniectis in vrnam sortibus, minimè recusassent, ab eo prouocati, ab Achiuis in Olympia dicatas ait, Idomenei clypeum Gallo gallinaceo insignitum fuisse tradit, propterea quòd is à Minoë & Pasiphaë duceret originem, quæ Solis filia fuerit, cui Gallum dedicari cõstat, quia ortum eius præsentiat, & cantu indicet mortalibus.

Gallicinij proprietates.

EXCVBIÆ.

QVIA verò Gallus à prima mediæ noctis inclinatione solet *explaudentibus*, vt Lucretius ait, *alis*

Auroram clara consuetus voce vocare,

matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudãtibus quotidie commodulatur, excubiarum & vigiliarum signum apud antiquos fuit, eaq; de causa Mercurio dicatus ferebatur. Ac vt nostra quoque attingamus, eo multò ante lucem canente aberrans resipiscit Petrus, &, vt Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroque fletu crimen rebellionis expurgat, ne mirum adeò sit quòd datam aliti huic intelligentiam apud Iobem legimus.

Tempus resipiscentiæ D. Petri.

PROPHETÆ DOCTORE'SVE.

SVNT qui super hoc Iobis dicto intelligi velint Prophetas, & sacræ disciplinæ Doctores hieroglyphicè per Gallum accipi, propterea quòd illi inter vitæ præsentis tenebras venturam lucem quasi cantando prænunciarunt: vnde illud in eorum ore frequentius, *Nox præcessit, dies autem appropinquat.* Est & illud congruum doctoris munus, vt quibus, quid, quando, & quomodo sit quidpiam indicandum, inferendumque animis, debeat veluti diuinitùs cognouisse: non enim, inquit Eucherius, vna eademq; cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas deuincit atque constringit. Itaque Gallus certa per interualla modò hos, modò illos excitat, & ante lucanum tempus discrimine veluti quodam dipartitur.

Doctoris munus.

PVGNACITAS.

IN Eleorum arce Pallados simulacrum ex auro & ebore, Phidiæ opus, erat cum Gallo in galea surrecto, quod pugnacitatis hieroglyphicum esse Pausanias arbitratur, cùm tamen nõ inficietur Gallum Mineruæ cognomẽto Operatrici sacrum esse. Sanè Sybaritæ, gens ad omnes mollitudinis numeros nata, Gallum in vrbe esse prohibuerunt, ne nocturni somni quietem interpellaret, ideoque & fabriles omnes artes ablegauerant, vt memoriæ prodidit Athenæus, ne quid esset, quod voluptates suas interturbaret. Quod autem pertinet ad pugnacitatem, Nicander Alexipharmacis, ἀιχμήτοισι νοεασοῖς inquit, *pugnacibus* quippe *pullis Gallinaceis* exponit interpres, qui vt inter se dimicent assiduè nati videantur, cùm præsertim pugnam semel cœptam identidem repetant, nescij cedere: vnde Gręcum illud adagium, ἀλεκτρυὼν ὄπιπηδᾷ, *insultat Gallus*, de redintegrantibus certamen: & Martis pullum eum vocat Aristophanes Auibus. Non est illud dissimulandum, quòd licèt sint animalia ad pugnam nata, inuentum tamen est incitari eos ad pugnacitatem allio in cibum dato, quod Græci σκοροδίζειν dicũt. Quod verò ait Salomon, *Gallus ambulans inter Gallinas lætus*, Eucherius imperij esse dicit significationem. Quòd si in numum incideris Gallinaceorum cõflictu signatum, scias eum fuisse Dardanorum pecuniam, Polluce teste: nam illi magnum pugnacitatis decus sibi antiquitùs vsurpauêre. Hinc honoratum semper apud Maronem Dardaniæ nomen, cùm secus

Gallorũ gallinaceorum pugna qualis.

Phryges ferè semper velut imbelles notarentur. Iam & Chrysippus Gallorum æmulatione nobis D adiici stimulos ad fortitudinem,atque inde quodammodo calcaria subiici scribit,libro de Iustitia. Themistocles quoque Gallorum exemplo,in quos acriter pugnantes inciderat,exercitum confirmauit, cùm ostenderet eos non pro patria, neque pro penatibus, neque pro maiorum sepulcris, vxoribúsve aut liberis id incommodi aggressos,sed ea tantùm de causa,ne vincerentur,nolle alterum alteri cedere. Omnium verò pugnacissimos Gallos habuisse fertur Rhodos insula,neque quidem adhuc ibi degenerauit ea volucrum huiusmodi ferocitas,& visenda proceritas, vt in quibusdam inde Romam allatis,ipsi conspeximus. A Galli verò pugnacitate factum vt gemma Alectoria, quam in Galli ventriculo inueniri tradunt,victoriam dicatur eam gestantibus comparare,qua Milo Crotoniates vsus,inuictus in certaminibus fuerit:de quo Plinius lib.xxvii.cap.x.

PERSÆ MILITES.

PERSARVM porrò milites Galli nuncupabantur à Caribus,ob conos, quibus galeas ornatas habebant,eaq; de causa Artaxerxes hominem è Caria, qui Cyrum iaculo vulnerasse creditus est,eo honestauit præmio,vt Gallum aureum in lancea præfixum ante aciem ferret:author Plutarchus. Sedenim Athenæus Gallos in Perside primùm ortos ait,vnde fortasse cognomẽtum id Persæ potuerint habuisse. Aristophanes,vt suus est mos omnibus illudere, Gallum ait olim Persis imperasse,vnde adhuc cristatos in cassidibus. Quæ verò simulacra tria totidem Gallis adblandientia spectantur in Antonini Pij Augusti numo, crediderim ego ad mãsuetissimum eius ingenium spectare,vt qui pugnacitatem commitigare procuraret, qui omnem belli ferociam quãto potuit studio emolliuerit,vtpote qui mallet vnum ciuem seruare,quàm mille hostes occidere,solusque omnium Principum sine ciuili sanguine,& hostili etiam,quantum ad se pertineret,vixerit. E

Antonini Pij Augusti numus.

SVESANI.

Suesanorũ pecunia.

VNVS autẽ Gallus toto surrectus corpore,cum phosphoro à tergo stella addita, vt inscriptio indicat,*Suesanorum pecunia fuit.*

VICTORIA.

IN augurali verò disciplina Gallus est victoriæ signum, propterea quòd auis illa victa silere soleat,canere si vicisset. Hinc Lacedæmonij,vt apud Plutarchum est, cùm hostem viribus profligassent,Gallum immolabant:qui Bouem tunc sacrificare soliti essent,cùm sine cæde victoria obtigisset. Ferunt Socratem Iphicrati duci animos adiecisse, cùm Gallinaceos coram Callia pennis & rostro dimicantes ei præmonstrasset:quod & Themistocles,vti diximus, ad suos animandos fecerat. Quod verò de cantu dicebamus,refert Tullius historiam ex Callisthene Leuctricæ calamitatis tempore,quæ Lacedæmonios propemodùm oppressit, cùm apud Thebaidem Trophonio res diuina fieret,Gallos gallinaceos in eo loco sic assiduè canere cœpisse, vt nihil intermitterent: tum augures dixisse,Thebanorum esse victoriam. Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum edi solitum scribit Plinius,idq; Athenis etiam institutum à Themistocle superatis Persis,ait Ælianus, quanquam ea & ludicro fieri apud Lucianum & Herodianum legas.

VINEARVM INCOLVMITAS.

Sacri genus de Gallo Gallinaceo.

METHONA ciuitas est in Trœzeniorum agro, cuius incolæ Gallum pro vinearũ incolumitate mactare soliti sunt,vt Africi venti,qui eas plurimùm infestãt,incursionem vel auerterent, vel saltem emollirent:cùm enim flare institerunt, vitium oculos exurunt, spemque vindemiæ fallunt. Moniti igitur ab aruspicibus,sacri genus hoc instituêre,vt viri duo Gallum vnum,& eum album, manu vterq; sua apprehenderent & in diuersa abeuntes trahendo discerperent, partemq; vterque suam manu præferentes vineta loci omnia perlustrarent,donec ita omnibus expiatis in eundem conuenirent locum, vbi Gallũ dissecuissent,ibique partibus vtriusque humi defossis, nullum eius anni incommodum se passuros persuasum habebant:iuuitq; sors,vt quandiu sacrum id celebrauêre,res illis ex voto succederet. Quid verò sit in causa,cur tanta vigeat in Gallo vis,

Vt nequeant rabidi contrà constare Leones,
Inq; tueri,ita continuò meminêre fugaï.

nempe cùm vtrunque animal solare sit,ex magorum obseruatione inesse maiorem solaris virtutis vim Gallo quàm Leoni,idcirco Leonem potentiori cedere, satis superq; in Leonis commentario disputatum à nobis,Proclique super hoc opinio recitata. IMPIETAS.

Supplicium in Gallum.

NEQVE prætereundum est illud,quòd ex imagine Gallinacei impietas ipsa hieroglyphicè figuratur:is enim matrem salit,vt hippopotamus, & patrem etiam immaniter incessit, eaque de causa sapientissimi Legumlatores Gallum vnà cum Vipera & Cane in parricidæ culeum includendum censuerunt,vt qui eiusdem criminis rei sunt,eodem supplicio simul afficerentur, & pœnas pares luerent. Notum illud apud Aristophanem,quòd Philippides, qui patrem verberauerat, exemplo Galli factum tuetur suum:patrem enim ille malè multat.

DE

A

DE GALLINAGINE.

ATTRAHIT ad se nominis similitudo,vt Gallinaginem huic adnumeremus gregi,quamuis super ea nihil Aegyptij.

BENEVOLVS.

SVNT qui beneuolum hominem per Ascolopaca,quam Gallinaginem Latini vocant, pictam intelligant,quòd auium nullam maiore erga hominem studio affici compertum sit. Magnitudo volucri,quanta Gallinæ est,rostrum longum,attagenæ color.

DE ANSERE.

SED vt ad chortales redeamus,de Ansere dicẽdum:de qua tamen nulla apud Horum mentio,quamuis libellus ille qui supereſt,valde curtus sit.

CVSTODIA.

Cur apti ad custodium Anseres.

SVNT qui per Anserem pictum custodiam interpretentur, idq; ex Romana potiùs historia desumptum,quàm ab Aegyptiis traditum. Neque tamen ab huiusmodi significato physica abest ratio,quippe qui naturę admodùm pauidæ cùm sit,peruigili cura,vt acutissimus est ad ea sentienda quę latent,facilè excitatur,& minimo quoque strepitu expergiscitur,vt ita olim Vrbem ipsam, sedem ac domicilium Imperij,defenderit ac conseruarit,vnde illi honores apud Romanos institu- B ti,quanquam Heliogabalus totius humani ordinis inuersor, omniumq; bonorum morum illusor, eos ita sit vltus,vt Canes iecinoribus Anserum pascendos instituerit. Illud verò iuniorum commentum est,per Anserem alligatum ad anchoram,firmam custodiam intelligere. Anchora porrò firmitudinis indicium est,vt loco suo dictum.

SILENTIVM OPPORTVNVM.

Anserũ hic industria maxima.

NEQVE hoc ab Aegyptiis obseruatum, vt silentium in tempore seruatum,per Anserem qui lapillum rostro apprenderit,significetur. Auis enim hæc quæ clamore grauiter obstrepenti ferè semper clangit,vt etiam inter pascendum silere nequeat,exemplo est humano generi taciturnitatis etiam,vbi res exigit,obseruandæ, quippe quæ salutem suam alto interdum silentio tueri soleat. Illæ siquidem, vt Ammianus author est,ab Orientali calore inualescẽte, in Occiduam plagam transmeare consueuerunt, cumq; Taurum montem Aquilis abundantem penetrare cœperint,fortissimarum volucrum vim pertimescentes,rostra sua lapillis occludunt, ne vlla vel extrema necessitate clangor elici possit,iisdemq; collibus agiliore volatu transcursis,tutum iam iter nactæ,calculos proiiciunt. Neque me præterit, eruditissimum virum de disciplinis omnibus & politioribus etiam literis optimè meritum, hæc quæ Ammianus de Anseribus scribit, Gruum esse asseuerare,quod alij viderint. Res hæc mihi suggerit in memoriam non imprudens Aristotelis cõsilium,quod Callisthenì sectatori & propinquo suo dedit, cùm eum ad Regem C Alexandrum mitteret:admonuit enim hominem,vt quam rarissimè,& id iucundè, apud eum loqueretur,qui vitæ potestatem & necis in acie linguæ gestaret.

Aristotelis consilium.

IMPROBITAS.

Laurius inimica Anseri.

ALLOQVIN Anser in vaticiniis,& rerum aliarum elogiis, improbitatem quandam præ se ferre videtur. Hinc Homerus in somnij præsagitione,procos per Anseres innuit,ciusque inauspicata garrulitas & à Virgilio,& à Propertio quibusdã vitio data est. Auersum enimadeò est à pœticis studiis Anseris ingenium, vt Phœbeam arborem laurum,quam sibi exitialem,si eius folia vescatur, intelligit, pertinacissimè fugiat. Nam cùm natura sit admodùm calidus, liquidis & frigidis delectatur cibis, lauationesq; amat, & ea declinat quæ perniciem afferre possint. Laurum verò igneam esse suo loco diximus. Non dissimulabo,quod ad procos attinet, inuenta aliquando in Anseribus amoris erga homines exempla, vt proditũ de eo qui puerum Amphilochum Olenium genere deperierit, quod & Clearchus & Theophrastus testatum reliquêre. Et Glaucen Ptolemæi Regis citharistriam memorat Plinius,quam Anser,& eodem tempore Aries etiam adamarint. Alius Lacydi Philosopho comes perpetuò dicitur adhæsisse, vt nusquam ab eo,non in publico,non in balneis,non noctu,non interdiu digrederetur.

DETRI

DETRIMENTVM.

ESt & detrimenti hieroglyphicum Anser pascens, propterea quòd quacunque ille oletum suum sparserit, adurere omnia soleat: neque quicquã magis vel satis vel pratis officere, quàm si eò pabulatum Anseres immittantur. Quinetiã eorum stercus, si muria dissoluatur, & oleribus inspergatur, omnia vitiabit. Tũ Anser ille poëtarũ perditissimus, qui inter Olores satis cum impudẽtia strepere notatur à Marone, à Cicerone quoque carpitur, quòd illi Falernum fundũ Antonius dono dedisset: quòd nisi & improbus & perditorum morum fuisset, coniectura est Antonium id minimè facturum: eoque spectat Ciceronianum illud in Antoniũ, *Anseres de Falerno depellendi sunt.*

ACCVSATOR INANIS.

Accusatorũ diuersa ratio.

ET ne longiùs ab eo digrediamur, apud eundem oratione pro Sex. Roscio, Anserem inuenias pro eo accusatore positum, *qui obstrepat tantùm, noceat tamen nihil*, cùm Canis non tantùm allatret, sed etiam mordeat. Eius verba sunt non importunè repetenda. Anseribus cibaria publicè locantur, & Canes aluntur in Capitolio, vt significent, si fures venerint, at fures internoscere non possunt, significant tamen si qui noctu in Capitolium venerint, & quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, in eam partem potiùs peccant quæ est cautior. Quòd si luce quoque Canes latrent cùm Deos salutatum aliqui venerint, opinor his crura suffringantur, quòd acres sint etiam tum, cùm suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio; alij vestrùm Anseres sunt, qui tantummodò clamant, & nocere non possunt; alij Canes, qui & latrant & nocere possunt.

SVOS TANTVM CVRANS.

NEQVE illud dissimulabimus, quòd hominem qui suæ tantùm familiæ curam suscipiat, aut rerum tantùm suarum satagat, quid rei gerant alij securus, ac minimè curiosus, per Anserem ouis incubantem apto admodùm hieroglyphico indicare possumus. Anserem siquidem, vt Quintilij, qui de agricultura quàm diligentissimè scripserunt, tradidêre, aliena oua in suo etiam genere fouere nequaquam solent: quare curatores eorum, dum oua pariunt, certis characteribus vniuscuiusque fœtum signare debent, atque ita vnicuique sua ad nouem supponere.

DE PERDICE.

DISSIMVLANDA fuerat & Perdix, ne pudendum super ea significatum propalàm proponeremus, sed quoniam suscepti operis ordo nos compellat, nihil est supprimendum quod inter hieroglyphica à veteribus adnumeratũ inuenerim. Habere verò potest Perdix cum chortalibus locum, quòd ea quoque domi alitur, saginatur, & cicuratur. Sed enim vitia ideò ponuntur, vt reprehendi possint, quodq; abominabile videatur, mortales audientes ipsi absterreantur.

AMOR TVRPISSIMVS.

IMPVDICISSIMVM hominem, tamq; efferata nequitia perditum, vt in consanguineis quoque nullo pudore sit petulans, significare si vellent Ægyptij sacerdotes, Perdices duas pingere sunt soliti: ipsæ enim coniuge viduatæ, sese inuicem abutuntur. Mares quippe, vt cernere est ex iis qui domi aluntur, inter se tumultuant, clamitant, pugnamq; de coitu conserunt, quos cœlibes vocant; qui autem victus in pugna fuerit, sequitur victoris Venerem, neque aliud pugnæ præmium, nisi victum à victore pollui. Verùm hoc non fieri semper, sed certo anni tempore, obseruatum ait Aristoteles. Illud ferè semper, vt cum primùm pullus exire cœperit, à mare subigatur. ne tibi mirum adeò videatur, quòd Marcellus Perdicem ex auibus virili genere appellãdum dicat, Varronis authoritate nisus. Romani sanè pro huiusmodi notæ puero, pullum dicere soliti sunt: vnde Q. Fabium, cui Eburno propter candorem cognomen fuit, pullum Iouis appellarunt, quòd natis eius fulmine icta fuerit, quasi eam Iupiter appetisset, cum potiùs interpretari debuerint, & eum, & eius amatores omnes igne perdẽdos esse. Apud Ausonium, quoque Marcum quendã impudicissimum fellem pullariam dictum reperias. In fabulis fertur à quibusdã, Perdicem venatorem matris amore deflagrasse, vt eadem improbitas sit filiorum in matres, quæ in eo alitum genere parentis est in filios. Sunt qui figmento historiam, sunt qui Philosophicum sensum applicent, sed ipsa volucris impudica procacitas, argumentum fabulæ proculdubio suppeditauit. Quare mihi non deliciarum tantùm causa videtur Heliogabalus Perdicum plumulis in stratis, in puluinaribus, ac etiam accubitis passim vsus, quantum naturæ similitudine, cùm portentosus ille, vir ne dicam an brutum potiùs, nullum nequitiæ genus intactum reliquerit, pudore prorsus omni perdito atque profligato.

Heliogabali stratum.

IMMODERATA NEQVITIA.

SED vt semel dicam, nihil ad eneruatissimam libidinem & impotentissimam salacitatem exprimendam Perdice commodius, quæ plerunque de coitu tanta efferatur rabie, tantaque æstuat libidinis intemperantia, vt mas oua interdum frangat, ne cubando detineantur fœminæ, quocirca illæ, vt fœtus sospitent suos, oua modò huc, modò illuc, quò mares fallant, transferre coguntur.

PRÆ

PRÆCOX PROFECTVS.

POTEST & celer profectus ex Perdicis pullo, verùm eo oui adhuc corticis parte aliqua vestito, significari. Perdix siquidem moræ velut impatiens, minimè expectat vt ouum incubatione ad tempus aperiatur, sed occupatis spatiis spontè erumpit, pertusoq; ouo vbi primum caput exeruit, pedesque protulit, reliquo adhuc adhærescente cortice, procurrit, sibique cibum enanciscitur.



Perdix moræ impatiens.

REDITVS IN VIAM.

ABERRANTEM hominem aliquandiu, falsaq; ductum opinione, sed viæ demùm redditum & recta sentientem ostendere qui volunt, Perdices duas grandiores faciunt, pullis aliquot inter vtramque pictis. Si enim eueniat vt Perdix oua sua fracta compererit, tanto incubationis studio afficitur, vt aliena surripiat, nidoque infoueat suo: verum illud euenit quod diui Hieronymus & Ambrosius ex Hieremia tradunt, vt cùm pullos eduxerit, illos amittat: hi siquidem audita illius voce quæ oua pepererat, naturæ vegetatione perculsi, hac veluti nutrice deserta, ad eam se conferunt, quæ oua illa vnde excluſi essent, ediderat. Clamasse, inquit vates, Perdicem, pullosque quos minimè pepererat, congregasse, familiamque ita suam imprudenter auxisse, interimq; pullis ad matris vocem procurrentibus, derelictam hanc insipientiæ suę demùm admoneri. Nostri tamen Theologi historiam hanc aliter interpretati sunt: alij enim per Perdicem malum dæmonem accipiunt, qui Dei fœtus in prauitatis nido adulterina educatione sibi sperat enutrire. Per oua, spem, quam de subigendis eis, & sub imperio suo detinendis concipit. Per eam verò auem, quæ vera mater est, quæ oua illa ediderit, piorum conuentum interpretantur, ad quem, vti legitimam & naturalem matrem, simulac vocem eius audierimus, deserta falsa, procurrimus. Adamantius per Perdicem aliena oua confouentem, intelligit hæreticos, genus quippe hominum Perdicis instar malignum, fraudulentum, callidum, quodque decipiendis venatoribus multum insumit operæ: vbi tamen veræ matris, sanctioris quippe institutionis, vox audita fuerit, eos deseri, atque ita pœnas suæ insipientiæ luere.

Perdix oua aliena surripiẽs amittit, quid.

Perdix alie na oua con fouens, hæ retici.

REI FAMILIARIS CONCORDIA.

NEQVE tamen aues hæ ita semper in libidinem efferascunt, vt non interdum ardor ille deferueat, & vnanimi concordia mas & fœmina rem familiarem curent, quippe bina ouorum faciant receptacula, in quorum altero mas, in altero fœmina incubet, oua inter sese partiti, excludatque vterque sua, atque educet. quod quidem ansam dedit, vt rei familiaris cõcordiam in consortibus, per duas Perdices incubantes exprimere pleriq; voluerint. cui rei aduersari videtur, quod superius de perdita earum incontinentia dictum, vbi marem oua frangere indicatum libidinis impatientia, ne fœminæ incubatione detineantur. Sed id nõ semper, sed interdum accidere positum.

Sũma Perdicis, maris fœmmæ, cõcordia.

ASTVTIA IN EVITANDIS PERICVLIS VAFERRIMA.

QVINETIAM vaferrimum in periculis euitandis hominem, astuq; maximè pollentem significantes, Perdicem & venatorem pingunt, quæ quo pacto sectantem eludat, & Aristoteles, & ab eo Plutarchus, accuratissima narratione perscripserunt; quæ scilicet pullos adhuc inuolucres supinos prosterni, seque stramentis & paleis obtegi, aduentante venatore, ad sibili significationem assuefaciat; ipsa verò ante aucupis pedes prouolans, sui spem capiundi faciat, mox abuolet, ac subinde redeat, donec ita illudens abducat eum à pullis procul, repetitoque mox sibilo, vt Aristophanis interpres ait, abuolandum iam admoneat. Eoque spectare crediderim prouerbium, πέρδικος σπέλος, & πέρδικος ᾠός. Interpretes claudum quendam Perdicem nomine apud Aristophanem inueniunt, & ab eo adagium in claudicantium aliorum ludibrium emanasse. Sed esto aliquid in significato claudicationis, natura tamen Perdicis efficit, vt ad dolos & vafritiem spectare prouerbium opinemur, cum scilicet subdolo quempiam ingenio hac progressurum speras, ille tamen cuestigiò illac se proripit; atque ita vacillatione spectantium spem eludit, vt iter eius, aut rerum progressus euentumque nunquam certa possis coniectura deprehendere. Nam qui versus apud Athenæum citatur, ἐγχεῖ πεῖν μοι ἢ τὸ πέρδικος σπέλος, ad huiusmodi pedum inconstantiam, titubationemque eam quæ oritur ex nimio potu, facere videtur: *pedes enim tentat vinum luctator dolosus*, vt apud Comicum est. Nullum autem inter aues animal Perdice dolosius neque astutius; vnde illud Aristophanicum, σκατοδρικίσαι, quippe Perdicis more periculum euadere: ait enim eius interpres, οἱ δὲ λαμβάνοντες κάρφη τοῖς ποσὶ, ὑπίας ἑαυτὲς ῥίπτουσιν, ἢ ἔνιοι ὑπαλύπτουσιν, ἢ συλλίνυσι. *Stramenta enim pedibus contrahentes, supinas se prosternunt, atque ita occultantur, & periculum declinant.* Atque hæc latiùs apud Plutarchum, libro quo disputat, vtra prudentiora sint animalia, terrestriáne an marina.

Adagium.

CONTVMELIOSVS.

ADDVNT & contumeliosum hominem per alitem hanc significari, quòd in suo genere maximè hæ tumultuari, dissidere, & altercari vicissim assiduè consueuerint. Sunt verò Perdices

Perdicum duo genera.

aliæ

aliæ nobiles, aliæ rusticæ. Nobiles longè grandiores sunt, sylvasque & saltus plurimùm incolunt: D rusticæ arua & segetes peruagantur. Grandiores illæ sunt etiam picturatiores, & plerisque Italiæ locis nomen retinent incolume. Romæ tamen Starnas vocant, de quibus fortè Plinius dixerit: *Misit Hispania externas aues.* Rusticæ longè minores, fusciore pluma, & quodammodo cineritia. Idem vtrisque ingenium, sed dolosiores, pugnacioresque rusticæ, quas nunc Italia à sono vocis *Qualeas* ferè vbique vocat.

ASTVTIA PRAVA.

Dædali nepos in Perdicē & huius figmenti elucidatio.

HIEROGLYPHICVM etiam sapit Græcorum mythologorum fabula, qua fingunt Dædali nepotem ob inuenta artis suę arma quædam admodùm vtilia, per inuidiam ab Athenarũ arce summa præcipitem datum, qui terra vix tacta mutatus sit in Perdicem. Cuius figmenti talis fertur interpretatio: Impuri homines cùm à sapientiæ arce decíderint, à rectis honestisque studiis alieni facti, tametsi astutia freti aliqua suis in rebus excellere videantur, hisque tractandis super alios attolli, sordidis tamen & improbis negotiationibus impliciti, sublime nihil sapiunt, sed humi volitantes, dolisque & fraudibus omnibus freti, rem quocunque modo facere tantùm studeant, libidinum & cupiditatum suarum laqueis & retibus impliciti obuolutique, eo Perdice deteriores, quòd illis vaferrima est ars ad elabendum, capturamque declinandum, quod Græci dicunt ἐκπεφευγέναι; hi neque capti fugam moliuntur, neque si euadere possint, studium adhibent vllum vt salui fiant. Astutiæ huiusmodi causa factum puto, vt Eucherius cacodæmonem ex Perdicis imagine significari dixerit, eo loco: *Clamauit Perdix, congregauit quæ non peperit.*

DE COTVRNICE.

E

IN Coturnice multa sunt quæ cum Perdice conueniunt; pugnacitas quippe eadem, quo in ludo illa præcipuè celebratur, quam omnium victricem mirata est Alexandria, vrbe quippe tota in alitis huius præconiis occupata. Hanc Erotes Ægypti procurator morositate nescio qua impotens, in ludibrium emit, atque assam deuorauit, quo facto iussus est ab Octauiano Augusto malo nauis affigi. Est & par improbitas naturæ, neque odiosa minus, eo verò magis detestanda, quòd ad hanc impietas insuper accedit & deorum contemptus, religionisque odium, & quantum illa ferocire potest execratio.

IMPVRITAS.



PER eius enim hieroglyphicum sacerdotes Ægyptij impuritatem indicabãt, vbi vulgati codicis Græci mendum animaduertas, in quo Oryx quadrupes animal pro Coturnice positum, & ita traductum: neque enim hìc quicquã de Oryge apud Horum, apud quem in vetustis codicibus manuscriptis ὄρυγμα, non ὄρυγα, legas. Et eodem cap. vulgati etiam codices habent τὸ μόνον τῶν πτηνῶν, quod satis manifestum facit, de aue, non de quadrupede hæc dici. Ea verò de causa impura Coturnix habebatur, quòd quotiescunque Luna oritur, inauspicatos clangores excitat aduersus eam, non quæ Deum saluere iubeat, aut laudatione prosequatur, vt Solem gallinacei, sed manifestissima det indignationis aduersus eam signa, quod apud ipsos magnæ dabatur impietati cum summo Lunam cultu prosequerentur. Ante omnia autem terram fodicat (ita intelligendum, τοῖς γὰρ ἐμπροσθίοις ἀυτῆ σκέλεσι ἀνορύσσον τὴν γῆν) pupillasque sibi identidem conscribillat, vtpote quæ indignè ferat Lunam apparere, quam neque quidem intueri patitur, atque eadem facit in ipsius Solis tam diuini astri exortu: qui mos nonnullis Æthiopum nationibus in Solis ortu quem velut hostem maximè reformidant, & ne spectent, in loca palustria fugientes, vbi non alia fruticum aut syluarum copia fuerit, ibi delitescunt, Deum omni execratione prosequentes. Antiqui verò reges (namque non nisi sapientes eligi solitos tum temporis, satis constat) cognita Coturnicis natura, quæ verum horoscopi signaret emersum, animalis istius opera tanquam gnomone quodam vtebantur, non otiosè in id intenti, certum exortus ipsius punctum deprehendebant. Quapropter sacerdotes solum hoc animal ex volatilibus quæ ciborum vsum præbent, nullo tamen mactationis honore illi habito, comedebant, vtpote quòd contentionem quandam (desideratur enim ἀντιδικίαν vulgatis in codicibus) præ se ferre videretur aduersus præcipuum Deum suum.

Impura Coturnix, cur.

F

PERDITISSIMA MALIGNITAS.

EADEM auis in solis, vbi libenter habitat, locis, si quem limpidulæ aquæ fontem adinuenerit, simulac biberit, aquam reliquam rostro pedibusq; corrumpere, lutosamque reddere, puluere etiam in eam ingesto, nititur, ne cuipiam alteri animali ad potum appetatur; quę quidem maligna, improba inuidaque Coturnicis natura Ægyptiis argumentum dedit, vt malignum hominem per eius hieroglyphicum notarent. Eiusmodi verò morum impuritatem eodem modo damnat Ezechiel quarto supra trigesimum capite, dicens: *Et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turba*

A *turbabatis.* Sedenim Ægyptios non tam maligni in alios mouêre mores, quos in turbanda Coturnix aqua profiteatur, quàm ipsa aduersus Lunam impietas, & ingrati animi significatio, cùm tot à Luna sint animantibus omnibus beneficia, de qua generatio, & alimenta rerum, quotquot & hominum & brutorum vsui necessariæ sunt. Nam quantum ad turbationem aquæ pertinet, animalia quædam sunt, quæ turbulentam & crassam suauiùs bibunt, vt Cameli, qui ne ex fluuio quidẽ priùs hauriunt, quàm pede protrita terra aquam spissiorem effecerint. Neque aliter potu gaudent Elephanti quoque, sed ij ne imaginis suæ toruitate terreantur, turbidam bibunt. Verè autem Coturnix Alcibiadis magistra fuit, qui dato Pericli cõsilio de ratione potiùs non reddenda, tranquillam ciuium suorum quietem perturbaturus esset. Nam cùm iam primas in republica partes occupasset admodum adolescens, forteque sententiam in Senatu de re seria diceret, ex eius sinu Coturnix euolauit, quæ tamen totius Senatus cursitatione capta, Alcibiadi, non sine venatoris ambitione, fortè etiam præmio, reddita est. Quantum verò pertinet ad alitis huius esitationem (vt hoc pro corollario subiiciamus) non defuêre Medici qui eas mensis summouerẽt, tum quia veneni semen illis gratissimus cibus, cùm propter comitialem morbum, quem, vt Plinius tradit, solæ omnium animalium sentiunt præter hominem, eaque de causa veratrum appetere feruntur. Aristoteles tamen hominem tantùm comitiali morbo tentari ex omnium animantium genere asseuerat, Problematis. Sedenim Plutarchus capellas quoque comitialem sentire profitetur. Quod verò de veratro dicebamus, ita apud Lucretium legas:

Coturnix Alcibiadis magistra.

Prætereà nobis veratrum est acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Et Ouidius ad venenum spectans:

B *Ecce coturnices inter sua prandia viuunt,*
Forsitan & fiunt inde frequenter anus.

Nam vt in Serpẽte dictum, excogitatum est in morbis desperatissimis Viperas edendas dare, vnde non modò salus, sed vitæ etiam subsecuta sit longitudo. Cur verò Phœnices Coturnicem Herculi sacrificarent, causa est, quòd in fabulis eum ab hac alite seruatum aiunt: hunc enim Iouis & Astreæ filium in Lybiam profectum, à Typhone occisum esse autumant, Iolaumque Coturnicem eius naribus admouisse, cuius odore fuerit in vitam restitutus: & ne mendacio locuples abesset testis, vulgatum est etiam dicterium ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆ τὸν πατρεᾶ, *Fortem Coturnix seruauit Herculem.* Alij eum dicunt eius alitis esu à comitiali morbo, quo insigniter laborauit, liberatum esse; quo si tentantur & Coturnices, facilè fieri potuit, vt sympathiæ vi aliqua tacitáve atque incognita naturæ potentia, vel nidore viuæ, vt nonnulli ponunt, alitis vstulatæ, vel esu potiùs, morbi genus id fugaretur, atque ita Hercules vitæ redditus fuisse videretur, quod est vero similius. Sed ne, Vir clarissimè, te magnis & assiduis Reipublicę negotiis detentum vlterius demorer, mira hæc minimè videntur esse, quia variis medicina modis prodest, noxia modò per similitudinem cognationemq; naturæ deducendo, modò per dissensionem contrariamque vim expellendo, modò sensim abrodendo, modò per dissolutionem mitigando, aliis atque aliis inuentis, quæ salutaria quis nouit, adhibendo, vt tam contraria quàm consentanea pro morbi qualitate prodesse comperiantur.

Quare Coturnix Herculi sacra fuit à Phœnicibus.

C

PIERIVS VALERIANVS
AD THOMAM MILIARIVM BELLVNEN.
DE IIS QVÆ PER STRVTHIOCAMELVM ET MINVTIORES ALIQVOT aues significantur.

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXV.

CONTENDERAM *superioribus diebus ab Leonardo patre tuo, ne te assiduitate tam pertinaci, tamdiu literarum studiis insenescere permitteret: id enim è re tua fore, & ad salutem tuam facere plurimùm arbitrabar, si feruor ille adolescentiæ tuæ aliqua otij interpositione cohiberetur; proinde aliquid comminisceretur, quo tu Venetiis apud nos per geniales hos dies, quibus vindemia celebratur, aliquam laboribus tuis quietem interponere cogereris, vt aliquando nobiscum amœniori cuipiam tete concederes hilaritati, paulò pòst ad lucubrationes tuas alacrior rediturus. Non enim animus sine fultura corporis sustineri potest. Neque mihi satis placet, quòd Platonem illum tuum aiunt spontè atque ex animi sententia Academiæ locum minimè salubrem delegisse, vbi Philosophantium apud se corpora macerarentur, deliberaq; fierent: siue mea hæc semper fuit imbecillitas, & ad hanc vsque ætatem natura spontè valetudinaria: siue persuasum habeam incommoda corporis studiorum profectui plurimùm officere. Quantam enim ego hinc iacturam fecerim, sum mihimet ipse conscius. Et quantum cœli huius patrij benignitas mihi contulerit, ipsa iam minùs cadaueresa facies, quam attuleram Roma, facilè poterit indicare: è tristi quippe quodam senio in prosperam, nitidam firmamq; virilitatem transmutata. Sanè*

hinc ad vigiliarum perseuerantiam, & legendi scribendiq; labores tolerandos longè alacriorem factum me sentio. Tu quod magis probes, quidq; tibi magis conferre soleat ipse videris, dummodò valetudinis atque firmitatis ratio in primis habeatur. Fecit autem ille, vt omnibus in rebus festiuissimus est, quod depopesceram; tu verò respondisti, venturum te libenter, si modò per dies hos, quos in patria consumpturus esses, vellem ego tecum quotidie vel venatione, vel aucupio exerceri. Accepi conditionem, quantum ad aucupia pertinet: ac ne me imparatum deprehenderes, néve vlla nos tempestas, aut casus, ne minus res cum auibus esse posset, interturbaret, auiarium variis alituum generibus instructum comparaui, idq; totum tibi, ludoq; tuo destinaui. Tu cùm veneris, quid facturus sis vide, simulac conuiuium ex eis instruere constitueris, vtrùm simplices has carnes, siue vlla peregrinæ iucunditatis aspergine, siue Apitiano vllo artificio sis appositurus: an, quia nonnullæ forsitan fuerint, & sine succo videbuntur, hîc condimenta illa aromataria Venetiis allata sis adhibiturus, ea verò quam suauia, quàm odorata, quàm pretiosa. Propera igitur, vt quando per Aegyptum aucupia nostra sumus exercituri, apud Cleopatram faciàs nos cœnitare. Ego enim macellum depeculabor, & patinarum struices apparabo, tu corollaria & secundas mensas addere collatitio illo, vti consueueramus, more non grauaberis.

DE STRVTHIOCAMELO.

IAcile' quidem meminisse potes, optime Thoma, quo die Carolus v. Imp. à Clemente VII. P. M. Bononiæ coronam accepit, sacrificij genus quoddam à Germano milite media platea procuratum: interfuisti enim rei gestæ, cùm Bouem mactauerũt, cuius vterum exenteratum, variis alituum generibus, aliorumq; esculentorum farciminibus compleuêre, lætum hilaremque diem ex his omnibus vnà tostis celebraturi. Ita nos nunc facturi videmur, qui Struthiocamelum, visendæ magnitudinis alitem, minutioribus pleriſque auiculis in eius aluum ingestis confarciuimus. In collatitiis verò nostris cœnis illis, quas post relictam Romam patriæ redditus, teq; sodali iucundissimo reperto proposueramus, singula tantum singulis ciborum genera per sortem educebantur. Nosti multa eius multiplicitatis esculenta à conuiuis excogitata, vt legi fraus fieret sumptuariæ, quæ inter nos sancita fuerat: res enim variæ sub vno vel farinaceo integumento, vel omasi cuticula delitescebant, sed non id ganeæ, verùm hilaritatis causa prosecuti, ingenti illi minores alias aues ingessimus. Maxima ea omninò auium, si modò auis appellanda est, cui plumæ tantùm sunt, non tamen volatus, cui crura pedesque atque vngulæ non forma tantùm, verùm etiam magnitudine propemodùm bubuli. Sed hæc alij disputabunt, nos plumatum alatumque animal in volucrum ordinem interim admittemus.

IVSTITIA.

HVIVS sanè pennæ, quoniam præter aliarum auium morem æquales omnes inter se sunt, iustitiam & æqualitatem erga omnes significant, vt apud Horum habetur. Plurimus verò earum vsus ad conos bellicos, & galeas adornandas, tam apud veteres, quàm apud nostros, cuiusmodi illę sunt quæ in eo numo habentur cuius inscriptio, TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVG. P. M. TR. POT. XXIIII. Ibi enim pennæ huiusmodi in quodam serto sitæ sunt supra frontem sigilli, cui subiecta est inscriptio, IVSTITIA. Numum Bononiæ vidi apud Io. Achillinum. Ibidem apud Alexandrum Calcinium solum Iustitiæ caput in numo est, cum eodem pinnarum æqualium gestamine, iisdem literis, quippe, IVSTITIA. Sed enim vt ad alitem reuertamur, quoniam Struthiocameli stolidi adeò sunt, vt cùm colla fruticibus occultauerint, latêre sese existiment, succurrit Carneadis disceptatio, qui Iustitiam nihil aliud esse quàm meram insaniam profitebatur.

Carneadis disceptatio.

PINNÆ IN MOENIBVS.

AD eiusdem speciei similitudinẽ murorũ summa fabricari solita, causam dedêre vt Pinnæ vocarentur, ab iis, vt Varro ait, quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Hinc intelliges de armatura Samnitium, quæ alibi apud Varronem & Plinium legeris.

ELEMENTORVM CONCORDIA.

SANE' si quis Ægyptiorum more elementorum concordiam indicare voluerit, non imperitè picturam eam proponet, quam ipse rerum opifex per animalia id præ se ferentia, considerandam proposuit, Lutram scilicet, vel eius loco marinum Vitulum, Struthiocamelum, & hominẽ, vno vinculo religatos. Lutra siquidem, & Vitulus marinus, media sunt animalia inter terrestria & aquatica, vinculumque illud ostendunt, quo terræ applicitæ sunt aquæ, suisque coërcentur finibus, quia diuina prouidentia cùm arenam terminũ maris posuisset, leges etiam imposuit aquis, ne fines trãsgrederentur suos. Struthiocamelus autem ambiguus est inter terrestria & aëria: verè enim volucris non est, quæ nequaquã à terra, vt volucris, attolli potest, pennæ autem alæque illi ob id tantùm à natura datæ, vt cursum adiuuent. Crura verò, vti dictum, bouilla propemodùm, vngulasque bifulcas habet. Denique inter elementa omnia, & cœlum ipsum, homo inter

Lutra, Vitulus marinus, & Struthiocamelus.

A intermedius est constitutus. Ita per huiusmodi picturam tota ipsa rerum machina describitur.

MVLTIVOLVS.

DIVINÆ literæ Struthiocamelum pro multiuolo homine, & certi nihil sibi adscisccnte ponunt, videlicèt qui sacræ adscriptus militiæ, profanis tamen negotiis implicetur, iisq; tantùm tractandis occupetur. Nam quòd alatum est, contemplationem refert & excribit, sed propter vasti corporis magnitudinem tollere se humo nequit, alis tamẽ, vti dicebamus, ad cursum vtitur. Quòd pedes bouillos habet, terræq; semper adhæresćit, quæ terræ sunt significata suscipit: ita enim videtur Hesychius interpretari. Quod verò ad animalis huius ingressum attinet, tametsi volare nequit perniciſſimè tamen currit. Struthiocamelos, ait Xenoophon, quos apud Euphratem Cyri milites offenderunt, à nemine capi potuisset: tam longè enim modò pedum pernicitate, modò alarum quasi velificatione procurrebant, vt statim equites desperata præda, insequi desisterent.

HÆRETICVS.

QVOD verò superiùs diximus ex Hesychio, Eucherius quoque per animal huiusmodi hæreticum hominem significari tradit, qui habere quasi videtur sapientiæ pennas, volare tamen non potest.

HYPOCRITA.

EVCHERIVS idem ait de hypocritis dictum ab Esaia: *Erit cubile draconum, & pascua Struthionum.* Parit siquidem oua Struthio, verùm, vt alibi diximus, neque illa incubatu fouet, neque pullos nutrit. Ita hypocrita, quamuis rectè alios admoneat, & rectè faciendi vim addoceat, nullos tamen filios per vllum bene actæ vitæ exemplum generat. Hinc Iobes clamat: *Struthio in terra relinquit oua*
B *sua, & obliuiscitur quòd pes ea sit conculcaturus.*

INSIPIENTIA.

ADHÆC, vti paulò antè dicebamus, genuina illa animalis stoliditas effecit, vt imago Struthionis caput intra frutices abscondentis, insipientię hieroglyphicum haberetur, vtpote qui cùm auium sit grandissima, ita vt altitudinem equitis Equo insidentis excedat, si tamen colla tantùm frutice occultauerit, latêre se totam existimet, cùm reliqua magna admodùm corporis moles in aperto relinquatur. Ita dum in capite secura est, diceret Tertullianus, nuda, qua maior est, tota cum capite capitur. Diodorus tamen id à Struthiocamelo, non ex stupore fieri contendit, sed quia sit sibi conscius habere se caput admodùm debile, occultare id quamprimùm studeat.

DE VESPERTILIONE.

MONSTROSA quoque est Vespertilionis effigies, multáque in se mystica continet hieroglyphica.

AB EXILI FORTVNA IN ALTVM EVECTVS.

PRÆCIPVVM QVE illud apud Ægyptios fuit, vt per animal huiusmodi significarent hominẽ qui debilibus & exiguis viribus siue nobilitatis, siue fortunæ, siue etiã ingenij præditus, ita tamen repentè emerserit, vt non se tantùm humo sustulisse, sed subito volatu elatus in sublime ferri videatur, cuiusmodi exẽplorum plena Roma semper fuit. Vespertilio siquidem licèt pennas non habeat, sola tamen membranula fretus volat, ita vt difficulter distinguas, sit ne auis, an mus. Quare apud mythologos argutè vafreq; duas eludit mustelas, dum se alteri auem, alteri se murem venditat, atque ita capitis periculum euadit.

Quomodo volat Vespertilio.

C

OFFICIA MVTVA.



MIRVM verò illud inter hoc tam brutum genus, quòd tantase humanitat e complectuntur, vt nulla conuenientiùs specie figuráve officia mutua describas, quàm per Vespertiliones alterum ab altero catenatim dependentes. Habet enim id genus animalium mutuam inter se quandam beneuolentiam, sæpeq; veluti catena quadam contexta, si qua vlli vis inferatur, mutuò sibi cohærent, imbecillitati suæ opem sibi inuicem afferentes, visæq; sunt alia ab alia alarum hamis vnius ad alterum porrectis pendentes, longum veluti funem produxisse.

NVTRICATIONIS FACVLTAS.

MVLIEREM iidem sacerdotes lactis vbertate fœcundam & bene nutricantem significare si vellent, eandem ipsam alitem pingebant, quippe quæ sola volucrum & dentes & mamillas humanis similes habet, lacteq; nutrit pullos, vberibus mulierum in modum admotis. Nam Ægyptij ab iis quæ in vnoquoque genere reliquorum naturam aut mores excederent, significationum suarum argumenta desumebant. Quod verò ad mammas pertinet, Græci hanc alendi fœlicitatem indicaturi Dianæ symulacrum mammosum effingebant, cuiusmodi illud fuit quod Ephesi tandiu tanto concursu visitatum, eamq; Latini ea de causa multimammiam appellarunt, cuius exempli multa hodie Romæ vetusta signa conspiciuntur. Minimè verò prætereundum est, hoc loco in impressis exemplaribus Hori perperàm legi, Γύναικα σπλάζνουν

Dianæ simulacrũ mammosum.

ἢ καλῶς ἀναγεφυσαν βελόμυοι ζωγραφῆσαι, τρισὶν ἅνα ζωγράφυσι cùm ex manuscriptis codicibus antiquis D & historia ipsa legendum sit, βελόμυοι ζωγραφῆσαι, νυκτερίδα πάλιν ἔχουσαν ὀδόντας ἢ μαστὸς ζωγράφυσι, hoc est, *Volentes pingere, Vespertilionem identidem dentibus & mammis præditam pingunt.* Inde sequitur pro redditione caulæ, αὕτη γὰρ μόνη τῶν ἄλλων πτηνῶν ὀδόντας ἔχει μαστούς, *siquidem sola ex omni volucrum genere, & dentes simul & mammas habet.* Quorsum enim dentes & mammæ ad Turturem alitem minimè monstrosam?

LVCIFVGA.

Vespertilionum & Formicarum antipathia.

QVOD si hominem latebris & occulto secessu gaudentem, vel qui rei cuiuspiam metu perculsus in apertũ minimè prodire audeat, significare vellent, Formicam & Vespertilionis alam adpingere consuerunt. Aiunt siquidem eam esse inter Vespertilionem & Formicas naturę discordiam, vt si ala tãtùm Vespertilionis Formicarũ cauo admota fuerit, nulla earũ foras progrediatur.

MORA.

QVINETIAM sunt qui tradant credi solitum, Formicam eo nunquam exire quò Vespertilio vel semel accesserit, atque ideo Formicam sub Vespertilionis ala positam, & moræ & tarditatis aut impedimenti significatum habere. Transit & ad Columbas huiusmodi sympathia, quia vt Florentinus libro de re Rustica ait, Columbæ stationem minimè deserunt, si Vespertilionis caput supra turrim posueris.

INSCITIA.

Hieroglyphicum ex natura Vespertilionis.

COGNITIONEM alibi per lumen significari diximus, vnde etiam Dare luci, pro Declarare & edocere, sæpe legimus, contrà verò inscitiã per tenebras intelligimus, vnde Hallucinari pro decipi per ignorantiã. Quoniam verò Vespertilionis ea natura est vt tenebris gaudeat, neq; lucem ferre possit, Diuinæ literæ dum Vespertilionem à sacris summouent, ἱερογλυφικῶς eum intelligunt E virum, in quo nullum disciplinarũ, aut veræ institutionis lumen effulgeat, explodi debere. Alioqui apud Eucher. Vespertiliones in Diuinis literis idolorum monstra sunt. Propheta: *Vt adoretis Talpas & Vespertiliones.* Sunt etiam cogitationes immundæ, quas improbi dæmones ingerunt, vt idẽ sentiat.

SECVRITAS.

NEQVE desunt qui securitatem indicaturi, Vespertilionem inuerso capite pingant: is enim circumlatus domui viuus, & super fenestrã vel in hyperthyro, aut ipsis in valuis inuerso capite affixus, maleficiorum amuletum creditur, Plinio etiam id tradente, quod ad hæc vsque tempora pleriq; locis factitari videmus. Contrà verò, si quis eam amoliri arcereq; ab ædibus velit suis, platani folia suspendat. Africanus enim in his quæ de agricultura conscripsit, Vespertilionem eò non ingredi tradit, vbi arboris huiusmodi folia suspensa conspexerit. Pro corollario addam, occidi eas hedera suffumigata. Nam eas qui sustulisse se profiteri signo aliquo velit hieroglyphico, Vespertilionem faciet hederæ folio insidentem. Nam Alcithoë Leucothoeq; sorores apud Ouidium, spreuisse Bacchi sacra finguntur, eaq; de causa in Vespertiliones mutata, vnde suffitum hederæ ita exhorrent, vt eo etiam necentur.

IMPVRÆ MENTIS HOMO.

Mysticum de Vespertilione hieroglyphicum.

HESYCHIVS ait eam hieroglyphicum esse hominis, qui serò & parcè fidei documenta susceperit, inq; illis mente non satis firma versetur, sed in ambiguo omnia reponat, neque sciat de terra sua exire, sed in quibus genitus est latebris libentissimè delitescat, Christianus demum sit, sed parum fidelis: serò enim Vespertilio prodit, sub ipsum quippe crepusculum vespertinũ, atque vbi tribus aut quatuor spatiolis volatum exercuerit, à noctis tenebris occupatur, neque longè fertur, sed supra circumq; tecta semper volitat, cùm Abrahamo Dominus peregrinationẽ indixerit, terra F in qua alitus erat, quamq; inhabitabat, derelicta, pristinam scilicet imbecillitatẽ & crassam originem nobis posthabendam admonens, perinde ac etiam separari nos à parentibus, & sequi Dominum doctrina moneat Euangelica. Vespertilio demùm vtrùm ales an musculus sit, extat in ambiguo, cùm, vti paulò antè diximus, ipsemet in fabulis persuadeat Gallo se esse Murem, Catto verò alitem. Volat quidem, non tamen pennis, sed membranulis innixus, neque pluma, sed pilo, atque eo quidem murino, vestitur. Ita homines plerique volatu qualicumque præditi, baptismatis tantùm tinctum assecuti, apud Catholicos Christum fatentur Petrum Ecclesiæ specificè præposuisse, apud hæreticos impudenter delirant atque præuaricantur, apud Iudæos Christum rident, apud Mahumetanos tam Iudæos quàm Christianos incessunt. Impurissimum hominum genus, non modò Vespertilionibus perquàm simile, sed cui meritò ἀπὸ τῆς μαραίνεσθαι nomen inditum sit, abominabile id quidem, & omnibus abhorrendum.

DE OTIDE.

ΩΤΙΔΑΣ Græci dicunt, quas aues tardas Hispania, damnatas in cibis, propterea quòd ossibus eius effractis teter odor ex medulla ad tædium vsq; extemplò sequitur. Sedenim Xenophon earum carnem ait multò suauissimam. De tarditate idem tradit, & faciles captu asserit, quòd nihilo quàm Perdices longius prouolent, celerrimèq; fatigentur. Ægyptij sacerdotes hanc quoque hieroglyphicis annumerarunt.

IMBECIL

A IMBECILLVS FORTIORI ASSVRGENS.

QVIPPE si hominem imbecillum qui ferociori potentioriq; assurgeret, ac in rebus gerendis sententiisq; dicundis primas illi partes cederet, significare si vellẽt, aut ita faciendum admonere, Otidem auem, & Equum adpingebant: illa siquidem simulac Equum aliquem in conspectu habuerit, nihil quicquam contata, illum quadam veluti venerationis ostentatione excipit, circumq; volitando & subsequendo deducendoq;, officium facere quodammodo videtur.



Humilitas Otidis.

NIL ALTVM SAPIENS.

CVM verò Otis omninò auis sit, animi est identidem signũ: alatus enim animus passim apud Platonem. Sed hæc animum indicat ignauum ac stupidum, quippe quæ tarda est, corpulentiaq; adeò grauis, vt vix sese terra attollat, ita terreni etiam affectus, quo quispiam detineatur, indicium est, quippe qui nihil sublime sapiat aut meditetur.

CONTVMAX.

Canis Otidi inimicus quid.

ATsi quis contumacem aliquem & monitoribus asperum, ab omniq; bono opere alienum, hieroglyphico referre voluerit, aptè Otidem & Canem pinget: nulla enim auis Canem exhorrescit præter Otidem, quę suę sibi conscia tarditatis, simulac Canem conspexerit, aut latrãtem audierit, statim arrepta fuga se condit in latebras. Per Canem autem suo commentario Sacerdotem præcipuè significari diximus in templis concionantem, de diuinis, de pietate, reliquisq; bonis B moribus differentem contra impios scilicet & improbos oblatrantem. Eum igitur qui subfugit & sacerdotes, ingenio plurimùm contumaci esse consentaneum est.

DE ALCEDONE.

ALCEDONEM, quod hactenus viderim, Ægyptij non posuerunt: ea verò apud Italos sua habet significata.

TRANQVILLITAS.

Nidus Alcedonis.

QVORVM vulgatum illud est, per Alcedonis nidum rerum quarumlibet tranquillitatem indicari: mare siquidem per dies circiter quatuordecim, quibus auiculæ illæ nidificant in littoribus incubántque, mira pacari serenitate compertum est. Est verò nidus ille miro artificio ex piscium culorum officulis & spinulis cõtextus, ad gladij cuiuslibet ictum incolumis figura cucurbitę, præter vnum perexiguum cauum, qua ingrediendi & exeundi sit parentibus aditus, cætera conclusus.

IVSTITIVM.

Dies Alcyoniæ quid.

TRANSIT & ad res ciuiles figurę huiusmodi significatum: nam hę ad maris varietates accommodantur, est enim iustitij monumentum, ideoq; à Plauto dictum, *Alcedones esse iuxta forum.* Ad suspensas enim fori procellas, fluctuationesq; & turbines, hoc aptissimè refertur. Nam & Horatius *mersari se* ait, *si quando res agere adtibuerit, ciuilibus vndis.* Ita dies Alcyoniæ dicuntur, quibus fora conticescunt. Sunt verò dies Alcyoniæ, vt luculentissimo carmine Simonides tradidit, septem ante brumam, dum scilicet incubat, & septem à bruma, posteaquã pulli excluſi fuerint: quibus quidem diebus ea tranquillitas non semper nostris locis, in Adriatico quippe sinu, contingit, neque etiam C Tyrrhena ora, at in Siculo mari ferè semper. Fit verò bruma, vt Hesiodi interpretes scripsêre, mẽse Ianuario, quem in honorem Bacchi Lenæum ipsi vocant, & eo mense à Latinis Brumalia celebrari dicunt, quòd Bromus Bacchus appelletur. Sedenim Traiani temporibus, quod de ætate sua Plinius profitetur, ad 8. Calend. Ianuarias fuit, quo die natus est nostræ salutis Assertor. Accidit autem bruma, tresq; cardines reliqui, in octaua singulorum, Capricorni, Arietis, Cancri & Libræ, quæ diuturnitate temporis ob minutorum aliquot neglectam intercalationem, minimè nunc respondere comperias: nam octaua Capricorni, circa vigesimam est nunc Decembris diem. Sedenim hæc perpendere Astronomorum diligentiæ dimittamus.

CONSVETVDINIS RARÆ HOMO.

ALCEDONEM præterea pingebant quotiescumque vellent hominem rarò prodeuntem, & minimo temporis momento cum hominibus versatum significare. Alcedonem siquidem videre est omnium rarissimè: ferè enim circa Vergiliarum occultationem, brumamq; ipsam apparet, & vbi primùm per portum non plus quàm nauem circumuolauerit, statim abit, vt nusquam præterea conspiciatur, de quo apud Stesichorum latiùs. Causam huius nidulationis hybernæ quærit Albertus, eam esse suspicatus, quòd auicula ea rata adeò sit textura, vt æstate propter nimiam corporis ariditatem prògenerare nequeat, hyeme verò obturatis præ frigore poris, humidioreq; effecto corpore, fiat ad conceptum idonea. Non dissimularim hoc loco quod Antigonus ait, Alcedones vbi senescunt, Cerulos vocari. Verùm Aristoteles discernit inter se diuersas, Alcedonem, Cerulum, & Cornicem. Sunt qui harum marem Cerulum vocent, idque verum esse tradunt interpretes Theocriti.

DE CVRVCA.

SVNT pleraque de quibus Ægyptij parum, alij multùm locuti sunt, quæ tamen quoniam Ægyptiacis commentis non dissimilia sunt, in Struthiocamelum hũc infarcienda videntur, atque in his Curuca & Cuculus.

ALIENI FILII PRO SVIS EDVCATI.

Cuculus in nido Curucæ nidificat

DE quibus vulgatissimum apud omnes scomma, hominem per eam significari, qui filios adulterinos pro suis pascat. Cuculus enim Curucæ absumptis ouis, in eius nido sua potissimùm oua ponit, vtpote qui se ignauum minimeq; idoneum agnoscat, qui possit pullis necessaria comparare. Suæ igitur sibi conscius imbecillitatis, eam init rationem ad prolis suæ tutelam, quippe qui omnium auicularum iniuriis sit expositus, vereaturq; ne si nidum struat, minimo inde negotio depellatur, idcirco ad alienas confugere opes pergit. Curuca itaque oua illa fouet & excludit, atque educat pro suis. Aristoteles, si modò legitimum est id opusculum, *De mirabilibus auscultationibus*, accidere hoc in Helice tradit, addit & in Palumbium aut Turturum nidis oua ea deponi.

DE CVCVLO.

MINIMA QVAQVE DE RE TIMIDVS.

Cuculi vocabulum in iniuriam abijt.

CVCVLVS quia timiditate maximè omnium auium excedit, adeò vt à minimis quibusque auiculis conuellatur, easq; præ metu fugitet, commenti nonnulli sunt, hominem minima quæque expauescentem, per alitis huiusmodi picturam significari. Vnde conuicia illa, siue quempiam adulteræ vxoris maritum dicere volumus, siue ignauum, siue stupidum, aut nullo animo præditum hominem notare, Cuculum appellamus, vt apud Horatium Sermonibus:

Tum Prænestinus salso multúmque fluenti
Expressa arbusto regerit conuicia, durus
Vindemiator, & inuictus cui sæpe viator
Cessisset, magna compellens voce Cuculum.

Solent, inquit Porphyrio, leuia rustici circa viam arbusta vindemiantes à viatoribus Cuculi appellari; tum illi prouocati, tantam verborum amaritudinem in eos effundunt, vt viatores illis cedant, contenti eos Cuculos iterum atque iterum appellasse. Ego cùm Octobri mense Roma Neapolim proficiscerer, in eiusmodi iocos incidi, per continuum diem conuiciis huiusmodi delectatus. Quare cum Acrone dicere possumus, hoc autem ipsa re nouimus, quemadmodum viatores quos in itinere vindemiatores per agros conspexerint, conuiciis agitare gaudeant, illiq; ita respondere, vt Cuculum eum appellent quasi pigrum, ignauum scilicet ac nihili hominem. Sed hoc parum est, & quod à Porphyrione dicitur, subfrigidum: hodie siquidem res agitur calumniis etiam vehementioribus: viatores enim eos nunc Pulterones, nunc Cornutos, nunc aliis atque aliis conuiciis incessunt; illi contrà, siue ciuis, siue magistratus, siue rex ipse occentare cœperit, omne opprobrij genus regerunt, tegendisq; retectis turpissima quęque minitantur, præsertim si celsissimis quę frequentes tota regione sunt arboribus insederint: quamuis id impunè toto agro Campano Neapolitanóque, tempore vindemię licet, ne quid Liberi libertati detrahatur. Atque hoc illud est quod Flaccus ait: *Durus vindemiator & inuictus, qui sæpe viator cessisset.* Quoniam verò species Cuculi certo anni tempore non multum differt ab Accipitre, locus fabulæ datus, quam in Arati vita Plutarchus refert. Ipsa enim inducitur minores auiculas percontari, quare fugerent se conspecta, quæ nullam præ se ferat ferocitatem, quoniam responderunt, suspicamur te aliquando futurum Accipitrem.

TRANSMVTATVS.

POSSVMVS igitur hominem, qui vel mores, vel effigiem ita commutarit, vt alius penè videatur, per eandem hanc auẽ significare. Ea enim figurã immutare creditur, & in aliud transire genus, cùm inter Accipitres omninò numeretur, licèt vnguibus sit haud quaquam aduncis, neque capite Accipitri similis, sed colore tantùm, rostro quoq; magnitudineq; columbino potiùs quàm Accipitrino.

PVLICVM DEFECTVS.

ALII porrò quoniam Ægyptios animaduerterant de pulicum defectu describendo solicitos fuisse, quippe origanum in eo significato proposuerant, addidêre ipsi Cuculum & humanum vestigium, qua specie pulicum exterminationem indicarent. Ferunt enim, quo quis loco primùm audeat alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium id defodiatur, non gigni pulices vbicumque puluis eo vestigio compressus, sparsus fuerit. Hæc obseruarunt Magi. Pulicum verò nuncupatione, humiles sordidæq; curæ sunt intelligendæ, quibus impliciti vitam agimus anxiam & inquietam. Multa enim, licèt ea pingere aut sculpere insanientis vaniq; sit ingenij, ob exiguitatem, quæ minùs repræsentari potest, vsu tamen loquendi frequenter vsurpantur.

IVNO.

Iupiter in Cuculum mutatus.

PAVSANIAS vbi opera ea recenset quæ Mycenis spectatu digna viderentur, in sceptro, quod in Iunonis manu erat, Cuculum insedisse dicit, eáque de causa signum ita fieri solitum quòd Iunonis

A Iunonis desiderio Iupiter aliquando in eam auiculã se cõuerterit; tam inania illi de diis suis commiscebantur. Quinetiam locum Coccygium appellatum authores celebrant, in quo Iupiter in Cuculum sit mutatus. Apud interpretes Theocriti ita leges, Iouem Iunonis cõgressum appetiisse, rem tamen occultare voluisse, mutatum itaque in Cuculum, abiisse in montem qui tunc Tronax, posteà verò Coccyx appellatus est, eoq́ue & Iunonem concessisse, quæ simulac assedit, Iupiter in eius auis effigie ad eam aduolauit, seque in eius genua proiecit; repulit hunc Iuno excusso peplo, at ille statim mutata facie acceptus ab ea est. Hinc apud Argiuos Iunonis simulacrum in throno collocari, in manu verò sceptrũ poni, supra quod Cuculus. O lepidos & otiosos deos, qui puerilibus his næniis delectarentur; sed lõgè magis ineptos, qui talia scriptis mandare non erubuerunt.

NVPTIÆ.

CVM verò vincula iugalia curæ sint Iunoni, putarim ego boni ominis causa Cuculum deæ dedicari solitum: boni est enim augurij Cuculus, nostrique solent ex eius cantu ducendæ vxoris tempus percontari. Caro autẽ eius si in cibum autũnali tempore veniat, cæteros sapores exuperat.

VERNVM TEMPVS.

EST & verni temporis signum Cuculus, id quod vel imperitæ innotuit plebeculæ. Porrò nuncium eum veris ponit Hesiodus:

ἠγὼ κόκκυξ κοκκύζω ἀρούρης ἐν πετάλοισι.
Vt cantum audieris quem reddit ab ilice coccyx.

Tunc enim exulare hominem dicit, quia verum eo nuncio veris aduentum intelligant. Pistotherus apud Aristophanem, Auibus, vbi Cuculum Ægyptiis imperasse dicit, tam eos ait quàm Phœ-
B nices ad cantum huius auiculæ, tanquam ad imperiũ triticum & hordeum demetere solitos: tempestiuior enim apud eos messis, quàm in Græcia & in Italia sit.

DE CAPRICIPITE.

AGELASTOS.

HOMINEM qui nulla iucundiore consuetudine posset ad risum allici, quòd eius expers esset, veluti Socrates fuisse fertur, ostendere si vellent, Capricipitem auem pingebant, quam liene omninò carere tradunt; in liene verò sedes est risus, veluti amoris in iecinore, libidinis in lumbis, iracundiæ in felle. Eaq; de causa dictum, Columbam summam significare mansuetudinem, quòd bile careat.

DE VPVPA.

FERACITATIS PRÆCOGNITIO.

VPVPAM Ægyptij cùm pinxissent, præcognitam vindemiæ feracitatem, siue lætum ac plenum vindemiæ prouentum indicabant, lætitiam scilicet aliquam affuturam, vt in Vite latiùs explicatur. Quia si ante vindemiæ tempus valde clangere audita fuerit, nimirum vini redundantiam prænunciare creditur.

EBRIETATIS REMEDIVM.

C HOMINEM verò ebrietate laborantem, ac sibi remedium comminiscentem, significare cùm vellent, Vpupam & Capillum Veneris herbam pingebant: Vpupa siquidem vuis vescitur immodicè, ita vt plerunque inde ebria fiat, ac simulac se tentari sensit, Capillo Veneris decerpto efficacissimè sibi medicatur. Herbam hanc *ἀδίαντον* Græci vocant, *ἀπὸ τοῦ μὴ διαίνεσθαι*, hoc est, eò quòd minimè marcescat, neque quidem si aqua perfundatur, immergatúrve, neque bruma putrefit, vt herbæ reliquæ. Summouent autem Vpupam Diuinæ literæ, quam piorum mensis inferri nolunt, querulam quippe volucrem, lugubrem atque luctuosam, quæ nihil vnquam nisi mœstum & triste meditatur. Vnde per alitis huius hieroglyphicum, hominem vitiis deditum intelligunt Theologi, propterea quòd nemo magis querulus, magisq; mœstus assiduè est, quàm vnusquisque vir improbus atque flagitiosus: solicitat hunc admissorum scelerum conscientia, vel inquietum exercet admittendorum cupiditas & impotentia. Nam si tumore superbiæ turgescat, quæ illi vnquam hilaritas arridebit? Fastu cruciatur assiduè, neque vllos tantos putat honores, qui quod affectat explere possint. Repulsam passus est, infelicissimum se mortalium putat. Auarus est, si iactura quantulacunque fiat, vicem deplorat suam; si prædam cui inhiabat elapsam videt, miserè cruciatur. Quid iracundus? annon statim vt incensus est pœnas vitij dat sui? Vnde Salomon ei luctũ mandat, cui iræ, cui rixæ, cui sine causa manus sanguinariæ. Quid inuidus? nónne suimet carnifex indefessus? Quid libidinosus? mentita est amica, æstuat immensum, expleuit cupiditatem suam, languet & erubescit. Quid vorax? distentus est, ægrè habet, famescit, extorquetur. Quid ebriosus? aret guttur, pulmo inflammatur, potauit, mente capitur, titubat, semianimis deficit, atque vt semel cum Flacco dicam,

Vpupæ hieroglyphica in Diuinis explicatio.

An ne magis Siculi gemuerunt ęra iuuenci,

quàm eius animus qui sit improbitati,facinoribusq; addictus flagitiosis? Contrà verò probus mo- D
destusq; vir,ruat cœlum,nulla re cõmouebitur,gaudebit semper,æquanimis erit semper, gauden-
tem hilaremq; scit à Deo vocari,exultantem sacris admoueri.Repulsam patitur,modestè fert: ia-
ctura afficitur,paruo contentus est;denunciantur inimicitiæ,pacem meditatur; solicitatur à mali-
gno,resistit audacter,lætumque tunc triumphum agere sibi videtur, cùm semetipsum edomuerit.
Cibum & potum ita moderatè sumit,vt neque mentem offuscet,neque debilitet corpus, nullaq;
demum animi rranquillitas,nulla lætitia,hilaritas nulla huic comparari potest,quæ in rectè facto-
rum conscientia requiescit,cùm se pium cogitet,cùm se vitam puriter egisse reminiscitur.

DE FLORO.

LONGE diuersum ab Otide est ingenium Flori:nam quantum illa venerationis in Equum ostendit,tantum hæc exercet odij & ignominiæ.

FEROX A MANSVETO SVPERATVS.

Flori auis descriptio. FEROCEM hominem ab humiliore mansuetioréque superatum,per Florum auiculam, quam ἄνθον Græci vocant, significabant.Palustris auis ea est,coloris pulchri, oculorum acie non satis valens, quæ cum Equo semper pabuli gratia dimicat: herba enim vterque pascitur. Illa vocem eius interdum imitatur, insilienſque aduersus Equum, dorsum occupat, quamque maximo potest morsu colla armosque vellicat, hisque auxiliis freta eum plerumque fugat.

E

DE SALO.

VANDO verò in has incidimus inimicitias,non dissimiles ab his recensebimus, quæ inter Salum & Asinum habentur ingentes.

INIVRIARVM VLTIO.

Aegythus siue Salus. AEGYTHVM Ægyptij,quem Latini Salum vocant,Asini vlcera rostro excauantem pingũt, si hominem illatas filiis iniurias vlciscentem significare volunt. Nidulatur hæc plurimùm in spinis,accidit q; vt Asinus pruritu vlcerum excitatus,scabendi causa se conferat ad spineta, atque ita atterat vlcera,nidosq; dissipet;quod quidem illa adeò pauet,vt cùm etiam vocem rudentis audierit,oua abigat per abortum,pulli etiam metu labãtur in terram: itaque Salus ob eam iniuriam in Asinum inuolat,vlceraq; eius rostro impetit,affixaq; pertinaciùs quanto maximo potest conatu excauat.Denique atrox vsqueadeò odium inter eos esse autumant, vt si vtriusque sanguinem commiscueris,sponte se vterque subducat ac separetur, antipathia, ne coëat, pertinacissimè repugnante.

NECESSITVDINIS AVERSATOR.

SI verò Florum vnà tum Salo pingerent, hominem qui alterius necessitudinem pertinaciter F
auersaretur,significabant, quare aues illæ aut auersæ inuicem, aut capitibus saltem obtortis in
diuersa pingendæ sunt. Commenti causa ea est,quòd implacabiles inter vtranq; inimicitiæ inter-
cedunt,neque vllo pacto fieri potest vt harum quoque sanguis exhaustus commisceatur:cõfusum
enim non aliter alter hinc,alter inde contrahitur, quàm oleum ab aqua subducitur, vsque adeò
natura ipsa dissident.Quare tibi tria sunt obseruanda eiusdem generis exempla, quorum natura
inter se minimè congruat,sitq; pertinacissimæ discordiæ, Salus & Florus, Salus & Asinus, &, de
quibus suo loco dictum,Cornix atque Noctua.Namq; vt nihil est appetentius,nihil rapacius simi-
lium sui,quàm natura,ita etiam dissimilium nihil auersum magis,ac magis abominabile.

DE ARDEA.

EXANGVIS DE NEQVITIA REDDITVS.

Ardea vnde sic dicta. HOMINEM ita libidinis vsu cõfectum exhaustumq;, vt propemodùm exanguis sit affectus, ostendere qui vellent,Ardeolam illam pelam pingebant, quæ Græcè ἐρωδιὸς dicitur; ea de coitu ita angitur,vt sanguinem ex oculis emittat,remque summo cum dolore peragat, clamore vasto atque admodùm insuaui difficultatem attestante. Nomen illi apud Græcos inditum aiunt, ὅτι ἔαρ ἱερᾶι: nam ἔαρ quandoque sanguinem significat. In collectaneis Sudæ Grammatici dictam volunt ἀπὸ τὸ ἐν ἕλεσι διατρίβειν, quòd in paludosis & humidis locis versetur

A versetur, quasi helodium dicas. Sunt qui eas inter Grues recenseant, sunt qui similem Grui dicant,& Diuinarum literarũ interpretes de aue hac,vbi vulgata Psalmorum editio habet, *Herodij domus dux est eorum*,varia tradiderunt.

TEMPESTAS.

SEDENIM D.Augustinus,qui herodium fulicam arbitratur, tempestatis eam impendentis signum autumat.Sedenim apud Maronem Ardea & Fulica diuersæ sunt volucres, tametsi vtraque sit indicium tempestatis:ait enim,

--Cúmque marinæ
In sicco ludunt Fulicæ,notasq; paludes
Deserit,atque altam supra volat Ardea nubem.

Sed super hac satis est à nobis in Ciconiæ commentario disputatum.

DE CINNAMO.

AROMATARIVS.

POMINEM ex aromatum mercimoniis ditescentem significantes, Cinnamum auem pingunt. Auis ea in Arabia versatur,quæ surculos Cinnami congerit,ex quibus nidum sibi conficiat:quocirca indigenæ plumbatis eum sagittis decutiunt, mercis gratia, neque aliud mihi super ea compertum est.

B

DE VELIA.

STVDIOSVS OTII.

STVDIOSVM otij & commodorum hominẽ indicare qui volunt, Veliam auem pingunt:ea enim in vmbra & aura æstatem agit,hyemem in apricis:nam & potentes, cùm in eos qui otio literario dediti sunt, cauillantur, genus hominum ignauum appellant, quod,vt apud Iuuenalem est,tecto gaudet & vmbra.

DE ASIONE.

IGNOBILITAS.

IGNOBILEM hominem,atque vti dici solet,Terræ filium,notare si vellent,Asionem illũ pingebant,qui diuersus à perenni est,corpore pingui & minimè vocali.Nihil enim *Asionis generatio incognita.* habetur exploratum de generatione eius, cuiusmodi, qualisque sit;cæterùm Fauoniis tantùm flantibus eum apparere constat,veluti etiam plerique homines ignobiles, potentiorum tantùm fauore aliquo,tali quippe adspirante Fauonio, nullis alioqui natalibus, nulla probitate,nulla virtute,nulla muniti disciplina ad clarissimas interdum dignitates euehũtur, omnibus vnde hi prodierunt,admirantibus.Noctuarum hoc est genus maximum, quibus pluma aurium modò surrigitur,vnde & nomen illi:otus enim Græcis est, de qua quidem apud Athenæum plura comperies.

MIMVS.

CPER hanc auem plerique mimum atque parasitum exprimunt:non enim à mimica multùm distat ars parasitandi,quam ita describit Horatius:

Alter in obsequium plus æquo pronus,& imi
Derisor lecti,sic nutum diuitis horret,
Sic iterat voces,& verba cadentia tollit,
Vt puerum credas sæuo dictata magistro
Reddere,vel partes mimum tractare secundas.

Est enim hæc auis omniũ maximè imitatrix,&,vt Plinius ait,parasita, & quodam genere saltatrix.

CORNVTI.

HÆC in clypeo atque insigni militum Romanorum,qui recentiori tempore,paulo antè quàm declinaret Imperium, sub Magistro peditum merebant, ordinis eius signum fuit qui CORNVTI appellabantur, eratque ales prasini coloris in orbiculo luteo, quem cæruleus ambitus latè ductus circumplectebatur,à quo mox arctior & ipse luteus,& circa marginem extremus ruber.

DE IYNGE.

IYNX inter lingua nobiles enumeratur,pro quo nomine.Lyncem compluſculis in locis *Nominis varietas.* apud Plinium corruptè scriptum offendes,indice etiam illo tam copioso, eodem errore perplexè notato:quippe qui volucre animal quadrupedibus adnumerarint, Lyncem eam quæ nostra hæc Iynx est, arbitrati, Fringillam hanc vulgò dicunt,vt Gaza putat.

Græci

Græci plerique Romani sermonis non vocem, sed significationem secuti σεισοπυγίδα, Latini à cau- D
dæ continuo motu, motacillam dici tradidêre, Torquillam alij, à torque quo collum insignita est, alij turbinem, alij aliter nominarunt; sed nos Pliniani codicis macula iam eluta, ad significata nostra reuertamur.

DICACITAS.

PER eam pictam nonnulli dicacem hominem intelligunt, propter insignem linguæ longitudinem: linguam enim habet Serpentibus similem, quam in longum mensura quatuor digitorum exporrigit, rursumq; contrahit intra rostrum non complicatam, sed terreni lumbrici more collectam, & in sese reductam. Communis autem sermo verbosos garrulosq; homines ab instrumento ipso linguaces appellare solet. Sed ad linguam id etiam addemus, quòd pedes habet Iynx binis vtrinque digitis insignes: illi tamen hæc de Lynce dicta credidêre.

INCANTATIO.

PASSIM verò præcipuum ales hęc fuit incantationum signum, propterea quòd ei amatorium quid naturâ inesse persuasum est. Quinetiam quæcunque ad rem amatoriam veneficia, pharmaca, incantationesq; comparantur, vno vocabulo Iyngas Græci vocauêre. Hinc apud Theocritum intercalare illud, Pharmaceutria

ἴυγξ ἕλκε τοτῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Scribit Pindarus Venerem Iynga cœlitùs attulisse, quam Iasoni daret, carmenq; docuisse, quibus Medeam in amorem alliceret.

VEHEMENS CVPIDITAS.

IDEM Pindarus hieroglyphicè locutus ἴυγγι δ' ἕλκομαι ἦτορ dixit, vehementem cupiditatem signi- E
ficare volens, vt eius interpretes exponunt. Lynx enim, vt interpretantur illi, vis illa dicitur, quę
Vis amoris. cogitationem nostram ad cupiditatem & amorem trahit. Tradunt nonnulli Pithûs eam filiam fuisse, propter persuadendi vim: maxima enim persuadendi vis inest amori, nihilque tam incredibile dici potest, quod amanti nõ persuadeas. Vnde rectè Ouid. *Credula res amor est.* Addũt, eam amatoriis veneficiis incitasse Iouem in amorem Iüs. Sed enim Callimachus Echûs filiã dicit, & Iouem (tanta eorum temporum vanitas fuit, ne imperitia dicam) ab ea veneficiis coactum, vt secum rem haberet: vtcunque, mox ab irata Iunone in eiusmodi auiculam transmutatam, veneficiisq; amatoriis construendis damnatam.

DE CAPRIMVLGO.

PERNICIOSA CONSVETVDO.

PERNICIOSÆ consuetudinis hominem indicaturus quispiam, Caprimulgum auem pingat: ea enim inter capras familiariter versatur, appetitq; earum vbera fugere: quod cùm fecerit, vber extinguitur, Capra, vt aiunt, excæcatur.

DE TVRDO. F

SVIS ARTIBVS ELVSVS.

HOMINEM qui technis & commentis, consiliisve, aut artibus propriis elusus malè perierit, &, vti dicitur, in laqueos quos tetenderat, inciderit, ostendere qui volũt, Turdum viscatæ implicitum virgulæ pingunt, quandoquidem, vt inquit Plautus, *ipsa sibi auis mor-*
Prouerbiũ. *tem cacat*: viscum enim non prouenit, ait Plinius, nisi maturatum in ventre ac redditum per auium aluum, maximè palumbium & Turdorum. Apud Irenæum legas quid huic rei simile, de iis qui in eligendo sibi malo sunt procliuiores & aduersa mox quæ in se ipsi contrahunt, Deo imputant, cùm nihil aliud sit, *Indurare cor Pharaonis*, &, *Excæcare oculos populi apud Deum*, quàm gratiam suam quæ se largè volentibus infundit, à prauè & iniquè agentibus auertere. Nam simulac quis Deum dereliquit, quæ bona sunt aspernatus, amissa Spiritus gratia, omnibus inde afficitur incommodis, viam rectam non videt, & contumacem se opponit ad admonitiones, nullo pollet animæ sensu, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Ita dicimus eum à Deo excæcari, & obdurari, quemadmodum Solem occidentem recessu à nobis noctem facere, cùm alioqui nihil à Deo nisi bonum emanet, quemadmodum à Sole semper lumen & calor.

SVRDITAS.

ALIOQVI Turdus surditatis indicium est, cùm omnium auium eo plurimùm incommodo
Prouerbiũ. laborare Turdum, manifestum habeatur. Accedit huc quòd prouerbium κίχλης κωφότερος, de loquacibus, qui loquentes alios pati nequeant.

DE

A

DE ERYTHACO.

SOLITVDINARIVS.

SOLITVDINARIVM hominem qui significant, Erythacum auem pingunt, quæ quidem ita secessu ac solitudine gaudeat, vt rarò duas vel in eodem saltu reperire possis. Eam Theodorus modò Syluiam, modò Rubeculam appellat, alterum à syluarum desertis, alterum à ruboris indicio, quod ex Græca dictione colligitur.

DE CINCLO.

PAVPERRIMVS.

INVENIEBAM extremæ paupertatis hominem per Cinclum auem pictam significari. Causam Ælianus affatim explicauit, qui Cinclum auem esse dicit imbecillam, inualidamque adeò, vt nidum sibi ipsa parare non possit, alienisque ideò nidis ouifœtare. Est & apud Sudam aliqua de Cinclo mentio, cui nomen à caudæ motatione sit σεισοπυγίδι. *Cinclo vnde nomen.* ea nimirum Lynx est, de qua nunc agebamus. Hanc sanè vulgus plerisque locis, Græcum vocabulum exprimendo, *Codaquassulam* dicit. Interpretes Theocriti hoc ipsum agnoscunt, & κιγκλίζειν, *lumbos motare*, dicunt, quod Latini *fluctuante lumbo* reddidêre.

CINGANI.

B CVM itaque Cinclus inops adeò sit, neque certo vsquam lare vtatur, nonnulli errones illos qui *Cinganí qui dicti.*
nunc totum terrarũ orbem mendicabundi cum chiromanticis vxoribus & liberis peragrant; nusquam certas domos habentes, quos vulgo Cinganos vocamus, Cinclos ab auis huius similitudine appellatos arbitrantur.

ADVENA.

QVAMQVAM in vniuersum omne genus auium apud aruspices pro peregrinis, aduenis & conuenis accipitur, vt ostenti eius declaratione patuit, quod Alexandro oblatum est, dum condendæ vrbis Alexandrinæ in Ægypto modulum ab architectis deposcebat, forteq; euenisset vt neque gypsus, neque alba terra vspiam inueniretur, quo situm & magnitudinem cupido Regi describerent, architecti ad farinæ opem se contulerunt, eaque disseminata quaquà vrbis mœnia ducenda erant, accidit vt aues ad eam depascendam auidiùs aduolarent: quo quidê ostento territus est Alexander, sed aruspices respondêre, prospera vrbi ex hoc portendi, quòd futura esset omnium & nutrix & alumna, solique vbertatem esset alienis quoque gentibus largissimè communicatura.

PIERIVS VALERIANVS
AD MAGNIFICVM PETRVM MELINVM
ROM. SENATVS CANCELLARIVM, DE IIS QVÆ PER APEM, ET ID GENVS cætera significantur,

C *EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.*

LIBER XXVI.

VOLATILIVM *significationes, quas in aliquot digessimus commentaria, legisse te scribis, Petre Meline Romanorum ingeniorum præsens decus & ornamentum, in quibus & Apem habere voluisses, quæ, quòd mellifica est, ad domus tuæ gentile nomen cognationem quandam habere videatur. Proinde si quam, vt superiori anno feci sti, ædium tuarum partem picturis ornare pares, habiturum te speras tui generis argumentum, quo literatorum oculos possis non inaniter oblectare. Feci non inuitus, quod tibi fore gratum intellexeram. Sed quod à melle te maiorum tuorum nuncupatione vocari putas, dixerim ego te id nominis à morum potiùs tuorum suauitate comparasse, siue id summa humanitas meretur tua, siue affabilitas iucundissima, cuius lepôre omnes ad te trahis tibiq; deuincis, vt de te verè dici possit, fauum mellis in ore tuo sedem posuisse, siue perelegans ille scribendi tenor tuus, vbi solutam orationem aut carmen facis, amœnissima quadam dulcedine legentem afficiunt, euenit vt vndecunque merum mel & sis, & habearis. At plenus rimarum sum, neque me cohibere possum quin epigramma illud cœnis nostris sodalitiis olim decantatum erumpat. Quid enim prohibet apud ingenium Poëticæ studiosissimum, aliquando Poëtam agere?*

Romulei certant lepido certamine vates,
Nominis ecqua viget congrua causa tui.
Nam qui ex te norunt manare poëtica mella,
Mellinum à merito nomen id esse volunt.
Atque alij malunt correpta parte Melinum

Dicere

Dicere, Pegaseum quòd melos ore canis.
Sis quodcunque velis, nullo discrimine amandus,
Seu mihi Mellinus, siue Melinus eris:
Omnia congruerint, tanta dulcedine carmen
Pangis, & oranti spargis ab ore melos.

Id quod eò tibi glorioſius accidit, quòd horum infelicitas temporum pauca admodùm nunc oſtendunt ingenia, quæ bonarum artium amore eruditionisve felicitate capiantur; eoq́; alieniores plerique à doctrinæ ſtudiis euadunt, quò ſunt magis natalium ſplendore aliquo illuſtrati. Tu verò cùm ex ea ſis domo ortus, in qua ſummi plerique viri gentiles tui, & veteri & recenti etiam memoria ad patriæ ornamentum geniti, inſignia rerum à ſe geſtarum monumẽta reliquerunt, Cardinalia decora, primos in Vrbe honores, titulosq́; foris arma pro ſalute patriæ victricia, diuitias honeſtiſſimis artibus comparatas, nihil rerum harum amplitudine contentus, à teipſo ſplendorẽ excitare quæſtuiſti, vt clariſſima ea familia dignus euaderes, patreq́; in primis tuo Senatore ſemper optimo, apud quẽ tanta educatus es ſanctitate. Acceſſere mox bonæ artes, & egregiæ diſciplinæ, Latinæq́; & Græcæ literæ, quas eo conatu ſucceſſuq́; aſſecutus es, vt pauciſſimi omninò ſint inter Romanam hanc nobilitatem, qui parem tecum gradum hodie conferre poſſint. Sed quoniam non de literis tantùm, ſed de totius vitæ tuæ integritate, atque animi magnitudine, ſi quis de te loqui cœperit, ſermo faciendus eſſet, parentumq́; tuorum benignitas omnis explicanda, qui me omnibus humanitatis officiis proſecuti, quam in filios exercere par eſt, beneuolentiam, charitatem, & ſtudium in me omne præſtiterunt, his in commodius tempus dilatis, quod nunc agendum inſtat, Apem ipſam, quam tibi meritò deberi iudicauimus, exhibendam curauimus. Ecce verò tibi eam, in cuius comitatum, ne Fucus etiã, helluo ille ſatis impudens, & moleſtiſſimi Culex & Veſpa ſeſe intruderent, repellere nunquam potui, ac ne vllus & moleſtiæ & importunitati finis eſſet, Muſca etiam, Cicada & Araneus ſe his admiſcuêre. Tu quidem ſtrenuè nimirum & ex prudentia tua feceris, ſi, ne ab eorum aliquo lædare, caueris. Verùm agè, quid Apes ſibi velint videamus.

POPVLVS REGI SVO OBSEQVENS.

Apis ſola ex animalibus Regẽ habet.

POPVLVM Ægyptij ſacerdotes obſequentiſſimũ Regi ſuo ſignificare ſi vellent, Apem faciebant illam vtique breuem, variam, & in rotunditatem compactilem, quæ ſola ex animalibus Regem more hominum habet, quem vniuerſum Apum agmen conſectatur, æquè atque homines Regi obtemperantes. Rex verò vel aculeo caret, vel ad offenſionem minimè exerit, quæ quidem præcipua eſt in Rege virtus, qui in obeundis vitæ officiis, non magis iuſtitiæ aculeum, quàm dulcem mellis clementiam oſtentare debeat. Ac de populo quidem agnoſcit hoc idem Plotinus libro *De ſuo cuiuſque genio*, qui ciuilem hominem, popularibus vtique ſtudiis deditum, ſed qui perfectam virtutem conſequi minimè potuerit, ab obitu in Apem regenerari fabulatur: qui verò ciuilem virtutem ad amuſſim aſſecutus fuerit, eundem iterum hominem fieri contendit, & ad eadem munera rediturum.

REX.

Regis Apũ, ſimul & hominũ ſympathia.

MERITÒ itaque Regem, qui populos vnanimi beneuolentia ſibi deuinxerit, oſtendere qui vellent, examen Apum proponere conſuerunt: ſiquidem is foras non procedit, niſi migratoro exãmine, cumq́; procedit, totum examen circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur reliquo tempore. Cùm populus in labore eſt, ipſe, inquit Plinius, opera intus circuit ſimilis exhortanti, ſolus immunis: circa eum ſatellites quidam lictoreſque aſſidua cuſtodientes autoritate. Cùm proceſſere, ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet. Vbicunq; conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt. Miſſam facio miram earum circa Regem obedientiam, vt feſſum humeris ſubleuant, validius fatigatum ex toto portant, multaq́; huiuſmodi, in quibus enarrandis tanta vtitur ſuauitate Plinius, vt eas ipſas Apes in eius ore mellificare dicas, vnde Lepor ille tam dulcis eloquentiæ demanarit. Adamantius ait, Apes hæc nullo animi conceptu facere, vt plerique contendunt, ſed naturæ ipſius diuinæ beneficio, quæ vel bruta eouſque prouexerit, vt pleriſque in rebus ratione præditos imitentur. Nos verò vult admonitos, vt vbi Apum mores cognouerimus, ducibus parêre non recuſemus, negotiaq́; ad Reipublicæ ciuitatumq́; ſalutem opportuna alacri animo ſuſcipiamus. Non enim amat id genus hominum Adamantius, qui ſub pietatis ſpecie ſuam obtegunt ignauiam, ſuoque tantùm otio & commodis conſulentes, negotia ſubfugiant, & veluti genus humanum oderint, humanas etiam conſuetudines auerſantur. Adeò verò eſt Apes, vt Muſonius obſeruat, conuerſationis & vitæ ſociæ amatrix, vt ſi ſola relinquatur, deſiderio tabeſcat & moriatur: quod ad popularis hominis naturam & ſimilitudinem referri poteſt. Atque huc ſpectat Plutarchi illud ſuper exilio dictum, *Nos quaſi Formicæ, vel Apes, ſi ex vna vel cauerna vel alueario exciderimus, hoſpites externiq́; eſſe videmur.* Hoc ipſum examinis ſignificatum in aruſpicina etiam reperitur, cuiuſmodi ſignum Dionyſio, paulo antè quàm regnare cœpit oblatum eſt, qui cùm Equum è voraginibus, in quas demerſus erat, nulla prorſus contentione extrahere potuiſſet, diſceſſerat, vt Philiſtus ait, ægrè ferens; cùm autem aliquantulum progreſſus eſſet, ſubitò exaudiuit hinnitum, ad quem cõuerſus Equum alacrẽ lætus aſpexit, cuius in iuba examen Apum conſederat imperij quod occupauit indicium. Nam Equum ſubiugationi frænoq́; aptum eſſe, ſuo diximus commentario.

Ac

REGNVM.

Nomini regio Apes fauorabiles.

AC ne ab Sicilia tam ſubitò diſcedamus, Hieroni quoque iam iuſſu patris expoſito, propterea quòd ex ancilla natus eſſet, ne nobilitati paternæ dedecori foret, tamen ita humanæ opis indigenti Apes in os mella congeſsêre; quo oſtento pater ab aruſpicibus admonitus, filium recolligendum duxit, moribus & diſciplinis iis erudiendum curauit, per quas poſtmodùm ad præmonſtratam Regni maieſtatem facilè peruenit. Ita verò nomini regio fauorabiles ſunt Apes, vt in cauſa fuerint, ne Oneſili Regis Cyprij caput, quod in ludibrium Amathuſij ſupra portam vrbis ſuſpenderant, inſepultum diutiùs maneret: in id enim iam exanimatum examen Apum mella contulerunt, fauisque referſerunt. Hinc loci incolæ oraculi ſuper hoc requiſiti reſponſo moniti, caput honorificè ſepelierunt, Oneſiloque quotannis, vt Heroï, ſacra inſtituerunt.

GRATA ELOQVENTIA.

Diogenis dicterium.

ADDVNT nonnulli, ſuauem eloquentiam per hieroglyphicum Apis ſignificari. Quanquam Diogenes ſuæ morem geſturus mordacitati, orationem blandam, vtpote ad fallendum vel ad gratiam parandam, mellitum laqueum vocitabat. Irridebat is Platonem perlibenter, cui paruulo in cunis dormienti Apes in labellis conſediſſent; ex quo reſponſum eſt, ſingulari illum ſuauitate orationis futurum. Ita præuiſa eloquentia eſt in infante per Apem. Et huiuſmodi tale D. Ambroſio è noſtris contigiſſe, memoriæ proditum eſt. Idem & Pindaro Poëtæ accidiſſe Pauſanias tradit, cùm is puer adhuc Thebis digreſſus æſtiuo tempore Theſpias proficiſceretur, calore exuperante aliquantulum à via declinauit, & ſub vmbra nonnihil acquieuit, cui in ſomnum ſoluto Apes in os mel congeſsêre. Et ita demùm quemcunque veteres ab eloquẽtiæ ſuauitate commendarent, eum ab Apibus nutritum dictitabant. Sic & Theocritus Comatam beatiſſimum ait, cui huiuſmodi nutricatio contigiſſet. Apud Heſiodum, Theogonia, Muſæ amicorum linguis rorem inſtillant. in caſtigatis enim exemplaribus, non ἀοιδὴν, ſed ἔερσιν legitur:

Τῶν μὲν ὅτ' γλώσσῃ γλυκερὴν χέωσιν ἔερσιν.

vbi interpretes ἔερσιν δρόσον interpretantur, ac perinde mel intelligi debere, inde verò eloquentiæ ſuauitatẽ. Sanè Pindarus amabile mel Iſthmiis poſuit, ἐν δ' ἐφετμαῖς μέλιτι, pro felici ſucceſſu, quem Iupiter propinat, vbi commentatores gaudium intelligi volunt, quod ex commendatione & laudibus percipitur, ſi præſertim illæ ab eloquenti & erudito viro optimè prædicentur, qua quidem voce, teſte Themiſtocle, nulla ſuauior exaudiri poteſt.

POETICÆ AMOENITAS.

Poëticæ amœnitatis indicia.

OMNIVM autem conſenſu receptum eſt, per Apis hieroglyphicum Poëticam intelligere amœnitatem, vt apud Horatium: *Fidis enim manare Poëtica mella:* & vt ait doctiſſimus vndecunque Varro, *Apes cauſa Muſarum eſſe dicuntur volucres;* quòd ſi quando diſplicatæ ſunt, cymbalis & plauſibus & numeris reducuntur in vnum locum. Pyndarus hymnorum ſuauitatem & elegantiam, per mel candido lacte commixtum intelligendum dedit, vbi Nemeis dicit: ἐγὼ τόδε τοι πέμπω μεμιγμένον μέλι λάβρῳ σὺν γάλακτι. Lac ponit Pindarus, quod à natura eſt, ac perinde genium & venam indicat. Mel verò, propterea quòd magno Apum labore conficitur, artem & diligentiam ſignificat. Hinc clamat Horatius:

Vos ô Quintilius ſanguis carmen reprendite, quòd non
Multa dies & multa litura coërcuit, & quòd
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.

Et ipſe de ſe, quantum pertinet ad laborem & diligentiã, quam ſcribundis verſibus adhiberet, ait:

Ego Apis Matinæ more modóque.

Non enim temerè vſqueadeò aſſurgit Pindaro tam honorificè, cuius hymnũ agnoſcat & vena diuite copioſum, & magno ſtudio & arte ſimul elaboratũ. Quin & ſuã fert ſuper hoc loco ſententiã:

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quæſitum eſt. Ego quid ſtudium, ſine diuite vena,
Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

FVTVRI SECVLI BEATITVDO.

QVÆSIERIT hîc ſanè aliquis, cur polliceatur Dominus ducturum ſe populum ſuum in terram lacte ac melle fluentem: paſſim enim hieroglyphicum aliquid ſapit diuinarum literarum ſermo. Igitur Theologi noſtri, referente Heſychio, hoc ad futuri ſeculi delicias beatitudinemque transferunt: quòd ex cibis, quibus hîc vtimur, nihil his ſuauius neque dulcius inuenitur, tum quia ſine labore comparantur, & nulla indigent præparatione. Nam bona illa abſque vlla ſolicitudine, ſine dolore, ſtudio nullo, apparatu nullo, condituræ nullius egentia, tanquam effuſo copiæ cornu ſuggeruntur.

DVLCIVM APPETITVS.

Mellis suauitas & salietas.

APES autem quia dulcia tantùm gustant, si pascentes pingantur, hominem hieroglyphicè significant qui dulcibus tantùm rebus delectetur, dulciaq; omni cura studioq; perquirat. Horatius cùm dulcedinẽ & suauitatem, quodq; maximè placeret, exprimere vellet, *Si iuuat, & melli est,* inquit. Plutarchus libello De cõiugalibus præceptis, *Mulier,* ait, *quæ viri primo congressu territa coningalem inde copulam subfugitat, similis est iis qui Apicularum aculeis patienter se offerunt, mella ipsa reformidant.* Ad eandem respiciens iucunditatem Catullus, suum illum Passerem, *Lesbiæ suæ delicias,* cùm maximè lepidum indicare velit, *mellitum* fuisse dicit. Denique Virgilianus Damœtas cùm Pollionis amicis optat mella fluere, nihil aliud sibi vult, nisi vt copiosissima rerum omnium, quæ suauissimæ iudicentur, vbertate diteſcant. Egregiè verò Pindaricum est, mel pro suaui, tranquillo, & maximè experendo amabiliq; bono ponere; quare de Olympiis victoribus ait, ὁ νικῶν ἢ λοιπὸν ἀμφίλοτον ἔχει μελιτόεσσαν δόσιν: quod exponunt interpretes, *Victores vitæ reliquum agere in terra melliflua,* hoc est, tranquilla deinceps suauiq; perfrui quiete. Idem cùm κέρον ἔχει καὶ μέλι dixit, *mel etiam satietatem habet,* nihil aliud voluit exprimere, nisi supremam quandam suauitatem atque dulcedinem ineſse melli, quæ tametsi supremè delectabilis est, satietatem tamen afferat, quam sententiam παροξυσμὸς protulit. Paulò seciùs Horatius sensum eundem attigit, vbi dixit, *Dulcia se in bilem vertunt:* quòd tamen ex Physica disciplina est ab eo sumptum: aiunt enim Medici, cibaria dulcia confestim in bilem abire.

DIVTVRNÆ VALETVDINIS PROSPERITAS.

Democriti responsum.

INVENIO vitæ prosperitatem ac inoffensam valetudinem in longa æui spatia productam, per hieroglyphicum Apum in fœcundo oleæ ramo considentium significari; id quod mihi Democriti responsum in memoriam adducit, qui olim interrogatus, qua ratione quis longiorem vitam assequi posset: interiora, respondit, melle irriganda, exteriora verò oleo perungenda, quod hieroglyphicè acceptum ostendit, animum quantacunq; fieri potest suauitate permulcendum, hilaritatemq; vndecunque captandam, omni prorsus amaritudine atque acerbitate procul ablegata, neq; quicquam quod exulceret, intromittendum, corpus verò exercitio consolidandum, quod quidẽ in otio torpescere necesse sit. Nam vt commentario suo dictum, oleum inter alia significatá, exercitium quoque denotat. Sedenim Aristoxenus Pythagoricos plurimum melle vsos tradit. Neque tantùm calidi panis suffitu Democritus vitam dies aliquot in amicorum obsequium produxisse fertur, verùm & vapore mellis naribus admoto. Omninò autẽ ferunt, quibus mellis vsus frequẽtior fuerit, vitam diutiùs producere. Contrà verò qui cibis acidis delectentur, breuioris esse vitæ. Sanè

Cyrnij populi diu vixerunt, & quare.

Cyrnios populos, qui scilicet Corsicam insulam incolebant, longæuos vixisse tradit Athenæus, quòd assiduè mellis vterentur cibo. Nam & Diophanes, qui de re rustica libros conscripsit, longæuos euadere dicit, qui mellis esitatione delectati fuerint. Præstat verò in senecta ipsa plurimùm pane & melle pasci: neque enim solùm, vt is asserit, viuacitatem adiuuat, sed & sensus omnes sanos & integros custodit. Quamuis, quod ad Athenæum spectat, nostri mel Corsicum dicant habere aliquid in se, quòd amaritudinem sapiat, vnde dixerit Ouidius de nefasta & exitiali cera:

Ite hinc difficiles funebria ligna tabellæ,
Tuq; negaturis cera referta notis,
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ
Melle sub infami Corsica misit Apis. Et,
Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, Maro priùs dixerat.

Insanioſum mel apud Macronas memorat Xenophon, quod qui copiosiùs ediſſent, & vomere & excernere cogebantur, neque quidem omninò stare poterant.

MERETRIX.

SED quoniam trahente rerum fluxu impegimus in mellis vitia, minimè dissimulandum quòd quadrageſimis Hebræorum castris Hieronymus putat Ionathan contra detestationem patris gustasse mel intellectu mystico, quod scilicet destillat à labiis mulieris, & sorte deprehensum, vix populi precibus liberatum. Porrò mel non offertur in sacrificiis Dei, & cera quæ dulcia continet, non lucebat in tabernaculo, sed oleum puriſſimum, quod de oliuarum exprimitur amaritudine. Quòd verò sit verisimilis Hieronymi coniectura super Ionatha, Aristoteles tum milites plerosque omnes mulieroſos esse, tum scriptores rerum, qui recensent Hebræorum mores gentem eam esse ponunt salaciſſimam. Sed Ionathan pro innocentia sua dicentem mihi videor audire: *Cur igitur ego conquestus palàm sum, satis imprudenter feciſſe patrem meum qui populum tam longæ adidixerit esuritioni, vt vel modico cibo, quem fors obtuliſſet, suorum vires vetuerit instaurari? Quorsum vlla hîc impudicitia? Nam quomodo ego, qui à sole exoriente hostes vno tantùm comitatus famulo, cum per inaccessas crepidines ad eos irrepſiſſem, quotquot obuiam habui aggressus cecidi, & in fugam verti, & mox accitis meis, ad vesperam vsque perseuerantiſſima occidione persecutus sum, quo pacto deliciis & genio vacare potuiſſem, qui pro summo Dei nostri honore, populiq; totius incolumitate, ad extremam vsque delaſſationem confectus eram? quare illa obsecro adulterina, conficta, subditicia, nequaquam à tam probo, tam pio, tam acri veritatis propugnaculo, tam immeritò de me vnquam cogitata credideritis.*

Ionathæ innocentia sua verba.

EXOTICÆ DISCIPLINÆ.

VT verò nos mellis dãna prosequamur, id etiam addemus, quòd Hieroſolymitanus Heſychius non Poëticam tantùm, verùm omnem Gentium doctrinam per mellis Apúmve hieroglyphicum significari tradit, quòd in suauitate verborum & eloquij dulcedine tota consistit, rerum autem inanis est. Eoq; trahunt Salomonis illud ex Prouerbiis: *Non respicies ad mulierem meretricem, fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absinthium.* Quo minùs miremur, si qui longo pòst tempore succeſſit, Plato quoque Musas sui temporis meretriculas appellauit. Præceptum verò, vti paulò antè dicebamus in Diuinis literis, ne quicquam mel

In sacrificijs cur mel prohibitũ.

lis in sacrificium Domino adoleatur, sed in munus primitiæ eius offerri possint. Præcipit enim ex parte, illius sapientiæ primitias offerri, non autem plenius ea vti, quippe vt fides nostra non in sapientia hominum consistere videatur, sed in virtute Dei, vt Paul. in priore ad Corin. epist. Ea verò de causa mel, vt ait Eucherius, in sacrificiis offerri prohibebatur, quia resoluti blandimentis deliciarum, aut dulcedine voluptatum, non possunt mysteriorum Dei esse participes. Hinc Pascha Domini comedi cum amaritudine iubetur, quia sit semper austera districtio veritatis.

DE VITÆ DVLCEDINE AMARITIES.

ATTINGEMVS ea quoque, quæ complexu rerum possint in orationem absolutum coalescere, vt si quis amaritudinem aliquam, aut infortunium, quòd anteactæ vitæ suauissimũ otium & tranquillitatem exasperet, per huius generis hieroglyphica explicare voluerit: non alia congruentiùs pictura signóve vtetur, quàm figurato mellis fauo, de summo cuius absinthium pullulet, herba nimirum amariſſima, quod quidem Lucretianum illud sapere videtur, quod in nostræ vitæ conditione frequenter occurrit:

-- Medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucibus angat.

POPVLARIS FVGA.

COMMENTI sunt nonnulli popularem fugam per examen Apum & subiectum fumum indicare: quandoquidem Apes nulla re magis consternantur, in fugamq; vertantur, quàm fumo suppoſito. Atque hac similitudine vtitur Apollonius Argonautis, in describenda Bebryciorum fuga, simulatque interemptum Amycum conspexêre.

OBORTVS IN MOESTITIA LEPOS.

SED longè suauius illud est quod per Apes ex cadaueroſi Leonis ore prodeuntes innuitur. Pingi potest hoc, vbi quis aut à detractoribus malè habitus, insigniorem fuerit existimationem assecutus, aut inimicorum contumeliis affectus clarior euaserit, aut ex illatis iniuriis creuerit. Mordaciſſimus est enim Leo violentus, & ferox. Apes verò in eius faucibus mellificantes, prospera & suauia quæ subsequuntur indicant. Verùm hiſtoria vetus ansam huic hieroglyphico subminiſtrauit, quippe Samson Dauidanus tribulis cùm in ferociſsimi Leonis occurſum illapſus esset, vltrò belluam adortus eam strangulauit, peremptamq; ex publica vt in syluam proximam pertraxit, eámque ibi in absconditò reliquit. Paucis verò pòst diebus proiectæ belluæ cadauer inuiſurus eò rediit, vbi mira res oculis obiecta est: nam frequens Apum examen in tabidis eius faucibus fauos fabricare occeperant. Vnde illi posteà quæstionis argumentum fuit, quam Palæstinæ iuuentuti dissoluendam proposuit, *Qui fieri posset, vt truculenta immaniſq; res, eademq; voraciſsima, suauiſsimum ex ore cibum erogaret.* Cuius quidem quæstionis historiam solius vxoris silentio crediderat, eius fidem & taciturnitatem exploraturus. Hinc illa mox medio conuiuio, ob rem ab vxore proditam, exclamatio Samsonis plena acerbitatis exaudita, *Nihil esse fœmina fallacius.*

Samsonis Leonẽ strangulantis hiſtoria.

PROPHETARVM ORACVLA.

MINIME verò prætereunda sunt etiam alia, quæ sacris nostrorum literis traduntur: *Quàm dulcia faucibus nostris eloquia tua super mel & fauum ori meo.* Et alibi: *Iudicia Dei dulciora super mel & fauum.* Omnis enim Prophetia suaues cœlestis doctrinæ fauos, & dulcia diuini eloquij mella componit. Et Debbora libro Iudicum Prophetiæ particeps facta, Apis interpretatur, vt ait Adamantius. Et omnes denique Prophetiæ sub apis nomine comprehenduntur, eorúmque faui ea sunt oracula quæ literis mandauêre. Atque hoc est bonum illud mel, quod comesse iubemur. Quicumque enim oracula ea diuina meditatione complectitur, scriptis vatum nostrorum sermonibus alitur & recreatur, is mandatum illud diuinum exequitur, quo præceptum est, *Comede mel fili,* bonúmque id esse reipsa protinus expetitur. Quod autem de Assertore nostro prædictum est, *Mel comedet,* mel hîc Adamantius nostra de virtute colloquia significare profitetur. Quotiescumque enim de abstinendo à voluptatibus, de domitanda nequitia, de iustitia, de prudentia ex animo disserimus, sermonis istiusmodi suauitatem libentiſsimè pascitur Deus, hósque liquores assiduè sitibundus

Prophetæ Apes dicti.

inquirit, cui si nequitiæ, si pusillanimitatis, si scelerum & stultitiæ amarulenta pocula propinaueri- D
mus, gestum vt offensus refugit, & vt fel odiosum auersatur.

CONCORDIA.

ET quia moris erat infantes à lauacro susceptos lactis & mellis gustu primùm imbuere, nonnulli hoc ad concordiæ significationem factum autumant, Tertulliano ita dicente: *Inde susceptí lactis & mellis concordiam prægustamus.* D. etiam Hieronymus aduersus Luciferarios de hac ipsa re in hunc modum: *Nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt, vt in lauacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam.* Id tametsi faciunt iam adulti, quandam tamen infantiæ significationem præ se ferunt. Fuit verò aliquibus mos, vt loco mellis, vinum cum lacte propinaretur. Nam apud Occidentis populos diu obseruatum est, vt tinctis sacro lauacro ad eiusmodi innocentiæ, quæ præcipua est in parua ea ætatula similitudinem quandam, vinum & lac tribueretur. Eoq; Tertullianus Esaiæ dictum trahit: *Venite, emite absq; argento, & absque commutatione, vinum & lac.*

CASTITAS.

Apes Veneris inimicæ. IN CORRVPTAM adhæc virginitatem, & castum animi propositũ, per Apem significari id argumento est, quòd ipsæ homines à coitu olidos acriter oderunt, & vt Plutarchus Coniugalibus præceptis ait, Apes eos malè accipiunt, qui recentes à muliebri copula superueniant, sed mulieres quæ Veneri operam dederint acriùs inuadunt, quiq; vel vinum potum, vel vnguenta oleant. Nam & Maro eas ignorare Venerem his versibus attestatur:

Illum adeò placuisse Apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt,
Verùm ipsæ foliis natos, & suauibus herbis
Ore legunt.

Hinc Pythiis ait Pindarus, σὲ δ' ἐν τούτῳ λόγῳ χρησμὸς ὄρθωσε μελίσσας, quo loco interpres subiecit: *Propriè quidem Apes sacras Cereris ministras appellauit, impropriè verò omnes alias, propter animalis puritatem.* Nam & alibi sacris eam Apibus delectari dicit. Alij Nymphas sacrificiorum præsides appellari tradiderunt. In Diuinis quoque literis Apem virginitatis imaginem esse dicit Eucherius, nulla tamen causa reddita, quia scilicet eam satis ex Marone cognitam arbitraretur.

ADVLATOR.

VERVM aliud ex Ape hieroglyphicum idem ponit Eucherius, nempè simulacrum eam esse adulatoris, vtpote quæ mel in ore habeat, in occulto caudæ spiculum, atque ita homines qui lingua blandiuntur, latenter verò ferunt, significare: loquendo enim mellis dulcedinem proponunt, re verò ipsa vulnus inferunt.

VLTIO.

NEQVE deferunt veteres Theologi, qui Apem vltionis & iracundiæ signum in Diuinis literis esse dicerent, citatis ex Propheta locis: *Et Apis quæ est in Assur.* Et, *Circundederunt me sicut Apes.*

ARTIFICIVM.

NAM illud quod Salomon ait, *Vade ad Apem, & disce ab ea quàm laboriosa sit operatrix,* vnicuique manifestum est artificij sedulitatisq; illam esse hieroglyphicum, Virgilio præsertim naturam eius tam luculenter explicante, vt versus eos & decies & centies memoria repetisse neminem F
vnum pœniteré possit:

Descriptio naturæ Apũ elegans.

Namque aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris, pars intra septa domorum
Narcissi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fluvis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras; aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus, aliæ purissima mella
Stipant & liquido distendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inq; vicem speculantur aquas & nubila cæli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.

Democritus tamen dicacitate (vt idem identidem repetam) libertateq; illa fretus sua, diligentiam hanc & assiduam in re facienda curam improbaturus, parcos aiebat Apibus esse similes, quæ vti semper victuræ laborarent. In quam sententiam Virgilianum illud potius detorquerem:

Scc vos non vobis mellificatis Apes.

SOLSTITIVM.

EST & solstitij æstiui hieroglyphicum Apes, quòd suo ad labores egressu, vt apud Aristot. habetur, solstitium id denunciat, eo quippe tempore, quasi ferias quasdam celebrent quiescentes.

Sed

A Sed iam tempus est, vt & nos quoque tandem aliquando quiescamus ab intentata adeò Apum harum inquisitione, si modò vnum quod haudquaquam prætereundum est, subiunxerimus, quod ab Mnasea Pataræo de Apibus scriptum tradunt: eas humanum genus ab esu carnium ad arborum fructus & hortensia olim auocasse, condimento scilicet submini strato per quod vniuscuiusque cibi, subacidi etiam & amari, sapor commendaretur: cuius etiam inuentionis huiusmodi recitat historiam. Peloponnesi, ait ille, Melissa quædam cùm fauum Apum inuenisset, prima omnium gustauit, mox & aqua dilutum bibit, remq; aliis indicauit, animaliaq; ipsa de se Melissas appellari, & ab hominibus summa cura & diligentia curari obseruaríque mandauit. *Apes cur dictæ Melissæ.*

DE CVLICE.

DE suauitate dulcedineq; hactenus locuti, Melissæ temperamentum secuti, quod ipsa non insulsè, oppositis iuxta se simúlque positis, excogitauit, de acore iam dicere aggrediemur, cuius hieroglyphicum est Culex.

ACORIS AVIDVS.

EA verò de causa cœptum est, proposito Culice, hominem acidis illectum indicare, quod Culices obseruassent non admodùm cupidè appetere dulcia, sed acida quàm auidissimè. Leuia hæc fortè videantur, si quis simpliciter acceperit. Sedenim veluti per mel omnem rerum iucunditatem intelligebamus, ita per acorem quicquid est amœnitati contrarium, nobis fuerit proponendum. Esse enim homines, qui iucũditatem omnem auersentur, verissimum est, & ne longiùs exempla quæramus, erat mihi nepos natura adeò tristi, vt si quem hilariùs ridentem audiuisset, vltrò stomacharetur & excandesceret, in reliquis vitæ muneribus quantiuis pretij, & bonus B & prudens. Erat & alter ita risui hilaritatiq; deditus, vt ad obnunciatas quorumcumque hominum calamitates risu diffluere t, quinetiam ad patris & matris incommoda vel ærumnas, etiam suas effusissimè cachinnaretur. Prætereà qui Principum vitas scribunt, hęc etiam quamuis humilia consectantur, vt indifferentem in victu Iulium Cæsarem, & qui conditum oleum pro viridi appositum minimè fuerit aspernatus: aut Octauianum Augustum minimi fuisse cibi, atque ferè vulgaris, secundario pane, pisciculis minutis, caseo bubulo manu presso delectatum, atque alios huiusmodi aliis. Quod verò ad rem quæ præ manibus est, pertinet, Tacitum Augustum Vopiscus tradit amariores cibos appetiuisse, quare minimè mirum, si Virgiliani carminis dulcedine, & Ciceronianæ orationis suauitate, ad insectationem vsque offensus est. *Nepotes duo authoris diuersæ omninò naturæ.*

ANIMI AFFLICTIO.

SEDENIM cadit & in sacra nonnulla ciborum amaritudo, vbi iubet Deus Azymis vesci amarulentis, in quæ scilicet πικρία sit immixta, quippe animam affligendam nullamq; illi corporis dulcedinem per certos dies indulgendam. Festum enim illud nihil remissum, nihil voluptuosum, nihil luxuriosum, nihil lautum sibi deposcit, sed sola animi afflictatione, & amaritudine, atque humilitate celebratur. Huiusmodi est propitiationis dies, cùm enim afflicta fuerit anima, & humiliata in conspectu Domini, tunc ei condonat errata repropitiatus Deus. *Azymorum festum.*

DIALECTICA.

EST genus Culicum minutũ admodùm in volatilium insectorum genere, quod animal in aëre suspensum, oculi visum inter volitandum fallit, nisi aciem intenderis validissimam, corpus tamen cùm insederit, acutissimo maximeq; tenui stimulo terebrat; ita quem volitantem cernere nequiueras læsus stimulantem sentias. Puto eum esse, quem Eucherius in Culicum genere aculeis C
permolestum ait in Diuinis literis, Cyniphem appellatum, cuiusmodi atrocitatis illud est, quam Serapiacam vulgò Romæ vocant. Per hoc animal Ægyptiorum plagis adnumeratum, Dialecticam artem intelligi putat Adamantius, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animos terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus nec videat, nec intelligat vnde decipiatur. Ab hoc autem pungendi munere Hieronymus quoque doctrinæ Aristotelicæ spineta attribuit, contra Heluidium.

DE COSSIS.

AGMEN.

INGRVENTEM quidem Culicũ multitudinem Ægyptij significare si vellent, Cossos vermiculos si non pingebant, certè loquendo nominabant. Hieroglyphicè enim modò loquimur, modò scribimus. Idq; ea de causa, quòd ex huiusmodi vermiculis Culices generantur. Sed ex Culicum multitudine infestum aliquod agmen intelligebant. Vti enim Culices quaquà iter fecerit, & molestus & damnosus est. Quod si vllo vnquam tempore experimento compertum fuit, infelicissima hac ætate nostra tot continuos annos magna cum totius Italiæ clade perspeximus. Longè enim grauiora damna nunc ab armatis amicis inferuntur, quàm olim ab hostibus, qui vi rerum potiti essent, cuius mali causa est militum improbitas, summam disciplinæ militaris gloriam, in sola rapacitate reponentium. *Exercitus, quamlibet amicus, damnosus.*

DE FVCO.

D

ADIVNGENDVS fuerat Api Fucus, vtpote qui non digrediatur ab aluearijs, quibus ſemper inſidiatur, ſed quoniam dulcedinis antitheton ad Culicem traxit, nunc ad Fucum conuertemur.

ALIENI LABORIS FRVCTVS.

Fuci deſcriptio,& natura.

HOMINEM ex alienis laboribus vtilitatem, delicias gloriam ſibi comparantem ſignificare ſi vellent, Fucum pingebant. Sunt hi grandiſſimi inter Apes. Sedenim Fucos Fureſq; apud noſtros confundi video. Plinius Fures inter illas grandiſſimos eſſe dicit. Ariſtoteles Fures maiores quidem Apibus, ſed minores Fucis agnoſcit. Vtcumque, mellificandi nullam Fucus habet curam, ſed otioſus intus deſidet, vel cùm exit effert ſeſe fuſim in ſublime, gyroſq; volitat cum eiuſdem generis animalibus, qui exercitum quaſi faciunt, quod vbi ſatis iam fecerint, quaſi ſe velut in campo exercuerint, redeunt domum, & epulis perfruuntur labore partis alieno. Contra illos Apes acerrimè dimicant, &, vt Virgilius ait:

Ignauum Fucos genus à præſepibus arcent.

DE VESPA.

APVD Horum legas Veſpam ex corrupto Crocodili ſanguine, vel ex eius cadauere procreari. Noſtri ex Equino eam cadauere naſci volunt.

PERNICIES SVMMOTA.

VTCVMQVE, Veſpa cùm apud Ægyptios corruptum oſtenderet Crocodilum, eadem ratione perniciem ſummotam extinctamq; ſignificabat, quando, vti ſuo commentario dictum eſt E ex Diodoro, Crocodilus & mala & ærumnoſa mortalibus illata commonſtrat.

PVGNACITAS.

Philoſopho rũ quorundam dicta ſuper Veſpa.

CÆTERVM Philoſophi vetuſtiores pugnacitatem per hanc innuere videbãtur. Nam & Equus, ex cuius corrupto ſanguine Veſpa oritur, belli eſt indicium, vt ſuo commentario probatum. Et quod ad hanc facit pugnacitatem, Demoſthenes, vt apud Stobæum περὶ διογένους ἀφηγιέων, Antiſthenem ait aliquando à Diogene correptum, vt qui exili admodum voce homines caſtigaret, reſpondiſſe: *Veſpas itidem ſonum haud magnum alis excitare, aculeum tamen acerrimum habere.* Quare apud Æneam philoſophum Platonicũ, Euxitheus dum Theophraſti dicta diluit, Si quæ ille opinabatur vera eſſent. *Veſpæ*, inquit, *item Hector colligabitur*, ambo enim caput varia galea redimiti ſunt, ac perinde pugnaciſſimi. De galea ad id alludit quòd Homerus Hectora ſubinde κορυθαίολον vocat. Et mulierum chorus apud Ariſtophanem, Lyſiſtrate, quieturum ſe dicit, niſi acceſſerit aliquis, qui tanquam Veſparum examen fodicare ſe, vel irritare aggrediatur. Atque hæc omnia noſtra ſunt. Sapientiæ enim 12. habemus: *Miſiſti anteceſſores exercitus tui Veſpas, vt illos paulatim exterminarent.* Importunum fortè cuipiam videatur, ſi κῆρ πάρεξον remedium ſubiecero contra hanc Veſparum pugnacitatem: ſedenim quod vtile vel commodum pleriſq; futurum eſt, nunquam ego iudicauerim importunum. Bellicoſo mollis opponitur. Malua oleris genus, à mollitie, vt plerique tradunt, dicta, Veſpis aduerſatur, præcipuè ſylueſtris: cuius ſucco, vt Demageron & F Pexamus ſcribunt, qui ſeſe illeuerit, à Veſpis non impetitur, neque pungitur. Quinetiam ſi quis punctus iam fuerit, eius herbæ ſucco, aut contuſis & impoſitis foliis ſanatur, apertiſſimo nobis documento, vt cùm res nobis cum furioſo fuerit, lenitatem amplectamur, quoq; acerbioribus ille verbis excanduerit, nos mitioribus reſponſis ignem extinguere procuremus, illius dicti memores, μέγιστον ἔστιν ὀργὴν φάρμακον λόγος.

IMPERFECTI MORES CIVILES.

Veſparum habitationes mirificè conſtructæ.

PLATO, Phædone, eos qui populærem ciuilemq; virtutem, quam temperantiam aut iuſtitiam nuncupant, exercuiſſent, non eam quidẽ ex doctrina Philoſophorum, atq; ex eorum ſententia deſcriptam, ſed ex conſuetudine quadam exercitationeq; ad aliorum exemplum acquiſitam, poſt obitum in Veſparum, Apúmve, aut Formicarum genus migrare contendit: his enim omninò aliquid natura dedit, quod ciuilis gubernationis ſimilitudinem quandam præ ſe ferat: nam & ipſæ collegia celebrant, tribuſq; & centurias diſtinguunt, habitationeſq; ſibi conſtruunt magnificentiſſimas, in quibus cellæ fauorum in morem ſexangulæ omnes. Sed Apum texta metarum quaſdam propemodùm formas imitantur. Veſparum caſtra potiùs ſunt, & Mauſoleá, orbiculari ambitu, tabulatis ſuper altera alteris aggeſtis. Huiuſmodi fabrica mirificè conſtructa, cùm Belluni eſſem, ad me allata eſt ex cuiuſdam ſyluæ ſolitudine. Septem ſunt concamerationum orbes, alter ſuper alterum duorum digitorum interuallo impoſiti, pilarum columellarúmque interſtitio, diſtincti, vt vnicuique commodum ſit ſpatium ad eundum & redeundum ad domos ſuas. Diameter orbium ad quintum vſque duodecim circiter digitorum, à quinto reliqui faſtigiatim coarctantur, vti vltimus

A vltimus ad quinos ſenósve digitos porrigatur. Maior orbis, primum quidem tabulatum, antiquæ arboris ramo appenſus erat, cruſta ſupernè ad omnes ventorum & pluuiarum iniurias cõtemnendas ſolidata munitaq;. Infrà hexagonales cellæ confertiſſimæ, ita reliqua tabulata eâdem cruſta celliſq; eiſdem fabrefacta, ſuisq; columellis ſingula ſuſtentata. E ſuperioribus verò ſtationibus beſtiolæ omnes abuolauerant, medias concamerationes innumerabilis multitudo compleuerat, folliculo quodã tenuiſſimo, pro tegumento vniuſcuiuſque loculi ſuperinducto, quorum aliquot cùm ſuſtuliſſem, animaduerti Veſpas capitibus in imum adactis, domos eas omnes compleuiſſe. Quæ verò in inferioribus erãt tabulatis, tanquam embrya videbantur vermiculorum inſtar imperfecta, ipſa quoque eo tegumẽto, tanquã hybernæ cochleæ, ſed admodùm tenui præmunita, in benigniorem verni temporis horam aſſeruabantur: quæ tamen omnes, ſiquidem grauis hyems fuit, ibidem extinctæ ſunt, neque tamen computruit quicquam, & tot iam annos eâdem forma ſtatuq; ſpectantur. Expectabam quidem veris temperiem, vt quid acturæ eſſent exploratum haberem, ſed nihil vlterius proceſſit. Fabrica apud me remanſit, non ſine magna omnium, qui eam conſpiciunt, admiratione, tantum artis & ingenij, tantumq; in conſtruendo ædificio tam operoſo, perſeuerantiæ beſtiolis his ineſſe obſtupeſcentium. Sed quoniam in aculeata hæc incidimus, libet obiter Plinij locum perpendere, vbi lib. XI. cap. 8. ſupra vigeſimum, *Aculeus*, inquit, *in ore vt Aſilo, ſiue Tabanum dici placet.* Vereor ne illud, SIVE TABANVM DICI PLACET, adulterinum ſit & ſubditium, vt pleraque adhuc alia apud authorẽ eundẽ addita, quæ niſi peritorum hominũ diligẽtia vetẽtur, indiligẽtię illi nomẽ inurant. Aſilus enim diuerſus à tabano eſt, Græcè, οἶστρος, vel Marone interprete,

Tabani & Aſili differentia.

Cui nomen Aſilo

B *Romanum eſt, œſtrum Graij dixère vocantes.*

Tabanus verò muſca eſt lenta, cineritia, quæ Græcè μυίωψ dicitur. Rarus præterea eſt aſilus, tabanus numeroſiſſimus. Aſilum, inquit Ariſtoteles, latiuſculis quibuſdam beſtiolis, quæ in fluuiis ſupernatant, enaſci: quamobrem magna aſilorum copia circa aquas, vbi id genus beſtiolarum eſt, tabanos verò ex ligno. Item Soſtratus de animalibus quarto, œſtrum è fluuiali materia naſci tradit, μυίωπα verò ex lignis. Idem Ariſtoteles alibi ſanguinea dicit animalia tabanos & aſilos, & paſſim demùm de ſingulis ſeparatim meminit.

PERTVRBATOR.

Aſili deſcriptio ex Virgilio.

PERVVLGATVM verò illud eſt, vt per hieroglyphicum Aſili ſignificetur is, qui aliorum otia perturbat, quietiſque rebus tumultum aut moleſtiam affert: eſt enim is, vt Maro cecinit,

Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſyluis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther
Concuſſus, ſylueq; & ſicci ripa Tanagri,
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Iuno peſtem meditata iuuencæ.

Maronianus autem verſus de Aſilo Romana voce dicto nimirum, oſtendit verba illa apud Tranquillum ab Othone Galbæ manibus deturbato, identidem obmurmurata in damno eſſe, ſi, vt vulgata habent exẽplaria, legamus, τί γάρ μοι τῷ μαιμῴῃς ἀσίλοις. quare caſtior omninò lectio ſubſtituenda. Nam illud quoque quod magna eruditione viri cõmenti ſunt de lõgis tibiis, adhuc non liquet.

C

DE MVSCA.

TONSTAT demùm, nobiſq; negotium faceſſit importuniſſima beſtiola, quæ licèt ab omnibus ſolita ſit abigi, pertinacia tamen ſua peruicit, vt de ſe multi multa ſcribere cogerentur, nos ea tantùm quæ ad hieroglyphica faciunt, memorabimus.

IMPORTVNITAS AC IMPVDENTIA.

Aeneas Philoſophi dictorum.

IMPORTVNITATEM ſanè atque impudentiam Ægyptij ſacerdotes notare ſi vellent, Muſcam haud indecenter faciebant: eam enim vt ſæpiùs & aſſiduè expellas & à te ſummouere contendas, tanta tamen impudentia prædita eſt, vt identidem redire, & infeſtare te minimè vereatur, nullam tuorum commodorum rationem habeat, ſiue loquare, ſiue dormias, ſiue bibas, ſiue cibum capias, ſiue legas, ſcribas, parata ſemper adſtat, vt in faciem inſiliat tuam, infeſta, importuna, incõmoda, nulli reiniſi faſtidio deſe concitando idonea. Hinc apud Ciceronem ſecundo de Oratore, ridiculè dictum de moleſtiſſimo iuuene, *Abige Muſcas puer.* Hinc Platonicus vir Æneas ſummæ Philoſophus integritatis, dum Euxitheum introducit Theophraſti commenta deludentem, qui dictitabat animas relicto humano corpore id genus bruta ſectari, eiſque inhærere, quorum opera viſæ fuerint imitari, vt Hyperbolum quẽdam impudentiæ notaret, inquit: *Muſca item Hyperbolum trahet*, quippe par fuit vtriuſque impudentia.

PERTINACIA.

EA tamen improbitas pertinaciſſima, qua nunquam rebus quietem eſſe ſinit, tanti fuit, vt inter prælia deorum, grauiſſimaſque res Poëtarum principẽ Homerum illexerit ad eius pertinaciæ

perseuerantiam memoriæ demandandam, hieroglyphicumq; proponendum, quo ferox hostis in- D sultat hosti, neque moram neque requiem dat vllam, donec vulnus inflixerit, & audaciæ confidentissimæ munus executus fuerit. Ita enim apud eum legitur:

Καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσιν ἐνῆκεν,
Ητε τὴ ἐρχομένη μάλιστ' ἀνδρομέοιο χροὸς ἀνδρομέοιο Ιαχανάα δυσέων.

Musca Beelzebud hieroglyphicũ, quare.

Vnde etiam Hebræis Beelzebub dæmonis nomen, quem aliorum longè principem prædicant, cuius Musca est hieroglyphicum, quod D. Hieronymus agnoscit: nunquã enim cessat ille humanum genus modis omnibus infestare, & modò hos, modò illos ad perniciem laqueos tẽdere, ac omnes, quibus, nos perdat, vias intentare. Obseruauerat etiam Eucherius, Muscam in Diuinis literis modò pro cacodæmone, modò pro impuro atque malefico homine, modò pro idololatriæ spurcitia poni, eo Salomonis citato loco: *Muscæ morituræ exterminant olei suauitatem*: hoc est, adeò malignum est Muscarũ genus, ac perinde Beelzebub, vt vel si moriendũ sit, dum aliqua noceat, quippe vel bonos alicuius mores corrumpat, vel virtutem aliquã infringat, se quoque simul perdi pro nihilo habeat.

RES GESTA COMINVS.

MVSCA etiam aliquando in Laconum clypeis insigne fuit, quam cùm quidam non omninò vera maiorem in parma figurasset, obiicienti quòd latitandi causa id fecisset: *Imò*, respondit, *signum est, me tam proximè ad hostes accedere, vt Musca ab eis internosci possit.*

INDOCILITAS.

Animalia duo indocilia quæ.

QVINETIAM indocilitatis hieroglyphicum est Musca: nullum siquidem omnium animãtium minus docile existimatur, neque minoris intellectus. In qua sentẽtia est Plutarchus Symposiacõn octaua decade, duo tantùm domestica animalia esse dicens, quæ nunquam humano conuictu mansuescant, neque tactum admittant, neque consuetudinem, neque vllius rei aut disciplinæ communionem, quippe Hirundinem & Muscam, quam semper & indocilem, & feram permanere, vti omnibus patet, asseuerat. Videre etiam est in hominibus, eos egregiè temerarios & impudentes esse, omniaq; audere, qui nulla elegantiori doctrina præditi sunt: contrà alios quo peritiores fuerint, eò modestiores verecundioresq; esse. Hinc apud Horatium hominem notari videas, qui cùm Athenis per annos aliquot libris insenuisset, Romam reuersus statua taciturnior ingrederetur, quippe id contra vulgus sentiens: nam sensus ille ex imperiti vulgi opinione desumptus, cùm nimirum intelligat Horatius, probum doctumq; virum, esse malle eruditum, quàm videri, popularemq; auram illam protinus aspernari. Denique verum illud est quod Plinius Nepos ait Epistolis, recta ingenia debilitari verecundia, peruersa confirmari audacia, atque ita quò quis imperitior, eò impudentior atque iactantior euadit, quod Græco etiam axiomate confirmatur, ἀμαθία μὲν θάρσος, λογισμὸς δ' ὄκνον φέρει: *Imperitia quidem audaciam, eruditum verò rerum examen timiditatem affert.* Meritò itaque viro forti odiosa Musca, & sapienti temeritas. Ideoq; Hercules eas suo de sacello abegisse dicitur, Myodem quem vocabant earum deum imprecatus. In Olympiæ sacro fortium carmine, Tauro, deo eidem, vt aiunt, immolato, nubes earum toto eo agro abire cogebatur. Hunc superiùs Beelzebuben diximus ex Hieronymo.

E

CYNICI. F

Cynici Muscis similes dicti quare.

IN sacris nostrorum literis habetur Cynomyiæ mentio non contemnenda, quippe inter Ægypti flagella enumerata. Muscam eam caninam plerique dicunt, adiecta scilicet ad importunitatem canis etiam impudentia. Cynicorum sectam animali huic persimilem dicit Adamantius, qui ad reliquas improbitatis suæ deceptiones, voluptatem etiam & libidinem inter bona summa commemorabant. Nam quòd molesti essent contra ciuiles omnes mores, omnia deridendo, multorum est testimonio manifestum, quòd verò & impudentes, vel vnius Diogenis improbum facinus indicat, qui vel medio in foro spectante populo, hominem, vt ipse iactabat, plantare non erubescat. Ita plerique hodie, dum leuia quædam publicè reprehendunt, grauissima quæque ipsi sibi permittunt. Apud Eucherium locus animaduertendus est de Cynomyia, quæ non Musca canina, vt quidam putant, Psalmo sit accipienda, sed Musca potiùs omnimoda. quòd si admittatur, non per y Græcam literam scribi debet prima syllaba, sed per œ diphthongum; atque ita dicendum esset pro Cœnomyia, Muscarum genus omne.

DE EPHEMERO.

APVD Cimmerium Bosphorum Hypani fluuio veluti folliculos acinis maiores ferente, gignitur Ephemerus, animal quadrupes volatile, quod nos Diarum appellare possumus.

VNIVS

VNIVS DIEI VITA. A

Muscæ & Papilionis vita breuissima.

PER hieroglyphicum eius infantem aliquem, qui nõ vltra vnius diei spatium vitam produxerit, nonnulli significandum censent. Id enim animalis genus vt eruperit è folliculo, in pomeridianum vsque diei tempus viuit, & volat, mox descendente sole macrescit & languet, deinde occidente moritur, vita non vltra diem vnum prorogata. Eiusdem imbecillitatis est papilio, in grandissimæ Muscæ speciem, colore albido, qui ex folliculo bombycis intra suam araneã conditi transformatique erumpit, candidoque exceptus velo, oua haud ita multò pòst Papauerum seminibus paulò maiora, edit plura numero, mox intra pauciss imarum horarum spatium ab ouis editis emoritur; ex quo formari posset hieroglyphicum, quod indicaret, re bene gesta vitam exhalatam, vt Epaminondam Thebanum, & Leonidam Spartanum fecisse legimus. Ac ne quis commentitium ac fabulosum censeat, quod super Ephemero authores tradunt, vt Bombycem prætereamus, quem tota iam Italia domi vnusquisque contueri potest, in Britãniis fluuius est, vel, vt nonnulli traduxe, Euripus potiùs, qui totam fermè insulam diuidit, vtrinque in ripæ marginibus arbores sunt, quæ folliculos ad oui Anserini magnitudinem ferunt: hi certo anni tempore in subiectam aquam decidentes, simulac molliti fuerint, aperiuntur, deque singulis singulæ excluse aues abuolant, Pipionibus paulò minores, candore insigni, aliisq; adeò plumatis, vt altè statim auferantur, neque quò migrent vlli adhuc compertum aiunt.

DE CICADA.

B VT verò bestiolis his finem imponamus, admonet Cicada, quę cõtinuati soni raucitate molesta, nos omninò videtur edocere, vt eius exemplo tædio esse caueamus, tam multa cõgerentes. Eius igitur hieroglyphica prosecuti, aues iam & volatilia reliqua valere iubebimus.

INITIATVS SACRIS.

Sacræ literæ vt Cicadæ.

AEGYPTII sacerdotes hominem sacris initiatum, & mysticę disciplinę peritiam assecutum, per Cicadam significabant, in eam scilicet admirationẽ adducti, quòd animal tam exiguum, nullo oris commodo, non faucibus, non lingua præditum, tam argutè caneret tamen, tamq; altum insonaret. Esse huius instar doctrinam mysticam, & suas præsertim literas, quæ nullo syllabarum complexu, nulla partium orationis textura constructæ, sed sola animalis cuiusp iam, vel alterius rei repræsentatione, absolutæ significationis orationem facere videantur, quæ sese longè diuerso ab aliis literis modo legendam exhibeat. Putabant verò Ægyptij Cicadam, apud Horum legere est, per aculeum, emodulari, quòd motu suo stridorem cieret veluti plectrum quo citharæ pulsantur: ore quippe caret Cicada, eademque cæca est, prolixum tamen quiddam, compactum indiuisumq; gerit, simile ei quod linguæ speciem refert in iis, quibus aculeus in ore est, eoque ipso rorem hausit, quod vnum illi & peculiare est alimentum. Vnde apud Maronem:

Dum cytiso pascentur Apes, dum rore Cicadæ.

Cæterùm de sono diuersa est aliorum sententia, quippe qui attritus sit interioris spiritus. Quin etiam experimento compertum est, Cicadam non canere per oris aculeum, sed collisо, attrito agitatoque frequenter cauo vtero, quod pueri digitorum stimulatione non semel explorauimus.

DICACITATIS CASTIGATIO.

Prouerbiũ.

C CVM verò sonus ipsius animalis argutus quidam stridor potiùs sit, quàm cantus vllus, & strepitu aures ostendat, natum inde prouerbium, *Cicadæ vterum ne scabito*: quotiens reprimenda est cuiusp iam dicacitas aut petulantia, vt si pergat dicere quod vult, scurriliq; aut maledico morsu impatientiorem aliquem tetigerit, ipse posteà repercussus, quæ nollet audiens erubescat. Et quod in hanc sententiam ait Hesiodus: Εἰ δὲ κακόντ' ἔπποις, τάχα κ' αὐτὸς μείζον' ἀκούσαις.
Et huiusmodi apud Sophoclem, Euripidem & Plutarchum plura. Proclus Diadochus putat Cicadæ cantum ex alarum, qualescunque sunt, attritu prouenire: ait enim, ὁ τέττιξ ᾄδει ὑπὸ τῶν πτερυγίων ἑαυτὸν, οὐ ἦχον ἐκ πέμπων: *Cicada canit alarum freta ministerio, semetipsam applodens, & strepitum ita ciens.* Quod & Hesiodus agnoscit, πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων.

VANA GARRVLITAS.

CVR autem nonnulli vanam & inanẽ garrulitatem per Cicadam significari dixerint, ex Aristotele, quem non intellexerunt, desumptum crediderim, qui Platonis ideas à materia disseparatas, prioribus analyticis περιττώματα esse dixerit: quippe, vt nonnulli aiunt interpretes, nihil nisi inanem cantilenæ cuiusdam garrulitatem præ se ferentes. Quem Cicadarum cantum vt importunum & impudentem, ita Demetrius Philosophus notat, cùm à Domitiano pulsus Italia cũ Apollonio quereretur: *Cicadis*, inquit, *impunè licet obstrepere, nobis ne quidem mutire fas est.* Apud Aristophanem νεφέλαις quæ iustus sermo commendauerat; iniustus ait Cicadarum plena esse. Sedenim quantum



ad Aristo

ad Aristotelis τερετίσματα pertinet, piè magis fecerimus, si dixerimus discipulum longè honestiùs, quàm alij putent, de præceptore suo loqui, sanctiusq; sentire super ideis, quàm interpretes, nostri præsertim temporis opinentur: quippe cùm Aristoteles de iis tractaret quæ facerent ad demõstrationem per ea, quæ ipse constituit artis elementa, non obiiciendas huc, ait, ideas Platonis, quia τερετίσματα sunt, hoc est, mysticum quiddam sapiunt, atque ideo nihil ad demonstrationem qua de nos hìc agimus, conferunt; ingenij illud, atque animi supra sensum elati negotium est, hoc quod præ manibus est nobis, vni applicitum est sensui. Vocabulum enim τερετίσματα, inter alia significata Mysterium etiam significat, & superiùs Cicadam mystici hominis hieroglyphicum Ægyptiis esse commonstrauimus. Sanè verò Propertius in garrulitatis significatum acanthidem lenam vocat, à sermonis tædio & loquacitate, auriumque offensione: nam acanthias Cicadæ epitheton est, quin & Cicadæ species Hesychio. Aiunt porrò, ex eo animalium genere fœminas semper taciturnas esse, quod nonnulli ad frigiditatem referunt, qua sint egregiè præditæ.

τερέλισμάλα quid.

NOBILITAS GENERIS.

ILLVD minimè prætereundum, Cicadam apud Athenienses generis nobilitatem significasse, quod apud Thucydidem in liminari pagina cõperies, qui τεττιγοφόρες, hoc est, Cicadigeros eos appellat, quòd apud Athenienses institutum erat, Cicadas ex auro capitis ornamento gestare, quę indigenas & ingenuos ab aduenis & seruis distinguerent. Causam nõnulli comminiscuntur, quòd Cicadæ maximè omnium animaliũ indigenæ videantur: in ea siquidè regione qua genitæ, viuunt moriunturq;, cùm reliqua ferè omnia animalia aliquò migrent, neque sedem vllam firmam habere perseuerent. In vnaquaque verò ciuitate & municipio eos nobiliores dicimus, quorum maiores pluribus antè annis in patria sua clàruerint, obiectatumque ideò Ciceroni totiens in opprobrium, quòd vir nouus esset, quia plurimùm odiosa solet esse nouorum hominum ambitio, cùm Rempub. in quam recèns adsciti fuerint, administrare contendunt.

Cicadæ omniũ animaliũ indigenæ.

MVSICA.



QVAMVIS autem alij aliter Cicadarum cantum acceperint, plures illi fuêre qui Musicen hinc intelligi censuerint: ideoq; Cicadã in citharœdi statua citharæ insidens, hieroglyphicum dedicabatur, quem morem Strabo latiùs interpretatur, quanquam nusquàm desunt Græcorum fabulæ, Eunomi citharœdi statuam celebrantium cum cithara, cui Cicada insideret, propterea quòd is cum Aristone Rhegino, Pythiis, musico certamine destitutus est, chorda vna fracta, verùm aiũt Cicadam adfuisse superuolantem, quę suppleuerit vocis illius vicem. Et apud Theocritum pastor, qui Thyrsin commendare vult à carminis suauitate, melius eum canere quàm Cicadas, rustica & pastorali simplicitate, dixit. Deque hac Plotinus mihi videtur intellexisse potissimùm, cùm homines musicis modulis affectos ac delinitos, in animalia musica renasci dixerit. Quin & fabella recitatur à Platone, fuisse olim quosdam musicos homines qui cantu adeò allicerentur, vt præ modulatione cibumq; potumque negligerent, eoque demum macilentiæ redactos, vt in Cicadas abierint, qui famem adhuc nullo alio cibo quàm cantu leuent. Videre verò est homines eos qui sermocinationibus & loquacitati prolixius æquo dediti sunt, corpore esse maiori ex parte graciliori; corpora enim extenuari sermone nimio; Philosophi profitentur, quorum è numero Lucretius noster ita philosophatur:

Fabula ex Platone.

Nec te fallat item quid corporis auferat, & quid
Detrahat ex hominum ætatis, ac viribus ipsis
Perpetuus sermo, nigrai noctis ad vmbram
Aurorę productus ab exoriente nitore,
Præsertim si cum summo est clamore profusus.

Sed satis iam obstrepere cum Cicada visi sumus: quare sit iam nugandi modus.

DE ARANEO.

IMPORTVNVM fortè videatur insectis his, atque iisdem volatilibus Araneum aggregare: sed traxit me bestiolæ leuitas propemodùm volatilis, vt inter hæc locũ ei constituerem. Prætereà, veluti nullus est illi angulus imperuius, haudquaquam vlla erit inuidia, si huius quoque commentarij angulum occuparit.

INANE OPVS.

EX carmine quidem Catulliano, per Araneum inane opus, nulliusq; pretij aut momenti rem significari didicimus, vbi de se ipse iocatus ait:

--Nam tui Catulli
Plenus sacculus est Aranearum.

Quod

A Quod sibi desumpsit Lucianus in Pseudologista, φλεγμῶν ἢ ἐραχνίων μεστὰ, *carie & araneis oppleta.* Verùm & ex historiæ sacræ scriptoribus, significatum idem Præsulibus nostris non improbatum accipimus. Eo siquidem tempore atque hora, qua Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, & Macarius, & Pyrrhus & socij, qui vnam in Domino nostro IESV Christo naturam & voluntatẽ asserebant, centum & quinquaginta Præsulum sententia damnati sunt, plurimæ Araneorum telæ, maxima omnium admiratione, in medium populum cecidêre; ex quo significatum est, eas hæreticorum sordes Aranearum instar inanes fuisse, eoque conuentu solenniq; iudicio disiectas esse. Nonagesimo sanè Psalmo de infirmitate huiusmodi legas: *Anni nostri quasi Aranea reputantur:* nam ea magna cura & ingenti labore contexitur, ob tenuitatem verò minimo quolibet occursu dissipatur. Alio Psalmo: *Tabescere fecisti velut araneam animam meam,* super eadem imbecillitate humana dictum volunt. Et earum telæ, vt Eucherius, concupiscentiæ nostræ opera sunt, quæ nulla densantur soliditate, venti cuiuslibet humani iniuriæ exposita. Apud alios ita interpretatum inuenias: *Exile admodùm animal est Aranea, & anima flagellis & amaritudine conscientiæ perculsa macerataq;, attenuari videtur:* contrà cùm genio dat operam, *Pinguescere* dicitur, *& opiparè saginari.* Sunt qui ex Hebraïco non Arancam, sed Tineam hìc ponant.

Mystica Aranearum explicatio.

PLVVIA.

ALIOQVI tela huiusmodi futuræ indicium est pluuiæ, quòd animal id sereno texere quodammodò vereatur, non ignarum serenitatibus tenuem magis ac perflatibus obnoxium esse aërem, quibus ambobus opera sua dissipari contingit, nubilum verò, vtpote crassiorem glutinosioremque, eius operis tenuitati commodiorem experitur.

B

LEGVM INÆQVALITAS.

VVLGVS verò nõ ineptè per Aranearum telas & retia, apto admodùm hieroglyphico legum notat inæqualitatẽ, propterea quòd veluti Muscæ & volatilia alia pusilla, si in eas inciderint, capiuntur & pereunt, fortiora verò animalia perrupto texto facilè quoquò libuerit elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atque castigant, potentioribus verò nihil aduersantur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, & refigunt. At nõ ita Antiochus tertius, qui ciuitatibus sibi subditis scripserat, vt si quid vnquam per literas mandasset quod legibus aduersaretur, ne curarent, tanquam illud esset se nesciente scriptum.

Antiochus legũ obseruatissimus.

DIALECTICA.

PER Araneas Ariston Chius Dialecticorum sermones intelligebat, quæ quidem artificiosè admodùm elaboratæ essent, nulli verò inseruirent vsui. Eandem idem disciplinam cœno in viis iacenti assimilabat, nulli quippe vtilitati esse, ingredientibus autem & impedimento & molestiæ. Idem eos qui disciplinæ huic operam curiosiùs darent, iis qui Cancros largè vescerentur similes esse dictitabat: exigui enim cibi causa circa magnum testarum cumulum occupari. Dialecticam verò omnem Zeno Philosophus iustis quidem mensuris comparabat, quibus tamen eius artis periti non triticum aut vtile quidpiam metirentur, sed paleas, aut quisquilias alias id genus.

Opinio Aristonis de Dialectica.

DE TIPPVLA.

C VERVM ecce tibi Tippulam, mihi nihil tale cogitanti, neque sentienti, ex improuiso huc irrupisse, quare quid ea quoq; sibi velit, videamus, etiamsi nihil ab Ægyptiis, quod meminerim, super ea traditum habeatur.

LEVITAS.

SVNT qui summam leuitatem, vtputà quam Maro de Camilla canit, per Tippulam aptè significari posse dicant. Bestiolæ quippe genus id sex pedibus præditum, sed tantæ leuitatis, vt super aquam currens non desideat. Hinc Plautus: *Neque Tippula leuius est pondus, quàm fides lenonia.*

PIERIVS VALERIANVS
AD NOBILISS. MAXIMEQVE REVERENDVM IOANNEM GRIMANVM PATRIARCHAM AQVILEGIENSEM, DE IIS QVÆ PER DELPHINVM & Polypum significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXVII.

LVSTRICIS *diebus, qui proximè præterierunt, cùm, pientissime Præsul, purificationis ergò puluinaria septem te secuti inuisissemus, essentq; vnà tecum eruditissimi viri Angelus Colotius, Baptista Casalius, Pimpinelus, Antonius Marosticanus, & Petrus Alexander, quibus candidius nil terra tulit, quorum commendatione tuam ego amicitiam recèns indeptus eram, multaq; inter equitandum de*

ambitio

ambitiosissimo monimentorum studio, quod veteribus illis adeò placuisset, vtrò citrò́q; dicerentur: suggerebant D *enim argumentum tot disiectorum passim ædificiorum moles tam immanes, quæ tota gestatione nostra occurrebant, magnamq; dicendi materiam sumministrabat arcana illa pingendi cælandiq; ratio, quæ apud eos fuisset, qui mutam quandam orationem per rerum imagines mente concipiendam, non vllo vocis sono, literarúmve complexu enunciandam excogitassent, authoribus dubio procul Aegypti sacerdotibus, quos vniuersæ mox nationes, vbi vlla rerum disciplina vigeat, tacito consensu cunctis in operibus imitari studuissent. Sub hoc sermone Quirinalem præteruecti, ad Altæ semitæ latus deflexeramus, in hortos tuos, vbi antiquissimi operis templum olim fuit, in quo ruinis obruto signa etiamnum pleraque vetustissima sub ruderibus subterranei eius templi reperta à vobis fuerant, ad quæ spectanda magna ingenuorum multitudo confluebat. inter ea autem opera præcipuum erat Veneris simulacrum quæ Cupidinem manu regebat, ipse verò Delphinum cauda apprehensum surrigebat, ille Polypum iuxta Cupidinis pedes hærentem solo mordicùs apprenderat. Hic tu, qui veterum operibus adeò delectaris, quærebas, quid id sibi vellet argumentum. Neque aberant ex loci curatoribus qui visitantium opiniones exceperant innumeras, plurimum verò qui rem temerè factam arbitrabantur, animaliaq; illa ad ornatum tantùm apposita putarent; vel si quod in ea re consilium fuisset, certè non vllum aliud; nisi vt statuæ penè nudæ aliquo firmarentur fulcimento, facilè lapsuræ nisi adminiculis huiusmodi veluti adglutinatis præsepitaq; sustentarentur, neque alterius cuiuspiam rei significationem præ se ferre, nisi fortè quis diceret, Venerem mari ortam, maternisq; pecoribus Cupidinem adblandiri. Tuq; mi Domine, ad me conuersus, quid super hoc mihi videretur postulasti. Ego autem argumentum id omne ad Aegyptiorum traxi disciplinam, túque, Vir amplissime, libenter auscultare me visus es, meamq; dictionem amici reliqui non improbarunt. Proinde rogasti me, vt quæ super Delphino & Polypo huiusmodi disseruissem, ea scriptis explicata tibi darem, velle te per otium rem diligentiùs examinare. Feci quod petieras, idq; libenter admodùm, quòd magnoperè gaudebam datam mihi occasionem, qua possem tibi tam studioso, tam pio, tam planè* E *probo Principi in ea re morem gerere, in qua per dies aliquot industriam ego meam, quantulacunque esse poterat, exercuissem. Misi igitur ad te pisces eos duos quos popposceras, atque ea simul omnia, quæ illis capiundis in verriculo deprensa sunt. Nam multa Delphinus dum mare cauda verrit in sagenam immisit; & Polypus cirris, & quibus exasperatur cotyledonibus fretus, plurima secum attraxit, nullo discrimine congesta. Ea vtiliáne essent, an inutilia, nolui meum esse iudicium, sed ipsum rete prout eductum erat, cum tota præda protinus afferendum ad te curaui. Tuum erit quæ vsui fore videbuntur, verriculo in siccum attracto, seligere; quæ minus ad rem facient, eijcere. Sed anteà quàm ad complexum figurarum, quas explicaturi sumus, aggrediamur, necessarium esse visum alterutrius simplicia significata percurrere, vt habita singulorum cognitione, faciliùs coagmentationem ipsam conficere possimus.*

DE DELPHINO.

INCOLVMITAS.

Palæmon in Neptuni templo.

NONCIPIENTES igitur à Delphino, id in primis referre libet, quod totiens in humani generis beneficium cessit, quippe plerisque mortalium extremo vitæ periculo laborantibus ab animali hoc sponte auxilium allatum. Neque enim temerè frænatus Delphinus pictus, incolumitatis indicium fuit, quod dubio procul ob multos ab vndis eius opera seruatos factum opinamur. In Neptuni siquidem templo, quod apud Isthmon erat, visebatur Palæmon puer super Delphine & auro & ebore confectus, quem Herodes Athenienſis dicauerat. Nam & Palæmoni nautæ pro incolumi nauigatione vota faciunt. F Idem enim & Melicerta & Portunus est, cui, vt apud Virgilium habetur, *seruati votum soluunt in littore nautæ*, vt Glaúco, & Panopeæ.

TARAS.

Delphinus cur δελφινόσημος dictus.

QVOD verò signum in argenteo numo Delphino vehitur, TARAS is est, vt etiam indicat inscriptio, de quo Aristoteles meminit Tarentinorum politia, apud quos numisma Numum dicit appellari, in quo Taras Herculis Delphino vectus. quanquam apud Asiaticos quoque puerum Delphino insidentem fuisse in numis, tradit Strabo. Sed Phalantum Lacedæmonem memorat Pausanias, qui Tarentum coloniam duxit, priusquàm Italiam attingeret naufragium in Crisæo mari fecisse, cui Delphinus opem tulerit, sublatumq; dorso in littus incolumen exposuerit. Stesichorus historiam huic similem Crithei testimonio recensет, Telemachum Vlyssis filium cùm adhuc puer in alto maris littore lusitaret, in subiectas aquas corruisse, mox Delphinorum beneficio receptum, qui puerum surrexerint, & exposuerint, idcirco patrem Delphinorum insigne postmodùm studiosiùs adamasse, eamque sculpturam & in ense & scutis habuisse, & in annulo vsum pro sigillo. Quare apud Lycophronem cum δελφινόσημον appellari comperias, quod ea etiam de causa fortè dictũ existimes, quòd Philostratus eum subsimum fuisse dicit. Delphini verò & simo admodùm rostro sunt, vnde animal Repandirostrum, Pacuuio. Et Simonis nomine gaudent appellari, quasi vocem intelligant. Vt verò interim omittamus Arionem Delphini opera & vectatione, de latronum nautarum manibus liberatum, cuius rei testimonium diutissimè in Tænaro habitum donarium, ex ære Delphinus cum insidente Arione, quod argumẽtum in numis etiam cusum

A cusum vidi, cum quippe nudum Delphino vectum, dexterâ victoriam prætendere, lævâ lyram sustinere. Prætereamusq; Hesiodi Poëtæ per errorem in templo Nemeæi Iouis ab incolis trucidati cadauer, quòd in mare fuerat à percussoribus abiectum, à Delphino inter Locridem & Eubœam expositum, & Melicertæ corpus, quod in Isthmo Delphinus exposuerat inuentum à Sysipho. Virginem quandam Lesbiam vetusti authores tradidêre cum amatore suo demersos in aquam, Delphinorum auxilio incolumes euasisse. Veteres denique Delphinum tanta veneratione prosequebantur, vt eum neque venarentur, neque vllo pacto lædere fas iudicarent, quæ quidem religio in ætatem vsque nostram propagata est, cùm multos reperias qui Delphinũ vel interficere, vel vesci ea de causa scelus putent, quòd quædam illi sint cum humano genere commercia, promptuariúmque sit nauigantibus auxilium.

BACCHVS.

QVOD verò Delphinũ Baccho adpingunt, non solùm ad fabulam spectat, sed etiam ad historiam, quòd vinũ marina aqua mixtum faciliùs conseruatur, vt Columella scribit se ab agricola patruo didicisse. Et Dionysius hac de causa ad mare fugisse fingitur, quod apud Athenæũ habemus. Cur verò aqua maris adeò vino conferat, rationẽ & Plinius & Dioscorides & alij tradidêre.

APOLLO DELPHICVS.

Apollo sagittis author habitus.

AT qui non Neptuno & Baccho solùm, verùm etiam Apollini Delphines dedicantur, multáſque eius aras apud Græcos Delphinis insculptas fuisse, Plutarchus attestatur. Ad hæc nonnulli addunt, Apollinem Delphini specie adnasse ad Delphos, apud quos præcipuè colitur, quamquam & Delphi anteà fuerãt Neptuno sacri, vti Calauria Trœzeniorum insula Apollini, quæ loca mox dij ipsi inuicem permutarint, vt apud Pausaniam est. De Calauria tamen nescio quid diuer-
B sum tradit Stephanus, cuius opus *De gentibus*, Hermolaus Byzantius in compendiũ redegit. Quantum verò pertinet ad Apollinem in Delphinum transmutatum, Creticum commentum aiunt: illi enim Apollinem totius salutis authorem celebrabant, neque quemquam vllum euadere infortunium arbitrabantur, nisi Apollinis ope sospitaretur. ad quod fortè tacitè respexit Horatius, Sermonibus, vbi se garruli cuiusdam importunitatem, qui hominem necabat, euasisse gauisus ait, *Sic me seruauit Apollo:* quamuis de foro loquatur, quò nugator ille in ius tractus fuerat: ibi enim erat Apollinis templum. Cretes denique ab vnoquoque malo liberationem Apollini ferebant acceptam. Nam & quòd fabulæ fabulantur homines in Delphinos transmutatos, ea de causa confictum aiunt, quòd Delphinis ducibus nautæ seruati fuerint.

PERICVLORVM FVGA.

Prognosticum tempestatis Delphinus.

APVD nostros etiam vulgò Delphini sunt tuti receptus indicia, quippe qui quotiens futuram tempestatẽ præsentiunt, in portus accurrere, deque vndis exilire cernuntur, quasi velint reliquos inuitare, vt in stationes properè se recipiant, neque nauigia alto credant. D. etiam Thomas Delphinum ait futuræ tempestatis prognosticum esse minimè contemnendum, vbi visus fuerit in maris superficie frequentiùs se vibrare, aut plures quodammodo lasciuire inter se colludentes. Causam philosophi deprehendêre, quòd hyemali procella ingruẽte, consurgunt exhalationes ab imo mari, quæ hyemis fomenta suggerunt, calorque tunc in Delphinis excitatur; caloris verò cùm propria sit agitatio, euenit vt idem animal sæpius emergat, seque frequentiùs ostentet. Vnde illud apud Plinium, *Delphinos tranquillo mari lasciuientes, flatum ex qua veniunt parte præsagire.*

IMPERIVM MARIS.

CITA verò Delphinus maris regem significat, vt pro aqua mariúq; ipso passim in numis excudatur. Præcipuè autem Sunij Neptunus sub Delphinis imagine colebatur. Neptuno verò aquarum domino nullo non in signo eius adsculpebatur. Pulcherrimus extat numus, cuius inscriptio est, NERO CLAVDIVS CÆSAR AVG. GER. P. M. TRI. P. IMP. PP. vbi Neptunum ipsum videas in portu sedentem: id enim quietis indicium, dexterâ temonem terræ adprimentem, quod signum nauigationis est in portum fossilem; lævâ verò Delphinum amplectentem, quod maris blanditias & tranquillitatem ostendit, iramq; & commotionem fluctuum omnem ibi demolitam. Ibidem celeberrima illius ædificij forma est, cum inscriptione, P OR. OST. In qua quidem portus illius effigie naues diuersi generis minutissima figura elaboratas, non sine magna artificis commendatione conspicias. Atque vt hinc hieroglyphicum, quo de agitur, interpretari aggrediamur, epigramma Græcum extat, cur Cupidinis signum vna manu Delphinum, altera flores contineat, in hunc modum interpretatione facta:

M. Agrippæ & Q. Nasidij numus.

Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχῃ δελφῖνα καὶ ἄνθη,
Τῇ μὲν γαῖαν, τῆδε θάλασσαν ἔχει.

Non temerè quippe illum vna manu Delphinum, altera flores continere, vtpote qui sit hinc terræ dominus, inde maris. Est & in numo M. Agrippæ L. F. COS. III. Neptuno reduci signum S. C. cusum, in quo Neptunus lævâ tridenti altè innititur, dexterâ verò Delphinum exporrigit. In Q Nasidij numo nauis est cum stella & velo pleno, ab altera parte caput, tridente ab occipitio posito; infrà Delphinus est, inscriptio, NEPTVNI. quod tutam Q. Nasidij nauigationem Neptuni beneficio peractam indicat. Tam igitur ex iis quæ dicta sunt, Delphinũ ante omnia maritima Neptuno

sacrum intelleximus, quàm reliquarum etiã aquarum symbolum, ex celebri Corinthiorum signo, apud quos fons fuit, in quo Neptunus æneus situs erat, sub cuius pedibus Delphinus aquam effundebat. Sedenim cùm hæc multa sint, hæc de Neptuno dicta sufficiant, si modò id addidero, quòd per Neptunum vice versa, vnusquisque etiam piscis accipitur, vt apud Næuium: *Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem:* hoc est, pisces, olera, panem. vbi aduertendum Venerem hortis præfici.

VELOCITAS.

EST & illud præcipuum ex Delphino significatum, vt sit velocitatis indicium aut mirificæ agilitatis. Constat enim vnicuique maris accolæ, quanta se velocitate Delphini iaculentur; quæ cùm refertur, incredibilis habetur iis qui non spectarint. Est autem dubio procul velocissimum omnium animalium tum aquatilium tum terrestrium, quippe qui malos etiam nauigiorum maiorum supersiliant, perinde ac sagitta pernices, vt apud Aristotelem habetur, ἀπάντων δοκεῖ εἶ ζώων τάχυτον καὶ τῶν ἐνύδρων ἢ τῶν χερσαίων, & ὑφάλιον πλοίων μεγάλων ἰσχύς. De agilitate verò, qua maximè præditus est, prouerbium emanauit, *Delphinum nare doces*, si quis imperitus peritissimum instituere aggrediatur; perinde ac illud, Sus Mineruam, quod, eruditissime Præsul, in me forsitan non immeritò retorseris, qui de iis ad te scribere cœperim, quæ tu lõgè me pleniùs & meliùs alios docere possis. Nam & illud nosti, Nemeis, Milesiam saltu perniciissimum Delphino assimilatum à Pindaro.

Prouerbiũ.

CITA NAVIGATIO.

IN nauigatione autem cùm celeritas in primis expetatur, non incongruè Delphinus est nauigandi signum, siue quòd ipsi naues obuiam factas comitantur, & quodam gratulationis affectu choreas circumducant. Ab ea verò sulcandi maris facilitate qua Tyrrheni plurimùm olim claruêre, qui piraticam exercentes vniuerso ferè orbi terrori erant, Delphinorum cognomentum in Græcorum fabulis adepti sunt, cùm præsertim Pelasgi, referente Mirsilo, Crotone occupata Tyrrhenam etiam regionem inuasissent, in qua diutiùs cohabitantes nauticam didicêre. Habiti verò inter piratas etiam Pelasgi, vnde nationibus reliquis inuidiæ plenum erat eorum nomen, idque apud Maronem semper ad contumeliam ponitur.

Pelasgi piratæ dicti.

MATVRITAS.

PERVVLGATVM verò illud est, quod maturè agendum significat, si Delphinus anchoræ vel alligetur, vel, vt veteres fecerunt, obuoluatur, vno contationem, altero celeritatem significãte; quæ simul iuncta, inuicemque temperata, maturitatem faciunt; & quod Horatius ait, *Et properare loco & cessare* indicant, id Græci πεῦδε βραδέως enunciarunt. Sunt qui hieroglyphici huius inuentum Augusto tribuant, quòd & adagium & signum huiusmodi solitus sit identidem repetere. Habetur ea species, qua Delphinus anchoræ se circumuoluit, in Titi Vespasiani numis. Sed fortè non displiceat in huiusmodi significatum trahere, quod in numo quodam æreo apud Maffæos inspexi Romæ, Bouem humana facie personatum, supra quem Delphinus imminet: per hunc enim celeritatem, per Bouem tarditatem intelligimus, quæ illius animalis propria est. Actionem verò ex humana facie colligimus, quòd hominum proprium in primis sit res gerere, quamquam de Boue laruato alibi.

Maffæorum numus.

AMOR IN SIMPLICIOREM ÆTATEM.

INVENIO etiam ex Delphini simulacro amorem in simpliciorem ætatem significari, quem puerilis ætatis amasium non vno exploratum est exemplo, qualia ab vtroque Plinio referuntur, vt non immeritò tot in numis Delphinum cernere sit ab alato Cupidine frænatum. Et Veneris statuas pleraque vidimus, quibus adsculptus est Cupido, qui vel Delphino insideat, vel alio quoquo modo regat eum apprehensum.

GRATVS ANIMVS.

NEQVE tamen ea pro fabulis habenda quæ recitat Pausanias, qui grati animi signum in hoc animali se vidisse in Poroselene Ioniæ vrbe testatur: inclamatus enim à puero, properare ad eum solebat, subiectoque dorso ei, si adlibuisset, ad vecturam sese accommodabat, propterea quòd ab eo redemptus piscatorum manus euaserat, curato etiam vulnere quod illi fecerant. Ab Egesside proditum ait Plinius, in Ialyso Rhodiorum vrbe Hermiam puerum Delphino longa consuetudine vectari solitum per fluctus, sed subita mox procella superueniente demersum. Idemque Naupacti etiam accidisse, à Theophrasto est literarum monumentis traditum. Admiratur Plutarchus tantam animalis istius humanitatem, siquidem non educatione, veluti Canes & Equi, non vlla alia necessitate, velut Elephanti Pantheræque & Leones ab hominibus liberati, sed genuino quodam affectu sponte sint humani generis amatores, ideoque Crocodilorum hostes infensissimi, propterea quòd Crocodilus humano semper generi insidiatur, atque ita ipsa naturæ repugnantia inimicitias generat.

Delphini humanitas.

NEQVITIA.

PHYSIOGNOMICI sanè lasciuos & petulantes eos in primis iudicant, qui simum, vt Delphini, nasum habeant, propterea que Socrati nequitia, quam ex ipsa facie præ se ferret, vitio data est, quòd ita se natura affectum inficias non iuit, cæterùm se naturam continentia domuisse; id quod etiam Plato in Symposij fine multis argumentis testatum facere est aggressus.

ADVLA

ADVLATORVM INFIDELITAS.

NON præteribo hîc, quòd Socion Philosophus ait Delphinum adulatorem esse, qui ciborum reliquiis, quæ à nauigantibus affatim in mare proiiciuntur, allecti comiterq; accepti saturatique, natantes quandiu affatim vnda subest ac suppetit officiosè comitantur, in siccum verò littus nunquam excedunt. Sic adulatores, quandiu tranquillitas affulget, permanent, amicos in hoc vitę cursu dum plana faciliáque & prospera omnia sunt, adeunt, deducunt, colunt: cùm verò scrupea difficiliaq; acciderint, statim abscedunt, de quibus Horatius noster:

Adulatorũ natura.

At vulgus infidum & meretrix retro
Periura cedit, diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.

GIBBEROSI.

VVLGO verò vsurpatum, vt gibberosos Delphini cognomento notemus. Et antiquissimus author Pacuuius, animalia hæc Incuruiceruicum pecus appellauit. Sed & gibba suum habet significatum, vtpote quæ futurorum indicium sit, vt apud Tranquillum aruspices Domitiani gibbam per somnium sibi accessisse visam interpretati sunt. Et quoniam pars est prudentiæ, futura præuidere, gibberosos aiunt omnes astutos esse, multaque pollere sagacitate.

Gibba futurorum indicium.

IMPVRI AMORIS SATIETAS.

MAXIME verò mihi natura ipsa per Delphinum philosophari videtur, quem terra procul, adeò violentum, pernicem atque agilem esse iusserit; eundem autem simulatque terram attigerit, vix in arenam exceptum confestim emori; vnde dixerit Horatius de re maximè absurda, contraria, & sibi valde repugnanti, *Pingit Delphinum in syluis.* Ita impatiens est animal hoc terreni soli. Adagium verò est in eos qui magnum aliquid polliciti, minimum præstiterint, ἐλαφίνῳ ἐν χερσὶ βία. Quę quidem eò spectant, vt cùm amorem ex Delphino significari ostenderimus, eatenus amorem omnia virtutis experimenta præstare admoneamur, quatenus terra procul in alto sese exercet, & in sublime sæpius sese cœlum versus, marinæ vnde purificatione expiatus, ac sereni tantùm aëris affectator eiaculatur. Terra autem & animalia terræ addicta, vti Serpentes, Sues, & alia quædam, voluntariæ mollitudinis indicia sunt, tum ipsam rei venereę spurcitiem innuunt, quò simulatque Delphinus accesserit, statim expirat. Huiusmodi enim est impuri amoris conditio, vt cùm quis id, quod longo temporis interuallo appetierit, studioseq; ambiuerit, assecutus est, in amando deinceps flaccescere ac refrigerari videatur, plerumque etiam vel fastidio, vel odio succedente, tam alienus ab amata re fiat, vt nihil magis auersetur. Hinc illæ deceptorum querelæ:

Adagium, eiusq; explicatio.

Cui mea virginitas auibus libata sinistris?

Hinc apud Maronem exclamat Dido:

Te propter Lybicæ gentes Nomadumq; tyranni
Odêre, infensi Tyrij, te propter eundem
Extinctus pudor, & qua sola sydera adibam
Fama prior, cui me moribundam deseris hospes?

Quare Lysias apud Platonem amantes ait, cumprimùm libidinem expleuerint, collati beneficij pœnitere, id quod in eo accidit amore, qui turpitudini sit emancipatus. In eo verò quem neque Plato, neq; alius quispiam pro dignitate satis vnquam laudauit, longè aliter euenire manifestũ est.

DE POLYPO.

ENVMERATIS quæ apud authores, quos legere licuit, habentur, Delphini significationibus, ad Polypum res ipsa, quæ præ manibus est traducit, vt demùm quid sibi velit Delphinus qui Polypum mordicùs apprehenderit, coniicere valeamus.

REI FAMILIARIS ACCVMVLATOR.

AEGYPTII sacerdotes hominem qui rem familiarem ex quibuscumq; rebus, vtilibus simul ac inutilibus, nullo discrimine, nulliusq; rei ratione habita, congereret augerétque, significare si vellent, Polypum pingere soliti sunt. Ille enim cùm prodigè admodùm multa deuoret, prudẽs tamen rei familiaris omnia temerè colligit & conuenatur, & in cubili suo recondit, selectisq; vtilibus atque consumptis, inutilia mox, quippe testas, & Cancrorum crustas, & putamina conchularum, & spinas pisciculorum abigit. Eos Ælianus vehementes ait esse ad vorandum quæcumque oblata fuerint, esseq; adeò impotentes, vt ne pastu quidem mutuo abstinere deprehendantur, quique in retibus minores inclusi fuerint, maiorum escam esse.

Polypus natura prouidus & voracx.

OMNIVM ABLIGVRITOR.

QVIN etiam eum qui aliena abligurierit, & sua mox absumat, notare cùm vellent, Polypum flagella curtum & detruncatum effingebant. Asserunt enim authores Ægyptij, Polypum ita famis impatientem esse, vt si alius cibus non suggeratur quem deuoret, propriis flagellis vescatur. Vnde dixerit Alcæus ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πολύπους (quem versum citat Athenæus:) *Ipsum me comedo vt Polypus.* Hesiodus quoque ὃν τ' ἀνόστεον ὃν πόδα τενδέα. *quique suo exossis pede vescitur.* Prætereà Oppianus Halieuticis, ἀλλ' ὑλαφυρῇσιν, ἀνεξόμβροι θαλάμῃσι πλη-

De Polypo variorum authorum opiniones.

ξαντες δαιμύν) ἐὰς πόδας ἤυτε σάρκας ἀλοτείας. Idipsum Ælianus asserit, venatione deficiente suis eum D vesci cirris, aliis mox pro iis qui absumpti fuerint succrescentibus. Heledonem autem πλεονασμῷ τε λόγου ἑαυτὴν ἥδειν, quòd semetipsam edat, appellatam, Polypi speciem etymologici Grammatici contendunt. Nam & Pherecratem summæ authoritatis virum, hæc eadem de Polypo sensisse tradunt. Quin & Carneadem id ipsum agnouisse manifestum, cùm Dialecticam Polypi similem esse dictitaret, qui præ fame suamet flagella pasceretur. Eos verò aucta iam doctrina peritiores factos, in suasmet opiniones mox grassari, eásque destruere: quæ quidem curiosiùs à me conquirenda fuerunt, quia Plinius Aristotelem secutus id fieri negat, quíq; reperti sint corrosa habere brachia, id eis à murænis vel congris euenisse asserit, cum quibus assiduum certamen habent. Plutarchus tametsi in Aristotelis sententiam super hoc nonnunquam illabatur, cum Ægyptiis tamen hoc idem tradit, qui tam præstantium authorum scripta arguere mendacij vereatur, quasi verò non & alia sint animalia, quæ suamet membra in cibum absumant, cùm Cercopithecos videamus totas interdum sibimet caudas abrodere, quare cautio est, ne qui animalibus huiuscemodi delectãtur, carnes eos attingere permittant, quia simulatque carnibus assueti fuerint, eius facti auidiores, morsus in semetipsos vltrò conuertunt. Id ego cùm hæc scriberem, apud Mediceos proceres domi fieri à quodam efferacioris naturæ Cynocephalo quotidie conspiciebam.

VICTORIA VTI NESCIVS.

HOMINEM victoria potitum, vti tamen victoria nescientem, intelligere cùm vellent, sacerdores iidem Congrum & subiectum Polypum pingebant. Qua specie potuisset Annibal figurari, cùm strage ea Romanorum ad Cannas edita, Romam oppugnatũ ire neglexisset. Aiunt verò, quotiens Polypi cum Congris certamen ineunt, à Congris facilè superari; cæterùm nullam esse E Congris facultatem, vt Polypos depascere valeant, quòd ij læuore atq; lubricitate corporis, qua sunt egregiè præditi, morsus hostium effugiant, & mutilatis tantùm aliquando flagellis elabantur.

TYRANNVS.

QVOD si hominem Ægyptij municipij sui longè principem, sed tyrannica in ciues dominatione vtentem, notare vellent, Polypum & locustam adpingebant: locustæ siquidem dominationem videntur in Polypos exercere, primasq; inter eas obtinere partes, vt apud Horum legitur. Cæterùm Aristoteles priores Polypo tribuit, tantoq; eum terrori formidiniq; esse scribit, vt si locusta Polypum in iisdẽ retibus esse senserit, præ metu exanimetur quamprimùm extincta. Habet hæc Gammari fluuialis similitudinem, longè tamen maior atque vastior est, & albicantior, cùm Gammari subnigricent, quamquam & nigricantes admodùm locustas in Ligustico mari esse conspexi. Pedes huic vtroque ex latere quini, iis adnumeratis qui in foreipem exeunt denticulatum, octoni verò Gammaris. Sed est suus de locusta locus in crustaceorum commentario.

MORIBVS ALIORVM ACCOMMODATVS.

PERVVLGATVM verò illud est, vt homo, qui se variis hominum moribus accommodet, sitq; omnium, vt Latini dicunt, horarum, per Polypum saxis adhærentem exprimatur, quẽ maximè omnium colorem mutare constat, iisq; similem reddere quibus appropinquauerit saxis. Huic autem similes esse homines dicimus, qui pro loco & tempore viuendi rationem aucupantur, séque eorum, apud quos degunt, voluntati atque sententiis in omne obsequiũ proni dedunt, omni post-

Quare mutationẽ patitur Polypus.

habita ingenuitate. Causam demutationis istiusmodi multi reddere conati sunt, eamq; alij voluntariam, alij naturalem, alij coactam tradidere. Voluntariam, quòd id astu quodam faciat. Naturalem, quod transluciduin sit eius corpus. Necessariam, quòd præ metu ita transmutetur, vt homo F etiam pro varia cordis concitatione, hoc vel illo colore genas perfunditur. Voluntariam sanè reprehendit D. Ambrosius, propterea quòd Polypus dolo malo hoc faciat, vt incautos ad se pisces trahat, eosq; deuoret. Theophrastus id in genuinam quandam animalis ignauiam reiicit, quòd vbi consternatus sit, tumultu aliquo colorem mutet, vt hominem facere dicebamus, vnde prouerbium illud emanarit, τὸ πανῦ περὶ χρὼς, *mutatur color ignaui.* Formidolosi enim omninò sunt Polypi, propterea quòd admodùm frigidi, eaq; cum primis demutationis causa perhibetur: id quod apertiùs Phocylides damnat, quòd si ea sit mutationis causa, reprehẽsioni omninò obnoxius videatur. Sedenim plerique veterum ingenium huiusmodi vsqueadeò approbauerunt, vt etiam proponerent ad imitandum, ea de causa potissimùm Vlyssem esse habitum sapientem asseuerantes, quòd versuto esset ingenio præditus, vnde ei apud Homerum πολυτρόπῳ cognomentum, & suauidicus ita suadet Pindarus:

Ποντίᾳ θηρὸς χρωτὶ μάλιστα νόον προφέρων Πάσαις πολίεσσι ὁμιλεῖ.

quam sententiam ita ex commodo transtulimus:

Agè agè colore Polypi Mentem apparatus optimè In vrbe qua velis mane.

Suadet hoc ipsum Theognis, cuius sententia eadem cum Pindarica:

Mentem habeas quàm multicolor dum cautibus hæret Polypus.

Est enim vbi Theognidianus versus ita legitur:

Πελιτνὸν ἢν νόον ἔχῃς πολυπλόκῳ ὃς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ προσομιλήσεις, τοῖ ἰδεῖν ἐφάνη.

Sedenim

A Sedenim improbat hoc Basilius Magnus, adulatoremq; vocat Polypum libro *De Gentilium lectione*, quòd veluti ille colorem ad subiecti soli speciem demutat, ita parasitus ad audientium voluptatem sententiam studeat variare. Sed quod Pindarus & Theogonis tradunt, eò spectat, vt studium omne in calliditate dexteritateq; viuendi reponamus, vt simulare, neque nõ dissimulare, pro loco, pro re, pro tempore, quod obfuturum videatur, apud eos quibus adhęsimus, euitare sciamus: quod si virtute incolumi fiat, neque animi integritatem flagellauerimus, euenire omninò necesse est, vt faciliorem & minùs inuidiosam vitam peragamus. Libet verò demutationis istius causas altiùs repetere, atque ipsam rei naturam, quantum ad hoc pertinet, oculis scribendo subiicere, tam probabilia mihi videntur, quæ super hoc veteres ex Empedoclis opinione tradiderũt. Porositates quippe exhalabiles inesse rebus omnibus, quas vel cernere, vel attrectare liceat: neq; enim animalibus, neque plantis, neque terræ & mari tantùm, verùm etiam lapidibus manifestè insunt spiramenta quamplurima, quinetiam in ære & ferro: omnia enim sponte vitiantur, cùm aliud exhalet assiduè, pariq; ratione diffluetur, atque interteratur: per porositates enim exiliunt & excluduntur particulæ illæ intercluſæ, quæ ad elementi sui purissimi simplicitatem redire festinant, fæxq; corpori adhæresci, quæ rubigo est in iis quæ rubigini sunt obnoxia, putredo in iis quæ putrefieri apta sunt, atque hinc omnia tendunt ad interniciem. Eam porositatum exhalationumq; naturam nonnulli arbitrio suo ἐμπλοκὰς dixêre, πλοκὰς alij, alij verò ὥσπερ πνὰς & σφιελώδεις. Maximè verò maritimis in petris, quæ salsuginosa maris aspergine alluuntur refrigeranturq;, par est partes has, & meatus huiusmodi deprehendi, cùm hæ tenuissimo quodam halitu corrumpãtur, licèt id in solidioribus oculata fide minimè possis explorare, propter materiæ densitatem & pororum constipationem. Cæ-
B terùm si Polypi carnem intueare, sine vlla prorsus cõtatione porosissimam, & transmeatibus aptissimam iudicabis: exossis enim ea est, vt Hesiodi dictum vsurpem, & mira quadam raritate perspicua. Cùm itaque pauore aliquo perturbatur, tota ferè vi sensibili sese colligente, quemadmodum in homine gelidus in formidine circa cor sanguis coit, corpus reliquum præ se quidem satis translucidum, tum maximè rarefit, & transmeabilis apparet; vnde veluti vitrum nitidum, colorem quemuis, albo excepto, propter aliquam omninò crassitiem, quæ suppositum inumbrat corpus, facillimè contrahere potest, atque ita transmutari.

DE CHAMÆLEONTE.

INNVIT AT rei similitudo, priusquàm reliqua Polypi significata recenseamus, loco hoc de Chamæleonte, déque Taranda dicere, quorum alter colores corporis vti Polypus, pro corporis cui adhæserit, ratione, mutat; alter vicinarum rerum colores nullo attactu, sed sola tantùm attrahit exhalatione.

VERSIPELLIS.

PER Chamæleonta Versipellem hominem significari volunt, sed quod nonnunquam Polypo virtuti datur, in Chamæleonte vitiosum semper autumant, quòd mutationem huiusmodi non nisi in timore faciat, quamquam in eo & diuerso vitæ tempore colores mutari tradit Aristot. Sanè *Chamæleõtis natura.* Chamæleon paucas in corde tantùm sanguinis habet guttas, quæq; sanguine sunt exiguo animalia, omnia frigidiora sunt; quæ frigida, identidem & timida. Vtcumque verò accipiatur Chamæ-C leontis natura, siue id ingenita vigoris debilitate faciat, siue quòd corpus, vti apud Leon. X. P. M. Romæ vidimus, vitreum propemodùm atque translucidum habeat, vno omnium consensu versipellis, putà Vlysses quispiam, aut Lysander, aut Alcibiades, per Chamæleontem figurari potest. Hunc, vt Tertullianus ait, pellicula ambit, corporis nullus inest succus, pectus vix à terra suspẽdit, gradum magis demonstrat, quàm explicat, ieiunus semper & indefectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus. Hoc soli Chamæleonti datũ, quòd vulgò dictum est, de corio suo ludere. Quod verò apud Plinium legitur de portentosa eius magnitudine, quæ par sit Crocodilo, viderint alij: nam quem nos apud Leonem X. vidimus, vix palmum excedebat.

DE TARANDA.

SED enim si Taranda innotuisset Ægyptiis, inde potiùs quàm ex Polypo aut Chamæleonte versutiæ huiusmodi significatum desumpsissent. Fera ea est apud Sarmatas in- *Descriptio Tarandæ ex Nicolao Leonico.* uentu rara, captuq; difficilis, de qua Aristoteles Philosophus eo libello, quem de admiranda historia conscripsit, hæc memoriæ prodidit, vt ex Nicolao Leonico, dum is Patauij Aristotelem ipsum nobis ea qua scripsit lingua interpretaretur, audiui; illam quippe apud Gelonos Scythiæ populos reperiri, Bouis magnitudine, capite Ceruino, admirandæ admodùm & & singularis naturæ, siquidem ad omnes locorum & fruticum apparentias, setarum colores, quib. totum corpus hirtum conuestitumq; habet, illicò permutare. Quòd si super hoc philosophari liceat animali nondum nobis viso, dixerim ego, quemadmodùm in Polypo τὸ ἀμφανον, quo corpus eius translucidum est, & in Chamæleonte etiam transmeabile dicebamus, ita setas Tarandæ parl

modo perspicuas esse, vt facilè coloris cuiuslibet aura in eas transiliat, diffluentesq; ad se ita colo- D
res repræsentet.

MENTIS ATTONITÆ CONSTERNATIO.

Polypi captura quomodo fiat.

HOMINEM adhæc, vt ad Polypum reuertamur subito aliquo pauore ita consternatum attonitumq;, vt neque periculum neque damnum quod vrgeat sentire videatur, per Polypum significare mos erat: siquidē is ita meticulosus est, quod Athenæus attestatur, vt vel strepitu audito, vel piscatore viso, minimè cedat, aut fuga sibi consulat, vt reliqui faciunt pisces; sed aut saxis quæ in promptu fuerint sese applicat, aut captantis manum apprehendit, cruribúsve se alligat, neque alia ferè est eorum captura.

POESIS.

ADDVNT & hoc hieroglyphicum inueniri, vt si sacerdotes iidem Ægyptij poësin exoticam significare vellent (nam de sua sanctiùs sentiebant) Polypi caput figurarent, quod quidem esculentis appositum suauissimi saporis, ganeæq; iucundissimum esse perhibetur, cæterùm horrenda prodigiosaq; somnia párere deprehensum est. Quocirca si quis futura de insomniis consulturus esset, ab esu Polypi abstinere præmonebatur, perinde ac etiam ne fabas ederet. Persimilem autem huic esse poëticen dictitabant, quæ fabulas amatorias q; illecebras sectaretur, ipso quidem dicendi lepôre delectabiles, sed bonis moribus & honestiori disciplinæ maximè pernicioſas, cuiusmodi genus Meretriculas appellauit Plato, & ab inculpabili ciuitate sua iussit exulare. Nolim tamen in hoc albo diuinam illam poni, quæ sanctioribus est moribus accommodata, quam nonnihil habere diuinitatis non inficiatur Aristoteles, quàm cœlitùs afflari confirmat Plato, quæ apud omnes gentes E
nationesq; omnes in summo semper cultu habita, ipso etiam sanctitatis nomine celebratur.

DISCESSIO SVBITA.

ÆGYPTII ad hæc, si quem ita pertinaci animo amantem, vt amata relinquere minimè posse videatur, subito tamen euentu aliquo abalienatum significare si vellent, Polypum & pulica-

Polypi escis addictissimi.

riam herbam adpingebant. Polypi enim ita escis adhærescunt, vt auelli inde non possint, & quamcumque rem apprehenderint, tam firmiter tenēt, vt adglutinati videantur, quod ab Homero sumptum Ouidius ita luculenter expressit, Metamorphos. quarto:

Vtq; sub æquoribus deprensum Polypus hostem
Continet, ex omni demissis parte flagellis.

Eos enim potiùs detrunces, quàm possis vllo conatu petris, aut quicquid apprehenderint, auellere; &, vt Nazianzenus ait, si quis eum de cubilibus trahere per vim velit, aut è petris aliquid euellet, aut certè è carne ipsius petris affixum aliquid relinquet. Admota tamen cunila herba resilire protinus dicuntur, quòd odorem eius ferre non possint. Qua verò sit cunila siue pulicaria, quamq; variis nominibus ab authoribus appelletur, suo commentario inter sagminea significata disseruimus. Aiunt & aquam dulcem superinfusam eadem pollere vi, quòd natura ipsa Polypus dulcia omnia auersetur, & omni gaudeat amaritudine: eaq; de causa non inueniri Polypos in Ponto, quia mare id multis aquarum dulcium corriuiis supra aliorum marium saporem dulcescere quodāmodo videatur. Alij mare id à Polypo vitari putāt, quia sit animal ob imbecillitatem suā frigoris impatiens, mare verò illud ad Boream quippe vergens, assiduis penè frigoribus obnoxium esse, manifestum.

AMORIS FIRMITAS.

VT verò demùm ad eam Veneris statuam deueniamus, quæ causa fuit vt tam multa super Del- F
phino & Polypo conquireremus, superfluum quidem est super Delphino dubitare, cur Cupidini adiiciatur, cùm amoris in eo signa tot deprehenderimus. Quod autem pertinet ad Polypum,

Polypi mors su Delphini detenti explicationes tres.

erant qui amoris firmitatem ex Polypo ita Delphini morsu detento intelligendum contenderēt; id quod ex ipsa sese applicandi pertinacia, qua insignis est Polypus, coniiciebant. Ego verò tres argumenti huius interpretationes excogitaui. Vel enim pauorem & ignauiam, quæ vitia Theophrastus in Polypo præcipua deprehendit, deuoranda esse amatori homini dicendum, Delphini in eorum locum promptitudine atque agilitate adsumpta; quandoquidem, vt ait Ouidius, *Ingenij est experientis amor*, atque vbi multa in hanc sententiam disputauit, concludit demùm, vt

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

Vel, quoniam diligētissimus est rerum cumulator Polypus, intelligi posse arbitror, facultates omni quantumlibet cura & diligentia congestas, citò, vbi amore capti fuerimus, prodigi, inutiliterq; dissipari. Quàm extēplò enim, ait Lysiteles Plautinus, sęuis sagittis percussus est, illicò res foras labitur, liquitur, & quę sequuntur. Vel qui Delphinum amoris indicium esse ostendimus Polypū versutię, dicere possemus, admoneri nos eo signo versutiā amanti cumprimis apprehendendā, &, quod fieri solere Plato dicit, in amatę rei mores transmigrandum, vti quippe Polypus in colorum mutationibus, prout vnicuique rei adhæserit, facit. Sed enim ea potiùs de causa Veneri Polypū adsculpi existimādum, quòd inter pisces sit omnium salacissimus, adeoq; libidini deditus, vt nimio Veneris vsu omnibus defectus viribus debilitetur, neq; iam ad cibum sibi conquirendum idoneus effectus, minimo negotio ab aliis capiatur, & à paruulis quibusq; pisciculis, Cancellis & Cancris exedatur, obseruatum ab Æliano. Quinetiā aiunt eos ob huiusmodi nequitiam non ampliùs anno viuere, id quod

A quod eādem de causa Passeribus etiam accidere tradit Aristoteles. Quin & Polypos etiam fœminas, propter crebos partus, ocyssimè deficere. Quanquam aliquādo repertus sit Polypus acetacei generis magnitudinem excreuisse, qualem illum Græci prædicant, qui Puteolis per subterraneum cauum ingressus, noctu apothecam salsamentorum plenam depopulabatur: eius enim amaritudinis auidissimos eos esse paulò antè ostendimus, donec re demùm patefacta, vix à magno hominum numero confectus est.

HYEMALE SOLSTITIVM.

ADDEMVS & illud in manuscriptis Hori codicibus legi, δύο πολυπόδες σωπεμένοι τὴν βρυμώδη τροπὴν ἡλίου τὸν ἐν ταῖς χειμερίαις τροπαῖς σημαίνουσι. quod est, *duos Polypos vinculis coërcitos, & progredientes tamen, cursum Solis quem in brumali conuersione peragit, significare.* Quanquam impressorum codicum lectio, quæ est δύο πόδες, nequaquam displicet; sed si progressum exprimere volueris, videndum est, si pedes illigatos pinxeris, qua id ratione tuearis. At de hyemali conuersione sermo est, quæ, vt in sphæræ consideratione manifestè licet inspicere, progressum Solis omninò cōtatiorem ostendere videtur, in vltimis enim Sagittarij & primis Capricorni gradibus Sol ad horizontem vix loco dimoueri, aut quàm lentissimè diurnos parallelos conficere videtur. Ad cuius rei tarditatem accedit & eorundem parallelorum iisdem fermè diebus repetitio, dum cōuersio peragitur, vt stare loco potiùs Sol, quàm quoquam motu suo progredi videatur. Quare siue pedes, siue Polypos colligatos accipere malueris, non sum admodùm laboraturus: mihi satis fuerit, & codicum super hoc varietatem, & ipsam rei, quæ significatur, historiam declarasse. Tu verò, quanquam cogitationes has nostras sublimi illa doctrina tua longè inferiores intelligas, pro summa tamen humani-
B tate, qua præcipuè commendaris, despicere haudquaquam velis. Nihil enim in rerum natura temerè à Deo factum, quíque Deo, vt tu facis, propinquiùs adhærescunt, nihil quicquam asperhari debent, quod eōdem, vnde originem traxerit, periodo quodam suo redire animaduerterint.

PIERIVS VALERIANVS AD AMPLISS. PATREM LIVIVM PODOCATHARVM CYPRI ARCHIEPISCOPVM, DE IIS QVÆ PER TESTVDINEM, COCHLEAM, Cancrum & id genus testacea significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXVIII.

PROXIMIS *hisce diebus, Amplissime pater, cùm mihi agalmatum tuorum supellectilem aperires, antiquissimiq; operis, ex ære, auro, argento ducta, & marmore cælata signa, numismataq; plurima veterum illa ingeniorum atque artium monumenta minimè contemnenda delectabili spectaculo mihi*
C *ro Ludouico Podocatharo Cardinali Capitaquensi patruo tuo comparata congestaq; fuissent. Quem virum generosis natalibus insignem, Medicina celebrem, Philosophia clarum, vitæ integritate laudatissimum, virtutes ipsæ in omni vitæ colore eximiæ, ad amplitudinem eam extulerunt. Proinde quidnis esset apud te quod illius memoriam renouaret, siue vestis, siue vas, siue libri, siue quæ tam multa extant doctrinæ eius commentaria, tanquam sacra omnia à te custodiri, & in honore etiam haberi; dignum quidem eius hominis institutum, qui optima quæque sibi ad imitandum proposuerit. Quæ quidem cùm tibi accidérent iucundissima, eo quoque non parum delectari videbaris, quod ego multa in veterum monumentis illis & mystica & in doctrinæ alicuius recessu delitescentia inter spectandum explicabam, interpretabarq; cuiusmodi illud fuisse memini, quid sibi vellet Testudo Veneris subiecta pedi; quid altera ex ære cuprōue Damasceni operis in vsum, vt coniectura erat, bullæ facta, cauda quippe replicata, qua lorum aut licium transmitti posset, atque ita gestari; quid in numis aliquot Testudo alia. Quæ tibi cùm exposuissem, postulāsti ea tibi scripto credita exhiberi, quod quidem libentissimè feci, cùm id semper studuerim, vt quacunque possem ratione meum erga te animum aperire, id sedulo facerem, quod incomparabilis probitas tua, benignissimaq; comitas & egregia quædam mentis tuæ syncéritas exigere videbantur. Accedebant & beneficia in me promptissima vultus alacritate collata, & quòd literatos omnes quacunque posses occasione demereri, semper appetiisti. Sed quoniam parum me tibi præstitisse videbar, si Testudinis tantùm significata conscripsissem, addidi ad eam quædam alia ex eodem testaceorum genere, quæ non minoris mihi visa sunt eruditionis, quàm quæ Testudine super efferebantur. Multa enim hieroglyphica Aegyptij sacerdotes ex Cancro, Locusta, Pinnis & huiusmodi aliis desumpsere, quæ omnia quantum memoriæ succurrerunt, vno commentario enarrata conscriptaq; tibi dedicaui. Tu quotiens ea in agalmatis illis tuis vel cusa vel sculpta incisaq; videris, aut mensis illata conspexeris, Pierij tui memineris velim, qui te summo cultu, summaq; semper est obseruantia prosecutus.*

DE TESTVDINE.

TESTVDO igitur inter crustacea primum occupabit locum, quoniam ipsa narrationis istius argumentum præbuit, & pictura eius in hoc symbolorum genere est admodùm speciosa.

IN POTENTIORIS DITIONEM REDACTVS.

HOMINEM in potẽtioris cuiusquam potestatem adeò redactum, vt nullum iam speret effugium, ostendere qui volunt, Testudinem solari percussam radio, ac supernatantem in aquæ summo pingunt: ipsa enim vehementioribus Solis radiis imperita ita exsiccatur, vt in gurgitem deferri nequeat, idq; præcipuè mari Indico, vbi & multæ & magnæ sunt, & Solis vis acrior, vnde fit vt vel facillimè capiatur, vel cùm in prædam mergi non possit, inedia extinguatur.

FORTVNARVM CONTEMPTVS.

FVERVNT ætate nostra ingenia perelegantia, quæ cùm variis fortunæ ictibus impeterentur, quos contrà mira adniterentur alacritate, fortunæ aduersæ contemptos impetus, per hominem naufragum in Testudinis huiusmodi agitatæ fluctibus tergus insilientem effingerent, solari addito radio, cuius beneficio ne absorberentur accideret.

VIRGINVM CVSTODIA.

Veneris simulacrum Phidia factũ quomodo.

CVR verò Phidias cùm Veneris simulacrum Eleis ex auro & ebore conficeret, Testudinem altero eius pede pressam apposuerit, multi quæsiuêre, præsertim cùm Pausanias rei significatũ aliis relinquat interpretandũ. Sedenim illud potissimùm ex interpretatione prudentũ fertur, Phidiam innuere voluisse, virgines custodiẽdas esse, coniugatas verò domus curam gerere, ac taciturnas esse debere: vtranque enim id primum omnium decere, quod Plutarchus in Cõiugalibus præceptis exponit, qui oportere ait mulieres à Luna diuersas esse, quę cùm iam à Sole abscesit, lucida claraq; cernitur, cadẽ cùm Soli succesit, euanescit; contrà verò debet vxor modesta præsente tantùm viro à cæteris conspici, eodem verò absente domi agitare ac sese occulere. Nam & Salomon septimo cap. Sapientiæ, inter reliqua meretriciæ procacitatis signa id etiam notat, quòd domi se cohibere nõ possit, sed publica loca, fora, plateasq; celebret. Et Paulus ad Timotheũ viduas damnat adolescẽtiores, quæ otiosæ discunt alienas domos perambulare. Cõsuesse verò mulieres testudineas secum imagines gestare, quas Veneri dedicarent, ex eo manifestũ, quòd Thessalæ matronæ Laida meretricem illá inclytam ligneis Testudinibus zelotypia concitatæ interemerunt in tẽplo Veneris, magno populi conuentu, ob quod facinus erexêre postèa templum Veneris profanatæ, quæ nefandam cædem in templo admiserant, vt confessione sceleris veniam petentes deam sibi placarent. Et id gestaminis fuisse Testudinem tuam facilè crediderim, cùm ita concinnata sit, vt licio suspendi possit. Apud Ægyptios autem tanta erat pudoris cura, vt mulieribus interdictũ esset calceorum vsu, quò prodire palàm verecundarẽtur, ac veluti Testudines intra sua se tecta cohiberent. Hinc Antisthenes ansam nactus elúdendi Athenienssium vanitatem, se nunquam solo in quo nati essent excesisse gloriantium: *Commune hoc*, inquit, *habetis cum Testudine & Cochlea.*

MVNIMENTVM.

ALII per Testudinis corticem munimentum intellexêre, quòd ita eam natura munierit, vt cõtra tela possit ipsa per se sufficere, & iniurias propulsare. Hic itaque receptus, & ad omnes incursus oppositum propugnaculũ, ansam dedit adagio, vt quotiens aliquid valde tutum velimus innuere, in primisq; securum esse, dicamus, *Ὅσον μελὶ τῇ χελώνῃ μυῶν*, *quantum Muscarum solicita est Testudo.* Cuius ominis felicitatem secuta Cæsariana familia, domesticum eum morem habuit, vt paruuli domus eius in testudineos alueos excepti lauarentur. Quapropter Ceionius Posthumius nato iam Albino filio, cùm ingentem Testudinem à piscatore muneri accepisset, vir literatus iam inde magnam spem concepit de futura filij nobilitate, curari itaque Testudinem iusit, & infantuli ministeriis dicari. Exemplaria Hori quæ impressa circumferũtur, in huiusmodi significatũ ὄρτυγ@ ὀφέον habent, interpretesq; Coturnicis os reddidêre. Sed in manuscriptis codicibus ὄρυγ@ legi quod facit ad hanc sententiã: testudines enim Orygas appellatas, ὦδὰ τὸ ὀρύττειν, quod fodere est, vel excauare, apud Vitruuium legas, à quarum similitudine bellica etiam machina ad fodiendos, excauandosq; muros comparata, Testudinis nomen habet: nã & Horus significati istiusmodi causam redditurus ait, διότι διαφθείς ἐστι τὸ τῷ ζῴῳ ὀφέον, propterea quòd os animalis huiusmodi difficulter admodùm frangi dissoluíve potest, quod in munimenti significato quid sibi velit Coturnicis os, haudquaquam video.

MORS DIFFICILIS.

HOMINEM lethalibus vulneribus quantumuis altè acceptis difficilimè morientẽ, per Testudinis abscissum caput aptè pinxeris, quãdoquidem tanta inest eius carni viuacitas, vt earum caput, præsertimque marinarum, auulsum busto, conniuentes aliquandiu oculos ostentet, connitentque ad admotam manum, quinetiam si ad os eam admoueas, mordere etiam adnitatur.

SEGNITIES.

ALIAS pigrum segnemq; hominem, aut rei cuiuspiam tarditatem atque contentionẽ significare qui vellent, Testudinem gradientem pingere cõsuerunt, quam Pacuuius feliciter Tardigradam appellauit: lento enim adeò gradu mouetur, vt in prouerbium emanarit in segnes & pigros. Hinc Plautinus Ægio, *Testudineum hunc tibi grandibo gradum*, inquit, *si fustem sumpsero.* Et apud Ammianum lepidissimum distichon legas de Testudinis tarditate:

Tarditas Testudinum.

Θᾶττον ἐὴν λάλυκὸς κόραξας, πτηνάστε χελώνας
Δίρειν, ἢ δοκιμὸν ῥήτορα καππαδόκην.
Promptius esse albos Coruos, volucresq; Chelonas,
Quàm quenquam esse probum rhetora Cappadocem.

Quinetiam asserunt animal hoc cõtagiosa adeò pollere segnitie, vt si pes eius dexter inferatur naui gio, id ire tardius credatur, quod obseruarunt Magi.

MORDACITAS.

SVNT qui mordacissimum hominem atque egregiè maledicum, per Testudineum caput exertis dentibus intelligi velint: nam Testudo ore est omnium robustissimo, quippe quæ quicquid dentibus apprehenderit, vel lapidem etiam, perfringit ac deuorat.

PELOPONNESII.

Ex numo Peloponnẽsium dicti.

IN Peloponnensium numis Testudo cudebatur, vnde, vt legere est apud Pollucem dicterium illud emanarit, *ταν ἀρετὰν ἡ τὰν σοφίαν νικῶντι χελώνας*, quod in adolescentiæ nostræ præludiis nescio quibus ita transtulimus:

Quando Chelonis vincitur sapientia,
Atque ipsa virtus, Atticum vt prouerbium est.

Vnde obolum Eupolis *καλλιχέλωνον* dixit. Ad id verò quod Peloponnesiaca erat moneta, lepidè T. Quintius cùm Achæi expeditionem aduersus Zacynthios meditarentur, eos admonuit, vt cauerent ne more Testudinum caput extra Peloponnesum proferentes, in periculum aliquod inciderent.

DE CANCRO.

TESTVDO in numis obseruata, alterius numi reminiscí facit, in quo Paguri forma cusa est, quare hinc ad eius generis significata transimus.

COEI.

CANCER in numis, compactile scilicet genus id quod corpore est obrotundiore, cuiusmodi plerique cœleste signum figurant in Zodiaco, Chiorum indicat Rempub. Tradunt id & Pollux, & alij: sedenim nisi quispiam author esset, numus argenteus id satis indicaret, in quo Pagurus is est cum inscriptione supernæ ΚΩΙΩΝ, infernè ΛΕΥΚΙΠΠΟΣ.

SPEI FRVSTRATOR.

PLERIQVE hominem à pulchris incœptis desistentẽ, & spem omnium ignauiter fruſtrantem, intelligi cùm vellent, Gammarum nostrum fluuialem pingere soliti sunt, manu ad os eius iniecta: nam is, cùm à te capi facillimè posse putes, retrouersum velocissimo sese cursu ejaculatur, vnde vulgò etiam in aliqua re falsis, quam se nactos arbitrarẽtur, Gammarorum venationem obiicimus. Hæc verò recessus obliquatio adeò Cancris propria est, vt Aristoph. Pace, dixerit, *ὅπστε νικήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν*, *Rectum iter vt carpat Cancer non viceris vnquam.* Atque fortè non deerunt qui dicterio huiusmodi mihi sæpe negotium facessant, si vnum aut alterum nostri huius argumenti interpretamentum meo probabilius, quod facilè poterit euenire, compererint. Neque mihi profuerit, rem Latinis ingeniis hactenus intactam, excogitasse, primumque in lucem efferre, me scilicet omnia non vidisse clamitent; eorum quæ ex paucis didicerint obliti: cùm tamen omnia ea quæ ad hoc negotium accommodari possunt, non vna hominum vita, sed neque multa etiam secula sint indagini suffectura.

INCONSTANTIA.

SCITE admodùm Ioannes ille cognomento Scholasticus, scalarum anacephalæosi, hominem qui modò risui indulgeat, modò luctui, modò austeritati atque temperantiæ se reddat, modò deliciis diffluat, & voluptatibus implicetur, Cancro æquiparauit, nunc antè, nunc retrò, nunc in transuersum gradienti, miraque vitam suam inconstantia traducenti, virque is sapientissimus, de ingenij eiusmodi profectu nihil sibi quicquam pollicetur, quòd ad vllam sit vnquam frugem peruenturum.

SOPHISTA.

EIVSDEM subterfugij causa sophistam significare qui volũt, Cancrum pingunt: eos enim huic animali persimiles Plato dicit, Euthydemo, quos vbi validiori aliqua ratione deuictos comprehensosq; putes, tũc retrò fugaci cursu elapsi per diuerticula atque subterfugia, maiorem priore tibi laborem intentant, si vilem ac inanem prorsus curam eos consectãdi susceperis. Sedenim non in sophistas tãtùm, sed in ipsam etiam Dialecticam obortum est à Cancro cauillum. Nam Ariston Philosophus vt eam eluderet, dícere solebat, eos qui Dialecticam enixiori conatu sectarentur, iis assimilari qui Cancris vescerentur: cibi enim admodùm exigui gratia, circa ossa tam multa numero, tantum laboris insumi.

Aristonis de dialectica opimo.

SOPHISTARVM OPPRESSIO.

SPECIES demùm illa picturæ, qua Hercules tot immanium monstrorum domitor, in opprimendo etiam cancello laborasse porticibus penè omnibus ostentatur, nihil aliud sibi vult, vt veteres interpretãtur, quàm sophisticas eas nugas huius obtritas disciplina. Fabulosè verò iocatur Plato, cùm Herculem aduersus Cancrum desudasse dicit. Quòd verò Cancer sit inter sydera collocatus, nonnulli ea de causa confictum volunt, quia conuersione regressuque tam peculiari eo in animali animaduerso, per eius imaginem ostendere voluerint Solis cursum, qui cùm eò progressus fuit, retrorsum auferri, ac tantumdem aufugere videatur. Veluti Caper opposita ratione confictus, quia Sol ab eo signo, toto poli nostri tractu, altiora petere contendat: Caper enim dum pascitur, accliuiora editioraq; loca perquirit. Huiusmodi verò commentum nõ ex orbis totius conditione, sed ex cœli nostri situ sphæraq; ipsa ad arcticum obliquata excogitatum est: nam ad æquinoctialem circulum appropinquantibus Cancer deprimi videretur, æquinoctij signa attolli; ad id tamen faceret, quòd Solis progressus & regressus omninò à Capricorno ad Cancrum, mox à Cancro ad Capricornum, secto duobus locis æquinoctiali consideratur.

Cur inter sydera collocatus Cancer, item & Caper.

ARCANA REVELATA.

SI quid verò abditum & arcanum luci proditum ac reuelatũ ostendere quis vellet, Pagurum & eius generis, pisces, qui latebris gaudent, face appositа figurabant: constat enim eos nocturno tempore, admoto lumine, de penitissimis etiam cauernis euocari. Ea verò de causa Cancri ad nocturni luminis splendorem accurrunt, quòd id omne genus testacea noctu plurimùm pasci solent, compertumq; est plenilunio ea magis pingueſcere, propterea quòd liceat his tota tunc nocte pabulari, copiosioribusq; tunc escis enutriri, vnde pinguiores fiant; vt ij existimant qui plenilunio nullam inesse vim cœlitùs hæc in crustaceis efficiendi, remq; ita ad commodiorem naturæ rationem deducunt, quamuis vnà cum Basilio Magno, magna Philosophorum pars sentiat.

Pagurus latebris gaudet maximè.

INQVILINVS.

INQVILINVM autem hominem ostendere qui vellent, Cancellũ illum qui vulgò Gammarus dicitur, pingebant: is enim semper est concharum hospes, perque vacuas conchulas modò has, modò illas, pro vt excrescit, mutat domicilia, atque ita semper ædes alienas inhabitat.

MAGNA INCOEPTA IRRITA.

RIDICVLVM fortè illud videatur, quòd commenti sunt nonnulli Elephantum cum Gammari cauda pingere, si magna incœpta frustra & inaniter cessisse notare vellent, non secus ac illud Horatianum est, ex montium fœtura murem ridiculum enasci. Sedenim cùm res ipsa det ridendi materiam, non ineptè mihi videntur excogitasse huiusmodi speciem, quæ non tam significato, quam pictura ipsa risum posset excitare.

DE PINNA.

QVÆ Pinnæ commercia cum Cancellis habent, deposcere videntur vt eas Cancro subiungamus. Nam vt Theophrastus ait, vita fortasse conchis seruari non posset, nisi ope Cancri. Pinnæ autem in concharum genere sunt.

ALIENÆ OPIS INDIGVS.

VIRVM qui se atque sua negligenter curet, neque sine alterius ope consilióve possit consulere rebus suis, ostendere si vellent Ægyptij sacerdotes, Pinnam & Cancellum paruum pingere consueruerunt; nam is in Pinna conditus in vtriusque satagit vsum: conchula enim præ fame patefacta, pisciculi veluti ad escam alliciuntur, quos vbi Cancellus inhærentes animaduerterit, Pinnæ statim labra morsu vellicat, illa eo signo admonita concham occludit, atque ita escarum potitur, eo verò custode priuata, breui, vt Aristoteles asserit, tempore deficit. Hoc idem habemus apud Ciceronem, cuius verba repetere non fuerit importunum. *Pinna duabus grandibus patula conchis cum parua squilla societatem coit comparandi cibi; itaque cum pisciculi parui in concham innatauerint, tum admonitu squillæ Pinna morsu comprimit conchas, sic dissimilibus bestiolis communiter cibus quæritur.* Cancellum verò huiusmodi, tum à venatione tum à custodia, Græci Pinnotherem & Pinnophylaca nuncupauerunt. Est hæc squilla parua admodùm, quam nonnulli Parasitum piscem vocant, vtpote qui sit dapis assectator, colore albido est, corpore prepusillo, cauda ferè semper subter vterum, vbi coactus fuerit, incuruata.

Pinna & Cancellus simul picti, quid.

AB INEVNTE ÆTATE LIBIDINOSVS.

EVM verò qui ab ineunte ætate cœperit in petulantiam lasciuire, & munera Veneris exercere, per Pinnam fœtus ostentantem suos intelligebant: conchulæ enim huiusmodi in concha genitæ, antequam excludantur, inter se quamprimùm coire dicuntur, vt non immeritò concha ipsa sit Veneri dedicata, atque eam ex concha genitam veteres fabulentur. Concha itidem Cyprum deuectam canunt, quod nonnulli ad salacitatem referunt, quæ concitetur ex earum cibo: nõ secus enim ac ostrea, libidinosa esse perhibentur.

DE

DE OSTREIS.

ILLA enim Hellespontiaco ludibrio, ne Deo dicam, ita dedicantur, vti concha Veneri, putarim ob earum copiam, quæ Lampsaceno littore, totoque Hellesponto ingẽs est, vnde Ityphallico veteris Poëtæ ipsi Priapo dicto, ita legitur:

Nam te præcipuè in tuis vrbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

qui versus apud Terentianum reperiuntur.

HVMANVM GENVS.

PER ea verò picta sculptáve humanum genus significari, Philosophorum antiquissimi tradiderunt. Hinc diuinus Plato humanum genus Ostreorum simile esse dixit: nulla enim potuit similitudine nostræ imbecillitatis naturam significantiùs explicare, cùm Ostrea indicium esse dixit animi in corporis carcerem & tenebras coniecti: ita enim Deus corpori animam adglutinauit, vt necessarium sit hominem corporis affectibus tangi vel inuitum. Quid verò aliud illa vel diuinæ vel stellaris essentiæ scintilla hîc patitur, nisi quòd dum corpori adhæresci, & vinculis se coërceri sentit, & in quodam obscuritatis carcere detineri? vnde fit vt suæ plerumque immemor originis, modò sensui se, modò appetentiæ subiiciat, & alieni facta iuris, cum materia, cui adglutinata est, rapiatur in præceps. Piscatore igitur Petro opus est, qui nos aut scopulis auulsos, aut de imo maris fundo erutos, Assertori nostro littora reuisenti, pœnitentiæ prunis assos in escam apponat, vt ita absumpti in ipsius Diuinitatis amplexu, ad sublimioris vitæ consortia transeamus. Quòd verò testam Ostrea pro pelle habent, quæ sine eorum interitu auferri non potest, eorum sunt hieroglyphicum, qui nec squamas ignorantiæ deponere possunt diuinis admonitionibus quantumlibet instituti, nec cultrum spiritus suscipere patiuntur: qui quidem, vt Hierosolymitanus Hesychius ait, etsi in mari Baptismatis inueniantur, etsi in fluminibus Pœnitentiæ; abominabiles tamen sunt, cumque vitam sortiti sint in sacri lauacri tinctura, vocationem tamen regenerationemque, corruperunt, dum neque pinnulas, neque squamas induere procurarunt, sublimem videlicet vitam, cognitionemque diuinorum, quæ cœlestis est, sed obcæcato corde in ignorantiæ voraginibus detinentur, & propterea in his qui squamas habent nequaquam adnumerantur. Quare Paulus fornicatorem, auarum, idolis seruientem, maledicum, ebriosum, detractorem, legum bonorumque morum corruptorem, à fratrum commercio submouet: Ostrea enim hæc sunt, & id genus reliqua, quæ sine squamis & pinnulis esse deprehenduntur.

Ostreorum mystica explicatio.

DE LOCVSTA.

LOCVSTA quid iuncta Polypo significaret, eo loco declaratum, vbi Polypi significata recensuimus. Quid verò ipsa per se significet, nunc dicendum.

SEDITIOSVS.

POPVLARIS seditionis studiosum hominem significare qui volunt, Locustas duas marinas sese inuicem incursantes pingunt: videre enim est sæpe vniuersas, tanquam gregis collegium celebrare, dimicare interim inter se cornibus Arietum modo, ac mutua flagellatione inuicem sæuire, & *genuinum est ciuibus*, inquit Pindarus, *inuicem inuidere.*

TEMPERANTIA.

QVONIAM verò incidimus in Locustam, nominis adducti similitudine, quid per terrestrem etiam significaretur, explicabimus. Ophiomachum, quem alij Stellionem interpretãtur, nos terrestrem Locustam esse comperimus. Per hanc Ægyptij modestiam, temperantiam atque continentiam intelligebant, quippe quæ nequitiæ virtutes oppositæ sunt: ea siquidem Serpentem oppugnat, voluptatem quippe terræ prorepentem allidit. Ipsa autem crura habet, quæ corpusculum altè tollant humo, à terraque interim eorum innixu resiliat, & feratur in sublime, collisoque Serpentis capite intellectui proximior fiat, qui quidem terrenis obrepere nescius, ab iis disiungi abalienarique assiduè meditetur. Non dissimulabo hîc sacræ lectionis locum, de Præcursoris victu, quem constans fama est Locustis vesci solitum, ἤσθιε δὲ ἀκρίδας ὁ πρόδρομος, τὴ μέλι ἄγριον. Sunt qui ab Locustarum campestrium intellectu abhorreant, cauliculosq; herbarum nescio quos quod eodem illi nomine nuncupentur, pro animali comminiscuntur, quibus noster ille veritatis Præcursor vesceretur. Atqui Diodorus, & alij authores grauissimi, populos in Æthiopia quosdam agnoscunt, qui non alio quoquam cibo vtantur, quàm Locustis, ob id Acridophagos appellatos. In India quoque gentem quibus Mandrorum nomen Clytarchus & Megasthenes dederunt, Locustis ali Agatharchides, & alij prodiderunt, trecentosq; eorum vicos annumerant. Est autem hæc viridis, & prioribus pedibus longissima, iisque admodùm gracilibus, quos morat assiduè. Manifestissimè verò in hoc Præcursoris cibo Locustam animal agnoscit Adamantius, dum vndecima in Lucam homilia dicit: *Non habuit domesticum mel, & humana diligentia percolatum, sed syluestre, minus quippe iucundi saporis, vtpote qui eo ad vitæ tantùm vsum & necessitatem, non ad deliciæs vteretur, ex alitibus verò non grande præpinguéve vllum, quo se liberiùs inuitare posset: non aërinolam, quæ cibum præbe*

Locustæ descriptio.

præberet delicatiorem: sed exiguum admodum volucre, quod vix à terra esurgeret, saltitaretq́, potiùs quàm vo- D *laret.* Quid plura quæritamus? constanter asseritur, Locustas eius fuisse cibum, paruulum animal, & illi satis mundum.

FAMES.

Pernicioſæ Locuſtæ. SVNT qui per huiusmodi Locustam, famem intelligant, propterea quòd magnam satis inferunt calamitatem, cum agminatim innumerabili aliquando multitudine congregatæ segetes inuaserint, magna clade radices abrodentes, quare Diuinatrix apud Theocritum dicitur. Cùm enim apparuerit, famis est prænuncia. Multa Locustæ huius significata ponit Eucherius, sed quoniam nullam super illis causam adducit, in quo nos præcipuè versamur, ea prætermittenda iudicaui: vnum illud tantùm tangam, quòd per comparationem Resurrectionis Dominicæ similitudo quædam sit, cùm assultum Philo dicat per Locustam significari: nullum enim è terrestribus animal tanta se pernicitate proripit in saltum, si corpusculi rationem habeamus. Sed hæc alij viderint.

PEDES.

Salomonis locus explicatur. INVENIES in Diuinis literis aliud Locustæ huius hieroglyphicum, vt apud Salomonem Ecclesiaste, pro Pedibus poni, eò quòd animal id pedum longitudine pro corporis modulo omnia excedit animantia. Scriptum igitur: *Florebit amygdalum, & impinguabitur Locusta:* hoc est, superuenient cani, & pedum accedet tumor, podagra scilicet, quæ plurimùm ætatem grandiorem infestat, quod nos à sexto supra quinquagesimum quatuor iam annis non sine cruciabili dolore acerbissimaque studiorum iactura cogimur experiri, hæreditate hac ab auunculo relicta, & vnà cum accepto ab eo sacerdotio miserabiliter alita. Alibi tamen Salomonis verba ex Hebraïco codice diligentiùs examinauimus, quòd super his varia est multorum interpretatio. E

DE COCHLEA.

ADDETVR his Cochlea, inter esculenta piscium vice pauperibus accepta, quæ tamen olim altilis effecta, illataque mensis, Romanas delicias auxit.

TERRENIS ADDICTVS.

PER eam Diuinæ lectionis interpretes ferè omnes animum terrenis affectibus mancipatum intelligunt, inde similitudine libenter sumpta, si quem sensui deditum, vt voluptatibus brutorũ instar inhæsitantem ostendere voluerunt. Hesiodus eam felici compositione φερέοικον appellauit, quam domiportam dicere possemus, quòd ita sit domui suæ applicata, vt eã secum assiduè portet.

DE SEPIA.

SEPIAM quidem inter crustacea recensere minimè congruum videbatur, quia tamen dorsum osseo illo integumento instar clypei munitum habet, huc ipsa etiam transferetur.

PVLCHRA INCOEPTA TVRPITER CEDENTIA.

ID verò præcipuum super Sepia significatum apud Ægyptios sacerdotes erat, vt per eam significarent hominem, qui multa, pulchra & magna pollicitus, daturus omninò speciosa virtutis exempla videbatur, & per summam inde ignominiam fœdè lapsus, omnium fefellerit expectatio-*Quomodo fallat Sepia venatores.* nem: ea enim cùm spectandam se venatoribus præbuerit, simulatq́; in se aciem instrui conspexerit, F & classicum cani, atramentum in aquas euomit, quibus infectis, demptaque ita venatoribus cõgrediendi copia elabitur. Quòd si inter fugiẽdum acciderit, vt aperto iterum campo deprehendatur, statim in effusam atramenti nubem se recipit, atque ita sæpius ac identidem frustratur venatoris spem, nulla sui facta copia vt deprehendi possit, idque non in congressu tantùm facit, sed plerumq; etiam Ludendi studio quodam, atque etiam insidiandi. Effundunt verò suum id atramentum & Polypus & Lolligo, quam vulgo piscem Atramentarium vocant, verùm ij non nisi metu perculsi, Sepia verò non modò cùm metuit, verùm, vti dicebamus animi interdum gratia. Ei verò atramento tanta vis inest fuliginis, vt si in lucernam addatur, summotis reliquis luminibus, adstantes omnes fœdo liuore coloratos ostentet, vt Æthiopes videantur.

THETIS, ET SIMVLATIONVM INVOLVCRIS OBTECTVS.

HVIVSMODI verò occultationis causa confictum à Græcis crediderim, Thetim in Sepiam commutari solitam, dum vel eluderet, vel seriò fugitaret Pelea illam insequentem. Nam & promontorio cuidam in Iolco Sepiadi nomen inditum, vbi factum hoc perhibent. Ita denique hominem qui multis simulationum inuolucris tegeretur, esset́que occultæ multiplicisq́ue naturæ, per pictam Sepiam notabant.

MENDACIVM.

ALII mendacium ex hoc figmento intelligi volunt, propterea quòd, vt Grammaticus Tryphon ait, ἐν τοῖς ἐχάτοις μέρεσι μελαίνεται & ἀμαυροῦται, *in extremis* quippe *partibus nigrescit, & obscuratur.* Callidi enim impostores, mendaciorumq́ue confictores, solent semper aliqua præiicere, quæ

A quæ vera, clara & aperta videantur, quibus inspectandis dum oculi sunt intentiores, astutè mox mendacij nubem offundunt. Quoniam verò atramentum id, quo sese occulit effuso, in cauda est, ea de causa Melanuros appellatur. Atque hoc Pythagoram intellexisse volunt cùm præcipit, μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, *de iis quæ nigra sunt cauda gustandum non esse.* In hanc verò sententiam præclarè Cicero ad Q. fratrem: *Multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissimè.*

IMPROBITAS.

QVOD tamen symbolum Plutarchus libro *De liberis educandis*, ita interpretatur, vt suboſtendere dicat, commercium cum improbis non habendum, eos scilicet qui à virtute ad turpitudinem se recipiant, fugiendos. Nam & apud Romanos, nigrum vel atrum pro moribus infamibus & pernicioſis accipitur. Hinc illud diuulgatum: *Hic niger est, hunc tu Romane caueto.* Porrò dies *Nigri seu atri hieroglyphicum.* atri, qui sunt infausti, inauspicati, Lugubres, & infelices appellantur, quamuis nostri vulgò dies atros intelligant, qui ieiunijs destinati sunt, quibus quidem & corpus macerandum, & à carnium deliciis præcipitur abstinendum.

LITERÆ.

ÆGYPTII sanè cùm literas significare vellent, iuncum, cribrum, & Sepiam ponebant, de quibus sigillatim disputare alterius loci est: nam eorum omnium, quæ literas & disciplinas indicarent, certum conscripsimus commentarium. Quod verò ad Sepiam attinet, quæ pro Theca atramentaria poni solita sit, ac perinde literas scripturamq́ue ipsam significet, non apud Ægyptios tantùm habetur, verùm & apud nostros, vti Persianum illud ostendit:

Tum queritur, crassus calamo quòd pendeat humor,
B *Nigra quod infusa vanescat Sepia lympha.*

Atramentum sanè Græci σηπόπικον appellant, Tholos verò est Aristoteli, qui Sepiæ inest. Hesychius ex eo vocabulo turbamentum interpretatur: id enim τεταραγμένον ostendit.

VIRI AMOR IN MVLIEREM INFIDAM.

SVNT qui amorẽ coniugalem in viro firmum, in fœmina lubricum, significare si velint, Sepiam *Auxilium mulieri à viro, nõ viro à muliere.* tridente confossam pro istiusmodi rei hieroglyphico faciãt, propterea quòd in eo genere si fœmina percussa fuerit, accurrit mas opem allaturus, fœminæq́; quacunque pote est ope auxiliari contendit, quòd si mas ictus fuerit, fœmina sui tantùm solicita, quamprimùm fuga sibi salutem quærit.

TEMPESTAS.

SVNT & tempestatis argumentum Sepiæ: nam pictæ, ita vt in aquæ summum exiliant, magnas procellas paulò pòst erupturas indicant. Causam reddit Plutarchus, quia cùm mollia omnia frigus impendio caueant, hæc vna prę cipuè cùm sit ea carnis nuditate mollitieq́ue, neq; testa, neq; pelle, neque squamis munita, sed vnum tantùm tegumẽtum osseum in dorso sortita, tempestatem facillimè præsentit, igitur veluti frigus euasura, neque non agitationes, quæ in imo mari fiunt, exilire, & incommodum illud videntur euitare. Quare Polypus etiã pari propemodùm mollitie præditus, ad terram properat, seq́ue petris alligat, ventorum iamiam aduentantium portentum.

DE PVRPVRA.

C IN hunc gregem veniet & Purpura, suis & ipsa significationibus insignis de animali quidem, non de colore, qui loco alio tractandus est, præsens erit examinatio.

MALEDICVS.

MALEDICVM hominem probos improbosq́; æquè carpentem significare qui volunt, Purpuram exerta pingunt lingua, quæ quidem illi tam acuta & valida est, vt ea & conchulas, & quascunque sui generis testas perforare possit, quæ cùm ita sint omniuoræ, frequens illud in edaces dictum emanauit, *Purpura voracior*, de quo apud Athenæum plura comperies.

DE GVLA MVLTATVS.

ATQVE inde fortè prouerbium, quòd Purpuræ plurimùm per linguam escas inquirentem capiuntur. Et qui hominem qui de ganea pœnas dederit, significare volunt, conchylium hu- *Quomodo capiatur Purpura.* iusmodi nassæ per linguam applicitum pingunt, siquidem eius captura in hunc sæpius efficitur modum: paruæ densæq́; admodùm nassæ Strombus piscis includitur, hunc auidissimè captat Purpura, quem simulac illuc occlusum olfecerit, inserta per nassæ iuncos lingua eum assequi contendit, dumq́; ille volutatione luctatur, ea magis ac magis linguam protendit; accidit verò vt in eo conatu tumefiat, vt nulla eam extrahendi copia relinquatur, atque ita detenta per linguam captiua fiat. Verùm hoc picturæ genus in huiusmodi significatum aliter etiam figuratur, conchulam quippe pingunt, quæ Purpuræ linguam morsu comprehenderit. Piscatores siquidem cùm Purpuram norint concharum pastionem auidiùs appetere, has in nassas magno numero coniectas in mare demittunt, oblongo fune ad nassas alligato; sentiunt optatam escam Purpuræ, porrectisque intra nassarum iuncos linguis, eas infestant, at illæ aculeo extimulatæ incolumitati suæ consulturæ contrahunt sese, corticibusque clausis morsu perquàm acri linguam infestam comprimunt, per-

tinacissimeque detentam haudquaquàm amittunt, atque ita pendentes sua captæ auiditate Purpuræ tolluntur. D

VNO EXANIMATVS ICTV.

HOMINEM verò interemptum vno ictu ostendere qui volunt, Purpuram saxo elisam pingũt: siquidem infectores aiunt, quas Purpuras in artis suæ vsum parant, saxo vno ictu collidendas, vnde subitarius ille sanguis ad tinctum optimus emanat; quòd si ictu fefellerit, neque Purpura statim exanimata fuerit, frustra repeti, quia præ dolore sanguis in vniuersum corpus diffusus euanescat. Hinc aiunt Homerum totiens de iis qui valido aliquo vulnere perempti fuerint, Purpurea eos morte sublatos dicere; quem imitatus Maro, nunc *Purpuream vomit ille animam*, nunc quid huiusmodi sæpe protulerit. quamuis ad sanguinem, in quo anima sedem habeat, Seruius hoc referri putat, de quo satis in Accipitris commentario dictum.

Purpurea mors cur dicta.

SECESSVS.

SVNT qui secessum per Purpuram ostendant, propterea quòd Purpura non nisi in imo reperiatur pelago, vnde verbum apud Apollonium Argonauticôn primo, πορφύρεσκεν, quod purpurascere dicere possumus, vbi profundum esse interpres exponit, ea quam memorauimus Purpuræ natura repetita. Hinc mare purpureum, pro profundum, Poëtæ sæpius posuêre.

DE ECHINO.

Echini descriptio.

MARINVS huc Echinus obuoluitur, lenticulari propemodùm figura, cochleari crusta, scabritie varia, crebris lineamentis rectilineis, quatenus in sphærica figura fieri potest, E picturata, iisdem quibus terrestris armatus spinis, verùm iis micantioribus, & nunc cocco, nunc purpura, nunc puniceo colore splendescentibus, qua parte rostrum à medio ventre exerit, reductior, à tergo gibbosior, atque is est de quo Martialis ait,

Cortice deposito mollis Echinus erit.

DIFFICILIS ATQVE MOROSVS.

ATQVE vt ad eius significata iam aggrediamur, hominem quicum difficulter, vel nulla vnquam ratione consuetudinem inire possis, ex hieroglyphico eius commonstrabant, quippe quem quaquà tractare volueris, asperitate renitentia quę, horridum experiare. atque itidem ex hoc asperitatem eam, quam Horatius damnat, agrestem, inconcinnam, atque grauem, per hoc animal notabant: nàm & nomen illi ὅτι τὸ ἔχειν κατ' ἀνθρώπων, plerique impositum asseuerant, quia scilicet haberi non possit propter spinas, quasi Latinè velis intractabilem dicere. quamuis sunt qui de nomine id sentiant, vt Echinum dictum velint, ἀπὸ τῶ ἔχειν ἑαυτὸν ἀφανῶν τῶν σαρκῶν ὄστον, quòd scilicet ita sese cohibeat, vt nulla carnium appareant vestigia neque signa.

Echini etymon.

IVDICIORVM SEVERITAS.

ERANT autem apud veteres vasa Echini nomine nuncupata, quæ scilicet animalis istius imaginem referebant, quorum in iudiciis vsus erat. Sanè iudices, de quibus Pollux meminit vbi de diætetis & dicastis agit, Echinum aheneum, aut opere fictili factum habere consueuerunt, in quem testium dicta scriptaq; iudicia coniicerentur, ex quo significabatur, non licêre cuipiam impunè illis manus admouere, neque inuertere, aut immutare quicquam, sine graui supplicio.

Vasorũ sub Echini nomine, vsus.

NAVIGATIO TVTA.

SVNT etiam qui per Echinum tutam nauigationem intelligant: ille siquidem imminente tempestate, quam non secus ac terrestris ventos præsentit, attractis lapillis sese munit, arenaq; F nauium instar saburrat, ne vi fluctuum vlla versari iactarive possit: id enim maximè cauet ne aculeis exarmetur. Basilius Magnus audisse se profitetur à quodam rerum maritimarum peritissimo, qui diceret, habere se pro comperto, Echinum cùm ventorum perturbationem sæuitiamq; maris præsensisset, calculum correptum haud exiguum subiisse, seq; sub ipso tanquam anchora stabiliuisse. Sanè quidem nautæ simulac eos id facitare conspiciunt, futuram hoc indicio ventorum agitationem tempestatemq; præsagiunt, nauigiaq; continuò pluribus anchoris infrænant. Admiratur Ambrosius in Hexamero, quo ingenio is ista collegerit, quo doctore perceperit, quis ei fuerit augurio-rum interpres. Falli sæpe homines aëre perturbato, quòd plerumque res sine tempestate succedat, non falli Echinum, & homini rationis participi documento esse. Vnde animali tam exiguo tanta scientia, vt non modò quod futurum est infortunium antè præuideat, verùm etiam qua ratione impendenti periculo sit obuiam eundum, non verbis, non sophismatis, non ambagibus oratoriis, sed re ipsa commonstret?

Echinus augurioru̇ interpres, præsertim nautis.

MACILENTIA.

ADHÆC macilentissimum hominẽ per idem animal intelligebant, cui quidem sit hoc peculiare, vt nullam intus carnem contineat, foris & spinulas & crustam, vti dictum, cochleariam tantùm habeat; inueniũtur in eo tamẽ nigra quædã vice carnis, quę vtcũq; sint, à ganeonibus tamẽ expetũtur. Quod verò ad macilentiã facit, eum ad annum integrũ aiunt abstinere cibo. Non relinquam intactum quod apud Eustathium legi, interna vẽtris Echinum appellata, vnde Callimachus,

ὄντε

A ὄντε μάλιστα βοῶν προσθέσιν ἐχῖνον.
De Boue quem cupidè magis assectantur echinum.

Idque ea de causa, quòd intra se cibum contineat, quod præcipuum est ventris munus.

INSTAVRATIO.

EXERCITVM, aut quid huiusmodi ex dissipatis reliquiis instauratum, si quis pingendo significare voluerit, non imperitè Echini marini dilaniationem quãdam figurabit: ille enim in frusta discerptus, si proiiciatur in mare, confluentibus spontè in vnum partibus, iterum committitur, & efficacissimè solidescit.

DE CONCHYLIO.

CONCHYLIVM quoque aliquid habet quod ἱερογλυφικῶς accipi potest, tametsi animal ipsum huc non admittatur, sed quos generat vniones.

LACRYMÆ.

SVNT qui gemmas omnes in ornatu Veneri deberi putent, quòd scilicet eam maximè comptam esse deceat, & deliciis omnibus affluentem. Gemmæ tamen aliquot sua quædam habent significata, veluti Vniones, qũos lacrymarum symbolum esse plerique prodidêre, sumptum scilicet à coniectoribus, qui lacrymarum profluuium per visas in somnis margaritas ostendi tradunt: nam & apud Sudam legas, μαργαρίτας δηλεῖσι δακρύων ῥόον.

B

PIERIVS VALERIANVS
AD ERVDITIS. VIRVM MATTHÆVM MACINGVM VENETVM, DE IIS QVÆ PER Crocodilum & aliquot Amphibia significantur,
EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXIX.

POTERIT, & meritò quidem, eruditissime Macinge, aliquis, qui non æquo fortè erga nos animo fuerit, vtrumque nostrum ad Christianæ pietatis vindices deferre, qui sanctissimum amicitiæ tam mutuæ tam antiquæ numen tanto sub silentio, Aegyptiorum quodammodò secuti religionem, coluerimus. Aegyptiaca enim prorsus est hæc superstitio, Deum sub silentio colere. Sed enim qui de pietate aliter quàm Euangelia doceant, & sacri canones imperent, vel sentit, vel sibi sequendum credendúmve proposuerit, is dubio procul impietatis crimine condemnandus, acriterq; puniendus est. Manifestum autem est, Aegyptios olim Crocodilum adorasse, quod nos non modò abhorremus, sed & Poëtæ veteres, qui mores hominum facilè tolerant, modò satyricè derident, dum eorum aliquis dicit eos portenta colere, modò vt rem magis exacerbent, addunt, Crocodilum adorant. Causam tamen eam Aegyptij allegare soliti sunt, quòd Crocodilus silentij sit hieroglyphicum, quandoquidem animal id lingua careat, & ita silentij significatum præ se ferat, quod vterque nostrũm C *per tot annos nimium superstitiosè coluimus. Ne igitur cauillandi cuipiam ansam demus, existimaui silentio huic nuncium remittendum, atque ita in viam redeundum, id quod vt tu quoque facias adhortor. Missi itaque ad te sequestrem Crocodilum ipsum, qui quoniam Aegyptiacè loquitur, quippe per rerum figuras & signa, causam omnem tibi liquidiùs explicabit. Quoniam verò Crocodilus hic ab intima vsque Aegypto istuc Venetias traducendus fuit, exenterare eum oportuit, & accuratissimè salire, loco verò fæcis exemptæ, infarciuimus in vterum eius eadem diligentia fluuialem Equum, Phocam, Murænam, Anguillam, & Aegyptiacam quandam Ranam. Animalia inquam hæc vtcumque adduci potuerint, ad te misi, riuptoq; ita silentio me piorum consortio aggregaui. Tu si qua in ijs quæ ad rem tuam faciant inueneris, arbitrio vtaris tuo, reliqua, quæ nullius apud te momenti videbuntur, ἐς κόφινας, vt dicitur, proijcias licet.*

DE CROCODILO.

QVONIAM à Poëtis nostris, atque etiam à plerisque aliis Ægypto ea est obiecta infamia, quòd & monstra colerent, & Crocodilum præcipuè adorarent, cur hoc animal inter reliqua apud ipsam nationem sacra, locum haberet, differendum; ita fiet, vt quid imperiti colerent, quid sapientes intelligerent, manifestum fiat, atque inde minùs eorum succenseamus Philosophiæ.

DEVS.

COLEBANT siquidem Ægyptij Deum sub Crocodili, quod non inficiamur, imagine, propterea quòd solus inter animalia elinguis esse deprehensus est, quod Diuinitatis munus esse perhibent. Nam & in Pythagoræ symbolis habetur, linguam in primis esse coërcendam, vt Deum

Silentium ad Deum maximè spectat, & quare.

imitemur. Proximè accedit ad hanc sententiam sapiens ille neque illiteratus vir, qui opusculum, *De moribus*, carminibus scriptum edidit, dum eum Deo proximum esse ait, qui vbi ratio postulat tacere norit: Deus enim sub alto profundoq; silentio mortalium facta omnia diligenter examinat, omniumq; merita inspicit, proq; re loco & tempore singula moderatur. Quod verò de diis silentium apud eos esset, vel Harpocrates indicarit, cuius effigiem presso obsignatoq; ore ideò dedicarunt, quòd cæremonias rituq; suos qua ratione instituti essent, in vulgus propalari nolebant, atque ita sacra inuolui silentio procurabant. Quin & Mercurium illum suum, quem Nilo prognatum patre prædicabant, tanto silentij cultu prosequebantur, vt ne nominare quidem eum fas arbitrabantur. Nam quem Θὼθ appellabant, qui Platoni Theu, Propertio nostro Theutates est, alium fuisse dicunt, qui scilicet Argum interfecit, quiq; leges illis atque literas tradidit, à quo & Septembrem mensem eo nomine vocitarunt. Et Cabalistæ Dei ministros aiunt propitios nobis fieri, vel si tantùm nominis eorũ meminerimus, aut eorum notas præ oculis habuerimus, signatáve gestauerimus, etiamsi ore nunquam enũciemus, præcipueq; TETRAGRAMMATON diuinitùs datum nomen ineffabile, nostræ cum Deo reconciliationis signum, propterea quòd literarum quibus notatur, satis est reminisci. Meritò itaque Helias sacerdotes Baalis ridet 3. Reg. 18. dum eos adhortatur maiore vti voce, quòd eorum Deus in diuersorio forsan esset, aut in itinere, aut certè obdormisceret, ita fieri posse vt excitaretur. Sed quid nos tot Gentilium fabulas euoluimus, cùm sacræ institutionis nostræ literæ in templis quotidie canant: *Te decet silentium Deus in Sion?* Æquum est quippe vt tacito verecundoq; silentio trepidationem, quam ex tantæ maiestatis consideratione concepimus, profiteamur. Et, *Sileat omnis terra Deo.* In quam sentẽtiam Petrus apud Clementem, *Quæ summo sunt silentio honoranda. Deus enim*, vt Cypria. ait, *non vocis, sed cordis auditor est.* Nam & Anna Samuëlis mater, quæ typum Ecclesiæ præ se tulit, ante conceptum, cùm sterilitatem deploraret, Dominum non clamosa petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur quidẽ ea prece occulta, sed manifesta fide, loquebatur nõ voce, sed corde, quia sic sciebat Deum audire, ideoq; quod petebat efficaciter impetrauit, quia fideliter postulauit. Et Publicanus quem Dominus probat, non erectis impudenter ad cœlum oculis; neque sublatis indecenter manibus pectus suum tundens, & peccata sua contestans, diuinæ misericordię auxilium implorabat. Habet insuper Crocodilus eã cum Deo similitudinem, quòd eius solius oculi pellicula tenui translucidaq; fronte demissa obteguntur, atque ita cernat, cum aliis ita minus cernere videatur. Ita oculum Dei perlustrare, intueriq; omnia, res ipsa indicat, cùm nos eum nequaquàm cernere, aut nostratia hæc explorare; plurimùm opinemur. Sed quantũ pertinet ad sermonem, nostra in primis est pietas defen-

Quomodo Deus loqui dicatur, qui nec os nec linguã habeat.

denda, apud quos totiens legitur, HÆC DICIT DOMINVS, cùm simplex sit Dei substantia, neq; membris vllis, neq; compagibus composita; non igitur os neq; linguam habet Deus qui loqui possit. Id verò sic accipiendũ, vt tunc Deus loqui videatur, cùm aliquid inspirat in sanctorum fatidicorumq; vatum corda, vel etiam vocis sonum afflatu suo facit ad eorũ aures peruenire. Nam si vox humana aër ictus dicitur, potest & vox Dei dici aër ictus vel vi, vel voluntate diuina. Itaque illuminata mens per Dei Spiritũ formatur in verba, vnde locutus Deus homini dicatur, quoniam humana fragilitas aliter audire de Deo non potest. Prætereà, vti Adamantius inquit, veteres Deo sermonẽ attribuêre, quia cùm norint homines hoc ministerio voluntatẽ alterius alteri innotescere, agnoscant ea quę sibi per Prophetas deferuntur, Diuinæ indicia esse voluntatis. Mortales enim haudquaquam intelligerent in hac vel illa re Dei contineri voluntatem, nisi ea locutus diceretur, cùm eorum sensus nequaquam percipere possit voluntatem cuiuspiam per silentiũ inter homines indicare posse.

F

ORTVS.

ORTVM ad hæc pingere si voluissent, geminos Crocodili oculos faciebant, quos habet instar Suis, verùm ex toto ferè corpore prominentes, & emissitios. Atque ita pars ea, quę lucis conceptaculum tam insigniter extet, exortui videtur assimilari. Est tamen & alia ratio istius significati, quòd animal hoc suapte vi nullo parentum incubitu fomentóve, formam & lucem acquirit, veluti Sol per semetipsum exoritur. Crocodili enim tam fluuiales quàm terrestres cùm in sicco partum ediderint, ouа sua terræ committunt gremio, quibus tamen semper assident, dum catuli animentur, & excludantur. Locum verò eligũt, ad quẽ summo actu eo anno egressurus sit Nilus, quasi

E

Gallieni numus.

diuinatione quadam ouа transferentes. In numis verò aliquot simulacrum Orientis radiato fingitur capite, dextera in altum sublata, eaq; passa, quòd in Gallieni plerisque numis habetur, inscriptione addita, ORIENS AVG. quam quidem manum patefactam, & radios ipsos, Maro non vno loco videtur explicasse:

Vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radijsq; retexerit orbem.

OCCASVS.

QVOD si Occasum identidem pingere procurassent, Crocodilum humi toto profusum corpore deliniabant, quippe quadam incubantis specie, sponte enim ad ima quæque ferri gaudent, immersiq; fluuiis humi libenter obrepunt, soloq; adhærescunt, Delphinorum & aliorum hostium metu, quòd norunt quàm molli tenuiq; cute in ventre sint. Dies prætereà maxima ex parte agunt

agunt in terra, noctes in aqua, teporis vtrumque ratione: noctu enim tepidiorem aquam experiuntur. Ita Solem imitari videntur, qui nobis emergere matutino tempore, vespertino immergi videtur. Adhæc Crocodilo visus in aqua hebes, extrà acerrimus: ita illi præcipuè accidit, Solis occasu obscura omnia, exortu clara atque perspicua redduntur.

TENEBRÆ FVNESTVMVE.

TENEBRAS autem (quo vocabulo tam funus, atratumq; pomparum apparatum, quàm mortem ipsam, quæ lumina claudit decedentium, intelligebant) significare cùm adlibuisset, Crocodili caudam faciebãt: is enim simulac animal aliquod ceperit, caudæ opera vtitur ad examinandum: ea enim captiuum vincit, ac mox plectendo conficit. Vis siquidem omnis, ac omne Crocodili robur, in cauda situm. Id verò commodè figurabitur, si abditus in specu, sola exporrecta cauda pictus fuerit: nam & illi proprium est spelæa subire, in quibus quatuor interdum menses hyemis inedia pertinaci delitescit, vnde fortè tenebrarum deductum est significatum. Sedenim hæc etiam ad eam facere opinionem possunt, quòd ideò Crocodilũ colerent, quia hinc etiam diuina quędam specularentur. Nam quòd Dei ipsius & caput & substantia imperscrutabilia sint, cum Crocodilo faciunt in specu latitante, quare Seraphin faciem atq; pedes Dei velare ad arcam Domini dicuntur, quòd diuinæ maiestatis principium atq; finem verbis nemo valeat explicare, neq; picturatione vlla declarare, definire verò nulla prorsus circumscriptione quispiam aggrediatur. Quam verò de Deo cognitionem profitemur, eã ex operibus perpendimus, quod à posterioribus diceret Aristoteles. Quare Gentes admonebat IESVS Deus noster: *Si nolitis mihi credere, credite operibus quæ ego facio.* Ita igitur sapientes illi Crocodilum imaginati sunt in specu, cauda tantùm exerta, absconditum. Nam Psal. etiam 17. dicitur Deus posuisse tenebras latibulum suum, vt planè significetur, obscura multis & incognita esse, quæ de Deo piis tantũ innotuerunt, vtpote quæ Deus ipse occultat in tenebris, &, vt Origenes Adamantius ait, manifestum est rarò admodùm peruenisse ad homines Dei cognitionem, idq; paucissimis contigisse, siue quòd ob mentis hebetudinem ad eius micantissimæ lucis radios cæcutimus; siue quòd inquinata mens eius non recipit puritatem; siue quòd humanum hoc corpus adeò fæculentum animũ etiam obturat, ne possit spiritum eius admittere; siue quòd intellectus nostri virtus sit adeò imbecilla, vt immensitatem eam nulla capere possit coniectura. Nam & de Moyse legimus, eum, vbi Deus esset, caliginem subiisse, Deiq; iudicia Prophetæ Abyssum vocare consueuerunt. Quin & IESVS ipse: *Nemo*, inquit, *cognouit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius, & cui Filius reuelauit.* & in hanc sententiam passim à nostris plurima. Eaque de causa Ioannes Filium lucem ponit, quia is & seipsum illuminat, & Patrem in conspicuo ponit, qui adhuc latêret in tenebris, nisi per Filij manifestationem innotesceret. Nobis verò nisi lux illa orta esset, adhùc in vmbrosa mortis regione sederemus, diceret Esaias. Vnde autem, nisi diuino dispensante Spiritu, imaginatus est Orpheus dicere, *Nox quæ lucem emittis?* Quod & Psalmographus: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Tabernacula enim Dei tenebræ & latibulũ, vti Diuinæ literæ passim memorant. Sed plura super hoc dicturi sumus in ignis commentario, vbi Faces.

Dei cognitio exoperibus.

Dei iudicia Abyssus.

PERNICIES.

IN vniuersum autem per id animal sculptum, malum, damnúmve aut pernicies aliis illata, si Diodoro, credimus, apud Ægyptios significabatur, omninoq; inexplebilis rapacitatis hieroglyphicum habebatur: animal enim est multę rapinę, vnguibus ad discerpendum promptissimis, morsu aspero tetróque, vt quod dentibus lacerat, nunquam sanetur. Impunè vero inter eos enatat, qui se adipe eius feri perunxerit. Quod factitasse Firmum Ægypti tyrannum, qui oppressus est ab Aureliano, testimonio Aurelij Festiui, Vopiscus tradit.

C

SALACITAS.

ERAT & salacitatis indicium, vt ipsi dicunt Ægyptij, propterea quòd abundanti fœtura prolici sunt Crocodili, libidinisq; vsque adeò contagiosæ, vt è dextera eorum maxilla dentes lacerto dextero alligati, nequitiam credantur stimulare. Terrestris porrò Crocodili, quem Scineum, vt alij, Scingum appellant, rostrum & pedes in albo vino poti, lasciuię cupiditates accendere apud magiæ scriptores legas, & huiusmodi quædam apud Dioscoridem & Plinium.

Crocodili prolifici.

FVROR.

FVROREM ad hæc Aegyptij, & quæ inde calamitas aut clades accepta esset, per Crocodilum semetipsum verberantem indicabãt, propterea quòd is irrita prædæ cuiuspiam spe frustratus, in semetipsum furit, supra modum indignabundus.

LATROCINIVM.

NEGOTIORVM impedimenta, insidiasq; & latrocinia, quæ contra viatores exercentur, per idem animal etiam ostentabant. Et Typhonem, quem βεδιῶνα dicunt, in Crocodilum abiisse asseuerabant, tametsi nonnulli Typhonis comitem ponant. Crocodilus autem assiduè negotiatoribus insidiatur, quo genere latrocinij Typhonem infamen tradunt. Quapropter cùm illi honores omnino decreti essent, ex mansuetis animalibus Asinum illi nutriebant, ex feris verò Crocodilum & fluuialem Equum. Institutum enim erat apud eos, quibusdã Diis, ne nocerent tantùm, sacra facere; atque ita quò magis illos sibi conciliarent, animala eiusdem ingenij, quo illos fuisse

Typhon in Crocodilũ.

persuasum habebant, colere consuerant. In Apollinis verò ciuitate, quò iniurias à Typhone Osiridi illatas vlciscerentur, de Crocodilo vesci lege singuli tenebantur. Certo igitur die conuenari solebant, & quotquot caperent, interfectos eos ante templum, rei à se bene gestæ monumentum testimoniúmque prosternebant.

HELLVO.

Crocodilus in cibo sumendo immodicus.

IDEM sacerdotes helluonem significantes Crocodilum hianti ore pingebant: is enim cibo sa-tur, quẽ immodicè sumit, somno sopitus in littore se prosternit esculento semper ore, ad quem auiculæ trochili, quæ Senatores & Reguli dicuntur, pabuli se gratia conferunt, inuolantesq; dentes depurgant, atque ita magis & magis ad parentiorem hiatum scabendi dulcedine prouocant, quod Ichneumon perpetuus eius hostis, si quãdo fuerit conspicatus, saltu se in guttur eius immittit, introq; progressus, donec feri cor morsu lancinet, moribundam mox feram derelinquens abit incolumis. Alij crapulã ideò significari per Crocodilum tradunt, propterea quòd is meatu careat, per quem ciborum excrementa deiici soleant, quare eadem mox digesta & indigesta per os reiectare necesse habet, quæ mox aues aduolantes depascantur, perinde ac qui præter satietatem nimio farciuntur cibo, cùm digerere ipsi non possunt, euomere coguntur. Qui verò cultui habiti à sacerdotibus nutriebantur, tanta erant mansuetudine, vt non modò vocem accersentium agnoscerent, & attrectari paterentur, verùm etiam fauces adapertas porrigerent, dentesq; manibus depurgari, abstergíque linteo permitterent.

AB IGNOBILI GENERE AD CLARITATEM EVECTVS.

COMMENTI sunt nonnulli, hominem qui nulla sanguinis claritate, minimisq; principiis ad amplissimas, celeberrimasq; dignitates, ad opes, ad honores euectus esset, per Crocodilum & ouum eius pingere. Illud enim de Crocodilo fertur, nullum animal à tam paruis initiis in tantam excrescere magnitudinem. Ouum enim non multò maius edit quàm Anseris, & fœtus inde exclusus pro portione est, attamen ad cubita vsq; quindecim, vel etiam sexdecim crescendo porrigitur.

Fabula.

Sunt qui eos tandiu augeri asserant, quandiu viuunt. Facit ad hoc Æsopica fabella non illepida de Crocodilo, generis nobilitatem, & sua & antiquorum præclara facinora apud Vulpem extollente, cui argutè illa responderit, ex cute vetus eius ac diuturnum exercitium, vel eo tacente, prodi.

INVICTVS.

ADDVNT nonnulli, lacessitum iniuriis hominem, neque tamen succumbentem aut victum, per Crocodili tergus significari, propterea quòd id supernè corticosum adeò sit, vt contra omnem ictum, inuictum habeatur. De vigore verò eius elanguescente, si quis eum penna Ibidis demulceat mitigetque, in Ibidis commentario dictum est loco suo. Apud Horum inuenias Vespam superuolitantem Crocodilo indicium esse, vel ipsius animalis sanguinem corruptum, vel Crocodilum mortuum: Vespa enim ex putrefactis oritur cadaueribus. Verùm id quoque mysticè, cùm mala ea quæ per Crocodilum significantur, indicare vellent, facta iam mitiora vel omninò sublata, aliter frigida & inanis ea esset interpretatio.

AEGYPTVS.

CROCODILVS catena religatus ad palmam, in æreis plerisq; numis habetur, cum inscriptione, COL. AEG. Colonia Aegyptus. Ab altera facie duo sunt humana capita, quorum alterum ad Orientem spectat nauali corona insigne, literæ supernè sunt, IMP. vbi nimirum per Crocodilum ipsa significatur Aegyptus. Quòd verò sit religatus ad palmam, Augusti omninò victoriã ostendit, quam etiam in obelisco campi Martij notari iussit, Aegypto in ditionem redacta. Duo illa capita, Augusti vnum, alterum Agrippæ esse crediderim, de quo Virgil. *Tempora nauali fulgent rostrata corona.*

Augusti numus.

In alio Augusti numo argenteo Crocodilus est, supra quem scriptum, ÆGYPTO infrà CAPTA. ab altera facie Augusti caput, cum circumductis literis, CÆSAR DIVI F. COS. VI. Et pictor Nealces, cuius meminit Plinius, cùm prælium nauale Aegyptiorum & Persarum pinxisset, quod in Nilo, cuius aqua est mari similis, factũ volebat intelligi, hieroglyphico apertissimo hoc declarauit, quod arte non poterat: Asellum enim in littore bibentem, καὶ πάρεργον pinxit, & Crocodilum insidiantem. Est & numus L. ÆL. AVREL. COMMOD. vbi Commodus ipse sub Herculis imagine pede dextero Crocodilum calcat, læuâ clauam sustentat, dexterâ Aegypto sistrum prætendenti spicas porrigit. Inscriptio rem declarat, INDVLGENTIÆ AVG. Atque hæc de Crocodilo dicta sufficiant.

DE FLVVIALI EQVO.

PLVRIMVM verò secum affert impietatis improbus ingratúsque Hippopotami animus, qui nulla genitorem reuerentia prosequitur, & alienis bonis diripiendis natura promptissimus existit.

IMPIETAS.

MERITO enim Ægyptij sacerdotes cùm impiũ, cùm ingratum, cùm iniustũ quempiam notare vellent, Hippopotamum proponebant. Admonituri verò mortales omnes vitia ea omnino esse declinanda, toraq; animi fortitudine supprimenda, duas eius animalis vngulas deorsum inuersas

A sas facere consuerunt: siquidem is ab ineunte statim adolescentia patri incipit infestus esse, tentatque si possit eum decertando superare, quem sæpe in pugnam prouocat: quòd si acciderit vt victor euadat, matris coitum affectat, vita patri condonata; sin victus aut cohibitus à patre fuerit, neque tam scelerati voti compos fieri potuerit, perdurante tamen prauitate tantisper conatum differt, donec adolescat, factusq; iam robustior atque validior, deteriorem ætate factum patrem inuadit, fœdissimeq; necatum petulantissimè dilaniat. Inuersas igitur vngulas eas ideò statuebant, vt qui rem spectarent, quid illæ sibi vellent commonefacti, propensiores fierent ad pietatem.

Equi fluuiales impietas.

PIETAS IMPIETATI PRÆFERENDA.

ID quod tãtæ apud eos curæ fuit, vt Principum sceptra & huiusmodi pleraque insignia, atque gestamina & monumenta, armaque aliquot, quorum quotidianus esset vsus, ita insignirent, vt in summa potioreq; parte Ciconiam præfigerent ex ære, vel ex auro argentóve factam, infernè verò vngulam Hippopotami subiicerent, quòd impietati præferendam esse pietatem indicaret. Species verò vngularum iis est, quales Bubus, licèt dorsum, iuba, & hinnitus Equi sit, vnde illi nomen. Inest prætereà talus bisulcorum modo, dentes vt aprorum exerti, leuiter tamen, rostrum resimum, apri cauda etiam, magnitudo & interiora Asini, tergoris crassitudo tanta, vt ex eo venabula fiant, & scuta galeæque impenetrabiles, nisi humore madeant, munire possit.

Descriptio Hippopotami.

B

IMPROBITAS EDOMITA.

CELEBRATISSIMA verò est species illa, quæ visebatur olim Hermopoli, ea scilicet pictura, vt Hippopotamus esset, supra quẽ sculptus erat accipiter cum Serpente dimicans. Cuius argumenti significatum id esse tradunt Aegyptiarum literarum periti, vt Typhonem ab Osiride vi domitum, cùm de principatu certamen conseruissent, intelligendum autument; per fluuialem Equum Typhonem ab Osiride vi domitum, per Anguem principatum interpretantes, atque ita improbitatem potiores sibi partes asserere conantem, virtuti demùm cedere subinnuant. Eadem de causa cùm sacra faceret eo die, quo Isidis aduentus è Phœnicia celebratur, fluuialem Equum religatum libis incessere per ludibrium consuerant. Non dissimularim hîc Aureoli tyranni tumulum ad pontem Aureolum Insubriæ supereße, à Claudio Cæsare sex elegorum versuum Epitaphio nobilitatum, in cuius conditorij parte prima Hippopotamus sit incisus, quem serpens cauda mordicus apprehensa complectitur. Id puto significare, tyrannidem tandem temporis spatio domitam. De Aureolo enim, qui Gallieni tempore cum plerisque aliis tyrannidem arripuit, plura legas apud Trebellium Pollionem, & Iulium Capitolinum. Epigramma tumulo inscriptum à Claudio Imp. ita fertur:

VIRTVTI CEDIT IMPROBITAS.



Aureoli tyranni tumulus, & Epitaphiũ.

C

Κλαυδίου Αὐρεολοῦ μεγάλου Αἴρεα καῖσαρ
Τὰ πτέρεα θηητῶν ὡς θέμις ἀνδιδόει.
Τοῦ δὲ καὶ ζωὸν, ἀλλ' ἐκ ἐθέλησε φρόνημα
Πᾶσιν ὕδρηέντοις τὸ κρατὺ ἀντίθιον.
Κεῖνο δ' ὀικτίρμων τῷ σώματι ἔσχατ' ὀπίζων
Αὐρεόλε, γέφυραν εἴσατο τήνδε τάφην.

HORÆ.

HORAS etiam Ægyptij sacerdotes per fluuialem Equum significare soliti sunt, qua verò de causa id facerent, neque Horus scripsit, neque nos apud quempiam traditum inuenimus, si quid tamen ariolari liceat, dixerim ego, quia depascit segetes, destinatione, vt ferunt, antè determinatas in diem: non enim vti Boues & pecora reliqua, hac illac errabundi modò hîc modò illic aliquid carpunt, sed tanquam messores ad opus certum conducti, suam vnoquoque die partem pabulantur. Horæ verò nomen plerunque pro tempore cuiuscunque maturitatis accipitur, cuius apud Græcos apertissimũ est significatum. Cùm verò ita pabulatum prodit, ea vtitur astutia, vt velut ex agro ferentibus vestigiis progrediatur auersus, ne quæ reuertenti insidiæ comparentur. Vel ea fortè de causa horas indicare dictus, quòd diem & noctem duplici natura dimetitur, siquidem interdiu in imis aquis latet, noctu in terram egreditur. Apud Ægyptios autem nox cum die pári propemodùm horarum numero assiduè dispertitur.

Quare Horarũ hieroglyphicũ sit Equus fluuialis.

DE

DE PHOCA.

PHOCA fluuiali addetur Equo, cui similiter vita in aqua & in terra communis: eam nos Vitulum marinum, à specie tergoris instar Boum villosi, nuncupamus.

SOMNICVLOSVS.

SVPERFLVVM verò esse videtur rationem afferre, cur somniculosus homo per simulacrum eius exprimeretur, cùm de profundo eius somno diuturnaq; veternositate tam multa passim à Græcis Latinisq; authoribus memoriæ prodita reperiantur, quo scilicet pacto *sternunt se somno diuerso in littore Phocæ.*

INFORTVNII MAGNI TVTELA.

Phocæ corio indutus.

ID potiùs referam, quòd hominem ita res suas procurantem, & aduersus pericula auxilia disponentem, vt à quocunque vel maximo infortunio tutus habeatur, significare qui volũt, eum Phocæ corium indutum pingunt. Vitulum siquidem marinum ex aquatilibus fulmine non ici obseruatum est, tantaq; mortalium id persuasione receptum, vt vulgò cingula ex eiusmodi corio comparentur, quæ infortuniorum istiusmodi amuletum esse creduntur. Veteres autem calamitates à potentioribus illatas, fulminum iactibus æquiparare soliti sunt. Et fulminare dicuntur Reges, cùm quid in alicuius perditionem moliuntur. Sic, *Cæsar ad altum fulminat Euphratem*, apud Maronem legas; apud Ouidium verò, se totiens Augusti fulmine petitum.

VRINATOR.

VRINATOREM etiam hominem per animal huiusmodi significare mos fuit, quando in sicco genitum nullum hoc magis vndis ex disciplina soleat assuefieri. Pariũt enim incontinenti Phocæ, paulo q; pòst catulos educunt, vt mari assuescant, & euestigiò reducunt: idque sæpius factitant, vsquequò paulatim ita consuescant maris contubernium non aspernari.

DE MVRÆNA.

MVRÆNA quoque in siccum exit, & terrestrium commercio delectatur. Quid verò hinc significetur, videamus.

ALIENIGENARVM PROCVS.

Fœminei tãtùm sexus Muræna.

PER hanc pictam Ægyptij sacerdotes hominem alienigenarum concubitum appetentem, externisve matrimonio copulatum intelligebant: siquidem hæc, vt Licinius Macer tradit, fœminei tantùm sexus est, ideoq; de mari egressa Serpentibus copulatur, atque inde concipit, ob id sibilo à piscatoribus tanquam Serpentibus euocari & capi. Aristoteles tamen, vtpote qui Murum marem agnoscit, vti suus in plerisque huiusmodi mos est, hoc negat, tametsi in terram prodire, atque ibi sæpe capi, non inficiatur, quamuis Andreas Physicus, qui Nicandro glossemata quædam subiecit, totum id mendacium esse profitetur, & neque Murænas in continentem prodire, neque Viperis per littora commisceri contendit. Attamen cum Aegyptiis Archelaus id asserit pro comperto, neque dissimulat Nicander, qui piscatores ait, quamprimùm Murænas in continentem exire conspexerint, metu perculsos in mare statim se demergere, quò se ab Viperarum ictu tueantur. Hoc idem D. Ambrosius in Hexamero, Basilium Magnum secutus, affirmat.

MORES CONIVGIS FERENDI.

A VIPERIS enim ait sibilo Murænas euocari, idq; perinde ac si hieroglyphicum esset interpretatur, id scilicet ex hoc innui, vt mulieres admoneantur, ferendos esse mariti mores, sit licèt fallax vir, asper, inconditus, temulentus, lubricus, multaque in hanc sententiam.

ADVLTERIVM.

BASILIVS ex hoc congressu Anguis & Murænæ adulterium interpretari videtur: admonet enim eos qui nuptiis insidiantur alienis, discant cuinam ferę, cui reptili sint similes, cùm naturæ quoddam adulterium Viperæ Murænæq; coniunctio videatur; atque huc potiùs respicit Aegyptiorum hieroglyphicum. Quare minimè mirum si Crassus, vir satis impurus, Murænam miræ docilitatis exanimatam luctu prosecutus est, qui vxores tres absque luctu sepelierat, quod illi à Domitio obiectatum legimus.

SÆVITIA OCCVLTA.

NEQVE incongruum erit hieroglyphicum, si occultam quandam sæuitiam significaturi, sanguinariam quippe crudelitatẽ in molli alioqui atque effœminato homine, per irritatam Murænam expresserimus, immani Romanorum procerum exemplo, qui seruitia olim Murænis exponebant excarnificanda, cùm ea alioqui bestia exedentula sit, vt diceret Tertullianus, atque etiam exanguis, & excornis.

DE ANGVILLA.

Murænæ & Anguillæ similitudo.

INVITARE videtur similitudo quædam, vt Anguillã Murænæ subiungamus, nõ quòd hæc inter amphibia sit, sed quòd erratica, quadamq; cognatione Murænã attingat, quippe cùm hæc fluuialis illa maritima sit Anguilla. Nã quæ in mari reperiuntur Anguillæ, à fluminibus omnes

A omnes inferuntur, suntque ibi omnes peregrinæ, in alienam tamen adscitæ patriam, alienos etiam mores imitantur, & labem magna ex parte eluunt, quam ex terrena fæce secum attulerunt. Eius verò significata rara admodùm apud Ægyptios fuerunt. Nostri multa hieroglyphicis Ægyptiorum similia, quæ per eius imaginem intelligenda essent, excogitarunt.

SIBI SOLI NATVS.

VNVM enim id tantùm super Anguillæ nota traditum ab Ægyptiis inueni, vt hominem omnes alios auersantem, & seorsum ab aliorum cõsortio sibi viuentẽ, per simulacrum eius significarent, propterea quòd eam nunquam cum vllo alio piscium versari, neque quidem coniugali inter se vsu misceri deprehendissent. Sunt qui velint eas sponte in luto humescenteq; humo prouenire. Sunt qui eas scopulis se atterere dicant, ea strigmẽta viuescere, neque aliam earum esse generationem. Basilius Anguillas non alio vllo modo, nisi ex fœculenta materia limoq; procreari tradit, quarum neque ouum, neque vllũ alium ad successionem modum constare compertum est. Aristoteles porrò neque marem neque fœminam in illis esse testatur, neque prolem ex se aliquã creare posse, cùm neque ouum, neque semen sortitæ sint. Ouum in nulla vnquam Anguilla visum, neque fœtum in vtero deprehensum, vt in iis quæ animal gignunt, capillamentis tamen & lumbricis quædam similia in ventriculo reperiri, non tamen ea vnquam animascere, neque eo loco gigni aut immorari, quæ sint in fœtum euasura, quia non secus ac cibus concoquerentur. Quòd verò alij dicant meliores esse fœminas, quas à capitis forma secernunt, quippe repandiore his, maribus verò oblongiore, atque ita eas quæ à cæteris discreparẽt, Fœminas appellarint, Philosophus idem non maris aut fœminæ, sed generis differentiam agnoscit.

Anguillarũ ortus.

B

MEMORIA POST OBITVM EXTINCTA.

COMMENTI sunt alij hominem, de quo nulla post obitum memoria supersit, per Anguillam mortuam significari: illa siquidem mortua non superfluitat, nec sursum fertur, vt maxima ex parte pisces cæteri faciunt; sed pessum in profundum rapta, in eodem quo genita est limo computrescit. Id ea de causa fit, quòd ventre sunt admodùm exiguo, atque ideò minus inanes. Totum verò corpus cùm ferè solidum sit, neque ferè quicquam aëris admittat, & caro ipsa glutinosa admodùm, nec quid peruium relinquat, fit vt simulatque expirarint, suomet pondere gtauatæ pessum ferantur.

PROFANVS.

IN Diuinis Hebræorum litteris eædem profanæ sensu mystico dicuntur: neque enim squamosæ sunt, quiq; huiusmodi sunt pisces, in aquæ profundum immersari, & in cœno libenter volutari conspiciuntur. Ad horum similitudinem, animi qui terrena tantùm sapiunt, idonei non sunt vt ad sacra proponantur.

IMPATIENS ALIENI COELI.

ADHÆC, hominem in alieno cœlo difficulter habentem intelligentes, Anguillam in hydriis duabus pingebãt, capite scilicet in vnam, cauda in alteram demersis. Anguilla siquidem nullam vehementem tolerat mutationem, & si æstate de lacu in piscinam transferatur, viuere nequit, etiamsi frigida aqua fuerit.

FVGIENTIA SINE SPE SEQVI.

C HOMINEM insuper qui fugitiuam rem aliquam nulla consequendi spe sectaretur, indicare si vellent, Anguillam pingebant, quam manus à cauda prehenderet: tanta enim est lubricitate prædita, vt de prensantium manibus elabatur quam facillimè, difficulterque contineri possit. Subterfugij istiusmodi similitudinem sibi desumpsit Athanasius, vbi epistola ad Ægypti Episcopos dicit: *Tametsi elabi millies tanquam Anguillæ conentur.*

SPES CERTA RE SVPER AMBIGVA.

QVOD si certam esse spem de ambigua re quapiam ostendere voluissent, obuolutam eam siculneo folio pinxissent, quòd scabritie sua prensanti sit adminiculo nequaquam irrito. Vnde prouerbium *παρὰ τρίχα τὴν ἐγχελυν.*

Prouerbiũ.

PER DISCORDIAS CIVIVM LOCVPLETATVS.

HOMINEM verò ex ciuilibus seditionibus & tumultuosis discordiis crescentem, reque auctum significantes, cum in Anguillarum venatione occupatum effingebant. Aqua siquidem quieta limpidaque, earum captura nulla propemodùm, magna verò si perturbetur. Quare piscatores tempestates obseruant, lacuúmve aut fluminum turbationes, vnde aqua limosa fiat, magnas inde capturas paruo negotio consequentes. Rem tradit Aristoteles & plerique alij, tum Aristophanes Equitibus, historiam luculenter admodùm explicat, Allantopola dicente: *Eadem quidem tu fecisti, quæ venatores Anguillarum faciunt.* Sed cur non Aristophanem ipsum sua lingua loquentem audiamus?

Piscatorij industria in capiendis Anguillis.

Οὐ περὶ δὲ οἱ ἐγχέλεις θηράμενοι πέπονθας,
Οἵ' ταν μὴν ἡ λίμνη καταση, λαμβάνουσιν ἐδέν,
ἐὰν δ' ἄνωθε κἀκ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν

ἄμφω

ἄξεσι, ἢ σὺ λαμβάνεις, ἣν τὴν πόλιν Θεσσαλῆς. D
Fecisti vt is qui captat Anguillas facit.
Quieta cùm sunt stagna venatur nihil:
Sed cœnum vbi omne illac & hac subuerterit,
Captura magna est. Tu quoque, vbi perturbaueris
Hinc ciuitatem & inde, plurimum capis.

Quam sententiam Cicero sibi desumpsit, oratione in Catilinam secunda: *Honores quos quieta Respublica desperant, turbata consequi se posse arbitrantur.*

DE RANA.

RANA verò ita in hoc album admittenda est, vt hieroglyphica tota videatur: nam anteaquàm facta sit, in huiusmodi materiam dare incipit argumentum.

IMPERFECTVS.

Perfectum nihil in humano opere.

MVLTA esse in humanis operibus imperfecta, indignè, vt mihi videtur, plurimi conqueruntur. Quis enim vndecũque perfectũ opus vllum præstare possit, si mortalium nemo omnibus absolutus numeris reperitur? Quin ipsa rerum natura multa nobis ostendit, quæ inchoata reliquerit, neque tamen ob hoc eius quisquam indiligentiam reprehendat, id quod spectare est in Rana præcipuè, per cuius effigiem non immeritò sacerdotes Ægyptij rei cuiuspiam imperfectionem intelligebant. Videre siquidem est plerunque huius generis animalia in limo, vbi procreantur, altera parte Ranam, altera verò terram ipsam indistinctam, viuentíque portiunculæ applicitam. Sæpe E enim flumine, aut lacuna, lamáve aliqua, vel sponte, vel deriuatione aliqua decedente animal id imperfectum destituitur, quod tum primùm informari cœperat & coalescere. Omnibus his fidem Nili facit inundatio, quæ rerum istiusmodi miracula omnia prorsus excedit; eo quippe deturgente, Musculi & varij generis animalia reperiuntur, inchoato opere aquæ terræq; in parte corporis viuente, nouissima effigie etiamnũ terrena. In Ranis verò qualibet maturitate genitis, natura semper imperfecta, quod in ipsa præcipuè lingua exploratum est, quam applicitam & cohærentẽ habent, cùm tenax sit earum materia, neque distincta satis compositione, prima verò cohæret, intima absoluta à gutture, vnde genus illud vlulatus intra aquas reddunt, quam ὁλολύγωνα φωνὴν vocant, quæ, vti Plutarchus ait, amatoria & coniugalis est.

INVERECVNDVS.

Physiognomorum obseruatio.

IDEM ipsi sacerdotes si hominem inuerecundum notare voluissent, Ranam describebant: ferũt enim eam sanguinem non nisi in oculis habere, qui verò subsanguineos habent oculos, ex Aristotelis & Adamantij physiognomici sententia, inuerecũdi audacésq; sunt; iracundiã, vbi sicci; vbi humidi, ebriositatem; subrubescentes si latè pateant, intemperantis oris hominem, mulierosum, stolidum, & aleonem indicant. In grandioribus rubor, neque libidini, neque gulæ modum poni vllum ostendit. Quod si glauci sanguineiq; fuerint, hinc calliditatem, inde vesaniæ proximiorem audaciam coarguent. Quia verò Canes plurimùm oculos sanguine suffusos habent, hinc apud Homerum Achilles caninos oculos ob impudentiam obiicit Agamemnoni, de quo satis in Cane.

CVRIOSITAS.

Oculi prominentes quid denotent.

PARIT impudentia curiositatem, vnde alterum elicitur hieroglyphicum. Nam hominem in alienis negotiis explorandis plus æquo solicitum, quiq; dicta factaq; singulorum assiduè perconetur, & impudenter arcanorum omnium spectator esse concupiscat, per Ranam identidem significabant: oculi enim animali huic prominentes sunt & emissitij, vt facilè spectãdi contuendiq; omnia curiositatem præ se ferant. Et qui homines eiusmodi sunt oculis prædíti, dolosi, stolidi, ineptíque simul & importuni plurimùm reperiuntur. Hoc tamen significatum in Rana non ab oculorum specie tantum, verùm ab occultiore doctrina quadam desumptũ videri potest. Tradunt enim Magi, Ranæ oculos cum luscíniæ carnibus in ceruino loro alligatos, præstare vigilantiam, somnolentia fugata. Vnde spectandi promptitudo non indecenter excogitata. Sanè vulgatum id tum apud Græcos tum apud Latinos, inesse oculis pudorem, quibus tamen nisi modus imponatur, procliuiter eosdem in oppositũ huic virtuti vitium prolabi. Alioqui Rana tanta prædita est verecundia, tamq; pudoris ingenui studiosa, vt in propatulo nunquam admisceatur: sedenim cùm in aqua coire nequeat, noctu exeunt, atque ita noctem, quàm longa est complexu mutuo cohærent.

LONGO POST TEMPORE PROGREDIENS.

APVD Horum legas, hominem qui diuturniori tempore pedes æger sese mouere nequiuerit, si tamen aliquando ingrediendi beneficium consecutus, per Ranam posticos tantùm pedes habentem significare: ea enim posteaquàm nata & informata est, sine pedibus aliquandiu viuit, adolescensque posticos primùm pedes profert.

SOPHISTA.

EST & in sacris nostrorum literis mystica de Ranis Ægyptiacis mentio perquàm frequẽs, quæ iugiter in Ægypto pluerint. Sophistarũ nugas, & Dialecticorũ garrulitatem, per eas doctores quidam

A quidam intelligunt; siue ob nullius significantiæ vocem tam argutam, tamque pertinacem, siue quòd in luto voluptuosa sit earum habitatio, quorum vtrumque Sophistis attribuitur. Ab excellentia autem Sophistam Ægyptium vno doctorum omnium consensu dicere mos est, quòd ad Protea nonnulli referunt, qui se omnia in rerum miracula transformaret. Sunt qui Ranæ hieroglyphico hæreticos notent, qui, vt Eucherius ait, in cœno vilissimorum sensuum commorantes, vana tantùm garrulitate oblatrare non desinunt. Æneas vir Platonicus, Theophrasto, Ranæ vtitur exemplo, dum Cleonta garrulitate nobilem taxat: *Necessarium, si vera sit opinio Theophrasti, quòd animæ post obitum brutis applicarentur, quorum vitam vinere visi fuerint, vt Ranæ & Cleo vnà semper futuri essent.*

Græcũ nomen Ranarum vnde.

A vocis autem asperitate Ranæ nomen apud Græcos βατράχου, quasi βοάτραχον dicas, quod apud interpretes Theocritianos Thalisiis inuenias. βοάτραχον verò, si nobis dicere liceat, Asperisonum possumus interpretari. Vnde de maximè dissimilibus dicitur, Rana cum grillo; id enim locustarum genus valde musicum, & ob acutum molliter stridorem, conciliando somno à delicatis hominibus expetitur.

DÆMONES.

QVINETIAM in Diuinis literis Ranæ simulácra sunt cacodæmonum, quod libro Apocalypseos luculentè scriptum est: *Et vidi de ore Draconis spiritus tres immundos in Ranarum similitudinem.*

POETÆ.

Pharaonicæ plagæ per Ranas, explicatio.

ADAMANTIVS tamen aspera quadam seueritate commotus, per Pharaonicæ plagæ Ranas B mystico sensu Poëtarum carmina significari putat, quòd inani quadam & inflata modulatione, cuiusmodi est Ranarum sonus, siue ille cantus sit, mortale genus omne in fabularum ineptias illexerit. Nulli enim rei animal id idoneum aut vtile, inquit ille, comperitur, nisi quòd improbis & importunis clamoribus ad negotiosorum atque otiosorum simul fastidiũ vsque obstrepat. Miror verò tantæ eruditionis virum hæc de Poëtis sensisse, cùm præsertim vbique sit interioris, vt ipse dicere solet, literæ speculator; neque animaduerterit, dum Poëtas carpit, Moysi, Hieremiæ, Esaiæ, & plerisque omnibus Prophetis aliis se conuitia facere, qui vaticinia illa de diuinis humanisque rebus cuncta luculentis carminum numeris conscripta elaborataq; libris demandauêre. Quòd si quos reprobare volebat, diceret, saltem quæ carmina, quippe Ithyphallicáne an Fescenina, an tritrochaica Bacchi, quos Poëtas intelligeret, ne ob huius vel illius impuritatem sanctissimum hoc omnibus nomen profanaret, ipsumque totius mundi conditorem Deum, qui apud Græciæ totius Christianos Poëtæ nomine sanctè colitur, incessere videretur. Nam quem nos factorem cœli & terræ dicimus, Græci dicunt ποιητὴν τῶν ὅλων, καὶ τῆς γῆς.

SILENTIVM.

Rana Mecœnatis quid indicet.

CONTRA verò, vt vnde discessimus reuertamur, inuenias silentium significari etiam per Ruberam Ranam illam grandissimam, quæ geminis veluti cornibus insignita est, propterea quòd obseruarunt magi, si ea in multitudinem vociferationibus obstrepentem inferatur, silentium fieri. Eoque spectare nonnulli putant Ranam illam Mecœnatis celebratissimam, qua is literas & tabellas obsignare solitus erat, vtpote qui ea quæ literis crederet, silentio inuoluenda esse commoneret. Sedenim cùm Rana, non Rubeta, in omnium sermone, ego eò potiùs rem spectare dixerim, quasi Mecœnas id in Augusti gratiam factitarit, de quo etiamnum infantulo illud fertur, quòd in auito C suburbano obstrepentes fortè Ranas silere iusserit: cui quidem commento adeò fauit vetustas illa, vt ex eo negentur ibi Ranæ coaxare, quasi etiam adhuc tanti Principis imperio obsequantur. Voluisse igitur Mecœnatem hieroglyphico eo schemate taciturnitatem polliceri, in iis quæ Augustus eius fidei credidisset, non secus ac Ranæ ipsæ morosa adeò garrulitate insignes, illi adhuc infantulo paruêre. Nam Sextus Aurelius & Eutropius scribunt Mecœnatem præcipuum amicorum Augusto fuisse, ob taciturnitatem, quam tamen in eo nonnunquam desideratam ab Augusto Tranquillus ait. De Ranis id fertur, quòd in frigidiores coniectæ fontes obmutescant, translatæ in tepidiorem paludem vocales fiant.

RVSTICITAS.

Maffeorum nummus.

QVÆ verò Rana in paruulo numo quodam Romæ apud Maffæos habetur, cùm ab altera nummi illius facie Dianæ pharetratæ simulacrum dubio procul inspiciamus, facilè in eam coniecturam ferimur, vt fabulam eam commonstret qua rustici & maligni homines aduersus eius matrem Latonam vsi sunt, atque ideò diuæ illius imprecationibus omnes in Ranas commutati. Vel cùm dea sit humoris domina, animal illi maximè omnium aquaticum dedicetur: nam & adagium est, *Aquam Ranæ*, cùm quid cuiquã quod maximè placeat, & voluptati sit, donatur. Sunt verò Ranæ conuitiatrices, & agrestem illam asperitatem egregiè præ se ferunt, tamque olim importunæ, vt inito cum muribus fœdere, Abderitarum regionem incolis inde expulsis desolarint: in quorum ingentem multitudinem, quæ cladem huiusmodi fugiebat, Cassander Antipatri cùm incidisset, eos in socios recepit, agrumque illis in Macedoniæ finibus assignauit.

PIERIVS

PIERIVS VALERIANVS
AD PAVLVM IOVIVM NVCERINORVM EPISCOPVM, DE IIS QVÆ PER ALIQVOT PISCIVM GENERA SIGNIFICANTVR, *EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.*
LIBER XXX.

ERAM omninò commentarium hoc de piscículorum aliquot significationibus, Paule Ioui doctíssime, deserturus, quòd multa in ea piscium genera continebantur, ex quibus neminem ætate nostra frugem vllam colligere posse suspicabar, ita quæ fuerant olim piscium nomina, vulgò hodie desiderantur. Metuebam verò labores in horum significationibus meos minimè gratos ideò futuros, quia in nonnullis non satis mihi constabat, qua ratione vel exemplo possent eorum imagines describi, quarum bona pars esset mortalibus ignota. Naturas quidem & significata prout apud veteres authores inueneram, facilè poteram explicare, sed quorundam nomina tam Græca quàm Latina, non videbar ita posse reddere, vt in foro cetario quis posset huius vel illius piscis speciem deprehendere. Quòd si ea de causa hieroglyphica hæc conscripta sunt, vt eorum quis vti posset imaginibus, irritus hic plerumque futurus conatus videbatur, quoniam hoc præstare me posse minimè confidebam. Videbam ad hæc multos qui prouinciam hanc suscepissent, in tam multis hallucinari falliq, eamq, controuersiam de plerisque piscibus tot ab hinc annis agitatam, eruditorum penè omnium defatigatis ingeniis, adhuc sub E *iudice pendère, neque liquere prorsus, per varias non incuriosorum hominum opiniones, eorum multa quæ vel quotidie in mensam apponuntur, quo fuerint apud Latinos aut Græcos nomine nuncupata. Postea verò quàm eam te suscepisse prouinciam intellexi, vt multa piscium genera, quo nomine apud veteres vocarentur, edoceres, in eam sum erectus spem, vt tu, qua insignis es doctrina, solicitudine atque diligentia, neque non alij in tanta ætatis nostræ eruditione, quanta non aliàs vnquam millesimo ab hinc anno floruit, facilè consequamini, vt vniuscuiusque piscis nomen ex vulgo redimere possimus, & obliteratam penè huiusce rei scientiã per vos restitutam intueamur. Quare quod perdere destinaueram commentarium adseruaui, te vno fretus, qui bonam eorum partem tam accuratè cæperis indicare, idq, tibi dedicandum duxi, vt si quid in eo esset, quo quis vti vellet, te potiùs quàm me piscium magistrum agnosceret, & qua quisque pictura faciendus esset edoceretur, atque ita laboris huius particeps fieres, dum piscem ego interiorem, tu exteriorem condire procurares. Sed iam, si quid ab historiarum, quas tanto cum lepôre, tanta cum fide scribis, occupationibus otij tibi superest, nassam hanc nostram inspiciamus.*

DE TORPEDINE.

NAXIMAM omnibus admirationem in primis afferre videtur magica propemodùm vis in Torpedine considerata, sed nos ea super quid Ægyptij senserint, enarremus.

MVLTORVM ASSERTOR.

EVM qui multos seruasset, Ægyptij sacerdotes per Torpedinẽ pictam significari instituerant, siue quòd opem ferat piscículis natandi & emergendi adhuc imperitis, eos ad se recipiẽs, quod præcipuè obseruatum est in fœtu proprio, quem & emittit, & intra se recipit, visaq; interdum Torpedo est grandis, quæ fœtus intra se octoginta haberet; siue, vt ipsi Ægyptij tradidêre, quòd vna cũ piscibus aliis in verriculo deprehensa, omnes plerumque sospitet, cùm ne vis quidẽ hominum F innumera possit verriculũ educere, manibus & pedibus penitus obtorpescentibus, quia venenum quod effundit, per retia dilapsum in funes omnes quãtumuis longos ad manus vsque piscantiũ irrepit, & vniuersum mox occupat corpus. Quin authores sunt qui pro cõperto tradant, Torpedinẽ hamo captam malum illud suũ in lineam transmittere, inde per arundinẽ, moxq; in piscatoris brachiũ diffundi, quo protinus obstupefacto, venatio in irritũ cedat. Si quãdo tamen piscibus aliis obuolutę cõtrahuntur è mari, torporẽ experti sunt multi quamprimùm piscẽ virga tãgere voluerint. quare in Anconitano mari maximè cauẽt ne rete in altum iaciant, piscatoribus ea incõmoda sæpe subeuntibus. Quæ quidẽ vis torporẽ infundendi, cùm non in appropinquantiũ tantùm corpora, cominúsve eam attingentiũ, verũ è longinquo, vel si hasta, vel arũdine tentetur, lacertos quãtumlibet validos cogat obtorpescere, pedes ad cursum velocissimos alliget, & obstupefaciat, argumentum dedit vt hominẽ ignauia egregiè præditũ, per hieroglyphicũ eius indicari cõmodissimè posse pleriq; dicerẽt. quodq; magis mirum est, pisces etiam quos attigerit, eodem torpore afficit, idq; nõ in pisces tantũ, sed in vnumquodque animal præstare affirmat Plato, ita de Torpedine in Menone loquens: ἡ γὰρ αὐτὴ ἀεὶ πλησιάζουσα καὶ ἁπτόμενον ναρκᾶν ποιεῖ. Vehemens enim virus illud insuperabili frigore præditũ, vbi duriorẽ aliquam materiã nactum fuerit, quippe vel vimen, vel funem, illi pertinaciùs & copiosius adhæresc it, circumfusumq; aëra faciliùs contaminat, atque ita perrepit, non secus ac flamma ipsa per incensum filum vehementiùs transmeat, quàm si cum torre iactetur. Sic & aqua fluuialis capite vno in eam declinato sensum ascendit, & totum denique madefacit. quod tamen in crassiori elemento sensim atque contanter fit, in aërio quam ocyssimè fieri contingit.

Torpedinis virus quãtum.

DE

A

DE REMORA.

ADMIRABILIS est & Echeneis, qua nonnulli, vt indicat Aristoteles, vtuntur ad iudiciorum causas & amatoria veneficia, & quæ non vt Testudinis pes nauigiis importatus tarditatem nauigationis inferre dicitur, sed naues ipsas attactu solo sistere, ac veluti anchora infrænare; vnde moræ alicuius iniectæ nascitur hieroglyphicum.

IMPEDIMENTVM.

NAM ea de causa impedimentum & obiectam tardationem per eam significari prodiderunt, quòd piscículus is, non maioris ferè quàm pedalis magnitudinis, Limacis magnæ similis, nauigia stare cogat, nullo suo labore, non retinendo, neque alio modo quàm adhærendo: infrà enim carinæ applicitus pinnis, quas etiam tenues admodùm habet, in transuersum dilatatis, tanti roboris est, vt ruant venti licèt, diceret Plinius, & sæuiant procellæ, imperet furori, ac vires tantas compescat, quosque non vlla interdum vincula, non anchoræ pondere irreuocabili factæ præstare queant, quantumlibet magnos ipse paruulus adeò infrænet impetus, & mundi rabiem domet. Echeneidi nomen à tenendis nauibus inditum, vnde etiam Epigrammatarij quidam veteres anchoram Echeneida vocitarunt, Latini Remoram dixerunt. Huius habita impedimenti ratione Plautus ait: *Nam quid illæ me tam diutiùs remorantur remeligenes?* eo enim nomine Remoram appellat. Locum citat Festus ex Patina, Comœdia.

Remoræ piscículi vis.

SALVS.

B MVTIANVS Muricem appellat, qui nauem à Periandro Gnidum missam cum mãdatis, vt pueri nobiles castrarentur, tamdiu in medio mari retardarit, donec principem sceleris pœnituisset, ac alia quæ decretum abrogarent mandata præueniss ent; remque eo probari testimonio, quòd eius piscis conchulę Veneri Gnidię dicatæ, facti memoriam diutissimè propagarint.



PARIVNDI FACILITAS.

SVNT qui ex pisciculo hoc pariundi facilitatem significari dicant, quòd exemptus aquis, saleq; duratus, in eum vsum asseruetur, vt grauidis alligatus partus facilitate iuuet, vnde ὠδινολύουσα, quasi ὠδῖνον λύουσα eum appellauêre Græci. Non abs re verò me facturum existimo, si calumniam obiectam Plinio, quòd Aristotelem arguerit imperitiæ, sustulero, simulq; præstantes hos authores, quos librariorum imperitia commisit, conciliauero. Locus est apud Plinium de Remora: *Pedes eum habere arbitratur Aristoteles, ita posita pinnarum similitudine.* Sedenim apud Aristotelem, vnde locus hic de historia animalium lib. 2. cap. 14. desumptus est, non ita habetur, quin eorum is errorem arguit, qui pedes eum habere prodiderunt, quibus omninò caret, sed quoniam pinnas habet pedibus similes, hinc fit vt pedibus instare videatur. Sed cur non ipsa Aristotelis verba ponamus? ἔχει δ' ἰχθύδιον τι τῶν πετραίων ὃ καλοῦσί τινες ἐχενηίδα. Paulò autem infrà: ἕτον δ' ἔνιοί φασιν ἔχειν πόδας, οὐκ ἔχον, ἀλλὰ φαίνεται διὰ τὸ τὰς πτέρυγας ὁμοίας ἔχειν ποσί. Sed quoniam impium propemodùm esset credere Plinium Aristotelis verba ad verbum penè transferentem, quod præ omnium oculis erat, inficiatum C esse, aut authorem immeritò vellicasse, crediderim ego dictionem Aristotelis subdititiam & adulterinam esse; fuisse tamen in alicuius codicis margine notatam à quopiam, qui Pliniana verba Aristotelisq; eadem agnoscebat, vt ita lectores admoneret, Plinium ex Aristotele illa decerpsisse; postea verò librariorum imperitia intertextam eam locutionem, vt pleraque id genus alia toto opere deprehenduntur. Legamus igitur cum Aristotele Plinium conciliantes: *Pedes eum habere nonnulli arbitrantur, cùm minimè habeat, sed ita videri propter pinnas, quæ sunt pedibus similes.* cui sententiæ meæ, spero, vnumquemque peritum virum procliuiter accessurum.

Conciliatio Plinij cum Aristotele.

DE ANTHIA.

RLVTARCHVS eo libello quo disserit, vtrùm aquatica an terrestria animalia magis prudentia præstent, quem piscem Homerus ἱερὸν, id est, Sacrum appellauit, Anthiam esse videtur opinari. Eustathius tamen ἱερὸν, magnum interpretatur, vt ἱερὸν μῦν, & ἱερὸν ὄπιλιον, cui Athenæus etiam accedit. Alij ἄφετον ἢ ἴεμμον, hoc est, emeritum exponunt, veluti Sacrum Bouem dicimus, qui sit à iugo in posterum dimissus. Cæterùm Homerus eo versu qui legitur Ιλ. π.

ὡς ὅτε τις φώς
Πέτρῃ ἐπὶ προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθὺν
Ἐκ πόντου θύραζε λίνῳ καὶ ὀίνοπι χαλκῷ.
In procurrente vt quispiam
Caute sedens salso sacrum de gurgite piscem
Extrahit æratis hamis, linóque prehensum:

Anthiæ varianomina, & forma.

sacrum ideò piscẽ appellasse videtur, q maritima omnia fuerint antiquitùs sacra, & piscari religio- D sum esset; veluti Vlyssis socij nõ nisi magna fame coacti ad piscationẽ cõfugiũt: ita enim Homerus:

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ νηὸς γ᾽ ἐξέφθιτο πάντα
Καὶ δὴ ἄρμενα ἐφέπεσον ἀλητεύοντες ἀνάγκη
Ἰχθῦς ὀρνιθάς τε φίλας, ὅ,τι χείρας ἵκοιτο
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε δ᾽ μαστέα λιμός.

Sed postquam in ratibus penus est exhausta, marino
Quærere venatu victum coguntur iniquum.
Piscésque, volucrésque, manus quò intendere possent
Incuruis captant hamis, vis namque adigebat
Imperiosa fames.

Huc & Theocritum citant Berenice, Leucum piscem appellasse Sacrum. Eratosthenes putat Chrysophrin potiùs Sacrum appellari, & hoc aiunt sentire Galatea Callimachum. Theocritianus piscator aureum, quem cepisse somniauerat, piscem Neptuno charissimum esse religiosissimè veretur. Sed multi Elopem, nõnulli Pompilum dicunt. Et Delphinum etiam Sacrũm volunt. Plinius Planos omnes sacros existimari autumat. Vtcunque tamen authores aliis atque aliis faueant, bona eorum pars in Anthiam consentiunt, rarum inuẽtu piscem, frequentiorem tamen circa Pamphiliam, de quo habita raritatis ratione dixerit Martialis Epigrammatarius:

Ad palatinas acipensera mittite mensas,
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Quem sanè inter selectiores cibos ponit M. Tullius Tusculanis, neque non libro *De finibus bonorum & malorum.* Neque sum nescius, qui reperitur in Arethusa fonte, alium forma esse, & alia de causa E sacrum. Cur verò tam multa super Anthia quæsierimus, ea fuit causa, quòd hieroglyphicum eius significatum posituri, noluimus quempiam à nobis contendere, piscis eius formam & nomen nostro seculo cognitas, cùm omnis anteacti temporis curiositas in re perueſtiganda defessa, nihil adhuc certi protulerit.

SECVRITAS PERICVLIS LIBERA.

ID autem nostri fuerit instituti, dicere quemadmodum per Anthiæ piscis figuram securitas à periculorum omnium timore libera proponitur. Hieroglyphici causam afferunt, quòd quo is in loco sit, nullam ibi belluam reperiri confessum est: eum siquidem non aliter vitant belluæ, quàm Suem Elephanti, Gallum Leones; quo iam indicio securi spongiatores vrinantur. Quod verò diximus Planos omnes Plinio sacros esse, certissimam ait ille securitatem vidisse Planos pisces, quia nunquam sint vbi maleficæ bestiæ, qua de causa vrinantes Sacros eos appellant.

SECVRITAS OTIOSA.

QVONIAM verò perdifficile est certam piscis huiusmodi formam adinuenire, cùm ætate nostra vel ignotus mutato nomine inter alios obrepat, vel indignatus alios sibi præferri sponte solum verterit, neque maria nostra inuisere ampliùs dignetur: non abs re me facturum existimaui, si quandoquidem in securitatis hieroglyphicũ incidimus, neque satis de pisce constat, alias quasdam eius species, quæ vsui cuipiam fortè futuræ sint, ex numis veterũ substituissem. In numo enim *Neronis munus.* Neronis dea est sella sedens, dextera manu ad aurem appressa, sinistra trophęum in virgula tenens, crure sinistro, quàm longum est, exporrecto, cuius inscriptio est, SECVRITAS. Et quantum pertinet ad dexteram eo modo sitam, Plinius Epistola quadam ad Romanum ait: *Nihil quod in dexteram aurem fiducia mei dormias.* Quod verò ad exporrectum crus pertinet, Lucianus libello *De iis qui salario* F *conducti degunt: Vt illud quod in votis omniũ est, extensis pedibus tandem accubare possis.* Tale quiddam apud Aristophanem, Pluto. In altero Neronis eiusdem dea sedens, ara antè posita, radium læua tenet, dextera caput ab occipitio sustentat. de quo gestu Terentius, *Faciam in vtramuis aurem otiosus vt dormias.* Basilius & Menander id de otioso dici volunt, turpiq; qui sit desidiæ deditus. Inscriptio verò *M. Iul. Philippi.* numi, SECVRITAS, vt in superiori. In numo verò Imp. M. Iul. Philippi Aug. dea sedet, dexteraq; sagittam tenet, lævâ supra caput tollit innixam sellæ. Hieroglyphici inscriptio, SECVRIT. ORBIS. *Antonini Pij.* In numo Antonini Pij Aug. Brit. dea sedens cum radio in læua, dextera capiti & sellæ innititur. *Lucillæ Augustæ.* Inscriptio, SECVRITATI PERPETVÆ. In numo Lucillæ Augustæ nutrix est sedens, tribus infantibus appositis, quorũ vnus lactens in gremio est, duo ante pedes vnà colludunt; inscriptio, SECVRITAS. In numo, circa quem literæ, IMP. M. OTHO CÆSAR AVG. TR. P. à læua dea stans, quæ lævâ scipionem tenet, dexterâ aquilam; literæ, SECVRITAS P. R. Sedenim partim hæc in Sellæ commentario, atque vbi de Aquila saxum gestante disseruimus, neque nõ in Anchora, repetuntur.

DE CEPHALO.

IEIVNVS.

SVNT qui ieiunum hominem ostendere volentes, Cephalum ex Mugilum genere translittoranum pingant: is enim non nisi mucore vescitur suo, quamobrem ipse semper ieiunus, atq; hinc illa intestini ganeæ adeò expetita suauitas. κεφαλὸς à Græcis appellatur, à nõnullis Plo

A Plotes. Atque insuper adagium circumfertur, *κεφαλὸς κεφαλοῦς*, de ieiunis. Tantiq; stuporis is esse fertur, vt in metu occultato capite, delitescere corpus reliquum arbitretur, eoq; nonnulli non illepidè prouerbium trahunt. *Adagium.*

VITANDI PERICVLI SOLERTIA.

PER eundem Ceſtrea qui modò stuporem præ se ferebat, vitandi periculi solertiam significari comperio: siquidem is, vt luculentissimè scripsit Oppianus, cùm se retibus circumuentum senserit, in sublime sese alacri iaculatur saltu, totoq; virium conatu in summam vndam affectat emicare, ac plerumque accidit vt subera transiliat, quibus retia suspendantur, atque ita capturam euadat. Secus tamen accidit in stagnis Venetis: noctu enim eos potissimùm capiunt, incensa igne fornacula, quam in cymbulæ prora statuunt. Eã duæ, vel interdum plures cymbæ à dextera lævaq; adhærentes, leui tacitoq; lapsu comitantur. Cephali tum siue metu perculsi vibrantibus in aquarum ima radiis, siue candicanti eo splendore allecti (nam cura est vt illustris admodùm flamma succendatur) pernici saltu Delphinorum in morem extra vndas sese quàm flamma micat eiaculantur, atque ita sponte in paratas ad id cymbas decidunt, captura ingenti ad satietatem plerumque exuperante, spectaculo autem maximè delectabili. *Quomodo capiuntur Cephali in stagnis Veneris.*

DE SCARO.

PRVDENS CAPTIVITATIS DECLINATOR.

B AT magna est prudentia Scarus, per quem callidum captiuitatis declinatorem significari tradũt. Is enim, inquit Ouidius eo volumine quod Halieuticon inscribitur, quod opus olim à Nigidio elucubratum aiunt, si nassis inclusus fuerit, non fronte erumpit, nec infestis viminibus caput inserit. Apud Ælianum legas, eum simulac caudam extra nassam protulerit, à sociis mordicùs apprensa cauda foras extrahi; si verò protulerit caput, adesse qui cauda sua porrecta ansam effugiendi præbeat.

INGLVVIOSVS.

HOMINEM voracem & ingluuiosum, lamia quippe laborantem ait Horus, per Scarum pictum intelligebant, tam quia solus in genere ruminet, quàm etiam, quia obuios quosque pisciculos depascitur. Aristoteles quoque solum hunc inter pisces quadrupedum ritu ruminare creditum autumat, diuersaq; omninò ab alij specie ventris esse, cuius intestinum simplex etiam se replicat, & in vnum continuumq; resoluitur. Assimilatur is Auratis specie squamarum, sed colore atque sapore præstat, vt qui Sapphiri gemmæ radiolos imitetur, tantæ apud veteres existimationis, vt Ennius eum Iouis cerebrum appellarit. Eum autem ideò ruminare aiunt, quòd dentes neque serratos, neque vtrimque consertos habeat, sed altera tantùm oris parte planos. Nam & animalia reliqua quæ ruminant, parte altera dentium carent: prouisumque à natura, vt quod malè mansum est, ea repetitione conteratur, atque ita confici possit. *Scarus cur ruminet.*

DE MVLLO.

DIANA LVCINA.

C ET Diana illa syluicultrix marino culta simulacro est: nam ea per Mullum piscem, quæ Græcis omninò Trigla est, exprimebatur, alienissimo, vt multis videtur, hieroglyphico. Causam ponit Eustathius, quòd piscis huiusmodi ter, vt Poëta Cilix ait, anno pariat. Dianam verò leuandis partubus inuocari, Lucinæ nomẽ indicat: ea siquidem, vt apud Catullum, Lucina dolentibus, Iuno dicta puerperis. Meritò itaque cui sit ter anno soluendi partus facultas data, Dianæ gratum, & cumprimis familiare animal existimatur. Nam quod tria sint virginis ora Dianæ, quid sibi velit, alibi declaratum. Athenæus Triglam Dianæ dicari propter venationem putat: illæ enim marinos lepores hominibus lethales, perinde ac terrestres hos venatici Canes insectantur, neque ab eorum viru mali quicquam patiuntur, vel ob impediendæ Veneris vim, quam ferunt inesse vino, in quo suffocata fuerit, quod Therpsicles apud Athenæum ait epotum viro Veneris vsum adimere, mulieri concipiendi facultatem inuidere.

DE SARGO.

ALIENI LABORIS FRVCTVS.

HOMINEM ex aliorum laboribus sibi fructum & gloriam vsurpantem, & alienam, vt ita dicam, messem demetentem, significare qui volunt, Sargum & Mullum pingunt: sequitur enim Sargi reliquias Mullus, atque vbi ille luto excitato abierit: fodere enim potest, Mullus descendit; & pascitur. Nascitur Sargus in Ægyptio mari ferè, vnde Lucilius;

Quem præclarus Elops, quem Aegypto Sargus mouebit.

Sedenim Brunduſinum maximè commendat Ennius;

DE PASTINACA.
PARRICIDÆ SVPPLICIVM.

EVM qui parricidij pœnas dederit, significare si vellent Aegyptij, piscatorium hamum Pastinacam piscem attrahentem pingebant: ea siquidem venatu detenta, spinâ quam in cauda gestat, in raptorem eiaculatur, ictu maximè lethali, nisi coagulo Leporis vel Hœdi vel Agni drachmæ pondere ex vino succurratur, quod & huiusmodi, & aliorum marinorum ictibus præsentaneo est remedio. Hoc verò κατὰ παράφρασιν dictum ea de causa opportunum fuerit, quòd cuiuscumque incommodi remedia, passa sunt, vt vulgus ait, palma vbiq; proferenda. Est verò Pastinaca, quem Græci πετρόνα vocant. Eam aculeo vim inesse tradit Aelianus, vt si quis eo frondentem arborem pupugerit, haud ita multò pòst folia omnia decidant, arborq; veluti magnis solis ardoribus exsiccata prorsus exarescat.

DE NEBRIADE.
VORACITAS INSATIABILIS.

HOMINEM cibum immodicè sumptum euomentē, ac nihilo secius insatiabiliter mox crapulantem significaturi, marinam Mustelam pingebant, quæ Nebrias est nonnullis: ea enim ore, vt Aegyptius interpres Horus ait, parit, innatánsque mox quæ pepererat conuenatur, atque depascitur. Sepias itidem ac lolligines ore părere sunt qui velint, id redarguit Aristoteles, partus foueri ore dicens, & emitti, propterea q; putari eas ore părere.

DE FVCA.
REI DOMESTICÆ STVDIOSVS.

DOMESTICÆ rei studiosum hominem qui significarent, Fucam piscículum, his similem quas vulgò Tincas appellamus, sed colore subuiridi, pingebant: ea enim sola ex marinis piscibus nidum sibi construit, & in stragula parit.

DE RAIA.
CAPTATOR.

Raiæ in piscando industria.

CAPTATOREM hominem notare si vellent, Raiam pingebant: gestat enim illa ante oculos suos gemina fila, in capilli speciem, extrema quorum rotundis quibusdam prælantur quasi escæ causa additis; his ea, vbi locis arenosis aut fæculētis obturbato solo se absconderit, piscatur, attollens fila illa sibi prependentia. Dum enim pisciculi occurrunt, & capita machinamenti pensilis pulsant, ipsa sensim fila subducens eos allicit, donec ad os admoueat, atque ita repentè corripiat. Sepia quoque hoc eodem vtitur machinamēto, in Cancris alliciendis, quorum auidissima est.

DE SCOLOPENDRA.
ANIMVS A VITIIS DEPVRGATVS.

HOMINEM qui animum suum à vitiis affectibúsve cruciabilibus depurget, quæq; sedant, eximat & expellat, significare si vellent, Scolopendram effigiabant: eam nonnulli Centipedam vocant. Ea autem vbi hamo deprehensa fuerit, quamlongissimè potest sese exporrigens, hami lineam abrodit, quo deuorato, interiora sua foras euomit, donec hamum eiiciat, dein recipit intrò ac valet ea qua priùs salubritate.

DE PHOLI.
PARTO FRVENS.

HOMINEM iis quæ sudore proprio cōpararit fruentem indicaturi, Pholim piscem pingebant. Ea enim mucorem quem ipsa emittit ad altam crassitiem sibi obducit, vt tota visco delibuta videatur, ita vt in eo quasi cubili conquiescat, vnde illi nomen: φολεύειν enim nidificare est. Videndum verò, an hæc sit Ausoniana Tinca ita passim hodie nuncupata, quam natura ipsa videtur in vulgi pauperísque plebeculæ solatium protulisse.

DE SQVATINA.
FABER LIGNARIVS.

Serra ex Squatina.

EST Squatina meruit inter huiusmodi significata recensèri, per quam fabrum lignarium intelligi volebant. Est enim piscis tam asperæ, scabræq; ac validæ cutis, vt ebur ea, neq; non ligna quantumlibet dura, poliantur. Nam ex mari fabriles quoque vsus veniunt, vt omittamus fabrilia instrumenta omnia in huius piscis cápite deprehensa. Quin & serram conficere didicimus ex huius piscis osse ita crebrò mucronato, qualis longa annorum serie suspensa fuit tholo ante DD. Petri & Pauli conditorium, priusquàm à Iulio II. illa venerandæ antiquita

A antiquitatis monumenta solo æquarentur, iactis mox tam ingentis machinæ fundamentis, quam neque nati natorum, nec qui nascentur ab ipsis, vllo vnquam tempore conspecturi sunt.

DE CLVPEA.
LVNARE CORPVS.

Descriptio Clupeæ, & nomina.

IN Arati Galliæ fluuio piscis est quem vocant Clupeam, Veneti Chieppam, Romani Lacciam. Sed quantum Romæ carnis & mollitudine & bonitate præstat, tantum apud Venetos vilior, plebeiusq; habetur, vt qui in eiusmodi stagnis minimè pinguescat, spinarum verò multitudine atque densitate fastidio sit. Sed vtcumque apud nos sit, in eo Galliæ fluuio ita Lunæ naturam imitatur, vt ea crescente candescat, decrescente verò nigrescat. Accidit verò ei, vt cùm corpus nimium auctum fuerit, spinæ quoque, quæ per vniuersam carnem continuatis quibusdam ordinibus porriguntur, & ipsæ quoque adcrescant, adeoq; extendantur, vt animal id interimāt, quod in mirabilibus Italicis tradit Heliodorus. Qui quidem piscis si Ægyptiis innotuisset, nimirum Lunæ eum hieroglyphicum posuissent. Aiunt etiam in eius capite lapidem grano salis similem, qui faciat ad quartanas.

DE APVA.

B ÆST piscículorum genus quod ex sola pluuia procreatur, Apuam Latini vocant, aspiratione Græci vocabuli repudiata: ἀφύην enim illi ὠφελεῖ τὸ ὕειν eam dicunt. Ligustica Tyrrhenaq; omnis ora, cùm plurimùm, p, literam in ch, vertat, vulgò Anchuam vocitat, n, etiam litera ad incitatiorem primę syllabę sonum adiecta. Sunt qui has in halecularum genere connumerent.

FESTINANTIA.

Adagium.

ERAT is piscículus festinantiæ signum: nam vbi vel minimùm concaluerit, coctus est, vnde adagium, *Ad ignem Apua*, cùm quid celerrimè factum, vel ipso temporis momento significamus, de quo in Augusto apud Tranquillum. Et prouerbio dictum ἐπὶ τοῦ ἀφύα, quasi satis sit ad eius cocturam spectasse tantùm ignem. Hanc Veneri sacram ait Athenæus, quam Stilpon Philosophus Megarensis Neptuno cùm immolasset, promeruit vt ea ciuitas magno Apuarum prouentu fuerit à Deo locupletata.

DE HIRVDINE.

IRVDO quoque aquatile animal, cuius plurimus in medendo vsus, significata quædam hieroglyphica.

SANGVINARIVS.

CRVDELISSIMVM siquidem hominem, & humani cruoris auidissimum, per eam significari notius est, quàm adnotare oporteat. Et Cimeta apud Theocritum, Pharmaceutria, quam Poëta transtulit ex Euphorionis Mimis, non aliter ab amore sibi sanguinem exuctum lamentatur, quàm si limosa Hirudo corpori suo applicita fuisset:

C
Αἰ αἰ ἔρως ἀνιαρὲ τί μοὶ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκδέλλα φέπωνας.
Heu crudelis amor nostro saturate cruore,
Summæ affixa cuti velut hunc suxisset Hirudo.

INSATIABILITAS.

VERVM ea etiam insatiabilitatis est signum, quandoquidem ad suctum admota non priùs ab opere desistit, quàm tota sit supra modum sanguine tumefacta, quod ita expressit Horatius:

Non missura cutem nisi plena cruoris Hirudo.

DE LEPORE MARINO.
MINIMA DE CAVSA EXANIMATVS: VEL, DAMNA MVTVA.

QVI marinum Leporem pingunt humano tactū digito, mihi videntur significare voluisse, vel hominem minima de causa examinatum: quandoquidem ferūt eum qui non modò digito verùm etiam virga Leporem marinum attigerit, quamprimùm eum exanimascere, & nisi promptuarium sit remedium, etiam mori. Vel mutua damna ex eadem pictura libet interpretari: nā hieroglyphicum hoc apud veteres non inueni, quia humanus attactus Lepori etiam est exitialis, in Indico præsertim mari, vt à Licinio Macro traditum ait Plin. Ita nusquām non mollis Lepus. Nam & per Ruricolam, mollitiem quandam effœminatam intelligi suo loco diximus inter quadrupedes, tum ob timiditatem, tum ob pulpamenti copiam, quorū vtrumque fœminarum proprium, cùm audacia virilis omninò sit. Caro enim pars fœminea dicitur. Neq; postremi nominis Philosophi sunt, qui ossa à mare, carnem à fœmina procreari velint, & ad embryi coagmentationem vtriusque concurrere genituram. Facit præterea ad effœminationis significa-

tum,quòd Hippon Philosophus ex seminibus tenuibus magis fœminas,ex densioribus mares fieri D contendit: quod tamen eorũ dissertationi relinquimus, qui naturæ secreta altiùs rimantur. Nam cùm sint qui totam hanc fabricam ex mare constare dictitent,neque fœminam præter fomentum quicquam aliud conferre de suo: Anaxagoras tamen,Parmenides,Empedocles & Epicurus aliquid etiam ex parte matris ad generationem accedere asseruerunt, præcipuè verò Alcmæon; sed, vt Censorinus ait, is non definitè se scire confessus est, ratus neminem posse perspicere.

SPONGIA.

SED cur Spongiã prętereamus,quę & ipsa inter aquatica enumerantur animalia,vrpote quę refugiat ad tactum,seq; in angustum colligat? Vtcumq; verò,sua hæc habet hieroglyphica.

BIBACISSIMVS.

VVLGATISSIMVM enim est,naturæ bibacioris hominem per Spongiam significari,ea quę omnibus in promptu est causa,attactu solo tantum humoris exugendi. Quò accedit festiuum vulgi dicterium in Vespasianum iactari solitum,quod dictitabat eum procuratoribus pro Spongiis vti, quòd quasi siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Credebatur enim procuratorem rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria promouere, quò locupletiores mox condemnaret, atque ita ille eorum rapto frueretur. Quòd verò scriptores hîc *Siccos* pro *Pauperes* ponunt,cum Horatiana facit elocutione, vt in Epistolis:

Dictũ vulgi in Vespasianum.

Sin prodesse tuis paulò benigniùs ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad vnctum.

quippe, vt palàm est, pauper ad locupletem. E

ABOLITVS.

AB Augusti tempore receptum est, vt pro abolitione Spongia capiatur, ex quo ille Aiacem suum, quam tragœdiam penitùs aboleuerat, in Spongiam incubuisse respondit, ad ensem alludens, in quem Aiax sponte sua incubuerat.

MOLLITIES.

ALII mollitiem etiam per Spongiam significari voluerunt, de quo Plutarchus opusculo eo, quo docet, qua ratione internoscere adulatorem ab amico possimus, Comici, cuius non ponit nomen dictum citat, *εἰ μὴ ποιήσω σπογγιᾶς μαλακώτερον τὸ πρόσωπον, Nisi corpus spongia mollius reddidero,* de verberibus loquens,quibus eum cædendum interminabatur.

Comici dictum.

DE GLANI.

AGE RVM agè inter minutos hos proceriorem vnum aut alterum inferamus,vt ita pisciculorum,qui præmissi sunt,sordes emundentur.

PATERNA DILIGENTIA IN FILIIS EDVCANDIS.

PATERNAM in filiis educandis diligentiam, eamq; accuratissimam exprimere si vellent, piscem Glanim pingere instituerant. Oua enim is quæ fœmina destituerit,perseueranti custodia tutatur ad quadragesimum & quinquagesimum vsque diem, ab iis denique non abscedit, donec ita coalescat soboles,vt ab reliquorum piscium iniuria se tueri valeat. Tantumq; eius affectum esse ferunt, vt dum oua deserere minimè patitur, à piscatoribus ea trahentibus in vada facillimè capiatur, tam ardenti animo, tamq; pertinaci studio apud illa permanere contendit. Hæc Ælianus, F qui Glanim etiam Siluri speciem similitudinemq; habere dicit.

Glanis dili gẽtiam suis educandis.

DE SILVRO.

EST verò Silurus,vt veteres omnes authores tradunt bestia malefica,quæ,vt inquit Plin.& homines & Equos deuoret. Sed & Glanim Pausanias ait hominum esse deuoratorem. Nequaquam verò Sturio esse potest neque Glanis, neq; Silurus, cùm minimè fera esse possit Sturionis natura,tam molli delicatoq; ore prædita,quę siue ex porculetis in eam euadat magnitudinem,siue alterum sit genus,ἕτερον τῶν ὑῶν piscì nomen ὗς apud Athenęum.atque is inter grandiores. Idem verò author, & Porcos, & Siluros inter Nili pisces enumerat. Et Hispania omnis Sturionem Sulium vocat,literis transpositis,quasi velint Suilũ dicere,hoc est,Hycam. Sunt quidẽ in Danubio Siluri celebres,sed non minùs Hyca,qua de re aliquid dicit Hermolaus,sed hæc alij viderint.

DE THVNNO.

DE Thunno,cuius vsus tam recentis,quàm sale durati, frequentissimus per vniuersum terrarum orbem est,cùm nullo non in littore capiatur,nihil aliud inueni quod hieroglyphicis inseri posset,nisi vel strabonem vel limis oculis prospectantem,ex eo significari.

LIMI OCVLI.

LÆVO enim ille oculo plus cernit, vtroque hebete, quare Byzantij frequentissima est eorum captura, quo tempore transfretant, quia micantissimi lapidis, qui ab imo freti lucet, fulgore perculsi,

A perculsi, in sinum qui ab læua est, numerosissimo diffugiunt cœtu. Apud Aeschylum legas, sinistrum oculum intorquere Thynni more. Sed hoc pertinet ad prouerbia.

PIERIVS VALERIANVS
AD MAXIME REVERENDVM COSMAM GERIVM, DE IIS QVÆ PER PISCEM IN VNIVERSVM SIGNIFICANTVR, deque mari mox copiosè,
EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXXI.

SVPERIORI *anno cum te & amicos alios Patauij philosophantes inuisissem, deq; vestris & nostris studiis (si modò mea in vllo studiorum genere censeri possunt) multa contulissemus, quibus explicandis scripta ego nescio quæ mea vobis legenda proposuissem: animaduerti, Cosma studiosissime, pro tuo erga me amore, magna te affectum lætitia, quod eum quem sciebas per longa temporum interualla multis & inuisis occupationibus à literarum studiis auocatum, audentem tamen inspiceres de literis aliquid reminisci, proindeq; veluti Entellum aliquem, cui iam gelidus tardante senecta sanguis hebesceret, in certamen ac-*
B *cenderes & excitares, orare discedentem me cœpisti, vt istiusmodi generis scripta sæpius ad te legenda transmitterem. Ego tamen etsi te nostris nihil indigere existimabã, quem vniuscuiusque doctrina præceptis & institutis abundare oportere persuasum habebam, qui apud eruditissimum Romulum Amasæum tota educatus adolescentia, nunc Bonamicum, Lamprydium, & alios istic habeas, à quibus veluti ab oraculo, tuis omnibus satisfieri cogitionibus potest, neque me quicquam tam reconditum, tam rarum de Musarum arcanis afferre posse, quod illis & tibi, qui eos audis, non langè sit exploratius, quàm ego per interrupta totiens literarum studia potuerim obseruare, constitui tamen aliquid ad te mittere, quod meæ in te obseruantiæ signum & monumentum esset, idq; præcipuè delegi, quòd si non doctrina, certè ipsa rerum varietate delectare posset. Nam cùm piscium quasdam species ex hieroglyphicis decerptas, & tui & mei amici quidam accepissent, supererat adhuc de piscibus in vniuersum, quid veteres illi sacerdotes Aegyptij sensissent, dicere. Id commentarium adhuc à nemine occupatum veluti πλυγέτης ἴδος apud me diligentiùs asseruabatur, quod tibi dedicandum existimaui. Tu quidquid id fuerit, pro tua comitate hilariter suscipias velim. Videbis verò hîc quantæ fuerit abominationis apud Aegyptios Pisces, quem nos tanto mox honore prosecuti sumus, quantum inter mortales super eo sit vniuscuiusque ferè nationis iudicio variatum. Sed ne tam longa morer epistola, rem ipsam hinc auspicabimur.*

PROPHANVM.

PROPHANVM in primis atque abominabile per piscem apud Ægyptios sacerdotes significari proditum, quem & pollutũ aiebant, & à mensis suis amouebant, in eo scilicet piscium genus damnantes, quòd hi plurimùm alter alteri grassatur cibi causa, prætereà quòd nullius sit nutrimenti, tanquam facilè computrescat, vt cùm minimè asseruari possit, prouerbium in sordidos emanarit, *Piscis repositus*, & apud Plautum dicteriũ vulgatum, *Piscis nequam nisi recens.* Quin- *Prouerbia.*
C etiam constat Aethiopas illos qui sola piscium alimonia victitarunt, breuioris omninò vitæ quàm nos esse. Denique vt in Phædone est, apud Platonem, nihil nasci in mari Ioue dignum existimabant. Sanè Zoroaster vnà cum Magis, inter animalia, quæ bonis malisq; geniis obnoxia sint, discrimen posuêre, vt bonis dedicata opinentur, veluti Canes, & volatilia, & Testudines terrestres; malis verò, aquatica omnia, eumque beatum putant euasurum qui plura enecet.

DVÆ MORTALIVM CONDITIONES.

ILLVD ad hanc vsque diẽ à Iudæis magna religione seruari manifestũ, vt ex Mosaicæ legis præcepto piscem nõ attingant, nisi qui pinnatus sit, & squamosus; lubricos verò læuesq; omnes auersentur, id quod ita interpretatur Adamãtius, vt per aquas, mare vitæ huius intelligat, in cuius fluctibus mortales assiduè volutamur; in hoc mari nostro pisces, qui pinnulis iuuãtur, & squamis muniũtur, ad superiora facilè sustollũtur, & aëri huic viciniores fiũt, veluti qui libertatẽ spiritus quærant. Talis est ergo sanctioris vitæ vir quisque, qui intra retia fidei cõclusus, bonus piscis ab Assertore nostro nominatur, & in vas cõseruationis immittitur. Squamosi verò quorsum? per hos intelligit idem author homines qui parati sint vetera indumẽta deponere, nouumq; hominẽ induere, & vt Gregorius Nazianzenus diceret, συναναζέσαι. Latini Græcã secuti locutionem, *Encæniare* dixerunt, vt ita omni mentis duritia deposita, animum Deo tractabiliorem efferamus. Qui verò neque pinnas, neque squamas habent, ij in imis semper versantur vadis, & in cœno plurimùm volutãtur, veluti sunt Anguillæ, Rhõbi, & huiusmodi reliqua, quæ nequeũt ad aquæ summitatẽ ascendere, ad superiora quippe peruenire, atq; ij sunt qui luto, hoc est, turpitudini & vitiis inhæsitãtes, ad vitales auras superioremq; spiritum attolli nequeũt: adeò carne turgidi & vndecunque oppleti cõfertiq; sunt, vt neq; deponere facilè quicquã possint, neq; se attollere, aut ab ea cui affixi sunt fæce subleD

Pinnatorũ & squamosorũ pisciũ hieroglyphica.

uare, hoc ita terrestrium affectu grauati, vt nullam cœlestium curam suscipiant, crapulæ tantùm, D libidinibus, cupiditatibusq; suis implicati; quibus quidem voraginibus hausti, simulatque cecidérint, nihil quicquam conantur emergere, sed ita recumbentes, in eodem quo hæserint luto volutari delectantur: eodem inuoluuntur cœno Philosophi qui naturæ tantùm principiis insistunt, ad naturæ verò ipsius authorem, cuius Spiritus super aquas fertur, nunquam attolluntur. Eodem implicantur Iurisconsulti, qui leges non iustitiæ studio, sed lucri tantùm cupiditate profitentur. Eodem volutantur sacerdotes, qui cæremonias ore tenus prosequuntur; quid verò per cæremonias intelligi fierive debeat, aspernantur. Quin etiam Oratores, neque nõ Poëtæ, qui facundiæ tantùm vbertatem, affluentissimosq; verborum fluctus, ingentemq; vocum strepitum, canorasq; nugas admirantur: quæ verò ad integræ vitæ institutionem faciunt, nihili pendunt, vnà cum superioribus in imo huiusmodi fundo, quippe vbi liuidissima maximeq; est profunda vorago, supini detinẽtur. Atque hoc est illud profanum, quod vetus illa pietas tantopere auersabatur. Gẽtes tamen aliquas inuenies (vt alienigenarum quoque instituta conquiramus) quibus pisces sacrificare mos fuerit, veluti Bœotij faciebant, qui selectiores quasdam Anguillas ex eo genere quæ Capaides appellantur, præcipuæ commendationis in Eubœa, Diis immolare consuerant. Passim verò piscatores Neptuno Thunnum, qui maximus esset, sacrificabant spe capturæ. Et Phaselitæ Luciæ populi salsamenta Cylabræ cuidam heroi offerebant, eius condituræ pisces ita puros arbitrati, vt deos etiam alios pisciculis huiusmodi sale conditis placari opinarentur. Sunt verò qui apud eos id ea de causa institutum scribant, quia regio illa ab origine prima salsamentis ex pisce factis empta fuerit.

PVRIFICATIO.

Contra eos qui mare profanũ esse existimant.

QVOD verò Ægyptij mare profanum arbitrabantur, alij longè secus existimarunt. Nam M. E Tullius vbi rationes de parricidæ pœna commemorat, oratione pro Sex. Roscio Amerino, ea potissimùm de causa insui reos culeo dicit, ne cùm in flumẽ abiecti delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Ad hæc Proclus tradit, sulfur & maris aquam ad purificationem adhiberi. Et Euripides Platonẽ secutus in Ægyptum, cùm morbo quodam implicitus, sacerdotũ suasu mari se expiasset, incolumitati redditus est; eaq; de causa versum hunc ille istius rei memor suis poëmatibus inseruit, Θάλασσα κλύσῃ πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. Aristophanes quoque tale aliquid attigit, cùm dixit, πρῶτον μὲν αὐτὸν ὅστις θάλασσαν ἤγαγεν, ἔπειτ' ἐλεμβῶν. Neque ritum ignorauit huiusmodi Catullus, vbi ita canit:

Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit ô Gelli quantum non vltima Thetis,
Nec genitor Nympharum abluat Oceanus.

Neque temerè Clemens inducit Petrum, antequàm cibum sumeret Tripoli lauisse in mari, alibiq; libenter eum in eodem lauare. Et apud Homerum Telemachus Palladi supplicaturus, in æquore manus lauit, quæ quidem purificatio omnium gentium consensu de mari sumpta, baptismum ab omnibus præuisum nationibus indicat, quæ sola vera est purificatio. Diuinæ enim literæ per mare vnitatis numero baptismum intelligunt, vt Theologi docuerunt. Nam & Michæas Propheta Mare baptismum appellasse visus, cùm dixit: *Tu peccata nostra in profundum mare demerges.* Mare verò lauacrum huiusmodi ea de causa nuncupatur, vt sentit Euthymius, quòd animarum sordes, quæ illic eluuntur, recipit: & quia purgat, omnia autem quantumlibet lutulenta flumina inuehuntur in mare, lateq; ab eo admittuntur, sed tamen nihil intra se continet sordidi, fæcesq; omnes ad littora, sed F eas perpurgatas, continua reiicit alluuione.

DAMNVM ET VTILITAS.

Triton biformis quare.

AIVNT verò qui sacerdotum Ægyptiorum commẽta curiosiùs sectantur, Tritonem ideò biformem pingi solitum, superiori quidem parte hominem, inferiori verò piscem, vt ex humore nos & vtilitatem & damnum consequi moneremur, cùm illi ex humana natura bonum atque proficuum, ex pisce non nisi perniciem interpretarentur. Sedenim de Tritone alibi. Quamuis autẽ apud Ægyptios perniciem piscis significaret, in ostentis tamen boni ominis habitus est nonnunquam, vt qui Augusto pridie quàm Siciliensem pugnam classe cõmitteret, in littore deambulanti exiliit è mari, & ad pedes procubuit, quasi nuncius Neptuni, amicitiam eius sibi conciliantis, tanta fuit eorum hominum in quos colebant deos vanitas & impudentia.

SILENTIVM.

Prouerbiũ.

SVNT verò qui Pythagoræ præceptum, quo edixit ipse ἰχθύων μὴ γεύεσθαι, propter ἐχεμυθίαν quam religiosè adeò præcipere cõsuerat, factum putant: pisciũ enim taciturnitate nihil est quietius, prouerbio inde desumpto, *Pisce taciturnior*; quapropter visi fuerint pisces Pythagoræ quodammodò contubernales. Et Lucianus Alcyone, ἄφωνα δὲ δὴ τάγε καθ' ὕδατος διατρύφα, muta, quæ aquam incolunt. Ita Lucretius *Mutas* eos *natantes* appellauit. Ex piscibus autem, vno excepto Boca, cui à boando, id est, vocem emittendo nomen inditum, reliqui omnes dubio procul taciturni sunt. Et quamuis, vt apud Aelianũ est, quidam, vt lacerta, chromis, aper, grunnire videãtur, sibilare chalcis, & cuculum imitari coccyx: tenuia tamen ita sunt ea vocis indicia, vt inter vocales recenseri minimè mereantur. Nisi verum illud est, quod Pausanias Arcadiæ fluuium memorat, in quo pisces nascantur,

A scantur, quos Pœcilias vocant, qui turdorum auium voces edant, quodq; similes in Aorno fluuio Philostephanus Cyrenæus memorat, quosque vocales in Clitore fluuio ponit Mnaseas Patrensis. Taciturnitatis verò huiusmodi quæ sit in piscibus, ita Flaccus meminit:

O mutis quoque piscibus
Donatura Cygni si libeat sonum.

Quàm appositè autem & Claudianus silentiũ hoc piscibus attribuit, dum Rhadamanthum ait loquacissimos viros, & qui ausi sunt arcana prodere, in pisces indui apud inferos iubere his versibus:

Qui iusto plus esse loquax, arcanaq; sueuit
Prodere, piscosas fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.

Atqui Piscibus orientibus genitos, dicacissimos futuros ait Manilius quarto:

Néve sit vt primos animo præcedere pisces,
Garrulitas odiosa datur linguaq; venenum,
Verba maligna nouas missantis semper ad aures,
Crimina per populum populi fere ore bilingui.

Sed vt ad Pythagoram redeamus, Plutarchus in Sylla, eum ait vesci solitum iis; quæ diis immolata fuissent, cùm verò piscium nullus ad sacrificium idoneus haberetur, ea quam profitebatur religione ab eis abstinendum censuisse. Sed quantum pertinet ad sacrificium, non constare id multis documus exemplis. Idem Pythagoras mare Saturni lacrymas esse dictitat, quasi velleret ex hoc eius impuritatem innuere.

B

HVMANÆ VITÆ CONDITIO.

AEGYPTII sacerdotes igitur, vti propositũ est, mare Pernicièm vocabant, ea præsertim de causa, quòd cùm totius alimenti sui beneficia ex Nilo consequerentur, corrumpi eum simulac mari commiscebatur animaduertebant, atque ita mare dicebãt quod in humano genere vitale est vitiare. Vt verò scripturæ hieroglyphicę speciem aliquam oculis subiiciamus, in Sai pro vestibulo templi, quòd Palladi dedicatum erat huiusmodi visebatur argumentum. Infans, senex, accipiter inde, mox pisces, postremoq; omnium fluuialis Equus, quod humanę fragilitatis conditionem indicat à pueritia vergẽtis in senium, ac iterum repuerascẽntis; accipiter verò Deum, ac perinde amorem, quodque in nobis diuinum est, ac vitam ipsam vitalem ostendebat. Pisces, odium simul atque mortem, propter mare, quod Exitium atque Perniciem appellitabant. Equus verò fluuialis impudentem violentiam notabat, vt qui nec patri quidem parcat suo, verùm eum interficit, vt matris ipse connubio potiatur. atque ita propemodùm concors ea discordia, quæ corporum temperaturam constituit, cùm dissidere penitùs cœperit, atque vnum in alterum violentiùs grassari, mors inde sequatur necesse est. Fluuialis enim Equus ideò pro dissidio ponitur, quòd in duobus contrariis elementis viuit, aqua & terra: noctu enim egressus aquis segetes depascitur, & binis est vngulis prędituS, vti boues, de quarũ quidem vngularũ distinctione in Sue satis ex Diuinis literis disputatum.

C

Mare cur Pernicies dictum.

A Nascimur.
B Senescimus.
C Viuimus.
D Morimur.
E Naturæ dissidio.

ODIVM.

ODIVM itaque per piscem interpretabantur, maritimaq; demùm omnia tanta religione & horrore prosequebantur, vt ne nautas quidem alloquerentur, rati vel ex eorum sermone se contaminari; ita eos arbitrabantur à communi omnium aliorum victu & moribus dissentire, cùm ex mari, quod Homerus nullius frugis esse dicit, victum hi tamen & necessaria sibi compararent, quæ Theon Grammaticus apud Plutarchum disputat Symposiacis, cumque elementum id ab humana natura non solùm alieniſſimum, verùm etiam illi inimicissimum asseuerarẽt, nullum cum iis commercium habere voluerũt, quòd vel in mari gigneretur aleretúrve, aut id inhabitaret. Neque tamen ignarus sum Plutarchum de mari præclarè sentire, eorundem Conuiuiorum habetur decade quarta, sed nos hoc loco Ægyptiorum dictata, quæ interpretanda desumpsimus, in primis commemoranda censemus. Nam illi cùm tam pertinaciter mare abominarẽtur, mosq; esset in sacrificiis sal adhibere, ne marino vterentur, id ex Hammonis fonte deposcebãt, afferebatur enim inde sal è palma contextis cistulis, quod purum arbitrabantur, quia ex ipso fonte, nõ ex mari proueniebat, cuiusmodi salis vis magna in Noricis Rhæticisq; iugis atque conuallibus circa fontium margines coneretum vulgò reperitur, neque alterius ferè tota Germania salis habetur vsus.

Mare Aegyptijs odio valde.

DIVI

Segregationes aquarũ ab aquis quid denotarent.

FVERVNT è veteribus, qui segregationes aquarũ ab aquis, apud Mosen, ita interpretati sunt, vt animos quosdam spiritu suo vegetos expertesque corporis asserirent significari per aquas, quæ supra cœlos in firmamento longè aliis præstantiores consedissent; infrà verò, in ipsis quidem terrenis locis deteriores malignosq; moram traxisse, atque etiamnùm trahere: idcircoque dicunt, eas aquas quæ supra cœlos collocatæ sunt, Deum laudare; per aquas autem eas quæ sub cœlis sunt collocatæ genios interpretantur, quantum spiritu naturaque sua conari possunt, improbissimos, ab ea nimirum altitudine, quæ ad probitatem secundùm naturam accommodatur, in ipsum imum prauitatis fundum, vitijque sentinam deturbatos. Eas verò aquas vt turbulentas, vt seditiosas, vt affectuum perturbationumque procellis & turbinibus fluctuantes exæstuantesq;, maria non iniuria nuncupatas fuisse, propter mutationis facilitatem, & momentorum voluntatis electionisque motuum instabilitatem. Quam quidem interpretationem, vt altè nimis repetitam, & pauciss imorum ingeniorum intellectui peruiam, Basilius haudquaquã magnificare videtur. Ægyptiis tamen argumentum placuisse, indicium est, quòd cœlum rore pluuium venerabantur, quòd humor huiusmodi à probis illis naturis defluere videretur, quæ propter mentis puritatem dignæ essent quæ decentem accommodatamque Deo creatori laudem redderent, disciplinamq; illam cœlestem in inferiora sparsim diffundere proseminareque viderentur. Minimè igitur mirum est si Mare sacerdotes illi vsqueadeò abominabile existimabant, quòd cœlestis roris puritatem contaminaret, & amaritudine sua dulcedinem eam omnem peracerbam redderet, eiusque indignationis ergò tantùm in maritima omnia odium, vt etiam insulares vti profanos auersarentur. Et mox receptum apud scriptores, insulares omnes malos esse, Lerios autè pessimos, quod in Siculos haudquaquàm meritò nonnulli detorsêre, perinde ac in Leriorum locum Chios alij quidam substituerunt, nulla carminis habita ratione. Nam, vt hoc obiter explicemus, epigrãma est vetustum admodùm, quod in vulgus prodiit, vulgatis in exemplaribus:

καὶ τόδε δημοδόκε χῖοι κακοὶ, ἐχ ὁμῶς, ὁς δ' ἐ,
πάντες πλὴν φροπλέε ἢ φροκλέας λέε.

Chij nequissimi.

Non sum nescius Chios hominũ nequissimos olim habitos, quod vt credatur, satis est Theophrasti iudicium, qui eos ait oratorem quemdam senem ad Lacedæmonios destinasse, qui quòd eum puderet senectutis, canitiem succis fucauerat: cumq; is publicè dicere incœpisset, surrexit Archidamus in ea tum Repub. longè princeps, dixitque: *Quam obsecro sermonis incolumitatem habiturus est hic, qui mendacium non in anima solum, verum etiam in capite circumfert?* Strabo tamen, decimo, carmen hoc Phocylidæ adscripsit, Lerioq;, non Chios, ponit, vt legendum sit, λέεοι κακοὶ, & in fine, ἢ φροπλέας λέε, cui lectioni ego magis faueo quo χῖε, pro χῖε primam κῦ συναίρεσιν producit. Quidam eruditissimus alioqui vir Patroclum pro Proclea reddidit. Carmen itaque in hunc modum vtrobique restituendum:

καὶ τόδε φωκυλίδε, λέεοι κακοὶ, ἐχ ὁμῶ, ὁς δ' ἐ,
πάντες πλὴν φροπλέε ἢ φροχλέας λέε. Id nos ita Latinum fecimus:

Hoc quoque Phocylidæ dictum, Lerij mali, at illud
Non ita vti dicas, hic malus, ille minus.
Praui omnes, inquam, Procleam si dempseris vnum,
Et tamen ipse etiamnum est Procleas Lerius.

In quam quidem poëtices amœnitatem quamuis κῦ πάρεργον, ideò tamen deflectere collibuit, quia dum hæc commentarer venit in mentem mihi epigrammatis Cornelij Castalij Feltrensis, Iurisconsulti in foro Veneto clarissimi, quod neminem eruditum legisse pœniteat:

Afrani, & Capito fratres, Neptunia proles,
Quorum iam tota est aurea facta domus:
Ambigitur multùm de vobis, peior vter sit:
Nam nemo id dubitat ne sit vterque malus.
Iudice me Capito tu longè es pessimus omnium,
Et tamen est frater te quoque deterior.

Quod quidem scomma desumptum est ex epistola Phalaris ad Adimantum, quam commodi tui causa libuit adscribere: ἀκούω σὲ διαφέρεσθαι πρὸς τὸν ἀδελφὸν, ὁπότερος ὑμῶν ὄζει χείρων, σὲ μὲν ἐκεῖνον λέγοντος, ἐκεῖνα δὲ τ' ἐμπαλιν σέ, ἐγὼ δὲ οἶομαι, μᾶλλον δὲ καλῶς πέπεισμαι, τὸν μὲν ἄλλων ἁπάντων ὀκνηρὸν εἶναι καὶ ἀργὸν· σὲ δὲ ἔτε ἐκεῖνον, ἔτε ἄλλον ἁπάντων ἔδενα. *Audio te cum fratre tuo altercari, vter vestrùm peior sit, cùm tu quidem illum dicas, contrà verò ille te: ego verò existimo, imò perbellè mihi compertum est, illum vtique aliis omnibus, te verò vno, neque aliorum hominum quempiam esse peiorem.* Addam illud vnum, si non satis nugarũ est, quod ad Phocylidæ nomen epigrammati Græco insertum pertinet, videndum an eò spectet id falsò dictum à Cicerone epistola ad Atticum libri quarti nona, ἢ τόδε φωκυλίδε, vbi Pompeium perstringere videtur, qui licèt egregiè de Repub. loqueretur, parum tamen aut nihil differret à cæteris. Vnde illud ad eundem Atticum lib. v 11. Epist. *Dionysius vir optimus, ego quos tu bonos esse dicas non intelligo, ipse nullos noni:* id quod probando latissimè prosequitur. Sed nos iam satis.

NEQVI

NEQVITIA.

Sal Aegyptiis odio maximo, & quare.

QVONIAM verò mare ipsum in primis salsum est, & sal inde plurimum cõficitur, totumq; illud elementum si exiccari posset, in sal abiturum est; Ægyptij ipsum quoq; sal ita auersabantur, vt ne pane quidem salito vescerentur, quippe cùm viuendi, vt sæpe dictum, puritatẽ in primis adamarent, id fixum immotumque animo gerebant, vt omnia nequitiæ irritamenta summouerẽt; itaque sal ipsum summo studio reiiciebant, quòd meram esse nequitiam intelligebant, cùm propter calorem sal irritare libidinem, seminalemque vim expergefacere & acuere feratur, vnde salacitas petulantiæ nomen. Exemplo verò sint ostrea & conchylia in hunc vsum à nepotibus summo studio conquisita. Quin etiam mures abroso sale prægnantes fieri tradit Aristoteles, ἀλιγλῶς præterea Venus, illique salacitatis ergò fanum ad portum maris aruspices poni apud veteres iubebãt. Et marini Dei omnes lasciuiores fœcundioresq; ponuntur à Poëtis. Nimirum & illa Cœli virilia Saturni falce resciss a, & in mare prolapsa, Venerem gignunt, quippe omnes fructuũ vires abscissæ, atque in humores viscerum veluti in mare proiectę, sicut illic Venerem, ita hîc libidinem gignunt. Theologi nostri sensu longè seciore sal accipiunt pro doctrina Euangelica, idq; sibi velle quod capite Leuitici secundo dicitur: *Quicquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal.* quasi dicere velit Legislator, quodcunque docueris, quodcunque correxeris, in quacunque virtute versatus fueris, ad Apostolicam æmulationem atque imitationem tete accommoda: sal enim terræ Apostoli Domini ipsius testimonio. Nam sicut omnis cibus ad nutrimentum aptus, diceret Hesychius, omnimodo sale conditur, ita omnis sermo vtilis ad iuuandum, Apostolicæ omnimodo sapientiæ necessarium habet condimentum. Sed vt ad mare reuertamur, fluxum id atque lubricum, non vti sal, solidum, & frugalibus vsibus commodum. Minimè prætereundus hic in Diuinis literis locus, vbi legere est Iordanem fluuiũ retrorsum fontem versus cursum suum reflexisse, quod, vt D. Ambrosius opinari videtur, significat mollitudinem animi ad maris lasciuiam profluentem cursum tenuisse, & ad fontem, quippe ad originem, hoc est, Deum animi ipsius authorem conuersum esse. Quoniam verò scriptum est partem aquę Iordanicæ defluxisse in mare, partem verò conuersam substitisse: Adamantius, qui per Iordanem baptismum intelligit, sententia priori nõ absimili figuram hanc esse dicit, vt per subsistentes aquas accipiamus eos, qui eo abluti lauacro, in pietatis dulcedine perseuerant; per eam verò partem quæ defluat in mare, intelligamus eos; qui licèt ad baptismum venerint, in vitiorum tamen amaritudinem dilabuntur, eaque salsugine corrupti, syncerę vitæ suauitate careant; cùm manifestum sit in tota hominum vita nihil dulcius innocẽtia reperiri, peccato verò nihil amarius, etiam si quædam aspectu primo dulcia videantur. Sic apud Salomonem legitur Ecclesiaste: *Nam in nouissimis*, inquit, *amarius felle inuenies, quod initio dulce videbatur.* Faciunt ad hoc & Græcorum fabulæ. Nam Arrianus in Indiæ descriptione fuisse ait insulam incultam in Erythræo mari, Nosolam nomine (sed Nosoram apud Stephanum legere est) centum fermè stadiis à littore distantem, quam indigenæ Soli sacram esse affirmarent, in quam nemo transiret, aut si transisset, non ampliùs appareret, quoniam eam vna Nereidum incoleret obscuro nomine, omnibus viris qui eò nauem appulissent, commiscerì solitam, ac eos posteà in pisces conuersos in mare dimittere; quo scelere iratum ei Solem ex insula migrare iussisse, neque eam renuisse, precatam tamẽ vt insita sibi voluptatis appetentia euanesceret, Deumque optatis annuisse, ac omnes, quos illa veneficiis mutarat in pisces, in homines rursus ex piscibus commutasse, vnde Ichthyophagorũ genus emanarit. Ouidius tamen ait eam in piscem mutatam, eoque modo libidinis pruritus extingui potuit, si modò hæc eo loco intelligenda:

Nais, an vt cantu, nimiúmque potentibus herbis,
Verterat in tacitos iuuenilia corpora pisces,
Donec idem passa est. 1111. Metamorph.

Salis in diuinis hieroglyphicum.

Nosola insula.

Atque alibi apud eundem authorem pisce legas Venerem latuisse: fusus enim fugatusque Veneris ardor, quónam euadat nisi ad frigidam piscium naturam, in quibus nullus alimenti fomes, quo iterum succendi queat? Hinc nostris etiam ieiuniis piscis apponitur, vt eius cibo lasciuiæ calor tepefiat, atque hinc etiam occasio aliqua castimoniæ requiratur. Neque obstant quæ superiùs de maris & maritimorum salacitate disseruimus, quia piscium genus, vt nonnulli disputant, tametsi degat in mari, ἀτερύγετον tamen ea de causa mare sæpius Homero dicitur, quòd fructum nullum gignat, sed fluuiorum & imbrium dulcis humor per antiperistasin amaritudinis corruptus, atque in sese collectus; veluti calor in aëre frigidiore deprehensus, per frigidioris venti colluctationem in fulmen abit; ita hîc frigida materia quæ nonnihil terreni secum traxerit, intra calidam comprehensa, varia piscium genera producit, quorum insitum frigus tepôre inde maris facilè confouetur. Non enim omnia piscium genera progenerant. argumento est, quòd simulac in mare pluuiæ deciderunt, Solque flagrantiùs per sudum irradiarit, extemplò videas superficiem maris innumerabilibus piscicolorũ animulis pullulare, in quibus infinitus Apuarũ numerus, quæ à Græcis ἀφύαι, quòd ex pluuia generentur, nomẽ accepêre; ostrea tamẽ ac conchylia, quæ libidinosa diximus, plus aëris admittunt, ac perinde spumosiora sunt, & salsugini coalita & applicita, quare minimè mirũ si accidat hæc salaciora fieri. Atqui non hîc testacea neque crustacea inter pisces assumimus, sed duo illa

tan

tantum genera, quę initio posita sunt, vel lubrica, vel squamosa: in his enim nostra plurimùm dictio D versata est. quamquam Manilius eos qui Pisces horoscopum habuerint, libidinosos futuros præsagit Astronomicôn IIII.

Scilicet in piscem sese Cytherea nouauit,
Cùm Babyloniacas summersa profugit ad undas,
Anguipedem alatos vngues Typhona ferentem,
Inseruitq; suos squamosis piscibus ignes.

AMICITIA FIRMA.

ALIOQVI sal amicitiæ symbolum fuit, durationis gratia: corpora enim solidiora facit, & diutissimè conseruat, vnde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perseuerantia significetur. quare plerique ominosum habent, si sal in mensam profundi cõtigerit; contrà verò fastum, si vinum atque id merum effusum sit. Vel, quia velut ex aquis sal multis & fusilibus in vnum quoddam & solidum coit, ita ex diuerso conueniẽtes in vnum animi coalescant, fiatque Platonicum illud, μία ψυχή.

A MVSIS ET GRATIIS ALIENVS.

SED vt ad piscẽ reuertamur, cùm animalia reliqua tam terrestria quàm volatilia, multa dent & ingenij & docilitatis experimenta, soli pisces indociles prorsus & stupidi sint, præter pauca admodùm, quæ vel in Delphino, vel in paucissimis aliquot admiramur, mos apud Ægyptios inoleuerat, vt cognomento Piscis hominem à Musis & Gratiis alienum cauillantes appellarent. Sed qui piscium partes tuentur, multa etiã in eo animantium genere deprehendunt, quę mentis aliqua vestigia præ se ferant, sed propter habitationis dissidentiam, ea hominibus minùs cognita: terrestria E siquidẽ & aëria domi propemodùm & in nostro ferè omnia municipio contemplamur, quare multa faciliùs licuit explorare, Ægyptiis verò ea minùs innotuisse quàm aliis, qui nullum cum piscibus commercium habere voluerint. Nam vt reliqua huiusmodi multa dissimulẽ, in Eloro Sicilię fluuio, qui vrbem Eloram à se ita nuncupatam præterfluit, cieurum genus pisciũ fuisse tradit Apollodorus: inclamati enim accedebant, & cibũ è porrigentis manu placidissimè capiebant. Citat Stephanus Chronicon primum, vbi hæc ab Apollodoro memoriæ demãdata fuerint. At veterũ parsimonia nunquã satis laudari potest: nam apud Homerum nõ Græcos solùm, quo tempore circa Hellespontum militabant, piscibus abstinuisse comperias, sed & Phæacas, Horatij etiã nostri testimonio helluones procosq; ipsos Penelopes sola ganea nobiles, quamuis insulares essent, marinum obsonium nullum appetiisse. Vlyssis verò socios videas non nisi extrema necessitate coactos expiscari, quippe commeatu omni absumpto, ne Solis boues attingerent, nõ obsonij causa, sed vt famis ferociam, quæ ob ingenitam importunitatẽ Malesuada dicitur à Poëtis, aliquo pabulo mitigarent. Videas apud Satyricos piscium esculenta, vtpote quæ tantùm ad luxum & ingluuiem spectent, sæpius improbari. Neque lautiora aliter Romanis, vbi se deliciis dedere cœperunt, conuiuia fuêre, quàm opiparè piscibus instructa, eo, inquam, tempore, quo illi omni turpitudinis genere lasciuire licentiùs sibi permittebant, pristina prorsus abolita disciplina, quod Satyricus Poëta carpit:

Eloros Siciliæ fluuius.

Atque ita defecit nostrum mare, dum gula sæuit
Retibus assiduis penitus scrutante, macello
Proxima, nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum prouincia.

Ne verò quæ Seneca in Romanorum luxuriam libro Quæstionum tertio refert, hîc stomachosiùs repetam, Catonem meritò admirari solitum accepimus, F quomodo ciuitas salua esse posset, in qua piscis pluris quàm Bos venundaretur, quod in hac quoque temporum miseria passim fieri, manifestum est.

GANEA.

NEQVE quidem satis fuit piscibus in escarum principatum admitti, verùm eò improbitatis & petulantiæ processêre, vt soli sibi Obsonij nomen vsurparint: nam veteres ὀψοφάγους, hoc est, obsonatores, vt Latini vocabulũ à Græcis mutuati dixerunt, eos appellabant, qui pisces vndecunque conquisitos studiosiùs compararent. Demosthenem aiunt cùm Philocratem cupediariæ impudicitiæque criminaretur, eum ex auro proditorio & scorta & pisces commercatum accusasse. Quinetiã pro Ctesiphonte, cùm quidam in comitiis esse iam comedendi horam clamitaret, *Nullo*, inquit, *pacto bone vir, nos hodie piscedulos reddes*: quasi lurcones & ganeones ex vno piscis esu notare vellet. Antagoram Poëtam Antigonus Rex increpuit merito, cùm eum deprehendisset in Congro piscę condiendo diligentiùs intentum, quamuis ipse regis curiositatem conuerso cauillo illuserit non infacetè: Antigonus enim dixerat, *Putásne, Antagora, Homerum cùm illa scriberet, in Congro condiendo vnquam occupatum fuisse?* cui Antagoras: *Putásne Antigone, Agamemnonem cùm illa faceret, quo quis modo Congrum condiret, solicitum fuisse?* Piscem igitur pro ganea poni non ignarus Horatius, cùm Iccium ad frugalitatem hortaretur, eumque commendaret quòd tali esset animo præditus, vt neque rerum opulentia moueretur, neque vilioris cibi frugalitatem aspernaretur, quippe qui in medio positorum abstemius herbis viueret, his tamen ita contentus esset, ita sibi rerum omnium opulentiam redundare putaret, ac si eum liquidus fortunæ riuus inauraret, id mox adiungit:

Antigoni & Antagoræ dicta mutua.

Verùm

A *Verùm seu pisces, seu porrum & cæpe trucidas:*
hoc est, siue lautiore victu, seu parco delectaris; per pisces delicatiores, vti dictum, epulas, per porrum & cæpe, frugalitatem intelligens. Omnis enim caro, inquit Heraclitus, corpus est, vel corporis pars; maritimorum verò vis tanquam anima compacta, gratiam & voluptatẽ illis comparauit. Sanè Plato, qui nihil ex Ægyptiorum opinione in mari nasci Ioue dignum dixit, marina ipse corpora Diis amicissima arbitratus est: quare nonnulli asserunt Ægyptios sacerdotes non alia ratione maritimis abstinuisse, nisi vt piè casteque viuerent; veriti forsan, qui delicias omnes auersarentur, ne piscis & cibus esset simul & cõdimentum. Beatos enim illos tantùm iudicabant, qui simplicem ac necessarium cibum deliciis quibuscunque præferebant, quod & saluberrimum esse Plinius attestatur. Diodorus tamen primum ex radicibus, secundum ex pisce cibum apud Ægyptios fuisse contendit. Cæterùm nos de sacerdotibus, non de prophanis loquimur: nam & Horus ipse author Ægyptius, alios omnes dicit pisce vesci solitos. Neque nescimus ex lacu à Myride fosso tantam fuisse piscium capturam, vt argenti talentum singulis diebus vectigalis nomine reginæ persolueretur. Aliarum verò gentium sacerdotes non modò piscem non abhorruerunt, sed & loca quædam Diis sacra esse commenti sunt, vt solis ipsis pisces inde capere liceret; cuiusmodi erant Rhiti in Attica regione iuxta Eleusinorum fines aluei, quidem ipsi tantùm fluminum; cùm aqua omnis, quę illic flueret ac refflueret, marina esset; quæ loca Cereri & Proserpinæ sacra dictitabant, ac perinde solis sacerdotibus deberi. Quinetiam ætate nostra, fluminum, stagnorum lacuumque plurimorum expiscationes sacerdotum tantùm ditioni addictæ sunt. Quoniam verò plerisque locis mordet Erasmus Christianissimi mores super esu piscium & ieiuniis, dum modò ita dicit: *Cùm olim præcipuus* B *gurgitum luxus fuerit in piscibus, mirum est hodie religionis causa vulgus piscibus vesci.* Alibi, *Olim vesci piscibus pro deliciis habebatur, & infami vocabulo dicebantur Opsophagi, nunc ea res magna est sanctimonia.* Alibi his mordaciora comminiscitur, quasi velit ostendere, adactos esse nos legibus, vt ieiuniorum tempore piscibus vesci compellamur. Respondemus ad hæc ex sanctissimorum Patrum sententia, pisces non ex edicto nobis oggeri, sunt enim multa & frugum & olerum genera, quibus nutriri valeamus, neque, vt per argutos salsosq; ioços ritum perstringit, ad sanctimoniam vllius cuiuspiam opinione spectare, sed cùm Christiano homini tum semper, tum in ieiunio maximè lasciuiæ omnis abstinentia proponatur, cibisq; in primis affluentia luxusque corrigatur, pisces tamen ad ieiuniorum consolationem indultos esse, qui quidem delectare aliquantulum, saginare verò aut obesum corpus reddere minimè possint: nullius enim, vt sæpe diximus, aut parui sunt nutrimenti, ideoque cibus est corporibus, quod non Platonica tantùm, sed nostra etiam sibi Philosophia deposcit, debilitandis idoneus. Sed Gregorium ipsum audiamus. Epistola eius est ad Augustinum Britanniarum præsulem, in qua quantum ad ieiunia pertinet, piscium esum ait ita homini Christiano indultum esse, vt hoc ei infirmitatis solatiũ, non luxuriæ pariat incendium, monetq; insuper, vt qui carnibus sibi abstinendum constituêre, sumptuosiora marinarum belluarum conuiuia instruere haudquaquàm velint. *Decret. dist. IIII. c. denique. C. & post pauca.* Atqui ganeam ex pisce non ea tantùm causa significari dicendum, quòd auidiùs à lurconibus expetatur, quàm quòd ipse quoque piscis natura vorax est, quam quidem Virgilius notat, Ciri, propterea quòd Thetis Scyllam Nisi eius opem implorantem in piscem vertere noluerit, verita scilicet ne actutùm ab aliis piscibus deuoraretur:

Ægyptij sacerdotes maritimis abstinebãt.

Pisciũ esus quare tempore ieiuniorum sit Christianis indultus.

C — *Nam miseros mutauit virginis artus*
Cæruleo pollens coniux Neptunia regno:
Sed tamen externam squamis vestire puellam,
Insidosq; inter teneram committere pisces
Non statuit, nimiùm est auidum pecus Amphitrites.

ANIMÆ.

NON ignorandum verò pisces eruditioribus animas esse, quòd ex puriore quodam constent elemento, neque multum concretus aliorum morentur, primiq; animatorum à Deo creati, vt obseruat Philo quodammodo animalia, & nõ animalia, vel vt ita dicam, mobilia inanimata, quibus ad solam corporis incolumitatẽ Deus animalem spiritum afflarit, veluti sal carnibus ne putrescant adhiberi solet. Apud Festum Pompeium legas genus piscium maiorum pro animis humanis Vulcano dari solitum, quotannisq; piscatorios ludos trans Tyberim in area Vulcani mense Iunio celebratos. In quo illud animaduertendum vulgatos Festi codices in damno esse, cùm in antiquo manuscripto legerim, quòd id genus piscium viuorum datur ei Deo pro animis humanis, nõ autem genus piscium maiorum: nam si maiores, quomodo pisciculi? Est & alterum eodem loco mẽdum, quòd scriptum est eos ludos fieri solere à pop. Rom. cùm vetus codex habeat, à prætore Rom.

Quod genus pisciculorum Vulcano datũ.

INNOCENTIA.

NEQVE desunt qui piscem innocentiæ hieroglyphicum esse contendant, cùm omninò sit innocui, neque elementum suum ad insidias aliis inferendas transgrediantur. eoque spectare dicunt Pythagoræ præceptum, qui abstinendum esse piscibus edicto cauerit, ne persequerentur insontes.

DÆMONES IMPROBI. D

ALII per animalia quæ in aquis degunt, improbos dæmones significari tradiderunt, vt in sacris literis Ionethes Chaldæus interpretatur, & superiùs segregatas aquas ab aquis exposuimus, aliorum quorundam sententiam idem sentientiũ recitauimus. Sanè Magi dæmonas aqueos dicunt, lasciuiæ libidiniq́ue præfectos, & marinos deos vetustas omnis pro hieroglyphico lasciuiæ posuit. Et pisces maris Euthymius ait positum pro dæmonibus, qui inter vitæ nostræ fluctuationes versantur, & in amara prauorum salsugine vitam ducunt.

GENTES.

IN Christianæ verò pietatis institutionibus, gentes quæ diuinum cultum nondum suscepissent, per pisces indicabantur. Atqui gentes huiusmodi dæmonum cultui passim deditæ erant, quare piscatoribus hæc à Deo prouincia demandata, vt pisces in sacerdotum imperia redigerentur. Porrò Assertor noster in Euangelio pisces assos comest, quod indicat, sacrificium quod offertur Deo, non elixum, sed assum esse debere, fidem quippe veluti igni probatam, & Sancto feruentem Spiritu offerendam. Eodem respicit, Ambrosio teste, Seruatoris eiusdem nostri dictum in Euangelio, simile esse cœli regnum reti misso in mare, quod piscium genus omne congreget, quæq́ue ibidem subsequuntur, vbi nimirum de mortalium animis sermo est, quæ ad sanctioris vitæ institutionem attrahantur. Quin & Propheta cùm de piorum congregatione loqueretur, super maria fundatam eam dixit. Apertissimè Esaias: *Ecce*, inquit, *gentes quasi stillæ situlæ*. Septuaginta sic reddidêre, *Sicut aquæ multæ*, quod idem est.

Pisces assos comedere, quid in Sacris literis.

IGNORANTIA.

SQVAMATVM quidem & pinnulatum piscium genus satis expositum est ex Origene, quæ scilicet eius hominis hieroglyphica sint qui veterem possit hominem exuere, ideoq́ue omne quod habet squamas & pinnulas, tam in mari quàm in fluminibus & stagnis, electo populo comedere concessum est. Illud addendum ex Hesychio, squamas ignorantiæ hieroglyphicum esse, quæ quidem opera beneficioq́ue scientiæ excuti amoueriq; possunt. Id in Paulo liquidò commonstratum, qui cùm veritatem ignoraret, cæcus factus est, addita verò Christi doctrina, quam Ananias ei prædicauit, ceciderunt vt squamæ ab oculis eius, & mox vidit. E

D. Pauli conuersio.

AQVÆ.

ASSYRIORVM verò religio fuit, vt piscibus abstinerẽt in Rheæ venerationem, quæ quidem ea illis dea erat, quæ pluuiis potissimùm dominatur: ῥέω enim fluo est: putabant enim illi ex aqua & aëre naturam rerum præcipuè constare, proque vnda pisces, pro aëre Columbam venerabantur, de qua suo loco dictum.

FACELITIS.

QVAMVIS alij factum hoc in Facelitidis deæ, quæ Veneris fuisse filia perhibetur, cultum asserunt, eamq́ue olim in piscem commutatam, quam Syrij pro dea coluêre, atque in eius honorem Basso referente pisces argenteos in templa detulêre. Chalon amnem in Syria ponit Xenophon, in quo magni & mansueti pisces, quos Syri veluti sacrosanctos habent, eosq́ue violari, æquè ac Columbas, nefas putant.

DERCETO.

QVIN & Derceto, siue, vt tradunt alij, Atargaten, muliebri effigie, quæ in piscem ab vmbilico desineret, summæ venerationis deam in templis apud Ascalonem habuêre. Et vt his finem F imponamus, Oxyrynchitæ Ægypti populi piscem vrbis suæ cognomine summo cultu pro dea coluerunt, hiq́ue Canem & mactare & esse soliti sunt in Cynopolitarum ignominiam & opprobrium, quòd illi piscem Oxyrynchum apud se pro deo habitum, comedere non verecundarentur. Cynopolitarum enim deus Anubis fuit, quem canino, vt suo loco dictum, capite faciebant.

HIEROGLYPHICORVM TOMI PRIMI FINIS.

A

Tomus Secundus.

ILLVSTRI AC GENEROSO HEROI D. IOANNI IACOBO FVGGERO, KIRCHBERGÆ, VVEISSENHORNI, ETC. DOMINO, LITERARVM PRÆSIDI, ac studiosorum omnium Mecœnati,

IOAN. PIERIVS VALERIANVS S. P. D.

B

VM *ea munera, quibus humanum genus Deus liberalissimè honestatum voluit, mecum ipse considero,* IO. IACOBE FVGGERE *Heros ornatissime, in eam opinionem adducor, vt existimem nullum maius reperiri posse, quàm literarum flagrans studium, vel discendi cognoscendiue cupiditatem potius, ex quibus & rerum bonarum voluntatem excitari, & verarum intelligentiam nasci perspicimus; nihilq́; in rerum natura existere, quod ita tum mores erudiat, tum viam quasi muniat ad summum splendorem consectandum, quàm παιδείαν, humanitatem inquam atque doctrinam. Idem planè te sentire video, qui cùm omnem semper excellentem in societate humana virtutem memorabilem extitisse cognoueris, tum ingenij, doctrinæ, sapientiæ honores præcipuam habuisse erga mortale genus famam ac commendationem non ignoras. Hanc vt veram & expressam minimeq́; adumbratam tibi comparares, nihil prætermittendum putauisti, quod ad verum ingenij cultum, animumq́; doctrina informandum pertinêret. Lustrandum itaque primò vnà cum fratribus Galliam eruditissimis hominibus & liberalibus studijs affluentem, mox Italiam omnium bonarum disciplinarum altricem, censuisti; ac inde eam sapientiæ morumq́; laudem paulò pòst ad tuos reuersus vestræ Germaniæ ostendisti, vt iam omnes cognoscerent te non solùm exmiam ad recta vitæ instituta progressionem fecisse, sed eos etiam aditus quasi* C *adaperuisse, quibus lætos vberesq́; fructus ad genus humanum redundaturos & sperarent, & iam etiam cernerent, eamq́; spem & expectationem de præstanti consilio tuo, successus planè confirmauit & auxit. Videmus enim admirabilem illam tuam virtutem non modò elegantissimarum artium institutione, scientia ac iudicio commendari, sed etiam animi magnitudine, clientelis, munificentia, liberalitateq́; mirum in modum illustrari; vt commoda, quæ ex ianta tua fortuna & amplitudine omninò maxima sperabamus, longè maiora nos iam consecutos fateamur. Quamobrem vt multa prætermittam, egregia quadam ac planè inuicta animi celsitudine te præditum declarasti, cùm maximas opes profunderes, vt bibliothecam magna librorum Latinorum, Græcorum, Hebraicorum, aliarumq́; linguarum multitudine ex Italia, exteriſq́; prouincijs comportata construeres & exornares, vt quàm multorum hominum studia laudatissimo exemplo ad dignitatem, ad rectiorum disciplinarum cultum excitares. Tua enim semper laus erit, tibiq́; acceptum referre debebunt studiosi, quòd multis commodis fruuntur, & quòd animum optimarum artium scientia disciplinarumq́; studijs excolere possint. Verùm his in omnes collatis beneficijs, quæ maxima sunt, acquiescendum tibi minimè iudicasti, quin potius maiora moliris, ac alteram illam planè regiam benignitatem adhibendam, dum afflictos recreas, iacentibus dexteram istam tuam pietate præstantem porrigis, de bonorum commodis & ornamentis cogitas, dum omnes denique liberalitate immortalibusq́; beneficijs tibi deuincis. Siquidem existimasti te pro tua fortuna posse, pro acerrimo singulariq́; iudicio debere, vt curares tenuiores, felicioribus tamen auspicijs natos adolescentes, tuis sumptibus in Germania, Italia, & Gallia benignè tantisper fouendos & sustentandos, dum eos in omni bonarum artium genere progressus fecissent, vt docendi alios munus iam suscipere ac obire possint. Quo quidem instituto nullum illustrius, nullum ad commemorationem nominis tui cum omni posteritate adæquandam aptius esse iudicamus: hac enim ratione declaras te maximo semper honore dignum, teq́; perstudiosè ea sequi, ex quibus vera, non adumbrata laus nascitur, & nomen tuum tot etiam & tam præclaris*

testimonijs virtutisq; monumentis ad omnem memoriam commendatum celebrabitur. Nam quæcumque accuratiùs D.
nunc scripta & expolita Germanorum opera sunt, ea fortè omnia ad te missa, & tuæ felicitati credita leguntur; etsi non authorum commendatione, vel tuo saltem nomine sunt in manibus. Tibi debetur (de aliis eruditissimorum virorum lucubrationibus, quæ satis multæ sunt, nihil dico) quòd Demosthenem, Aeschinem, Isocratem, Pausaniam, ad nostrorum hominum cognitionem translatos habemus, dum eruditione præstantem virum Hieronymum Vuolfium in clientelam suscipis, ac præmijs ornas. Hæc cum sermone omnium ad nos perferuntur, cùm in editis libris videmus & legimus, felices eos iudicamus, quibus Dei beneficio datum, vel usu familiaritatis, vel officijs aliquibus tibi coniungi, qui à tantis ornamentis commendationem ducis. Quapropter ego primus fortassis eorum, qui ne de facie quidem te norint, accuratè operam dedi, vt aliqua in re animum tibi atque obseruantiam probarem meam. Nam Hieroglyphicorum meorum commentariorum alterum Tomum ad te mittendum censui, vt vnicum studiosorum ornatorem, cunctarumq; artium bonarum præsidem; adductus non solùm humanitate ac benignitate tua, plurimis quidem & amplissimis officijs perspecta studiosis omnibus, verùm etiam, vt iam dixi, opinione quæ apud me est, de egregia tua erga literas promouendas voluntate. Cui quæso aptius ac conuenientius huiusce modi scripta mitti possunt, quàm ei qui ita illa semper amauit & excoluit, vt in his ipsis vel tractandis, vel iudicandis longè omnibus præstet, ac maximè insignis habeatur? Accesit huc & similitudo quædam, quam te habere video cum ornatissimo Florentinorum principe Cosmo, qui cũ familia Medicea ortus sit, hoc est, sapientiæ stirpe, auita quadam benignitate solus hoc tempore in Italia inuentus, literarum, venustatis, elegantiæ, atque adeò virtutum omnium vindex. Quamobrem cùm singulos ferè Commentarios amicis varijs inscripsissem, priorem Tomum in vniuersum huic optimo Principi tuendum conseruandumq; permisi: pari ratione satis feliciter agi cum hoc altero Tomo iam existimaui, si eum in tuam clientelam de me absente, deditissimo certè, tanquam præsente susceperis; quod te facturum pro singulari tua humanitate minimè dubito, cùm iam Fuggerana domus in ipsa Germania non solùm E
singulos ac vniuersos debitis officijs complectatur, sed virtutis ipsius quasi seminarium existat. Præterea si requirendus erat literarum patronus, quis hoc tempore citiùs comparandus, apud quem tanquam portum, ipsæ contra barbariem opem & patrocinium inueniant? Equidem quod ad me attinet, quotiescumque ad ingenium, studia, & instituta, tua inquam & Cosmi Medicei consideranda animum confero, non possum non confiteri, me maximo cumulari gaudio, cum propter multa, quæ & sapienter facitis, & optimè ratione temporum habita statuitis, tum quòd in tanta bonorum Principum orbitate, tantaq; beneficorum & liberalium hominum inopia, qua hodie passim in orbe Christiano (quod pudet dicere) laboramus, pro humanitate, sapientia, liberalitate prolixa, alijs libentissimè ea largimini, quæ magnis laboribus singulari industria consecuti estis, quodq; omnes intelligunt vos in beatis & omni copiarum genere florentibus ciuitatibus principem locum tenere, in summa tamen vestra fortuna virtutis laudem magis enitescere, quàm fortunæ gratiam. Quæ iam tuæ ἔξοχῇ adferimus, explicationem continent eorum quæ sacerdotes Aegyptij ἱερογλυφικῶς circa corporis humani fabricam commenti sunt, auspicati à capite longè nobilissima parte, ne quis existimet hos ipsos Aegyptios ita brutorum cultui deditos, vt non etiam hominem qua meretur veneratione susceptũ reliquis omnibus prætulerint, ac μικρόκοσμον agnouerint. Nam si multa eruditi viri admirati, quæ illi in eo animantium genere quod nos rationis expers ducimus, obseruassent; longè ea plura sunt, quæ solo ex homine sacrarum apud eos literarum materiam ad sua illa hieroglyphica suppeditarint, quippe cuius membra singula in huiusmodi mysteria receperunt. Hasce meas lucubrationes separatim eo nomine tibi deberi
intelligebam, quo studiosi & boni omnes communiter ingenij sui monumenta tibi deberi profitentur.
Et certè si iusti rerum æstimatores esse volumus, literati, optimisq; studijs dediti, nulla alia ratione maiorem suorum laborum commendationem sperare possunt, quàm si in eius prin- F
cipis nomine illas apparere fecerint, in cuius authoritate & iudicio præcipua
proborum doctorumq; pars acquieuit, & qui animi magnitudinem
diligentia, integritate & consilio sustinet, atque tum
literarum gloria, tum etiam sapientiæ
laude fruitur. Vale.

* *
*

IO.

A

IO. PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORVM COMMENTARIORVM AD IACOBVM FVGGERVM, DE IIS QVÆ PER CAPVT SIGNIFICANTVR,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXXII.

PRINCIPIVM.

PRÆCIPVVM quidem Capitis hieroglyphicum apud omnes fuit, vt ex eo principium intelligeretur, id vel frequentissimus authorum vsus, vel nominis ipsius indicat origi-
natio: siquidem ita vocatum ait Varro, quòd ab eo capiant initium & sensus, & nerui. Vel quotidianus sermo apertè declarat, dum aliquem esse huic vel illi rei caput dicitamus, dum à capite aliquid exordiri, dum in prouerbiis, piscem à capite primum putere, Græci dicunt, cùm malorum publicorum & priuatorum causam in Reipub. vel familiæ cuiusquam principe consistere profitentur, ad id Platonicum scilicet innuentes, tales esse ciues, quales qui primatum inter eos obtinent. Et Cicero, caput esse ad beatè viuendum securitatem ait. Pro præcipuo
B verò, ad Appium Epist. *An tibi obuiam non prodirem? primum Appio Claudio, deinde Imperatori, deinde more maiorum, deinde, quod caput est, amico.* Sed quid alienis adeò immoremur, cum nostris abundè vti possimus? Ipso statim Bibliorum principio, Bereshith, Aquila vertit, ἐν κεφαλίδι, in capitulo, quòd caput initium custosq; rerum sit, vulgata editio fecit, *In principio*, quod hieroglyphici esset interpretamentum. Alij dixerũt, in capite, in Filio: nam mundus per ipsum factus est. Quod verò in Esaiæ visione habetur de Seraphim duobus, qui senis singuli alis præditi, binis caput Dei velabant, binis alteris eiusdem pedes obtegebant, per adopertum caput, exordia Dei incomperta esse interpretatur Adamantius, per obtectos verò pedes', nouissima non comprehendi, sola media in conspicuo esse, opera quippe eius, diuinæ indicia prouidentiæ, cœlorum motus varios, Solis, Lunæ, stellarumque progressus, terræ, maris, & aëris vicissitudines, & quæcumq; in rerum natura suo sunt ordine dispositæ: sedenim quę anteà ita fuerint, nouit nemo. Ex iis quæ sunt, Deum intelligimus, posthæc quæ futura sunt credere quidem possumus, sed scire nequimus. Vnde legas apud concionantem in Diuinis literis Regem: *Annunciate mihi priora, & nouissima quæ erunt, & dicam vos esse Deos.*

Capitis in Diuinis explicatio.

DIVINITAS.

IN Deo sanè Caput cùm ponimus, id quod in eo constat Diuinitatis intelligimus, quę cuncta scilicet præcedit, & cui omnia subiecta sunt, diceret Eucherius. Idem & Hieronymus tradit eo libello, in quo, quid sit Diuinitas, explicat. Tam insano verò cultu Ægyptij caput omne venerabantur, vt à capitibus & armis brutorũ prorsus abstinerent, diuinitati iniuriam facere arbitrati, si quis illa esitasset. Platonici tradunt humanum caput ad mundani orbis similitudinem compactum, in eoque duos animæ diuinos circuitus interlocatos, esseq; membrum diuinissimum, ac reliquorum
C omninò princeps; reliqua, vt capiti seruiant adiuncta. Caput, ait Hierosolymitanus Hesychius, vt hoc obiter addamus, vniuscuiusque animalis ratione pollẽtis Mens dicitur, cuius sedes cerebrum: vnde caput, & cuncta quæ adhærent iecori, super altare in holocaustum ponere iubemur: nam & cor & iecur concupiscentiæ nostræ impetum, motumq; continent. Hinc Paulus nobis bene precatus: *Pax*, inquit, *Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Idem Hesychius huc adnectit illud ex Esaia: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*, quod enim in nobis est rationis, vt dictum, in vtroque habitat, & corde & cerebro. Non decet autem mentem sobriam diuidi, sed esse veluti vinculum, quod affectus nostros ad sanam rationem adiungat atque deuinciat.

Caput pro mente.

DOMINIVM.

ET quamuis per se caput principatus indicium sit, longè tamen significantiùs hieroglyphiceq; magis id ostendit, si fascia redimatur, siue ea Corona, siue, vt apud Græcos Diadema vocetur. Nam & coniectores eo redimiculo caput insignitum per somnium visum, dominij signum autumant. Sedenim diademati suus est locus inter vestimenta, vbi reliqua tractamus insignia, nunc de capite simpliciter verba facimus.

MVNDI MOLES.

SERAPIDIS simulacrum apud veteres authores celeberrimum, cœlum habere caput dicebatur. Vnde Eustathius erudite 1. Iliad. veteres ait cœlum pro capite accepisse, atque ita Pallas de cœlo descendit, incitatiorem Achillis iram compressura. Sed quoniam multa super eo toto operè dicenda sunt, quòd id sibi numen Ægyptij pro rerum natura confinxêre, non importunum fuerit loco hoc totam hieroglyphicam eius effigiem, per quam mundi totius moles indicatur, semel eo

modo describere, quo exhibita est ab oracvlo, quod vt fertur ipse de seipso in Nicocreontis Cyprij D regis gratiam his carminibus enuntiauit:

εἰμὶ θεὸς τοῖϲ δέμαϲι οἷον κἀγὼ εἴπω,
ἐφάνιϲ κόϲμου πεφαλὴ, γαϲτὴρ δ' ἅλμαϲα,
Γαῖα δέμοι ϖόδες εἰϲὶ, ϛέγη δ' ἄατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
ὄμμα δὲ τηλαυγὲϲ λαμπρὸν φάοϲ ἠελίοιο.

Sed quoniam in Macrobianis aliquot codicibus pro lectione quæ est, τοῖϲ δέμαϲι, legere est castigatiore versu, τοῖϲ δεμωδέϲι, si cui ea magis arrideat, dicamus:

Sum Deus, vt discas, talis, qualem ipse docebo,
Cœlestis mundus caput est, mare venter opacum,
Terra pedes, aures versantur in æthere summo,
Lux, oculi, quam solis habet splendentis imago.

Vbi animaduertendum, ventrem pro mari, & vice versa, mare pro ventre etiam apud alios accipi, præsertimq; apud coniectores. Nam Hippocrates Cous horum sententiam secutus, eum ægrotum qui per nocturnam imaginem mare perturbatum viderit, morbo ventris tentari coniicit, idq; minimè contemptui habendum iudicat, qui adhibitis remediis, quo nutricatu is curandus sit, statim docet. Quin apud nos etiam in sacris literis aliquid in hanc sententiam de Deo legere est. Nam, vt Cyprianus ait, mali dæmones ita per fabulas ea deprauabant, quæ manifestissimis passim verbis in Diuinis literis explicantur, vt illud in hanc sententiam apud Esaiam 66. *Quam mihi sedem ædificabitis? aut quis locus ad requiem mihi? cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum.* quod, quo sit intellectu accipiendum, videris apud Adamantium super Genesim, homilia prima. Apud E Hieremiam 22. *Nónne cœlum & terram ego impleo?* Et Prouerb. 15. *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Hinc Cyprianus idem, in abditis & secretis vel semotis locis, in cubiculis etiam ipsis, orandum monet, idq; magis fidei conuenire, vt sciamus Deum vbique esse præsentem, audire omnes & videre; & maiestatis suæ plenitudine in abdita quæque & occulta penetrare. Cùm itaque veteres per Serapin vniuersam mundi molem, & ipsa rerum principia intelligerent, certatim eum templis magnificentissimis honestarunt, cuiusmodi ea fuerunt quæ in Memphi & in Alexandrea celebrabantur. Pausanias Athenis etiamnum templum Serapidis fuisse narrat Ptolemæi in gratiam structum. Inuaserat autem Ptolemæum Lagi superstitio ex dæmonis apparitione, qui iusserat, vt apud Eustathium est, mitti nauem, quæ appulit, Phocidi, & accepto inde oraculo Sinopen accessit, indeq; Iouis Serapidis simulacrum transtulit, quod quidem cuiusnam esset materiæ discerni non poterat, nempè vt chaos ipsum, cuius symbolum erat, præ se ferret. Et quod illi simulacrum in templo Alexandreę ita vastum erectum est, vt dexterâ vnum parietem, alterum lævâ perstringeret, ex omnibus metallorum lignorumq; generibus compositum ferebatur, vt nihil non complecteretur quod terra vel proferat, vel intra viscera abditum occultarit.

Quorúndam sacræ Scripturæ locorum explicatio.

Serapidis templa.

LOCVPLETATIO.

Cur Serapis antiquitùs colerétur.

EA autem potissimùm de causa Serapis in cultu erat, quòd persuasum mortalibus fuit, inde locupletiores diuitias obuenire. Ait enim Psellus, dæmonas nobis sæpe diuitias polliceri. Porphyrius magnorum dæmonum principes Serapin & Proserpinam agnoscit. Nam omninò qui apud Ægyptios Serapis, apud Græcos Pluto est, Pluto idem qui Diuitiarum Deus. Hinc auarissima meretrix apud Catullum solicita est, vt ad Serapin deferatur, cui preces alleget, diuitias & opes petitura, quòd is dæmonum princeps locupletandis supplicibus dare operam, eius superstitionis errore crederetur, atque ideò gestare calathum, de quo paulò pòst plura, vnde bona hæc liberalissimè depromerentur, nunc pauca hæc pro re sufficiat attigisse. F

LVCRVM.

EST & lucri signum caput, verùm id apud coniectores: illi enim capitis magnitudinem insolitam, per nocturnam imaginem oblatam, diuitiarum accessionem significare tradũt, propterea quòd vulgò numi, vt apud Artemidorum est, Capita vocantur.

SALVS.

RECEPTVM etiam est apud omnes, vt caput pro salutis hieroglyphico ponatur, idq; in extremo discrimine cõmendare, id adiurare, id deuouere. Hinc totiens apud Homerum ea loquendi figura, ἐπ' ὀδυσσῆι κάρη ἐπ' ἐμοῖο κάρηι. Hinc Tib. Gracchus cùm salutem suam populo commendaret, manu capiti superposita ire perrexit in Capitolium, quod illi malè vertit, interpretantibus inimicis, eum eo signo diadema sibi deposcere. Tale aliquid apud Aristophanem Acharnanibus legas, dicente Dicæopoli: *Et si non iusta profatus fuero manu supra caput imposita, quæq; vniuersus approbet populus.* Sed & portenta huic subscribunt significationi, tacta siquidem de cœlo Cæsarum æde capita omnibus statuis simul deciderunt, quo quidem ostento præmonstratum est, Cæsarum progeniem vnà cum Nerone eius gentis vltimo defecturam.

Portenta ex manu capiti superposita.

DOCTRINA IMPERIOVE PRÆSTANTES.

ANTIQVVM autem fuit institutũ, eos honore numismatũ decorare, qui vel doctrina vel imperio cæteris antecellerent. quare Mitylenæi Sapphûs imaginem numis impressêre, Homerum Chij,

A Chij, authore Strabone. Horum exemplũ secuti Mantuani principes, Maronis sui speciem in numis aliquandiu expressêre, non immeritò sibi alumno eo applaudentes, qui Venetiam vniuersam sui nominis celebritate sempiternæ glorię commendarit. Plurimùm verò Principum imagines posteritati per eiusmodi monumenta innotuêre, neque numis tantùm, verùm etiam gemmis expressæ, vt tot statuarum memoriam, quibus non suam tantùm similitudinem humano habitu insignem esse voluerunt, verùm etiam facies suas diis adscribi, vtque ipsi eorum nominibus vocitari se iusserint, prætereamus. Longè illud simplicius, quòd Octauianus Augustus numum cusit in quo singula ex vtraque facie capita, atque ea quidem pulcherrimè elaborata, eorum alterius inscriptio est, DIVOS IVLIVS. alterius AVGVSTVS DIVI F. quam quidem inscriptionem multis aliis in monumentis vsurpauit, vt in lapidibus qui ruinarum iniuriam effugerunt, passim Romæ legitur; cui vt adblandiretur Maro, Æneidos sexto, Diui eum genus appellauit: in antiquissimis enim Romanæ bibliothecæ codicibus habetur, AVGVSTVS CÆSAR DIVI GENVS. Idẽ cùm Sphingem repudiasset, qua tabellas signare solitus erat, nõ sine multorum conuiciis, qui ænigmata illum missitare cauillabantur, Alexandri aliquandiu imagine signauit, quoad sua demum vti collibuit, cùm authoritatis iam validissimè corroboratę, clarissimusque haberetur. Quin ea signare, qui quoque subsecuti sunt principes, perseuerarunt.

Octauiani Augusti nummata.

PROSPERITAS.

QVOD verò pertinet ad Alexãdri imaginem, persuasum olim fuit, peruulgata inter homines opinione illi prosperè omnia successura, omnesque eius actiones adiuuari, qui Alexandrum vel auro vel argento expressum gestitaret, adeò vt Macriana familia, quã suo tempore nobilissimã B Romæ fuisse Trebellius attestatur, Alexandri effigiem consueuerit habere quasi familiarem, apud viros quidem in auro vel argento, apud mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere. Quin & Antoninus Seueri filius Alexandri studiosissimus fuit, cuius imagines cùm passim renouasset mortales, vt huic eius studio adularentur, statuas aliquot erexêre, quæ vno corpore facies duas gestarent, Alexandri scilicet & Antonini. Quam quidẽ superstitionẽ Chrysostomus acerrima insectatur increpatione: nam & eo tempore abusus huiusmodi circumligandi aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus, auferri nondum potuerat.

Imago Alexandri.

DIVINA PROVIDENTIA.

IN Theodosij & aliorum qui eo seculo fuerunt Imperatorũ insignibus, in atrio præsidis Thebaidos nuncupati argumentum hoc pictum spectabatur, cuius exemplum in quodam eius militiæ ordinum officiorumque canone descriptum Romæ apud Maffæos inspexi. Tabula est libris quodam ordine dispositis onusta, quorum nonnulli syllabariis quibusdam notis inscripti sunt, quibus per compendium contentæ in eis rationes indicabantur, alij nihil præscriptũ habent. Supra tabulam fastigium attollitur, in media cuius facie genij duo latum sustentant orbem, in quo caput instar humani, cuius ita inscriptio est, DIVINA PROVIDENTIA. In angulis verò tabulæ quæ describtos, vti diximus, libros continet, singulis capita singula sunt apposita, quorum superius à dextera inscriptionem circunductam ostendit, VIRTVS. alterum à lævâ, SCIENTIA. inferius à dextera, AVTHORITAS. quartum à lævâ, FELICITAS. Quod quidem, vt puto, innuit rerum omnium gerendarum summam à Deo primùm emanare: eumq; conciliándum in primis, vt nostra omnia fortunẽtur. Mox necessariam esse virtutem, quippe animosum, aptum, & idoneum esse debere C hominem qui præclara sit facinora aggressurus. Verùm virtutem solam parum prodesse, nisi accesserit & disciplina, cuius scientia eruditi, & tempora & occasiones internoscamus. Sedenim & hæc & illa vix sufficient, nisi & authoritas adiuncta fuerit, qua milites populiq; sub imperio cõtineantur, iussaq; non contanter exequantur. Vnde legas de Vespasiano, cùm esset iam à militibus salutatus Imperator, authoritatem & quasi maiestatem quandam inopinato scilicet & adhuc nouo principi defuisse, quæ non priùs accesserit, quàm è plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adiissent, orantes, vt Tranquillus ait, opem valetudinis demonstratam à Serapide per quierem, restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere; cumq; vix fides esset rem vllo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis palàm pro concione vtrunque tentauit, nec euentus defuit, atque ita, quod primùm desiderabatur, authoritatem indeptus est. Sed & quarta necessaria est, felicitas quippe: licet enim animis valeas, experientia sis eruditus, authoritateq; communitus, nisi tibi res feliciter cedat, ruere plerunque omnia, & elabi in irritum experieris. Addita hinc & altera tabula cum eisdem libris & librorum notis & geniis in fastigio orbem cum capite sustollentibus, sed angulares circuli affixi adscripta habent nomina singula singuli, VER, ÆSTAS, AVTVMNVS, HYEMS, vt scilicet admoneamur, diligenter nos animaduertere debere, vt suo quæque tempore agantur, procurentúrve.

Theodosij & aliorum Imperatorũ insignia.

MVSA.

NVDVM autem mulieris caput, quale Nympharũ fingunt, nullis gestaminibus appositis, quæ hieroglyphici notitiam afferre solent, sed quod comam habeat nonnunquam ab occipitio nodo cõprehensam, nõnunquam in humeros negligenter diffusam, Diodorus Musæ hieroglyphi-

cum esse contendit, cuius dicto standum, cùm in huiusmodi rebus indagandis non incuriosus fuerit, tametsi nonnunquam sententiam ex vulgo mutuatur.

TERROR.

MVLIEBRE simulacrum horrifica specie fabrefactum apud Corinthios, imago terroris erat, de quo Pausanias lib. II. Atque huc nonnulli trahunt Medusæ caput, quam Domitianus pro pectore gestare gaudisus est, vt sui admirationem apud omnes incuteret. Quamuis non desint, qui factum id ab eo in gratiam Palladis, quam vnicè coleret, interpretantur. Sed enim de Medusa pleniùs in Anguium commentario.

ADVERSARIVS.

APVD Mathematicos faciem inuenias collo, ore, oculis, & toto capitis gestu tortuosam, idque cõtradicentem aduersarium significare: cuiusmodi simulacrum in x. Scorpij gradum intulêre, eoque supra horizontem ascendente in lucem editum, ceruicis fore indomitæ, opinionisque destinatæ, futurum esse præsagiunt.

ROMA.

MVLIERIS verò caput galeatum in plerisque numis Romam ostendit, non tantùm quia Romani nihil non armis arrogarint, aut quia suam ad Martem originem referre voluerint, quam vt arcanum illud suum de Romæ nomine publicari vetitum, peritis quidem rerum patefacerent, vulgo verò tenebricosius obscurarent, re ad interpretationem aliam distracta. Gergithius enim author minimè contemnendus, antiquum Romæ nomen Cephalon fuisse tradit, quæ quidem,

Romæ nomẽ Cephalon.

Tantum alias inter caput elatura esset,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Sed nos quid soliciti sumus, quibus rationibus Roma sit caput, cùm Dominus Deus noster Christus Petro prædixerit, nomen illi Cephas conuenire, quem scilicet Romæ principatui destinasset. Aliàs vero cùm eum Petrum nominat, ad Capitolij immobile saxum alludit, ac perinde omnium, non Romanorum tantùm, sed quaquam tota terra habitabilis extenderetur, caput futurus esset, quod dictum volui, vt Oecolampadij conuersio diligentiùs expenderetur, qui cùm Theophylactum Latinum faceret, verba illa, πέτρος τῆς οἰκουμένης, videtur prætermisisse.

DE BICIPITIO.

CVSTODIA.

DVo verò humana capita, quorum alterum maris, quod intrò aspiceret, alterum fœminæ, quod extrà prospectaret, custodiã significare Ægyptij tradiderunt: propterea quòd hieroglyphici huiusmodi beneficio sese à nullo dæmonum infestari posse persuasum habebant: &, vt Horus ait, figura hæc satis superq; ad tutelam sufficere credebatur, nullis vel literis, vel imprecationibus appositis, quæ infortunium amolirentur. F

DI MANES.

INVENIAS plerunque in veterum monumentis capita duo, duabus additis infernè literis D. M. quod DIS MANIBVS, hoc est, defunctorum tutelaribus sacrum vel commendatum intelligas. Cæterùm, vti dicebamus, Ægyptij id ipsum innuere volentes, & tutelam significantes, nullas addebant literas. Manes verò & superos & inferos, augures dicebant, inuocabantq; eos ita nuncupatos, quòd per omniã ætherea terrenaq; manare arbitrabantur.

ANIMADVERSIO SEVERA.

Tenedium numisma.

TENEDIVM numum memorat Pollux, ab vna cuius parte duo essent capita, ab altera securis, cusa. Seuerissimæ hoc animaduersionis signum, vt in Armis alibi diximus, habebatur, qua Tenediorum Rex filium percuti iussit adulterij conuictum, lata prius ab eo lege, vt in adulterio deprehensi mas & fœmina eodem supplicio securi subiicerẽtur. Quo iudicio cùm neque filio pepercisset, rem eo monumento iussit insigniri. Meminit huius legis eriam Aristoteles in Tenediorum republica. Et prouerbium in acerbos iudices inde factum, *Tenedia securis.*

PRVDENTIA.

QVOD verò bicipitium Iani apud Romanos celeberrimum fuit, sunt qui prudentiam solertiamq; regis præ se ferre autument: prudentis enim hominis est preterita noscere, futura verò multò antè præuidere. Hinc illa apud Persium exclamatio, cùm hominis nescio cuius prudentiam desideraret:

O Iane, à tergo quem nulla Ciconia pinsit.

Eodem fermè significato Anteuorta Postuortaq;, Diuinitatis assumptitiæ comites colebantur.

ANNVS

A

ANNVS INIENS.

NEQVE tamen desunt, qui bicipitium hoc ad munus occludendi aperiendiq; anni referãt: nam & Cyprianus bifrontem eum exprimi scribit, quòd in medio constitutus, annum incipientem pariter & recedẽtem spectare videatur. Quæ verò super hoc Ouidius latè describit, apud eum videnda prætereo. Imberbe Iani bicipitium in numo quodam est, ab cuius altera parte quadrigæ sunt, cum Ioue fulminante, inscriptio literis fossilibus, ROMA, quod nimirum ipsius Reip. sigillum fuerit. Geminus verò Ianus vtraque facie barbatus in argenteo nũmo est, in quo literæ, L.F. M.F.O.V.R.I. Ab altera parte trophæum est cum flagello & sceptro, cuius apex serpentinus, Roma iuxtà, quæ coronam ciuicam trophæo superimponit.

SATVRNI BENEFICIA.

IANICOLOS plerosque numos videas capitibus geminis vna ceruice contentis, vna parte signatos, altera naui. Sunt qui ex hieroglyphicis huiusmodi Saturni beneficia significari tradunt, Ianumq; eo monumento Saturno gratiam relatam voluisse, qui naui ex Ægypto in Italiam vectus agriculturam commonstrarit: nam à satu illi nomen apud Latinos fuit. De ratico verò huiusmodi numo ita Ouidius:

At bona posteritas puppim signauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Hunc verò fuisse primum numum cusum, & à Iano ipso signandi æris morẽ inuentũ, plerique memoriæ prodidere. Sed & Cecropis effigies biceps facta, quòd linguas duas calleret, Græcam & Ægyptiacam. Porrò fama est Athenienses Ægyptiorum colonos fuisse è Sacensi ciuitate duce Cecrope deductos, vt Nazianzenus in Monodia Basilij.

B

INCONSTANTIA.

ALIOQVI Mathematici bicipitium inconstantiæ hieroglyphicum posuêre. Nam tertio supra vigesimum Leonis gradu bicipitis hominis simulacrum oriri confinxêre, quòd eo ascendente gradu natum, inconstantis ac leuiter mutabilis voluntatis atque sententiæ fore præsagiunt.

BENE CONSVLTORVM STABILITAS.



Geryones quid.

CONTRA verò quos Ianos huiusmodi bicipitio insignes plerisque locis videas, sed sine manibus ac sine pedibus, quadrangulari quodam scapo ita præciso, vt ab humeris vbi in quadrum abire incipit deorsum versus magis ac magis angustetur, per hieroglyphicũ hoc sunt qui firmitudinem & stabilitatem eorũ denotari dicant, quę sapienter & maturo consilio gerantur. Quòd verò manibus & pedibus careant, vim diuinam ostendit, cui nihil horum opus vt quod facere destinarit efficiat: Deus enim simul & *annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.* Et alter, *Dicto citius tumida æquora placat.* Illa prætereà dilatatio quæ fit à basi sursum versus ascendendo, ostendit humana omnia, quò Diuinitati propiùs accedunt, eò augustiora ampliorąq; C fieri. Vnde apud Maronem Dido apotheosin sibi, ob res à se præclarè gestas pollicita, dicit:

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

de quo alibi latiùs.

DE TRICIPITIO.

GERYONES.

DE tricipitium verò Geryonem in primis significari passim inuenias. Quid autẽ sibi Geryones velit, & vtrum historicum an fabulosum fuerit commentum, vt adhuc in ambiguo sit scriptorum varietas efficit; vulgatior tamen ea est opinio, tres in Hispania fratres vnanimi concordia imperium obtinuisse, quos Hercules oppresserit. Græci, vt ingenio sunt ad comminiscendum noua promptissimo, alia atque super Geryone tradiderunt, sed inter eos Hecatæus Geryonem affirmat loca circa Ambraciam & Amphilochos tenuisse, indeque abactas boues, quæ specie mira reperiantur in ea regione valde herbidâ, & pascuis lætissima. Alij in Euxino ponto vrbem τριπαράνιαν memorant, cuius principem Geryonem Hercules sustulerit, cumque boues speciosissimas eius abigeret, interroganti cuius illæ fuissent, responsum, Geryonæ Tricareni, quod tricipitis sonat, inde datum locum fabulæ.

HISPA

HISPANIA.

Imp. Hadriani numus.

SANE vt Hispania, quæ tripartitò diuisa est, per hieroglyphicum Geryonis intelligatur, tum authores plerique, tum Imp. Hadriani tertiùm Consulis numus ostendit, in quo simulacrum triceps hastæ innixum, quod dubio procul factum, ob Hispaniam peragratam, siue vt originationem suam ostenderet, quòd Gaditana esset matre genitus, vt apud Spartianum est.

LVNA MENSIS VE.

INTERPRETES Hesiodi τριπέφαλον μηνοσύνα, Lunam significari contendunt, alij tempus præsens, præteritum & futurum, alij triplicem mensis diuisionem, quæ ternis apud Græcos denariis dispertitur, apud Latinos in Nonas, Idus, & Calendas diuiditur. Græcorum nuncupationes sunt, ἱσταμένα, δὶς δέκα, φθίνοντος, quarum nuncupationum vltima, dierum numeri Romano more retrocedunt.

AVXILIARES.

Quare multis manibus & pedibus præditus Geryon.

NEQVE me præterit Plutarchum in libro *De ciuilibus institutionibus ad Traianum*, asserere Geryonem multis oculis, multis manibus & pedibus præditum ea de causa vulgò dictitatum, quòd in negotiis obeundis consilio vno, multorum opera vti cõsueuerit, quod in principe vel alio quopiam, cui Reipub. summa credita sit, commendabile plurimum habetur. *Non enim omnia possumus omnes.* Idcircoq; Pelopides laudatur, qui legationem initurus, cùm se ad dicendum parum idoneum intelligeret, adiutorem sibi sociumq; muneris Epaminondam cooptauit. Sic Nicias cùm ad labores tolerãdos imbecillo admodùm corpore & inexperto esset, Lamachum sibi & robustum & industrium socium accepit. Quòd verò ait Plutarchus Geryonem pluribus oculis manibusq; præditum, eundem & Quadricipitem legas apud Aristophanem, vbi de Lamacho loquitur, βέλεσι διαμάχεσθ' Γηρυόνη τετραπίλῳ.

SOL.

Triceps Serapidis imago quid.

TRICEPS quoque Serapidis imago in numismatis quid sibi velit, in brutorum commentariis sparsim attigimus: sed id nunc locupletiùs explicandum est. Tricipitium est ex tribus animalibus, quorum in medio est Leonis caput vastum admodùm, dextera parte Canis applaudibundi blandientisque, læuâ Lupi, supernè calathus insidet, quæ species vniuersa Anguis ambitu complexa est. Qui Solẽ hinc interpretantur, ex capite Leonis tempus præsens indicari volunt, quòd eius conditio inter præteritum futurumq; actu præsenti valida feruensq; sit. Præteritum ex Lupi capite coniiciunt, quòd animal est admodùm obliuiosum, obliuio autem de præterito est. Futurum ex adblandiẽtis Canis effigie, quod est indicium spei, quæ nobis semper adblanditur; spes verò semper de futuro est. Competit verò Soli temporis consideratio. Quid verò sibi velit Serpens, vt Deus sit, vt temporis author, alio commentario satis explicatum est, alibique ostendimus huiusmodi tricipitium prudentiæ conuenire. Calathum verò loco hoc aiunt altitudinem sideris commonstrare, vimque refertissimam ac opulentissimam, quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.

IVPITER ÆQVVS.

QVAMVIS qui Serapin Iouem esse dicunt, modium eius capiti superpositum ea de causa figurari autumnant, quòd omnia sint æquis distributionibus ab ipso rerum omnium arbitro moderata. Nam, vt optimè Maro, *Rex Iupiter omnibus idem.*

DIANA.

ET Dianæ simulacrum tribus insigne capitibus celebratur, quorum vnum Equinum, Caninum alterum, tertium humanum, sed facie admodùm rusticana. Vnde Maro,

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ,

dixit. Apud Aeginetas tamen vna tantùm facie & vnico corpore fingi Hecaten, talemq; apud eos statuam se obseruasse Pausanias tradit, Alcamenemque primum tria illa simulacra inuicem connexa excogitasse. Quid verò sibi velit Equus, Canis & rusticana illa facies in eo simulacro, alibi docuimus.

QVA

QVADRIFRONS.

QVATVOR ANNI QVALITATES.

QVR verò Ianus quadrifrons plerisque locis informari solitus sit, ea fuit causa, quòd illi rerum omnium principia finesque, introitus exitusque, dedicati essent; quin & quæ illi templa erigebantur, quadrata specie fiebant. Et mercatorum stationes trapezitarumq; mensæ, in eiusmodi Ianis habebantur, de quibus apud Horatium:

— *Hæc Ianus summus ab imo Perdocet.*

Ad id etiam spectabat ea effigies, vt quatuor anni qualitates indicaret, quas Græci Latiniq; Horas vsitatissimo vocabulo appellarunt. Horatius de Ioue: *Variisq; mundum temperat horis.* Et quoniam in horas incidimus, erat apud Megarenses Iouis simulacrum, supra cuius caput & Parcæ & Horæ statutæ erant, ea de causa, inquit Pausanias, quòd fata in Iouis omninò potestate consistant; Horas verò, quippe quæ nos Anni tempora dicimus, arbitrio suo disponat. Cæterùm quod ad Parcas attinet, Æschylus Iouem quoque ipsum fato subiectum esse dicit, ita super eo locutus, ἴσασιν ἀνάγκῃ γε τὼ πεπρωμένῳ. Atque hinc fortè Parcæ illi supra caput insident.

Iouis simulacrũ apud Megarẽses.

IANI FILIÆ IIII.

CRITOLAVS tertio τῶν φαινομένων, Iani simulacrum ideò quadrifrontem figurari dicit, quòd filiæ eius quatuor laqueo gulam fregerint, Iani patris desiderio, quem agricolæ lapidibus obruissent, vbi de Iano illo loqui videtur, qui Saturni filius perhibetur, qui vino finitimis agricolis communicato, cùm ij suauitate illecti plus æquo hausissent, in somnumque prolapsi diu iacuissent, B experrecti demùm, venenumq; sibi propinatum arbitrati, consurrexerunt in Ianum, eumque lapidibus oppresserunt. Hæc eadem à Plutarcho referuntur.

QVINCVCEPS MANASSES.

QVINIS verò frontibus neminem præter Manassem formatum legi, qui Rex Hebræorum posteaquàm Prophetam Esaiam sustulit, quincuplici facie statuã sibi posuit, vt longè plura se perspicere indicaret, quàm Prophetæ, qui *Videntes* appellabantur. MVLTISGIVS.

SEPTICEPS.

MATHEMATICI, si Petri Aponensis inuenta sumus admissuri, quæ vnde desumpta sint, quamq; antiquum sit argumẽtum illud, alibi declarauimus, hieroglyphicum septem capitibus insigne, quintodecimo Geminorum gradu statuêre, inde significantes sub eo graduum numero in lucem editum Multisciũ fore, quippe nullum doctrinæ genus, artem nullam, nullam denique linguam esse celebrem, quam is non sit optimè consecuturus, eundem tam publicis quàm priuatis rebus agendis aptissimum, & inter mortales admirabilem omninò fore pollicentes.

Mathematicorũ obseruatio.

DE COMA.

C SAPILLI verò cùm ad caput pertineant, hieroglyphicis eius postulant adscribi, qui nimirum in Diuinis literis cogitationes, quibus ornatur anima, mensq; contegitur, significare feruntur à venerandæ antiquitatis Theologis: anima enim ipsa cogitationes generat, perinde ac caput sibi capillos profert, quibus ornetur & obtegatur. Hinc illud, *Capillos capitis nostri numeratos esse*, cogitatus quippe nostros omnes Deo patescere. Tondere autem, superfluas & inutiles cogitationes, summouere significat; quæ nisi tondeantur, vel obcæcant, vel aliquod aliud afferunt impedimentum. Eucherius pilos veterum cogitationum indices esse dicit, ideoque imperatum à Moyse, vt Leuitæ abradant omnes corporis sui pilos. In Nazaræis autem non tondere, neque quidem pati vt eorum caput à nouacula tangatur, indicium est, eos cogitatus suos, atque omnem vitæ rationem, ita Deo dedicasse, vt nihil in eis superfluum appareat. Nam & qui sacerdotibus mandauerũt vt barbam nutrirent, quod in Nazaræorum quandam similitudinem olim Concilia pleraque statuerunt; fieri hoc intellexerunt, vt hi dum barbam capillósve vel viderent vel attrectarent suos, sui identidem officij recordarentur, cogitatus quippe suos in Deum dirigendos, rorum esse sanctum debere sacerdotem, bono semper vti cõsilio, & in se nihil admittere, quod vel mutare vel summouere sit opus. Quis est hic, dicet aliquis, vt laudem Deo demus? Esto vel nullus, vel quàm rarissimus, admonitio tamen hæc sub oculos assiduè obuersata proficere aliquid potest, veluti reliqua quoque sacerdotis ornamenta gestaminaq; aliquid præ se ferunt singula, quæ per hieroglyphicum quæque suum, hominem integritatis admoneant. At decies in die vel iustum cadere clamitabunt, ideoque tondendum identidem, vt auellendarum cogitationum praua rũ memores identidem simus: seducere enim seipsum hominẽ, qui se sine peccato esse professus fuerit. Atqui sanctius est longeq; laudabilius, in eo mentem cogitationemque omnem collocare, ne potiùs peccemus; quàm quotidie peccare, vt emendationis admoneamur. Sedenim quãtum ad

Capillorum in Sacris hieroglyphicum.

comam

comam attinet, modũ his moribus Gregorius ſapiẽtiſſimè præſcripſit, qui quarta & vigeſima libri D primi epiſtola, capillos ipſe quoq; in capite ait exteriores cogitationes indicare, & præſentis vitæ curas exprimere; quæ quidem ex negligenti atque torpeſcente ſenſu coortæ, quia minùs opportunè prodeunt, nobis quaſi nõ ſentientibus pullulant. Igitur aliis qui præficiũtur ſacerdos, neque prorſus debet ſolicitudines exteriores à ſe proiicere, neque illis multùm inhærere. Coma itaque nequaquam deglabretur, ſed ne immoderatiùs excreſcat, diligenter attondeatur. Quod verò de non abradenda in rotundum facie capillorum, lege prohibitum eſt, vel vt Septuaginta reddidêre σσύρω, facere more barbarico, quod nonnulli denſioris capilli tædio factitant, ob paganorũ inſtituta nonnulli vetitum putant, apud quos voueri comas, & puerorum capita dæmonibus offerre mos fuit.

SERVITVS.

Serui Agrippæ Poſthumi tactum.

CÆTERVM raſitatio capitis apud Græcos pariter & Latinos diu ſeruitutis indicium fuit. Ideoque Agrippæ Poſthumi ſeruus nomine Clemens magna auſurus, vt pro Agrippa iam necato, cui nonnihil omninò ſimilis erat, ſeſe ferret, & res nouas in repub. concitaret, furatus domini cineres, Coram Hetruriæ promontorium vectus ignotis ſeſe abdidit locis, donec (inquit Tacitus) crinem barbamque promitteret: nam ſerui caput raſitabant. Apud Ariſtoph. Auibus, Piſtotherus admiratur Poëtam, qui ſe Muſarum ſeruum dixerat, comatum eſſe. Et apud Latinum Comicum, tanquam mirum de ſe futurum dicit Amphitryone ſeruus Soſia,

E

Vt hodie abraſo capite caluus accipiam pileum.

LIBERTAS.

Lacedæmoniorũ mos in bello.

ONIRO CRITÆ frontem capillis glabram imaginari, indicium eſſe autumant liberationis à moleſtiis & impedimentis. Quin & caluitium ipſum, accerſitis in iudicium, aut ſupplicium timentibus, effugium oſtendit. Idcirco verò Lacedæmonij frontes abradi, capillum à tergo demitti iuſſerunt, vt longè tutiores in bello eſſent, adimereturq; hoſti facultas in pugna capillũ apprehendendi. Nam & barbam etiam ea de cauſa, præter Græcorum aliorum morem, raſitare conſuerunt. Quòd ſi fugam meditarentur, inſtabat à tergo vinculũ atque anſa, quo capi poſſent, atque ita præ capturæ metu deſtinatiore animo conſiſtebant, aduerſiq; dimicabant. Pollux Euboicos opiſthocomas vocatos ait, & Hectorem Timæus ea per terga fuſa coma inſignem deſcribit, id quod Abantes primos omnium excogitaſſe Homerus tradit. Idem Homerus κορηκομῶντας Græcos ea de cauſa vocat, vt antiqui eius interpretes tradunt, quòd moris eſſet apud Græcos comas nutrire, in ſignum fortitudinis: Theſeaque primum aiunt anteriorem capitis comam Apollini Deliaco dediſſe.

MOLLES.

ALIOQVI coma tam apud Græcos, quàm apud Latinos, mollitiei ſemper ſignum fuit: comatum enim puerum Græci probri causâ dicunt. Et Cicero paſſim, capillum nunc compoſitum & delibutum, nunc comptum & madentem, nunc calamiſtratam in vnguentato Conſule comam inceſſit. Vituperat & Maro madentem crinem Mæonia ſuffultum mitra.

DE SEMICRINITO CAPITE. F

OSIRIS non ſemel dicendus eſt nobis, tot & tanta fuerunt ea quæ ſuper hominis celebritate veteres memoriæ prodiderunt, dum commentum alij, hiſtoriam alij conſectantur, veluti de ſemicrinito eius capite varia traduntur.

OSIRIDIS PEREGRINATIO.

Oſiridis ſimulacrum.

NAM eam effigiem in Oſiridis memoriã fieri, author eſt Xenophon, quiſquis ille fuit qui ſcripſit Æquiuoca, quo nonnulli peregrinationem eius oſtendere interpretantur. Ita verò habebat ſimulacrum huiuſmodi, vt qua parte crines & barba promittebantur, ita prolixi ſinerentur, vt alteram oris partem omninò cooperirent. Cauſam hanc afferunt, quòd toto expeditionis tempore quo Gigantas bello perſecutus eſt (id decennium in Italia fuiſſe ferunt) capillum & barbam nutrierit, quam mox in Ægyptum reuerſus depoſuerit. Vnde mos inoleuit apud Ægyptios, vt peregrinantes barbam & comam nutrirent. Superioribus annis facies huiuſmodi dextera parte capitis crinita, læua abraſa, Viterbij antiquo lapide viſebatur, egoq; apud Petrum Melinum virum Rom. nobilitate & literarum peritia inſignem marmoreum capitulum vidi à ſiniſtra parte capillatum, à dimidia altera glabellum.

MARIVM INTERITVS.

Opinio cõiectorum.

CONIECTORES (nam libenter hos in comitatũ accipimus, q; eorum dictata magnam cũ Aegyptiacis hieroglyphicis ſimilitudinem habent) rem aliter interpretantur. Nam dexteram capitis partem capillis denudatam imaginari, oſtendere aiunt mares conſanguineos extingui debere, quòd

A quòd ſi nullos habuerit, damnum nihilo ſecius aliquod extimeſcendum.

FOEMINARVM INTERITVS.

SI verò læua capitis pars ſine capillis eſſe viſa fuerit, cui hoc acciderit, fœminas, ſi quas habet conſanguinitate iunctas, interituras oſtendit. Si non habeat, alicunde damnum omninò obuẽturum: cognatorum enim hi ſignificatiuum caput conſtituunt. Dexteras verò partes mares, ſiniſtras fœminas, in Tauri commentario non ex coniectorum tantùm opinione, ſed & Medicorum & Philoſophorum & Aſtronomorum etiam traditionibus indicauimus.

SOLIS VIÆ.

QVI demum Oſiridis rem curioſiùs interpretantur, Solem aiunt apud Ægyptios Oſiridis nomine acceptum, & manifeſto naturas ipſius argumento læuas partes abraſas oſtentare, dexteras verò hiſpidas. Nam quo tempore dexteras, hoc eſt, Septentrionales mundi partes inambulat, virent omnia, herbis, fruticibus, arboribusque tum pubeſcentia, tum hiſpida, quo in læuam vertente, abradi omnia videntur.

SENECTVS MISERA.

OCCIPITIVM verò caluum, vt iidem Coniectores opinantur, ſenectutem indicat inopem & infelicem.

IACTVRA.

QVÒD ſi toto capite caluitium eſſe viſum fuerit, amiſſionem eorum quæ ad vitæ ornamenta pertinent, præmonſtrari tradunt. Quin & abradi caput, niſi ſacerdotes ſint, aut ſcurræ, aut quòd id facere conſuerint, malum protendit, bona quippe eorum vi auferenda, nauigantibus nauB fragium, morbo affectis periculum extremum, citra mortem tamen, quòd moris ſit naufragio facto capillum deponere, neque non à morbo conualeſcentibus.

SVPERFLVA SVMMOTA.

Cur quotidie raſitabant ſacerdotes Aegyptij.

QVÒD verò ſacerdotes Ægyptij quotidie raſitabant, neque vllum capillorum veſtigium toto capite cerni patiebantur, hieroglyphicè ſignificare volebant, ſuperflua omnia ſummouenda: cuiuſmodi ſignificatum habetur XXI. Deuteronomij, vbi ſi mulierem quis ex hoſtico viderit approbauerit que, ita vt eam vxorem ducere concupiſcat, iubetur inter alia caput eius detondere, vngues que præcidere; hoc eſt (vt Cyrillus interpretatur) ſi quid in profanis diſciplinis deprehenderimus, quod approbemus, id que in vſum noſtrum transferre cupiamus, dandam operam, vt ex his quæ ſuperflua fuerint, amputentur.

VIRTVTIS DECOR.

Comæ Samſonis quid ſignificet, & Dalidæ amor.

IN Diuinis denique literis multa leguntur de Samſonis coma, quam ſtudioſiſſimè nutriuerit, propterea quòd dum ea capiti eſſet applicita, quò diffuſior erat, eò ipſe viribus valentior, & ad iniecta quælibet vincula diſrumpenda robuſtior efficiebatur, ea verò detonſa, deficiebat viribus, & toto robore deſtituebatur. Intelligitur verò Samſon Nazaræus, vir aliquis Deo dicatus: comam enim is ordo religioſiſſimè vti dictum nutribat, per quam ampliſſimæ virentis ornamentum accipimus, quæ caput, hoc eſt, intellectum noſtrum decoret; quæ quò magis excreſcit, eò fortiores aduerſus aduerſarios motus efficimur. Per alienigenas, qui vincula contendunt iniicere, humanos affectus & concupiſcentiæ vim intelligimus: id enim innuunt preces ſacræ, dum parci nobis ab alienis ſupplicamus. Quòd ſi eueniat, vt humana victi fragilitate mulieris Dalidæ, hoc eſt, corrupti C ſenſus amore corripiamur, declinamus in ſomnum, & in eius gremium obdormiſcimus, obliti ſcilicet eorum quæ rationis lumine irradiati vigilantes operabamur, iam facti deſides ignauique, bona opera intermittimus; ita mulieris dolo tondemur, hoc eſt, voluptatis inſidiis illecti ſpiritus fortitudinem amittimus, & in hoſtium ita poteſtatem incidimus, qui nos vexent, exagitent, & ludibrio habeant. Nulla enim re magis cruciatur homo, quàm rerum humanarum cura: aut enim ſimulac huic deditus fuerit, auaritia, aut amore, aut odio, aut inuidia, aut alia quapiam lue moleſtione que malè affectus, aſſiduè laborat. Vbi verò reſipiat (id enim eſt vbi expergefactus fuerit) errorem agnoſcit ſuum, pœnitentia que adductus amiſſam ſtudet comam reparare, paulatim que vires ita reſumere, donec priſtino recuperato robore, peccato iam moriturus, cum vniuerſo inimicorum conuentu exitialem in ſe ruinam trahat, extincta que omni cupiditatum & vitiorum manu, mundo etiam ipſe moriatur.

DE CANITIE.

SENECTVS.

Coniectorũ ſuper canitie opinio.

SVPERVACVVM videtur, per canos ſenectutem locorum vbique ſignificatam dicere, ſed illud commemoratione non iniucundum fuerit, quod in hanc ſententiam oſtenta olim præmonſtrauêre. Galbæ ſiquidem, cùm is prouinciam Hiſpaniam Tarraconenſem ingreſſus ſacrificaret intra ædem publicam, accidit vt puero è miniſtris acerram tenenti capillus repentè toto capite caneſceret, quod rerum mutationem ſignificare Aruſpices reſponderе, ſucceſſurumq; iuueni ſenem. Nam is Neroni Claudio ſucceſſit, qui alterum & XXX. natus annum

sublatus est, ipse tertio & septuagesimo ætatis anno Imperium adeptus. Sed enim Coniectores D ominosum habent, si vel puer vel adolescens in senem mutari sibi visus fuerit: mortis enim propediem affuturæ signum hoc volunt. Neque lætum esse, si contrà senex fieri se puerum imaginatus fuerit: portendere enim hoc imprudenter eum aliquid facturum, quod ei nocumentum afferat, propterea quòd, vt Homerus ait,

αἰεὶ δ' ὀπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

DEVS PATER.

Quare Deus canitie insigni pingatur.

INVENIES in Diuinis literis Deum visenda canitie figuratum, vt apud Danielem: *Capilli capitis eius quasi lana munda.* Angelos hinc Eucherius, & albatorum multitudinem significari tradit. Alij ad humanæ naturę similitudinẽ transferentes, ideò fieri autumant, vt dierum antiquitas inde subinnuatur: Deo enim nihil antiquius. Quod ea de causa libentiùs adnotaui, quia scio esse plerosque etiam quantiuis pretij viros, qui Deum patrem ea canitie insignem pingi nequaquàm approbent.

DE BARBA.

DE barba verò aliis atque aliis temporibus, apud alias & alias gentes varia semper fuit institutio, neque cõstans vnquàm vsus. Verùm de ritibus nunc dicere supersedebimus, quòd materiam huiusmodi perpetua nuper declamatione percurrimus, vbi rationes E explicuimus, cur sacerdotibus comam nutrire vetitum sit, barbam verò abradere non concedatur. Verùm hîc significata tantùm prosecuturi sumus.

VIR.

Cur barba sit virilitatis præcipuũ indicium.

VNVM ergo atque id præcipuum est barbæ hieroglyphicum, vt virilitatis indicium sit. Nam etsi alia sunt signa quæ marem à fœmina secernunt, quia tamen plerique viri dicuntur effœminascere, mulieresq; identidem virum inducere; barba viri illius signum apud veteres habitum, qui non sexu, sed virtute ipsa longè alius à fœmina reperitur. Nam & mulieres si quæ virtutẽ hanc consecutæ sint, viriliter agere dicuntur. Vnde Horatius dẽ Cleopatræ animis ait: *Nec muliebriter expauit ensem.* Quòd verò virum barba significet, multa Sapientum dicta testantur. Nam barbam se ideò gestare Diogenes respondebat, vt se virum esse subinde recordaretur. Haliabas & plerique philosophi admodùm clari, barbam dixere viris à natura ornamenti dignitatisq; causa contributam. Inde Artemidorus, filios tantum ornamenti patribus afferre dicit, quantum ori barba decoris addit. Cynicus apud Lucianum tam deforme putat esse ornatum barbæ auferre viris, quàm Leoni iubas attondere. Thesea perhibent tondere barbam nunquam voluisse, vt virtutem ipse suam eo profiteretur indicio, qui tamen omnium primus anteriorem capitis comam Apollini Deliaco dedicauit. Sed hæc tam multa sunt, vt si omnia complecti velim, nunquam habitura sint finem. Ad nostra igitur reuertamur. *Sed nec radetis barbam*, inquit qui Dominus est: vel, vt Septuaginta. *Non corrumpetis barbæ faciem, quia perfectionis nostræ signum est barba*, Hierosolymitanus ait Hesychius. Neque F enim est congruum, virtutes, quarũ barba symbolum gerit, corrumpere, agentes nos non sub vero, sed sub falso & ficto habitu. Theologi veteres, quos imitatur Eucherius, eo loco Regum, vbi Hanno Ammonita nuntiis Dauidicis, qui de patris obitu Regem consolaturi aduenerant, barbas abstulit ad ignominiam, historiam ad mysticũ sensum deducentes, Hannonem iniuriosum diabolum esse dicunt, qui subinde bene facere volentibus barbam abradit, hoc est, fortitudinem adimit. Ita apud eos barba erat fortitudinis hieroglyphicum, quia scilicet virum indicat. Atque vbi Dominus XXI. Leuitici cap. repetit ad sacerdotes filios Aaron: *Non radent caput, neque barbam*, inquit: *Caput & barba*, ait Hesychius, *sapientiæ est & perfectionis nostræ signum.*

ORTA SENESCERE.

Æsculapius intonsa barba depictus.

CVR verò intonsa semper barba sit Æsculapio, cùm tamen pater eius Apollo impubis passim ostentetur, capillo eius tantummodò luxuriante, hieroglyphicum Philosophi sic explicuêrunt. Nimirum ille rerum author viridi semper fruitur iuuenta, verùm omnia quæcunque generantur, in senium ocyùs aut seriùs vergunt. Sed quamuis ita passim barbatus Æsculapius figuraretur, apud Sicyonios tamen simulacrum eius imberbe ex auro & ebore confectum fuisse, Pausanias tradit.

IMPE

A

IMPERITIA.

FACERE mihi videtur ad institutum negotiũ (vt id etiam addamus) quòd sacerdotes illi imperitum hominem, eúmque præsertim, qui vniuersum vitæ tempus domi sessitarit, nec aliorum mores hominum peregrinásve vrbes inspexerit, vt ita rerum ignarus sit, ne rei cuiuspiam rationem norit, non amicitiæ, non hospitalitatis iura susceperit, ipse quis sit, vtrùm sit, an non sit, id quoque nesciat, per asininum caput humano appositum trunco significabant. Asinum enim esse imperitiæ hieroglyphicum, suo satis commentario declaratum est. Solitos verò Ægyptios humana corpora brutorũ capitibus insignire, prout hoc vel illud animal alia atque alia præ se ferebat significata, testimonio ea multa sunt, quæ in gemmis, in marmoribus, in æs, ad hanc vsque diem monumenta superauerunt, quorum intellectus ad simpliciũ significationes referendus est. Hæc enim hoc loco persequi, infiniti laboris esset, & reliquis commentariis de animalium significationibus deriperet argumentum.

DE CERVICE.

B DIVNCTA capiti ceruix est, ita vt caput rarò sine ceruice proponatur. Ea autem vt sola aliquod habet hieroglyphicum. Nos igitur & naturam & hominum mores secuti, aliquid etiam super ea referemus. Neque enim fruſtrà illa modò mollis atque summissa, modò rigida erectáque, sed veluti ex habitu gestuq; aliquid prę se fert quod omnibus manifestum videatur, ita non indiligenter veteres sua inde significata desumpsêre.

SVPERBIA.

Ceruicis in sacris litteris hierogly phica.

IN Diuinis sanè literis pro arrogantia atque superbia ceruix accipitur, quare Psalmo trigesimo supra centesimum, *impiorum concisas ceruices* legas, pro edomita superbia. Quamuis eo loco non desunt qui *Funes*, hoc est, *Vincula* legendum asseuerant, quæ scilicet iniecturos se minitabantur. Pro elati verò signo: *Filiæ Sion ambulauerunt extento collo.*

FEROCITAS.

NOSTRI ferocitatem per ceruicis hieroglyphicum exprimere maluerunt: vnde Horatius in Epistolis:

- At vos Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat Indomita ceruice feros.

Et elatæ rigidæq; ceruicis homines physiognomici superbos esse dicunt. Et apud Esaiam cap. xv. contumax huiusmodi vitula, sternax, & indomita, pro ingenij nostri documento notatur. Et Psalmo 28. supra centesimum: *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.*

AVDACIA.

Loci Ciceronis ad rem aptissimi.

PRO audacia, multa apud Ciceronem, vt illud in Verrem: *Tamen si qui erunt tantis ceruicibus reC cuperatores, qui audeant in prouincia, cùm Prætor adsit, contra voluntatem eius iudicare*, & huiusmodi pleraque.

SVMMISSIO.

CONTRA verò summissum animum, appositio iugo significat, estq; hieroglyphici huiusmodi metaphora apud scriptores vsitatissima. Cicero in Ant. *Dandæ ceruices erunt crudelitati nefariæ, legiones ad vrbem adducere, & eas in ceruicibus nostris collocare cogitat.* Et de natura Deorum: *Itaq; imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominum.* Absque iugi verò signo in obsequij significatum vitula est Oseæ 10. quæ trituram amare docta, supra Ephraemei colli pulchritudinem transitura sit.

DE DORSO.

CERVICI subiicitur dorsum. In dorso gibber esse solet. Gibberosus homo hieroglyphicum eius est, qui, vt in Diuinis literis habetur, reiicitur à sacris, eumq; significat qui flagitiorum sarcina oneratus est, neque tamen errorem aut delictum intelligat suum, vtpote qui non videat manticæ quod in tergo est. Vide verò illud, *Quid operatur gibberosus quasi rectus?* ab Rege Israël dictum in Regem Syriæ.

FVGA.

DORSVM autem fugę manifestum est hieroglyphicum. Vnde 1. Regum, vbi de Dagonis idoli casu scribitur: *Arca Domini iuxta locata, noctu fractum dissiluisse, maneq; dorsum eius tantùm inuentum*, quod indicium fuit, veri numinis aduentu falsum eiectum, & in fugam actum. Nam qui fugiunt, persequentibus dorsum dant. Eadem sententia in Psalmo scriptum: *Quoniam pones eos dorsum*, hoc est, *coges eos arrepta fuga dorsum obuertere.* Id nostri dixêre: *Terga dare.*

DE HVMERIS.

VIRES.

HVMERI dubio procul vires & fortitudinem, vt Eucher.ait, in Sacris literis indicant. Vnde Propheta cùm magni arcani onus crucem ipsam gestandam prædiuinaret: *Potestas*, inquit, *super humerum eius*. Cicero de Senectute: *Cùm humeris Bouem sustineret viuum*. Et Orat.pro Flacco: *Respublica quam vos vniuersam in hoc iudicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris, Iudices, sustinetis*, & ita sæpiùs.

PIERIVS VALERIANVS
AD VRBANVM BOLZANIVM PATRVVM,
DE IIS QVÆ PER OCVLOS, AVRES,
Nasum, Os, & in eo partes significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXXIII.

FACILE *meminisse potes, honoratiß. Patrue, quarto ab hinc mense cùm Venetijs essem, tecũ viri illi clarißimi, Daniel Ranerius, Nicolaus Leonicenus, & Leonicus Thomæus adijssent, Græcas adhuc literas ætate tam confecta docentem inspecturi, quænam illa fuerint, quæ super oculis ex totius antiquitatis eruditione repetisti, quæq; illi ad propositum argumentum addidêre: quid super auribus, quid super ore & eius partibus examinarint. Nam eum tu diem, ob eorum amicorum conuentum & tam variam rerum eruditionem inspectam, quæ hinc inde emicuit, inter totius vitæ tuæ iucundissimos recensuisti. Comperimus verò te in honestissimo studiosorum cœtu Pindari oracula interpretantem, forteq; locum illum explicabas, Nemeis, Diniæ, μασθῷ ὃ κῆρ πέρψις ἐν ὄμμασι θέσ πίσιν. hîc tu horum aduentu plurimùm exhilaratus, opportunè de lætitia, quæ statuerit in oculis fidem, disseruisti. Gestit enim, interpretabaris, voluptas ex oculis fidem facere; lætitiam scilicet oculi patentioris figura hieroglyphicè apud Aegyptios significari, in ijsq; iucunditatis præcipuam esse sedem, quia gaudium se primùm ab oculis prodat. Eorum enim tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum explicari, atque, vt nostri aiunt, eos nimis argutos: quemadmodum animo affecti simus, loqui. Polemonis dictum haberi, oculos esse tanquam fores animi; per oculos quidem animum emicare, indidemq; animum introspici: ex quo nonnulli oculum verum cordis nuncium dictitarunt. Vsqueadeò verò totam corporis vim in oculis incumbere, Zamolxis & Abaris Philosophi totius corporis curatione opus esse dixerint, si quis oculis mederi vellet; quòd si corpus curare quis affectaret, animum in primis depurgandũ. Subiecisti mox: Essent autẽ multa ex Aegyptiorum doctrina in oculorum hieroglyphicis: sed ne vos κῆ πάρεργον importunè demorer, reliqua Pindarica prosequar. Imò, respondit Ranerius, peroportunè, Vrbane pater, in hunc sermonem incidisti, vt de literis Aegyptiacis loquerere. Nam per totum hesternum atque hodiernum diem hospites hosce meos Leonicenum atque Leonicum fatigaui, super huiusmodi generis doctrina eos percontatus, qui quidem multa eruditissimè, tanquam sacra Cereris aperuerunt. Sed quod ad singulorum partes faceret, hærere se aqua in plerisque ingenuè professi sunt. Causa autem huius inquisitionis erat, quòd tabulæ cuiusdam ob antiquitatem admirabilis exemplum ad me Roma misit Bembus meus, obeliscorum etiam plurimas notas, quæ illic reperiuntur, quas quia ex Aegypto olim aduectas manifestum est, tuq; Aegyptum peragrasti, vbi magna est inscriptionum huiusmodi copia, & quæ tua semper fuit in antiquitate omni cognoscenda cura, studium, & diligentia, putamus te rerum huiusmodi non ignarum. Ad hæc Horum Aegyptium à Philippo quodam Græcè redditum accepimus, qui materiam hanc tractauit, sed codicem huiusmodi, quamuis ab Aldo nostro publicatum, plurimis locis mutilum & imperfectum inuenimus, non vtique Aldi, viri diligentissimi, negligentia, sed exemplarium vitio, quæ rarissima reperiuntur, atque ea in damno omnia. Eaq; de causa nunc ad te conuenerамus, si quid horum nosti, à te libenter audituri. Et quoniam oculi iam hieroglyphica commemorare cœpisti, ea rogamus (vt etiam pro amicis his meis loquar) ne nobis inuideas. Hîc tu: Grauissimum viri optimi onus ceruicibus meis imponitis, cùm pauca admodùm ea sint, quæ præstare possim, vt vestro respondeam desiderio: siquidem argumentum hoc in tot pyramidum & inscriptionum antiquarum memorijs, quas non in Aegypto tantùm, verùm & Romæ, & plerisque alijs in locis aspexi, me quoque diu multumq; torsit, cùm rerum harum obseruationes apud scriptores diligentissimè conquisierim, interpretationes autem, præter leuia quædam, nusquam repererim, easq; tantùm nutu veluti quodam indicatas, vt asseritis, Niliaciq; opusculum, in quo talia promittuntur, lemmata summatim quædam attigerit, atque ea qualiacumque sint, in manus nostras corruptissima peruenerint; quare, vti dicebam, quid super hac re polliceri possim, quod satis vobis faciat, non habeo, pudorq; non minimus me absterret, de secretioribus literis apud eos loqui, quos nihil, quod sciri possit, ignorare, compertissimum habeam. Ne tamen rusticitatem vllam induisse videar, quæ paucissima mihi cognita sunt, proferam, ea sic, vt à vobis & meliora & reconditiora*

ditiora sim magno meo cum fœnore recepturus. Et ne tempus in excusationibus quantumuis honestis conteram, quæ de oculorum hieroglyphicis recitare possum, quando ita vos iubetis, vt in memoriam venerint, explicabo quod eo libentiùs facio, quia dum vos charissimas animas conspicio, succurrit illud Euripidis:

Ὄμμασ' ὅνπερ φωτὸς βλέπειν γλυκύ.

Suaue est viri beneuoli oculos intueri.

IVSTITIA.

APVD Ægyptios sacerdotes primùm omnium Iustitiæ seruatorem per oculi patentis hieroglyphicum significari compertum est, frequensq; dicterium apud Græcos, quod minimè ignoratis, δίκης ὀφθαλμός. Tum Plato Legum nono, iustitiam Speculatricem atque Vindicem appellat. Chrysippus oculos iustitiæ acres, rectos, atque immotos facit, quòd eum, qui rectè iudicaturus sit, non oporteat huc aut illuc oculos ab honesto deflectere. Illud etiam nostis ex Diphili Comœdia: *Varia iustitiæ epitheta.*

ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς ὅς τἀ πάνθ' ὁρᾷ.

quod Nepos meus ita reddidit:

Est qui tuetur cuncta iustitiæ oculus.

Apud Epigrammatarios, qui temporis iniuriam peruicêre, pulcherrimũ habemus pentametrum:

Ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γινόμενα.

quod Nepos idem:

Cernunt omnia quæ fiunt lumina iustitiæ.

B Hinc aliqui in facienda dictis fide, iustitiæ oculum attestantur. Orphei quoque id de Sole dictum, Ὄμμα δικαιοσύνης, cui iustitiam in primis veteres dedicassent. Vnde Bithynni, quod scribit Arrianus iudicia ex aduerso Solis sedentes exercere consueuerant. Et veteres Theologi iustitiam prodidêre vt Proclus ait, è medio Solis throno per cuncta propagari, omniáque, veluti Sol ipse omnium moderator est, dirigere.

MODERATOR.

MARCVS Tullius vester Solem mundi *Mentem & temperationem* appellat, Scipionis somnio. Et vetustissimi illi sacerdotes moderatorem hieroglyphicè significaturi, oculum & sceptrum facere soliti sunt; nonnunquam in sceptro ipso ramusculos complicare, vt in complexum coëuntes oculi speciem in medio spectandam informarent, eaq; specie Osirin, quasi multoculum dicere vellent, intelligebant. Nam os Ægyptiaca lingua, multum: RI verò oculum significat, cuius interpretationis & Plutarchus lib.de Isíde & Osiride, neque non Eusebius meminêre.

SOLIS VIS.

IMAGINEM enim Osiridis apud Plutarchum fulgenti admodum amiculo vestitam habemus, ex quo Solis vis intelligebatur. Apud Euseb. ἢ ἵνα τὸ ὅσιον πολυόφθαλμον εἰκότως. Hinc Homericum illud:

Osiridis imago ex Plutarcho.

ἠελίῳ θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Quem secutus Maro dixerit:

C *Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.*

Illud verò non ignoratis, eundem esse Osirin & Dionysium, vnde Eumolpus:

ἀσφαφὴ διόνυσον ἐν ἀκτίνεσι πυρφορόν.

CVSTOS.

QVINETIAM ab officio in vniuersum corpus præstito, custodem ex oculo hieroglyphicè significari comperimus. Vnde oculos nõnunquam geminos totidem capitibus incumbentes aspeximus, quod DIS MANIBVS interpretantur. Capita enim Manes apud Ægyptios, oculos verò diuinitatem præ se ferre manifestum est. Maximè verò admirandam esse custodiam, quam oculus pupillæ præstat, ex Euthymio didicimus: siquidem Psalmo XVII. philosophatur, *Tunica super tunicam*, & alia quædam integumenta eam muniunt, quorum alia tenuia & transfluсida sunt, ne vllam pupillæ, quæ suaptè natura humida est, ac perinde mollis, inferant asperitatem: alia verò exteriùs crassiora, vt palpebrarum tunica, quæ duobus est semicirculis distincta, vt pulueris atque aëris incursum & paruula quæque animalia in oculos inuolare solita, repellat atq; summoueat. Quin pilis etiam vallatę sunt vt sudorem propè fluentem aliò auertant, neque in oculum influere permittant. Acutum enim & salsum sudorem esse, ac perinde molestum & cruciabilem, si oculum attigerit, futurum. *Loci Dauidici explicatio.*

DEVS.

PRÆCLARA autem illa sunt, quæ de Deo ipso per figuram nũcupationémve oculi commonstrato, intelligebant, veluti scilicet in minori mundo oculi sunt articulorum omnium præstantissimi pulcherrimiq; ac omnium actuum moderatores, ita Deum illum Opt.Max. mundi oculum, *Oculus mũdi Deus quomodo.*

patrem luminum à Iacobo nuncupatum, omnia formositate trascendere, omniáque gubernare, atque, vt ait Apostolus, nihil eum latêre, cuius oculis omnia nuda & aperta sint, atque ita bonos & malos speculetur; & vt quæ pro facie sunt homo videt, ita quę delitescunt in imo corde prospicit Deus, & perscrutatur. Hinc eruditorum opinio est, Θεὸν, διὰ τοῦ θεάομαι dictum, quippe quòd omnia prospiciat, vt inquit Eucherius, quíq; oculi in Diuinis literis Deo attribuuntur, eius sunt signum intelligentiæ, cui porrò nihil occultum sit. Cyrillus lib. IX. Apologiæ, qua Iuliani Apostatæ maledicta cauillationesq; in pietatem nostram refellere aggressus est, vbi ille Mosèos ænigmata reprehendit, qui verbis, non occultis rerum inuolucris, humanum genus erudire debuisset, is omnes qui antiquitùs habiti sunt sapientes, huiusmodi institutionis genere vsos indicat, cumq; Ægyptios memorat, eos dicit per oculum: & adiectum scipionem, vt paulò antè diximus, Deum intelligere voluisse, quippe summam super omnia naturam, quæ scilicet omnia conspiceret, ac omnium dominaretur. Per Sceptrum enim passim Regiam intelligi dignitatem. Quinetiam absque oculi pictura plerosque veterum reperimus Deum per stantem baculum figurasse. Cur verò ex humanis membris oculum illi pro Dei signo desumpsissent, eam afferunt rationem: oculum humanum mistura suæ materiæ aliquid lucis possidere, quod in nonnullis tam efficaciter exploratum est, vt per medias noctis tenebras, oculis repentè parefactis clarè cernant, id quod præcipuè Tiberio Imperatori contigisse prædicant. Et ætate nostra M. Antonium Sabellicum, dũ apud nos Græcè discereret, de se affirmantem audiui, quotiescumque noctu excitaretur, aliquandiu & libros & instrumentum cubiculi vniuersum liquidissimè discernere solitum. Quo constituto, congruum identidem erit, vnicum ac primarium illud lumen, quod omnem supereminet lucem, cùm sit ditione fulgentissimi splendoris potens, eiusq; omninò dominus, pro luce meritò nominari, eum mundi lucem profiteri, ac per oculum, lucis receptaculum figurari.

ANGELI.

QVATENVS verò noster oculus, licet alicuius sit particeps lucis, alterius tamen luminis indiget, si videre velit, eum Diuos, siue Angelos, siue, vt vereres plurimùm dicebant, Genios referre autumant; qui quidem sine superioris luminis, hoc est, Dei ipsius irradiatione, obire per se proprium munus intelligentiæ nequeant: intellectum enim quasi oculum videri, qui non ex se, sed lucis participatione videt. Oculum porrò, hoc est, ipsum intellectus vigorem, non omninò esse simplicem, alioqui aduentantis lucis compositionem concretumq; minimè pateretur. Hinc communis est authorum sententia, constare Angelos ex actu & potentia, quod altiori quadam inquisitione elucidari deberet, nisi solam hieroglyphicorum commentationem mihi demandassetis.

SERMO.

Sermo dupliciter consideratur.

VT cœptum igitur prosequamur argumentũ, eundem Oculum inuenimus esse sermonis hieroglyphicum apud Ægyptios, sermonemq; ipsum dupliciter considerari. Vno modo, quatenus loquendi facultatem à natura consecuti sumus: altero, quo in hoc vel illud idioma linguam inflectimus, & in proprio artem & elocutionem adhibemus. Simplicem itaque sermonem illum per linguam tantùm figurari, sed si cultum & elegantiam accessisse innuere vellent, linguæ oculum subsanguineum subiiciendum. Vigorem enim in eo quendam ita ostẽdebant, aut animæ principatum, cuius in sanguine sedes esse fertur. Sic autem perfectos animæ sermones effinxisse visi, similitudine à nobilitate sumpta, quæ vt præcipuè oculis inest, ita etiam sermoni congruit, casuũm quippe multiplici desinentia, pronunciationis varietate, accentuum tenore, alio atque alio oris, ac totius demùm corporis motu, vel ab arte, vel à natura concurrentibus.

CONTEMPTOR DIVVM.

ALICVBI videmus in solea insculptum oculum, quod iuniores pro animo Deo subiecto, & ad eius obsequia parato, posuerunt, quod ego aliorum iudicio reliquerim. Scimus nos soleam simpliciter calcandi supprimendiq; indicium esse, ipso vno, quod satis est, Virgilio dicente:

Atque metus omnes, strepitumq; Acherontis auari
Subiecit pedibus.

Ideoq; diuũm contemptorem, impium & perditum hominem intelligi, videri conuenientius.

FAVOR.

Verbi, Aspicere, hieroglyphicum.

NEQVE desunt qui oculum fauoris & beneficentiæ signum dicant, & in sacris verbum *Aspicere*, significare se propitium & benignum ostendere. Videmus enim apud Maronem, vbi Iupiter *Libiæ defixit lumina regnis*, Reginam ritè quietum accipere in Teucros animum, mentémque benignam. Contrà verò de Pallade acriter irata, *Diua solo fixos oculos auersa tenebat*. Hunc verò fauorem, qui per oculum indicatur, Theologi nostri Gratiam vocant. Vnde quos Deus aspicit, fortunari; quos auersari videtur, derelinqui, & infelices esse profitemur. Et quoniam nutus plurimum in palpebris consistit, sunt qui palpebras attributas Deo, locutionis eius, quæ in Diuinis literis habetur, hieroglyphicum esse dicant. Vnde de incomprehensibilibus eius sacramentis atque iudiciis, diceret Eucherius Psalmo, dictum: *Palpebræ eius interrogant filios hominum*. Hieronymus quoque iisdem verbis, palpebras (ait) incomprehensibilia iudicia Dei esse, eodem citato versu.

CASSVS

CASSVS LVMINE.

IN Diuinis literis, vt hoc subiiciamus, obcęcatus pro eo ponitur, qui Dei nullam habet cognitionem, neque vllam veritatis lucem intueri potest. Quod verò Assertor noster ait de oculo, qui mentem infestet atque seducat, eruendo: ineptè quidam, imò impiè atque Iudaicè carnęum oculum re ipsa effodiendum abiiciendumq; intelligunt, vnde nonnulli, nãcta hinc calumniandi ansa, in Christiani iugi suauitatem, onerisq; leuitatem, dura nimis præcepta Christi vocauerunt. Cæterùm si tam stupidi sunt vt Euangelicæ lectionis sensum non intelligãt, sciant Chrysostomum, Cyprianum, & Hilarium, doctos probosq; alios plerosque omnes de amicis illis declinandis intelligere, quorum nobis pernicio sa sit consuetudo, dum vel exemplo, vel etiam adhortationibus adducere nos à bonis moribus & à vitæ integritate connituntur. Omnia enim fatemur amico deberi; sed vsque ad aras. Atque hic subticuisti, mi patrue, profatus tãtùm, ne reliqua prosequerere, honorem habere te auribus grauissimorum hominum, cùm lepidè THOMÆVS coniectari se professus est, cur tibi tacendum imperasses, addens in explicanda rerum natura obscurioribusq; scriptorum locis in lucem eruendis, sibi, vtpote viro Philosophiæ studiis dedito, nullã esse debere verecundiam. Nam tu, inquit, oculum amoris lasciui etiam esse signum ideò dicere noluisti, ne Venerem ex obscœno carmine lumine esse pæto probare cogereris. Atqui poteras Venereum huiusmodi oculum ex Hesiodi Theogonia proferre: hũc enim, vt nosti, Poëta vetustissimus ἑλικοβλέφαρον appellat, quasi lasciuiæ amorisq; plenum, & mobilitate lubrica quoquo se facilè vertentem, hominisq; mentem, in quem inspexerit, tenacissimè complicantem, sumpta Hesiodani vocabuli à clauiculis vitium metaphora, quasi aspicientes laqueis & vinculis deuinciant atque cõstringant. Hic tu Patrue: Scio quid me deceat. Sed ea potiùs de causa finem feci, quòd nuper prælegẽdo, & nunc dicendo, lassulus mihi videbar: quare nisi vobis graue est, vos reliqua prosequimini, ὑμεῖν φέρτερόν ἐστι κρίνειν τε καὶ λέγειν. Hic Thomæus multa de te honorificè locutus, admittendam lassitudinis excusationem dixit. Vt verò dictionem tuam prosequeretur lepidus senex, multa super amore ex Musæo & Platone disseruit, quemadmodum is ex pætis amati corporis oculis in amantis pupillas inuolet, ibiq; aperta sibi via in medium vsque cor penetret atque transiliat, siue spiritus, siue sanguis sit tenuissimus, qui corpus in alienum tam lubricus illabatur: idcircoq; signatè admodùm inuerecundi, ac maximè petulantis hominis hieroglyphicum fieri ex oculo subsanguineo, obseruatũ ab iis, qui Physiognomiæ scientiam tradidêre; quare apud Lucianum de lasciuo & admodùm improbo adolescente dictum, habuisse eum ὑφαιμον ὀφθαλμόν. Neque temerè Ouidium inter lasciuiæ signa posuisse, purpureas genas pollice tangendas, cuius hæc sunt carmina:

Cùm tibi succurret Veneris lasciuia nostræ,
Purpureas tenero pollice tange genas.

Oculus Venereus.

LIBIDINOSVS.

ITAQVE si hominem Veneris vsui intemperanter deditum significare quis voluerit, eius aiebat oculos glabris ex toto palpebris effingendos, quarum pili tunc defluere incipiant, cùm res Venerea cœperit exerceri, eoque magis decidunt, quò amplior accidat eius rei vsus.

ADDEBAT denique ad ea quæ de amore aut pulchritudine aut alia quapiam charitate quæ affectuum excitet, disseruerat, oculum esse vbique hieroglyphicum, rei quæ maximè præstet, quæque carissima omnium habeatur, Catullianaque illa tot exempla, quæ toto passim opere comperiuntur, rei locupletissimum facere testimonium. Sed quòd insularum peninsularumque omnium ocellum dicit, ex Pindaro desumptum, qui Agrigentum Siciliæ oculum vocet, Olympiis, ode secunda, σικελίας τ' ἔσαν ὀφθαλμός. Atque in hanc sententiam Tullius: *Hi duos oculos terræ maritimæ effoderunt.*

PRÆSTANTIA.

Siciliæ oculus.

VITA MORSQVE.

PER adapertum autem oculum hieroglyphicè Vitam significari, veluti per eum clausum, Mortem. Hinc apud Homerum totiens, *Intueri Solem*, pro *Viuere*, hinc *Claudi lumina*, apud eundem, neque non apud nostros vbique, pro *mori*. Oculos enim morientibus operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum fuisse legimus, ita more condito, vt neque ab homine supremum eos spectari fas esset, & cœlo non ostendi nefas, authore Plinio.

Vita & mors per oculum.

METEORA.

D

IAM & monoculos Cyclopas hieroglyphicè confictos ea de causa, quòd eorum officium circa fulgurationes, & fulmina, & huiusmodi alia versari commentum fuit, quæ quidem in aëre fieri manifestum. Aër autem cùm in medio sit situs, datus est locus fabulæ, vt oculo vnusquisque vno tantùm in media fronte sito præditus haberetur. Ita interpretes Hesiodi Theogonia commentati sunt.

IOVIS PROVIDENTIA.

E

STATVAM demùm Iouis in subdiali ara, ad quam Priamum Troia capta incensaq; confugisse proditum, tribus insignem oculis fuisse ex Pausania cognitum, idq; simulacrum à Sthenelo Capanei filio Argos translatum. Hieroglyphicè verò indicasse triplicem eius prouidentiam, qua cœlestia, maritima, & inferna curat: Æthereũ enim eum passim & ab omnibus appellari. Quòd maris imperium gerat, & nostri sæpius, & Æschylus atque alij apud Græcos ostenderunt. Quòd infernus etiam sit, Homerus κατα χθόνιον eum vocat. Atque idem de Iunone apud Maronem, Iunoni infernæ dictus sacer. Atque hîc cùm Leonicus & screatu & pituitæ abstersione paulùm substitisset, RANERIVS excepit: Quantum ex iis quæ hactenus allata sunt obseruaui, pauca admodùm & ieiuna propemodùm ea esse conspexi, quæ veterum traditione ad hieroglyphicorum explicationem extare comperimus. Animaduerti verò te Thomæe cautè admodùm ad Græcorum & Latinorum eruditionem confugisse, vt rem ipsam locupletares, abundantioremq; redderes, quod & Vrbanus egregiè fecerat, cùm ad sacras præcipuè literas deflexisset. Nam quamuis rerum effigies pro verbis positæ sint ab Aegyptiis, in iis tamen, vti video, Philosophorum, Poëtarum, Historiarum, & diuinarum etiam disciplinarum sententiæ delitescunt, quæque illi angustis oculorum spatiis incluserè, reliqui ea per latissimos eloquentiæ campos produxêre, vnde ansa datur commodissima, rem amplificandi, & quaqua libuerit, cùm simile nusquam desit argumẽtum, peruagandi. Rectè quidem Raneri doctissime iudicas, respondit LEONICENVS, Aegyptiorum argumentum hoc latissimè diffundi posse. Nam & Hetruscorum doctrinam de prodigiis, & ipsa Onirocritarum commenta, cùm Physica magna sui parte sint, ab Aegyptiis emanasse crediderim, qui præsertim videam ipsum Hippocratem nostrum tantæ claritatis Medicum, decumbentium suorum somnia vsqueadeò magnificare, vt ad hanc vel illam imaginem, quæ videri visa fuerit, morborum, quibus affligerentur, naturam explorauerit, seduloq; his animaduersis, opportuna remedia singulis adhibuerit, quæ quoniam ab eo diligentissimè descripta sunt, supervacuum fuerit commemorare. Tum RANERIVS: Habendæ mihi sunt tibi Leonicene gratiæ non vulgares, qui coniectores mihi chariores esse facis, dum eos Aegyptiacum quid sapere docueris, quibus sum ab ineunte ætate mirificè delectatus. Dumque Vrbanus, atque mox Thomæus loquerentur, titillabat me cupiditas quædam, vt ad ea quæ dicebant, de somniis quædã non incongrua subiicerem, sed verebar sermonis tam iucundi cursum interturbare. Atqui, inquit LEONICENVS, opportunè, vir clarissime, partem hanc de somniis tractasses, nobisq;, si horum ego animos perspectos habeo, rem gratissimam fecisses; quare omnes te obsecramus, vt quæ dicturus eras, iamiam incipias explicare. Subsecutus est RANERIVS, Cum oculo, de quo hactenus multa sunt dicta, cilia componenda mihi videntur, neque non supercilia. De ciliis Leonicus, dum palpebrarum tangeret nuditatem, optimè.

Leonici & Raneriji Dialogismus.

SEVERITAS.

Seueritas Senũ propria maximè.

SVPERCILIVM ego pro seueritatis hieroglyphico positum video, cuius vos eam affertis rationem, senibus peculiarem esse seueritatem, eosq; passim ita habitos. His verò superciliũ maximè nutriri, & plerunque ita hirsutum haberi, vt tondendum sit, vnicuique manifestum, quod propterea euenit, vt vester tradit Aristoteles, quia supercilia compagini sunt appositа ossium, quæ senescente ætate laxantur, & ita plus humoris transmitti patiuntur, vnde superciliis alimentum affatim impendatur.

HILARITAS.

SED longè secus inuenimus Onirocritas sentire, qui supercilium hilaritatis indicium esse posuerunt, bonique alicuius aduentantis præsagium, si & densum & bene coloratum apparuerit, maximè verò si mulier ea fuerit, quæ per somnium id se videre imaginata sit: fœmellis enim id studium accuratius, vt etiam intinguant, ad venustatem augendam. Solere nos præterea & serenitatem frontis, & animi iucunditatem, ex supercilij relaxatione interpretari.

LVCTVS

A

LVCTVS.

GLABELLVM verò superciliũ somniare, luctus esse significationem, iidem Onirocritæ commenti sunt, cuius signi causam afferunt, quòd veterũ mos esset supercilium in luctu vellicare.

IVNO.

ID quoque mihi videtur obseruatione dignum, quod apud Sex. Pompeium habetur. Oculi superius integumentum in tutela Iunonis esse, quòd eo protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam ab Iunone tribui putabant, atque inde Lucinam eam dictam. Et partem eam capitis illi dicatam tradit Varro.

NVMEROSA PROLES.

APVD eosdem coniectores, eum qui tres oculos habere se vel plures imaginatus sit, si ductarus vxorem sit, bene illi euenturũ portenditur: filios enim quos quæsierit, breui suscipiendos. Indicium enim filiorum esse oculos, Artemidorus tradit, somniorum oraculis explicandis, propterea quòd & amabiles sunt, & instar oculorum chari, neque non senescentibus duces, ministríque agendorum. Quod enim ad amorem facit, in promptu est dictitare nos, ferre in oculis eos, quos charos habemus, & vnicè diligimus. Præterea dixisse Ciceronem ad Atticum: *Oderat, nunc fert in oculis.* Et apud Catullum, nil charius esse oculis: *Ni te plus oculis meis amarem,* & huiusmodi multa.

Oculi filiorũ indiciũ quare.

ORBITAS.

SI verò quispiam vtroque oculo per nocturnã imaginem obcæcari se visus fuerit, eum aut filiis orbandum, aut fratres, aut parentes amissurum aiunt. Fratres quidem, propterea quòd oculi inter se germanitate quadam coniuncti censeantur. Parentes, quoniam lucem prę se ferunt, in quam

B

nos eorum beneficio prodierimus. Quin etiam filios, ea quæ superiùs allata est causa.

SECVRITAS.

CÆTERVM si quis compeditus sit, aut alia quapiam calamitate circunseptus, bene illi euenturum si obcæcari sibi videatur: securitatis enim id esse indicium, propterea quòd mala quæ circunstent, minimè sit inspecturus.

CÆCITAS.

Oculi in aure & manuum digitis.

NEQVE dissimulandum id quod ab eodem Artemidoro traditum est: Oculum in aure situ in somniis videri visum, cæcitatis indicium esse, quippe quod ostendit, aurium tantùm beneficio percipi, quæ oculis legi consuerunt. Idemque significari, si per singulos manuum digitos oculos quis dispositos inspexerit, propterea quòd cæci tentabundi, manibus oculorum vice vtantur. Quæ quidem cõmenta cùm mecum, iam à Leoniceno monitus reputare cœpi, Ægyptiorũ inuentis tam similia esse cõspicio, vt inter hieroglyphica nõ immeritò locum habere posse videantur, quòd & pictura commodè possunt exprimi, & certam rei rationem suscipiunt. Ad hæc THOMÆVS: Vera quidem, & nulli non approbãda sunt hæc, ornatissime Raneri, quæ dicere commentus es, atque ego in ea sum sententia, vt nihil ferè differre putem, vtrùm talia, quę recitasti, an vetusta ea hieroglyphica præponi debeant. Sed quoniam in aures incidisti, venit in memoriam mihi, in iis etiam esse multa, quæ doctrinam sapiant Ægyptiacam, qualia quæ sint, si permittãt socij, libenter enumerem. At quid (responderunt omnes) acceptius & iucundius sit nobis futurum, hoc præ-

C

sertim sermone suscepto, polyhistor noster Thomæe Leonice, cum quanta qualisq; sit eruditio tua ignoret nemo? Tum ille: Vestræ hoc est benignitatis dictum, nam nostra quàm pedestria sint satis intelligo, sed qualiacunque, dicam tamen.

ÆQVVM DOMINIVM.

APVD Græcos in Creta simulacrum Iouis absque auribus fuisse fertur, argumento, vt qui cæteris iura daturus est, neminem vllum priuatim auscultare debeat, sed omnibus publicè consulere. Eaque de causa sapienter Alexander verè Magnus, alteram præbere aurem accusatori, alteram reo reseruare solitus erat. Quòd si quis eum, aut iudicem, aliquem, aurem vnam vel auertentem, vel manu appressa obturantem effinxerit, ad huiusmodi significatum non inconcinnum, vt puto, fecerit hieroglyphicum.

Iouis simulacrum.

SAPIENTIA.



Simulacrũ Apollinis apud Lacedæmonios.

QVATVOR verò aures, manusq; totidem, quibus Lacedæmonij simulacrum Apollinis prædictum esse voluerunt, vero nimirum hieroglyphico, nihil aliud significabant, nisi sapientiam, cuius Deus ille symbolum esset. Eam autem & multarum rerum auscultatione, & operibus identidem agendis comparari. Non enim dignè sapientem eum dixeris, qui se rerum cognitioni tantùm emanciparit, nisi & facta, quæ probes, inspicias, quæq; is & diligenter & probè examinarit, in vtile aliquod vel sibi vel aliis opus promulgarit. Res enim gerere, & captos ostendere ciuibus hostes, attingit solium Iouis, noster ait Horatius. Neque me fugit alios esse qui hieroglyphicum hoc Lacedæmoniorum

summo

summo Deo attribuunt, quia summa rerum sit Pythagorica τετρακτυς, de qua multa dicenda es- D sent, sedenim non sunt hîc ad commemorandum necessaria.

DE NASO.

SAGACITAS.

QVONIAM verò Nasus est inter aures, interque oculos medius, non est hîc prætereundus. Eius autem hieroglyphicum præcipuum est, sagacitatem indicare. Nasutiq; vocabulum Festo sagacem notat, quòd vniuscuiusque rei odorem statim explorat, & priùs scilicet sentiat quàm inspexerit. Sic auritum, ab audiendi curiositate dictum. Sic oculatum, qui exprompto oculi vtitur beneficio. Sic cordatum, qui corde præstet. Tu verò, VRBANE pater, quia sacræ literæ odoratum sæpe Deo Opt. Max. attribuunt, quo sensu sit nobis accipiendum, explicare ne graueris precor. Tum tu Patrue: De Naso quidem vnum tantùm nunc succurrit, quod ad hanc rem facere videatur. Nares quippe in Deo persecutationem eam significare, qua ipse corda hominum odoratur, eoq; spectare illud ex lib. Regum: *Ascendit fumus de naribus eius.* Alibiq; in sacris literis, odorari, cuius & indicium & instrumentum est nasus, placere significat. Ita Noë sacrificante *odoratus est Dominus Deus odorem suauitatis*, hoc est, placuerunt illi sacra, quæ vir ille probus obtulerat. Idcirco Lex hominem qui vel paruo, vel magno nimis, vel obtorto naso fuerit, ab altari sancto summouet, ne scilicet accedat ad ministerium eius. Tales sunt quibus vel pauca admodùm habentur in Diuinis institutionibus quæ ipsi probent, vel quibus omnia nullo discrimine tam bona quàm mala placent, vel illi, quibus mala prauaq; tantùm placent, diceret Hesychius. Deinde ad Ranerium conuersus: Scio verò coniectores super hac parte multa commentos quæ tu recensere potes Raneri, E qui partem hanc tibi agendam suscepisti. Libentissimè, respondit RANERIVS. Et quando incidimus in nasum, vt ordinem sequar tuum, apud Onirocritas, Vrbane pater, eum qui se magno naso per somnium viderit, magna in rebus agendis sagacitate prudentiaque fore promittitur. Hinc etiam emunctæ naris viros dici eos vsitatum, qui acri sunt iudicio conspicui.

Odoratus Dei quid.

MORS.

SI verò aliquis morbo decumbat, & absque naso se imaginetur, futuram illi mortem inde præsagiunt, quòd ea pars actutùm abit à cranio.

Coniectorũ varia super auribus cõmenta.

SERVITVS.

VT verò ad aures redeamus, id in primis iocosum est quod apud eosdem Onirocritas habetur de auribus asininis, quas qui se habere per somnium imaginatus fuerit, seruitutem ij atque ærumnas ingruere homini præsagiunt, nisi fuerit is Philosophus, cui tantùm eam speciem prospera ominari tradũt, ob tardiorem aurium motum, quæ contanter in huiusmodi animali mouentur, quemadmodum firmam esse debere Philosophorum auscultationem volunt.



LONGA SERVITVS.

QVINETIAM humanæ aures apud eosdem Coniectores si seruo homini plures accessisse visæ fuerint, longæ sunt seruitutis indicium: multa enim ostendunt extare imperia, quæ somniator is sit auditurus. F

AMPLITVDO FAMILIÆ.

CONTRA verò si paterfamiliâs is fuerit, qui plures habere se aures imaginetur, familiæ huic aiunt amplitudinem significari, propterea quòd plures filios & seruos dicto parentes sit habiturus.

LVCRVM.

OPIFICIBVS autem insomnium idem lucrum apportat: audiet enim multorum voces opera locantium. Verùm hæc & huiusmodi pleraque, vt ingenuè fatear quid ego sentiam, ingenij humani argutias potiùs ostendunt, quàm solidiorem vllam sapiant disciplinam. His dictis ad te Patrue conuersus addidit: Nunc tu autem, Vrbane pater, si quid sacratius habes super auribus, in medium afferre pores, Tum tu nihil contatus.

CONTEMPLATIO.

DVM de supercilio disputatum est, vnum mihi videtur esse præteritum, per quod homo intelligitur sublimium diuinarumq; rerum contemplatione detentus, propterea quòd supercilia eminentiori sunt loco sita, circaq; organa quæ sensum contineant, qui mentis agitatione moueatur. Is verò nimirum sedem habet in cerebro. Neque negarim apud profanos supercilium pro fastu poni, fastuososque Supercilioso dici.

OBEDIENTIA.

SED ad aurem potiùs transeamus, quæ iisdem in sacris literis hieroglyphicum est Obedientiæ, vbi præcipuè Moses secundo immolato ariete, sacrificio quod *Explicationis* LXX. dixerunt; alij

A alij, *Consummationis*, vel vt vulgata habet editio, *In consecratione sacerdotum.* Is aliis ritè factis, insuper de hostiæ huiusmodi sanguine extremum dexteræ auriculæ tum Aaronis, tum filiorũ eius tetigit, quod, vt interpretantur Theologi, ad obedientiam refertur, quam præstare debemus Domino, memores scilicet Adamum propter relictam abiectamq; obedientiam paradiso eiectum, & solum vertere coactum. Agnouêre hieroglyphicum hoc nostri etiam Poëtæ, vt Horatius:

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Atque illud etiam in Sermonibus:

Demitto auriculas vt iniquæ mentis asellus.

CONTVMAX.

CONTRA verò veluti auris adaperta obedientiæ signum est, ita & obturata hieroglyphicum est contumaciæ, hominisque mandata detrectantis, idque sibi velle, quod apud Esaiam legimus: *Surdi clamantem audite.* Abscissam eam, sunt qui idem significare asserant, summoto quippe obedientiæ ministerio.

CALVMNIATOR.

AD HÆC, præter huiusmodi contumaciam Theologi per amputatam aurem accipiunt eum quoque qui detractionibus & calumniis in alios oggestis delectantur, & turpium, impudicorumque sermonum lasciuia capiuntur; proba verò consilia, & admonitiones de honesta & homine digna ratione viuendi, Cane peius & Angue protinus auersantur. Carpocrates porrò hæreti- *Carpocrates hereticus.*
B corum sceleratissimus, qui mala & bona omnia, non naturâ mala neque bona, sed opinione hominum ita vocari disputabat, vt quodcunque adlibuisset, id identidem licere persuaderet, meritò discipulos summa dexteræ auris inusta particula præsignabat. Nam eodem modo, sed stigmate longè grauiori, eorum omnium nõ aures tantùm, sed oculi etiam, & nasus, & os, atque lingua inuri deberent, qui deliriis huiusmodi audiendis tempus insumunt. Hîc, cùm aliquantulum incensus esse videreris, LEONICVS commotiunculam eam sedaturus ita sermonem excepit. Dum de extrema auris particula loquereris, Vrbane, venit in mentem mihi Recordationis hieroglyphicum, quod per pollicem & indicem ad infimam aurem appressos figuratur. Nam inter agalmata Ferdinandi secundi Neapolitani Regis numus erat, in quo auris manu apprendebatur. Commentum literæ ab altera parte declarabant, MNHΣΘH, vltima tamen litera parum conspicua; quod cum Maroniano quadrat carmine,

— Cynthius aurem Vellit, & admonuit.

Consecrata enim auris est Memoriæ. Hinc illud apud Plinium: *Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes attestamur. Est post aurem aquè dextera Nemeseos, quæ dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit, quò referimus tacto ore proximum à minimo digitum, veniam sermonis à Diis exposcentes, ne scilicet eius membres nos vlcisci velint.* Obseruaui verò aurem in gemma quadam incisam, cuius extremam *Auris in gemma incisa.*
partem expassa manus pollice atque indice tantùm leuiter comprehendebat, literis identidem, quæ rei facerent interpretationem, adsculptis, MNHMONETΣΩN. Id nonnulli aliis gemmis imitari conati, cùm literas nescirent, ET diphthongi charactêres inuertêre. Sed quòd vltima syllaba τὸ Σ per M Latinam literam expressêre, sæpe in quibusdam numis eam pro Σ positam inspeximus, & τὸ Σ vice versa loco M Latinæ. In numis autem multæ aliæ literæ deiectæ conspiciuntur,
C vt ꝏ pro B. ꝏ pro E. & similia, quod ideò dictum volui, ne fallant impostores, qui noua interdum opera, atque ea quidem deprauata, pro veteribus venditare non erubescunt. Vt verò Fuscus frater meus referebat, apud Angelum Colotium Bassum antiquarium Latinè Græceque eruditissimum Romæ viderat gemmam eodem sculptam signo, cuius inscriptio erat, MNHMONETE, vti etiam superior. Ad huius hieroglyphici figmentum respexisse mihi videtur Ouidius eodem loco, quem suprà citauimus:

Si quid erit de me tacita quod voce loquaris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus.

FVTVRVM OPVS, VEL QVID AGENDVM.

EST & futuri operis indicium auris ad audiendum intenta, ab eius dubio procul officio, in quo est rei quædam formula. Auscultatio enim initium est & imago quædam operis quod aggressuri sumus, eoque spectant numismata tot cum inscriptione, ADLOCVTIO, in quibus milites obuersis intentisque adstare auribus conspiciuntur.

DOCILITAS.

ILLA verò quæ de figura aurium à Physiognomicis traduntur, docilitatem, benignitatem, mansuetudinem ex auribus extantibus significare, faciunt quidem ad eorum doctrinam, sed ad negotium nostrum parum afferunt vtilitatis.

INDOCILITAS.

PERINDE ac etiam pressas aures, & simiarum instar temporibus adhærescentes, stuporis & imperitiæ, quæ doctrinam nullam admittant, signum esse perhibent: quæ si quis in hieroglyphicorum vsum trahere voluerit, integrum vnicuique dicimus, suo iure ludere.

DE

DE LINGVA.

SED vt ad linguam conuertar, iam res exigit, quandoquidem quod superiùs Vrbanus de oculo linguæ subiecto ad perfectam sermonis rationem indicandam dixit, alterius ab eo non alieni admonet hieroglyphici. Lingua hæc est manu prætenta. Nam qui per linguã sermonem articulari voce coagmentatum intelligebant, adiecta manu quæ illam comprehenderet, eloquentiam significabant. Sanè quidem Hebræi per Lason, quæ lingua est, sermonem intelligunt, vnde fortè λαλεῖν Græcis. A Dico verbo nimirum Latini Dinguam olim appellauêre, inde D litera in L mutata, Æolum more, linguam fecimus; vt etiam Sellam, quæ priùs à sedeo, sedda dicebatur. Aiunt tamen Grammatici veteres, Pompeium Magnum Dinguam semper scribere solitum. Esto igitur sermo lingua, verùm pronũciatio manu, hoc est, artificij ope indiget, vt in vsum deducatur, & appareat eloquentia. Nam manum operis esse symbolum vnicuique manifestum est. Quicquid verò vel in iudicando, vel in demonstrando, vel in deliberando contingit, nequaquam solo cogitationis termino continetur, sed actione ipsa perficitur. Opus autem facere cùm sit proprium manus, & ab ea prærogatiua potestatem etiam indicet; nõ absurdè linguã manu rectam effinxêre, in eloquentiæ significatum, quæ quidem, vt Maro canit, *regat dictis animos, & temperet iras.* Speciem eam in aliquot obeliscis obserues. Priuatim verò manum quæ linguam comprehensam tenet, ex marmore vetustissimo, ex aliqua statua nimirum auulsam, apud Viuem Hispanum Pontificium medicum Romæ Fuscus frater cõspexisse fatebatur. Sed vt ea, quæ ad hanc rem pertinent prosequamur, non improprio quorundam inuento excogitatum est, hanc dicendi vim per linguã perforatam, à qua catenulæ quamplurimæ religatæ ad aures subsequentis multitudinis applicarentur, significare. Nam Herculem Galli senem admodùm, corpore tamen præualido, crudo, viridiq; faciebant, Leonis spolio, claua, pharetra, & arcu intento præditum, armatumq; eo gestu vt ingredi videretur, facie tamen in humerum conuersa ad numerosam multitudinem, quæ gressum eius subsequeretur, ad quorum omnium aures catenæ singulæ aureæ adiunctæ essent, quę mox in vnum quasi nodum collectæ, in perforatam Herculis linguã immittebantur. Contemplari verò erat in ea pictura vultum Herois blando mansuetoq; gestu hilarem, ipsosque cœtus hominum ita catenis tractos sponte properare, quasi alius alium præuenire concertarent. Quod quidem siue Gallorum fuit inuentũ, siue Lucianus ipse, qui rem conscripsit, qua erat ingenij felicitate, fabulam ex se commentus est, nihil meo iudicio ad eloquentiæ vim exprimendam significantius excogitari potuit, neque magis hieroglyphicum. Nam quod ad Gallicanum figmentum spectat, Cornelius Tacitus Gallos ait duas semper artes studiosiùs exercuisse, militarem quippe, & disceptandi rationem. Reliqua ad hanc rem pertinentia, quid singula sibi velint, apud Lucianum ipsum inspicienda sunt. Et quoniam eloquentia tam boni quàm mali causa fuit, estque quotidie, meritò Anacharsis quid esset in homine pessimum, quidque optimum, interrogatus, *Lingua*, respondit.

Manus linguã tenens.

MERCVRIVS.

LINGVA porrò Mercurio sacra, quam ab eo regi sidere Mathematici tradunt, velut splenem à Saturno, hepar à Ioue, à Marte sanguinem, cerebrum & cor à Sole, à Venere renes & genitura, stomachum à Luna. Sermonis itaque præses Mercurius, vnde apud Homerum, Deus hic ad fluuij Xanthi ripam, Deorum inter se orto certamine, Latonæ committitur, sermo quidem rerúmque memoria aduersus obliuionem. Quid enim magis inter se contrarium, quàm orationis vis, & obliuio? Aiunt verò Ægyptij, Mercurium primum omnium verba in ordinem redegisse, multisq; rebus indidisse nomina, literas, eius inuentum fuisse, Deorumq; cultum instituisse, quæ sine magna vi eloquentiæ mortalium mentibus insinuari minimè potuerint. Apud alias quoque gentes in honorem Mercurij, qui Deorum præco fingitur, lingua in sacris dissecta præconi tradebatur. Facit ad hoc nominis ipsius interpretatio: nam Hermen ἀπὸ τῦ ἑρεῖν ἢ μήσασθαι, quod omninò Loqui significat, deductum aiunt. Quique veterum figmentorum rationem explicant, per Mercurium nihil aliud intelligi volunt, quàm sermonem ipsum, quo solus homo ex terrestribus animalibus honestatus est. Vel Hermes nuncupatus est, ἀπὸ τῦ ἑρυμα εἶν, quòd humano generi sermo sit veluti præsidium quoddam & munimentum, vnde διάλεκτος initiò ὡνομάσθη τὸ διαλέγειν fuerit appellatus; eaque de causa linguas illi dedicarint, quòd ea corporis nostri pars, intelligentiæ nostræ conceptus apud propinquas animas differendo explicet. Est etiam illi cognomentum ἐριούνιος, quòd magnæ cuiusdam sit vtilitatis, summaque ope eos adiuuet, penes quos sit illius facultas. Vnde etiam σῶκος dictus: non enim sermo in perniciem aut detrimentum, damnúmve vllum, mortalibus datus, sed vt hominem suspiret atque tueatur. Quocirca salutem, id est, Canis imaginem ad custodiam adhibitam Mercurij simulacro semper adiiciebant, atque illi ædem in foro, vbi eloquẽtiæ vsus plurimùm viget, statui monet Vitruuius ex aruspicum disciplina.

Sermonis præses Mercurius, lingua ei sacra.

DISCIPLINÆ.

NEQVE verò mirum, si omnia Mercurio scripta, inuenta, meditationumq; suarum argumenta, Ægyptij soliti sunt inscribere, solumq; illum & sapientiæ & eloquentiæ arbitrum iudicarunt, quando is, authore Seleuco, tota rerum vniuersalia, siue principia malimus dicere, viginti millibus volumi

A voluminum (quæ reperimus, quæ accepimus, damus) explicauit; vt verò Manethus assueuerat, triginta millibus, quibus etiam addidit sex millia quingenta, & vigintiquinque, in quibus libros de diis empyreis centum, de æthereis totidem, mille de cœlestibus elucubrauit; quæ si membranæ tot conuolutæ essent, vix fidem facerent: facit tamen horum mentionem Iamblichus, magnæ vir apud Græcos authoritatis.

Scripta Mercurij.

SOMNVS.

ERAT & lingua in ara posita, quæ somnum significabat, quod Apollonius Argonauticôn primo indicat, vbi dicit:

τέως ὅτε γλώσσῃσι χαίοντο
Αἰσυμήδαις, ὕπνον ὃ δὴ κνέφας ἐμναίοντο.

quæ tuus Vrbane nepos ita Latinè reddidit:

— Interea exustis libamina linguis
Spargebant, nigra captantes nocte soporem.

Quoniam inquit interpres, antiquis mos erat somnum captantibus victimarum linguas adolere Mercurio, propinatisq; crateribus vinũ superlibare, idque ex antiqua Philosophia, quandoquidem sermo esse Mercurius perhibetur, cuius instrumentũ est lingua, quę quidẽ somno incidẽte quiescit tacita. Atque hinc repertum est eam adolere Mercurio, quod & Homerus ipse tetigit, γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, *Linguas imponit in ignem.* Qui verò fabulas consectantur, historiam huiusmodi à Direchida in Megaricis traditam recitare solent. Alcathum Pelopis ob Chrysippi cædem in exilium actum, peregrè profectum, vt alibi verso solo degeret. Accidisse verò vt Leoni fieret obuiam, qui Megara deuastabat, in quẽ & alij complures à Megarensium Rege missi fuerant, sed Alcathus aggressus feram, eam conficit, linguaq; eius in ara posita, Megara euestigiò reuersus est, cumque ij, qui à Rege missi fuerãt, nunciassent se monstrum debellasse, Alcathus feram elinguem ostendens, mendacij eos redarguit. Atque hinc apud Megarenses institutum aiunt, vt sacrificiis quæ fierẽt in posterum, linguæ aris imponerentur. Philochorus libro de sacrificiis ea de causa linguas Mercurio adoleri dicit, quoniam in corpore pars optima sit, quæque sibi rerum vendicat principatum.

Mos antiquus somnũ capiẽtium.

SILENTIVM.

ADDEMVS & illud ex Homero, præcisas linguas indicium esse silentij: ille enim, vt nostis, ait, ἀλλ' ἄγε τέμνετε γλώσσας, *iamdudum incidite linguas*, pro, *Silentium capeßite*, vt interpretes exponunt. Quo quidem admisso omine, cùm iam satis superque nugatus fuerim, opportunè mihi silentium imperabo. Tu verò, mi Patrue, hominis suscepto ioco, At nolim, respondisti, virum tam probum, tam modestum, tam eruditum, in abscissæ linguæ turpissimã ignominiam incidere: siquidem ea præcisa in Diuinis literis, impurum indicat hominem, qui sordidam, nefariam ac profligatissimam vitam viuat, atque ideò repellatur à sacris, ab omni piorum moderatorumque hominum conuentu turpiter & ignominiosè reiectus, de quo Dauid: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentũ meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam,* & quæ sequuntur. Quòd verò eõiectas in ignem linguas apud Homerum citasti, nostras cuperẽ ego in flammam eam iniiceremus, quam Assertor noster accendit, cùm XII. comites ab eo electi, afflati sunt, igneis linguis ab vniuscuiusque vertice promicantibus. Huiusmodi enim linguæ splendore tanto conspicuæ, omninò significarunt eam orationis vehementiam, ardorem illum, illamque fandi vim cœlitùs illis affuturam, vt quæ à diuino Magistro præcepta acceperant, per vniuersum mox terrarum orbem persuasibili (penetrat enim ignis) sermone disseminarent, sanctissimisq; monitis mortale genus incenderent, aberrantesq; latè mentes, & inscitiæ torpore frigescentes, pietatis ardore succensas, ad hostiæ puræ atque immaculatæ sacrum incitarent, essetq; eorum fulgurum sonitus in omnem terram exiturus, sonitus, inquam, fulgẽtium earum linguarum, quas ad incudinem fabricatas diceret Pindarus, qui linguam ferream, Pythiis, veritatis indicium ponit: ἀψοῦδέϊ πρὸς ἄκμονι χάλκεον γλώσσαν. Nam dubio procul lingua si fabricata fuerit ad incudinem, ferrea erit: si ferrea, solidissimæ firmitatis. Mendacia enim imbecilla sunt, quia tempus veritatem in lucem adducit, atque ita mendacium euanescit. Sanè quidem hodie vel vulgò dicitur Veritatem ad malleum durare, quod idem ferè est, quod Pindarus *Ad incudinem* dixit. Possent autem alia multa sermone super hoc examinari, atque hinc ad Apollinis plectra, & multiplices Musarum choros sterni via, si præcipuè dentes ad linguam socij conferantur; sed quoniam ego iam edentulus nullam eis amplius gratiam debeo, cur mihi sit pro eis laborandum nusquam video. Præter hæc cùm reliqua linguæ disputatio de gustu nos appellet, eaque sit potiùs Physica quàm Historica, ad Leonicenum hæc meo calculo transtulerim. Consensêre reliqui, neque inuitus ille ita loqui cœpit.

IMPVRVS.

DE GVSTV.

NEMPE, vt susceptum prosequar argumentum, si de oculis, de auribus, de naribus, quid præstare queant, disseruimus, gustus quoque his accedit, seque tractari postulat, ne per ignominiam præteritus videatur. Est autem hic duplex apud Ægyptios, quorum sacerdo-

Gustus duplex.

tes si delibatum aliquid leuiter, neque tamẽ plenius gustatum significare vellent, hieroglyphicum linguæ inter primores dentes nonnihil exporrectæ proponebant. Sed si absolutam gustus plenitudinem ostendere curassent, primores gutturis partes, quæ intimæ adhærent linguæ, figurabant. Asserebant enim illi, quod Medici nostri etiam nonnulli prodiderunt, perfectum gustum in linguæ radice consistere: inde enim neruos quosdam, & sentiendi vim illam prouenire. Neque tamen sum ignarus, esse multos, qui gustatus prærogatiuam attribuunt palato. Sanè Diogenes explorari saporem aiebat propter fungositatem mollitiemq; linguæ, perque commissas illi corporis venas, perfundi sapores ad sensum elicitos, non aliter atque spongia exuctos. Huiusmodi verò sensum in anima sedem suã posuisse. Quamuis verò dicat Alcmæon, humore reporeque, atque adeò mollitie linguæ sapores internosci, Ægyptij nequaquam cognoscendi saporis instrumentũ solam linguam esse consenserunt, sed cum multis aliis, palatum præcipuè participem agnouêre, & in nonnullis, quæ gutture carẽt, simile quidpiam linguæ esse, vt in quodam piscium genere qui ventrem habent ori propinquum, inesse intus sentiendi facultatem. Sunt & alij rerum naturalium scriptores, qui linguam aiunt sapores quidem sentire & iudicare, eorum verò suauitatem amaritudinemque in descensu, vnde deglutiuntur, exploratò sentiri. Quare Philoxenus magis fortè quàm Philosophiæ, ganeæ peritus, Gruis gulam optabat, vt voluptas illa longiùs deglutiẽdo produceretur. Quantum verò ad palatum pertinet, scimus Catonem gustus sedem in eo esse credidisse. Nam cùm Lurconi cuidam ambienti, vt inter eius familiares reciperetur, negare vellet, ei dixit, non posse se cum eo viuere, qui plus palato quàm corde saperet. Aduersus tamen Ægyptiorum, & horum omnium opinionem insurgit Aristoteles, qui linguam in primore sui parte vim perfectiùs sentiendi saporem, obtinere contendit: nam interiore si tangat, minùs illam sentire, quod in catapotiis ex aloë, vel amariore aliquo succo pastillóve deuorandis, manifestiùs experimur. Nam cùm illa intra duorum digitorum summitatem contenta in imas fauces immiserimus, vix tantillum sentimus amaritudinis, quę si quis lingua vel summa lambat vix ferre posset. Videtur verò natura ipsa, vti rectè reliqua, ita hoc sapientissimè cõstituisse, vt hæc sentiendi vis iuxta labia, & in prima consisteret lingua, quò sapores omnes admittendos exigendósve, antequàm ori demandarentur, exploraremus. Quòd verò quispiam dicat eò vehementiorem esse saporis gustatum, quò magis cibus ingestus ori opulentiùs & contantiùs mandatur, respondent periti homines, non ideò maiorem gustandi vim in radice linguæ insitam esse, sed propter diuturniorem moram, & affluentiorem saporis copiam vehementiùs sentiri. Hæc atque alia multa prisci Philosophi inter se dissidentes prodidêre, vt minimè mirum sit eos de rerum principiis, & aliis à sensu remotis dissentire, si re super omnibus tam explorata diuersi abeunt, nec certi quicquam constituere potuerunt.

Aristotelis de gustu opinio.

DE ORE ET DENTIBVS.

Sententia Aristandri Telmesij.

SED ENIM vt iam ad totius oris fabricam conuertamur, Aristandri Telmesij sententia est, os & eius partes esse quasi hieroglyphicum quoddam domus, dentes cumprimis incolas ostendere. Hoc verò dupliciter accipi: aut enim domesticos esse, aut alienigenas. Itaque superiores dentes domesticorum incolarum signa esse, propterea quòd pars illa superior toto ferè capiti adglutinata est atque cognata. Inferiores verò alienos ideò commonstrare, quòd maxilla ea, quæ illos sustinet, tota sit mobilis, atque ita aduentitium nescio quid præ se ferre videatur.

DETRIMENTVM.

SVNT autem qui detrimentum per dentes putent significari, in iis quæ in sermone vel voce consistunt, eiusque famam dilacerari obtrectantium calumniis obiectant. Nam & Poëtæ Oratoresque omnes hinc mordere, carpere, rodereque metaphoricè dixerunt, quoties cuiusquam nomen scurriliter traductum, aut hostiliter infamatum innuere volunt. Sed quòd planos tantùm in huiusmodi significatum Coniectores ponunt, Satyrici nostri ad acriorem vim amplificandam genuinum adhibuêre, & alij caninos etiam immiscuerunt.

VERECVNDIA.

In impudẽtes prouerbium.

APVD Philologos hieroglyphicum verecundiæ os videtur esse, vnde de impudentibus dici solet, eos os non habere. Hinc Cato Maior Lentulo, qui sputum in eius faciem eiaculatus fuerat, abstersa tantùm facie dicit: *Affirmabo omnibus Lentule, falli eos qui te negant os habere*, argutè vulgatam hominis impudentiam notando, quamuis de sputi copia dicere videretur.

AMOLITIO.

NEQVE nescius sum pro amolitione, vt ita nunc dicam, veteres expuendi gestum vsurpasse, vt Theocritus, ὡς μὴ βασκανθῶ ἢ τρεῖς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον. & multa apud alios huiusmodi, quæ recitare superfluum esset. Nam quæ maximè abhorrebant, quæque opprobrio habebant, ea ignominia designabant. Quin & veteribus Christianis mos fuit, estque adhuc, ad immunda verba expuere, quodam veluti expiationis modo. Ita illud apud Tertullianum lib. ad vxorem altero, accipiendum: *Cùm aliquid immundum flatu expuis.*

HORO

HOROSCOPVS.

Quomodo horas comedere intelligatur homo.

SED vt os tandem comprimam, vno adhuc hieroglyphico illud obturabo, quod apud Horum Niliacum habetur, vt super cibo aliquid attingamus. Nam illic per hominem qui horas comedat, hieroglyphicum explicari tradunt horoscopum intelligendo; non quia horas comedat homo, quod fieri minimè potest, sed quia ab horis alia atque alia humano generi alimenta submministrantur. Huiusmodi verò horarum pastum commodè fortè exprimere poterimus, si ex vniuscuiusque horæ prouentibus aliquid decerpserimus, putà, rosas, spicam, & pomum aliquod, quæ in vnum fasciculum colligata, ori adaperto admoueantur. Horas porrò hic intelligendum tres eas anni partitiones, quæ suo quæque tempore singula maturãt, ver quippe, æstatem, autumnúmque, quæ tempora Ægyptij, quatuor vnumquodque mensibus nostris complexi sunt, ex Hori Regis partitione, à quo his etiamnum nomen Horis inditum, vt quadrimestris esset vnusquisque eorum annus, de quo diffusiùs alibi. Quin Persæ atque Assyrij, quos nos Annales, Horas vocitarunt, & Græci Horographos eorum scriptores. Apud Lucianum enim legimus, ὁ μὲν κύριος πλημιὸς τῶν ὡρῶν βασιλεύς, ὡς δηλόσι οἱ ὡρῶν καὶ ἀστρίων ὧροι. Cùm verò Horus ab Aegyptiis Apollo esse prædicetur, nostri vnà cum Græcis nomen idem ad quatuor & viginti horas transtulêre, quas Solis esse filias Homerus dicit, de quibus, vt hoc κῦ πάρεργον ponam, veterem habemus fabulam, Horomazen, cùm in mundi fabrica reliqua digessisset, quatuor & viginti deos in ouum inclusisse. Id cùm Arimanij gnati ludo perforassent, bona malis immixta prodiisse, atque ita quantacumque fruamur iucunditate, quocumque simus gaudio exhilarati, serus quid vesper vehat, nos nescire. Hic cùm finem facere visus esset Leonicenus, ad inclinatum iam Solem aspectans Ranerius. At nos, inquit, quid serus vesper aduexerit probè scimus, qui bonam huius diei partem tam iucundis sermonibus exegerimus. Vtinam verò sæpe daretur occasio istiusmodi conuentus celebrandi, & cum dicto, salute dicta, surrexit, quod & alij fecere, die prius constituto, quo iterum essent conuenturi, illi domum, ego in nauim abij, mox Florentiam, quo fueram, vt scis per Iulij Card. domini mei literas accersitus, atque ibi primo quoque tempore, tam ea quæ ex te audieram, quàm quæ viri illi eruditissimi disseruissent, quæq; conuenire mihi visa sunt, in commentaria mea Aegyptiaca transtuli, vestra ope fretus & latiùs & pleniùs explicandi multa quæ curta & angusta nimium compereram apud authores posita: neque verò sciuit me temporis breuitas quæ quisq; disputasset ad amussim dirigere, & ipsa quæ audissem verba repræsentare, quod nonnulli ex amicis à me postulabant: id enim negotium multum mihi temporis abstuliisset, nec meæ me occupationes id facere permisissent. Satis igitur à me factum puto, si res ipsæ breuiter, quantum memoria complecti potui, recitatæ sint. Verùm agè, benignissime Patrue, Aristarchum indue, atque hunc castigandi laborem minimè grauem ducas, quæq; me rectè meminisse compereris, asteriſco insignias, quæ segniter & oscitanter excepta, obelo defodices, vt ego hæc aliis communicaturus, iudicio adiutus tuo, audentiùs id facere confidam. Vale.

PIERIVS VALERIANVS
AD SEBASTIANVM CORRADVM,
DE IIS QVÆ PER HVMANVM COR, ET GENITVRÆ VASCVLA SIGNIFICANTVR,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXXIIII.

ECCE tibi Cor meum, Corrade iucundissime, cui etiam addidimus genituræ vascula, eaq; mundissima pudicissimaq;. Cor quidem à meo desumptum, qui summam eruditionem tuam, frugalissimum studium, acutum denique, quo polles iudicium, & multum admiror, & plurimùm diligo. Genituræ verò vascula, causa tua, à quo fruges tot proficiscuntur, quibus studiosi omnes auidissimè pascuntur: quemque hactenus cibum vel putridum vel adulterinum sæpe mandere coacti sunt, tua nunc cultura, tuo studio diligentiaq; valeant iam recenti, maturo, legitimoq; frui. Neque fructus huiusmodi ex Ciceronianis tantùm hortis electi, sed ex totius Latini nominis possessionibus agrisq; decerpti, quorum hactenus arbores vel teredinibus, vel erucis, vel visco, vel vlceribus; conductorum plurimùm negligentia, nescio qua, vitiatæ fuerant, per te nunc perpurgatæ, cultæ, sarritæq; in pristinam redière viriditatem, vberrimam incolumemq; feracitatem. Sed quod etiam pertinet ad vascula tam in Diuinis nostrorum literis, quàm in sacris Aegyptiorum, neque non apud Græcos prætereà quæ à corde desumuntur significata, sermonis ipsa quoque indicia sunt. Qui cùm igitur ego libentiùs sermocinarer, quàm tecum, qui sponte me in tam vtilium sermonum tuorum

partitionem admisisti, qui clarissimo Egnatio collegam consularem me in quæsturæ tuæ cognitione creari procurasti? D *Quare mihi videbor non sine magnæ voluptatis sensu loqui tecum, quotiescumque memor ero scriptorum meorum, qualiacumque sint, aliquid à te legi, non id fortasse ingenio & eruditioni tuæ responsurum, aliquod tamen daturum mei erga te animi testimonium.*

DE CORDE.

VIRI PROBI SERMO.



VT verò à corde exordiamur, per id ita concinnatum vt loro catenuláve suspensum à gutture propenderet in pectus, probi hominis orationem indicabant, vt qui mentiri aut fallere nesciret: sed, vti vulgò dici solet, ea ex ore proferret, quæ corde concepisset; ea scilicet loqueretur, quæ ipse sentiret, omni fuco mendacioq; procul. Hoc ipsum Cicero, toto pectore, de sinceritate loquens, dicit. In pectore enim sedem habere cor, manifestum. atque illud, *Aperto pectore*, frequentissimo eorum vsu, qui citra fucum loqui se profitentur. A quo loquendi candore Mercurius fuerit εὐγλφόντης appellatus, candidum enim veteres ἔγκυον dicebant. Prætereà pectus pro recessu quodam accipitur sapientiæ. Vnde Horatius:

Pectora cordis sedes.

Non tu corpus eras sine pectore.

E

Et in hanc sententiam accipit Ambrosius, quòd Apostolus ille, qui ante alios diuina sapientia donatus est, ad Christi pectus reclinet in cœna caput.

CONSILIVM.

ATQVE hæc illa est bulla, quæ puerilis ingenuitatis insigne fuit, de qua multa suo diximus commentario. Quoniam verò cordis erat eius figura, admonitos inde pueros volebant, vt frugalia semper consilia secuti, corde præstare conarentur: Corculum enim veteres pro solerti & acuto dicebant. Et animæ partem rationis participem, Cor appellari solere dicit Adamantius. In huiusmodi significatum accipi locum illum Pauli, epistola ad Romanos: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Quis enim puret, quòd dicit, *in cordibus*, in membro corporis quod Cor appellatur, tanquam in membrana aliqua legem scriptam intelligi? vnde enim caro tantos prudentiæ sensus concipere vel ostentare posset? aut tanta memoriæ receptacula continere? Nam & quòd diuinæ literæ Cor dei sæpe nominant, intelligendum ex eo arcanum illud Diuinæ sapientię, quæ à Patre est: vt Psal. *Eructauit cor meum verbum bonum*, innuens filium meum IESVM Christum altæ illius sapientiæ mysterio genitum. Ita Eucherius.

Cordis significata.

VITA.

ITA verò in consilij significatum accipi cor plerumque solet, vt humanæ etiam vitæ rationem præ se ferat, quod ex pernicioso auspicio Cæsaris exploratum. Ille enim quo primùm die in sella aurea sedit, & cum purpurea veste processit, valde consternatus est, cum Spurina aruspice suo, corde in extis Bouis opimi non inuento: aiebat enim ille, vereri se, ne consilium & vita Cæsari deficeret, quorum vtrumque à corde proficiscitur. Nam Philosophorum omnium consensu, nullum animal sanguine præditum, sine corde & iecore inuenitur, qua de re quæstio magna inter eos fuit qui diuinationis præcognitionem eiusmodi profitebantur, potuerítne hostia sine corde viuere, an ad tempus amiserit? quamquam Cæsar id elusisse fertur, audaciorìq; animo respondisse lætiora quædam, neque pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset, quod quidem non semel, sed bis ei sacrificanti, quod meminit Plinius, accidit vt cor in extis non inueniretur. Neque Cęsari tantùm non inuentum in hostiis, peractum vitæ tempus ostendit, sed & Heluio Pertinaci eo die, quo occisus est, sacrificanti, negatur in hostia cor repertum, & cùm id vellet procurare, caput extorum non deprehendit. Et Theologi nostri secuti Prophetarum dictata, consilium in corde residere dicunt, in eoq; agendorum omnium radicem statuunt, docente Domino, *in corde esse*, quod coinquinat hominem: & vbi, *mundo corde*, sacræ literæ habent, synceras intelligunt cogitationes. Quaq; ratione consilij symbolum est, eadem pro illa intellectus parte, à qua regimur, figuratur, vt illud: *Quare cogitationes ascendunt in corda vestra?* ascendunt, dominantur, primùm ita locum asciscunt sibi, vt vestra omnia consilia conculcent. Ita verò facit cor ad animam, quæ vitæ nostræ materia est, vt prisci vates illi animæ receptaculum esse cor significaturi, id hieroglyphicè Animæ ventrem appellarint, atque ita intelligendum esse illud apud Hieremiam: *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Hesychius ait: *Nam quem ventrem?* Ipse subinfert: *Et sensus cordis mei conturbati sunt*, ideoq; intestina huiusmodi aqua lota offerre admonemur in holocaustum, hoc est, abditas latentesq; cogitationes eluere, & diligenter abstergere.

Cæsaris auspicium portentosum.

F

NILI

A

NILI DILVVIVM.

SACERDOTES Ægyptij cœlum & terram diluuio liquescentes, exundationem quippe Nili, quæ tam à terra, quàm à cœlo esset, vti alibi disputatum, ostendere cùm vellent, cordis simulacrum proponebant, cui lingua esset applicita: ex corde quidem Nilum ipsum intelligentes, qui sua potens vi affluentissimam humoris copiam è terrę visceribus educeret, vti motus omnis à corde principiũ habet. Sanè illi, cordi totius corporis principatum, præfecturam, arbitriumque tribuunt, ac perinde Nilum Ægypti dominum agnoscunt, neque quicquam aliud eam esse, quàm Niliacæ alluuionis vliginem profitẽtur. Per linguam verò confluentes vndecumque imbrium eluuies, quas eo quo plurimum inturgescit tempore in Æthiopia maximas fieri compertissimum habebant, quibus in Nilum collabentibus cataclysmo facto Ægyptum vniuersam sub aquis versari, veluti lingua humore vndecumq; ad ipsam confluente, semper in vdo est, & aliquo semper corriuio irrigatur alluiturque. Quoniam verò illis fertilissima rerum omnium vbertas à Nilo est, rerum itidem causas omnium originémque in humorem referebant, omniumq; parentem, omni reiecta controuersia, celebrabant. Quorum opinionem Thales Milesius secutus, ex aqua omnia sensit esse, & in aquam vicissim reditura, principium quippe animantium omnium esse genituram, eandemq; humidam, ex quo simile esse veri iudicabat, ex humore oriri omnia: quæ ratio fuit vt maritum Græci potionis nomine nuncuparent; πόσις enim vtrumque horum significat. Prætereà stirpes omnes humido aluntur, humido ad fruges euadunt, humoris autem penuria interim exarescunt. Solis adhæc ignis siderúmque omnium aquarum exhalationibus alitur, quinimò & mundus ipse, vt præstantissimi Philosophorum asseuerant; quod quidem apud Ægyptios tam persuasibiliter receptum erat, vt Solem & Lunam non curru; sed nauigio vti dicerent, ad nutrimentum scilicet & generationem eorum hoc referentes.

B



Cordis cum Nilo conuenientia.

ÆGYPTVS.

PRÆCIPVAM autem Aegypti effigiem ex imagine cordis in ardenti ara thuribulóve considentis, ostendere consuerunt: calida enim ac humida est Aegyptus, in Australibus præsertim locis, quemadmodum & cor, idemq; in sinistram hominis partem toto declinat turbine. Alibi verò antarcticas regiones, Sinistras ab eis appellari docuimus, in illis autem oriri Nilum, in quo summa eorum religio, & à quo paulò antè omnia proficisci, ex eorundem institutis dicebamus. Quod verò pertinet ad thuribulum, Hippon Philosophus, vt ex Cratete didicimus, fabula cui titulus πανδώρᾳ, cœlum veluti præfurnium esse dixit, homines verò carbones. Sed hæc meliùs ex Homero declarabuntur; ait is, nullius disciplinæ quantumlibet remotę nescius, Iouem cum reliquis diis, Solem quippe stellasq; omnes ad Aethiopum epulas inuitatos accedere; quasi velit id, quòd paulò antè dicebamus, innuere, hauriri ex vdo nutrimenta sideribus. Accumbunt verò apud Aethiopas, quia circa Oceani oram non nisi Aethiopes habitant; quos vicinia Solis, vel diuturna parallelorum mora vsque ad nigri coloris speciem exurit. Oceanum autem quemnam alium hîc intelligamus, nisi Nilum, cui antiquissimum id cognomentum fuit, propterea quòd Nilum illi, vt dictum, totius humoris fontem arbitrarentur, Aegyptumq; ipsam suapte vi tantam aquarum redundantiam euomere? Erit itaque cor Aegypti instar, hoc vti sanguinis, ita hęc primarium totius humoris receptaculum; thuribulum verò conuiuas ipsos, vtpote sacrificulos, indicabit hostiarum super ignem posituram nidore exhilaratos.

C

Aegypti effigies præcipua, eiusq; explicatio.

ARDENS ORATIO.

SED cur non potiùs dicamus, cor ita in thuribulo positum significare orationes, precésve, quæ puro ex corde proferuntur ad Deum? idque esse thus illud mundum, quod sibi Deus offerri mandat in Diuinis literis, ex quo scilicet odorem capiat suauitatis. In Euangelio Matthæi, vbi Dominus perperam agere Phariſæos inquit, qui non obligare iuramentum, quod per altare fieret, arbitrabantur, sed quòd per donum altari illatum: Adamantius cor hominis inter alia significara idẽm & altare intelligit, per votum verò recti alicuius operis deliberationem, quod faciundum simulac insederit animo, oblatum, vti votum, interpretatur. Nam & Latini vòta alia *Concepta*, alia *Nuncupata* vocant. Priora illa sunt de quibus hîc intelligit Adamantius. Quoniam verò multi palàm dona hæc eleemosynarum, precum, ieiuniorum, offerunt corde, tamen sunt alieni à Deo, hi Pharisæi sunt cæcorum duces, qui quæ exteriùs perpendunt, quæ verò interiùs sunt minimè contuentur; ita per dona iurandum censent, non per altare, à quo donis ipsis accidit sanctitas. Monet igitur Dominus, vt consideremus cuiusmodinam ex corde eleemosynæ, vel psalmi, vel preces, vel

Cor thus mundum.

ieiunia offerantur, atque ita qui testem altare, hoc est, cor & conscientiam appellat, per altare iurat, ac perinde omnia quæ continentur in eo, complectitur. D

COELVM.

PLVTARCHVS hanc cordis effigiem subiecto in foco succensam, cœlum indicare contendit, animumq; illum, qui propter æternitatem nulli vnquam senecturi obnoxius est. Et Apuleianus Trismegistus ab Hippone non admodùm diuersus, Aegyptum cœli agnoscit imaginem, iisq; omnibus æquiparari, quæ in cœlo gubernantur exercentúrque, & si dicendum sit veriùs, terram eam totius mũdi templum esse. Quinetiam inuenias apud nonnullos, vniuersum terrarum orbem in Diuinis literis nonnunquàm Aegypti nomine nuncupatum, vt eo Psalmi loco, *Venient legati ex Aegypto*, propterea q; vniuersam terram eodem, quo Aegyptus, modò coagmentatam imaginentur.

Aegyptus cœli imago.

CLIBANVS.

CONSCIENTIA IGNE EXAMINATA.

FACIT verò ad hanc cordis significationem Clibanus in Diuinis literis passim propositus, cui cor hominis aptissima confertur similitudine, de quo tam frequens in Mosaicis libris, & Prophetarum aliorum oraculis mentio reperitur, siue per similitudinem, siue sit pro instrumento sacrorum positus. Clibanus enim præfurnium est apud Latinos, per eius figuram interpretes cor hominis, vti dictum superiùs, intelligunt. Nam quædam Deus apud maiores nostros, veteres inquam Prophetas, apponi sibi vult Clibano cocta, hoc est, tacita mentis agitatione examinata, cùm scilicet nos erroris pœnitet, & conscientia nostra ardore quodam occulto intra se succenditur, vitiúmque ipsa suum paulatim exurere contendit. E

SACRORVM ARCANA.

ADAMANTIVS putat ex Clibani forma, quæcumque in Diuinis literis profundiora vel inenarrabilia sunt, significari, quippe quę recondita delitescunt in sensu mentis, neque facilè ad imperitum vulgus proferri possunt: sunt enim multa huiusmodi, sicuti de Camelo, & Sue, & altero quidem ruminante, sed qui pedem integrum habeat, altero verò bifidam præ se ferente vngulam, sed qui minimè ruminet. Ita etiam de Adamo per Euam æstu Serpentis deceptam, in prævaricationem adducto, quarum historiarum mysticum significatum locis suis exposuimus ex Philone. Apud Ezechielem, vt ad Adamantium reuertamur, quæ de Cherubino vel de Deo media sui parte succenso, vel de admirabili illa visione, sunt literis demandata, nisi coquantur in Clibano, neq; quidem mandi, neque deuorari, ita vt sunt cruda, poterunt, hoc est, vt cruditatem hanc interpretemur, nisi qui latet interiùs sensus diuini calore ignis molliatur, excoctusq; ita cibus fiat, vt mandi possit, & ad nutrimẽtum assumi, aliquid semper occurrabit, asperitate sua difficile, quod ab eorum gustu mortales auertat. Oseæ dictum est: *Corda eorum sicut Clibanus incaluerunt*, quod longè seciore à superioribus sensu tunc fieri intelligendũ est, cùm vitiorum ardor cor ipsum interiùs exurit, quippe cùm mortales flagranti cupidine incensi, suam ipsimet perniciem affectantur: in medio enim hæc posita sunt, vtrùm res ad sacrificium coquere, an exurere potiùs inutiliter velimus. Atque ita Clibanus varia interioris affectus habet significata, proque sensu mystico figuratur. Minimè verò prætereundum videtur, quod Hierosolymitanus Hesychius hieroglyphicè super Clibano philosophatur eo Leuit. loco: *Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in Clibano de simila.* Nam per Clibanum Marię Virginis vterum significari tradit, Clibano enim ignis superponitur, qui supponitur in craticulæ ministerio. Veluti enim Clibanus & ignem & panem coquendum desuper accipit, ita Dei genitrix Spiritum sanctum, & Dei verbum in vtero suo conficiendum maturandumq; suscepit, & quæ multa in hanc sententiam prosequitur. Est verò Clibanus, tum furnus, tum sartago, aut testa quædam grandior, operculo vel ferreo, vel ex ære præmunita, supra quod ardentes prunæ ingeruntur, vt quod intrà positum est, coquatur, condiatúrve alicubi totum hoc opere figulino conficitur. Ad huius autem similitudinem formata est pectoris concauitas, per quam spiritus vltrò citróque commeat. Columella scrobem Clibano similem fieri monet, vt imus quàm summus sit patentior, quo radices latius euagari possint. Ex hac itaque forma nonnulli Prophetarum scripta Clibano similia dicunt, quæ plus habeant in recessu, quàm ore summo polliceantur. F

Clibani in sacris literis hieroglyphica.

Clibani desinitio.

DE SARTAGINE.

EST & Sartago ab hieroglyphicis huiusmodi non absimilis: nam eodem pene significato sacrificium Deo facturi, quædam in sartagine frigere iubemur.

RESIPISCENTIA.

EA tamen differentia, q; in Clibano tacitæ conscientię stimulus adurit, in sartagine culpam agnoscimus, eamq; nosmetipsos incusando ream facimus, quasq; mereri nobis videmur pœnas, vltrò deposcimus, & modò hunc, modò illum errorem solicita repetitione versantes animo, quæ satisfaciẽdi ratio nobis reliqua sit, agitamus. Alij rem eò trahunt, vt Prophetarum

Clibani & Sartaginis differentia.

A tarum oracula toto mentis ardore versanda submoneant: inde enim fieri, vt repetita sæpius, & inter se cõglobata, facilè intelligi & explicari possint, vt hinc eam saltem quæ ad mores pertinet doctrinam assequamur. Alio verò modo sartago apud Hesychium accipitur pro cruce Christi: siquidem cibus, qui priùs ineptus erat ad mandendum, simulatq; sartagini fuerit incoctus, mandi potest: ita corpus Christi antequam pateretur, si foret esui exponendum, vt ipse de se sæpe futurum aiebat, abominabantur humanæ aures, respondebantq; omnes, *Durus est hic sermo: quomodo potest hic corpus suum apponere vt manducetur?* post crucem verò patefactum est, id diuino munere dispensatione neque fieri posse: nam totum illud mysterium in Christi passi commemorationem institutum est.

DE CRATICVLA.

CRATICVLA tota prorsus Hebræorum esse videtur: sedenim Cyrillus hieroglyphicum in ea agnoscit Ægyptiacum.

IRA.

AIT enim eam subiecto igni, & corde superimposito, furoris & indignationis apud sacerdotes illos indicium fuisse, vt ex eo scilicet cordis bile succensi excandescentiam ostenderent.

POENITENTIA.

NOSTRI hoc sanctiùs intellexêre, qui Craticulam pœnitentiæ signum posuêre (liceat verò mihi Theologorum dictata sectanti, eorum interdum vocabula vsurpare) non tamen hinc tacitam mentis exulcerationem intelligentes, sed amaritudinem conscientiæ minimè simulatam, manifestissimis verò conspicuam argumentis quippe vbi luctu, lacrymis & lamentatione conficimur ob ea, quæ nequiter, improbè atque iniquè patrauerimus, vnde mox fletus ex intimo cordis fonte prorumpens carnem maceret, ieiunia debilitent, abstinentia comminuat, atque arefaciat. Hæc enim est illa in propatulo posita sui conflictatio, quæ succensos diuini amoris igne carbones omnibus ostendit, exemplumque aliis præbet, qua se quis ratione possit abnegare. Hinc nonnulli quos ardens inuitat ad æthera virtus, non flagrantem modò animum præ se ferunt, verùm & corpus ipsum tormentis obiectare non dubitant. Talis olim pientissimus Laurentius fuit, qui dum edaci corpus igne torreretur, longè magis animo in ipsius Christi amorem accendebatur, sacrificiumque Deo sanctum & immaculatum, interiùs cor, exteriùs corpus, in vera craticula vstulatus offerebat. Neque tamen sum nescius Adamantium hæc, quæ de craticula dicta sunt, ad Diuinæ lectionis inquisitionem adducere; cùm ea scilicet ardenti studio consectamur, quæ nullo obtecta velamine vnicuique sunt intellectui peruia, cuiusmodi scilicet est sensus, quem Historicum Theologi nominarunt. Qua verò ratione craticula Christi mortem & resurrectionem significare possit, apud Hesychium videndum, Leuitic. 11. eo loco: *Si autem in craticula fuerit sacrificium.* B

Pœnitentiæ verè indicia.

CONDITORIVM.

EX eo autem quòd cor in abscessu pectoris latitat, & intra præcordia se reducit, Diuinæ literæ cor plerunque non tam pro iis quæ in abdito profundoque mentis recessu conduntur, quàm pro quarumcunque rerum receptaculo, vbi hæ in diuturnum tempus asseruandæ reponuntur in occultò, per cordis effigiem exprimere consuerunt. Vnde in sepulchri etiam significatum cor accipiunt. Christus enim Euangelio manifestè sepulchrum Cor terræ nuncupauit: *Sic erit*, inquiens, *Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* C

Cor terræ sepulchrũ.

CONCORDIA.

NEQVE verò me pigeat iuniorum etiam inuentum antiquis his subtexere, qui commẽti sunt in concordiæ significatum duo corda vinculo colligata figurare, quod à corde vocabulum, non à citharæ chordis deductum existimarunt.

DE SPINA DORSI.

OSSA quin etiam & neruos aliquot Ægyptij inter hieroglyphica retulêre, cuiusmodi os illud est, quod à summa ceruice multis distinctum internodiis per vniuersum excurrit.

TITILLATIO.

PER eius enim picturam, nequitiam petulciorem, concitatamq; titillationem significabant: siquidem humanam genituram à cerebro delabi, perque id ossis defluere, non Ægyptiorum modò, sed multorum etiam aliorum opinio fuit, Alcmæonis verò præcipua, quam vnà cum Hippocrate Poëtarum aliquot authoritas confirmauit. Sentire hoc ipsum Plato videtur, dum seminij vim vertebralis ossis defluuium esse tradit. Hinc Maro:

Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor.

quod ad Anaxagoræ ὁμοιομερείαν nonnulli referunt, cuius opinionem Lucretius acriter incessit, quòd putarat is,

Ossa videlicet ex pauxillis atque minutis
Ossibus, & sic de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni, sanguenq; creari,
Sanguinis inter se multis coëuntibus guttis.

Genituræ humanæ origo.

Democritus eam ex totis prodire corporibus, præcipuisq; eorum partibus, velut carnosis, fibris, & ossibus, arbitratus est. Cæterùm Philosophorum & Medicorum plurium diligentia secus rem inuenit, qui genituram minimè esse ossis vllius medullam, sed sanguinem potiùs asserunt: quibus Pythagoras etiam adstipulatur, dum eam probatissimi sanguinis spumam esse contendit, ac alimenti nutrimentum. Huiusmodi porrò sanguis ab hepate ad renes immittitur, per meatus inde ad id aptos flexuoso quodam tramite ad testes dilabitur, quod in dissectionibus apertissimè compertum est. Vnde Anchises apud Maronem paterna impulsus charitate clamat:

Proice tela manu sanguis meus.

Quod ad imitationem Pindari dixisse videtur, qui Nemeis ita, τιλωγὲς ἀεχρε φέγγος· αἱματόδευ ζοὸν, τεὸν δ' αἷμα. Quidam Philosophorum rerum venerearum libidines in iecinore contineri arbitrati sunt, quod à Lactantio quoque memoratur lib. de Artificio. Et Mathematici iecur à Venere regi autumant, in eoque amoris sedem Poëtæ omnes agnoscunt, dum Cupidinem iecur sagittis appetere vlcerareque conqueruntur. atque ita VII. Prouerb. Salomon: *Donec transfigat sagitta iecur eius.* Verùm aliud est concupiscere, aliud commoueri ad procacitatem: alterum enim mentis, alterum corporeæ munus est viuacitatis. Quæ verò ad iecur pertinent, in Vulture satis examinata sunt. Sedenim cùm renes ossi, quod suprà posuimus, adhærescant, non imperitè figmentum hoc suum Ægyptij commenti sunt: nam & Astronomi renes & genituram in Veneris potestate constituunt. Renes ait Varro ita dictos, quasi riui ab his obcœni humoris oriantur. Quòd verò & lumbi eidem ossi adiacent, Ægyptij per lumbos Venerem innuebant, hinc apud Comicos & Epigrammatarios Poëtas vbi quid lasciuiùs enunciandum fuerit, frequens adeò de lumbis mentio; dum fluctuãtes eos alij, alij exporrectos, alij aliter dicunt. Tangit & Persius hoc, vbi lasciuorum Poëmatum recitationem incessit, dicens: *Cùm carmina lumbum intrant.* & inferiùs: *Summa delumbe saliua.* Habemus & in Sacris concentibus, vsque ad noctem renes increpuisse, & impletos illusionibus lumbos. Et Gen. XXXV. *Reges de lumbis tuis egredientur.* Præterea vbi Paulus de Leui ad Hebræos scribit: *Adhuc enim,* ait, *in lumbis Patris erat, quando obuius ei factus est Melchisedech.* Neque ramen inficias ierim, aliquot Diuinarum literarum locis Lumbos poni pro Virtute, vt XII. cap. Regum tertij, qui tamen apud Hebræos primus inscribitur, vbi Roboam seniorum spreto consilio salutari, adolescentiorum, in quorum adulatione fuerat educatus, animos prætulit, qui ferociores erant: suaserunt enim illi vt rex iuuenis & imperitus rerum, fortem se atque terribilem populo ostentaret, & ita loqueretur ad eos: *Minimus digitus meus compactior est lumbis patris mei.* quo responso amaritudinis pleno factum est, vt statim à tribubus decẽ desertus fuerit, regno quod pater auxerat, ad duas tantum tribus imminuto. Quamuis verò Diuinæ literæ lumbis plurimum tribuant, vbi de genitura mentio sit facienda, non illæ tamen ossa ipsa ex Ægyptiaca disciplina reiiciunt. Nam vbi Laban accipit hospitio Iacoben sororis suæ filium agnitum, significare volens etiam ex patris consanguinitate eum sibi coniunctum esse, *Os,* ait, *meum es, & caro mea:* quasi ad id respiceret, quod veteres plerique Philosophi tradidêre, ossa ex virili semine in embryone gigni, ex materna verò genitura virili circunfusa, carnem ipsam fieri. Sed quod alicubi *Lumbos,* in vulgatis habetur editionibus, Symmachus vertit, *Latera,* sed eodem vtrunque significato, concupiscibilis animæ pars, signatur: iuxta enim latera renes sunt. In lumbis sanè maxima, aiunt interpretes, esse solet incitatio ad concupiscentiam, aduersus quam renes nostros & cor nostrum aduri, in sacris adorationibus suppliciter imploramus, quippe vt & naturali appetitui, & volũtati simul obsistere valeamus. Hac de causa dicebat Apostolus: *State præcincti Lumbos vestros, vero tamen cingulo,* hoc est, voluptate ea, quæ vera sit, quæ scilicet à castitate & continentia oritur, quod dubio procul est à Domino desumptum, vbi præcinctis nos iubet esse lumbis. Nam & apud Romanos, *Cinctus,* armatum strenuumq; significat, vt *Discinctus* contrà imbellem & effœminatum. Iam & hostiæ renes ignibus traditi, dubio procul significant genitalium partium ardores extinctos esse, quique omne quod pingue est de renibus & omnibus interioribus obtulerit, tunc verè purgatus omni libidinis vitio, pro delicto hostiam iugulauerit. Sed quoniam hæc in Diuinis literis & sæpe & multipliciter habentur, non importunũ fuerit, quod ad hanc sententiam facit, locum ex Leuitico repetere, vbi de pacificorum sacrificiis agitur, vbi sanè Legislator iubet duos renes cum adipe quo teguntur ilia & reticulum, siue, vt alij edunt, fibras iecoris cum renunculis, adoleri super altare in holocaustum: ex his, vt ait Hierosolymitanus Hesychius, Legislator vult nuptiarum desiderium offerri Deo, vt prolis causâ, non fornicationis, proueniat, & honorabile sit coniugium, & thorus immaculatus. Iungit verò iecur renibus, quia delectatio sine concupiscentia in eo sedem habere fertur, hepate verò in renes vim operationis suæ ministrante, quod per desiderium quam Græci ἐπιθυμίαν vocant, motum fuerat, ad desiderium effectus cõcitatur; quæ duo simul adolenda sunt, vt scilicet neque praua nobis proponamus, & si quo modo suggerãtur, abolere festinemus; & vt verbis vtar Hesychij, quia in hepate concupiscentiæ

A scentiæ requiescere putantur, propterea pinnam, hoc enim ex LXX. desumit, hoc est, summitatem cum renibus auferri præcipit, & offerri ad altare, vt ab omni mala delectatione mundemur, scientes quòd primitiua cogitationũ nostrarum Deo necesse habemus auferre. Demum vt à gentibus quoque arma nobis mutuemur, Poëta venustus in hanc sententiam ait:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuêre moras.

TEMPERANTIA.

NIMIRVM in Sacris nostrorum literis id erat temperantiæ signum, quòd in salutari victima lumbos eximi mos erat, tanquam impuros, ait Philo, propter concitãdæ libidinis titillatum, semine per eos irrigue. Diuino autem præcepto lumbos præcingi iubemur, cùm sacra illa solẽnia ferimus, quæ tunc temporis instituta sunt, cùm exeuntes ex Ægypti captiuitate, hoc est, ex voluptatum & deliciarum illecebris, Agnum, hoc est, puritatem edere admonemur; & in castimoniæ conuictu discumbere. Apud Nilum autem huiusmodi lex de temperantia lata est, qui, vt Ambrosius, Geon est, vnus ex quatuor Paradisi fluuiis, qui virtutem hanc significare dicitur, de quo satis in Accipitris commentario disseruimus. Quod verò de vasculorum perplexitate dicebamus, admittit id etiam Aristoteles, qui testes libramenta quædam esse dicit, quorum beneficio semen ad penem commodè labatur, neque id semel asseruit, dum eorum aduersatur opinioni, qui testes solos genituræ receptaculum putant. Innititur verò is exemplo Tauri, qui iam exectus Vaccam impleuerit. Quendam etiam ait Albertus Magnus euiratum, prolificam in coitu operam nauasse, licèt Galenus ab Aristotele diuersus eat, testesque omninò seminis receptacula esse contendat. Quin B etiam Auerroës in hoc à suo dissentit Aristotele. Quibus responsum fieri posset, si testes in hunc vsum à natura tributi essent, animalibus vtique omnibus id officij subministrarẽt, neque vlla esset absque illis propagatio, secus verò plerunque repertum, vt quæ recitauimus exempla testantur. Cadunt igitur causa, qui solis, quos oggerunt, testibus innituntur. Ab hac spina cauda exit, ea curta, in Diuinis literis ostentat eos, quibus nulla de futuris cura, qui diem nouissimum, futurumque Dei iudicium aspernantur, qui subinde dicunt, *Edamus & bibamus, pereat qui crastina curat: cras enim fortè moriemur, quia mors aurem vellens, Viuite,* ait, *venio.* Est enim cauda pars corporis extrema.

An testes soli, causa genituræ.

DE PVDENDIS.

PVDENDORVM significata his adiungere necessarium est. Nam vetustas illa vt minùs vitiosa fuit, ita simpliciùs apertiusq; de vnaquaque re philosophata est, neque erat tunc temporis in humano corpore quicquam, quod vel visu, vel nuncupatione sua, turpe iudicaretur. Prauis verò moribus succrescentibus, multa decernenda fuêre tam factu esse quàm dictu turpia, vt qui rebus suis modum præscribere nescirent, ipsius saltem turpitudinis infamia absterrerentur. De antiquissima igitur disciplina dicturus, quæ ad significationem figuræ illius, quæ tam visu quàm dictu obscœna iudicatur, pertineant, veniam mihi dari postulo, ac in eam hæc accipi partem cupio, propter quam & priùs excogitata à veteribus illis fuerunt, & à me nunc in communem vsum propalata, eo quidem consilio, vt C hæc illis scriberentur, qui sanctiùs instituti, rerum viscera & intimas medullas, non verborum superficiem, examinarent.



Somniorũ explicatio quorundã.

Vicit armis strenuos, vicit fama inertes.

MAGNANIMITAS.

ESTO igitur prima pudendi virilis significatio, quæ tot columnis incisa, tot obeliscis notata, tot aliis veterum monumentis insculpta, magnum & erectum viri fortis animum ostentarit. Extant adhuc columnarum frusta aliquot in Sesostreos memoriam erectarum, quæ literis Ægyptiacis incisæ sunt, in quibus vtriusque sexus naturæ insculptæ conspiciuntur. Sesostrem enim hunc Theopompus libr. III. appellat, quem Sesonchosin aliqui nominarunt, qui scilicet Ægypto regnauit vniuersæ, imperiumque in Europam protulit, de quo apud Herodotum multa. Vbi igitur in columnis aut obeliscis ab eo positis virilia pudenda conspexeris, bellicosos, strenuos, & magnanimos viros armis ab eo superatos intelligas. Nam & coniectores, mulierem, quæ virum & liberos habeat, si commutatam se in marem somniauerit, viduam breui futuram coniiciunt, atque ita viri muneribus functuram; quæ verò liberos non habeat, mares parituram; quæ virgo sit, futurum vt primo quoque tempore matrimonio elocetur. Ita semper ea humani corporis pars aliquid indicat, quod ad negotia virilia pertineat.

FORMI

D

FORMIDOLOSVS ET IMBELLIS.

VBI verò in monumentis iisdem muliebria videris incisa, argumentum est, imbelles, molles, & inertes homines ab eo subiugatos, cuius nomen vel nota superposita fuerit. Ad quod dubio procul respexit Homerus, cùm Thersitem Græcorum pusillanimitatem increpantem his verbis inducit, καὶ ἐλέγχε ἀχαιΐδες, ἀχνύετ' ἀχαιοί. Id quod ad Numanum sese & sua gloriosè iactantem non inuenustè transtulit Maro, dum eum, *ô Phrygiæ (neque enim Phryges)* in obsessa Troianorum castra diecentem inducit. Alibi virorum negotia præscribit, vt hi bella pacemq; gerere deberent. Et Horatius virilem Cleopatræ animum obstupescit, quæ generosiùs perire quærens, ensem haud quaquàm muliebriter minùs expauerit. Apud eundem Tyrtæus Poëta non mulieres, sed mares potiùs animos in Martia bella versibus exacuit. Ouidius quoque in Eunuchum, cùm militem virum esse debere assereret, *Ista mares tractant*, dixit, *tu spes depone viriles*. Ad hæc Onirocritæ dicunt, si princeps quispiam in fœminam se degenerasse per nocturnam sit imaginem arbitratus, futurum vt loco deiiciatur, propterea quòd mulieres plurimùm imperiis virorum subiiciuntur.

INNOCENTIA CRIMEN.

Quid per Masculū & Fœminā in diuinis significetur.

NON est hoc loco prætereundus sacrificij veteris mos, vbi per Masculi vocabulum insontem, & nulla criminis macula notatum intelligi debere autumant Theologi, per fœminam verò E crimen. Cyrillus enim Leuitico, homilia prima, siue ea sit Origenis, vbi agitur de Vitulo masculo sine macula offerendo, masculum ait intelligi, qui peccatum ignorat, propterea quòd fœmina sit peccati symbolum. Labilis enim, mollis, & ad delinquendum procliuis admodùm est mulier. *Masculum igitur sit munus quod Deo offers*, hoc est, muliebre nil habeat, concupiscentia vacet, fragilitatem aufugiat, nihil molle, nihil dissolutum meditetur. Et Masculi denique nuncupatio in Diuinis literis virum indicat virtutibus perfectum, qui præsenti fortique animo semper est, cùm mulier contrà tantæ sit infirmitatis, vt Salomon Sapientia dixerit, *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*. Et mares tantum stirpis Aroneæ iubet Dominus vesci sacrificato, quia scilicet nõ omnium est de Deo disputare, sed eorum tantùm qui nihil fœmineum, nihil fluxum in cogitationibus habeant. Demùm, ne de Deo disputare præsumamus, quandiu per quasdam declinationes diffluentes, vel domesticas curas, vel inania negotia, à Masculorum dignitate vigoreque exciderimus. Similiter in victima peccati, Masculus tantùm de genere sacerdotali vescetur carnibus eius: *ad pœnitentiam enim forti opus est sensu*, ait Hesychius, *& intentione virili*. Cui Psalmographus ita succinit: *Viriliter age*, vigoremque audacter amplectere, & in quamcunque prouinciam te delegauerit Domi-

Per testiculos auulsos quid.

nus, eam & alacriter suscipe, & non ignauiter administra. Porrò Vir, qui testiculos auulsos habeat in Diuinis literis, hieroglyphicum est hominis qui vitam priùs piè sanctèque institutam habuerit, iuuenturemque omnem bonis operibus exercuerit, ingrauescente verò ætate ad nequitias & inquinamenta declinarit. Nam cùm testes, vti superiùs ostensum est, virtutis indicia sint, euicatio mollitiem dubio procul effœminationemque significat, ipso se vocabulo prodente. Vel, vt Hesychij sententia est, secuisse ille abstulisseque sibi testiculos videtur, cuius impius animus sceleratachij sententia est, secuisse ille abstulisseque sibi testiculos videtur, cuius impius animus sceleratamque mens timorem Domini, veramq; abiecerit pietatem, perinde ac si crudelis manus semetipsum F abscinderit, hoc est, sese à Dei cõiunctione, quæ sita est in virtutibus, abstulerit, & bonæ frugis prole fœtificationeque priuauerit, ipso quippe abiecto signo, per quod vera virilitas in homine cognosci possit.

ERGA PARENTES INGRATI.

ANTIQVORVM autem religione institutum fuit Gallos, euiratos quippe sacerdotes, Deùm Matri ministrare, perpetuæ eius seruituti addictos, quòd qui patris, matrisve nomen violauerint, eo supplicio damnandi viderentur, ne possent ipsi vnquam fieri parentes, in qua sententia fuisse Lucretium, hæc eius carmina declarant.

Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sunt,
Significare volunt indignos esse putandos,
Viuam progeniem qui in oras luminis edant.

COELI

A

COELI FOECVNDITAS.

QVÆ verò de Cœli pudendis è Saturno falce abscisis & in mare deiectis veteres fabulati sunt, sententiam præ se ferunt à Diuinis literis non admodùm alienam: Deum quippe omnium rerum species conformasse, moxque præcepisse, vt coniugio quæque suo crescerent, replerentque terras; id quod & plerique Philosophi dixêre, rerum semina cœlitùs delapsa tempore quæque suo coaluisse, inde ad eas propagandas naturam vsum Veneris indicasse. Iam & Osirim Ægyptij suum, de quo sæpe alibi, humana effigie pudendis obscœnius excitatis faciebant, inde generis nostri causam (Sol enim Osiris) & per quem capite gestabat calathum, educationis beneficium significaturi.

MERCVRIVS, VEL EFFICAX SERMO.

SERMONIS efficaciam persuadendique vim ostentare veteres si voluissent, Mercurij simulacrum grandiori iam ætate, barbatum, & effœto propemodùm corpore, natura tamen obscœnius excitata, eaque tantùm parte validissimum faciebant: cuiusmodi signum Cyllenis fuisse Pausanias tradit, atque ego sigillum ea specie æneum apud Fabium Caluum Rauennatem Romæ vidi, cui quidem signo, præter hæc vestis erat suffarcinata, in cuius sinum poma, fœturæ scilicet indicium, condebantur, nempè quòd sermo, cuius omninò symbolum est Mercurius, in grandiori, prouectioB rique ætate vim quandam propemodùm generandi, transigendique aliquid habeat, vt quod in consultatione propositum est, deliberet, persuadeat, ac omninò conficiat. Artemidorus Onirocrita scribit, se quoque Cyllenis vidisse Mercurij simulacrum, cuius species non alia erat, quàm pudendi virilis effigies, eaq; de causa Coniectores super sermone disserunt, quæ quis per eius partis imaginem somniauerit.

Sigillū Fabij Calui Rauēnatis.

INVETERATA NEQVITIA.

ADDI solita est Hermæis huiusmodi vestis longo syrmate tracta, quorum quidem similitudinem Theophrastus Eresius in homines nequam & intemperantes detorquebat, propterea quòd syrma, ventrem, pudenda, & barbam tantùm haberent; ita illi vestem traherent fœminarum more, ventri dediti essent, atque libidini, nequitiam in ætatem etiam grandiorem producerent, cùm vitia quædam, vt Satyricus monet, cum prima sint barba resecanda.

SERMO INANIS.

INANEM verò sermonem ostendere volentes, Mercurium eundem iuniori specie ac prorsus impubi cùm effinxissent, attracta illi pudenda vel desidentia faciebant: in his enim qui nondum ex ephebis excessissent, infœcundam & imperfectam esse orationem animaduerterant, vtpote quòd ætas illa ad prudentiam nondum esset idonea. Huiusmodi verò signum vidi Neapoli in magnificentissimis Mactaleonum ædibus.

PROVENTVS.

CIAM & Priapi simulacra in hortis statui ab antiquis solita, ne multum in his immoremur, proC uentus qui deposceretur significatum habebant. Ea verò de causa fieri consuesse ait Varro, quòd horti omnes in tutela sunt Veneris, quæ totius est generationis Dea.

CONTINENTIA.

FRÆNVM libidinibus atque nequitiæ impositum & imponendum esse, admonere cùm vellent Ægyptij sacerdotes, genitale viri manu cohibitum atque coërcitum pingebant, quippe hominis continentiam eo gestu describentes. In appendicibus vtique ad Virgilianum opus adiectis, cuiuscunque illi fuerint ioci, sapienter quidem compedibus Venerem constringendam inuenies, quantumque natis creandis seruiat adeundam, vt corruptum ibi locum ex Lactantij Firmiani lectione corrigamus: ita enim apud eum legas:

Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos fines transiliisse nocet.

Libidinis frænum.

Approbesq; interim eorum fortitudinem, qui potiùs excastrari voluerint, quàm illicito coitu contaminari, cuius facti fidem apud Cyprianum & Origenem quærito. Præcipuum autem illud in Christianorum institutis præceptum ponit Eusebius, γάστρός τε καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα κεκτεῖν, *ventrem* quippe, *quæq; sub ventre sunt, coërcenda*. Sanè Anacharsis Scytha conuiuio acceptus apud Solonem, ita mox decubuit compositus, vt vna manu pudenda, altera verò os obsignaret, palma ad

id ap

id appressa, daturus quippe per huiusmodi gestum continentiæ atque silentij monumenta. Eam D
Continētia Anacharsis & Alexandri Magni. verò toto vitæ tempore continentiam à deliciis omnibus alienam secutus est Anacharsis, quare statuis eius inscriptum erat, ΓΛΩΣΣΗΣ, ΓΑΣΤΡΟΣ, ΑΙΔΟΙΩΝ ΚΡΑΤΕΙΝ. quippe, *linguam, ventrem, mentulam compesce.* Nam ille nimirum ante omnes probus est, qui tribus his egregiè sibi temperarit. Neque verò paruam huius continentiæ laudem meruisse videtur Alexander Macedo, cui adhuc iuueni cùm puella, noctis bona parte peracta, deducta esset, vt cum eo dormiret, quærenti Regi tarditatis causam, respondit illa, expectasse se donec maritus cubitum iret, commotus Alexander ministros acriter obiurgauit, *Reducite*, inquiens, *hanc: parum enim abfuit quin vestra culpa factus fuerim adulter.* Quin & captiuas Darij puellas quanta integritate seruauerit, ignorat nemo. Exempla hæc adolescens, ætate feruidus, deliciis affluens, adulatoribus vndique circumseptus, sponte præstitit, vt nos qui monitis dubio procul sanctioribus eruditi sumus, aliquando cogeret erubescere.

VENVS VERECVNDA.

NON defuisse verò vnquam qui verecundiam adamarēt, tot Veneris simulacra in antrum abdita, de quibus alibi meminimus, indicio esse possunt. Adhæc iuxta Mantineam Nigræ Veneris sacellum apud Meliastas fuit, ad verecundiam quippe, qua præditum esse debet humanum genus, indicandam. Reliqua enim animantia die plurimùm & in propatulo, homines verò & clàm & plurimum noctu liberis dare operam solent. Simulacri huius meminit Pausanias lib. VIII.

EXTINCTA LIBIDO.

APVD Ægyptios genitalia à Titanibus desecta, & in fluuium demersa comperias, quòd libidinis ardorem extinctum, aut extinguendum esse, mystico eo sacro intelligendum. Graeci He- E
Herûs & Leandri fabulæ sensus & explicatio. rûs & Leandri fabulam commenti sunt, vt extincto lucernæ lumine, calore quippe naturali deficiente, iuuenilis quoque concupiscentiæ ardorem extingui significarent, atque ita tam marem quàm fœminam gelida senectutis procella exagitatos in aquas immergi, ac denique suffocari. In sacris nostrorum literis sententia huic fabulæ non absimilis de flore amygdalæ, de locusta & cappari habetur, quam loco suo satis explicauimus. Neque tamen illud contemnendum, quòd Græci extinctos compressosq; nequitiæ stimulos à viro forti, hoc est, virtute prædito, indicare volentes, Anteum illum suum Terræ filium ab Hercule collisum fingunt: nihil enim aliud est Anteum à terra procul sublatum enecare, quàm à libidinoso tactu manus & mentem procul amouere.

COELESTE RERVM OMNIVM PROMPTVARIVM.

Simulacrū Panos. PANOS vrbs in Ægypto fuit, in qua huius etiam dei colossus visebatur inguine procaciter extento, qui flagellum in Lunam à dextra eius sitam attolleret. Pana enim illi ad Lunæ simulacrū addere voluerunt, quòd omnia mortalium vsui necessaria putarent à Luna suppeditari. Sed quid hoc sibi vellet argumentum, facilius ex Cabalisticæ disciplinæ significationibus eruemus. Aiunt enim eius mysterij sapientes, omnem siderum vim, quæ rerum procreationi comparata sit, in lunare prius corpus infundi, tanquam in penum aliquam promptuariam, mox illam pro rei vnicuiusque materia formam vnicuique suam fideliter erogare, idq́ue sibi velle videtur in Panos manu flagellum, quasi accepta eo gestu doceat expendere.

SOL.

Priapi simulacrum, & explicatio. IN Sudæ collectaneis legas Priapi simulacrum, quem Horum Ægyptij esse dicunt, læuâ penem F
arrectum continere, dexterâ sceptrum disco & pennis insignitum, quæ omnia Solis vim ostentent: ex genitali siquidem obscœniùs attrectato significari aiunt, quæ abdita sunt in visceribus terræ semina, vi solis erumpere, per sceptrum verò imperium, quod in cœlestibus & terrestribus gerit, cuiusq́ue opera & terra & mari patefacta sese mortalibus exhibuêre, vsusq́ue & commoditates rerum omnium subministrarunt. Discus orbem quo circumfertur indicat, pennæ verò velocitatem, totius cœli ambitu quatuor & viginti horarum spatio quotidie decurso. Sic illis philosophatum est temporibus, vt rem tam seriam, & omni modestia & verecundia tractandam, ad nequitiæ turpitudinisq́ue imaginationes traherent. Sic Iudæi quoque Beelphegori nonnunquam initiati sunt, ignominiæ quippe simulacro, quem Priapum Latini vocant, Moabitarum de more ferentes, sacra, grauissima contra se numinis omnipotentis iracundia concitata. Sic Athenarum eruditio arcanaq́ue mysteria vniuersum orbem elusêre. Atque huc demùm in Eleusinæ Cereris sacris tormentum illud cæremoniarum, ad occlusas portas diuturnior mora, linguæ obsignatio, & tot habituum & ornatuum, quot Apuleius enumerat, varietas tendebat, vt posteaquàm per quinquennium anxij anhelabundiq́ue magni alicuius oraculi cognitionem expectarant, & rei cuiusp iam diuinæ maiestatem quandam, diceret Tertullianus, se visuros concepissent, sub naturæ significatione simulacrum virilis membri tot integumentis tamdiu coopertum, reuelatum tandem intuerentur, quodq́; quotidie ad naturæ requisita non semel tangere cogerentur, vidisse se pictum aut sculptum, sub religiosissimi iusiurandi prohibitione profiteri vetarentur. quodq́ue longè magis ignomiosum est, huc Philosophi, huc Principes, huc ipsi Romanarum rerum domini Augusti, leuitate nescio qua pellecti, perhibentur.

DE

A

DE VMBILICO.

QVONIAM verò vmbilicus quædam communia habet cum genitalibus, exigit locus ipse, vt quæ partis eius significata sunt, explicentur.

PATRIA.

VMBILICI significata alij alio modo acceperunt: sunt enim qui Iouem, sunt qui mediū, sunt
Significationes vmbilici variæ. qui finem per simulacrum eius intelligāt. Iouem quidem ex vmbilico significare videas apud Curtium lib. IIII. cuius effigies smaragdo & gemmis aliis coagmentata erat. Et hoc idem indicat numus quem apud clariss. patritium Venetum Stephanum Tepolum vidi, cuius inscriptio est, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΕΙΕΡΙΑΣ ΖΕΥΣ. ibi enim quædam huiusmodi species habetur. Medium verò, vt qui dixit Delon orbis vmbilicum. Finem Martialis, cùm scripsit:

Iam peruenimus vsque ad vmbilicum.

Sed eo loco intelligēdus est voluminis terminus, qui cùm volumen explicatur in fine omninò est: cùm verò idem obuoluitur in spiram collectum, medium tenet locum. Sedenim Onirocritæ per vmbilicum dubio procul patriam intelligunt, vnde scilicet educationis auspicia susciptuntur, & per ea quæ vmbilico accidant in somniis videri visa, de patria vaticinari solent.

MEDIVM.

VIDETVR verò patria vnicuique homini orbis medium esse, cùm ab eo loco, vbi quisque lu-
Hominis mediū quid cem auspicatus est, & terrarum situm, & mundi spatia metiri incipiat, & quoquo versum iter arripuerit, patriam semper quasi centrum statuat. Sed apertissimè Cicero Vmbilicum pro Medio
B poni ostendit in Verrem actione VI. *Et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore, qui locus, quòd in media est insula situs, Vmbilicus Siciliæ nominatur.* In homine quoque vmbilicus medio totius corporis loco constituitur, siue circulum circumduxeris lacertis manibúsque exporrectis, siue ad quadræ figuram factum eum imagineris. quamquam de medio hominis diuersa est & Vitruuij & Varronis opinio: hic enim inguen in homine masculino medium agnoscit, vmbilicum ille. Apud Martialem medios lambere comperias, quod ad Varronis sententiam accedit: nam fœminæ inguen esse medium, idem quoque Vitruuius confitetur.

FINIS.

CVM autem & finem significet vmbilicus, ostendendum quid vmbilicus in libro sit, de libro
Vmbilicus in libro qd sit. enim loquitur Martialis, cùm se peruenisse dicit ad vmbilicum vsque, vti paulò antè diceba-
mus. In quo quidem multi hallucinantur, dum alij vmbilicos esse putant, defensacula ea ænea quibus librorum anguli ornantur simul & muniuntur: quandoquidem cornua etiam eodem errore vocari crediderint à Poëtis, præcipuè verò bullam in libri medio affixam. Alij signa esse quædam arbitrantur, quibus antiqui librorum fines concludere soliti essent, ideoq́; Porphyrionem citant, qui ad vmbilicum, ad finem interpretetur, apud Horatium:

— Deus deus nam me vetat
Incæptum celeres promissum carmen iambos
Ad vmbilicum ducere.

Alij clauos ad similitudinem bullæ, qui pro ornamento affigi soleant tabulis quibus libri conglutinantur, intelligunt. Alij, vt ex errore vno in alium trahantur, rati se apertè rem indicasse, locum Ciceronis ex tertio de Oratore citant: *Sed tum ita solet narrare Scæ-*
C *uola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & Lucrinum legere consuesse:* ibi per *Vmbilicos*, lapillos intelligunt lotos & politos, ita enim scriptis prodidêre, cùm hæ buccinorum quorundam testulæ sint, quæ turbinatim conuoluuntur, in fastigium acuminatæ vmbilici forma, qui ex lapide olim fieri consueuit, ad vmbilici nostri similitudinem. Vt verò & Martialem & Horatium idem dicentes, neque non Catullum & Ouidium etiam intelligamus, qui vmbilicum hunc eodem omnes significato posuêre, sciendum libros olim fieri solitos ductu plurimùm perpetuo, vna quippe pagina, non vt nos, illis dissectis, & in quaterniones quos dicimus consertis, & quia complicabantur ad instar spiræ conuoluti, inde Volumina dicta sunt à voluendo. In extrema autem pagina firmitudinis ergò paruus admodùm bacillus, ex cedro quippe, aut buxo, cupresśove, vel ex ebeno, vel ex ebore adglutinabatur, ad latitudinis modum, quà membrana præcisa erat, hunc Vmbilicum appellabant, cuius quidem capita volumine complicato hinc & inde prostarent, solebantq́ue ea ex argento, vel auro, vel etiamnum gemmis ad ornatum præmuniri, atque ea sunt quæ Cornua nonnulli vocitarunt, vt Ouidius ad librum Epistola Tristium prima:

Candida, nec nigra cornua fronte geras.

hoc est, neque ebore, neque argento, aut nitida vlla gemma vmbilici præmuniantur, cuius facies atrata luctum præ se ferat. Martialis XI.

Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum.

Sic apud eundem, vti superiùs dictum, quod & apud Horatium, vmbilicus pro Fine ponitur, quia principium libri est vbi à titulo incipit explicari; finis, vbi tota reuoluta pagina peruentum est ad vmbilicum. Huius ego generis volumina multa vidi, eaque vetustissima, alia ex membranis, alia ex Nilotica papyro, alia Græcis, alia Hebraicis, alia etiam Arabicis literis perscripta. Non præteribo

EE

papyracea illa monumenta, quæ in arcis Æliæ thesauris Romæ asseruantur, in quibus archetypa D
est Constantini Imperatoris donatio, papyraceum esse textum, glutine quodam delibutum, mox
aut aprina sana, vel vitro exæquatum ac perpolitum, vt & scripturæ patiens fuerit, neque vlla ca-
lamum asperitate offendit, miro quippe læuore complanatum.

CASTIMONIA E' CONCVPISCENTIA.

Vmbilici amputatio, quid in fœminis.

EXcisvs vmbilicus apud Diuinarum literarum Interpretes castimoniam significat: eo enim modo, quo præcisum præputium Circuncisionis illius est signum, qua libidinem atque nequitiam à corde resecare debemus, ita in fœminis vmbilici amputatio castimoniã indicat: virtus enim eius in vmbilico est. Hinc de profanatis prostitutisq; Hierosolymis Ezechiel ita lamentatur: *In qua die nata es, non est excisus vmbilicus tuus, vuluæ igitur matris adhæresci:* hoc est, nihil quicquam anima ab originatione separatur, sed patriæ coalita est, & applicita mollitudini; vt minimè mox mirum sit eam, quæ omnia subsequuntur, turpia perpetrare. Nam quod ex Iobe dicebamus, *virtus eius est in vmbilico*, sub vmbilico ventris legere videtur Eucherius, vt per hoc fœminæ significet genitalia, sicut in viro lumbos dicimus. Nam vmbilicus dubio procul est concupiscentiæ signum.

DE VENTRE.

NAm Venter quoque sua continet hieroglyphica, eaque ab vmbilico, de quo nunc dicebamus, non admodùm aliena; quare nusquam de eo, quàm post vmbilicum, possumus commodiùs meminisse.

PRINCIPIVM.

E
ABsolvtvm perfectumque opus significat, vti diximus, vmbilicus. Contrà venter in sacris præcipuè literis, nunc principij, nunc originis indicium est, cùm scilicet quis vel à natiuitate, vel ab eo quo sapere cœpit tempore, factum incœptúmve aliquid ostendere voluerit, ex vtero, ventréve dicet. Ita Iobes: *Si non ex ventre matris meæ dux illis fui:* de misericordia loquens, qua pauperes ab ætatis initio prosequi cœpisset.

MARE.

IN Serapidis descriptione figuráve, de qua plenius alibi, γαστὴρ ὁ θάλασσα legitur, *venter* quippe *mare est*; &, vti superiùs notauimus, Hippocrates decumbentem quempiam, qui mare conturbatum in somniis sibi sit videre visus, morbo eum ventris tentari coniicit, similitudine puto à mari sumpta, quòd veluti flumina fontesque omnes in se recipit, ita venter omnia consumat.

INSATIABILITAS.

VNde Poëtæ ventrem pro ganea, & insatiabilitate, variationeque parasitica ponunt, vt apud Horatium in Epistolis:

Quicquid quæsierat ventri donabat auaro. Sed ibi apertiùs:
Scilicet vt ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos.

In gulosos dicteria quædam.

Epimenidis in Cretenses obiurgationem Paulus Apostolus repetit, qui γαστέρας ἀργὰς, *ventres* quippe *ignauos* eos appellat. Versus verò ille ita in codicibus aliquot antiquis habetur:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.

Semper mendaces Cretes, commercia peßima, ventres ignaui. Iam &, *Viuite ventres*, Lucilius dixit. Et quod F
apud Terentium legitur, *Pugnos in ventrem ingere*, Donatus de toto parasito ventrem intelligi posse dicit. Apud Sudam, & in aliis prouerbiorum collectaneis parasiti cuiusdam responsum habetur, qui ventris opprobrium obiectum sibi ita refellit, vt probrum id omnium pulcherrimum existimare se dicat: præstare enim eo ventrem aliis rebus, quòd plenus, leuis agilisque sit, atque strenuus; inanis verò, grauis, & inutilis. De adipali sanè lautitia ganeaque verbum apud Græcos γαστρίζεσθαι. In Diuinis literis Psalm. XVI. *Implctum ventrem* legas, pro insatiabilitate atque ingluuie. Quique gulæ & nequitiæ imperandum præcipit Philosophus, *Ventri*, vti superiùs dictum, *temperandum, & his quæ sub ventre sunt*, inquit. Sanè quidem Ægyptij mortuorum ventres eximere, & in Sole discindere soliti sunt, vt qui scelerum omnium causa essent, atque ita vel expiarent, veluti de impulsore pœnas sumere viderentur. Verùm hæc plerique dictu quidem speciosa dicant, non tamen imitanda sibi proponent, lepidumque orationis Catonianæ principium in dissuadenda lege Agraria ita exordientis obiicient: *Arduum esse ad ventrem verba facere, qui careat auribus:* nam & in hanc sententiam Græcum est prouerbium, γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα.

HVMANA DELICTA.

Ventris in sacris literis variæ acceptiones

SAne' ventres, Leuitico, modò aqua eluendi, modò extra castra exportandi, apto admodùm Hieroglyphico, reatus, maculas quippe nostras indicant: quia *Fimus* in Diuinis literis pro delictis accipitur, ea verò vel corrigi possunt, atque ideò elui, vel expiabilia sunt, eaq; procul deportanda, ne contagione vlla pars, quæ syncera est, contaminetur. Qui verò Deo venter in Diuinis literis attribuitur, secretam substantiæ eius originẽ indicat: vnde illud in Psalmo, *Ex vtero ante lucem genui te.* Significat alibi iudicia eius incomprehensibilia, diceret Eucherius, quæ rimari nulli datum

A datum est, de quo Iobes: *De cuius vtero egressa est glacies; & gelu de cælo quis genuit?* Idem Eucherius, quod apud Abacunta legitur, *Venter meus turbatus est in me*, ita interpretatur, vt per ventrem hieroglyphicè rationis vas & receptaculum intelligat. Apud Hieremiam, vbi, *Ventrem meum doleo*, pro *Mente* accipit. Quòd autem de spiritali, non de corporeo loqueretur, indicium est quod sequitur, *Sensus cordis mei conturbati sunt.* Manifestè autem in Euangelio: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Contrà verò de ventriloquis inuenias in iisdem Diuinis literis, nam vbi in Leuit. legitur: *Ne declines ad magos.* Septuaginta reddidêre: *Ne sequimini ad ventriloquos.* per hos Theologi falsos Prophetas intelligunt, qui Deum professi, à Deo aliena quæque docent, falsaq; doctrinas & Prophetias comminiscuntur, contra quos dixerit Ezechiel: *Væ Prophetis insipientibus qui Spiritum non diuinum, sed suum sequuntur. Maxima est enim omninò*, inquit Hesychius, *diabolici erroris & fraudis species, ventriloquorum inuentum*, & quæ multa super hoc exequitur.

DE PELLE.

TRahit ad se venter pellem, quadam propemodùm similitudine, qua super in Diuinis literis aliquot inuenias hieroglyphica, cuiusmodi sunt hæc.

VEXATIO.

PElles hieroglyphicè in sacris literis vexationes sunt, quæ hominem ad mortem vsque commacerant, imbecillumq; reddunt: distractæ enim illæ in vsus varios, in vasa, in opera multa, patiendo probatæ laudem à Domino consequuntur. *Nam*, vt Paulus ait, *afflictio patientiam generat, patientia probationem, probatio spem, spes virtutis firmamentum, & inconcussam in operibus bonis stabilitatem.*

B

MORS.

SVnt qui locum ex Geneſi, *Et fecit eis tunicas pelliceas*, eo interpretentur hieroglyphico, vt mortalitate conuestitos esse eos intelligi velint. Nam cutis omninò eos indicat, qui solis exterioribus intenti, interiùs emarcescunt. Apud Plutarchum libro de Iside & Osiride, tympanum humanam sapit naturam, atque ideò mortalitatis hieroglyphicum est. Conficitur verò tympanum ex pelle plano, latóque circulo circumducta. *Tunicæ pelliceæ, quid.*

SCORTA.

INvenies & pro Meretrice pelles positas Leuit. XV. *Vestem & pellem quam habuerit, lauabit aqua*, quem locum citat Hierosolymitanus Hesychius, sententiæ huius interpres. Iam & apud Romanos meretrices Scorta dicuntur, à scorteis pellicibus, quibus pro strato vtebantur. Idem pellem pro Diuitiis poni dicit, & pro cognatione alicubi.

CASTRA, VEL BELLICVS APPARATVS.

ALio significato pellis pro tentorio & castris ipsis ponitur, propterea quod vetusti moris fuit, tentoria ex consutis pellibus configere. In Abacuntis cantico: *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*, hoc est, *Madianitarum castra vertentur in fugam & dissipabuntur.*

PIERIVS VALERIANVS
AD IO. MANARDVM FERRARIENSEM,
DE IIS QVÆ PER MANVS ET PEDES SIGNIFICANTVR,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXXV.

SVmma quidem ingenij amœnitas tui, rara q; admodùm eruditio, iudiciúmque in omni disciplinarum genere exactissimum acerrimúmque, quibus te præditum superioribus diebus animaduerti, cùm apud Celium Calcagninum cœnaremus, effecêre vt doctissimæ illius cœnæ nunquam immemor sim euasurus. Sed quoniam parum est gratum animi affectum in corde tacitum fouere, nisi vbi facultas datur, eum palàm feceris & in propatulum exposueris; cùm nihil mihi commodius nunc ad meum erga te amorem explicandum occurrat, quàm earum rerum commentarium, de quibus plurimas ea cœna sermo fuit, id quam primùm ad te curaui transmittendum: ibi enim tu per abditissima Philosophorum arcana Medicorúmque sapientiam ingressus, nihil obscurum reliquisti, quod super pulsu, venis & arterijs quæri posset, quámque necessarium esset, Medici non modo cor, verùm etiam manus ipsas eruditas esse, manifestissimè docuisti: frustra enim esse mentis disciplinam, & scientiam, nisi eam manus opere facto comprobarent. Cúmque medicamina plurima, quæ manibus tuis ipsemet confeceras recensuisses, opportunè Vincentius Caprilis conuiua

noſter lepidiſsimus acclamauit. Manardum te denique eſſe à manuum ardore diuinitùs appellatum, itaque tunc manum Cælius, & alij, qui accumbebant omnes, ſuis quiſque laudationibus in cœlum extulêre. Ego verò aliam ingreſſus ſemitam, nihil à re, quæ præ manibus erat, abſcedens, eadem hæc, quæ nunc deſcripta ad te legenda miſi, ad verbum propemodùm manu ſuper declamaui, quæ quidem ſi legenti tantùm placuerint, quantum audienti probari videbantur, minimè putabo me oleum & operam perdidiſſe, ſperans ſcilicet inde aliquid futurum, quod initam hanc ex literis amicitiam apud poſteros faciat teſtatiſsimam. Neque tu illa ſupprimes, ſi rectè diligentiam tuam perpendi, quæ ad humani generis vtilitatem pauciſsimis antèà cognita reſeraſti. Facit hoc idem Cælius noſter, qui quotidie aliquid de Muſarum penetralibus eruit, & in promiſcuum vſum exponit, inde perpetuam ſibi laudem, & amicis nomen comparaturus. Noſtra verò hæc qualiacumque ſint, ſi non vtilia, vti veſtratia, certè aliqua ex parte ſpero fore delectabilia. Tu igitur quod auribus libenter haurire viſus es, oculis nunc & mente perfruere.

DE MANV.

QVÆ fuerint ſuper manu hieroglyphica apud Ægyptios ſignificata, quiq; honos ei habitus ab eius nationis ſacerdotibus, Manarde mi, dicebamus, ea nunc in hunc modum, vti dicta fuerant, repetemus.

OPVS.

MANVS apud Aegyptios ſacerdotes operis in primis hieroglyphicum fuit, eaq; picta, ſculptáve, hominem ædificationis ſtudioſum ſignificabat, quippe qua in operibus faciundis plurimùm vtimur, cuiuſq; beneficio rerum artificia conſtant, & conceptæ in animo excogitationum imagines oculis ſubiiciuntur. Vt verò ait Hippocrates, in vnaquaque arte manus vnuſquiſque ad opus, quod facere deſtinarit, accommodat: *Natura enim*, vt ait Cicero, *dedit homini manus multarum artium miniſtras.* Artemidorus coniector artes ex manu ſignificari ea de cauſa dicit, quòd earum opera artes exerceantur. Iam & oblatæ in ſomniis manus ſi pulchræ formoſæq; ſint, felicem rerum agendarum ſucceſſum indicant, & iis præcipuè qui manibus opus faciunt, vt idem tradit Artemidorus. Et Pindaricũ illud Olympiis celebratur Ode IIII. χεῖρες ἠυ καὶ ἅπορ ἴσον, vbi per manus opera, per cor audaciam intelligendam interpres Triclinius obſeruat. In ſacris quoque noſtræ pietatis libris, manus operis hieroglyphicum habentur, eo præſertim loco vbi Deus Moyſi mandat, vt Serpentis caudam apprehendat manu. Actionem hîc per manum ſignificari tradit Philo, ſiquidem nullo fieri modo poteſt, vt voluptates, quas per Serpentem ſignificari alio commentario diximus, coërceri, opprimíve valeant, niſi priùs manus, hoc eſt, ſinceros animi affectus, vtpote rectorum operum miniſtros expediamus, & in omne pietatis miniſteriũ promptiſſimas habeamus, atque ita demùm arreptus intrepidè Serpens virga fiat, hoc eſt, voluptas in diſciplinam, quæ per virgam figuratur, vt in Caduceo declaratum eſt, quamprimum habeat, atque ita abſolutam veritatis cognitionem partim intelligendo, partim experiũndo, conſequatur. Apertiùs verò manus opus eſt eo loco, Exodi XIIII. *Et viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos.* Huiuſmodi ſignificationem etiam Græci veteres admiſêre. Nam Lacedæmonij ſic inuocandos deos exiſtimabant, vt manum etiam admoueremus, noſtram ſcilicet operam addentes, neque enim eos aliter exaudire. In quam ſententiam Saluſtianus Cato: *Non votis, neque ſupplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, bene conſulendo, proſperè omnia cedunt: vbi ſocordiæ te & ignauiæ tradideris, ne quicquam Deos implores, irati infeſtiq; ſunt.* Sed vt ad noſtra redeamus Pſal. LXXVIII. *Deum exquiſiui manibus meis nocte coram eo*, quamuis apud eos qui Hebræos ſequuntur, nulla hîc de manibus mentio. Verùm alij exponunt, *manibus*, id eſt, *bonis operibus*, quæ tamen *nocte*, hoc eſt, *occultè*, & in Dei tantùm conſpectu fierent. Nam & Aſſertor: *Neſciat*, inquit, *læua quid dextera agat tua. Dum attollit Moyſes manus ſuas, vincitur Amaleches*, hoc eſt, vt interpretatur Adamantius, opera & actus ſuſtollit ad Deum, non humi iacens, obrepenſq; reptilium inſtar terræ applicitus, ſed ad Deum porrectos, inq; cœlum ſurrectos. Quódque Leuitico præcipitur: *Manus eius offerant hoſtiam Domino.* Theologi per manus opera interpretantur, κατ' ἐξοχὴν verò quandam, manus Dei pro ipſo accipitur Filio, per quem facta ſunt omnia, vt Eucherius & alij plerique interpretantur illud Eſaiæ: *Omnia hæc manus mea fecit.* Sed longè manifeſtiùs alibi vates idem clamat: *Brachium Domini cui reuelatum eſt?* vbi Theologi, vt apud Heſychium eſt, Filium dubio procul intelligi debere profitentur, Patri ſcilicet ὁμοούσιον. quod ne cui ambiguum relinqueretur, labores eius pro nobis ſuſceptos ſtatim ſubiicit, vir extra omnium aleam diuiniſſimus, ait enim: *Labores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, afflictuſq; eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Pſalmo ſanè LXX. *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt.* Theologi ſubiectam antiquitùs interpretationem huic verſui memorant, potentiam tuam & iuſtitiam tuam, id eſſe brachium. Vbi verò hoſtiæ ſalutaris brachium dextrum ſeparari, dariq; muneri Sacerdoti præceptum eſt, Cyrillus, vel Adamantius potiùs, per huiuſmodi brachium à vulgo ſeparatum ſignificari ait, Pontificem debere dextera quæque, hoc eſt, proba & honeſta facere, vt qui tanquam lampas illuceſcit in atrio, exemplo reliquis eſſe poſſit, non opinione tantùm, verùm etiam operibus, quam quiſque viam ad virtutem

Plurimæ manus acceptiones, cùm in Diuinis, tum in profanis.

A tem & pietatem ingrediatur; contrà verò ſiniſtra, hoc eſt, praua & turpia non attingat, vitáque ſit omninò integra & inculpabili.

INNOCENTIA.

EVTHYMIVS, vbi de manuum puritate ſermo ſit in Diuinis literis, per manus actiones operationeſq; inquit ſignificari, eò quòd per eas opera fieri ſoleant. Earum autem puritas dubio procul inſontem oſtendit, vnde etiam abluendarum manuum geſtus innocentiæ ſignum eſt, quaſi illas non contaminatas habere profiteamur. Antiqui enim quando conteſtari volebant ſe alicuius innoxios eſſe ſceleris, neque impuris ſe facinoribus immiſcuiſſe, aſſenſúmve præbuiſſe, in multitudinis conſpectu manus abluebant, vt ſcilicet ex illa manuum munditia animæ identidem puritatem indicarent. Inde Deut. cap. XXI. vbi cadauer in agro cæſum quis repererit, ignorato cædis authore, ſeniores ciuitatis quæ loco ita polluto proxima fuerit, accerſiri iubentur, & in deſerta ſteriliq; conualle vitula facere, ſuper quam lauent manus, vt ita expientur & ipſi & ciuitas, populúſque omnis abſoluatur. Sic circundaturum ſe altare Domini Pſalmographus vates profitetur, cùm vnà cum innocentibus manus ſuas abluerit. Et Pilatus cùm iniquæ ſententiæ crimen in Hebræos reiiceret, innocentiam ſuam atteſtaturus, manus publicè lauit. Datas autem homini manus ideò ait Athanaſius, vt ad rerum neceſſariarum vſum inſeruiant, & ad preces, Deo porrigendas attollantur. atque vti palàm eſt, manus eſt quæ cibum & alimenta omnia legit, condit, inſtruit, & ori admouet; manus eſt, quæ præclara facinora in pugnæ vel diſcriminum conflictu facit, ab ea eſt ſcribendi commoditas & elegantia, quam Propheta honeſtauit, de Deo dicens: *Calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, quo ſcilicet diuinæ vocis oracula exprimuntur. Manus ſacra infert altaribus, & pietatis omne munus peragit, ſacramenta cœleſtia nobis ſubminiſtrat, & myſteria reliqua ritè perficit & & operatur, eam dignatus eſt Dei filius commendare, cùm dixit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Manus denique eſt, quæ omnia confecit, omnipotentis Dei teſtimonio, per Prophetam dicentis: *Nónne manus mea fecit hæc?* Manus eſt totius corporis propugnaculum, quæ dum illud totum oberrat, totum defendit, totum comit, totum veſtit, totum ornat, vniuerſæ eius molis dominam ſe re ipſa profitetur.



Mos antiquus profitendi innocentiam.

Manus functiones.

AVTHORITAS.

HINC manus authoritatemque & poteſtatem ſignatiſſimè indicat, vt in ſacris pietatis noſtræ canimus, in manu Dei eſſe omnium poteſtate, & iura regnorum omnium, quo ſignificato dictum à Pſalmographo, *Exaltetur manus tua*, vt Theologi ſunt interpretati. Iam apud Hieremiam: *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſraël*, de ſumma Dei potentia. Et illud minimè diſſimulandum, quod Poëta Cæcilius ait: *Deum quis non ſummum putet, cui in manu ſit quem eſſe dementem velit, quem ſapere, quem inſanire, quem in morbum inijci, quem contrà amari, quem auerſari, quem expeti?* Sic ad Terentiam Cicero: *Verùm hæc non ſunt in noſtra manu.* Et Aruſpices, nulla quamuis ſanctiore imbuti diſciplina, cùm prandenti Veſpaſiano humana manus triclinio illata fuiſſet, & ſubter menſam ſubiecta, præſagium fuiſſe reſpondêre, rerum poteſtatem ad Veſpaſianum aliquando peruenturam. In Dei verò manu eſſe omnes fines terræ, ſacra piorum vatum oracula teſtantur, qui fieri poſſet admirantium, vt aqua longè altiõr terra, ita ſuſpenderetur, ne continentem omnem obrueret, quoquò verſum circumfuſa. Tametſi non defuerunt antiquorum ingenia, quæ natura fieri hoc commentarentur. Ptolemæus quippe Almageſto, triginta ſe neſcio quas ſtellas Arctico polo affixas deprendiſſe profitetur, quæ cùm ſiccæ frigidæque naturæ ſint, vi ſua repellant aquas, terram autem ea parte, qua illæ micant, vt ſibi natura ſimilem, & temperatura quadam à Saturni ſidere copulatam exerant, & ſuſpenſam teneant. Alij Magneti hoc attribuunt, quo lapide tota illa pars, quæ ad Arcticum verſa eſt, incruſtata quodammodo comperitur, tantámque illi vim, dum ſe ad polum erigit, eſſe dicunt, vt vniuerſum terræ corpus eodem trahat, atque ita bonam eius partem vndis extare faciat. Alij alias atque alias ſuper hoc rationes comminiſcuntur, concauitates ſubterraneas, oualem figuram, protuberationes, & commenta alia ingenioſè magis quàm verè excogitata; quæ omnia ſi ſuſcepti operis ratio pateretur, facilè refelli poſſent, vtpote quæ tam validiſſimis naturæ rationibus, quàm hodiernæ nauigationis exploratione, falſa deprehenduntur. Sed hæc illi viderint. Baſilius Magnus totum hoc ad Architecti ſummi Dei ſapientiam refert, admirationémque omnem dirigere nos ad eius prouidentiam adhorratur. Nam & apud Hieremiam Propheram ipſe rerum opifex clamat: *Vos igitur non timebitis me, qui poſui arenam terminum maris?* quaſi nulla alia in re magis, potentiam viréſque ſuas oſtentarit. Illeenim cùm abyſſos circumuallaret, legem impoſuit aquis, ne datos tranſiliant fines, ſignatíſque terminis coërceantur.

Cur aqua terra longè altior datur.

IGNAVIA.

Manus expedita.

EXPEDITA autem manus, & in propatulũ prolata, ita opus, authoritatem, atq; poteſtatem indicabat; contrà verò, nihili hominem, ignauum & otio deſidiaq; torpeſcentem ſignificare ſi vellent, manus eius in ſinum conſertas effingebant: qui porrò ſtatus ignauiſſimi nebulonis eſt, cùm præſertim Anaxagoras ideò ſapientiſſimum omnium animantium videri hominem dixerit, quia manibus inſtructus foret. Quod dictum Plutarchus in Moralibus repetit, neque diſſimulat Ariſtoteles.

D

FVRACITAS.

Læua manus.

APVD authores aliquot inuenias læuam manum pro Furacitate poſitam. Nam Plautus, Perſa, vbi Sophoclidiſca lena Pechnij pueri manum depoſceret, atque ille dexteram porrexiſſet, reſpondit ea: *Vbi illa altera eſt furtifica læua?* Ita & Catullianum illud intelligitur de Marrucino, qui manu ſiniſtra non bene vtebatur, ſed in ioco atque vino tollebat lintea negligentiorum.

E

PLAVSVS.

PLAVSVM autem, lætitiæq; & gratulationis ſignum, manibus in eum geſtum figuratis vt ſeſe complodere viderentur, ſignificare, theatra Romana, & Poëtarum pulpita ſæpiùs oſtenderunt. Id autẽ in Sardanapali ſtatua, quæ Tharſi erat, exprimebatur, cum inſcriptione, quæ modis omnibus laſciuiẽdum eſſe commoneret.

IMPEDIMENTVM.

Manus complicata.

COMPLICATAS verò manus digitis pectinatim inſertis, adeò vetus illa religio impedimenti ſignum eſſe credidit, vt parturientium nixibus obſtare, ne partum edere poſſent, quandiu manus eo geſtu tenerentur, perdita admodùm ſuperſtitione perſuaſum habuerint.

LIBERTAS.

Tib. Claudij & Iuliæ Piæ numus.

QVEMADMODVM verò per manus ita complexas impedimentum ſignificabant, ſic per eas explicatas libertatẽ innuebant. Numus eſt Tib. Claudij Cæſ. in quo videre eſt ſigillum, quod dexterâ pileum tenet, læuam quàm lâtè poteſt diſcapedinatam exporrigit, cum inſcriptione, LIBERTAS AVG. quamuis verò pileus per ſe ſit libertatis ſignum, manus ea tamen ita paſſa ſignificatum adauget. Sedenim vt de parturientium faſcinatione per implexas manus dicebamus, ita contrarium eſt in numo Iuliæ Piæ, vbi partus felicitas explicatur, in quo Venus læua haſtæ innititur, dexteram expanſam oſtendit, cum inſcriptione, VENVS GENETRIX. Romani enim genus à Venere, propter Æneam eius filium, ſe ducere aſſeuerabant, maximè verò gens Iulia.

VENVS GENETRIX.

QVÆ quidem condente & dicante Iulio Cæſare, templum erexit Veneri Genetrici, cuius Plinius, Tranquillus & alij meminêre. Legimus & Cæſaris teſſeram fuiſſe, *Venus Genetrix*: vt Syllæ, *Apollo Delphicus*: Marij, *Lardeus*. Obſeruandum autem in numo ſcriptum eſſe GENETRIX per E media ſyllaba, prout veteres Grammatici ſcribendum monent, cùm tamen genitor per I notandum agnoſcant.

F

LIBERALITAS.

Manus remittere, quid.

EST & illud frequentiſſimo Latinitatis vſu dictitatum; *Manus remittere*, liberalitatis & donationis ſignificato, quo loquendi modo luſores præcipuè vtuntur: nam *Remittere manus*, eſt Condonare Colluſori iactum, quem ſua ipſe manu damnoſum feciſſet, debuerítque ob id numos exſoluere. Hinc legere eſt in epiſtola Octauiani Auguſti ad Tiberium: *Ego perdidi viginti millia numûm, ſed cùm effusè in luſu liberalis fuiſſem, vt ſoleo plerumque: nam ſi quas manus remiſi, cuique exegiſſem, aut retinuiſſem, quod cuique donaui, viciſſem vel quinquaginta millia: ſed hoc malo, benignitas enim mea me ad cæleſtem gloriam efferi.* Præcipuè verò dextram liberalitatis & erogationis indicium eſſe voluerunt, vtpote quæ, vti prompta eſt, & ad capiendum expeditiſſima, ita & ad porrigendum erogandúmque vſitatiſſima. Vnde Græci δόσιν illud ſuum menſuræ de manu ſumptæ vocabulum, de quo alibi locus ſuus, deductum volunt, quòd ſcilicet inde dona porrigantur. Sed quoniam tam liberalitatis quàm libertatis ſignificatum in dextera ponunt, huiuſmodi diſciplina longè meliùs ſacræ noſtrorum literæ prodiderunt: veteres enim Theologi, qui diuinorum nominum ſignificata perſcrutantur, eam ineſſe vim in Dei dextera intellexêre, vnde pulchra, grata, lætaque omnia prouenirent, proprióque nomine Michaëlem vocari. at Græcorum Theologia Michaëlis vim in Deo eam eſſe dicunt, quam Mathematici Veneri dedicarunt. Pſal. decimo ſupra centeſimum iubetur Chriſtus

A Chriſtus ſedere à dextera Dei patris, vbi Theologi per Seſſum, Requiem & fruitionem diuini imperij, & patri & filio propriam, & honore parem intelligunt; per Dei verò dexteram, effuſiſſimam eius benignitatem interpretantur. Læuam demum Aramei eam in Deo vim eſſe dicunt, vnde fortia, dura, & caſtigantia procedãt, idque numinis Gabrielem appellatum, quod Aſtronomi ex Græcorum Theologia Martem eſſe dixerunt.

VER, HYEMS, SOL.

APVD Græcos Latinoſq; Poëtas plerunque reperimus centimanum Briareum, centimanumq; Gygem, quin & Homerus Solem ἑκατόγχειρα nuncupauit, quorum ſignificata cùm hieroglyphicôn inſtar interpretentur, non importunum fuerit hîc explicaſſe. Interpretes Heſiodi, per Briareum vernum tempus dici tradunt, ob herbarum, florum, & frondium copiam, quam affluenter adeò ſumminiſtrat. per Gygem verò hyemem, & ipſum centimanum, ob ea multa, quæ iam dudum collecta congeſtaque in varios mox vſus diſtribuit, & negotiis quæque ſuis accommodat. Quòd verò & Sol centimanus Homero ſit, multa & innumerabilia eius officia, quæ magis aperta cognitaq; ſunt, quàm recenſere oporteat, effecerunt.

OFFICIA MVTVA.

B CESSIT & in prouerbium mutui beneficij officijque ab officio prouocati, *Manus manum ſcabit*, ex Epicharmi Comici verſiculo, quẽ in ore fuiſſe ſemper Prodico Sophiſtę, Socrates apud Platonem memorat, Axiocho. Erat verò huiuſmodi: *Prouerbiũ.*

χεὶρ χεῖρα νίζει, δός τι, κἀξαιτοῖς τι.
Næ manus manum fricabit, Da quid, auferes quid.

Sedenim illud vulgatum magis: χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλοι δὲ δακτύλους.
ſic enim manuſcripti codices habent, quod alij ſuo freti ingenio corrigere voluerunt, quæ trimetri eſſet ratio minùs animaduertentes:

Manus manum, digiti interim digitos lauant:

OPEM-FERRE.

EADEM dextera, quæ *Pullaria* Plauto dicitur, paſſis digitis opis ferendæ fuit hieroglyphicum, cuiuſmodi ſpecies in Opis deæ ſimulacro aliquot in numis obſeruatur, quaſi ea opem omnibus velle ſe ferre polliceatur. Quinetiam & nunc vulgò, & apud veteres vſurpatum illud τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν, *manum admouere*, quotiens operam noſtram alicui negotio adiutricem adiicimus. Hinc apud Maronem Palinurus ad Æneam clamat: *Prouerbiũ, eiuſq; explicatio.*

Da dextram miſero, & tecum me tolle per vndas.

Sanè illud ſumptum à ſacris, in quibus quiſpiam aduenies admota victimæ manu, fiat & ipſe particeps ſacrificij. Sed hoc frequẽtiùs apud noſtros, cùm infantes ab originali labe per ſanctas aquas expiantur, luſtricuſq; eorum dies celebratur: quicunque enim manus admouerint ad infantem, dum ſacrum id peragitur, paternis ſeſe obligant officiis, & arctiſſima pietatis neceſſitudine & nato & parentibus coniunguntur, propemodumq; affines fiunt. Quod verò de manibus ſacrificio admotis dicebamus, quod Theologi noſtri interpretantur eo Leuitici loco, *Quicunque illa attigerit,*
C *ſanctificabitur*, id dicunt oſtendere, quòd in diſputationibus, quæ de Deo ſunt, Theologiciſq; myſteriis, ſufficit nobis tantummodò tangere, quemadmodum qui vult igne calefieri: nam is ſi interiùs manum immittat, pro eo quod poterat & ſatis erat calefieri, comburitur; ſic qui profundiùs, vel altiùs de Deo diſputare præſumit, pro eo quòd glorioſius aliquid oſtẽtare affectat, in blaſphemiam cadit, dum diuinorum dogmatum nequit ſublimitatem aſſequi. Ea de cauſa populus Iſraëliticus non aſcendebat in montem Domini, ſed iuxta radices corona ducta deſidebat, quod vtinam ſuperioris ſeculi tempora animaduertiſſent: non enim ſanctiſſima hæc doctrina tot ineptorum hominum, ne ignauorum dicam, nugis atque cœno implicata eſſet & contaminata. Sed Deo Opt. Max. gratia, qui noſtra demùm ætate tot authorum veterum theſauros aperuit, vt in vnaquaque diſciplina proficere volentibus, veram, facilem, breuemque viam patefacere dignatus eſt. Quod verò ad hanc rem facit, monet Paulus, haud facilè cuiquam manus imponendam, de ordinibus nimirum communicandis, quorum vis & ratio in Spiritus Sancti contributione conſiſtit, iuxta ritum, quo impoſitis ſupra caput manibus ſacerdos dicit, *Accipe Spiritum Sanctum.* Id verò diligentiùs examinandum imperat Paulus, ne indigno, vel improbo, vel imperito talia conferantur.

FLAGELLVM.

SIGNIFICAT etiam flagellum manus in Diuinis literis, vt apud Sophoniam: *Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper habitantes Iſrael, & diſperdam de loco hoc reliquias Baalis.* Et beatus Iobes de calamitatibus, plagis, & infortuniis ſuis loquens, *Manus Domini*, inquit, *tetigit me.* Et illud, *Tradentur in manum gladij*, caſtigabuntur gladio ſignificat, vtpote qui occidione occidendi ſint. Iam quod alibi legitur, *Firmaſti ſuper me manum tuam*, de caſtigatione intelligendum eſt. *Manus in malã partem.*

PIETAS.

Aelij Cæsaris & Gordiani numisma.

IN Antonini numo pietas ipsa dexteram exporrigit expãsam, lævâ donarium in subiectam aram porrigit. In L. Ælij Cæsaris numo aureo, dextera sigilli eodem est gestu, lævâ donum tenet, cum inscriptione, PIETAS. Quod verò dictum est in Cynocephalo, passas in cœlum manus adorationem significare, videas id in Gordiani Pij numo, in quo sigillum est, passas hinc inde manus ad cœlum attollens, cuius inscriptio est, PIETAS AVGVST. Et Iarbas apud Maronem dicitur

Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Iam & Salomon Trecẽsis nõ ignobilis sacrę Scripturę cõmentator, sacerdotes, inquit, cùm Sanctũ BENEDICTVM pronunciant, nomen inquam id Sãctum XII. literarum, extendunt manus suas.

SVPPLEX.

Reiectæ in dorsum manus.

APVD nationes aliquot inuenias, reiectas post tergum manus, eas connexas, supplicem hominem significare. Eam formam in huiusmodi significato peculiarẽ apud Assyrios fuisse tradit Ammianus, vbi lib. XVIII. Antonius ab Vrsicino agnitus in hostili acie, obiurgatorio sono vocis increpitus, Proditor & nefarius appellatus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiliit Equo, curuatisque membris humum vultu penè contingens, eum salutauit, Patronum appellans & dominum, manum post tergum connectens, *Ignosce mihi*, inquit: & quæ pro criminis depulsione subsequuntur.

CAPTIVITAS.

SEDENIM apud Romanos huiusmodi species manuum post terga reuinctarum, captiuitatis nimirum indicia sunt, quod & Virgiliano confirmatur carmine:

Ecce manus iuuenem interea post terga reuinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant.

& multis vbique terrarum monumentis, ex ære & marmore dedicatis, passim intueri licet. Ita lib. de Amicitia Cic. de eo qui litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum dat manus, vinciq; se patitur, vt is qui illusus sit, plus vicisse videatur. Talem Astronomi figurare solent, vbi ostendere volunt eum ab inimicis superandum, & in eorum potestatem redigendum, qui XIII. Sagittarij gradu lucem auspicatus fuerit.

PACIFICATOR.

M. Catonis Prætoris numus.

QVÆ verò species in M. Catonis Prætoris numo cernitur, vbi victoria est sedens, manu exporrecta, pollice summisso, quod puto victoriam consilio partam significare, vt illud, quod alibi explicatum est, Romanos sedendo vicisse, huc accommodetur. Ille porrò gestus in manu res compositas ostendit, qui habitus in statuis pacificatorum exprimi solet, vt in equestri colossea ex ære M. Aurelius, in area Lateranensis basilicæ visitur, de qua in Digitis.

RESTITVTOR.

IN alio IMP. SEV. ALEXANDRI AVG. numo simulacrum est lævâ hastæ innixum, dexteram porrigens, vola & digitis demissis, pollice pendente, in quo literas eas tantum inspexi quæ RESTITVTOR dicerent, reliquas discernere non potui. Verùm apertiùs in Gratiano numo porrigitur manus mulieri altero genuflexæ genu, cum inscriptione, REPARATIO REIPVB.

SALVTATIO.

ERAT & salutationis indicium, dextera iuncta dextræ, quod apud Varronem, atque etiã apud Callimachum Ætiis habetur. Vnde Virgilius in eandem sententiam Æneam inducit cum patre in Elysiis loquentem ita queri: *Cur dextræ iungere dextram non datur.* In hunc sanè diem mos hîc perdurat, vt hispites & peregrinos, & quoscunque notos peregrè venientes, dexterarum coniunctione salutemus.

ADORATIO.

Deosculatio pro Veneratione.

NEQVE verò tantùm porrectis in cœlum manibus adoratio fieri solita, sed & auersa manus ad osculum exposita, adorationis indicium est. Hinc illud apud Plinium, quandã esse in dextera religionem, quæ osculis auersa appetitur. *Qui adorant*, inquit Hieronymus in Ruffinum, *solent manum deosculari.* Vnde Hebræi deosculationem pro Veneratione vsurpant, eiusmodiq; loquendi forma per totam iam Italiam, ex quo Hispanos in dominationem admisimus, inoleuit, cùm prius id honoris non nisi Pontificibus deberetur. Et nonnulli Catuli somnium de Augusto referunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, eiusq; osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. Alioqui, vt in Cynocephalo dictum, sublatæ in cœlum manus adorationis indicium sunt. Apud Ciceronem Quæstionibus Academicis admirationis id signum est, vbi dicitur: *Hortẽsius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuò Lucullo loquente fecerat, vt etiam manus sæpe tolleret: nec mirum, nam nunquam arbitror contra Academiam dictum esse subtilius.* Peruulgatum verò est Catullianum illud in hanc sententiam: *Admirans*, ait, *hæc manusq; tollens, Dei boni*, & quæ sequuntur.

CON

CONSENSVS.

Sublatæ manus, quid.

IN militaribus verò allocutionibus sublata manus, consensus & approbationis hieroglyphicum est. Vnde totiens apud Xenophontem, si quod propositum esset, scitum facere se profiterentur, manus tollere iubebantur. Sedenim hoc ritu Hebræorum prius institutum fuit, quod plerisque locis habetur, & Aaron Leuitico, tollens manum, populo bene precatus est. Ita nobis quoque faciundum imperauit Paulus: *Orate*, inquiens, *in omni loco attollentes puras manus.* Et Tertullianus, vbi de oratione pro salute Imperatoris agit: *Illuc suspicientes* (ait) *Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus.* & quæ sequuntur in hanc sententiam.

FOEDVS.

Manuũ ad inuicẽ porrectio, & deosculatio.

SED neque Pythagoricum illud prætereundum, μὴ πρωτὴ ἐμβάλλειν δεξιὰν, *non vnicuique dexteram porrigendam*, quippe non temerè esse quempiam in amicitiæ familiaritatisque fœdus admittendum. Citat hoc symbolum in hanc sententiam Plutarchus eo commentario, quod de multorum amicitia conscripsit, & Solonis dictum illud in primis fertur, φίλους μὴ ταχὺ ποιῶ, ὃς δ' ἂν κτήσῃ μὴ ἀποδοκίμαζε, *Amicos ne citò compares, quos autem acquisieris, ne reijcias, contemnásve.* Mos verò adhuc est nostris præsulibus in admittendis in clientelam amicis manum porrigere exosculandam, quod firmum quasi fœderis & conciliationis signum habetur. Obserues etiam apud Ammianum, rerum gestarum lib. I. supra XX. Nebridium, qui contra Constantium vnus omnium iurare noluerat, metu militum, qui ferrum in hominem strinxerant, ad Iulianum profugisse, suppliciterque orasse, vt timoris leuandi causã ei dexteram porrigeret. Cui Iulianus: *Ecquid*, ait, *præcipuum amicis seruabitur, si tu dexteram attigeris meam?* Plutarchus in Catone Vticensi morem tangit osculandi manus Imperatoris apud Romanos, neque id quidem omnibus, sed paucis admodum honoris gratia concessum. Vnde etiam in Diuinis literis legitur: *Tua dextera me suscepit.* quod ita interpretantur Theologi: *Mos eorum est qui opem alicui sint allaturi, dexterã porrigere, in qua & vis, & aptitudo, agilitasq; magis promptuaria, quàm in læua.* Et Psal. LXIII. *Tenuisti manum dexteram meam*: id est, *optimi Assertoris instar manum meam apprehendisti, méq; de terra & seruitute Babylonica eduxisti.* Alij sic exponunt, vt per dexteram manum à Deo tentam, meliora ac laudabiliora opera intelligantur, quæ benigno Deus animo susceperit. In sacrificiis demùm manuum impositio nunc benedictionem ministrabat, nunc peccatorum remissionem, nunc Sancti Spiritus aduentum, nunc expiationes, quas solo percipimus intellectu, ait Hesychius.

FIDES.

Fides cur cana, hoc est, alba, dicta sit.

QVIA verò fides in fœderibus primùm expetitur, Numa Romanorum Rex constituit, vt manus eæ quæ fidei sacra facerent, ad digitos vsque inuoluerentur, quod fidei tutãdæ indicium esset, cuius præcipuè sedem in dextera esse docuit; vel, vt arcana in abdito habeantur. Porrò fidem in manibus Arabes adeò colebant, vt fœdus nunquam facerent, nisi sanguine ex vola iuxta maiores digitos eorum qui fœdus inirent, lapide quodam elisо, intinctoq; inde flocco ac lapidibus septem, qui foret in hunc vsum comparati, illitis, suis interim Oratal & Alilat numinibus vnicis inuocatis. Agnoscit & Maro fidem per dexteram significari, quare Dido apud eum exclamat:

--En dextra, fidesq; *Quem secum patrios aiunt portare Penates.*

Atque hoc est quòd Achemenidi Anchises

Dat dextram, atque animum præsenti pignore firmat.

Velamen verò illud, quo fidei simulacrum, vel manus ipsæ obtegerentur, album fuisse constat. Vnde Maro *Canam fidem* appellauit, vt nonnullorum est opinio, quamuis & literatissimi viri sunt, qui canam ideò fidem à Virgilio dictam putant, quòd primum omnium templum Fidei fuerit à Roma Æneæ filia conditum, vt in fragmentis Pompeij, diuino illo numine rerum opifice iam tum Romanæ originis initio, quod futurum olim erat, præmonstrante, vt quod imperium ibi sine fine permansurum parabatur, fundamentum pietatis in fide iecisse tot antè seculis constaret. Horatius tamen velaminis albi mentionem facit, vbi dicit: *Et albo Rara fides colit velata panno.* Id enim ad sinceritatem, quæ requiritur in fide, indicandam excogitatum: à fide enim fucus omnis abesse debet, neque vllo subterfugij colore candor eius violari. Quapropter iustè magnanimiterque Romani fidem hostibus etiam seruandam rati, Cannensi clade accepta, cùm Hannibal, quibusdam captiuis redimendi se potestatem fecisset, fide ab eis accepta redeundi, nisi res confici posset ea, quam proposuerat cõditione, dolosè illi vnius diei iter progressi, simulato negotio, in castra hostica redierũt inde quasi sacramento soluti, tanquam liberi essent, securi confidentesq; Romam se contulerunt. Indignatus Hannibal, dum eos sibi dedi postularet, ipse etiam S.P.Q.R. factum ægerrimè tulerũt, neque vllis ciuium suorum precibus aut lacrymis vinci potuerunt, quin publicè ad Hannibalem remitterentur. Sed quid vetustiorum malè prauèque facta conquirimus, si recẽtioribus seculis dolosa huiusmodi fide deceptum Adelbertum Bauemburgi Regulum legimus, turpi nostrorum principum ignominia, quem Atto Maguntiæ Archiepiscopus blanditiis pellectum, ad Ludouicum Regem capitalem eius hostem attraxit, iuramento pollicitus se procuraturum, vt quemadmodum eum saluum de munitissimo, vbi erat, loco educebat, incolumem identidem reduceret?

Cùm

Cùm itaque paulùm extra portas prodiisset, Atto coniectis in Solem oculis, iter longum & horam iam tardam causatus, satius fore dixit redire, commodùm vt corpus aliquo cibo curarent, itineris lassitudinem ita leuaturi. Cui Adelbertus, nihil suspicatus mali, non difficulter assensit. Reuersi igitur, sumptoq; ientaculo, dant se iterum in viam, ac simulatque in Ludouici conspectu constitêre, Adelbertus in manus Regis deditur; quo proditionis Attonem audacter incusante, iuramento, inquit Atto, tunc planè satisfactum, cùm te impransum eductum, intrò vt pranderes reduxi. Sed hæc improba barbari hominis facta prætereamus, & ad fidem reuersi, haberi eam dicamus in Hadriani numo quodam, læuâ tenentem orbem planum, id nõnulli speculum esse contendunt: nam id quoque significatum habet fidei, additaque est erecta columella, ob fidei quippe tum rectitudinem, tum firmitatem. Multò verò manifestius duæ manus iunctæ, fidei sunt hieroglyphicum; quod in plerisque numis antiquorum obserues, inscriptionibus etiam additis, modò FIDES EXERCITVVM, modò FIDES ROMANORVM. Sed huiusmodi manus iunctæ ad alia etiam extenduntur significata.

Hadriani numus.

FELICITAS.

QVANDOQVIDEM alicubi simulacra duo dexteras iungẽtia felicitatis hieroglyphica sunt, caduceo præsertim appositorebus enim pacificè compositis, congruum est publicam priuatamque subsequi tranquillitatẽ. In Hadriani numo tenet ipsa dea caduceum manu vna, altera Imperatorem apprehẽdit, inscriptio est, FELICIT. AVGVSTI. Vbi verò idem Imp. genibus quendam procumbentem subleuare videtur, quid sibi velint iunctæ dexteræ, declarat inscriptio, RESTITVTORI GALLIÆ. Quod verò superius dexteram salutationis signum esse diximus, in numo qui TRAIANVS HADRIANVS inscribitur; Imperatorem ipsum videas dexteram Dei sedentis dexteræ iungentem, cum inscriptione sub basi posita, ADVENTVS AVG. E

IVDEX.

Iudicum & Principum statuæ.

SED & abscissæ manus ipsæ hieroglyphicum suum habuêre, quod minimè fuit prætereundum. Spectari enim solitas Thebis iudicum statuas absque manibus, Plutarchus ait: & eam quę Principem referret auersis esse oculis, vt iustitiam & à donis alienam esse debere, & nulla muleeri facundia oportere significarent. Nam Stratoclem & Dromoclidem quis iniquo animo non ferat, quorum sermo omnis cum de Reipublicæ negotio aliquo capessendo, deque tribunalibus colloquerentur, erat, vt se inuicem ad aueam messem inuitarent?

DEI VIS.

SANE Ianum, de quo plura alibi, veteres bicipitem, sed absque manibus & pedibus effingebant, quadrato lapide ab exili basi in latum exurgente. Indicabat id Dei vim, cui neque pedibus neque manibus opus est, ad ea quæ iusserit efficienda, vtpote qui nutu solo totum potest mundum tremefacere, &, vt apud Poëtam, dicto citius tumida æquora placare. De statua verò Iani, quæ numerum CCCLXV. dierum digitorum gestu indicaret, suo loco dicetur.

PROVENTVS.

QVAMVIS verò ita veteres iustitiam informarint, apud Coniectores tamen reperias virum agendis causis nobilem, iudiciaque & leges fama optima consectantem, qui plures se habere manus somniauerit, prospera expectare, quòd id portendat & clientum, & amicorum, atque etiam pecuniarum prouentum exuberantem.

VINCVLA.

F

IMPERITIS tamẽ, maleficis & sceleratis hominibus, id somnij vincula minitatur, multas scilicet manus ad eorum coërcitionem expediri. Sed quoniam incidimus in prouentum, succurrit id ex Psalmo CXVII. *Labores manuum tuarum comedes*, apud Græcos τῶν καρπῶν scriptum esse, quare bene periti quidam, *Fructuum* potiùs, quàm *Manuum* reddidêre: καρπὸς enim, tametsi non quidem manum, non palmam, sed iuncturam palmæ cum brachio significat, vt apud Homerum legas Venerem à Diomede vulneratam ὀπὶ καρπῷ, vbi non pars pro toto, sed locus lethalis, & cõuulsioni obuius de industria designatur, ad criminis atrocitatem augendam: pro *Fructu* tamen passim ponitur, & multa inde in huiusmodi significatum vocabula. Erit itaque sensus, fructibus suis vescetur is, qui timet Dominum, nec impius hæc tam culta noualia miles habebit.

Explicatur locus Psalmistæ.

SPES IRRITA.

INVENIAS & operum inefficaciam per præcisas manus significari, quæ vanas nonnunquam irritasque cogitationes, spesque hominum inanes indicant, quòd ita scilicet opus ad finem qui fuerat institutus, perduci minimè posit. Et Mathematici, nullius vtilitatis & haud quaquàm frugi hominem in lucem edi sub XVII. Geminorum gradu ostendere cùm vellent, hominem eo loco vtraque manu mutilum pingunt, atque eum ignauiter consistentem.

MINI

A

MINISTERIVM.

SED longè alia de causa Mycerinus Ægyptiorum Rex viginti colossos ancillarum circa filiæ scadauer circunstantium, truncis manibus, iisque humi ante pedes iacentibus erexerat: iis enim vxor manus absciderat, quòd adulterij tam nefarij ministræ fuissent, vti scilicet pater sceleratissimo exemplo complexu filiæ abuteretur. Quòd verò in Diuinis literis primo Regum habetur, vbi Arcam Domini Palæstini prædam abduxerant, & in Dagonis idoli sui templo posuerant, manè repertus Dagon prolapsus confractusque, abscisis manibus; interpretes loco hoc, abscisis manibus, intelligunt, fore tunc præmonstratum, vt cùm Domini nostri doctrina ad gentes peruenisset, idolorum manus abscinderentur, hoc est, præstigię quibus mortales omnes eludebant, desiturę essent, neque vlla vlterius decipiendi potestas dæmonibus relinqueretur. In huiusmodi ferè significatum Leuitico legas, vbi de victimis agitur: *Si non poterit manus eius inuenire*, hoc est, *si propter egestatem emere non poterit, si pretium erogare nequiuerit.* Alioqui, sideratæ attritæ, vel etiam abscisæ manus neq; non pedes, actiones indicant deprauatas; studiosum quippe hominem, eorum tantùm, quæ vel ab auaritiæ, vel superbiæ spiritu suggeruntur. Quare Dauid ita deprecatur: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me*, diripientis scilicet aut violantis: superbi enim hoc est, auari illud. Eodem & brachia significato accipiuntur. Nam vbi Psal. XXVI. delinquentis hominis brachium contineri legitur, impurorum hominum brachia debilitata significari ait Origenes, quandoquidem ad nullum misericordiæ aut beneficentiæ opus exerceantur. Nam manus & brachium, inquit is, operis est indicium. Sed eo loco Euthymius adimi perperam agendi authoritatem, viresque confringi interpretatur.

Dagonis manus abscisa.

B

AVARITIA.

SVNT tamen qui hoc ad auaritiam pertinere censeant, interpretamentumque huiusmodi ex Theocritiano carmine mutuentur, νενίκη δ' ὑπὸ κερδέων, πᾶς δ' ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχων, & quæ sequuntur in hanc sententiam. Neque desunt qui manum tantùm sinistram digitis compressis pro tenacitate & auaritia pingant: nam & coniectores læuam lucri, & augendæ rei signum ponunt, quippe quæ ad custodiendum magis idonea sit, vtpote segnior, & tenacitati accommodatior. Ad hoc facit quod Diogenes, vt nonnulli tradunt, dicere solebat, non esse tradendas amicis manus complicatas, quod interpretantur, benignitatem addendam comitati. Auaritiam & ille gestus in manu significat, cùm exporrecta capedunculam assimilat, quo gestu Philemonis Romæ signũ vidi, cùm in altera volumen complicatum haberet, idque tenaciter restrictum, vt qui pretium sibi deposceret, non nisi eo numerato librum exhibiturus. Ferunt enim eum Comœdiarum scriptorem, ære graui solitum lucubrationes suas venundare. Inscriptio sanè erat ΦΙΛΗΜΩΝ. Apud Aristophanem iocus est Concionatricibus, vbi Phidolus deos exemplo ponit, quibus cùm supplicamus boni alicuius gratia, stare eos supinam manum porrigentes, non vt quid dent, sed aliquid accipiant. Hinc quoque Athenienſium in aucupandis lucris auiditas dicterio carpitur, ἀγλισὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα κ' ἀποθνήσκων, *manum etiam dum moritur Atheniensis porrigit.*

Aristophanis iocus.

SERMO.

C PORRÒ autem orationem vnamquanque tradunt ex manu significari, quamuis alio loco prensam manu linguam id facere dixerimus. Ea tamen differentia habetur, quòd species illa non orationem tantùm, sed eloquentiam indicabit. Manus verò vnumquemque sermonem per se ipsa significat, quòd vnà cum sermone manuum etiam motum expetimus, vt ait Artemidorus: histriones enim vel celebres inuenias solœcismi redargutos, quòd gestu manuum aliquando peccassent, de quo alibi. Contrà verò erant Hermea signa quadrata sine manibus & brachiis, solo quippe insignita capite, eaque præcipuè apud Athenienses, sed in quorum medio virilia etiam adsculpebantur. Sermonis hæc erant indicia, vt in Pudendis etiam ostensum, Mercurij quippe ipsius vim ostendebant. Nam is & Cyllenius ideò vocatur, quòd κύλλας Græci vocant eos, qui sine manibus sunt. Ostendit verò hoc, sermonẽ suapte vi pollere, & sine manibus omnia conficere. Cur verò signa illa quadrata fierent, in quadra iugeris dictum. Sedenim cùm Aristoteles duplicem sermonis ponat intellectum, vnum scilicet primæ intentionis, alterum secundæ, vt nostri interpretantur, sermonem illum qui per Hermea figuratur virilibus arrectis, primæ dixerim intentionis quasi mente conceptum; secundæ verò, qui per manus significatur: is enim per vocis instrumenta expressus, opus quodammodo conficere videtur. Hic verò sermo plurimùm apud eruditos aut per Dialecticam in angustias intruditur, aut per Eloquentiam in latiores campos explicatur; vnde Zeno Stoicæ disciplinæ princeps commentus est, per manum vtrumque diuerso gestu porrectam significare, quod quidem inuentum cùm manifestum sit hieroglyphicum, minimè fuerat dissimulandum.

Hermeæ signa.

DIA

DIALECTICA.

DIALECTICAM enim ostendere cùm vellet, manum pingere solitus est digitis in pugnum compressis, angustias hinc scilicet & argumentorum breuitatem quibus illa cohibetur, ostendens, quòd simplex vniuscuiusque rei qualitas tribus plurimùm propositionibus comprehẽdatur, axiomate, assumpto, & illatione, vel partibus his etiam breuioribus.

ELOQVENTIA.

ELOQVENTIA verò latè diffusa patenti decurrens planitie, quaque libuerit peruagata, per diductos digitos dilatatamq; manum ab eodem exponebatur. Reprehendit sanè Quintilianus eos, qui orantes vlla in causa manum sub pallio continent, quasi res ignauiter agatur, nostri tamen instituti est, cùm apud Pontifices inter sacra sermonem habemus, manus intra pallium cohibere, frugaliq́ue tantùm pronunciatione vti. Quoniam verò Theologi finiunt aliud orare esse, aliud adorare, status ad cultum, manus ita surrectæ ad adorationem facere videbuntur.

PRECES.

IN Hetruscis quoque institutis hoc gestu manuum ad preces vtebantur, neque non in deuouendis ciuitatibus, euocandisque diis, cumque Iouem dicebant, manus ad cœlum sustollebant, vt eo etiam loco apud Virgilium est:

Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Sanè, quod ad hanc rem facit, Polemonẽ sophistam legimus in Olympicis ludis, qui Smyrnæ olim celebrabãtur, inepti cuiusdam actoris solœcismum manu factũ reprehendisse, cùm in exclamatione, ὦ Ζεῦ, manus ad terram protendisset. Cùm verò ὦ γᾶ pronunciaret, faciem ad cœlum erexisset. Sed quãtum ad Iouem pertinet, eundem morem vetustissimo ritu apud nostræ pietatis Pontifices obseruari videmus, quotiens enim vel DEVM, vel DOMINVM enunciant, gentem sanctam bonis verbis expiaturi, prosperaq; & felicia mortalibus precaturi, manus sub eam locutionem supinas in cœlum tollunt. Quinetiam ὀρμάζειν, quod sacrificare est, etymologi Grammatici nonnulli dictum putant, quòd qui sacrificant, precantúrve Deos, ὀρέγωσι τὼ χεῖρε, manus quippe protendunt. In numo Gordiani Pij simulacrũ est, quod passas hinc inde manus ad cœlum tollit, cum inscriptione ad rem accommodata, PIETAS AVGVST. Illud addam, antiquũ precãdi modum noctu sub dio Pindarum posuisse, Olympiis, ode secunda, apud quem, νυκτὸς ὑπαὶ σκιᾷ, ob hanc causam inscribitur.

Gordiani numus.

DE PEDIBVS.

ÆC quidem manu super memini, Manarde, tibi disseruisse, sed quoniam Caprilis velle se de pedibus audire similia dictitabat, quæ super his à me tunc dicta fuerunt, visum est subiungere.

IRRITVM.

FIERI minimè posse aliquid, aut incõstans irritúmve futurum, quod cœptum actúmve fuisset, ostendere si vellent Ægyptij sacerdotes, pedes in aquæ superficie inambulantes pro hieroglyphico faciebant. Nemo enim est qui nesciat, nulla id humana ope ingenióve fieri posse: nihil enim magis irritum cedit, quàm si quis plantas super aquæ superficiem firmare sibi persuaserit. Ad hoc respexit Cicero, cùm libro Officiorum tertio, fluxas, labiles & inconstantes Epicuri rationes esse dissereret, quippe quæ minus in solido consistant, quòd aqua hærent, vt aiunt. Sunt qui elocutionem hanc, *In hac causa mihi aqua hæret*, rem nondum peractam significare contendant, dubiumq́ue aliquod supereſſe, quod nondum fuerit explicatum, aut sibi re super adhuc dicendum esse, sumpto à clepsydris, in quibus aqua, temporis dati index, per tot horas stillatura statuebatur argumento. Et hoc esse quod ad Q. Fr. Cicero ita scribit alterius libri epistola v. *Quod idibus & postridie fuerat dictum de agro Campano, non est actum, in hac causa mihi aqua hæret.* Vbi tamen damnat Epicurum, cum Ægyptiorum hieroglyphico videtur conuenire, vtpote qui argumentorum eius infirmitatem omninò redarguit. Nam ingredienti vnicuique animalia, vt palàm est, solo opus est, diceret Aristoteles, cui firmiter innitatur, id autem homini, vtpote grauiori animali, neque in aëre, neque in aqua conceditur, & ea de causa pedes suam habent nuncupationem, quòd τὸ πέδον, id est, solum sibi deposcunt.

Aqua hærere, quid.

VACILLATIO.

CVM Ægyptiaco consentit hieroglyphico quod Psalmo LXXIII. legitur, *Mei penè moti sunt pedes.* Græca lectio habet ἐσαλεύθησαν, quippe *vacillarunt*, siue potiùs *fluctuarunt*: maris enim turbatio, fluctuumq́ue commotio, σάλος. Hîc verò *Pedes* pro *Cogitatione* ponuntur quæ scilicet animi nostri pietatem pedum instar regit, & sustinet. *Penè igitur*, inquit, *cogitatione perversus, ac penè lapsus sum, vt crederem Deo nullam inesse prouidentiam, incertoq́; casu mortalia defluere*, aut quid huiusmodi. Ita ibi legitur Psal: XXXVIII. ἐν τῶν σαλευθῆναι πόδας μου, vbi si verbi maritimi & fluctuantis ratio est habenda, Latinè dicemus, *Cùm fluctuare cœpissent pedes mei.*

FVNDAMENTVM.

CONTRA verò pedes in solido constituti, iactum ostendunt fundamentum. Hinc apud Iurisconsultos legas, *Ponere pedem*, pro *Fundamentũ iacere.* Hinc illud apud Tullium De Finibus IIII.

Quid

A *Quid enim? sapientia vbi pedem poneret non habebat, sublatis officiis omnibus.* Alibi, *Pedem ponere*, significat *Occupare.* In Deo autem pedes virtutis eius firmitatem ostendunt, & solidi fundamenti stabilitatem, Esaia dicente: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Alibi pedes Dei hieroglyphicè accepti, humanitas Christi est: nam sicut Pater, ita pedes Filius, qui eò quòd terreno mixtus est, diuinitate ipsa inferior est. Quod verò scriptum est Deuteronomio, *Qui appropinquant pedibus eius, de doctrina illius aliquid assequentur*, sunt qui ex mysticis hisce pedibus abeundos intelligant sanctos interpretes, & qui diuinam prædicant sapientiam. At quod Psal. stantes pedes hieroglyphicè ponuntur, mentis atque fidei stabilitatem significant. Nam contrà de malefidis Propheta: *Cur claudicatis vtroque pede?* Et Psalmographus Psal. XVII. *Claudicauerunt aberrantes à semita.* Porrò vitiatus pes, aut mutilus, aut intortus, in Diuinis literis hominem significat qui à recta diuinæ institutionis semita declinat, quandoquidem *Pedes* pro Actionum, vt dictum est, progressu sæpe ponuntur, Theologiq́; omnes hunc vitæ nostræ cursum viam appellare consueuerunt, de qua Dauid Psal. 119. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, hoc est, *qui dum hanc viuunt vitam, ea faciunt quæ lex Domini præcipit atque mandat.*

Pedes in Deo, quid.

PVRIFICATOR.

SI verò pedes altiùs in aquam mersos effinxissent, purificatorem significabant. Nam & alibi aqua & ignis in defęcationis significatum accipiuntur, quòd rebus his labes omnis eluatur & eximatur. Hic verò de iis sermo est, quæ leui sint macula contaminata, quibus vnda satis superq́; sit ad depurandum. Apud Horum legas fullonem hîc significari, quod tantundem est: nam id est fullonis officium, vt res depurget, & munditiẽ vestibus inducat. Alij commenti sunt χειρέα pro γναφέα B apud Horum legere, vt scribam ex hac pictura commentarentur, propterea quòd hoc à Mercurij similitudine descriptum apud Horum vulgatum legerant: sed non animaduerterunt eo loco non ἑρμᾶ, sed ἔργα legi, quod exponi debet, ab operæ videlicet similitudine, vt scilicet gestus ille describeretur, figuraretúrque, qui fullonis est vestimenta pedibus in aqua pressantis.

Fullonis officium.

DIVES AVARVS.

TANTALI verò species in aquam demersi, ramis fructiferis ad frontem vsque, & ob oculos dependentibus, quos frustra carpere, & hanc haurire irrito cauetur euentu, quánam meliori patescat interpretatione, quàm luculentis his Petronij versibus?

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus, infelix quem sua vota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.

Tantalus in aquam demersus.

SERVITVS.

APVD Oniroclitas pedes seruorum indicia sunt, vtpote qui totius corporis pondus sustineant, vti opera domi ruríque facienda seruis incumbunt, & quæ perperàm egerint compedum supplicio puniuntur.

TRIVMPHATOR.

QVONIAM verò Regum triumphantium mos erat captiuorum corpora pedibus conculcare, subiectionis signum, triumphabundum hominem per ita positum pedem Romana plera- C que signa significant, eóque spectat versiculus ex Psal. LXVI. *Imposuisti homines supra capita nostra*, hoc est, *de nobis triumphum aliis concessisti.*

VIA.

AB officio quoque pedes in Diuinis literis viæ profectionisq́; significatum habent. Vnde plerumq; videas vetustis in imaginibus Deum pingi pedibus intra nubes absconditis, quod fatidici vates nostri volentes carnis à Deo assumptę viam (eam Theologi nostri aduentum dicunt) arcanam, obscuram & incognitam fore significare, eam præferebant speciem. Hinc Dauides offusam ad diuinos pedes caliginem canit Psal. 18. Sed quod idẽ alibi canit: *Pes meus stetit in via recta*, dictum volunt veteres Theologi, propterea quòd non solùm manus, sed etiam pedes pro actione, progressuq́; negotiorum accipiuntur. Et Leuitico, vbi sacrificium fertur pro sacerdotum consecratione, pollices manuum & dexterorum pedũ, hostiæ sanguine oblinuntur, dexteras quidem partes obunctas ponunt, quia bonorum hæ sunt operum indices, cùm sinistræ pro prauis accipiantur. Nam & Maro, *dextera* ait *esse iter ad Elysium; at læua malarum exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.* Quòd verò vnctionis mentio facta est, ea sanè vigoris, conseruationis, & salutis assecutionem significat. Vnde etiam apud Gentes athletæ non nisi oleo delibuti certamen inibant. Non vngi verò, in Diuinis iisdem literis desolationem, ruinam, & perditionem indicat. Sic in Ægypto sublati sunt vna nocte omnes, quotquot limina postésque intinctos Agni sanguine non habuêre, vt Hesychius ait.

Pedum in Diuinis hieroglyphicũ ab eorũ officio & functione.

SOLSTITIVM HYEMALE.

SOLIS cursum in hyemali solstitio significare si vellent Ægyptij sacerdotes, pedes duos compedibus implicitos, atque ita progredientes (nisi codex impressus mendosus est) effingebant, quòd Sol tunc lentius, & quasi pedicis coërcitus ingredi videatur. Sed enim huius rei longè aliam

picturam esse diximus in commentario Polypi, vbi manuscriptos Hori codices, duos Polypos in-D uicem colligatos, non pedes duos, habere monuimus.

VOLVPTARII AFFECTVS.

Inuiolabilis Achilles præter talos.

PHILOSOPHI antiquiores, quique doctrinam eorum secuti sunt, pedes pro contemptissima parte ponunt, esseq; in anima pedes aiunt voluptarios affectus, venereæ mollitudini mancipatos. Quique Achillis figmentum interpretantur, fuisse illum inuiolabilem præter talos, qui Stygis aqua illini nequiuerint, quòd ea parte manu matris tentus fuerit, cùm ab ea est fatalibus vndis immersus; ea autem parte saucium periisse, id sibi velle fabulam dicunt, quòd fortis alioqui homo aduersis casibus omnibus animosus, nulláque fortunæ iniuria deiectus, libidini tamen ita interdum succumbere deprehendatur, vt inde sibimet exitium paret. Nam & Orpheus principem libidinis locum talum ait, sed idem mysticè, vti suus est mos. In cœna Domini discipulorum lauantur pedes, vt scilicet ablutis animorum sordibus, ad Eucharistiæ donum mundi nitidíque procederent. In Iacobis & Esaus partu philosophatur Philon, firmissimæque mentis, quippe optimi luctatoris esse opus ait, tenere calcaneum: nam id animum indicat, qui vitio dominetur. Calcaneum enim, vt alibi sæpe, infirmæ vitiosæque naturæ indicium est.

FINIS.

EST etiam pes absoluti operis indicium: ad calcem enim dicimus, cùm ad finem peruentum esse vel operis, vel negotij, volumus indicare. Et Adamantius, vt alibi dictum, nouissimum in Deo nobis incognitum esse, apud Esaiam ostendi eo argumento dicit, quòd Seraphin duo alis inferioribus Dei pedes obtegebant.

INIQVITAS.

E

Recti pedes & retorti.

ANGVINEOS alibi diximus Gigantum pedes effingi, cruráq; obtorta, & quodammodo deluxata, propterea quòd tota aberrant via, qui cœlo bellum inferre parant. Pedes igitur ita malè affecti, iniquorum operum indicia sunt. Nam vti recti pedes quatuor animalium in Diuinis literis apud Ezechielem memorantur, ob eorum quæ in Euangeliis habentur veritatem, ita retorti pedes de prauis dicitur ingeniis atque maleficis: non enim rectè pedes dirigunt, diceret Ambrosius, qui posteaquàm semel in viam redière, ad scelera mox & iniquitatem reuertuntur, & tanquam Sus lota primo quoque tempore repetunt luti volutabrum, &, vt Lucretius ait,

Insatiabiliter toti voluuntur ibidem.

Sanè apud Psalmographum, impiorum ambulationes obtortas esse, ambagibúsque circumactas, inuenies.

AGGRESSIO.

IN statuis verò pes læuus antè porrectus, aggressionis indicium est, quo ita firmato, gestum aiunt ad inuadèdum aptum; quòd dexteri pedis agilitas ictum, quoquouersum quis incubuerit, iuuet. Sinister enim sua quadam peculiari tarditate, totius est veluti corporis firmamẽtum, ac quasi centrum, circa quod alterius pedis alacritas & promptitudo versetur exerceaturq;, & quasi rotæ curuatura axi per radios innixa circumagatur, parti vnicuique laboranti opẽ allatura, quod nõ ignorauit Maro noster, vbi lib. x. Lucagus Æneam ferire parat: proiecto nam pede læuo aptat se pugnæ. Hoc etiam in numis, vbi Martis vltoris inscriptio est, sæpe comperias: nam & Philosophi consentiunt, motum à dexteris partibus oriri. Atque ego Romæ in Mediceis ædibus pulcherrimi operis

Militaris doctrina.

statuam obseruaui, quæ speciem hãc in aliquem inuadendi, læuo proiecto pede, præ se ferebat. Militaris præterea disciplinæ Magistri commonent, si missilibus agatur, sinistros pedes antè haberi à peditibus, ita enim vibrandis spiculis vehementiorem esse ictum. At si res, inquiunt, agatur gladio, dexter pes proferendus, vt propinquior dextera sit ad vulnus inferendum. Sed vtcunque illi, apud Maronem tamen eodẽ ipso congressu, quem paulò antè dicebamus, *strictum rotat acer Lucagus ensem.* F

REGRESSVS.

NON ierim tamen inficias, regressum dextero porrecto pede figurari, quia qui loco se moueat necesse habeat à dextero pede motum auspicari. Ita signari videas numos FORTVNÆ REDVCI cusos.

IGNAVIA, VEL REQVIES.

Pes supra pedẽ, quid.

ET quoniam gestus ab histrionibus in primis obseruabantur, inde factum vt hieroglyphica nonnulla inde desumpta sint, quale illud pro otio & desidia, pedem supra pedem statuere, qui gestus in aliquot sepulchrorũ imaginibus, sed pro quiete habetur. Sanè Aristophanes cùm otiantem meditabundúmque Euripidem describeret Acharnanibus, famulus eius interrogante Diceopoli an intus esset Euripides, respondit, *Ipse intus pede supra pedem posito tragœdiam meditatur.* Et Pluto, Mercurius: *Nunc autem esuriens pede supra pedem posito altum requiesco.*

DE CALCANEO.

CALCANEVM, quamuis sit pedis pars, à pede tamen, quantum ad hieroglyphica pertinet, separatur.

SENTEN

A

SENTENTIA PRÆPOSTERA.

CALCANEVM quidam hieroglyphicè accipere videntur pro infirma, falsa atque præpostera illa ratione, qua nos vitia nostra excusamus, & nimiùm plus æquo nosmetipsi nobis indulgemus. Vnde Deus Genesi ad Serpentem, qui voluptatis est signum: *Homo ipse tuum obseruabit caput, & tu illius calcaneum,* imbecillitatem scilicet mentis, quæ facilè seducatur, & quicquid adlibuerit sibi permittat. Siue, vt alibi diximus ex Philone, calcaneum ea pars animæ est, quę terrenæ adhæresci naturæ, in sensum voluptatesq; prona & labilis. Ideóque Assertor noster discipulorum pedes lauisse dicitur, vt signum esset, dilutum esse maledictum illud calcanei, quò ab ipso rerum primordio Serpentis morsibus patebat aditus. Nam alibi dictum inuenias: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes & Scorpiones,* in hanc sententiam.

Calcanei quid in spiritualibus.

TERMINVS.

INTERDVM accipitur pro Actionis termino, sumpto à saltatoribus more, in quorum saltu extrema pars vestigij, quam calcaneum presserit, signatur. hinc Psalmo: *Ipsi calcaneum meum obseruabunt.* quod proximè accedit ad id, quod inquit Ouidius:

--- Sed scilicet vltima semper
Expectanda dies homini est, dicíq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Latinus quoque sermo Calcem accipit pro Termino. Sic *videt* Cicero *calcem, ad quem decursum est;* &, *ad calcem peruenire,* & similia passim habentur.

DE GENIBVS.

B

ADDAM & Genua, sine quorum auxilio parum aut nihil agerent pedes, alterius sic altera poscit opem res, & coniurat amicè.

IMPEDIMENTVM.

Poplites alternis genibus impositi.

EST in his quoque significatum impedimenti, si poplites alternis genibus impositi figurarentur, qui quidem gestus nullo magico susurro simpliciter inter veneficia recensetur: eo enim partus detineri, & omnem actum impediri, maiorum religio, decretis etiam inhibitoriis, vt perhibet Plinius, testata est.

MISERICORDIA.

Iocus Thebani Cratetis.

CÆTERVM genu misericordiæ sedem esse, antiqua omnis superstitio confitetur, vt memorię auris, irrisionis nasus habetur, quamuis Thebanus Crates religionem eam, vti reliqua facere solebat, eluserit. Nam cùm pro quodam Gymnasij principem supplicaret, procumbens coxam illius pro genibus attigit, principeq; præ fastu indignante. *Quid,* inquit, *ánnon hæc tua sunt, ac genua?* Apud Ciceronem legas oratione post reditum, vbi L. Pisonem acerbissimè compellat: *Tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis & crudelissimis verbis à genibus tuis repulisti.* Iam verò illa, *Ad pedes iacère,* &, *Accedere ad pedes,* eodem significato notissima sunt.

HVMILITAS.

C

DEPOSITVM genu humilitatis & superiorem agnoscentis indicium esse, nulli non innotuit. Hinc apud Horatium:

Ius, imperiumq; Phraates
Cæsaris accepit genibus minor.

In Diuinis literis: *Reliqua mihi sunt septem millia virorum, qui ante Baalem genua non curuauerunt.* & alibi: *Flecto genua cordis mei,* & huiusmodi pleraque, id vno verbo dicitur procidere. atque ita etiam nostri Psalmo Septuaginta reddidêre: *Coram illo procident Aethiopes.* Multò verò plus *Procumbere,* & *Terram lingere,* vt ibidem: *Inimici eius terram lingent.*

PROCLIVIS AD VITIA.

NEQVE negarim alicubi flectere genua esse hieroglyphicum ad terram, hoc est, ad vitia declinantium, & humanæ cedentium fragilitati, impuriſq; affectibus inseruientium: aduersus quos nisi steterimus, nullam ex hoste victoriam sperare possumus.

LEVATI PARIENTIVM LABORES.

Nixidia signa in Capitolio, quid.

VISEBANTVR olim in Capitolio ante Mineruæ cellam signa tria Nixidia nuncupata, quæ genibus nitebantur, sed ea de causa ita dicta, quòd parientium nixibus præsiderent, quod eò libentiùs retulimus, quòd vulgata exemplaria Festi corrupta sunt, in quibus scilicet pro Nixidia, Noxij dij scriptum inuenias. Sunt qui signa hæc Antiocho Rege Syriæ superato, à M. Attilio subtracta prodiderint, ab eoq; Romam apportata; alij capta Corintho aduecta, quæ ibi mensæ subiecta fuerint. Sed iam de manu, deq; pedibus & genu, hæc dicta sufficiant. Videor enim mihi

nullam, neque tui, neque publici commodi rationem habuiſſe; tui, quia Philoſophum ſcio nolle D deſidibus & ſuperuacaneis lectionibus detineri, eaq; tantùm lectitare, quæ ad ſanam doctrinam facere videantur. In publica verò commoda me peccaſſe vereor, quia dum te his detinui nugis, boni aliquid ad alicuius ægroti ſalutem excogitaſſes. Quicquid tamen in hoc erratum eſt, totum id tua culpa factum, qui Cicadæ, vt dicitur, vterum ſcabere non dubitaſti.

PIERIVS VALERIANVS

ERVDITISS. VIRO FRANCISCO ROBORTELLO, IN ACADEMIA PATAVINA BONARVM LITERARVM PVBLICO Profeſſori, de Digitis & Menſuris,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXXVI.

CVM *nuper ſcripta tua omnifariæ doctrinæ pleniſſima, & vtriuſque linguæ ornatiſſima, ſumma cum voluptate legerem, incidiſſemq; in obſeruationes eas quas doctiſſimo viro Ioanni Sico inſcripſeras;* E *duplici ſum dolore affectus, ob amici memoriam, qui tam miſerabiliter nobis ereptus eſt, noctu in habitatione ſua clàm trucidatus, deinde commentario eo amiſſo, quod amicitiæ noſtræ pignus paulò antè illi recognoſcendum dederam, ſed adhuc abſq; titulo: ita duplici hac iactura & amici & libelli facta, ſummopere dolere cogor, quòd potuiſſes doni eius hæres eſſe. Ne verò amplius hoc accideret, cœpi ante omnia commentarijs omnibus titulum inſcribere, & cùm magni nominis Philoſopho Bernardino Tomitano de digitorum numeris libellum inſcripſiſſem, ſupereſſe vidi alterum de digitorum menſuris, eumq; ne amicos nimium obtunderem, tibi, Franciſce Robortelle doctiſſime, commendaui: quamuis partem hanc præterituras eram, quòd ea parum ſuauis videbatur, verebarq; ne imago ferè eadem toties repetita, ſatiaret potiùs quàm oblectaret. Partem tamen hanc omni iure tuam non modò legendam, verùm etiam examinandam tibi commendabo, quòd id in animum induxi meum, euenturum, vt quemadmodum ego doctrinam tuam mihi laudi fore perſuadeo, tu quoque pro animi tui candore putes ad rem tuam facere, vt quicquid ego ſcribere ſim aggreſſus, id tum tua, tum aliorum amicorum opera politius fiat. Veræ enim neceſſitudinis ea lex eſt, vt amicorum exiſtimationem non ſecus ac ſi eadem nobiſcum inuehatur naui, nobiſcum identidem & ſeruari, & omne periculum adire iudicemus.*

De digito cõmuniter. DEBVERANT quidem digiti in Manuum commentarium inſeri, ſed quoniam tam varia tamq; multiplex eſt eorum materia quam comprehenderunt, vt iidem ipſi vno nequiuerint commentario coarctari; neceſſe fuit eorũ argumenta diuidere, quorum alter liber circa numeros verſaretur, cumq; numeri quoque ipſi ſua gerant hieroglyphica, ſeparatim de numeris per digitorum geſticulationem ſignificatis, & quorundam etiam numerorum intellectu myſtico, diſſerẽdum fuit. Alter hic de digito communiter, ad mera pertinet hieroglyphica. Demùm, quia dignus idem dimenſionem præcipuè ſignificat, eamq; creat, addenda erunt dimenſionum & ſpecies & ſignificata, cùm quæ peculiariter quiſque ſibi digitus comparauerit, ad calculum examinauerimus. F

ALMVS SPIRITVS.

VT verò rem auſpicatiùs exordiamur, ad almum conuerſi Spiritum, qui nos afflet, eum dicimus in Diuinis literis per digiti hieroglyphicum & intelligi, & nominari. Euangelio autem, omni ſummota dubitatione, vt cùm Aſſertor dicit: *Si in digito Dei eiçio demonia, profectò venit in vos regnum Dei.* Quo loco D. Gregorius ex eo manifeſtum eſſe ait *Digitum* pro Sancto Spiritu accipi, quòd cùm Marcus poſuerit, *Si in digito Dei*, alius Euangeliſta dixerit, *Si ego in Spiritu Dei.* Porrò in precibus, quas certo anni tempore almo huic Spiritui allegamus, *Dexteræ Dei digitum* eum appellamus. Prætereà D. Hieronymus eo opuſculo, cui de Diuinitatis eſſentia titulus eſt, digitum vnitatis numero, pro almo eo diuinóque Spiritu accipi debere profitetur, quo lex in duabus tabulis in monte Sina ſcripta fuerit: ipſe enim, vt idem ait, ſcripſit, qui & dictauit.

PROPHETÆ.

Explicatio myſtica cælorum. NVMERO verò multitudinis digiti ſunt Prophetæ, per quos Spiritus idem almus libros Legis afflatu ſuo conſcripſit. vnde Dauides: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, vbi per cœlos ipſam Prophetarum incitationem accipiunt, qua correpti admiranda tot oracula de diuinis humaniſque rebus in poſteros conſparsêre. Sunt qui Pſalmographum dicant ad hiſtoricum ſenſum ſimpliciter reſpexiſſe, per digitum tamen virtutem Dei exponant. Vnde Magi Pharaonis cùm Moſeos miraculis cederent, digitus Dei eſt, dicebant, vbi pars pro toto digitus pro manu: nam omninò manus, vt loco ſuo dictum, confecti operis hieroglyphicum eſt. In mundi verò totius fabrica, nihil cœlo ipſo admirabilius.

MEDIT

A MEDITATIO VEL VLTIO.

QVOD ſi hominem digitos aut vngues ſuos commordentem pictum ſculptúmve inſpexeris, ſcias eo geſtu, aliàs quidem meditationem, profundumq; ad ecſtaſim vſque cogitatum intelligendum, aliàs verò pœnitentiam facti, vlciſcendíve minas. Illud ſignificatum apud Perſium & Horatium habes, quorum alter dicit:

Digitos cõmordens, quid.

Nec pluteum cedit, nec demorſos ſapit vngues:

alter & in verſu faciendo:

Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

vltimum apud Propertium habes:

Vngue meam morſo ſæpe quærere fidem.

ſed hæc omnibus notiſſima præterimus.

LASCIVA MOLLITIES.

ASPICIES fortè ſtatuam ſaltatorio geſtu poſitam, ritu barbarico adornatam, digitis ſupra caput veluti argutum aliquid crepitantibus, ea hieroglyphicè laſciuas mollities, & eneruatæ nequitiæ delicias indicat. Et vno digito caput ſcalpere, delicatæ admodùm mollitiei ſignum eſt, quod Cn. Pompeio vitio datum, vſque ad inimicorum publicum cauillum, ait Plutarchus.

Iuuenalis, Chilonis & Hebræorũ dicteria.

B quo ſuper geſtu Iuuenalis etiam mordaciter iocatus, cùm dixit: *Qui digito ſcalpunt vno caput.* Pluribus verò modis hæc in digitis mollities notata geſticulatione, munditia nimia, ornatu gemmarum anulorumq; ſumptuoſo, motúque ad mimicum propiùs accedente. Quare Chilonis Lacedæmonij dictum eſt, inter loquendum manum moueri non debere. Et Hebraico prouerbio dicitur, *Stultum digito loqui.*

SOCIETAS.

LICET in duabus conſertis manibus fidei fœderumq; hieroglyphicum locupletius habeatur, non eſt tamen illud diſſimulandum, quod de pollicibus eſt à Cornelio Tacito traditum, morem quippe fuiſſe Regibus quorũdam barbarorum, quotiens in ſocietatem coirent, applicare dexteras, pollicesque inter ſe vincire, nodoq; perſtringere, & vbi mox ſanguis in artus extremos peruenisſet, leui vulnere cruorem eliciebant, atque inuicem lambebant; idq; fœdus arcanum, quaſi mutuo cruore ſacratum haberi ſolitum. *Fœderis per cutiẽdi mos antiquus.*

FVRIÆ ORESTEÆ.

QVI verò digitus lapideus paruo olim tumulo ſuperpoſitus erat inter Megapolim & Meſſeniam, in regione Mania nuncupata, à quo quidem digito tumulo nomen fuit, non alia de cauſa erectus fertur, authore Pauſania, niſi quia Oreſtes furiis agitatus vnum ipſemet ſibi à manu digitum abroſerit, remque eo monumento notare voluerit.

PACIFICATIO.

C SED quoniam ad pollicem reuerſi ſumus, qui aliorum dux eſt & dominator, ſuper eo quædam, quæ hieroglyphicum ſapiunt, apponemus. Hic inter alia ſignificata compoſitæ pacis hieroglyphicum apud Romanos habitus, eo quippe geſtu, vt manui porrectæ ſubiiceretur. Rem tangit Quintilianus Rhetor, vbi ait: *Qui geſtus in ſtatuis pacificatorum eſſe ſolet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure prætenſo, manum inflexo pollice extendit*, quod perperàm in codicibus aliquot impreſſis legitur, *infeſto pollice*, quod nihil eſt. Atque hinc locus apud Papinium Sylua prima intelligitur, *Dextra vetat pugnas*, vbi de geſtu hoc dubio procul accipiendum, de quo quia multa alij, rem ego breuiter ſubſtrinxi? Hunc geſtum periti antiquitatum agnoſcunt in Marci Aurelij ſtatua, quæ nũc ante Lateranas ædes, ex ære, magnitudine coloſſea, equo inſidens viſitur, dexteram enim porrigit reſupinam, & aliquantulum inclinatam, digitis diſiunctis, pollice deorſum verſo. *M. Aurelij ſtatua.*

FAVOR.

FAVOR autem aſſenſuſque alienæ victoriæ præſtitus, aut, cùm aliquem ſtrenuè facientem laudare vellent, per ſublatum pollicem exprimebatur. Hinc illud apud Horatium: *Mos attollendi pollices, varia denotat.*

Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.

hoc eſt, *maximè tibi fauebit.* Quippe ſi pollicum alter ſatis eſt ad fauorem indicandum, vterque in eum geſtum adhibitus quàm maximè fauere profitebitur. Nam & qui certabant, cùm ſuccumbere ſe, & hoſti victoriam cedere fatebantur, pollicem ſuſtollebant. Vnde illa in victos apud Græcos imperitatio, αἶρε δάκτυλον, quod alio de more noſtri *Herbam dare* dicere maluerunt. Noſtro verò tempore cum vniuerſa Italia, & tota etiam Europa alterutri ex duabus factionibus damnata ſit, moris eſt, his pollicem, illis indicem attollere, ſi cui faueant factioni, atteſtari voluerint, ídque

vtinam

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA CATANIA

vtinam studio non tam perdito fieret: non enim Italia omnis sibimet aduersaria, omnium hinc D prædę exposita, tot clades, direptiones, incendia, desolationesq; suarum iam omnium vrbium tam continenti per tot annos bello pateretur, séque mox ob solam suorum pertinaciam, implacabilé-que dissidium, ruituram miserabiliter deploraret.

TRVCVLENTIA.

Versus pollex, quid.

QVEM verò versum pollicem apud Iuuenalem & aliquot alios legas, nihil habentem cum fa-quore simile, sciendum est id tyrannorum quorundam signum fuisse temporarium, vt eo scili-cet tempore sicarij percussoresq; in cædem trucidationemq; populi debacchari inciperent, cùm signum id versi pollicis ab Imperatore datum obseruassent. Qua de re, scholis omnibus nota, & nihil ad hieroglyphica pertinente, plura dicere non puto necessarium.

ROBVR.

Pollicis etymologica ratio.

ID potiùs referemus, robur validasq; vires per pollicem significari, si surrigatur, quatuor reliquis ad volam appressis. Nam ea de causa ἀντίχειρ, à Græcis dicitur, quòd pari cum reliqua tota manu robore contendat, alteriusq; manus vice fungatur, vt Galenus interpretatur. Apud Latinos autem quòd præcipuè polleat, nomen habet: is enim dominatur in manu, nec in sinistra cessat, quamuis ea tota sit ignaua, neque minùs quàm tota manus semper in officio est. Quin & veteres hunc præ-stare aliis intelligentes, Hallum eum appellabant, quòd in reliquorum dorsa vnus omnium insili-ret: aspirationem enim loco *S*, literæ positam nonnunquam ab antiquis inuenias, & vice versa, *S* pro H. Sed longè simplicius est hallum ab ἅλλω vel ἅλλομαι deducere, id enim salire est.

INVTILIS BELLO.

Abscisi pollices.

HOMINEM bello inutilem ostendere qui volunt, manū abscisso pollice faciant: digitus enim E hic summotus, hominem actionibus & præsertim bello inutilem reddit. Eaq; de causa legas grauiter animaduersum in nonnullos, qui bellum detrectandi causa sponte sibi pollices amputas-sent, vt à Senatu in C. Voctienum, vel vt alibi legitur, Votienum: à Cæsare etiam Augusto in quen-dam equitem Rom. qui duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti pollices amputa-uerat. Marcellinus cùm Gallos militiæ semper obuios & expositos ostendere conetur, nostram verò ignauiam; quod Græcanici vir ingenij libenter admodùm facit incessere, reprehensioníque obiectare, neminem vnquam apud eos ait, quod in Italia plerumque accidit, munus Martium per-timescentem pollicem sibi præcidere. Sanè verò Athenienses, crudeli admodùm atque immani exemplo, Æginetarum iuuentuti pollices præciderunt, ne populus qui classe valebat, descendere secum posset in virium maritimarum certamen.

DE INDICE.

POLLICI proximus est Index; ita dictus, quòd eum porrigere solemus indicando. Sunt qui eum Salutatorium etiam appellent, sunt qui Medicum, neque desunt qui Lichanum esse ve-lint, sed horum prosequi controuersias, nostri non est instituti, qui ad hieroglyphica festinamus. Satis igitur fuerit eum Indicem Romano nomine nuncupare.

SILENTIVM.

PRÆCIPVVM igitur digiti huius hieroglyphicum est, silentium indicare, si ori appressus figu-retur, quo gestu Titi Liuij Patauini imago supra fores prætorij in eius vrbe patria dicata, nē-pe quòd is scribendo adeò multa complexus, scriptoribus aliis silentium indixisse videatur. Hinc apud Apuleium libro 1, Metamorph. legas: *At ille digitum à pollice proximum ori suo admouens, & in* F *stuporem attonitus, Tace, tace, inquit.* Et Pontianus Pontifex epistola quadam: *Si est tibi intellectus, re-sponde proximo: sin autem hæsitas, sit manus tua super os tuum.* Ita & Eutychianus, quæ verba sunt ex Sa-lomonis dictis. Et Damasus epistola de Coëpiscopis, *Digitum ori imponite*, hoc est, *nihil vlteriùs loquami-ni.* Ita & apud Iobem: *Principes cessabant loqui, & ori suo digitum superponebant.* In omnibus verò tem-plis, vbi colebatur Isis & Serapis, simulacrum erat digito labris impresso, quod multi interpretan-tur, tacendum esse, illos itidem mortales fuisse. Sed quæ fuerit Harpocratis effigies apud Ægy-ptios, literatiis ludis omnibus innotuit. Figmentum hoc porro totum Ægyptiacum fuit, quod di-gito labiis impresso, silentium significaret de diis immortalibus habendum, in quos ne licentiosi loquendo simus, à Platone etiam monemur, Legibus. Aliàs Harpocratis sigillum in anulis gestari

Effigies Angeronæ.

solitum à veteribus ea de causa tradit Plinius, vt silentium de agendis rebus indicarent. Angeronę autem effigies obligato obsignatóque ore fuit apud Romanos, vt silentio prętereundum innueret, in cuius tutela numinis vrbs Roma esset, quódque proprium illi nomen, ob eam scilicet superstí-tionem, ne tutelares dij sacris quibusdam auocarentur, deuouerentúrve. Hinc Valerium Soranum neci traditum constat, quòd arcanum hoc propalare ausus esset. Eáque de causa Plinius de Roma loquens ait: *Cuius nomen alterum dicere arcanis cæremoniarum nefas habetur.* Quod verò ad obsignatum os facit, Alexander Macedo cùm matris epistolam accusationis in Antipatrum plenam vnà cum Hephæstione legisset, detractum è digito signatorium anulum ori illius appressit, silentij mo-numentum.

EX

A

EX PATIENTIA VOLVPTAS.

SED nihil ferè tam eruditè traditum à quopiam est, vt non ingenia inuenta sint, quæ aliorum commentationes euertere conarentur. Inuentus est siquidem scriptor Masurius nomine, qui *Ratio simu-lacri Angeronæ, & Harpocratis.* Angeronæ simulacrum, quod Romæ in sacello Volupiæ obligato, vti superiùs, obsignatoque ore visebatur, propterea confictum ait, quòd qui suos dolores anxietatesq; dissimulat, patientiæ bene-ficio ad maximam perueniat voluptatem. Nam & Verrius Flaccus Angeronam dici ait, quòd an-gores ac animorum solicitudines propitiata depellat. Sed quamuis alia atque alia etiam super Harpocrate commentati sint ingeniosi viri, illud ego minimè dissimularim, quod summæ eruditionis authores approbasse videntur summum Deum ex eo figmento silentio coli debere, quod & in Pisce, & in Crocodilo, & alibi ex Iamblichi monitis aperuimus. Et in pietatis Christianæ sa-cris preces pleræque sunt, quas ad Optimum Maximumq; Deum nulla emissa voce dirigere iube-mur. Super Harpocrate demum Plutarchus multa, quæ quoniam multorum commentariis vulga-ta sunt, ea non existimaui hîc ad commemorandum necessaria. Illud vnum minimè prætermittam, traditum ab Ægyptiis Oron & Harpocratem digito ad labia appresso coalitoq; in lucem editos, eo-demque modo & Heraiscum, magnæ apud eos celebritatis viros. Iam apud Romanos silentij nota fuit *S*, prima eius nominis litera, quæ tricliniis, & diætarum foribus superponi consueuerat, vt in-de silentium coniuuis indiceretur, quando multa inter bibendum dici soleant licentiùs, atque li-beriùs, quæ palàm afferre nefas. Vnde Flaccus Torquato ad cœnam inuitato cauturum se pollice-tur, ne fidos inter amicos sit, qui dicta foras eliminet. Et conuiuas memores odio habendos esse, Græco, quod Martialis ponit, adagio monemur, *μισῶ μνήμονα συμπότην* Procille. Vino enim liber-*Adagium.*

B tas, vnde Lyæi nomen, attributa apud Comicos nonnunquam inuenias ad *S* literam, *T* quoque adiectam, vt Phormione Terentius, *S T*.

DE MEDIO.

MEDIVS à situ ipso nomen accepit, ab officio Medicus, à loquendi vsu Infamis & impudicus. Sunt qui hunc non Hallum, sed Lichanō velint, ἀπὸ τὸ λείχειν, quod nos Lambere dicimus, vt ita exploratis vniuscuiusque rei saporibus quid ad stomachum faciat, quídve ab eo repudietur, intelligamus. Apud Procopium legimus, summo quid digito gustatum, cùm tamen in digito nulla gustandi vis esse possit, intellexit tamen ille, sublita digiti extremitate ori aliquid admotum.

STOMACHVS.

SANE quidem Ægyptij sacerdotes, vt apud Horum habetur, ex digiti pictura stomachum hie- *Cur digitus præsertim medius, stomachum significet.* roglyphicè intelligebant, sed neque certus illic digitus, neque cur id fecerint, explicatur. Dici fortè posset ab officio, quia solent qui grauantur ex crapula, auxilium alleuationemq; ab eo plurimùm deposcere, quo scilicet in summum gutturis immisso incitata nausea euomere compellan-tur, atque ita sibi incommodi eius remedium comparant. Vel quia Medici stomachum totius cor-poris Regem appellant, quippe qui omnibus portiones suas certa quadam dimensione impartiri videatur. Digiti verò præcipuum hieroglyphicum est, mensuram præ se ferre, de qua multa paulò pòst loco suo. Ea verò à medio potiùs, quàm ab alio quopiam desumitur, vtpote perfectiore. Pri-mùm enim is ab internodio medio ad extremum vnguis, & ad radicem suam, æqua dimensione diuisus, alterutra pollicem & auricularem æquat, circino ad interiores cutis angulos appresso, mox frontem, nasum, aures, & plerasque alias humani corporis partes dimetitur, cuius quidem rei stu-dium ad pictores & statuarios delegabo. Neque me latet, esse qui Lichani nuncupationem in anu-

C larem transferant, sed ipsi sententiam suam probent. Quem nos Medium & medicum dicimus, hic nimirum est, qui etiam impudicus.

INFAMIA.

EXPORRECTVS enim medius, reliquis in pugnum attractis, virilis pudēdi species quædam ostenditur, eóque gestu infamiæ est hieroglyphicum, de quo Satyricus:

De Diogene dictum.

--Cùm fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumq; ostenderet vnguem,

de Diogene dictum, qui hospitibus quibusdam Demosthenem videre cognoscereq; anxiè quæri-tantibus eum ostendit, medio digito, pro indice, porrecto, vt scilicet illum impudicitiæ aut igno-miniæ cuiuspiam notaret. Mitto illa nota nimis: *Et impudicum ostendis digitum.*

DE ANVLARI.

ANVLARI, qui minimo proximus est, nomen dubio procul inditum ab anulo, quo digitus is insigniri solitus. Cur id institutū, variæ sunt authorū opiniones, ex quibus nos, pluribus aliis omissis, quas in Gemmarum commentario recensuimus, eas quæ potiores videbuntur, afferemus.

COR.

ILLVD autem primum omnium manifestum est, anularem digitum cordis esse hieroglyphicum, *Aegyptiorū ritus in sacris.* eaque de causa institutum ab Ægyptiis, vt is anulo tanquam corona honestaretur. Eundem sa-cerdotes cùm circa deorum suorum aras operabantur, confectis odoribus illinebant, eiusmodi-que honores illi ea de causa haberi solitos aiunt, quòd dissectionum periti nerulum quendam à corde natum, per dorsum ad cor tendere, & in eo desinere compertum habuêre. Sanè solebant in

eiusmodi anulis eorum etiam imagines fieri, quorum memoriam colerent atque obseruarent, ij D qui eas gerebant, ita nos sibi præcipuè esse cordi, cum quadam etiam ambitione, omnibus ostentantes. Vnde Cicero libro De finibus, Epicuri studiosos memorans, *Epicuri imaginem*, inquit, *non modò in tabulis, sed etiam in poculis & in anellis habebant.*

CONIVGIVM.

Vincla iugalia. HIC porrò digitus anulo insignis, coniugij est hieroglyphicum, eaque de causa sunt qui eum Pronubum appellent. Hinc Maro, vincla iugalia posuit pro connubio. Et in Diuinis literis inditum sponsalitiis anulum, arrhabonis indicium, nuptiarum causâ legimus, eumque morem & institutum omnes Christianorum conuentus semper obtinuerunt. Vnde Septimius Florens digitum hunc & pronubum appellauit, & anulum quoque pronubum, eo loco: *Nam & mulieres, parcissima patrum sobrietate aurum minimè nouerant, vno excepto digito, quem anulo pronubo sponsus oppignerasset.*

VINCVLVM.

IVGALIA illa vincla monent, vt qua de causa anulus inter alia significata, vinculi etiam fuerit hieroglyphicum, aperiamus. Ea sic fertur: *Promethea olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Ioue damnatum, ea mox conditione liberatum, vt inde anulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omninò exolutus pœna videretur, indeq; anulorum vsum propagatum.* Indignationem autem Iouis inde ortam aiunt, quòd *Iouis indignatio vnde orta.* Prometheus Parcarum sortem de Thetidis filio, qui patre maior & clarior futurus esset, patefecisset, atque ita Iouem ab eius congressu deterruisset, ne se præstantior filius nasceretur. Sedenim cùm eiusmodi legis silentium in Iouis perniciem euasurum esset, fabulatorum desidero prudentiam, qui velint Iouem pro imperio & authoritate sibi conseruata, Promethea ita malè multare voluisse.

SERVITVS. E

QVOD verò anulus sit seruitutis hieroglyphicum, tam maritale signum attestatur, quod addictam esse viro sponsam indicat, quàm Pythagoræ symbolũ exponit, dum nos arctum anulum gestare vetat, quod ex diui Hieronymi interpretatione, non esse anxiè viuendum admonet: quippe cauendum, ne nos in eam seruitutem coniiciamus, quæ dura sit, & incommoda. Habet verò secum vinculi significatum anulus, quòd tota eius nominis originatio, quantum ad etymon attinet, ab AN particula desumitur, quę Circum significat, atque ideò vinculum, aut compedum manicarúmve oppressionem. Essent verò super anulo plura commentanda, sed hîc de anulari digito, non gestamine vel ornamento, scribere institutum est meum: quare longè plura in commentarium id reiicimus, quo insignia pleraque ordine locoque suo interpretati sumus.

Anuli etymon.

VENIA.

PETITAM à diis sermonis veniam, cum obsecratione, ne nostri memores delicti, vlcisci cogitarent, eo exprimebant hieroglyphico, vt proximum à minimo digitum ad aurem dexteram referrent, quod tacto prius ore fieri institutum. Est enim locus ille Nemeseos, quam gestu hoc, vt in aure ostensum, conciliari crediderunt.

DE AVRICVLARI.

Chiromantica obseruatio. SVPER auricolari nullum hactenus hieroglyphicum inueni, id tantùm apud Chiromanticos deprehendi, eum qui breuiorem hunc habeat quàm legitima mensura deposcat, id est, ad tertiũ anularis nodum non perueniat, indicium esse eum illegitimo concubitu susceptum. sed quoniam ex diuinatricibus, coniecturalibusq; disciplinis, si modò disciplina est talia profiteri, nulla est hac magis fallax, his omissis, ne digitus prætereatur indictus, ad ea me cõuertam, quæ de numero cuius F is præcipuum est hieroglyphicum, superiùs fuerant examinanda, nisi præ voluminis magnitudine morositatis notam declinare visum esset. Is igitur cùm, vti sequenti commentario explicabitur, & vnitatem & quaternarium alio atque alio gestu præ se ferat, septenarium, quantum fieri potest, in extremam volam exporrectus ostentat. Numeri autem huius hieroglyphicum est, vt præter ea quę loco suo commemorata sunt, multiplicitatem, aut frequentem significet iterationem.

FREQVENS ITERATIO.

Septem, vocabulũquid apud Hebræos. HEBRÆI autem in primis, vt Ægyptiacæ linguæ discipuli, SEPTEM de re pluries repetita ponere consueuerunt. Vnde argẽtum septies purgatum, pro Sæpius, Psalmo vndecimo dictũ hoc est, vt Euthymius explicat, donec quicquid in eo terreni fuerat igne absterſum exhalarit. Et Psalmo nono supra septuagesimum, *Redde vicinis nostris septuplum*, interpretes aiunt, septuplum Hebræorum more positum pro multiplici, quemadmodũ & septem, sæpe pro multis. Nam & Regum primo Theologi ponunt illud, *Sterilis septem peperit*, itidem & Ecclesias septem, pro multitudine. Iam Chrysostomus actione in Iudæos quinta, septenarium numerum ait in Diuinis literis infinitæ multitudinis signum habere. Et ita fortè Virgilianum illud accipiendum:

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria deserti ad Strimonis vndam
Fleuisse. & alibi, *--Immania septem Terga Boum.* & eodem modo pleraque.

SANCTVS SPIRITVS.

EST & sancti Spiritus prærogatiua septenarius, de quo, vt infinita alia prætereamus, Esaias: *Et requiescet super eo Spiritus Domini*, dein dona eius VII. enumerat: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus

A spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

PERFECTIO.

QVÆ verò plurima & Philon, & Hierocles, & alij super septenarij perfectione disputant, nũc missa faciemus, illud quod nostri temporis inuentũ est minimè dissimulabo, multárũ rerũ, ne de argento solo dictũ hoc existimemus; quæ per ignis iterationẽ depurgantur, perfectionẽ in septima decoctione consistere, veluti quotidie cernere est in saccharo purgando: nã vbi septies igne id examinaueris percoxerisq;, nihil quicquã vlterius proficit, sed lapidescit penitus, ne vlterius eliquari possit. Vnde prouerbium vulgò vsurpatum de re, quæ summam adepta sit perfectiõnem, *Septima decoctionis saccharum*, vbi sagacissimum quempiam atque vaferrimum hominem designamus. *Prouerbiũ.*

HVMANÆ VITÆ CVRSVS.

ADDEMVS & illud, septenarium numerũ totius humanæ vitæ cursum significare, vt Theologi declarant eo Leuitici loco: *Septem diebus comedetis azyma.* de quo Paulus: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis: & non ad tempus, sed omni nostra vita ab huiusmodi prauitatis fermento mundi esse debemus.* Nam si septem diebus holocaustomata, vt LXX. reddunt, offerre debemus, necesse est diebus septem nos puros permanere, quia non debent qui sacra ferunt celebrantque, criminis cuiuspiam sibi esse conscij.

DIMENSIO.

B NON eram autem super digito quicquam vlterius philosophaturus, nisi mihi venisset in mentem, in mensuris quoque multa delitescere hieroglyphica, eaq; plurimùm de Diuinis. Mensuram verò ipsam digitorũ esse filiam. Nam Ægyptij mensurã ex digito posito ideò significabant, quòd tota metiendi ratio à digito principium capiat. Mẽsura enim, vt apud Aristotelem, à minimis oriri debet, atqui digiti sunt omniũ membrorũ minimi. Neque me præterit, nouissimos quosdam mensuræ principiũ, perinde ac etiam ponderum, à grano tritici desumpsisse, vt scilicet coharentia grana quatuor, digiti spatium expleant, cuius ratione reliqua mox ad mensurã veniant. Cæterùm cùm veteres ab humanis membris mensurã inchoarint, satis constat ex eorum traditione, digitum omnium mensurarũ esse minimã. Ita apud M. Iunium Nypsum legas, qui de limitibus agrorũ luculentum reliquit opus, cuius de digito verba hæc sunt, *Minima pars earũ mensurarum est digitus.* quòd & Iulij Frõtini sententiæ cõsonat: si quid enim infra digitum metiamur, partibus respõdemus, vt dimidiam aut tertiã partem digiti. Hinc illud omnes vsurpatissimum, *Latum vngnem, aut transuersum digitum non secedere*, cùm minimum quodque spatiolum intelligi volunt, & illud, *Leonẽ ex vnguibus æstimare*, cùm ex minimo quoque vel indicio, vel argumento, vel causa, rei totius summam intelligimus. Id inde sumptum, quòd memoriæ proditum est, Phidiam ex viso Leonis vngui, totam feri faciem magnitudinemque, magna artis suæ commendatione repræsentasse. Qua verò ratione certa digiti dimensio nationibus omnibus præscribi possit, adhuc incompertum est mihi. Nam apud authores digitus, & quæ inde mensuræ desumuntur, proportionis potiùs regulã, modúmve quendam, quàm certum vllum mensuræ terminum ostendere videntur. Quæque Romæ atque alibi vel in æs, vel in antiquis marmoribus mensurarum exemplaria signata reperiuntur, nationibus omnibus non inseruiunt. Ad hæc, hominum facies pro locorum & regionum situ, perinde ac aliorum etiam animalium corpora, tum exilitate, tum proceritate, tum crassitudine diuersa dissimiliaque C nasci manifestum est, id quod Basilius Magnus à veteribus traditum, à se verò diligenter obseruatum asseuerat. Tritici quoque, si mensuram inde quis maluerit exordiri, & pondere & magnitudine, non prouinciæ tantùm, sed regiones singulæ, & vel modico inter se distantes interuallo, ac plerunque etiam contigui agri variant. Perq; ætates, & secula singula, corpora nostra imminui, Homerus, & ab eo Virgilius & Horatius vnà cum Philosophis tradidêre; id quod & maiorum nostrorum ossa passim eruta testatissimum relinquunt. Rari enim, qualia nunc hominum producit corpora tellus, vt apud Poëtam est, vel Plinij testimonio, patribus proceriores fiunt, cõsumente vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum. Quare certa exactaque digiti dimensio, quæ pari sit apud omnes mensura, nusquam potest reperiri. Quoniam tamen veteres in eam conueniunt sententiam, vt digitus sit mensuræ principium, quæ inde mox distribuuntur mensurarum nomina loco hoc recensere libet, argumentum quidem ab Ægyptiorum sacerdotum inuentis non alienum: siquidem in mensuris etiam hieroglyphica quædam inueniuntur, quæ suo se loco prodent. Mensuræ autem his præcipuè capitibus discernuntur, vt loco primo sit digitus, secundo vncia, mox sextans, inde palmus, doron, dochme, spithama, pes, cubitus, gradus, passus, orgvia, vlna, hexapus, decempeda, plethrum, actus, iugerum, stadium, hexaplethron, diaulus, hippicum, milliarium, dolichus, parasanga, schœnus, funiculus, stathmus, quorum omnium rationes afferre per difficile fuerit in multa scriptorum dissensione. Ne tamen Chrysippi Medeam penitùs exscribam, ea tantùm colligam, quæ à probatioribus tradita videbuntur. *Mensuræ diuitorũ filia, & eius origo atque principiũ.* *Prouerbia.* *Mensuræ capita præcipua.*

DIGITVS.

EST o igitur digitus vel ex granis tritici quatuor coherentibus spatium collectum, vel mensura omnium minima, vnde Rerumpublicarum decreto reliquas astruere necesse sit. Quæ verò super eo sint hieroglyphica, longa iam narratione suprà disseruimus.

VNCIA

VNCIA.

D

Palmus quid. CERTO autem dato ſpatiolo,quod digito attribuatur,vncia ſeſquidigito cõſtat,ea verò octaua palmi portio,ita tamen vt palmum hîc accipiamus pro menſura ea,quæ ἀσπάμη Græcè dicitur. Sedenim ex dimenſione Nypſi,vncia ſupra digitum nihil plus occupat, quàm tertiam alterius digiti partem,dum palmum ait quatuor conſtare digitis, eaſq; eſſe vncias treis, & ita Frontinus etiam tradit;quare vncia pars erit pedis duodecima,vt rectè menſores ponunt. Quòd ſi vncia ſeſquidigito fieret, pes in digitos decem & octo produceretur. De quo verò palmo & hîc & illic intelligendum,paulò inferiùs explicabimus.

SEXTANS.

SEXTANS ſexta pars aſſis omninò eſt,vnciæ quippe duæ, vt pondera ad menſuras accommodantur,quæ quidem vnciæ,vti propoſitum ex nonnullorũ traditione, in trium digitorum ſpatium porriguntur,quamquam,vti dicebamus,Nypſi nonnihil variet menſura.Nimirum verò loco hoc aſſem pro pede,vt inferiùs patebit,intelligendum.

PALMVS.

Sexta ſeu Dodrans. PALMVS ex Vitruuij deſcriptione quatuor conſtat digitis,ex aliorum verò ſententia digitos continet XII.Nypſus hunc menſuræ modum Sextam appellat, & dodrantem etiam vocitari aſſerit,quæ ſcilicet,palmos treis contineat,vncias quippe nouem,qui ſunt digiti XII. Cauſam verò cur ita diuerſi authores ierint in aſſignanda palmi dimenſione,eam eſſe crediderim, quòd Latini appellatione Palmi tria dimenſionum genera complectuntur,quę ſuis apud Græcos nominibus diſcernuntur.Ea ſunt,δῶρον,δοχμὴ,ἀσπάμη.

ΔΩΡΟΝ.

ESTverò δῶρον,ſiue δῶρα fœm.gen.(vtrunque enim dicitur)menſura,quam alio nomine παλαι- E
στὴν appellant;vt interpretes Heſiodi verſu illo enarrant:

τρισσύσπαμον ἐπ' ἄξονα τάμνεν δεκαδόρῳ ἀμαξῃ.
Inde apſin curru decadoro cæde tripalmum.

Heſiodi locus explicatur. Sedenim hoc Heſiodi loco quædam oboritur difficultas,quam antequam vlterius progrediamur, ne quod nobis negotium faceſſat,fortè nõ importunum fuerit explicaſſe. Quatuor apſidibus currulis rota conficitur. Ad huius verò rotæ diametrum Heſiodus pro modulo decadorum currum vocat,vt vnaquęque apſis trium ſit ſpithamarum,atque ita neceſſe eſt vniuſcuiuſque rotę circumferentiam,ſiue curuaturã dicere malimus,duodecim eſſe ſpithamarum.Hæ verò doræ ſunt XXXVI. ſpithama enim doras,quippe palæſtas tres continet:& palæſta,vti dictum,quatuor eſt digitorum; ſi ergo,vt oſtenſum eſt,circumferentia circuli,qui rotam ambit,XXXVI. doris conſtat, & diametrum vnumquodque tertia pars eſt circumferentiæ,cur non dodecadorum diametrum poſuit potiùs,quàm decadorum;ne Geometriæ terminos excederet, veritatique ipſi videretur aduerſari. Cui difficultati reſpondetur,decem illas diametri doras ab interiore circuli parte deſumendas,de quibus hîc intelligit.Duæ verò doræ computantur ab interiore parte rotæ,vſque ad circumferentiam exteriorem,vna quippe dora ab vtraque rotæ parte. Alij ita ſoluunt,vt digitos octo,qui doræ ſunt duæ,expanſos intelligant in ea,quæ Ligularia dicuntur,ſiue Compages dicere velimus, quibus vnaquæque apſis inuicem adacta conſeratur,hoc modo:


F

Præcipuè vero παλαιστὴν menſuram eſſe quatuor digitorum, inde colligimus,vbi Nicander baſiliſci corporaturam deſcribit: quem enim Plinius duodecim non excedere digitos affirmat, Nicander eo ſuper τρία δῶρα, φέρων μῆκος τειχήρη. Interpres eius, τρία δῶρα,inquit, ἤγουν παλαιστὰς, δῶρον γὰρ ἡ παλαιστή. Tria itaque dora duodecim explebunt digitos,& Plinij baſiliſcum.

VITÆ BREVITAS.

Explicatio loci Dauidis ex Græco. IN Diuinis literis,vt multorum Theologorum eſt interpretatio,παλαιστὴ vitæ breuis eſt quaſi hieroglyphicum.Nam Pſalmo nono ſupra trigeſimum, qui apud aliquos trigeſimus octauus eſt, in Græco canitur, ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου. Traductione, quam Ruffinus citat, ſcriptum eſt: *Ecce veteres poſuiſti dies meos.* Illi enim qui ita reddiderunt, viſi mihi ſunt, aduerbij παλαὶ, quod antiquitùs apud Latinos eſt,ſignificatum ex vocis ſimilitudine ſequi.Ita & Romanorũ exemplar habet,quod & Caſſiodorus agnoſcit,& in ea locutione plurimũ immoratur. Qui Hebræos ſequuntur,alij breues, alij poſitos à Deo dies in menſura digitorum IIII. aiunt;alij palmi longitudine conſtitutos dies, alij pugillares dies datos, atque ij minimæ etiam menſuræ mentionem faciunt. Paraphraſtici:*Velut in digitis numeratos habere pauciſſimos dies meos.* Sed illud, *velut in digitis numeratos,* nihil ad rem;de menſura enim hîc eſt ſermo. Quare vulgata traductio, commenſurabiles habet, ſed ſenſum non exprimit integrum ἡ παλαιστὴ: quare id fortè melius quod ex Adamantio coniicere poſſumus,ſi legamus,*Ecce quàm breues admodùm poſuiſti dies meos*, quippe cùm quatuor digitorum menſura breuis admodùm ſit,ac perinde vitæ noſtræ breuitatem ſignificet. Hinc clamat Iobes:*Nihil enim ſunt dies mei.*Vt miſſum faciamus Hippocratem, vitam quidem breuem, artem verò longam eſſe conquerentem;& quæ multa in hanc ſententiam dici poſſent.Euthymius quoquepalæſt amquatuor digitorum coniunctione fieri,ſpithamæque tertiam eſſe partem dicit, ac perinde mini

Aminimam omninò menſuram, eóque nomine paucitatem dierum, quos viuimus, intelligi. Sed quoniam id nomen ἀπὸ τῆς πάλης deduci poſſit, interpretari etiam poſſe dici Contentioſos, ſeu laborioſos dies, hoc eſt, luctæ pugnæq; plenos, in lucta enim labore ac contentione multa vtimur. Ideò verò Dori nomine menſuram eam appellari dicunt, quòd eorum plurima quæ donantur (id enim eſt vocabuli ſignificatum)ab eodem digitorum loco amittantur, quo παλαιστὴ conſtat, à quatuor quippe digitis.Plinius antiquos ait Græcos vocaſſe δῶρον,quem nos palmum.Vitruuius quoque,quem nos palmum,δῶρον ait à Græcis dici,quòd munerum datio Græcè δῶρον appellatur. Id autem ſemper per manus geri.

ΔΟΧΜΗ.

DOCHME dimenſio eſt decem digitorum.Sunt tamen qui δοχμὴν menſuram eandem eſſe putent cum doro, quatuor quippe digitorum in exporrecta manu cohærentium, ita vt δοχμαὶ tres,ἀσπάμην efficiant. Atqui apud aliquos inuenias ἀσπάμην δοχμὴν etiam appellari,atque id apud Heſiodi commentatores.

ΣΠΙΘΑΜΗ.

Σπιθαμὴ omninò duodecim eſt digitorum, quippe quòd à digiti auricularis vngue ad extremum vſque pollicem occupamus. Plinius libro VII.cap.altero,vbi de Pygmæorum ſtatura loquitur,ternas eos ſpithamas longitudine,hoc eſt, ternos dodrantes non excedere dicit. Dodrantem poſuit Plinius ratione pedis habita, ex quo ſi dematur quadrans, reliqui erunt digiti duodecim,eaq; pars quæ tribus conſtat quadrantibus, Dodrans nimirum appellatur. Frontinus ſpithamam etiam Sextantem dici ſcribit,habereq; palmos tres,vncias nouem,digitos duodecim. *Quibus cõſtet ſpithama, & hieroglyphica.*

B

DEVS.

ADDVCIT hæc rerum ſeries in memoriam id,quod Prophetæ, qui plurimũ hieroglyphico, ſi non charactêre, idiomate certè hieroglyphicis perquàm ſimili vtuntur, Deum appellatione Spithamæ vocitarunt,penes quem ſcilicet ſit rerum omnium facultas, ſupremáque authoritas, manu paſſa propemodùm occupata, qua ſingula ordine tenoréque certo temperat ac moderatur, neque non fines æquis terminis diſtributos, dimenſionéſque omnibus, quæ in vniuerſo mundo ſunt, rebus lege ſua dipartitur. Moris enim eſt oblatarum rerum magnitudinem ſpithamis, quæ nobis promptuaria eſt menſura,dimetiri. Quod verò dictum de omnipotentia Dei, ſufficiat vnus ex quadrageſimo cap.Eſaiæ locus: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit?* & quæ ſequuntur. Vbi Hieronymus: *Quod autem pugillum vocat & palmum,humanæ conſuetudinis verbis vtitur,atque menſuris, vt Dei potentiam per noſtra verba diſcamus.* Et paulò poſt ἀσπάμη autem, hoc eſt, palmus, extenſam ſignificat manum à pollice vſque ad extremum digitum. Quæ verò ibidem poſita ſunt de lichano guſtatore,vt idem interpretatur,digito,ac perinde minimo,alij viderint.

VITA BREVIS.

IN Spithama autem,vt ſuperiùs dictum,vitæ breuis hieroglyphicum habetur,quod à Græcis authoribus poſitum eſt, vt minimum vitæ ſpatiolum menſuræ eiuſmodi paruitate ſignificaretur, vſurpatúrque plurimùm ad vniuſcuiuſque rei breuitatem indicandam, præſertim vbi in pumiliones cauillum vertitur,vti de Pygmæis dictum,quos in deriſum Triſpithamos ſcurræ vocant.

PES.

C PES nemine diſcrepante digitis conſtat ſexdecim,quare qui ſcribũt eum palmis quatuor confici,palmum accipiunt, vt Vitruuius τὸ δῶρον. Diuiditur verò huiuſmodi dimenſio in vncias duodecim,& eſt ſexta pars altitudinis in humano corpore. Frontinus pedem ita deſcribit vt eum dicat habere palmos quatuor,vncias duodecim,digitos ſedecim.

CVBITVS.

CVBITI quoque ratio ideò varia eſt, quia palmus variè accipitur. Nã qui duobus eũ conſtare palmis dicunt,digitos omninò quatuor & viginti commemorant, dum cubiti ſpatium id eſſe dicunt,quod ab extremis vnguibus in medium brachij angulum protenditur. Id nimirum ſeſquipedale eſt,& Græcis Pygon dicitur,vnde Pygmæi Euſtathio. Ita palmi illi duo pro totidẽ dodrantibus accipiuntur.Neque diuerſus erit à Nypſo & aliis Vitruuius,qui cubitum ſenis more ſuo,palmis dimetitur,cùm dubio procul palmos quatuor quemque digitis porrexerit. Cubitum pictores quartam corporis noſtri partem eſſe volunt. Apud Herodotum cubitum inuenias viginti digitorum tantùm,differréque ab eo qui dicitur πηχυς,de quo videris apud Suidam.Eſt etiam cubitus regius,qui maior eſt communi tribus digitis, de quo idem Herodotus primo. Eſt & cubitus geometricus,qui dimenſione vna ſex cubitos è noſtris æquat,vt Origenes & Auguſtinus retulerunt. *Quibus cõſtet cubitus*

TEMPERANTIA.

HIEROGLYPHICVM verò cubiti vna cum fræno manu prætento, temperãtiam præ ſe fert, vnde Nemeſeos ſimulacrum inſignibus his conſpicuum habebant, cuius hæc erat inſcriptio:

Ἡ νέμεσις προλέγει τῷ πήχει τῷδε χαλινῷ,
Μήτ' ἀμετρόνη ποιεῖν,μήτ' ἀχάλινα λέγειν.
Vna manus cubitum oſtentat,gerit altera frænum:
Illa,modum ſerua:hæc admonet,os cohibe.

DE

DELICIOSVS. D



SVNT qui delicioſum molliculumque hominem, ne hieroglyphica hæc elabantur, ex cubito ceruicali innixo notent. Signum inquit Adamantius, mihi videtur voluptatis carneæ ſub cubito manuum ceruical aſſutum, ſumptum id ex Ezechiele, qui dicit: *Væ iis qui aſſuunt ceruicalia ſub omni cubito manuum:* nimirum eos intelligens, qui propter animi corporisque mollitiem à virili recedunt fortitudine, & nequiter effœminantur. Forſitan autem, addit Adamantius, ſermo diuinus per iſtiuſmodi figuram & argumentum eos culpat magiſtros, qui per vaniloquentiam, & falſæ beatitudinis promiſſiones (quod noſtro, quippe corrupto tẽpore, ſupra modum inualuit) multitudinem audientium libidini, vitiis, voluptatiq; ſummittunt. Addit etiam Propheta de capitis velamine quædam, quæ quoniam his præcipuè temporibus valdè ſuſpecta ſunt, conſultò præteribimus, quæ ſi quis curioſiùs appetierit, eiuſdem Origenis homiliam legat in Ezechielem tertiam, deq; temporum noſtrorum proceribus dicta omnia interpretabitur.

Myſtica cubiti ſignificatio.

GRADVS.

GRADVS, quem alij Greſſum dicere malunt, & Græci τὸ βῆμα appellant, vno conſtat cubito & pede, quod ſpatium tantundem eſt ac pedes duo & ſemis, vel digiti quadraginta.

PASSVS.

PASSVS à paſſis manibus dici videtur. Alij paſſum quinis tantùm pedibus conſtare putant, quo ſpatio greſſus duo recenſeantur, ſintque digiti octoginta. Nam ſpatium quod paſſis manibus occupamus, in ſex & nonaginta digitos exporrigitur, quę integra eſt quadrati corporis proceritas. E

ORGYIA.

ORGYIA Herodoto ſex pedum eſt. Menſura eadem à pedum numero Hexapus dicitur. Orgyiæ ſpatium Sudas inter expanſas manus capit, quæ quidem menſura cùm par ſit proceritati humani corporis, nulli dubium & Sudam & Herodotum idem ſentire. Lib. Pandect. x. tit. Fin. reg. cap. vlt. fodienti puteum paſſum à vicino limite abeſſe oportere, interpres Latinus poſuit. Lex ea Solonis à Caio recitata, Græcè ſcripta eſt in Codice Piſano, qui Florentiæ aſſeruatur, & ὀργυιὰν hic habet, quæ quidem menſura vna plus pede creſcit, & aliàs, vti oſtenſum, ἓξάπους vocatur. Theodorus ex Ariſtotele interdum Paſſum vertit. Sed cùm Orgyia, vti dictum, vno plus pede ſupra paſſum porrigatur, non ſatis rectè videtur expoſitum, vt paſſus à paſſis manibus dicatur: id autem ſi admittitur, rectè Theodorus. Sedenim omninò variat ipſa paſſuum menſura, pro regionum ritu & inſtitutis.

Solonis lex.

VLNA.

VLNAM Seruius & plerique alij eadem cum ea quam memorauimus Orgyia videtur interpretari, neque tamen inficiatur, longè minori ſpatio ab aliis deſcribi. Sunt verò qui vlnam Orgyiæ dimidium eſſe velint, nomenq; id, atque ea ferè trium pedum menſura in pleriſque Italiæ locis permanſêre. Quare quod apud Plinium legitur lib. XVI. cap. XLI. de Abiete, cuius craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat hominibus quatuor admotis arboris ambitum vlnis octo compexum intelligendum. Si verò vlnas altero modo maluerit quis intelligere, nihil laborauerim. Sanè huiuſmodi amplitudo mihi non eſt miraculo, qui & abietes & larices & arbores alias vaſtitatis incredibilis inſpexerim in Noricis Alpibus enatas. F

Abies miræ craſſitudinis.

DECEMPEDA.

DECEMPEDA, quæ Græcè δεκάπους, ſuo ſe prodit nomine. Ea verò & Acæna eſt, Theſſalorum quidem inuentum, vt apud interpretem Apollonij Argonauticis legimus. Porrigitur nimirum ea in digitos centum ſexaginta, qui duo paſſus eſſent, non tamen Orgyiæ. Eo dimenſionis nomine ſæpe vtitur Cicero, & decempedatorem, Metatorem appellat. Eo ferè ſpacio à vicino abeſſe lege XII. tabularum iubetur is, qui ficum aut oleam in agro plantauerit: nam ſi quid aliud ſeuerit, ſatis eſt quinque abeſſe pedes. Quamquam ſuper huiuſmodi limitatione lib. Pandect. x. tit. Fin. reg. Solonis lex à Caio recitata, non ſatis ex fide Latinis reddita. Nam quod interpres reddidit: *Oliuam autem aut ficum nouem pedes ab extrema regione plantet, alia autem ligna quinque pedes*, in Pandectis quæ tanta veneratione Florentiæ cuſtodiuntur, ita Græcè ſcriptum reperi, ἐλαίαν ἢ συκῆν ἐννέα ποδὰς ἀπὸ τῆς ἀλλοτρίας φυτεύειν, τὰ δ' ἄλλα δύο ποδὰς. Ex quibus verbis manifeſtum, oliuam quidem vel ficum pedes nouem procul ab alieno ſolo plantandas, cæteras autem arbores duos tantùm pedes abeſſe poſſe. Sunt & alia eadem lege, quæ aliter habent in Piſano codice ipſo, quàm paſſim in impreſſis voluminibus præſtitum, de quibus alibi diſſerendum: nunc noſtrum ſequamur inſtitutum.

Solonis lex.

ACTVS.

ACTVS pedibus conſtat centum & viginti, qui paſſus eſſent quatuor & viginti.

A IVGERVM.

IVGERVM, vt Varro finit, conſtat ex actibus duobus quadratis. Vnde Quintilianus ducentos & quadraginta pedes ponit in longitudinem, dimidium in latitudinem, quod vno iugo Boum in die arari poteſt, de quo, quia pleni ſunt omnes Grammaticorum libri, non eſt vt plura inculcem.

STADIVM.

STADIVM dupliciter conſideratur, alibi pro ſpatio curſoribus in agone deſtinato, alibi certum eſt menſuræ genus limitibus agrorum metandis comparatum. Atque hoc plurimum centum vigintiquinque paſſibus noſtris terminatur, qui pedes eſſent DCXXV. Ea ſumma octies computata mille facit, quæ dimenſio proximè accedit ad eam, quam ponit Herodotus II. vbi de labyrintho, αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαι εἰσὶ στάδιον ἑξάπλεθρον, *Orgyiæ centum iuſtæ ſtadium conficiunt hexaplethrum.* Quod verò ad agones pertinet, Græci ſtadium ſuum ducentis pedibus metiuntur. Sed Herculeum ducentis quantumlibet pedibus dimenſum ab Hercule, aliis omninò maius. Vnde Mathematum periti herois ſtaturam ex eo ſtadio, quod ipſe ſuis pedibus metitus eſt, prodidêre. Italicum porrò pedes continet CXXV. authore Cenſorino. Erat & ſtadium Pythicum, quod pedibus mille conſtitiſſe tradunt: at Olympiacum, quadringentis tantùm. Sic colligimus ex his, ſtadium non fuiſſe certæ menſuræ ſpatium, ſed partis illius, quæ alicubi breuior, alicubi longior fuerit, agonibus deſtinata.

Duplex Stadij conſideratio.

PLETHRVM.

PLETHRVM verò menſura eſt cẽtum pedum, ſexta quippe ſtadij pars, vt apud authores Græcos paſſim habetur, πλέθρα ἓξ στάδιον ἑξακοσίων ποδῶν ποιοῦσι. Tantundem verò eſt, centum id B conſtare orgyiis dicere, cùm, vti ſuperiùs dictum, orgyia ſex occupet pedes.

Mẽſura variè antiquorum.

DIAVLVS.

DIAVLVS menſura eſt duorum ſtadiorum. Cæterùm varietas ſtadiorum effecit, vt diaulum nonnulli ducentis conſtare cubitis tradiderint. Quin & cubitus ipſe, vt ſuo loco dictum, plurimum habet varietatis.

HIPPICVM.

HIPPICVM, quo ſcilicet Equi ad curſum admittebantur, duplo maius diaulo fuit: nam quatuor id ſtadia comprehendiſſe, Plutarchus author eſt.

MILLIARIVM.

MILLIARIVM, vt Iunius Nypſus, octo ſtadiis cõſtat; vt Vitruuius, pedibus quinquies mille, atque ita ſtadium id aſſumitur, quod CXXV. paſſibus noſtris terminatur, quos pedes eſſe diximus ſexcentos quinque & viginti, quinis vnicuique paſſui pedibus adnumeratis.

DOLICHVS.

DOLICHVS, vt nonnulli ponunt, ſtadia continet duodecim, vnum quippe milliarium & ſemis. Qui verò quatuor & viginti aut vno minus ponunt, quæ tria eſſent milliaria, recurſus rationem habuiſſe mihi videntur: erat enim locus, vbi Equi ſunt curſu exerceri ſoliti, curſu ſepties iterato, quare à flexu locus ita nuncupatus. Apud Pindarum inuenies, & octies & duodecies iterationem eiuſmodi fieri ſolitam, pro Equorum, qui iungebantur, modo, de quo in commentario de Metis diximus. Ita patet illud apud Chryſoſtomum in epiſtola ad Philippenſes homilia prima: *Etenim qui poſtquam decem dolichos cucurrit, ſi poſt deficiat, omnem amiſit laudem:* dictum, quia ſcilicet duo C adhuc dolichi erant decurrendi.

PARASANGA.

PARASANGA, menſura Perſica, in ſtadia triginta porrigitur. Herodoto ea eſſent tria milliaria & ſemis, qua dimenſione in itineribus Tranſalpinæ nationes plurimùm vtuntur, vulgò Leuguam appellantes. quanquam & Leuguæ ſpatium, pro locorum regionumq; ſitu plurimum variẽt, quippe quę inter Alpes, breuiores, in Germaniæ verò atque Galliarum campis longiùs protrahuntur. Denique eam mihi videtur rationem habuiſſe, vt quantum itineris vna hora obequitando confici poſſet, id ea nuncupatione appellarint, ideoq; cùm difficilior ac perinde tardior ſit ingreſſus per Alpes, Leuguas identidem breuiores conſtituerunt.

Leugua, vulgò, lieuë

SCHOENVS.

SCHOENVS duas occupat paraſangas, quæ ſeptẽ eſſent milliaria. Hæc inter Ægyptiacas menſuras adnumeratur ab Herodoto. Nonnulli ſtadia eum quinquaginta cõtinere tradunt. Plinius ex Eratoſthenis ratione quadraginta tãtùm, qui paſſus eſſent quinquies millia. Aliqui ſtadia XXII. ſingulis ſchœnis attribuêre. Atque ita menſurarum huiuſmodi inconſtantiam diuerſitas authorum fecit, ſiue loca, ſiue tempora rationem hanc omnem variarint, quemadmodũ in ponderibus tanta ſcriptorum diſſenſione omnia conturbata.

HÆREDITARIA PORTIO, SORS VE.

INVITAT verò me nominis ſimilitudo, vt quid Schœni vocabulo ſibi velint Diuinæ literæ, apetiamus. Apud Hebræos enim menſuræ genus erat ſub funiculi nomine nuncupata, per quem portionem eam indicabant, quæ in agrorum diuiſione huic & illi obueniſſet, tranſibatq; vocabulum ad hæreditates & patrimonia. Vnde Moſeos cantico, Deuter. *Funiculus hæreditatis ſuæ Iſraël.* &

Schœni in diuinis ſignificata.

Psalm. 77. *Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Et 47. Ezechielis: *Ioseph duplicem funiculum habet.* & passim multa huiusmodi. Ægyptiis porrò mos, ait Prodicus, vt apud Max. Tyrium est, terram metiri funibus: quod & Hieronymus agnoscit tertio Ioëlis cap. vbi Septuaginta ait transtulisse χείμαῤῥον τῶν χοίνων, quod alij *torrentem spinarum* fecerant, funiculum ait χοίνων, aut iuxta Ægyptios mensuram certi itineris. Vnde in Psalmis: *Semitam meam & funiculum meum inuestigasti. In Nilo enim*, subiicit, *flumine, siue in riuis eius solent naues funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant Funiculos, vt labori defessorum recentia trahentium colla succedant.*

VITÆ PROGRESSVS.

Explicatio versiculi desumpti ex Psal. 139.

QVIA verò versiculum obiter ex tricesimonono supra centesimum Psalmo citauimus, τὴν τρίβόν μου & τὸν χοίνόν μου σὺ ἐξιχνίασας, *Semitam meam & funiculum meum tu inuestigasti*, transtulerunt quidam, *Examinasti*, à vestigio tamen est ἐξιχνιάζω. quamuis qui Hebraicam sequuntur lectionem, grabatum ex iunco factum, non funiculum, intelligere videantur, dum τὸν χοίνόν μου ἐξιχνίασας, *accubitum meum euentilasti*, reddunt. Quinetiam Chaldææ Arabicæq; lectionis traductio in hanc ipsam sententiam habet. Sed &, quando ambulauero in via, aut quando accubuero ad studendum, legi. Sed quoniam Græca lectio iam recepta est, quam, vt plerisque locis apud Hieronymum video, eam esse arbitror quam septuaginta transtulêre, eam secuti, quid in ea hieroglyphici contineretur, exposuimus. Quam verò schœni funiculíve mensuram apud Ægyptios & Persas esse Euthymius tradit, eandem ait nostri propemodùm stadij longitudinem æquare.

STATHMVS.

STATHMVS, quod itineris diurni spatium est, produci fertur stadiis centum & quinquaginta, quæ milliaria essent vndeuiginti, quadrante minus. Nam & Iurisconsultorum tabulæ viginti milliaria diurnis itineribus concesserunt. Iocosè verò Lucianus ὑπὲρ νεφέλῳ ludit, ἑκὰν τριχίλιοι μὴ ἦσαμεν ἀπὸ γῆς σταδίοι ὁρῶς ἡ σελήνη, ὁ μεσοῦτος ἡμῖν σταθμός; *Nunquid tria millia stadiorum sunt à terra, ad Lunam vsque, qui primus nobis stathmus*, id est, *quod itineris spatium vno die peregimus?* Sed vt fabulas omittamus, satius fuerit, tot decursis spatiis commodùm quiescere, quamuis adhuc digiti quoquouersum accepti quasdam habent dimensiones, quarum norma modoq; reliquum totius humani corporis dimetimur, mensura in hoc vel illo membro nunc parte pari, nunc geminata, in pluribus triplici, quippe pollex expeditus, vt suprà innuimus, eiusdem mensuræ est cum infamis dimidio, aure, cum naso, cum fronte & ore, cum infima brachij latitudine, & partibus plerisque aliis. Verùm cùm hæc ad pingendi sculpendiq; artem potiùs, quàm ad suscepti operis negotium pertineant, eã artificibus operam relinquentes, imaginum significata, non artem pingendi, exponere prosequemur.

Luciani iocus.

PIERIVS VALERIANVS
CLARISS. BERNARDINO TOMITANO,
PVBLICO BONARVM ARTIVM IN ACADEMIA PATAVINA PROFESSORI,
de Digitorum numeris & significatis,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXXVII.

MICARE *tecum digitis libet*, TOMITANE *honoratissime. Micare mecum? inquies. Nempe quantacunque sis grauitate præditus, micare tamen libet. Quid enim aliud is, qui per digitorum motus varios, numerorum significationes explicare aggressus fuerit, facere videatur, quàm ridiculis propemodum articulorum omnium gesticulationibus, modò eos porrigendo, modò contrahendo, colludereне dicam, an pueriliter ineptire? & tamen ipsa rei cognitio aliquid habet, quod eruditi quantumlibet viri minimè sint aspernaturi. Quare ausim dicere, aliquid omninò in digitis meis vel ipso Tomitano non indignum, quodq; forsitan emunctissimam eius narem ad libri totius lectionem posit allicere. Multa enim ex eo tempore sunt, quæ temporibus illis beatioribus quibus industria & ingenium in pretio fuerunt, minimè contemnenda videbantur. Sed enim vt quid de huiusmodi argumento sentiam, ingenuè fatear, habet omninò aliquam rerum copiam, & varietatem. Sed exactissimam diligentiam illam, omnia perquirendi quæ in huiusmodi sententiam dici possunt, neque me præstaturum polliceor, cui pleniorem esse, per otium, & tam frequenter infestam podagram, minimè licuerit. Neque tu, qui omnem vitæ meæ rationem optimè nosti, id ab occupationibus meis efflagitabis, eo vno contentus, quòd hoc, qualecunque sit, mei erga te amoris & obseruantiæ argumentum esse voluerim. Cognosco autem ingenium Philosophi, qui tam multa quæ minimè oculis conspicua sunt, ita spectare videatur, ac si rerum suarũ imaginibus conformata, suisq; coloribus picta proponerentur. Animam nemo vidit, quam Philosophus ita intuetur, & ad amussim factam agnoscit, ac si colossus ingens aliquis aut fabrica quæuis admirabili membrorum artificio elaborata esset.*

DE

A

DE DIGITIS.

Digitorum diuisio, & numeratio inusque prium ad peculiare.

RATIONI consentaneum videtur digitos primùm diuidere, & quod illi munus singuli suscipiant explicare, vt ita mox quæ in illis significata reperiuntur aperiamus. Illi enim alio atque alio gestu dispositi, nunc contracti, nunc porrecti, vti profati sumus, modò hac, modò illa manu varias habent significationes, ac omnem ferè numerorum rationem explent, cuiusmodi plurima in antiquorum statuis reperiuntur, & apud scriptores passim offeruntur: quæ non paruam inferant hæsitationem, nisi aliqua eorum ratio, quod facere proposuimus, expendatur. Tota igitur supputationis ratio in tres partes diuisa est, quarum prima digitus, articulus altera, tertia compositus numerus appellatur. Digitus est quicumque numerus sub denario profertur, & huiusmodi puncta vsque nouem, prærogatiua quadam, etiam sub numeri nomine singula continentur. Articulus, qui nullo redundante diuiditur in decadas, è quorum vtroque compositus numerus resultat, quotiescumque scilicet articuli, siue denarij numerum aut hunc aut illum sibi assumunt. Numeri sedem in inferioribus tribus digitis habent. Articuli coniunctim in indice, pollicéque. Compositi & hos & illos, prout vsui venit, aut explicant, aut inflectunt sociali-
ter. His ita constitutis, operæpretium est, quos quisque digitus, quos cuiusque digiti gestus, numeros ostendat, aperire. Primùm autem omnium illud constat, læuam manum omnia indicare puncta ab vnitate, vsque nouem & nonaginta, dextram verò à centenario, vt ita dicam, vsque ad
B noningenta. Sed quibus digitis millenarium à centenario distinguatur, magna est inter eruditos controuersia, dum alij Bedam, virum quidem non ineruditum, sequuntur, alij probabiliorem quandam rationem amplectuntur. Beda enim, si modò ille ita scripsit, centenarium à læua in dexteram ita transferri tradit, vt quo gestu, quibusq; digitis decem in læua numerauimus, eo centum in dextera designemus: inde ad millenaria descendamus, & quibus gesticulationibus in læua numeros vsque nouem ostenderimus, iisdem in dextera totidem millenaria proferamus. Alij naturæ ordinem secuti, vti minores numeri maioribus subiiciuntur in læua, ita minores summas maioribus in dexteras subditas agnoscunt: ea enim proportio est numerorum ad decadas, quæ centenariorum ad chiliadas. Congruum igitur est eorum quoque hieroglyphicorum figuras ad eorum regulam accommodari. Quare perplexitate, quæ in iis quæ Bedæ attribuuntur mentes implicat & obturbat, euitata, ita manus statuendæ, vt veluti in læua cœptum est ab auriculari pro vnitate & sociis; ita in dextera ab eodem digito centenarium exordiamur, vsque ad nonaginta. Millenaria verò per pollicem & indicem exprimamus. Atque vt in læua à numeris per inferiores tres digitos ascensum est ad articulos, ita in dextera per eosdem inferiores à centenariis surrigamur ad millenaria, quo scilicet gestu quibusque digitis in læua decem ostendimus, per eosdem in dextera millenaria explicare incipiamus, quæ circa pollicem & indicem longè commodiùs & conuenientiùs hospitantur. Cuius rei testem appello summæ multiplicisq; doctrinę virum Irenæum Theologum ex antiquioribus, qui aliquot ætatibus ante Bedam claruit, apertè enim hic scribit: VNIVS *numerum, quo gestu significabatur in sinistra, translatum in dexteram centena conficere.* Sed ponam eius verba super hoc gestu, in Valent. libro primo, capite XIII. *A numero nonagesimonono; qui fuit in læua per* VNIVS *significationem, transferri in dexteram, & ibi centena constitui.* Huius sententiam Græci, &
C vniuersus recentiorum vsus admisit, quos inter egregiè princeps Lucas Minoritanus, qui Arithmeticam & partes eius absolutissimè consummauit, eiusq; opus vno omnium ore probatissimum, multis ab hinc annis venit in manus hominum, & habetur in primis. Fuerunt & alij, qui manibus ad hanc seriem, quam ponit Irenæus figuratis, libellos ad mortalium institutionum edidêre. Præterea tota huius hieroglyphici ratio cum Chaldæis ad amussim congruit, mirificéque respondet.

Illi enim totam hanc computandi diligentiam per lineas expressêre, ita inter se distinctas, vt apicibus solùm quibusdam additis, situ tantùm numerorum varietatem indicarent, quaternæ tamen ita positæ, vt prima digitos, secunda articulos, tertia centena, quarta millenaria commonstrarent, eo quidem ordine, vt qui apex surrectus læuorsum vnitatem ostenderat, dextrorsum versus centena præ se ferret: iidem, sed infernè vergentes, læuorsum decem; dextrorsum mille signarent, in eum quem sequenti vides pagina, modum.

D



Ad Chaldæorum igitur normam, manuum digitorumq; supputationes accommodabimus, earum volis altera alterius è regione passis, vt vnitates centenariis, decades millenariis, ad superiorum hieroglyphicorum instar, opponantur.

E



F

Orontis dictum. Quòd verò Orontes Regis Artaxerxis gener, qui ob eius indignationem quandam & honoribus amotus, & ad ignominiam redactus esset, dixerit: *Quemadmodum supputatorum digiti nunc myriadas, nunc vnitates præ se ferunt, ita Regum amici nunc plurimum, nunc minimum præstare possunt*, non est vt quispiam hoc ad Bedæ rationes trahat, quasi Orontes intellexerit de dexteræ læuæque auricularibus, in quibus hinc vnitates, inde millenaria constitui debeant: insulsa enim est imaginatio, cùm Orontes myriadas hîc confusim ad amplificationem oratorio more dixerit, non quòd myriadum hieroglyphica vnitati sigillatim opponere cogitarit, sed in vniuersum hinc læuæ digitos, illinc dexteræ designauit. Obstaret Chaldæis & Persis, Irenæo & aliis, Quintilianus, quem nonnulli ex libro vndecimo citant, eo loco: *Gestus, poculum poscentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorum pollice flexo efficientis.* Quæ sunt à quibusdam scriptoribus notata, ne in rusticis quidem

A quidem vidi. Sed iidem ipsi, qui quingentorum positum volunt, inficiari non possunt, quin eo loco eruditi plerique viri quinquagenarium potiùs agnoscant. Non sum verò nescius nonnullos esse, qui lectionem apud Bedam defendere aggrediantur, quippe quæ in læua denaria sunt, iisdem digitis in dextera centena significare, atque ita per eosdem pollicem & indicem per decadem aggregationem ad noningenta vsque procedendum: mox cùm millenaria fuerint indicanda, ad eiusdem dexteræ inferiores digitos descendamus, quod vel natura ipsa videtur abhorrere. Sanè Hieronymi verba sunt: *Porrò centesimus numerus (diligenter quæso Lector attende) si de sinistra transfertur ad dexteram, & ijsdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læua nuptæ significantur & viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.* Ego, ni fallor, ex his verbis Hieronymum puto eadem tradere, quæ docuit Irenæus, dummodò loco suo sententia commatis additis distinguatur. Sententia quidem Hieronymi est, diligenter attendendum. Quid attendamus? Centesimum numerum de sinistra transferri ad dexteram, & iisdem quidem digitis, non eadem manu circulum facientem exprimere virginitatis coronam. At explicauit se aptiùs, inquiunt, dicens: *quibus in læua nuptæ significantur & viduæ.* Scimus quidem in læua vnguem pollicis ad vnguem indicis, quasi ad osculum molliter applicatum, maritalis coniunctionis hieroglyphicum ab eo viro doctissimo positum, quod loco suo pleniùs commentati sumus. Viduas autem per sexagesimum ostendi, qui numerus per indicem eiusdem læuæ, qui extremum pollicis articulum arctè complectatur, exprimitur. Idem fatentur omnes. Sed Hieronymus, ne fallamur, admonet, transferri numerum centesimum ab læua in dexteram, per digitum & gestum scilicet, qui vnitatem in læua cõstituit, in dextera centena conficiat, atque ita de cæteris. Atque hoc est quod ait, *Sed non eadem manu.* quam manum? eam intelligit qua non vtimur in centenis, cuius scilicet digitis nuptæ significantur & viduæ, quarum manuum hieroglyphica superiùs & explicauerat, & ingeniosè interpretatus erat. Sed quo modo corona hæc

Explicatio loci citati ex Hiero.

B dicet aliquis, circumflectetur in auriculari? Respondemus, si digitum eum ita inflexeris, vt digiti eius vnguis mediæ palmæ tuberculum appetere videatur; id ita coronæ plexum imitabitur, ac si arboris cuiusuis ramulũ ita flexeris, vt cacumen eius ad locum, vnde germinare cœperat, inflexeris. Nam gestus hic, vt quod necesse est identidem repetamus, in læua vnũ significat, centum in dextera, vt singula copiosiùs suis quæque locis enarrabũtur. Nunc quoniam lectorem aspera & morosa forsitan disceptatione delassauimus, libet in huius gesticulationis sententiam lepido Nicarchi epigrãmate aures animúmve aliquantulũ delinire. Locatur enim is in Cotyttarin annosam vetulam, quæ præcano cùm esset capite, multæq; dicacitatis, ac Nestori comparata, nondum eum ita grandæuum esse fineret, quę Ceruos annis superasset, ea ætatem suam læta manu veram dissimulãs inciperet numerare, tamen & viueret, & luminis beneficio frueretur, & firmis ingrederetur pedibus, æquè ac si esset adolescentula. Quare maximè verendum ne Plutoni sinistri aliquid acciderit. Sed Nicarchum ipsum audiamus, quem falsò quidam Nicandrum vocant:

Nicarchi iocus in Cotyttarin.

Ἡ πολιὴ κερδῴοισι κοτυλαρὶς ἡ πολύμυθος
χρᾶια, εἰ ἦν Νέστωρ οὗτε ἔτι πρεσβύτατος.
ἥρως ἀθρήσας ἐλάφου πλέον, ἢ χερὶ λαμῇ
γῆρας ἀριθμεῖται δεύτερον ἑξαμβύνη,
ζώει, ἣ λοῦσα καὶ ἀστίπτου διάτε Νύμφου
ὡς τέμε διστάζειν μήτι πέπονθ' ἁδής.

C Quòd si quis Epigramma ipsum Latinè sibi cani postularit, id huius est sententiæ:

Multum garrula anus, caput omne Cotyttaris alba,
Propter quam Nestor non sit adhuc senior,
Quæ Ceruos annis superarit, quæq; sinistra
Vitæ iterum cæptet connumerare dies:
Viuit adhuc, cernit, pede firma est, virginis instar,
Plutonem vt dubitem passum aliquid grauius.

Et quoniam in Nestoris ætatem incidimus, synepœia postulat, vt quatuor etiam Iuuenalis carmina subiungamus:

Rex Pyllius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à Cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per secula vitam
Distulit, atque suos iam dextra computat annos.

VNITAS.

SED iam strato itinere, sopitisq; controuersiis, ad ea quæ liquida manifestaq; sunt procedamus, digitósque ipsos erumpere gestientes è carceribus emittamus, primíque spatia corripiant auriculares, alter & alter, quorum qui in læua est vno omnium consensu vnitatis indicium est, si vnguiculum ad medium volæ tuberculum aduertat, quasi coronam quandam flectere meditetur. Itaque si fasces à dextera alicuius statuæ fuerint, læuâ verò eo gestu prætendatur, primi Consulatus hieroglyphicum apparebit, vel si alia fuerint insignia alicuius honoris indices, primùm eò potitum ostendet, atque ita de reliquis.

CENTVM.

D

Virginalis numerus.

AB hoc læuæ digito ad eundem dexteræ conuersi, eodem gestu quo illo vnum, hîc centum, vt iam constare potest, significari profitemur. Neque id prætereundum, quod centenarius numerus, Virginalis, vt sacrarum literarum interpretes tradunt, appellatur: de quo apud Matthæum habetur cap. XIII. Quandoquidem iis qui vitam rectè, piè, sanctéque instituerunt, tria sunt proposita præmia, vel fructuum prouentus, aliis tricenarius, aliis sexagenarius, aliis centenarius. Tricenarius quidem iis qui maritalem, secuti vitam, eam coniugio minimè contaminato peregêre: nam numerus ille, vt loco suo dicetur, aptus nuptiis. Sexagenarius iis, qui viduitatem aut cœlibatum incorruptè atque integrè custodierunt. Et sexagenarium annorum numerum viduitatis esse identidem ostendemus. Centenarius demùm iis, qui virginitatem intaminatam incolumemq; ad vltimum vsque vitæ terminum seruauêre. Eucherius centenarium hoc præmium non tantùm ad virginum merita, verùm etiam ad martyrum mercedes præmiaq; proposita contendit. Hierosolymitanus Hesychius, perfectissimum, ait, centesimum ideò concipimus, quia quinquagesimus, quæ spiritus sunt, amplectitur, vnde Pentecoste Spiritui sacra. Bonorum verò operum fructus, qui messem omnem excellit, in Euangelica lectione ad centesimum vsque cumulatur. Adamantius quoque numerum hunc plenum in omnibus atque perfectum autumat, aitq; totius rationabilis creaturæ sacramentum intra se continere.

DVO.

AD læuam autem, vnde digressi sumus, reuertentes, si vti de vnitate dicebamus, aut Consul, aut Imperator, aut Dictator, vel quid hniusmodi fuerit, qui dignitatem eandem sibi accessisse indicare voluerit, non insulsè staruam ponet, in cuius manu læua anularis digitus eodem inflectatur modo, atque eodem loco cum ipso minimo applicetur. Duo enim vel bis, vel iterum, eo gestu exprimi manifestum. E

CORPVS, VEL IMMVNDITIA.

Dualis numeri mysticus sensus.

IPSE verò dualis numerus mystico significato corpoream indicat naturam, & pro immundis accipitur in sacris, quòd is numerus sociandis generandisq; corporibus aptari solet, de quo videndus Adamantius lib. III. in Epistolam Pauli ad Romanos, vbi de propitiatorio loquitur. Summonet D. Hieronymus in hanc sententiam aduersus Iouinianum, animaduertendum esse iuxta Hebraicam veritatem, in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die, expletis operibus singulorum subiectum esse: *Et vidit Deus quòd esset bonum*, in secundo verò, die hoc omninò subtractum, vt admoneremur non esse bonum duplicem numerum, quòd ab vnione diuidat: nam vnitas tota Dei est, dualitas verò significet hieroglyphicè fœdera nuptiarum, quibus vbiq; Hieronymus paulò se infensiorem ostentat.

DVCENTA.

EODEM verò ipso gestu quo in sinistra DVO, in dextera digitus idem DVCENTA significat.

III.

MEDIVS autem, quem nonnulli Medicum, plures Infamem & impudicum appellant, ita penes duos inferiores adcuruatus, ac si citharæ cuiuspiam filo vna serie gestuq; apprimendi essent, ternarium effingunt numerum. Quódque superiùs de titulis & honoribus attigimus, vbi tergemini cuiusquam notandi essent, hoc assumi potest hieroglyphicum.

ANIMA, DEVSVE.

F

Ternarius numerus.

SED ipse etiam numerus suum habet significatum, quippe qui incorporeæ naturæ consecratus, nunc animæ, nunc Dei simulacrum, hieroglyphicumque est, de quo multa Pythagorici, multa etiam veteres Theologi disputarunt, quę breuitatis causa sunt prætereunda. Illud tamẽ non omittam, Propitiatorium in diuinis institutionib. longitudine duorum cubitorum & semis fieri demandatum, vt id Christum hominem significaret, quod & apud Paulum epistola ad Romanos habetur, qui quidem licèt verus esset homo, quem prõposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine eius, aliquid tamen habuit quod humanam excederet naturam, tria tamen non exæquaret: nam pater eo maior est. Sed si quis hæc apertiùs declarari sibi voluerit, ad eius epistolæ interpretes accedat. Quòd verò paulò antè binarium malum esse dicebamus, sacerdos Heli, cap. III. 1. Regum, dualem numerum pessimi spiritus esse suspicatur, vti Dei ternarium. Nam cùm Angelus Domini Samuelem bis vocasset, tertiã vocationem expectandam duxit, vt vocẽ diuinam esse cognosceret.

CCC.

EODEM gestu digitóque quo tria in sinistra, CCC. in dextera significantur. Sed & vocabulum ipsum suas habet significationes. Trecenta siquidem pro magno admodùm numero ponuntur, vt apud Catullum: *Expecta hendecasyllabos trecentos, quos simul complexa tenet trecentos*, & multa huiusmodi, etiam apud alios: *Et tercentenas erroribus impleat vrbes. Tercentum niuei tondent dumenta iuuenci. Tercentum tonat ore deos.* Sanè cùm superiùs centenarium plenum atque perfectum numerum esse ostenderimus ex Adamantio, eundem triplicatum supremum, quid significare nulli dubiũ relinquitur. Sed tercenteni in Arcæ longitudine cubiti, ostendunt hominẽ qui sit à centenario lapsus, hoc est, qui à tota rationis summa per ignorantiam decidetit, facilè posse per Patris, & Filij, sanctiq; Spiritus cognitionem in trecenta restitui. Hîc autem animaduertendum est, posse nos gestuum conformationibus illud confectari quod ait Plinius libro XXXIIII. cap. VII. Ianum à Numa rege dicatum digitis ita figuratis, vt CCCLXV. dierum nota, per significationem anni, temporis, & æui se Deum indicaret.

CCCLXV.

Pliniani loci explicatio.

CVM itaque Plinius dicat, *digitis ita figuratis*, verisimile non est, quod nonnulli putant, in dextera insculptam fuisse literam T, quæ apud Græcos trecenta significat, in læua verò Ξ & E, quæ sexagintaquinque supputant. Dicamus igitur eius statuæ dexteram eo gestu figuratam, vt ea exporrecta tres inferiores digitos graduum in morem incuruatos haberet, qui gestus, vti dictum, trecenta signat; læuam autem, vt paulò inferiùs patebit, ita conformatam, vt index pollicis vngui circunductus, arctissima eum circulatione complecteretur, infamis verò mediam palmam versus adcuruaretur, duobus reliquis extantibus quantulumcunque porrigi potuerint ita enim quinque & sexaginta describi: annum enim ad huiusmodi dierum numerũ intelligi debere ciuiliter Pandect. vltimo Paulus ait. Et intercalarem, quo scilicet bis sexto calendas Martias dicimus, quarto quoque anno nihilo secius eodem dierum numero supputari, manifestum, quia duo illi dies vnius vice habentur, nec interesse ait Celsus, vtrùm priore an posteriore die quid actum sit.

IIII.

TRIVM igitur numerorum gestibus ita positis, insequentium aliorum trium ridicula propemodùm sese offert gesticulatio. Nam quatuor exprimere cùm volumus, minimũ sustollimus, B reliquis in incuruatione sua permanentibus. Ita *quartum Cos. Imp. Dict.* & reliqua.

CCCC.

EADEM ratione modoque in dextera iidem compositi digiti, CCCC. constituunt. Nec super hoc aliud ad negotium.

V.

Quinarij numeri hieroglyphicũ.

QVINQVE autem, aut quinquies ostendere qui volunt, annularẽ & minimum exporrigunt, impudicum palmam versus incuruant, vti in Iani statua dicebamus. Neque quidem hoc tantùm signo quinarium significabant Ægyptij, verùm etiam per sculptæ Stellæ hieroglyphicum, propterea quòd, vt Horus ait, ex innumerabili stellarũ multitudine quinque tantùm sunt ea prærogatiua præditæ, vt mundi, quod illi aiebant, curam gererent, humanis rebus omnibus consulerent, nihilque apud mortales fieret, quod ab earum arbitrio non pendêret. Ego, si mihi dicere liceat, de sumptum puto à radiorum numero, quo Stella piscis insignita est, quod & Naturalis historiæ scriptores tradunt, & ego in Anconitanum littus eiectas magno numero conspexi, & manibus meis attrectaui. Sedenim de hac plura loco suo in Cœlestibus enarrabuntur.

SENSVS.

Quinarij numeri mysticus sensus.

SED & ipse quinarius numerus quomodocunque descriptus figuratúsve, suam habet hieroglyphicam in sacris significationem: pro quinque enim sensibus accipitur. Vnde illud Ambrosij peruulgatum de quinque virginibus prudentibus, & totidem fatuis. In antiquioribus verò Mosaicæ legis præceptis, qui peccasset in sanctis, tantundem reddere iubebatur, & ad illud quintas adiicere, quod in exemplaribus Græcis πλημμύριον legitur, vt scilicet ita intelligamus: *Si quis de sacris vel oblationibus vel muneribus in vsum pauperum erogatis, aut pro templi ædificatione, alteriúsve voti operis, designatione datis, quinque interuertisset, oportere eum quinque sarta tecta reddere, mox peccati veniam imploraturum πλημμύριον adijcere, hoc est, & altera quinque & aliquid insuper auctarij.* Quam sententiam Cyrillus C examinans ita meditatur: *Si quis*, inquiens, *quinque sensuum opus peruerterit; & debito honestoq; vnumquemque officio defraudauerit, oportere eum synceros illos, & integros Deo restituere, mox alios quinque interiores adijcere, & horum omnium denique summam & solidationem quanquam superaddere, firmum scilicet bene agendi propositum, si Deo satis ex asse facere voluerit.* Eodem facere videbitur, quòd ab vno mense ad quintum vsque annum didrachmæ quinque, hoc est, vt Hierosolymitanus Hesychius interpretatur, quinque sensuum perfectio, sit oblatio, quæ ideò per geminatum numerum exprimitur, vt intelligamus, ea quæ puer sensibiliter audit, videt, gustat, odoratur, & tangit, ea etiam conduplicet, dum ad intellectum ea accommodare fuerit institutus.

QVINGENTA.

IDEM gestus ex. iisdem digitis in manu dextera, quingenta supputat.

VI.

ANVLARIS verò in læua solus incuruatus, auriculari & aliis exporrectis, senarium ostendet, de quo multa apud Macrobium libro sexto.

SEXCENTA.

IN dextera verò eodem, depositus modo sexcenta colligit, qui numerus apud Latinos pro maximè ingenti copia, numerosissimaq; multitudine, ac propemodùm infinita, hieroglyphicè proferri solet. Ad Atticum Cicero: *Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas vno tempore accepi.* Ad eundem idem: *In quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas, sexcenta præterea alia.*

Lepideque Plautus, Captiuis, *Sexcentoplago* nomen fecit illi, cui plagæ innumeræ nunciabantur. D
Sed ne sexcenta eiusmodi proferam, ad reliqua enarranda progrediar.

VII. DCC.

BIs iam trium digitorum spatiis decursis, tertium iterabimus, quod palmam mouear. Facta igitur ad auriculare repetitione, eum dicimus, quantulumcunque potrigi potest, ad imum vsque palmæ tuberculum appressus, septenarij numeri signum esse. Et in dextera, sepies centeni. Eo verò gestu componendo medius quoque adflecti cogitur, ac veluti gnomon horarius supra anularem prominere, vt ea sit eius digiti figura, quam trapezitæ nunc in septenario notando delineant, in hoc scilicet signum 7.

CENTVRIO.

Nota 7. Centurionis signum.

AC, ne leue quid attigisse videamur, eadem trapezitarum nota in plerisque veterum monumentis adsculpta, centurionis signum habebatur. Ostendit mihi Romæ vetustum admodùm monumentum ex marmore Thomas Petrosanctius, vir antiquitatum huiusmodi studiosissimus, in quo & signum id incisum erat, & verba rem interpretantia, in hunc modum addita.

SIGNVM CENTVRIONIS, 7.

ET Bononiæ inscriptionem vidimus ad D. Petronij ædem, in qua signum idem eodem significato incisum spectatur. Romæ etiam apud Paulum Cæsium Cardinalem inscriptionem vidi eius notæ, quæ sic incipit:

M. POMPEIO. M. F. ANI ASPRO. 7. LEG. XV.
APOLLINAR. 7. COH. III.

& quæ multa ibidem insculpta sunt militaria, de quibus in Armorum commentario abundè meminimus. E

DEVS.

Septenarij numeri prærogatiua.

NON erat autem otiosum Septenarij nomen, quod hieroglyphicum esse Dei Philolaus asseuerat, quippe quòd ea sit eius numeri prærogatiua, vt ipse sibi similis, alter ab aliis sit, veluti Deus dux & princeps & vniuersorum solus semper singularis & immobilis. Inter enim ea quæ intellectu percipiuntur, septenarius sine motu est, neque quicquam patitur. Nam alij numeri partim generãt non geniti, partim generantur, cùm minimè generent, alij vtrunque obeunt munus, solus verò septenarius vtriusque conditionis immunis. Vnitas quippe à nullo prorsus genita, numeros omnes quotquot habentur, generat. Octo verò generantur à bis quatuor, nullum autem generant. Nam numeri hic infra denarium intelliguntur. At quaternarius eorundem & parentum & liberorum ius obtinet, octonarium quippe gignit, à bis duobus ipse genitus.

PALLAS.

QVORVM cùm nihil accidat septenario, quòd sine matre sit, quodq; virgo Palladi assimilatur, & quorundam symbolico hoc vtentium idiomate mos fuit summi Dei sapientiam vocabulo signoq; Palladis interpretari, quanquam vbi figuras mathematicas aliquot hoc commentandi genere declarauimus, ternarium & quæ septenarius significata habeat in Diuinis literis, dicenda sunt, hîc satis fuerit pauca hæc attigisse.

OCTO. OCTINGENTA.

MEDIVS itaque auriculari adiectus, ita vt vnà cum eo extremam volæ partem apprimat, octonarij numeri hieroglyphicum erit in læua, in dextera octies centena recensita indicabit. F

IX. CM.

MEDIVS demùm ad extremam palmæ volam vnà cum duobus inferioribus applicatus, ita vt totam obtegant, nouem in sinistra constituit, in dextera nouies centena.

MVLTITVDO.

Nouenarius numerus.

EST etiam nouenarius ipse numerus hieroglyphicus, quippe qui se non intra cutem cõtineat, sed effusus plurimos significet, quod Theon obseruat in Arati carmine, ἐννεάγηρα κορώνη, *non quòd nouem*, inquit, *ætates viuat, sed quòd per quandiu*, vt Tibullus,

Viuere Cornices multos dicuntur in annos.

Apud Nicandrum ἐννεαπέντεον leges, pro, *aliquot præditum aculeis*. Idem ἐννεαδέσμους σφονδύλους in Scorpij cauda ponit, cùm septem tantùm in ea compages enumerentur. Pro multis igitur nouem posita interpretes agnoscunt, de quo satis in Scorpij commentario. Quin & Alcæus Hydram ἐννεακέφαλον eadem ratione dixit, cùm Simonides eam πεντηκοντακέφαλον tradat. Quem imitatus Maro, ita super ea:

Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra.

Ad hoc etiam facit, quòd Hesiodus nouem inquit noctes Iouem cum Mnemosyne iacuisse, vnde Musarum prolem susceperit. Oportere enim, aiunt interpretes, eum diu studiis incumbere, qui sit mox aliquod ingenij atque doctrinæ memorabile testimonium relicturus:

--Nam decem Bos luca per annos
Parturit, ingentem prolem paritura, nitensq;
Dentis ebur, decora ampla viru̇m, decora ampla Deorum.

DENA

A DENA.

POSTQVAM igitur digiti tres inferiores triplici decursu ludi sui partes peregêre, athletas nunc spectabimus, pollices quippe, indici vnumquemque suo commissos, varia quorum colluctatio à læua theatri parte per decadum campum, altera verò ad dexteram lucta per numerosissimas chiliadum arenas exercebitur. Erit igitur conflictus primus, læuæ index in primam pollicis sui suffraginem vnguem affigens, quem attractus pollex ita vrgeat, vt colluctatorem strangulatione quadam elidere videatur. Hieroglyphicum hoc denarium, alterum verò ad dexteram millenarium recensebit. De denario locus patescit apud Apuleium Apologia: *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueras digitos aperuisse.* Quo verò pacto digiti tricenario aperiantur, loco suo dicemus. Apud Horum Niliacum inuenias lineam vnam surrectam cum alia supernè deiecta, vel incumbente, decem linearum quæ in plano ducendæ essent, hieroglyphicum esse. Puto ego hunc exprimere voluisse denarium numerum, cuius scilicet denæ vnitates per lineas totidem significari, tanquam per puncta, solitæ essent, quæ apud Ægyptios eiusmodi tantùm figura comprehenderentur: compendiosam enim rationem aliquam in numerorum notis nationes omnes, quæque suam, excogitarunt. Omninò enim codices quos inspexi omnes eo loco mendosi sunt, præsertim impressi, qui sic habent, γραμμὴ ὀρθὴ μία ἄμα γραμμῇ διπεκαμμένῃ δέκα γραμμὰς διπλέδας σημαίνουσι. Sed & in manuscriptis aliquid desideratur, quorum minus corrupti ita habent, γραμμὴ ὀρθὴ μία ἄμα γραμμῇ διπεκλιμένῃ, ἢ (hic vacuum relictum) ἢ δέκα γραμμὰς διπλέδας σημαίνουσι. quorum hæc est sententia: *Linea vna recta, vnà cum altera supernè sibi adscita linea, vel* (hic vacuum) *vel decem lineas planas significant.* Puto autem lineas illas ita ducendas ⊼. Nam aliquid simile
B apud nos est, cum linea plana supernè ducta, cui puncta numeralia subiiciantur, quæ singula vnitates ostendant, duplicatum numeri tantundem significat, quot sunt signa, quæ planæ illi lineæ subdita conspiciuntur, vt IIII VIR. aut IIII VIR. pro Sex. vir, & Decemuir. In Ægyptiaco verò signo, superior illa linea producta ostendere videtur, licèt vna tãtum signata sit, x. tamen sibi vnitates adsciscere. Quod verò de duplicandis punctis dicebamus, multis potest veterum inscriptionibus confirmari, sed vnam tantùm exempli loco ponam, quam Venetiis apud clarissimum virum Danielem Ranerium Senatorem, antiquo lapide ita notatam inspexi, IIII VIR. quod tantundem est, ac si DECEMVIR scriptum esset. Intelligendum enim est puncta illa quatuor, linea illa supernè ducta duplicari. Quod verò ad Horum attinet, id ideò apposui, vt castigatiorem codicem quærendum admonerem. Nec me latet Probum de notis antiquorum, eius lineæ supernè ductæ signum ad millenarium vsque prouehere, sed in eo libro multa sunt multorum arbitrio, atque etiam errore, inculcata, neque rei cuiuspiam sana intelligentia magis nostro tempore desideratur, quàm inscriptionum eiusmodi vera cognitio. Ad id verò quod suprà læuæ pollicem indici, quippe decadas chiliadibus, respondere asserebamus, Romani quoque ad Ægyptiorum, Chaldæorum, Persarumq; imitationem, cùm decem significarẽt, per x. duplicem literam suam, quòd decussatio, qua insignis est, locutionem denarij saperet, mille facturi, litera eadem in suo iure conseruata, capite tantum à dextera læuaq; oppositis semicirculis, cuiusmodi alij apostrophos, alij, vt Victorinus, Sicilicos appellauerunt (ut enim sicilicus ponderis certi mensura, quæ signo hoc ↄ figuratur) coniunxêre. At ita ex X. litera, vt dictum est, sua ∞ millenarium hieroglyphicum formauêre, vti quo gestu læuæ digiti decem ostendunt, eodem dexteræ mille proferunt. Quamuis Priscianus, qui nihil non arrogat Græcitati, id secundum Atticos, quibus χίλια mille sunt, factum velit: atque ideo, veluti illi ad
C hunc numerum prima tantùm nominis litera vsi sunt, quippe x. ita nos M. pro mille posuerimus. Sed hoc non vincit, quin notam eam, quam suprà posuimus, à sua potiùs litera quàm à græcanica Romani desumpserint. Non est autem hîc prætereũdus Ciceronis locus, epistola ad Tironem, quę incipit: *Quid igitur? non sic oportet?* vbi in vulgatis codicibus scriptum, *Helluo nequissimus sestertia* C C. *dabat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa.* In venerandæ antiquitatis codice bibliothecæ Mediceæ, ita Florentiæ scriptum obseruaui: *Helico nequissimus* H-S. ∞ *dabat*: id, *sestertia mille dabat*, indicat. Idem hieroglyphicum in multis antiquorum memoriis animaduerti, notumque est Rauennæ marmor vetus ita inscriptum: OB MEMORIAM PATRIS SVI DEC. VII. COLLEGII FABR. M. R. H-S. ∞ N. LIBERALITATE DONAVIT. & quæ sequuntur: hoc est, *Decurionibus septimi collegij fabrum municipij Rauennatis sestertia mille numum.* Hæc verò etiam apud antiquarum inscriptionum impressores ineptissimè corruptissimeq; edita sunt. Idem in antiquis inscriptionibus indicant ⋒. & ⋔. de quibus loco suo, vbi quinquagenarij numeri hieroglyphicum prosequemur. Sunt qui millenarium numerum, per miliariæ spicæ hieroglyphicum indicent, neque quidem authores absunt, qui genus id segetis nomen à maximo granorum numero, mille scilicet, accepisse tradant, vt in spica dictum.

X, nota apud Romanos acceptio.

XI. XII. & reliqua.

HIS igitur eo gestu constitutis, vbi accidisset vt denariis reliqui etiam numeri infra x. adiungendi essent, trium illi, vt ostensum est, inferiorum digitorum flexionibus porrectionibúsve significabantur: Vndenarius quippe, indice ac pollice pro decem circularis, auriculari mox eo loco, vbi vnum significat, adflexo: Duodenarius, firma denarij circulatione permanente, annulari

Vndenarij duodenariúve hieroglyphicum.

ad

ad auricularem adiecto. Ita reliqui numeri vsque ad vnum de viginti, prout per inferiores digitos D ostendi, satis explicatum.

XVI.

QVONIAM verò sextodecimus numerus inter hos collocatus est, eiusque significatio magni apud Ægyptios momenti fuit, & iam constat numerũ eum per medium molliter inflexum, & indicem & pollicem circulatos significari, nunc quid ipse sibi velit numerus, videamus.

VOLVPTAS.

Cur voluptas per numerũ XVI. significetur.

SANE quidem Ægyptij sacerdotes per eiusmodi numerũ eo, vti verisimile est, gestu signatum, voluptatem præcipuè Veneream indicabant. Ab eo siquidem annorum numero adolescentuli ad mulieres consuetudines, & oblectamenta nequitiæ incœptant animum applicare, licèt ad ter septimum vsque annum semen infœcundum esse dicit Aristoteles. Quod si prolificum sit, vel exigua, vel imperfecta generari autumat. A bis septimo autem anno pruritu Veneris incitari vult, à quo etiam tempore pubescere primùm incipit, stirpesq; imitari, vt Alcmæon Crotoniata ait, quæ semen laturæ florescunt priùs. Atque hic ille est ætatis flos, de quo sæpius apud authores, vt apud Terentium: *Annine sexdecim, ætatis flos ipse.* Et Ouid. Philosophiæ istiusmodi non ignarus, cùm Narcissum ostendere vellet eius esse iam ætatis, vt amoribus dare operam posset, ait:

Iamq; ter ad quinos vnum Cephisius annum
Addiderat.

Indicium autem incœpti coitus est vox crassior & inæquabilis, quæ secunda ferè omnibus hebdomade, vel saltem incipiente tertia, euenit, & subalaris odor. Aristoteles id τραγίζειν appellat. Antiqui nostri, vt Censorinus ait, Hirquitallire dixerunt, & quibus corpus olere incipiat, Hirquitallos. Nam annorum quatuordecim vel παῖδα, vel φῆβον appellabant, ad sexdecim verò ἔφηβον, vt Terentianum illud obiter interpretemur, *Postquam is excessit ex ephebis.* quanquam ἔφηβος quoque vnica locutione Græcis dicitur de grandiore iam adolescentia. Adstipulantur huic Ægyptiorum commento Astronomorum traditiones super ætatum affectibus: illi enim Lunam ad quintum vsque annum infantem propemodùm ductare dicunt; decennium inde Mercurio adscribunt, vnde illud eius ætatis studium rerum plurimarum, & mutabilitas, & inconstantia, vt modò hoc, modò illud appetant, hinc gestiunt paribus colludere, temereque iras colligunt atque ponunt, &, vt Horatius ait, *mutantur in horas.* Mox hominem sextodecimo ætatis anno in Veneris ditionem deuenire asserunt. Ad hunc vsque annorum numerum & Seruius Tul. & Terentius Varro pueritiam protraxere. Nam Rex in Institutionibus suis pueros ad sextumdecimum vsque ætatis annum appellauit, ad quintumdecimum Varro. Iuniores ille à sextodecimo ad sextum & quadragesimum vsque dicit, adolescentes hìc ad trigesimum vsque. Quod reliquum est ætatis apud illum seniores habentur. Apud Varronem à tricesimo ad quintum & quadragesimum, iuniores, inde seniores, ac demùm senes appellantur. Diuersa hæc aliquantulum ætatis descriptio apud Pythagoram, qui vitam hominis quatuor ætatibus dispescit, viginti vnicuique annos impertiens, pueritiæ quippe, adolescentiæ, iuuentuti, quam Latini Virilitatem potiùs appellarunt, ac senectæ demum, quas totidem anni temporibus æquiparauit, vt suo loco singula tractauimus.

EXCESSVS.

PRÆTEREA sciendum est, hunc quoque numerum ex eorum esse classe, qui multitudinem excessúmve significant. Cùm enim dicimus sedecim pedibus superare, intelligimus maximo excedere interuallo. Vsurpatum ab Aristide, qui Periclem dixit ἑπταίδεκα πόδων αἰρίνειν τῷ ῥήτορας ἐν τοῖς λόγοις. Ab Eupoli, vt Bruto ostendit Tullius.

XX.

Signũ numeri xx. & xxiii.

CVM verò xx. significare vellent, pollicarem vnguem infimæ indicis suffragini (vt hoc pro re vtar vocabulo) adprimebãt, vbi scilicet index ab infami incipit separari. Beda verò, cuius codicem in damno esse suspicor, non enim adduci possum virum tam eruditum ita scripsisse, vt infamem hieroglyphico eiusmodi admisceret, quippe qui apud eum scriptum legerim, impudici summitatem inter nodos indicis & pollicis arctè figendam esse: quod si quis facere meditetur, id subsequetur incommodum, vt neque quo pacto possis tria & viginti commonstrare, neque vnum de triginta repræsentare, & alia multa eiusmodi, cùm in xxiii. ostendendis tres illi inferiores digiti arctiùs contracti, lineæ, quæ palmæ eiusdem flexu media fit, ita applicandi sint, vt trium graduum speciem præ se ferant. In nouem verò & vinginti notãdis, iidem digiti quantum exporrigi possunt, ad palmæ vsque radicem apprimantur. Quare necesse est decadas omnes, indicis & pollicis tantùm gesticulationibus explicari, nullo eorum in societatem admisso digito, qui partem eam quæ Numerus vocatur, indicent. Ac ne quis authoritate cuiuspiam decipiatur, Erasmus ille multiscius, qui scholiis in Hieronymum ad Iouinianum, vbi de virginitatis agitur hieroglyphico per coronam expresso, inepta quædam somniauerat, quæ nemo vnquam eruditorum cogitasset: cùm errorem mox recognouisset, dum cognitiora, vt ipse dicit, traditurum se profitetur, loco hoc impegit in Bedam, imò in vitiatum Bedæ codicem. Eandem iacturam fecit in quinquagenarij nota, cùm apud Bedam scriptum sit corruptissimè de ϙ Græcæ literæ similitudine, quod loco suo, suæ dabitur luci.

Curæ

VOT. XX.

CVRÆ pretium mihi videtur, anteaquam vicena hæc amittam, quid sibi velint notæ VOT. XX. in numis & aris, vel vt vulgus ait triumphalibus arcubus, explicemus. Dicimus itaque fieri solitum id in salutis augurium, cùm scilicet S. P. Q. R. vouebat hæc vel illa sacrificia se laturos, lúdósve celebraturos, aut ædes dedicaturos, si præscripto annorum spatio Respub. in eodem statu permansisset, quo tunc florebat cùm vota suscipiebant. Hinc apud Cornelium Tacitum legas, salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari placuisse Claudio Imperatori. Fuisse verò salutis augurium in hunc modum, ait Dion, vt si Deus permittat, salutem populo poscerent, quasi ne salutem quidem à diis petere fas sit, nisi priùs hoc ipsum dij cõcesserint. Obseruabatur autem quotannis dies vna in qua nullus ad bellum exercitus proficisceretur, nemo contra hostẽ se pararet, nemo pugnaret, quod in bellis ciuilibus haudquaquam obseruari poterat; hoc salutis auguriũ, cum aliis cæremoniis iam abolitis, restituit & Augustus Cæsar. Apud Liuium sæpe reperias vota eiusmodi facta. In ara siue arcu Constantini Romæ VOT. XX. scriptũ, aspicias. In numo Maximiani Pœni VOT. XX. in media laurea positũ. Ita plerisque aliis locis & numis, VOT. X. alibi, VOT. XXX. votis quippe decennalibus, votis vicenalibus, tricenalibus, reatum scilicet voti solutum, quod ita postea posteritati commendabant, factis aut ex ære aut marmore monumentis. *Maximiani Pœni numus.*

MVLTITVDO.

ILLVD autem scitu non indignum, quòd vicenalis numerus multitudinis significatum habet; de quo apud Theocritum legas:

ἦ ἔκτωρ ἰκάδας, ὁ γεραίτερος εἶκατι παίδων.
Viginti natorum Hecubæ neque maximus Hector.

Vbi Poëtam numero abusum aiunt interpretes pro multorum, propterea quòd sit numerus multitudini maximè congruus, quod etiam apud Simonidem obseruarunt. Homerus in eiusmodi significatum Vndeuiginti posuit, quod Latini vno minus viginti dicere consuerunt.

DVO MILLIA.

VIGENA superiùs eo gestu figurari ostendimus, cùm pollicis læui vnguem in eum indicis & infamis infimum locum, vbi digiti illi duo diuaricari incipiunt, affixerimus. Idem gestus iisdem digitis in dextera duorum millium est hieroglyphicum. Neque vltra repetemus, quæ super hoc gestu perperàm à quibusdam aliis excogitata sunt. Sed ad calcem festinantes, triginta iam & ter millia proferemus.

XXX.

TRIGINTA, vti ex Apuleio dicebamus, in denario indicabantur, indice & pollice adapertis; ita tamen vt vtriusque vngues ad oscului quodammodò coirent blando inquit amplexu Beda. Hieronymus eorum digitorum coniunctione molli.

NVPTIÆ.

Tricenarij numeri in sacris acceptio.

EST verò numerus tricenarius nuptiarum hieroglyphicum, vt sacri Euangeliorum interpretes super Matthæo, affirmant, quod non multùm abest ab eo numero per quem Ægyptij maritalem copulam, siue, vt apud Horum est, maris & fœminæ congressum significabãt, geminæ quippe voluptatis interuentu. Nam cùm numerus, vt paulò antè dictum est, XVI. voluptatis signum haberetur, illi mox duo atque triginta nuptiarum hieroglyphicum esse constituerunt. Nuptiæ verò coniugalisq; coniunctio eodem hîc significato accipiuntur. Qui quidem congressus vtrique voluptuosus, cùm, vt Ouidius diceret, *vtrinque resoluat*, geminari identidem poscit ipsum voluptatis signum. Atque hoc illud est in Diuinis quoque literis, quòd trigesimus annorum numerus pro maritali copula ponitur. Vnde fructus ille trigesimus, qui offertur Deo, cùm coniugalis vita castè puritérque, & nulla alterutrius partis iniuria cum fide peragitur. Commodè verò fecerimus, si rem huiusmodi sculpturi, eam non ex duplicatis XVI. vel ex integro XXXII. fecerimus ac manum ipsam ea specie composuerimus, vt XXXII. repræsentet, vnguibus, vti dictum est, læuæ manus duobus illis ad oscului coëuntibus, anulariq; & auriculari in flexum palmæ appressis, vt duo significent addita tricenis.

TERNA MILLIA.

IDEM gestus in dextera, qui XXX. in læua commonstrarat, tria millia significat. Quæ fuerint verò apud Romanos millenariorum notæ, quæ paucissimis ætate nostra patuerunt, quæ earum ratio, in quinquageno & quingenteno numero copiosiùs explicabimus.

XL.

Nota significãs, quadragenarij numeri.

QVÒD si pollicis eiusdem suffragio lateri vel dorso in læua eiusdem indicis superinducta sit, ita vt signo ✢ facto digiti ambo quantum fieri poterit extendantur, indice tanquam horologij cuiuspiam gnomone prominente, quadraginta significabantur. Atque hoc illud est quod apud Apuleium habetur: *Cum verò* XL. *quæ facilius cæteris porrecta palma significantur, ea* XL. *tu dimidio auges, non potes digitorum è gestu errasse, nisi fortè triginta annorum Pudentillam ratus, binos cuiusque anni Consules numerasti.* Hæc ille disputat oratione secunda pro seipso, vbi Pudentillam quadragesimum annum non excedere contendit, quam Æmilianus iam sexagenariam deposuerat, ideoq; nefas esset eam ad nuptias solicitare, quando, vt sacri etiam interpretes aiunt, sexagenarius numerus

merus viduitati sacer est,vt paulò infrà loco suo pleniùs.Facit & ad virum hic annorum numerus. D Nam Philon problemate proposito, *Quare Isaac quadragenarius Rebeccam duxit?* tempus id congruum maritali copulæ ait sapienti viro, idque fieri boni ominis causa, quia semen in vulua reconditum quadragenis diebus in masculum figuratur. Esaus quoque quadragenarius Iudithen vxorem accepit.

IGNOMINIA.

Mystica quadragenarij numeri significationes.

APVD Hebræos verò in flagris quadragenarium numerum vel vno excedere infame habitum, & pro ignominiæ nota accipiebatur. Vnde illa in Actis v. *Illi autem ibant gaudentes à conspectu Concilij, quòd digni habiti essent, qui pro nomine Iesu contumeliam paterentur.* Verbum autem Græcum illud ἀτιμασθῆναι, habet in se aliquid, quod infamia notatum indicet, sed & intestabilis sit, & ad honores non ampliùs idoneus haberi possit. Apud Hebræos enim lege cautum erat, vt si quis vel vnam plagam supra quadragenas accepisset, ad honores & dignitates consequendas non ampliùs idoneus haberetur. Hinc locus ille cap. XI. secundæ ad Corinthios epistolæ patescit: *A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minus, accepi.* Cur, *vna minus*, quærit Theophilactus? atque ea citata lege iussisse ait Iudæos tot numero plagas, vna minus, infligi, ne illi cederet ad ignominiam, si fortè percussor vltra constitutum numerum prouectus esset, quòd si errore, vel casu aliquo accidisset, eam esse voluerant quadragenam: cupiebant enim eum per eiusmodi castigationes ad se trahere; quod si facere potuissent, par erat, vt hominis doctrina, ingenium, & fandi vis, honores sibi deposcerent, quos nequaquam deferre recusassent. Cauebant verò ne ad repulsam locus esse posset ignominiæ. Sunt qui simpliciter rem accipiant, quia Iudæi literæ tantùm addicti, habebant in lege, non excedendum in flagris numerum quadragenæ. Sed nos illud, *vna minus*, pensitamus. Neque nescimus Moysem illum plagarum numerum ideò non excedendum instituisse, ne fortè qui castigandus tantùm esset, nimia flagrorum repetitione exanimaretur. Cuius verba sunt Deuteron. XXV. *Sin autem eum qui peccauit dignum viderint plagis, prosternent eum & coram se facient verberari.* Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat vt quadragenarium numerum non excedat, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.

REDEMPTIO.

EST & ea quadragenarij numeri consideratio in Diuinis literis, quòd à V. anno vsque ad vigesimum, qui se Deo vouerit, redimere sese potest fructu quadragenario, siclis quippe XX. siue, vt Septuaginta reddidêre, didrachmis. Siclus enim, vt sæpe dictum, duabus æstimatur drachmis. Illæ igitur drachmæ sunt XL. Cuiusce rei hieroglyphicum significatũ est, vt præter sensuum castigationẽ, possit ea ætas ieiuniis interim & orationibus vacare, donec eò perueniat, vt opulẽtioris doctrinę fiat idonea. Ad operis cuius quandã similitudinẽ Moyses per XL. dies ieiunus orationi operã dedit.

QVATERNA MILLIA.

Millenarij numeri & aliorũ notæ.

ACne idem sæpiùs repetẽdo morosus fiam, qui gestus, quæ've digitorũ collocatio in læua fuit, cùm IIII. notaremus, eadem figura statúsque idem in dextera quatuor millia computabit. Quia verò polliciti sumus loco hoc rationem reddere, cur Romani millia hæc per rectã lineolam, & sicilicos (ea est certi ponderis nota, ad apostrophi, quo nunc plurimum vtimur, similitudinem) hinc inde adalligatos figurarint, ostendendum est. Manifestum est millenarij numeri notam, quæ tot antiquis in marmoribus inspicitur, hac fuisse figura, Ψ. duo millia verò sicilicis ad rectã lineolam duplicatis Ψ : tria millia, triplicatis Ψ : quaterna millia, quadruplicatis Ψ. Præteribo millenarium, quòd id signum & à Prisciano & aliis agnitum plerisque locis in cõspicuo est. Duo millia, Mediolani videas in hortis qui olim Zichi Simonetæ fuerũt, porta Comensi, ea inscriptione, cuius initium est, C. VALERIVS C.F. O.V.F. & quæ sequuntur. Cai fil. ob vorum fecit. Deniq; ~~HS~~ Ψ. ARBITRATV VALERIÆ C. F. SORORIS. & Rauennæ apud Petrinum Suessanum, MONVMENTVM ~~HS~~ Ψ EX TESTAMENTO. Sed impressores nonnulli signum vitiarunt, vtpote qui HS. C. C. T. O. O. imperitissimè fecerunt. Terna verò millia hac ratione signata conspiciuntur in antiquissimo codice Mediceæ bibliothecæ Florentiæ nunc, ad D. Laurentij dicatæ per Clementem VII. P. M. epistola ad Caninium Sallustium, quæ libro II. incipit: *Literas à te mihi Stator.* eo loco. *Quod scribis ad me de drachmis* CCCLIII. *notatum est.* De drachmis Ψ, quod computat tribus millibus. Ac ne in quatuor millibus similiter signandis immorer, scilicet Ψ, hæc vt semel dicam, demùm erit regula, vt quotiescunque siue apud Plinium, siue Liuium, & alios, præcipuè verò in Verrinis, L. vnum inueneris duobus CC. præpositis, totidem verò II. subiectis, CCLII. interdum etiam hoc modo per X. denariam notam, CCLXX. *tu*, Ψ *facito, nulla dubitatione impeditus.* Vbi CCCLIII. *vel* CCCLXXX. *tu*, Ψ. Vbi CCCCLIIII. *vel* CCCCLXXXX, *tu* Ψ. & millena tot similiter credas.

QVINQVAGINTA.

QVINQVAGINTA verò hieroglyphicè per digitos indicandis, læuæ pollicem, palma tota passa, deorsum inflectes, & Tertiæ apud Græcos literæ similitudinem effinges: non autẽ, vt Erasmus ex deprauato Bedæ codice scripsit, cum quinquaginta pollicẽ exteriore arcu instar Græcæ literæ ς incuruatum ad palmam inclinabis. Sed iam ad huius numeri hieroglyphica veniamus.

REMIS

A

REMISSIO VEL INDVLGENTIA.

ERAT autem hic numerus remissioni & indulgentiæ consecratus. In veteri enim lege quinquagesimo anno cuiusque obligationis remissio condonabatur, quippe si quis possessionem distraxisset, recipiebat, si liber in seruitutem incidisset, libertatem assequebatur, indulgentiam debitor accipiebat, exul in patriam redibat.

EFFOETVS.

Quinquagesimus annus.

PER eos qui alterum à quinquagesimo vitæ annum excessissent, cur nonnulli effœto iam corpore, mentis quoque & ingenij debilitatem significari dixerint, non sat scio, nisi Aristotelis dicto freti sint, qui in Politicis ait, post annos LII. ingenij vigorem euanescere. Vnde etiam Euripides Bacchis dixerit:

τὸ γῆρας ὑμῶν εἰσορῶ, νέαν δόκ ἔχει.
Cerno, senecta vestra mentem non habet.

Atque alius non minùs dicax, ait:

πολιὰ χρόνου μήνυσις, ἐ φρονήσεως.
Cani indicant etatem, haud prudentiam.

Sed enim ad hæc amplissimus erit alibi respondendi locus.

PLVRIMI.

ET hic quoque numerus, multitudinem significat, quo libenter vtitur Maro:

----Quinquaginta intus famulæ.
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.

B Quam tamen & Simonides πεντηκοντακέφαλον appellauit, cùm Alcæus ἑνεακέφαλον dixerit, vti superiùs meminimus. Vtcũque autem quinquagenarius numerus describatur, spiritalis vitæ hieroglyphicum est, & animi eius qui diuinis intentus, sublimia quæq; mente concipiat & contempletur, perinde ac duplicatus in centenarium, negotiosam significat. Quinquagesimo enim post resurrectionem die sancti Spiritus afflatus aduenit. Et operum nostrorum fructus vberrimi atq; pinguissimi, ad centenarium vsque numerum cumulantur, eorum, inquam, qui vitæ integri, scelerumq; puri peregrinationis nostræ cursum piè sancteq; peregerunt. Hic verò numerus centenarius non sine mysterio per quinquaginta potius didrachmas, quàm per drachmas centum exprimitur in significato huiusmodi: sed quinquaginta bis ideò complectitur, quia nullum bonum, integrum & perfectum opus esse potest, absque ipsius sancti Spiritus ope auxilióque. Ad similitudinem autẽ quandam gestus eiusmodi, qui quinquaginta præ se fert, factum putarim, vt Latini eius numeri notam L. esse voluerint: quanquam nõ desint ingenia, quæ re super ea sic philosophentur, aut ratiocinentur potius. Numeri à punctis prius originem traxerunt, sed quia erant adeò exilia, puncta ipsa aliquantulum producere cœperunt ad instar vocalis mediæ, . : ⁝ ⁘ ⁙ I. II. III. IIII. Sed si ita processissent, vt vsque ad nouem lineolis totidem vnumquenque numerum notarent, molestam & inconcinnam rationem fore suspicati sunt, ad compendia igitur animum verterunt, & pro quinario, ne quinque lineas facerẽt, vna signata, reliquas quatuor per obliquam vnam à tergo ductam, ⸍, fecerunt. Mox vsui placuit, vt expeditior esset scribendi ratio, pro nota ea V vocalem quintam statuere, moxq; vsque nouem vnitates eas addere, prout numerus quisq; postulabat. Ad denarium cùm venissent, quinque duplicarunt, ita tamen vt secundum inuerterent, & subiicerent C priori, vnamq; facerent notam per decussationem. Tribus his notis processum est vsque ad quadraginta & nouem. Visum est inde facere ad commoditatem, quam ex compendio aucupabantur, quinquaginta notandis, signum illud ex vna obliqua linea pro quatuor rectis & quinta adalligata surrigere, vt staret quæ pendebat in latus, quæ stabat in planum deiiceretur. Ita ex L. notata sunt quinquaginta. Ventum mox ad centena, quæ per primam eius nominis literã intelligi voluêre. Ad quingenta cùm venissent, rectã lineolam quæ iacebat in quinquaginta, in semicirculum adcuruatam surrexêre in hunc modum Ↄ. quam notam imperiti superiori capiti coniunxêre, quartam Alphabeti literam arbitrati. Atque hoc illud Sicilicum est, de quo facta mentio in millenariis, quod à tergo quingentorum Ↄ ita applicitum Ψ, mille facit, & ita reliqua, vti suprà dictum.

Numerorũ origo, & nota varia.

QVINA MILLIA.

QVINA verò millia, quo gestu L. in læua, eodem in dextera composito figurantur.

SEXAGINTA.

SI verò pollicem eo gestu inclinatum, quo quinquaginta per se significat, toto indice circundu-
Secto diligenter à fronte præcingamus, sexaginta constituemus. Hinc errore fieri non potuisse dicit Apuleius, vt Æmilianus, contra cuius accusationem causam suam agit, sexaginta pro quadraginta protulerit, quia longè diuersus est vtriusque numeri gestus.

VIDVITAS.

Ætas vidui tatis quæ.

PER numerum sanè sexagenarium, vti dicebamus, viduitatem veteres significabant, quòd mulier id ætatis nata haudquaquam ampliùs idonea est ad conceptũ, propterea quòd ab eo annorum numero claudi vuluam Philosophi naturæ cõtemplatores tradunt, ideoq; vlterius illi nubere non licebat. cui legi plurimùm nititur Æmilianus contra L. Apuleium. Si qua verò, quod aliquãdo

accidisse ferunt, natu tam grandis concepisset, ostenti loco habitum. Quare Helisabethis concep- D tus grandæua ea ætate pro miraculo adducitur à diuino nuncio, vt virgini Deiparæ fidem faceret, posse Deum quæcunque naturæ vim excedunt efficere. Sara etiam cùm à summo numine sibi iam nonagenariæ promitti conceptum audisset, risit, vtpote quæ id naturæ lege fieri minimè posse cognoscebat. Paulus quoque, qui sexagenarium numerum viduitati dicatum agnoscebat, illi inquam viduitati, quæ viduitas est, castáque, syncera & intaminata in solitudine perseuerat, vbi probatam mulierem eligi mandat, quæ iunioribus præsit, *Vidua*, inquit, *eligatur non minor* LX. *annorum:* ad eum vsque numerum scilicet perfectionem in muliere designans. & quia est viro infirmior, non nisi sexagesimum fructum colligit in Diuinis literis. Ideò si se redemptura sit mulier, Leuitico, didrachmas XXX. offert, id est, fructum sexagenarium. Eruditéque admodùm D. Hieronymus causam, cur sexagenarius numerus ad viduas referatur, explicare volens, ad numeri ipsius hieroglyphicum se confert, in quo scilicet pollex à superiore digito deprimatur, arctéque cinctus ab eo, in quantis affligatur angustiis ipsa viduitas, ostentet, quæ ita sit vndecunque cohibita. Mox illud addit ad consolationem: *Quanto scilicet maior est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius propositum esse præmium.*

LXX. ET SEPTENA MILLIA.

VT verò & reliquas tres decadas attingamus, septuaginta exprimebantur, vt Beda tradit, indice vt suprà circumducto, pollice verò ita exporrecto, vt in medium indicis artum affigatur. Neque aliud super hoc numero mysticum adinueni. Idem gestus in dextera, sed non ex Bedæ sententia, septena millia computabat.

OCTOGINTA, ET OCTONA MILLIA. E

Index circumflexus, pollexque protentus.

INDEX identidem circumflexus, pollexq; protentus, ita tamen vt eius vnguis extra medium indicis articulum prominens appareat, octogenarij numeri est hieroglyphicum in læua, in dextera octona millia signat.

ADORATIO.

QVI quidem gestus ad os admotus adorationis hieroglyphicum est, de quo Apuleius IIII. Metamorph. Et admouentes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente, vt ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.

NONAGINTA, ET NOVEM MILLIA.

PER inflexum autem læuæ indicem, ita vt eius vnguis ad radicem pollicis applicetur, pollex liber extet, qui superiore numero, toto extremo articulo oppressus erat ab indice, nonagenarius exprimitur. In dextera gestus idem, millia nouem. Ita cùm ad nouem & nonaginta peruentum est, manus omnis ita clauditur, vt pugnum faciat, pollice superextante, & ad medium infamis dorsum exporrecto. Qui si pugno ita includatur, vt cum vngue suo totus occultetur articulus, sexaginta nouem attenuet.

TACITVRNITAS.

SVPERESSET de myriadibus dicere, quæ per manum variis gestibus modò ad pectus, modò ad femur applicatam indicantur, de quo apud Plautum:

Pectus digitis pultat, cor credo euocaturus foras.
Ecce autem auortit nixus læua in fœmore habet manum, F
Dextera digitis rationem computat feriens femur.

Sed quoniam intentio nostra fuit hieroglyphica conquirere, non artem omnem numerandi tradere, & argumentum id non indiligenter à Beda explicatum, & iam in omnium manibus versatur: finem huic dictioni facturus, quo numero taciturnitatem Ægyptij soliti sint indicare, non est animus præterire. Erat is vtique MXCV. mille scilicet & nonaginta quinque, qui partim dexterâ, partim læuâ & signabatur. Mille, vti superiùs ostensum est, dexteræ manus indice, ad primam sui pollicis suffraginem appresso, summóque eiusdem articulo super indicis vngue inclinato. Quinque verò & nonaginta, in læuæ tribus inferioribus digitis, inflexo infami, anulari & auriculari porrectis, indicis autem vngue ad infimam pollicis suffraginem affixo. Causam verò cur eo numero taciturnitatem Ægyptij significarent, eam afferunt, quòd compertum est eo dierum numero, qui annos tres complectitur, nisi cœperit puer effari, linguam eius præpeditam esse, neque vllam superesse spem vt ampliùs loquatur. Sunt qui Pythagoram triennale silentium dicant hinc instituisse, vt naturæ species exprimeretur in discipulis, quos, vt tunc primùm natos, alendos educandósque animi cibo suscepisset. Sed nos in taciturnitatis mentionem illapsi, eiùs demùm memores, ne hominem grauioribus occupatum studiis & disciplinis, in leues adeò nugas auocare videamur, dicti illius sapientissimi, MANVM DE TABVLA, non frustra vulgati, memores, nihil vlteriùs super digito loquemur.

Numeri MXCV. hieroglyphicum.

PIE

A

PIERIVS VALERIANVS
AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DN.
HERCVLEM GONZAGAM CARDINALEM
MANTVANVM, QVA RATIONE LITERÆ & disciplinæ hieroglyphicè significentur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XXXVIII.

EVRNIVS *tuus, Antistes illustrissime, vir planè probus, & disciplinis optimis pereruditus, cuius tu opera non solùm ad doctrinam, sed ad rerum tuarum etiam administrationem, vteris, proximis hisce diebus cùm Romam aduenisset negotia tua curaturus, impendiò me rogauit, Leonem meum illum Aegyptiacum, quem olim Amplitudini tuæ dedicare cogitassem, sibi videndum traderem. Respondi, fuisse quidem olim id consilij, sed pro re nata captũ, quia scilicet clarissimus adolescens discipulus meus, Hippolytus Medices, quo tempore Florentiæ in honore erat, leænæ fœtum qui expectabatur in dies, ad illustriss. Principem Fridericum fratrem germanum tuum mittere decreuerat, marem & fœminam orituros. Id enim frater ipse tuus propagandi seminij causa, maximè cupiebat. Ita volebam ego, dum leunculorum illud par splendidissimo fratri tuo* B *oblatum in propatulo spectaretur, haberes & tu Leonem alterum interiorem, quem vnà cum eruditissimis, quos domi alis, amicis attrectares: multa enim insunt Leoni, quæ studiosorum omnium ingenia semper exercuerunt. Verùm accidit vt spem falleret leæna, quia vtramq; fœminam edidit, quare sublata mihi quoque est mittendi Leonem meum occasio, quia neq; fœtura illa iam erat transmittenda, sine qua si meus venisset Leo importunè accedere visus esset. Cœperam tamen cogitare, nunquid aliud inuenire possem, quod ad ingenij tui sublimitatem videretur accommodatius, cùm opportunè de studijs tuis ex ipso eodem Furnio, quæ mihi mirificè placuerunt, intellexi. Aiebat enim te Philosophiæ & diuinarum literarum lectionibus incumbere, maximè verò pietatis nostræ ignibus incensum, cogitationes omnes tuas ad eiusmodi disciplinam conuertisse, qui quidem nuncius mihi accidit iucundissimus: quandoquidem, si quid ego huiusmodi scribere instituissem, quod ad hoc ipsum, quod tibi adeò cordi est, argumentum facere videretur, sperabam me tibi rem longè iucundiorem effecturum. Erat verò mihi tunc præ manibus, de literis & disciplinis commentarium, quod ad explicanda Aegyptiorum, atque adeò maiorum etiam nostrorum quædam super his mysteria conficiebam, quibus scilicet imaginibus, per hieroglyphica sacerdotes Aegyptij, per mystica mox verba veteres Hebræorum patres literas essent indicare soliti, quibus disciplinas, quibus demum sapientiam ipsam figurassent. Interrogaui Furnium, an commentarium hoc, pro Leone missum, vlla tibi esset in parte placiturum. Legit, &, vt animo est egregiè candido, approbauit, suasitq; vt omni summota contatione libellum omninò mitterem. Cuius ego iudicio fretus, nam eum palati tui optimè callentem arbitrabar, quam primùm per occupationes licuit commentarium absolui, tibiq; statim, quicquid id esset, dedicaui. Videbis igitur, Antistes honoratiß. quæ de literarum studijs, deq; humana diuinaq; disciplina vetustas illa sub rerum verborúmve quorundam inuolucris occultauerat, quòd peritissimi quiq; inter se hoc velut ænigmatum genere vti consueuerunt. Et nisi me suscepti operis fallit amor, spero te consensum hunc multorum eruditorum, qui per huiusmodi sculpturas Aegyptiorum inuenta* C *secuti sunt, aliqua cum voluptate suscepturum: tuumq; tibi institutum tunc longè magis placiturum, cùm ex ijs, quæ sumus allaturi, nationum penè omnium sententiam, in eam quam sequeris studiorum rationem conuenire perspexeris. Sed anteaquàm ad illam deueniamus, de literis quædam simpliciter priùs dicere necessarium est. Apud Aegyptios sacerdotes librorum bibliothecarúmve facies iuncorum fasciculo, cui appensa esset sepia cribrumq; illi subditum, hieroglyphicè signabantur. Et literatorum hominum memoriæ, vel marmore, vel ære conspicuæ, his iisdem figuris insculpebantur, & quicquid ad eruditionis monumentum faceret, hoc elaboratum erat ornamento.*

LITERÆ ÆGYPTIACÆ.

EA verò species literas, præsertim Ægyptiacas, vt apud Horum est, significabat, propterea quòd & iunco illi, & atramento huiusmodi de sepia exempto scriptitabant, neque ad hunc vsum alio vtebantur instrumento. Quod autem ad sepiam attinet, quæ pro theca atramentaria poni solita sit, ac perinde literas significet, nõ apud Ægyptios tantùm, verùm & apud nostros quoque habetur. Persius,

Tum quæritur crassus calamo quòd pendeat humor,
Nigra quòd infusa vanescat sepia lympha.

Atramentum sanè Græci σηπιωτικὸν appellant. Sunt & alia pleraque sepiæ significata, sed ea inter pisces conuenientiori loco memorauimus. Cribrum verò sub sepia ponere ideò commenti sunt, quia ea prima sunt arma, quibus in pane conficiundo vtimur, atque id apud Ægyptios ex iunco contexti solitum: nam ὁλόχοινον, quem Soloiuncum appellare possumus, vtilissimus ad nassas marinas, vtiliumq; nexus elegantium. In Ægypto verò, vti Plinius tradit, cribrorum longitudinem

implet. Admonebat autem ea cribri cælatura, ita iunco & ſepiæ ſubiecta, eum qui victui neceſſaria comparaſſet, literis dare operam poſſe. Cui verò deſit prouiſæ frugis in annum copia, alij dedatur arti, aliámve ſequatur induſtriam neceſſe eſſe. In hanc Ægyptiorum ſententiam Simonides interrogatus, vtrùm diuitiæ, an ſapientia priùs optari deberet, neſcire ſe, reſpondit, id verò exploratum omnibus eſſe, ſapientes diuitum fores frequentare. Opinionem tamen hanc interpretationem callida eluſit Ariſtippus, qui à Dionyſio illo ſuo interrogatus, vnde fieret, quòd Philoſophi diuitum limina terrerent; non illi Philoſophorum: reſpondit: *Quia Philoſophi norunt quibus egeant, illi autem minimè.* Sed vt ad Ægypti mores reuertamur, illud conſtat, anteaquàm pollutionem contage contaminarentur, & à priſtina caderent diſciplina, primariam apud eos nobilitatem dignationémque eorum fuiſſe, qui literas callerent, cùm literis non niſi locupletes operam darent. Nam & Athenienſes morem hunc ab Ægyptiis acceptum aliquandiu ſeruauêre, vt is primas in Republica partes obtineret, qui & eruditione & ſapientia maximè præſtaret. Et quantum ad inſtitutionem attinet, Romani artes honeſtiores omnes, & quæ literarum ope comparantur, Liberales appellauerũt, quòd earum doctrina ad ingenuos ſpectaret. Hinc illud apud Terentium: *Fac periculum in literis, fac in palæſtra, in muſicis. Quæ liberum ſcire æquum eſt, ſolertem dabo.*

Simonidis & Ariſtippi dictum egregium.

INSTITVTIO.

SANE apud Ægyptios inſtitutio, ſi quos habuimus codices, in damno non ſunt, SBO nuncupabatur, cuius interpretationem plerique ponunt, victus opulentus, vel ad neceſſitatem idoneus: id ſcilicet innuentes, literarum ſtudia rem paratam ſibi depoſcere. Qua in ſententia fuiſſe etiam Ariſtotelem ex eo manifeſtum eſt, quòd eum nullius rei egenum eſſe cupit, qui Philoſophię ſit operam daturus. Et Zachariæ Chimios inter Hebræos nominatiſſimi dictum circumfertur: *Si farinam habueris, legem capeſſere poteris: ſi legem aſſecutus fueris, farinæ non egebis.* Legis enim appellatione, literas intelligunt Hebræi, & farinam pro frumento annonaque omni ponunt. Quod quidem cum eo quadrat, quòd Iſidem, ſiue Cererem malis dicere, legum inuentricem fuiſſe memorant, cùm eadem fruges etiam humano generi commonſtrarit, de qua loco ſuo pleniùs. Ad huiuſmodi rem Ariſtotelis ſcomma eſt, quo reprehendere ſolitus eſt Athenienſes, qui iam à priſtinis moribus & ſtudiis deciderent, cùm tamen ſe frumenti perinde ac legum inuentores fuiſſe gloriarentur, frumento quidem plurimùm, legibus verò minimùm vterentur. Sedenim magis facere ad Aegyptiorum ſapientiam videtur, ſi quæ alij de corporis cibo, deq; rerum opulentia intellexerunt, ad animi paſtum, & doctrinæ fœcunditatem referamus, cùm dubio procul illi per cribri ſignum ἱερογλυφικῶς inſtitutionem interpretarentur. Nam & azymorum calathus, qui Leuitico ab Aarone & filiis eius offerendus erat, linguam, hoc eſt, ſermonem, vel eloquentiam potiùs diuini numinis ſignificaſſe fertur. Sicut enim panis nutrimẽtum eſt corporis, ſic & lex, & doctrina Dei, nutrimentum eſt animi. Cùm verò ſæpe cibus pro doctrina poſitus ſit, non apud Aegyptios ſolùm, ſed apud nationes omnes, quæ literis & diſciplinis claræ habentur, cuiuſnam ſermo vel eloquentia pleniorem perfectiorémve doctrinam induxit, quàm is qui copiæ totius & perfectionis author eſt? Ille cibus animi verus, ille paſtus ſuauiſſimus, ille ferculũ & lautiſſima doctrinę totius menſa ſuper mel & fauum optatiſſima. Et huiuſmodi ſenſu panes illi duo primitiarũ dicti, ex duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos XXII. Leuit. offerri ſibi iubet Dominus, nouo ſacrificio legem & euangelium indicant. Panes enim hi ſunt fidelium animarum cibus. Quòd verò ex duabus ſimilæ decimis conficiantur, admonet hæc geminata perfecti numeri deſignatio, condi eos ex doctrina, quæ perfectam in Chriſto diuinitatem, perfectamq; humanitatem tradit: nec aliter coqui, niſi per huiuſmodi doctrinam poſſunt. Sed ipſe demùm Dominus aſſertor noſter, hieroglyphicum hoc explicauit, cùm aſtuto dæmoni reſpondit, hominem non ali pane ſolo, verùm etiam quocumque verbo, quod ex diuini numinis ore procederet. Animaduertendum verò in Diuinis literis per cibum ipſum modò pecuniam, modò rem domeſticam, modò annonam genus omne intelligi, atque omnes has locutiones identidem accipi pro doctrina: vt cum præcipit Deus, ſimulac in terram Canaan ingreſſi fuerimus, eáque & expiata, & ritè perpurgata fuerit, ne veteres incolas expellamus, ſed cohabitare nobiſcum permittamus, quin & pecunia noſtra eos ſubleuemus. Hieroſolymitanus Heſychius pecuniã hîc, hieroglyphicè pro doctrina noſtra poſitam intelligit, Septuaginta hîc Cibos ponunt, quod idem eſt cum fructibus & annona. Nam cùm aliquem à ſceleribus ad virtutem & bonos mores, ab impietate ad Dei cultum atque timorem adductum, & in ditionem nõſtram redactum inſpexerimus; eum, quia perditus fuerit, nequaquam abominabimur, ſed doctrina ſubleuabimus, & honeſti commercij, laudabiliſq; conſuetudinis exemplo paſcere, educare, confirmareq; pernitemur. Miſſum facio fermentum in farinæ ſata tria abſconditum, vbi Eucherius Farinam pro Scientia poſitam tradit. Quinetiam miſſos facio non modò panes, verùm & totam meſſem, & patentes campos in Diuinis literis pro ſacræ doctrinæ hieroglyphico poſitos, de quibus idem Eucherius dictum ait: *Et campi tui replebuntur vbertate*, atque de paſcuis idem. Vnum illud minimè præterierim, quod vtili admodùm documento apud Maximum Tyrium habetur, ſermones ſimilitudinem ciborum gerere, ſicuti concentus odorum, cùm ea ſit ciborum natura plurimum, vt fœcundiſſimè nutriant; odor aër ſit vaporatus, vt ſonus aër ictus, quorum vterque cùm in re tenuiſſima conſiſtat, aut nullam, aut

Zachariæ dictum.

Cibus verus quis.

A aut minimam habeant paſcendi vim. Appetendas itaque monet epulas nutriẽtes, ſermones quippe de virtute, atqueadeò diuina in primis Philoſophia: paruíque ideò faciendam eloquentiam, eam, inquam, quæ præter aurium oblectamentum, nullam aliam afferat vtilitatem; ſermonéſque illos eſſe potiores, qui animum rebus optimis cibi inſtar enutriant. Apud Abacunta Prophetam legas boues non adſiſtere ad præſepia. Boues Euthymius Iudæos intelligit hieroglyphicè poſitos, qui olim virtutis cultores fuerint: per præſepia, ſacros & diuinos libros, qui pabuli nihil eis in poſterum allaturi eſſent. Et Pſalmo LXIII. *Super oues paſcuæ tuæ.* Interpretes per paſcuæ vocabulum ſacram intelligunt lectionem, qua illi animum oppiparè nutrire ſibi videntur, qui ex diuina lege viuunt. Ita nonnulli Pſalmo LXIX. *Fiat menſa eorum in laqueum.* Menſam eſſe volunt diuinæ inſpirationis ſcripta, quæ Iudæis implicationem mentis afferunt, non doctrinam. Idq; ſibi velle laqueum, in quem Propheta menſam huiuſmodi tranſmutari poſcit. Mox & tormentum addit, & multam, qua caſtigati ſunt ob deſtinationem ſuam; inde ſcandalum, propter priſtini ſtatus diuiſionem, totiuſq; gentis diſſipationem. Denique vt à menſa demùm ſaturi recedamus, Simandius Ægypti Rex bibliothecam inſcripſit: ANIMI ALIMENTVM, cùm id, quod cibus corpori, ſtudium literarum animo ſubminiſtret. Et noſter Tullius Tuſculanis, vbi de Archimede loquitur: *Eius mens*, ait, *rationibus agitandis exquirendiſq; alebatur, cum oblectatione ſolertiæ, qui eſt vnus ſuauiſſimus paſtus animorum.* Idem paſci ſe Fauſti bibliotheca alibi dicit. Alibi contemplationem, *Animi pabulum* vocat. Alibi ſe vorare literas profitetur.

Metaphoricæ locutiones peruenuſtæ.

SACER SCRIBA.

B VT verò cribrum etiam expediamus, ex eius hieroglyphico Ægyptij ſacrum etiam ſcribam intelligi volebant: ea enim nuncupatione eos, qui futura præſagirent, appellabant, vti Prophetam Hebræi, *Videntem.* Nam veluti cribrum vtilia ab inutilibus diſiungit, ita per ſigna quædam ſacerdotes illi mortem à vita diſcernebant. Et τ' ἀπὶ κοσκίνῳ dici ſolitum de iis, quæ vera compertaq; viderentur. Sanè librum Horus apud Ægyptios fuiſſe tradit, qui Ambres nuncupabantur diuinationum plenus, ex quo præcipuè decumbentem ægrotum, vtrùm victurus nécne, an moriturus eſſet augurabantur: idque ex ægrotantis decubitu præcognoſcebant. Nam & alij plura id genus obſeruarunt, vti fimbriarum in lodice complicationes, aduenientes moleſtè ferre, eorum conſpectum auerſari, obtutus ſolito toruiores, & alia, non tamen cum arcanis illis conferenda. In antiquis Hebræorum ſcriptis mentionem inuenias de libro quodam arcano, in quo ſcripta deſignataque eſſent omnia, quæ vniuerſo mortalium generi euentura ſunt, addúntque eum & Adamo diuinitùs oſtenſum, atque etiam Moyſi; ſed hæc illi ſupremi numinis aſpiratione accidiſſe crediderim, oraculúmque huiuſmodi ob quandam docendi ſimilitudinem, Librum appellatum. Hinc ſapientiſſimi viri Maronem volunt ad huius quaſi libri formulam dixiſſe illa ſuper poſteritatis Æneiæ futuro ſucceſſu:

Ambres.

At pater Anchiſes penitus conualle virenti
Incluſas animas, ſuperumq; ad lumen ituras
Luſtrabat, ſtudio recolens, omnemq; ſuorum
Forte recenſebat numerum, charoſq; nepotes,
Fataq;, fortunaſq; virũm, moreſq;, manúſque.

Nam & Romani, dum à fando fatum dicunt, edicta decretaq; huiuſmodi, veluti relata in deorum acta, intelligere viſi ſunt.

PERFECTÆ VIR SAPIENTIÆ.

C ALII dicunt per cribrum conſummatum virum ſignificari, ſapientem quippe, qui de diuinis humaniſq; rebus ſciat appoſitè diſputare, quòd veluti eius inſtrumenti munus eſt apludas à frumento ſecernere; ita doctrina, rerumque vſus & experientia faciat, vt bonum à malo, rectum à curuo diſcernamus, vt meritò à Marone dictum ſit, Myſtica vannus Iacchi. Huc nonnulli trahunt Antiſthenis dicterium, Abſurdum eſſe lolium à tritico non repurgare, hoc eſt, inutiles ciues non ſecernere ab vtilibus, milites ignauos à ſtrenuis, quod dictum alibi latiùs interpretati ſumus. Apud Galenum prouerbium eſt, *Stulti ad cribrum*, cùm illi notantur, qui rem, aut negotium, quod vires exuperat, aggrediuntur: non enim ſtultorum eſt naturæ ſecreta inueſtigare. Quamuis alij putant id ideò dictum, quia ſi Theſſali velit errores omnes corrigere, vel dictione proſequi, numero ſuperatus in ſcomma prouerbij decidat, quod eſt, Stulti ad cribrum, hoc eſt, Stultorum conatum eſſe velle ſingula totius cribri foramina obturare. Apud noſtros D. Ioannes Præcurſor, doctrinam cœleſtem ſummam ſapientiam in Chriſto præmonſtraturus, in hanc ſententiã clamat: *Ventilabrum in eius eſt manu* (ſunt qui cribrum; eadem omninò ſententia tranſtulerunt) *aream itaque ſuam purgabit, vt quæ nullius ſunt fructus, à fructuoſo diſcernat, triticumq; in horreum condet, paleas verò igni exuret inextinguibili.* Cuius myſterij ſignificatum, ne nos moroſi ſimus, latè explicatur ab Adamantio, cap. in Lucam III. homilia XXVI.

Antiſthenis dicterium.

Prouerb. & eius interpretatio.

TERMINVS, METAVE.

PER idem quod ſuperiùs poſuimus hieroglyphicum, terminum etiam metámve ſignificari proditum, propterea quòd is qui ſtrenuè decurſo ſpatio profecerit in literis, ad tranquillum iam

vitæ portum applicauerit, eumq; ſcias poſſe demùm habere ſuæ vitæ modum, neque hallucinari D amplius in iis, quæ mortalium generi accidunt malis. Ita is omnium quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur, cognitionem aſſecutus eſt, vt vndecumq; prudentiſſimus effectus, neque ſecundis intumeſcat inſolenter, neque aduerſis perturbetur: in vtramque verò fortunam ita ſe compararit, vt æquum & inſuperabilem ad omnes caſus animum præ ſe ferat.

HVMANÆ DISCIPLINÆ.

A CRIBRO ad panificia deuenire, non admodùm importunum fuerit. In panificiis autem fermentum non vltimum habet locum. Id in ſacris literis multa ſignificat, ſed nos id quod ad rem, quæ præ manibus eſt, facit, interim deſumemus. Aiunt verò fermentum inter alia ſymbola humanas etiam diſciplinas indicare. Scientiarum ſiquidem, vt plerique diuidunt, nonnullæ humanæ, nonnullæ diuinæ perhibentur. Humanæ ſunt, quæ ſermonis variatione ſubiiciuntur, vnde vulgò etiam humanitatis ſtudia dicuntur. Diuinæ, quæ perpetuo conſtantiq; tenore quodam perſeuerant, eodemq; ſemper habent modo, atque parte hac ipſam referunt diuinitatem. Quod enim ſemel iuſtum eſt (de perfecto loquor) ſemper iuſtum eſt. Qui ſemel calefacit ignis, calefacere nunquam deſinit, dum ignis eſt. Neque diuina deficit prouidentia, neque perpetua mundi gubernatio. Ita Moralis, Phyſica, & Theologia, cum diuinitate conſentiunt. Humanas autem diſciplinas appellabant, Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Atque hoc illud eſt (vt ſentit Origenes) quòd fermentum in ſacrificia non admittitur. Per fermentum enim, vti dicebamus, Theologi humanas has intelligunt diſciplinas, quarum quidem vis & materia in locutionibus ipſis omninò conſiſtit. Accedunt tamen ad miniſterium, quia ſermo purus, quem docet Grammatica, eloquentiæ ſplendor, vis atque copia, quam per Rhetoricam aſſequimur, & diſpurandi ratio, quam indicat Dialectica, miniſtri ſunt omnium ſcientiarum. E

Scientiarũ diuiſio.

DIVINÆ DISCIPLINÆ.

QVo igitur hieroglyphico humaniora ſtudia ſignificentur, expoſitum eſt, ſupereſt de diuinis, quibus ea ſignis hieroglyphiciſq; figurarentur, explicare. Diuina verò quod primum ſibi ſignum poſcant, niſi quod ipſam indicat diuinitatem? cuius circulus eſt hieroglyphicum, vti latiùs in figurarum Mathematicarum commentario diſſeruimus, nempè quòd in ea figura neque principium, neque finem inuenire ſit, quod æternitatis eſt propriũ. Huiuſce rei ratione habita. Aegyptij Deum ex circuli figura intelligebant. Perſæ verò cùm Iouem cœli circulum dicerent, ſacrificia illi ſe facere putabant, vbi celſiſſimam ſpeculam conſcendiſſent, Iouemq; cœli circulum nuncupaſſent: & quæ multa eo loco tractauimus, hîc ad repetendum minimè neceſſaria.

ENCYCLOPEDIA.

NON temerè igitur Aegypti ſapientes, Græciq; antiquiores, qui priuſquàm ſophiſmata mortalium mentes implicuiſſent, ſimpliciùs ac fortè meliùs philoſophabantur, quarundam diſciplinarum cõplexum Encyclopædiam vocauerunt: nempe quòd per circulorum quorundam colligationem inter ſe copulatę, ab ampliori quodam circulo complecterentur, cuius nomen eſt Theologia, intra quẽ tres alij circuli centris & circumferentiis adeò inuicem compliciti deſignabantur, vt vnius centrum alterius principium & circumferentia eſſet, in hunc ſcilicet modum: per illos quidem interiùs ductos, alia quædam ratione quàm ſuperiùs dictum ſit ex Origene, humanas diſciplinas indicantes, quæ moribus, ratione rerum, quæ naturæ vi inſtituta, conſiderata, examinatáque, mortalium mentibus inſedêre, per illum verò qui latiori ambitu expatiatus, reliquorum centra & circumferentias in ſemetipſum amplectitur, diuinam oſtendebant. Verùm eadem hæc Leuitico intelliguntur ex ornatu Pontificio, qui totus eſt hieroglyphicus: ibi enim Pontifex humeros primùm præcingi iubetur, hoc eſt, moribus optimis atque caſtigatiſſimis ornari, praua ſcilicet opera cohibendo, mox logium aſſumere, quod dubio procul rationis intelligẽtiam ſuſcipiendam indicat, inde quam vocant Manifeſtationem, quæ quidem rerũ eſt diſciplina, videlicet Philoſophia, per quam naturæ ſecreta omnia perueſtigamus, & veluti cerberum quendam ex imis penetralibus extractũ in lucem exponimus: quarto loco veritatem, quæ dubio procul ipſa eſt Theologia. Obſeruat verò Cyrillus ordinem in ornamentis his aſſignandis, quoniam non priùs de ratione verborum diſputare debemus, quã mores compoſuerimus, ne nos malè imbuti animi prauitas à recto diuertat, & vero cognoſcẽdo minus idoneos reddat, neque rerum cognitionem priùs aggrediendam, quàm ſermonum rationem priùs intellexerimus, neque Deum & cęleſtia contemplari poſſe nos manifeſtum, priuſquàm per mores, per

Quomodo & quare per Encyclopædiã diſciplinæ quædam notentur.



F

A per rationem, per rerum cognitionem quoſdam veluti gradus, per quos ad veritatem in ſublimi conſidentem erigi poſſimus, nobis præparauerimus. Vt verò alij rem copioſiùs tradidêre, moralem in primis diſcere debemus, quæ in humanæ degendæ vitæ ratione modoq; occupata eſt, effrænis quippe excurſionibus iræ, animiſque contundendis, ſordibuſq; omnibus excutiendis, quando memorabile illud in Diuinis literis dictum, in malignum non intrare ſpiritum ſapientiæ. Neque enim polluti, qui ſcilicet morali diſciplina minùs inſtituti eſſent, in tabernaculum admittebantur apud Moſem, ſed cum plebe ſub dio habitabant, ſeſe interim expiantes. Præcipuè verò hoc præſtare poſſunt oratoria & poëtica facultates, cùm Oratoris ſit proprium, bonum eſſe virum, & Poëtica omnis laus & exemplar virtutis habeatur, vt Magnus Baſilius inquit. Sed hæc dicimus ad eos, qui ſunt adeò imbecilli, vt diuinorum per voluminum pondera ſuſtinere nequeant, ideoque validiorem cibum omnem auerſantur, quare modò per fabulas, modò per hiſtoriarum exempla deducendi ſunt. Quòd ſi eueniat vt tandem ablactati firmitatem à Deo, & à fide conſequantur, tunc hordeacei quinque panes, quinque ſcilicet Moſaicæ, diceret Cyrillus, inſtitutionis libri guſtu aſperiores, & piſces duo pro pulmentario, hoc eſt, Euangelica & Apoſtolica diſciplina, pabuli longè ſuauioris, ſatis ſuperq; futuri ſunt ad omne bene inſtituti animi robur confirmandum. Quamuis non deſint, vt varia ſunt mortalium ingenia, qui partem hanc de moribus (hoc κατὰ παρεργον afferemus) è diſciplinarum choro ſummoueant, tum quòd mores ad cuiuſque populi libitum componantur, exemploq; potiùs & vſu ipſo, quàm ratione vigeſcant, tum quòd non eadem apud omnes iuſtitia, neque fortitudo, neque vllum ferè virtutis genus, quod non alibi virtus exiſtimetur, conſtareque prorſus id in opinionibus incolarum. Nam quòd apud Athenienſes iuſtiſſima omnium eſt lex Pe-
B largica, de parentũ ſenecta renutriẽda, qua etiam apud Lacedæmonios nihil ſanctius, apud Chios honeſtiſſimum atque ſanctiſſimum habitum eſt, eos, qui ſexageſimum ætatis annum impleſſent, trucidandos inter ſe publicè committere: quod moris in Iulidæ Co inſulæ vrbe Menander fuiſſe notat, vt apud Stephanum, de quo pleniùs in Ciconiæ commentario. Quodq; in huiuſmodi diſſimilitudinis ſententiam in Inſtitutis Theophili Græcè legi, Athenienſes aduenas & hoſpites omni officij genere proſequebantur, apud ſe permanere adhortabantur, ciuitate donabant, ad honores & Reipublicæ participatum cooptabant. Lacedæmonij contra aduenas non admittebant, hoſpites vnius tantùm noctis mora receptos, vrbe mox eiiciebant. Vnde quod Paulus Iuriſconſultus ait de candelabro argenteo in argento relatum, ideoq; pro argento, non autem pro ſupellectili habitum, indicat nihil aliud eſſe quàm humanum placitum, totamque Iuriſprudentiam in ſola denique hominum voluntate conſiſtere roborarique.

Moralis in primis diſcenda.

DIALECTICA.

SED rem nos noſtram proſequamur. Addiſcenda ſtatim à morali poſtmodùm eſt rationalis diſciplina, quam ipſam Dialecticen, hoc eſt, ſermocinatricem vocant, quæ rationis turbas inter orationis pugnacitates captione ſque anxiè tumultuantes pacificè componat, & clara nitidaq; ſyllogiſmi ſerenitate tranquillet. Nam etſi mores Moſaici compoſuerant, eſſentque in ſanctuarium recepti, ſacra tamen nondum attrectabant, niſi priùs dialectico famulatu ſeduli Leuitæ ſacris miniſtrarent.

Munus proprium Dialectices.

NATVRALIS PHILOSOPHIA.

C NATVRALEM inde Philoſophiam aggrediebantur, quæ de mundo, aut de iis quæ ſunt in mundo, quærit. Hæc autem diſciplina opiniones, lites & diſſidia, quæ inquietum hinc inde animum vexant, diſtrahunt, lacerantque, molliter ſopit atque componit, vt ita demùm ad ſacra admiſſi, nunc ſuperioris regiæ multicolorem, id eſt, ſidereum aureum ornatum, nunc cœleſte candelabrum ſeptem luminibus diſtinctum, nunc pellicea elementa in Philoſophiæ ſacerdotio contemplemur.

Philoſophiæ naturalis munus.

THEOLOGIA.

POSTREMO Theologia eſt amplectenda, quæ, vti dictum eſt, omnes amplectitur diſciplinas, cuius munus eſt ſolidam præſtare pacem, quam neque mores humanæ fragilitatis ſanctiſſimè quantumlibet inſtituti, neque colloquiorum curioſa cognitio, neque naturæ totius perueſtigatio præſtare potuerunt. Tunc verò pax hæc firmiſsimo nobiſcũ eſt fœdere ſancita, cùm motus omninò nullus aduerſus rationis imperium diſceſsionem vllam meditatur, cùm omnia cogitationũ noſtrarum diſsidia compoſita ſunt, ſopiti ſenſuum impetus, diſcuſſa oppreſſaq; penitùs cupiditatum coniuratio. Hæc illa eſt Pythagoreorum amicitia, quam totius Philoſophiæ finem autumant. Hæc nos in templi adyta & adducit & recipit, vbi nullo imaginis intercedente velo, diuinitatis gloria perfruamur. Per ſcalarum itaque gradus philoſophantes, à centro ad centrum omnia peruadentes, & quæcunque ſunt in vnum contrahentes, nunc vnum quaſi Oſirin, admirandus diceret Picus, in fruſta plurima vi Titanica diſcerpentes, ire pergamus, donec in ſinu patris, qui ſupra ſcalas eſt, tandem quieſcentes, Theologica felicitate conſummemur, indiuiduaque mox copula complexúve non modò Deo conciliemur, ſed admirabili quodammodo vnum penitùs euadamus.

Effectus Theologiæ.

Quibus Deus circũdatur, & quomodo.

Vt verò quædam à Pici sententia non aliena subiungamus, à quatuor his doctrinæ partibus circumdari Deum, Maximus Tyrius mihi videtur intelligere. Circundatur autem is, qui coràm, retrò, ad dexteram, atque ad sinistram, aliquos habet circumfusos. Eorum verò qui Deum circundare videntur, illi retrò esse dicuntur, qui per virtutem illam, quæ ad actiones pertinet, Deum sequi persistunt. Ea verò plurimum in moribus sita est. Dedit autem is exemplum nobis, vt quæ ipse egerit imitemur. Ad sinistram illi constitui videntur, qui naturalem secuti Philosophiam, vsum eius in spiritualem dirigunt intellectum, perque inferiorem indaginem, ad superiorum cognitionem peruenire conniuntur. Ad dexteram illi esse intelliguntur, qui sublimium, & à materia separatarum, humanumq; visum excedentium, rerum scientiam perscrutantur. Coram denique Deo eos esse dicimus, qui ob immensum diuinæ pulchritudinis amorem digni effecti sunt, vt Dei ipsius conspectu perpetuò perfruantur, facieq; quodammodo in faciem intenta, veræ felicitatis participes facti, dij quoque & ipsi fieri mereãtur. Ea enim perfecti tetrade, vt Pythagoræ vocabulum interim vsurpem, riteque instituti, animam vndecunque puram, sanctam & immaculatam Deo videntur asserere, atque ita mente optima, manifestissima scientia, opinione firmissima, sensuque absolutissimo præditi, soli hominum super hominem euecti, terque quaterque beati efficiuntur.

TRIAS.

Disciplinarum diuisio facta à Solomone.

QVATVOR itaque circulis huiusmodi describitur institutio, in quatuor ipsa diuisa partes. Sedenim Salomon, qui diuino afflante Spiritu disciplinarum ordinem primus excogitauit, quem plerique Græcorum sapientes, qui eius inuenta sibi vendicant, non temerè secuti sunt, tres tantummodò totius disciplinæ partes agnoscit, moralem, naturalem, & contemplatiuam, quas per tria identidem volumina pertractauit, Prouerbia, Ecclesiastem, & Canticorum canticum, mores vtique per Prouerbiorum præcepta docés, naturam rerum per Ecclesiastem, per Canticum autem speculationem. Neque etiam Logicen distinctam ab his portionem arbitratus est, quæ in vnaquaque disciplina per se ipsa conseritur, & instar staminis ad firmitatem contexta, cuiuscunque subtegminis laborem admittit, siue pexum, siue plumatile, siue beluatum opus intexere volueris. Nam cùm institutio omnis per sermonẽ fiat, quomodo quispiam probabilem sermonem suum efficiat, nisi ita loquatur, vt ipsius rei quæ in promptu est ratio, verisimilitudo, ipsa denique veritas deposcere videatur? Vnumquenque igitur sermonẽ dirigit Dialectica. His similia videntur quæ de Deo Abraham, Deo Isaac, & Deo Iacob habentur in sacris literis. Nam quod Abraham vbique locorum se morigerum & obsequentem Deo præbuerit, moralem innuit. Isaac dum scientiæ puteos fodit, profundaque & abdita quæque rimatur, naturæ indicat Philosophiam. Contemplationis verò munus Iacob ostendit, tum ex ipso nomine, quòd Israël ob diuinorum contemplationem appellatus fuit: nam mentem quæ Deum intueatur, nomen id significat, tum ob inspecta cœli castra Dei sedes, & Angelorum vias, scalas quippe à terris in cœlum vsque surrectas, de quibus in hanc omnes sententiam tam Hebræi, quàm Græci, Latiniq; Theologi plurima disputarunt. Quin etiam ipsa elementorum natura quandam istiusmodi institutionis figuram ostendere videtur, terra scilicet vnà cum aqua, inde aër & æther, quorũ mutuus complexus certos in disciplinis gradus constituere perhibetur; terra quippe, & illi applicitus humor, magistram morum historiam, in his enim mundi partibus res gestæ continentur, atque illæ vel priuatæ, vel publicæ, vnde œconomia, atque politica, ex eorum qui sapientiores habiti sunt, exemplo describuntur. Facit verò historia hæc ad institutionem, quoniam exempla ipsa per euentus varios aut hortantur ad imitandum, si præclara sint, aut absterrent à perperàm factis, si malè tractata malè ceciderint. Hoc verò amplius, aquæ variis ventorum flatibus agitatæ, mores in humana natura varios & inconstantes indicant. Quo igitur pacto cogitationum procellis, & consiliorum tempestatibus obuiam ituri simus, per orationis fluxum institutio moralis edocebit; atque pars hæc illa est, quam Ethicen Græci dicunt, quam vnusquisque hominum debet secum diligenter examinare, inde sibi, & suis, & patriæ, & vniuerso demùm mortalium generi profuturus. Terræ pariter atque humori vndequaque circunfusus est aër, atque vnà cum duabus quæ simul adhæresciunt partibus, nascentium omnium atque morientium naturas amplectitur, atque ita aër naturalis indicium est scientiæ. Extra hæc omnia quæ variationi sunt obnoxia, æthereus ille ardor igneus est, in empyreum vsque cœlum, vt multorum sapientium est opinio, diffusus, quæ quidem est naturæ diuinæ contemplario, quam Græci Theologiam nominant, vltra quam nullus procedit intellectus. In qua quidem diuisione Dialectica non immeritò præterita est, cùm ea minimè particularis scientia esse videatur, sed tanquam spiritus harum vnicuique partium insita, coalitáve: per eam enim historiam scribimus verisimilem, per eam morum rationes varias edocemus, per eam naturæ vim perscrutamur, per eam demùm ipsam diuinarum rerum imaginem intelligimus. Quare, vti superiùs dictum, etiam illi qui disciplinas ad elementorum similitudines diuiserunt, Dialecticam, vtpote quæ cuiuslibet institutionis ministra sit, in partem non admisêre.

DE IIS QVÆ PER COELVM RORE PLVVIVM ET ALIQVOT AQVARVM GENERA SIGNIFICANTVR.

Per quatuor elemẽtorũ naturã scientiæ figuratæ.

AEGYPTII quidẽ de disciplinis hoc modo in vniuersum disserere cõsueuerũt. Quatuor verò illas,

illas, Arithmeticam per surrectos digitos, Geometriam per arundinem, Musicam per dentes IIII. lingua percussos, Astrologiam per maculosam hinnuli pellem, & figuras alias indicatas, nũc omittimus, quòd aliis ea commentariis sunt à nobis explicata. Atque vt susceptum semel negotium peragamus, quamuis alia nunc circumacti via, eandem tamen metam contingere procurabimus. Theologi siquidem nostri cùm antiqua Ægyptiorum dictata conspexissent, qui cœlum imbre rorulento liquidum in doctrinæ significatum pingere instituissent, Mosemq; ex ea quam adolescens in Ægypto didicerat lingua, figuris huiusmodi passim vsum animaduerterent, ea multa quæ de pluuiis, de fontibus, de fluminibus, de mari, deque aquis reliquis passim in Diuinis literis reperiuntur, ad huiusmodi vetustatis exemplum interpretati sunt, quorum ego commentationes prosequutus, aquarum de doctrina significationes post Ægyptiacas illas explicare cõgruum existimaui.

INSTITVTIO.

Roris & disciplinarũ similitudo.

VTI igitur profati sumus, cœlum Ægyptij rore pluuium cùm pinxissent, disciplinam institutionisq; laborem & operam intelligebant: mira etenim est vtriusque rei similitudo. Nam veluti ros in herbas, frutices, plantasq; omnes decidens, ea omnia quæcunque molliri apta sunt, humectat, pascit & liberaliter educat; contrà verò in iis quæ natura proprietateq; sua obturata, dura, solida atque repugnantia fuerint, proficere nihil quicquam potest: ita in hominibus erudiendis instituendisq; euenit, quorum ij qui prompto, acuto, & docili sunt ingenio, minimo negotio eruditur; contrà verò si plumbeum & obtusum, atque honestis artibus & disciplinis auersum, instituere aggrediaris, nihil prorsus efficias: inuita siquidem Minerua nihil rectè fieri, dicíve potest, vt apud Horatium. Ita demùm disciplina contumacem nacta naturam, frustra omninò laborabit, sed
B idonei fundi compos, lætissimæ frugis opulentia lætabitur. Sanè Pindarus eius rei, quæ plurimùm ad fœcunditatem faciat, ratione habita, irrigationi similem esse laudationem dixit. Nam quemadmodum illa plantarum vim auget, & vt lætiùs proueniant efficit, ita virtus dignis Poëtarũ scriptis commendata mirificum suscipit incrementum: laudatam enim virtutem gliscere, vulgò etiam dictitatum contrà vero loca quæ aquarum beneficia non suscipiunt, plurimùm infœcunda sunt. Et Diuinæ literæ vbi agri cuiuspiam sterilitatem, desertaq; & inhospita tesqua notare volunt, inaquosum dicunt, vt Psalmo LXXVII, *Exacerbauerunt altissimum in inaquoso:* eodemq; modo sæpius. Quod verò facit ad doctrinæ sapientiæve significatum, in iisdem literis cùm Psalmographus desiturum in Aduentu Christi promptuarium illud vaticinationis donum præuideret, neque diuinationem ipsam quicquam ampliùs producturam, Psalm. CVI, terram frugiferam in salsuginem vertendam oraculo haudquaquam vano præsagiuit. Marina autem aqua ἀτρυγετὸς Homero dicitur, quòd nullum ex ea fructum possis decerpere, propterea quòd adeò est salsuginosa.

Irrigationi similis laudatio.

DOCTRINA GENTIVM.

EIVSDEM salsedinis atque amaritudinis causa, marina aqua doctrinam gentium significabat, propterea quòd sine fructu esset, propter rerum quæ sacris eiusmodi adhibebãtur amaritudinem, intractabilis, dum neque quidem humanis hostiis abstinebant, & alia dictu fœda faciebant, sceleraq; ac turpitudinem omnem diis etiam suis adscribebant, quorum exemplo lasciuire, & mollia quæque sectari mortales sibi permitterent. Tot præterea deorum marinorum lusus nihil aliud sunt, quàm mera lasciuia, profanis quippe & impuris ea dulcis & delectabilis, piis, verò syncerisq; inuisa & amarissima. Fortè autem Herculis columnæ in habitabilis terræ finibus erectæ, virtuti do-
C cumento sunt, non esse à duris terræ laboribus ad vndarum mollitiem atque lasciuiam dilabendum. In has autem aquas Abacûs Propheta armentum à Deo inducẽdum canit, accessurum quippe cultum, & polituram, hoc est, Apostolos per omnem terrarum orbem profecturos, qui omnia commitigarent, mansuefacerent, & habitabilia frugiferaque redderent, amaritudine omni dulcium aquarum corriuio delinita.

Herculis columnæ.

DOCTRINA COELESTIS.

PINDARVS plerisque locis hieroglyphico vtitur hoc dicendi genere, vt cùm canit, χαίρειν ἄρδοντι κάλλιστα δρόσῳ, hoc est, optimo pulcherrimóve Gratiarum rore irrigant, id quod odarũ luculenta lepiditate dictum interpretes exponunt, vt denique per rorem eloquentiæ lepórem intelligamus. Sed quid egemus Pindaro, cùm Mosem audimus cœlum ad audiẽda quæ loquitur, ac terram etiam ipsam inuitantem, doctrinamq; suam vti pluuiam concrescere augurantem, eloquium vti rorem pluere meditantem, esseq; quasi imbrem & stillicidia super herbam & gramina, quæ manifesta sunt doctrinæ cœlestis symbola? Quin & Angelici chori Aquæ vocabulo designantur, vt Psalmo: *Et aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* Vnusquisque autẽ Prophetarum simulac os adaperuit, terrã irrigat vniuersam, hoc est, vt interpretatur Adamãtius, disciplinã in aures & in corda hominũ infundit. Dauides autẽ noster per lignũ propter aquarũ fluenta plantatum fœtiferum & opportuno proquẽtu lætũ reddi, hominẽ intelligit, qui diuina præcepta susceperit, quibus ingenia nõ aliter quàm plantæ aquis irrigantur. Sanè Moysi diuinitùs ab aqua nomẽ inditũ facilè crediderim, qui vberrima diuinarũ humanarumq; rerũ omniũ doctrina mortale genus in æterna esset secula instituturus. Moys enim Aegyptiis aqua dicitur, quamuis euentus nomini causam dederit, quòd à Thamura Pharaonis filia ex profluente, in quem à parentibus acerbissimi edicti regij metu proiectus

Symbola cœlestis doctrinæ.

Moysis etymon.

proiectus erat, Diuinæ ita prouidentiæ commendatus, in cistula iacens exemptus esset. Antiquitas demùm tota disciplinam aquis comparauit, hinc Pegaseus, hinc Castalius fons, hinc vndæ Cephisides, hinc Permessus, Ilissus, Termessusq; fluuij, totaque, vt semel dicam, Aonia aquis irrigua: vnde, vt fit in fabulis, non tamen inanibus,

Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Apud Virgilium cùm Damœtas & Menalcas ingenij & artis doctrinæque suæ periculum alternis cantando fecissent, Palæmon vtriusque virtute commendata, demùm ait:

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

Musicam porrò Pindari commentatores ex aqua fieri autumant. Et Varro tres Musas ponit, vnam quæ mera tantum voce consistat, alteram, quam aëris icti sonus efficit, tertiam, quæ ex aquæ motu nascitur. Hinc percussa iuuant fluctu littora, hinc dulce etiam petra riuus qui stillat ab alta, vt Theocritianum illud imitemur: ἆδιον ὦ ποιμὴν τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταλείβει ταῖ ὑψόθεν ὕδωρ. Cùm verò tam nostri quàm Ægyptij pluuias plurimùm in doctrinæ cœlestis significatum acceperint, causa ea esse videtur, quòd imbres longè fœcundiores aquis aliis esse, magisq; nutrire, & celeriùs confici experimento compertum est. Hinc Hesiodus Theogonia, fœcundum cœlum dixit, propterea quòd, vt interpretes eius aiunt, & Virgilius affirmat, *Plurimus vt cælo descendit Iuppiter imbri*, omnia terra nascentia fœcundantur. Hinc Menander:

Quare pluuiæ pro doctrina cœlesti accipiãtur.

ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα, *Amore tellus imbrium peruritur.*

Eodem modo doctrina ea, quæ cœlitùs instillatur, longè fœcundior est, quàm quæ ab hominum opinionibus emanauit. Huiusmodi autem imbribus affluenter omnes alluimur, quicunque Christianam sequimur institutionem, ex quo tempore super Hebræos decidere olim desiêre, quod non temerè præmõstratum libro Iudicum eo loco legimus, vbi Gedeon Ephraimita, qui & Hierobaal, Madianitarum Amalechitarumq; & Arabum viribus Israëlitas omnes opprimentibus, signum petiit à cœlesti numine, quo se populumque adhortaretur ad virile aliquod facinus aggrediendum, & se suosque de montium solitudine liberaret, in quibus, patriis expulsi finibus, extorrem vitam rerum omnium inopia laborantes agitabant: excitatus itaque Gedeon oraculo minimè contemnendo, cui tamen haud facilè fidem adhibuerat, ob ita accisas res, vt facilè esset omnia desperare: *Sequar te*, inquit, *sanctissime, tua erga nos propensa voluntatis signum id assecutus, si ros scilicet ceciderit super lanæ vellus in area stratum, & terra circum arida perstiterit*: id quod vti petierat, factum est. Subiecit mox Gedeon attestatum: *Si ros*, inquiens, *super terram deciderit, eaq; tantùm aspersa, stratum vellus minimè madefecerit*; cui petitioni Deus cùm iterum annuisset, plenus animis negotium aggressus, victoriam est felicissimam consecutus. Hîc, vt interpretantur sapientes, vellus lanæ populum indicat Israëliticũ, terra verò Gentes reliquas eius eo tempore pietatis ignaras. Qui verò ros cœlitùs decidit, Dei doctrinam ostendit, quæ priùs Israëlitis diuinitùs indulta est: hos enim solos ros Diuinæ legis priùs irrigabat; reliquus autem terrarum orbis nulla istiusmodi humoris gutta madefactus, arida prorsus siccitate laborabat. Postea verò quàm secundum accidit postulatum, aruit vellus, terra irrorata est; Hebræis quippe adempta est Prophetarum pluuia, nobis verò per Christi doctrinã diuini eloquij fontes adaperti. Tale aliquid tãgit Chrysostomus Psalmo LXXI. sed rem copiosè tradit Adamantius. Eodem modo Tertullianus etiam interpretatur locum illum, *Et mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super vineam Soreth*, hoc est, cœlestibus beneficiis ne prouenirent in Israëlis domum: subtractis enim charismatum roribus, lex & Prophetæ cessauerunt, neque vltra Ioannem processerunt. Quod verò ad gentes facit, assentitur huic sententiæ Cyprianus, qui prænunciasse Deum per Prophetam ait, apud gentes in locis quæ inaquosa priùs fuissent, flumina postmodùm redundatura, & Christum ait, vt doceret, ostenderetq; futurum, vt populus gentium succederet, & in locum quem Iudæi perdidissent, merito fidei perueniret, de aqua vinum fecisse, vt ad Christi quippe & Ecclesiæ nuptias Iudæis, qui fuerant inuitati, venire cessantibus, euenturum ostenderet, qualiter non temerè, neque contanter plebs gentium è plateis & triuiis, vt se quisque obtulerat, conuocata conflueret & conueniret: vinea enim Domini sabaoth domus erat Israël. In eandem significationem aquam vino instillare institutum sacrificio nostro, quæ modico temporis momento vinum fiat, vt receptos ad nos populos sentire & facere nobiscum intelligamus. Quamuis longe sublimiore significato, preces quæ huiusmodi mysterio adhibentur, humanam naturam indicent aggregari ad diuinam, vti diuina humanã ad se traxit. Hinc Irenæus de Ebionitis loquens, qui vnionem Dei & hominis non recipiebant: *Reprobant*, inquit, *hi commistionem vini cælestis, & sola aqua seculari esse volunt.* Alio tamen modo sententiaque longè seciore aquam vino mixtam aiunt ab Esaia, *Caupones tui miscent vinum aqua*, vt id scilicet innueret, quòd austero amarioriq; Dei præcepto iam tum Iudæi illi seniores aquæ dilutionem immiscere cœpissent, multaque laxare, & in commodum suum indulgere sibi, legem adulterantes, cùm alioquin legem obseruare fingerent, & quæ minimi momenti essent, religiosissimè custodirent, quod eis pluribus obiectum est à Domino: vt de menthæ decimatione, & Cameli deuoratu, tum illud apertissimè: *Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Nam*, vt inquit Irenæus, *non solùm per præuaricationem*

Aqua vino mixta quid in sacris literis.

A *tionem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aqua, sed & suam legem contrariam statuerunt, quæ Pharisaica vocabatur, in qua quædam quidem auferebant, quædam verò addebant, & ex libidine sua interpretabantur; & vt ait Esaias, & Psalmographus subscribit, labijs Deum honorabant, cor autem eorum à Deo procul aberat, eumq; frustra colebant, cùm doctrinas & præcepta hominum edocerent.*

AQVÆ RELIQVÆ.

QVONIAM verò varia admodùm est aquarum consideratio, operæpretium videtur, priusquàm huic commentario finem imponamus, aquas distinguere, singularúmque mox specierum significata pertractare. Primæ autem omnium videntur esse pluuiæ, de quibus abundè est à nobis disputatum. His nubes necessariò coniunguntur, harum igitur significationes statim subiiciemus. Subsequentur inde fontes, mox fluuij, in quos naturæ ipsius impulsu torrentes inferentur, dein construenda erit cataracta. Hinc se offeret mare vastum & magnum, cuius pars nobis erit persulcanda, iisque demùm quæ in conspicuo sunt enumeratis, descensus erit in abditam puteorum profunditatem. In vniuersum autem aquæ singulæ vel limpidæ tranquillæq; reperientur, vel turbidæ atque procellosæ, quo constituto, singularum hieroglyphica commodiùs exequemur.

Aquarũ distinctio.

NVBES. PROPHETÆ.

NVBES in Diuinis literis Prophetarum significato passim positæ, in quas scilicet Dei veritas extenditur, atque hæ dicuntur mandatum Domini audire, & quo tempore quóve loco pluuiæ sint effundendæ, cognoscere, & à quibus etiam eas suspendere ipsa res exigat. De quibus, vti superiùs habetur, Esaias, *Et mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem.* Domum enim Israël Vineam appellat Vates diuinissimus, mandatúmque ait nubibus ne super eam pluerent, hoc est, ne

B Prophetæ oracula sua vlteriùs in Israëliticum populum conspergerent. Quod autem ad nubem facit, manifestũ est eam fuisse multa obscuritatis caligine circumfusam, arcanúmq; illud de Christo mysterium, vnde nostra omnis doctrina defluxit, per tenebrosas aquas, densissimus quippe nubibus collectas, Psalm. XVII. indicari Theologi monuerunt. Nam vbi, *Et nebulæ puluis pedum eius*, Eucherius nebulas pro mysteriorum velamento hieroglyphicè positas ait. Nam & caligo in id accipitur significatum, vtpote quæ diuinorum secretorum operimentum intelligatur, vt Psal. *Caligo sub pedibus eius.* atque alibi: *Posuit tenebras latibulum suum.* Est & vbi significant perperàm admissorum abolitionem, vt apud Esaiam: *Deleui vt nubem iniquitatem tuam, & quasi nebulam peccata tua.* Eucherius idem, vbi legitur, *Velut nubes pertransiuit salus mea*, iniquorum ait tempora significari. Quinetiam propter eandem Prophetiæ duritiem atque difficultatem, doctrinámque solido velut quodam corpore concretam, ac minimè deffluentem, ex grandinis metaphora signatam Psalm. VII. viri iidem diuina mente præditi tradidêre. Alioqui nix, glacies, & grando in Diuinis literis plurimùm ponuntur pro duritia atque rigore delinquentium. Et quod ait Dominus, *Orate ne fuga vestra fiat Hyeme vel Sabbato*, sunt qui per Hyemem, sordidum quippe & ignauum tempus, intelligant hieroglyphicè humanam vitam in peccatorum immunditiis occupatam, scelerúmque voraginibus immersam atque detentam, per Sabbatum autem, cessationis diem innui verè dicant, cauendum identidem ne cùm dies illa ingruerit, desides & à bonis operibus cessantes deprehendamur. Non enim sufficit non peccare, nisi bona etiam opera faciamus, quia tam rebellis est vetita consectari, quàm contumacis facienda relinquere. Aç de niue, & omni glacie, sentit idem Eucherius, de pruina verò secus, quippe quam abstinentiæ symbolum esse tradit, propterea quòd ea sit in cau-

C sa, vt calor corporis ad salubritatem refrigescat, eáque de causa dictum, *Factus sum sicut vter in pruina.* Et quoniam huc incidimus, LXVII. Psalm. vbi legitur, *Et virtus eius in nubibus*, Theologi Apostolos identidem per nubes interpretantur veluti procul extantes, & supra terrena omnia negotia in altum euectos, diuinique insuper Spiritus aqua plenos, qua mox arua, campos, & vniuersam terram inundarent, vnde fœcundissimos bonorum fructuum prouentus obueniret. Huiusmodi enim pluuiam decidere, & rorulentum imbrem terram irrigare, nostra pietas per preces poscere consueuit.

Pruina abstinentiæ symbolũ, quare.

FONTES. LIBRI I.

SEQVVNTVR fontes, de quibus Psalmo sexagesimo septimo legimus, *Ex fontibus Israël Dei laudes in Ecclesijs emanare*, quod ita Theologi accipiunt, vt intelligamus, ex Legis & Prophetarum libris, veluti ex quibusdam fontibus perennibus, Israëlitico olim populo Dei doctrinam atque cognitionem affluxisse, ex quibus fontibus viri illi sanctissimi ac Deo pleni multa hauriêtes, hymnos in Dei laudem componebãt. Apostolos etiam, primos Christianæ pietatis doctores à Christo electos, per aquarum fontes qui repentè apparuerint, interpretes plerique designarunt, vbi Euthymius vnanimem veterum sententiam secutus, sæpenumero ait per Aquam, Euangelicæ prædicationis doctrinam significari. Iam quod Dauid ait, *Inter montes transibunt aquæ, potabunt eas omnes bestiæ agri*, ostendere voluit, nulla tam alpestria, támque inaccessibilia loca fore, in quæ doctrina Diuinæ legis non sit penetratura: nam per bestias pleriſque sacræ Scripturæ locis impij ponuntur, & qui nullam adhuc rerum diuinarum doctrinam audierunt. Et quòd Leuitico legislator vasa omnia pollui dicit, in quæ pollutorũ morticinium inciderit, exceptis, inquit, fontibus aquarum, per fontes quippe & cisternas, & castella, & collectiones aquarum, doctrinam intelligens, & Magistros, qui

Fontiũ mystica significationes.

qui quòd prauis nonnunquam moribus polluti sunt, non tamen prorsus abominandi; de quibus D scilicet Matthæus, *Omnia quæcunque dicunt vobis, facite & custodite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Ad hæc sextis Hebræorum castris per XII. aquæ dulcis fontes ad Elim repertos, Hieronymus Apostolos XII. interpretatur, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius terrarum orbis siccitatem rigant. Communi verò scriptorum omnium consensu, dulcedo aquis præcipuè fontanis attribuitur, quamuis in optima aqua neque sapor neque odor vllus à Physicis requiratur. Quia tamen sitientibus, cùm scilicet sicco spuit ore viator, aquæ potus suauissimus accidit, factum vt Poëtæ *Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo*, inter oblectamenta ingenia posuerint. Ita illud Deuteronomij cantico expressit, mel de petra dictum super Mose, hoc est, tam suauem tamq; dulcem & amabilem aquam, vt melli similis esse videretur. Chrysostomus quoque aquæ suauitatem pro melle ex petra prosiliente intelligit, cùm nusquam legatur mel à Mose de petra vnquam eductum. Apud Dauidem verò Psalmo LXXX. *Educto de petra melle saturauit eos*, interpretes ita dicunt: *Pauit Christus* IIII. *millia hominum septem panibus, quia potauit eos mellita doctrina sua vsque ad saturitatem:* Res enim omnes ab eo gestæ, præter historiam, mysticum etiam sensum secum trahunt. *Quam dulcia* (canit pietas) *faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Petra igitur illa vnde fluebat aqua, vt Apostolus ait, erat Christus. Atque hic fons ille fertur de quo cecinerit Dauid: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Esaias, patentem fontem dixerit appariturum. Hieremias, fontem aquæ viuæ derelinquendum conqueratur.

FLVVII. CHRISTVS.

Metaphoricæ fluuiorũ in Diuinis acceptiones.

SEDENIM in fluuiorum metaphoris longè frequentius est in Diuinis literis Christi significatum, vt eo loco, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem quam incolit Deus*, vbi nostri Theologi flumen E Christum esse dicunt, propter dulcissima eius fluenta, de quibus Psalmo primo multa disseruêre. Hinc apud Prophetas legas: *Ecce ego ad eos delabor quasi tranquillum flumen.* Et Ecclesiastici 24. *Ego sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio: ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui de Paradiso:* & quæ sequuntur in hanc sententiam. Quinetiam ait Dominus, *flumina aquæ viuæ de ventre eius qui crediderit emanatura*, quo sapientiam & facundiam intelligi voluit, Ambrosio interprete, quam assecuti erant ij, qui diuino afflari Spiritu meruissent. Itaque Apostolorum doctrinam & institutionem præuisam à Psalmographo, Theologi eo loco volunt, vbi, *Extulerunt flumina Domine, extulerunt flumina voces suas*, habetur. Et per amnes qui per eosdem alueos decursuri erant, subsecutos Doctores accipiunt. Non negarim verò quod tradit Eucherius, flumina nonnunquam pro populo accipi, qui nondum in fidelem receptus esset, in quam sententiam corriuat ille *flumina Babylonis.* Iam & Apocal. 17. *Aquæ quas vidisti, super quas meretrix illa sedet, populi & turbæ & gentes sunt, & lingua.* Eôdem tendit Esaiæ dictum, cùm *Beatos* appellauit *eos, qui super omnes aquas seminarent.* Apud Abacunta Prophetam legas, *Fluminum terra scindetur*, quod de Hierosolymis dictum Græci tradũt, quæ scilicet fuerit Prophetarum patria, qui fluminum instar eam irrigabant, sed ad IESV Christi aduentum hiatura esset, & rimis aperienda, omnisque humor alueo ita fatiscente defluxurus, penitúsque defecturus, futurum scilicet vt pristina exaresceret vaticinatio, quod euentus comprobauit. Quod verò sexto supra centesimum Psalmo legitur, *Deserta reddidit flumina, & aquarum fluxus in sitim transmutauit*, flumina scilicet exiccauit, & quæ terra prius erat irrigua vliginosaq;, ita desertam reddidit, vt prorsus sterilesceret; & aquarum venas abundantes ita obturauit, ne vlla inde potio, sed sitis potiùs prosiliret. Euthymius Græcus ipse ad Græcos Philosophos referri dicit, qui scilicet F cùm eloquentiæ quasi fluminibus & disciplinarum varietate & copia redundarent, omni demùm sapientia destitui visi sunt, cùm illiterati ac piscatores homines eos represserunt.

TORRENS.

Eloquentiæ descriptio.

ACCEDIT huc torrens, cuius significatum ita refertur ad eloquentiam, vt torrens facundia veterum scriptorum sententia dicta sit ea dicendi vis, quæ magno dictionis impetu decurrit, quam in Pindari commendationem ita describit Horatius:

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluêre ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo *Pindarus ore.*

In Diuinis verò literis mentio fit de quodam delitiarum torrente, Psalm. supra XXX quinto, pro quo pleniſſima Christianæ doctrinæ fluenta intelliguntur. Torrentem autẽ dixit Psalmographus, ob tempestatiuam doctrinam, quæ à Christi ore loco, & tempore diffluebat, propterq; eius in suadendo & arguendo vehementiam, affluentissimamque vim. Quin & propterea ea multa, quæ de propheticis sermonibus collecta in vnum adducebat: fluit enim ad tempus torrens, & vehemens est ac violentus, & ex multiplici aquarum concursu corriuatur, vnde ait Eucherius, per torrentes insignium prædicatorum eloquẽtiam significari. Alioqui torrens in iisdem Diuinis literis pro concupiscentiæ stimulo ponitur, quæ vel difficulter superetur, vel in profundum trahat, de quo plura inferiùs. Nam hic præterire non est animus locum in Psalmo, *Sicut torrens in Austro*, quam exultantis esse vocem, inquit Eucherius, & ex vitiorum vinculis ad libertatem, conuersionémque redeuntis,

A redeuntis, qua postulat vt diuinæ aspirationis auxilio atque ope, ex peccatorum captiuitate soluatur, sicut constricti glacie torrentes, Austri tepore soluuntur.

CATARACTA.

Cataractæ finitio.

EST & Diuinarum literarum proprium, vehemẽtiam vel in sermone, vel in opere, aut alia quapiam vi, per cataractam significare, atque hæc ea est cataractarum vox, cuius mentio habetur Psalm. LXI. Est verò cataracta, aquatici cuiusdam aluei coarctatio, vbi aqua in angustum vel natura, vel arte collecta, aut sponte, aut artificis arbitrio, magno inde impetu atque etiam fragore prorumpit. Sedenim quæ à natura est cataracta, nihil aliud quàm strepitũ & impetum præ se fert, eáque est naturalis eloquentia sermonísve copia, nullo studio, sponte profluens. Quæ verò arte constituitur, & vim & efficacem operum vtilitatem suggerit, atque huiusmodi est dicendi facultas, arte, labore, diligentia, iudicio atque exercitatione comparata.

MARE.

Maris in diuinis acceptio mystica.

QVEMADMODVM autem fontésque fluuiique omnes in mare decurrunt, ita nos dictionis ordo deuexit in pelagus. Vt verò loco hoc ea prætereamus, quæ multa super mari ex Ægyptiorum doctrina in Pisce disseruimus; contenti nunc erimus aliquot locis, quos ex Diuinis literis eruemus.

PERDITIO.

IDverò cum primis proprium est maris significatum, vt perditionis indicium sit, ob ipsam quippe profunditatem, vtpote quæ idonea admodùm sit ad suffocandum. quanquam alia de causa Mare apud Ægyptios pro pernicie ponebatur, vt suo loco docuimus. Quod ad perditionem attiB net, eo significato Theologi Prophetam aiunt Psal. XVII. canere, se de aquis multis eductum. Passim verò interpretes, *Exundantes fluctus* pro *Calamitatum excessu* accipiunt; & per turbulentas aquas suprema quædam doloris ostenditur vehementia, quæ omnem respirandi facultatem exuperat, vt Psal. LXVIII. affixum se clamat in profundo luto, vnde nulla se vi possit expedire, rapidissimis demùm vorticibus deuoratum, in imam maris sedem deiectum esse, in quem vsque locum tempestas etiam accedat, quæ arenas omnes æstu commisceat atque perturbet, qua quidem nulla maior describi potest inquietudo: primò enim aquarum, in quas deciderit, ponit altitudinem, mox limum, cui affixus inhæresçat, inde maris amaritudinem, & immensas vndas, postremò eas sæuis tempestatibus agitatas, meritò itaque paulò pòst se de profundo huiusmodi liberari supplicat, ne tanta rerum vexatus perturbatione deficiat.

HOSTILIS IMPETVS.

APVD eundem hostilis impetus, & subitaria quædam oppressio, per aquam indicatur, Psalm. CXXIII. *Cùm exacerbatus eorum furor in nos debaccharetur, sanè aqua demersisset nos.* quod vt magis exasperaret, addidit: *Torrentem pertransiuit anima nostra*, vbi impetuosos inexpectatósque hostium insultus incursu repentino proruentes, torrenti turgido comparauit, quem tamen auxilio Dei fretus tutò pertransierit. & quasi parum adhuc dixisset, superaddidit: *Sanè pertransiuit anima nostra aquam intolerabilem*, ingentes quippe rerum difficultates atque pericula. Tale aliquid apud Maronem legas:

Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti.

Idémque alibi nubem belli dixit, vtrunque desumptum ex Pindaro. In Isthmiis enim ἐν πολυφθόρῳ C σαλπμὶς ὅλος ὅμιλος. & alibi: ὅστις ἐν τάντα νεφέλα. Apud oratores historicósque & turbines procellas sæpe pro bello positas inuenias. Causa verò cur aqua vehementiores indicet ærumnas, ea est, quòd *Aquæ cum ærumnarũ hieroglyphicum.* pericula casúsque reliqui corpus soleant ex vna aliqua parte labefactare: aqua verò vniuerso statim corpori circunfusa, omnibus euestigiò membris impedimento est, atque vndique oggerit difficultatem atque molestiam.

ÆRVMNÆ.

HINC Psalm. LXXXVII. vbi legitur, *Omnes fluctus tuos induxisti super me*, interpretes per fluctus, perturbationes & ærumnas omnes intelligunt, quæcunque affligere possunt humanum genus, quibus omnibus Christi esset humanitas obnoxia: in eius enim persona dictum id autumant. *Fluctuare* autem verbum sæpe pro *Perturbari* ponitur. Sedenim aliquando pro timore posita fluctuatio, vt Psal. LXI. *Ecce enim ipse Deus meus assertor meus, & adiutor meus est, quare non amplius fluctuabo:* id est, nihil est quod vlteriùs pertimescam.

DILVVIVM.

ACCEDIT huc diluuium, de quo Psal. XXVIII. *Dominus diluuium inhabitare facit*, siue vt alij reddidêre, *Diluuium sedat*, vel, *Tempore diluuij regnum obtinuit.* Vtcunque, significatum ad humanam pertinet salutem, quoniam hîc gẽtes intelliguntur, quæ suarum inundatione cupiditatum, in vitiorum pelago & humanorum affectuum voraginibus demersæ detinebantur, quæ mox à Domino exemptæ seruatæq; sint. Alio verò loco, Psalmo quippe XXXI. habetur, *Diluuium aquarum multarum proximè ad eum non accedet*; per huiusmodi aquas supra modum exundantes, tùm scilicet excrescentia ripas flumina prætereunt, vel mare turgidum per littora spatiatur, quas suprà memorauimus calamitates intelligi volunt. Ita Euthymius, & plerique alij sentiunt.

ABYSSVS.

Abyſſus abyſſum inuocat, quid ſignificet.

EODEM modo vbi fit de abyſſo mentio, vaſtum calamitatis pelagus figuratur, vt Pſalm. XLI. *Abyſſus abyſſum inuocat*; quod ita accipiunt, profunda atque vaſta calamitas vaſtiorem aliam ſemper vocat calamitatem, quod alij dixerunt *Malorum hydram*, cùm ſcilicet aduerſæ res cladéſque continenter ingruunt, ac velut vnda ſuperuenit vndæ, aliæ poſt aliam ſuccedunt. Sunt qui dictum ita interpretantur, vt vniuſcuiuſpiam rei magnitudo alterius inuocet magnitudinem, vtpote, peccatorum cumulo neceſſarium eſſe ingentem cumulum miſericordiæ. Alij per abyſſos hos nouam & veterem diuinarum inſtitutionum doctrinam intelligunt: profundiſſima enim vtraque eſt, & altera alterius indiget auxilio: ita enim Eucherius, Pſalmi dictum huiuſmodi citans, profunditatem inquit Scripturarum inde colligi. Neque illud non probat, vt vetus Teſtamentum noui egeat auxilio, & veteris nouum. Quin & humanam mentem vnicuique abyſſum eſſe dicit, quia nequeat ſemetipſam ipſa comprehendere, niſi ſuperioris abyſſi ope ſubleuetur, vnde ſcilicet affulgeat lumen quo alti profundi tenebras diſcutiat.

LACVNA FOSSA'QVE.

Quorũdam locorum varia explicatio.

AB abyſſo haud multum diſſimilis eſt alia aquarum ſpecies lacunoſa, eaq; plurimùm turbida, cœnoſa atque fæculenta, quæ nimirum pro Cladibus & ærumnis accipi ſolet. Ita dictum Ezechielis interpretantur, vbi Dominus ad Hebræos: *Aperiam ſepulturas veſtras, & educam vos de Babylone.* Frequenter enim in Diuinis literis pro vna eademq; re ponuntur, ſepultura, vorago, infernum, abyſſus, foſſa, lacus, & ſimilia. Pſal. XXVII. *Similis deſcendentibus in lacum*, nonnulli profundiſſimas foſſarum altitudines intelligunt, vnde non detur emerſus, nonnulli ſepulchra foueis excauata. Sed enim Pſal. XXIX. *Seruaſti me ne deciderem in lacum*, quod foueam alij, alij puteum vertêre: Euthymius E ineuitabile periculum exponit, quippe voraginem, in quam qui fortè inciderit, ſuis ipſe viribus nequaquam poſſit euadere. Alibi exauditum ſe ait Propheta, vt de lacu profundiſſimo ſordidiſſimóque extraheretur, quod maxima vitæ diſcrimina, quæ diuinitùs euaſerat, declarat. Et quod ibidem dicitur de luto limi, liuidiſſimam loci putredinem oſtendit, ea verò eſt quæ animas noſtras eò demerſas tenaci veluti cœno implicatas detinet. Hinc Dauides orat ſe de luto eripi, ne affixus in palude putoréque illo perpetuò recumbere adigatur. atque hæc de turbidis.

LIMPIDÆ.

Claritudo & obſcuritas aquæ quid.

AQVÆ verò limpidæ perſpicuæq; omnes, dubio procul pro doctrinæ ſymbolo, vti oſtẽſum eſt, accipiuntur. Doctrina autem omnis vel in conſpicuo eſt, in ore quippe ipſo, vel in mentis receſſu. Hinc ea quæ manifeſtè patent, perſpicuis & nitidis, neq; admodùm altis profluentibus comparamus, quæ verò in arcanis habentur, aut ſolo concipiuntur intellectu, ea vel nubiũ, vti ſuperiùs, denſitati, vel puteis, vel altioribus vndis ſimilia ſunt. Transfertur autem commodiſſimè hæc aquæ claritudo atque obſcuritas ad humanum animum, eaq; metaphora, quod ſyncerum, apertum, manifeſtumq; & perſpicuum eſt Candidum appellamus, propterea quòd huiuſmodi propemodùm eſt aquæ puræ conditio, vt ſuperficiem habeat claram atque perſpicuam. Hinc Pindarus Pythiis, Arceſilao candida præcordia dixit, λευκοῖς πρόσθεν ἐν φρεσὶν. Contrà verò quæ abdita, incognita, & in intima mentis penetralia recondita ab eiuſdem aquæ ſimilitudine, obſcura, nigra, vel alta nuncupamus: vt quæque enim in aquis profundiora ſunt, eo videntur obſcuriora. Ita Homerus nigra inquit præcordia, φρένας quippe μέλαινας ob taciturnitatem, & conſiliorum occultationem. Et Virgilianus Æneas premit altum corde dolorem, quem nullo ſcilicet ſigno manifeſtabat. F

PVTEI.

ET in huiuſmodi ſignificatũ Diuinæ literæ Puteos plurimum ponere conſueuerunt. Hinc Iſaac puteos tot fodit, tot purgare aggreditur, tot nouo labore aperit, quæ omnia myſtico ſenſu vitæ, quam ſequi debemus, doctrinam indicant. Nam & Philo eo loco, *Quæ foderant pueri patris eius, ingeſto rudere obſtruunt Palæſtini*, foſſuras puteorum auſpicia eſſe diſciplinarum ait. Eæ verò in pacatiſſimo contemplatiuæ Philoſophiæ receſſu commorantur, vbi tranquillæ, placidæ, lenitérque fluentes aquæ caſtiſſimè laſciuiunt. Nõ negarim autem puteum in Diuinis literis eſſe etiam vxoris hieroglyphicum: nam eò Theologi noſtri trahunt Salomonis præceptum, *Bibe aquam de vaſis tuis, & de puteorum tuorum fontibus.* Iam Berſabeæ nomen *Septimus puteus* interpretatur, quæ ſeptima fuerit Dauidis vxor. Propter aquas educatum ſe Dauides plurimùm gloriatur, ſed perſpicuas, viuas, dulces, & placidè prolabentes aquas, quæ nobis quoque ſunt identidem adeundæ, ſi modò illos adeamus puteos in quos Palæſtini terram non ingeſſerint, in quos ſcilicet, vt hoc obiter interpretemur, inuida, ac periniqua Hæreticorum factio ſuę turpitudinis cœnũ non admiſcuerunt: quicunque enim ſuam vberrimis his limpidiſſimíſque vndis ſitim expleuerit, aut cœleſtem exceperit rorem, fontes melle fluentes hauſerit, nubium harum imbrem collegerit, inq; auctos iiſdem imbribus fluuios demerſus lauet & volutetur, æſtuoſos is cupiditatum ardores extinguet, membris morbos, qui ſenſum obſtupefaciunt, expellet, animíque podagram, bonorum quippe operum impedimentum, elidet, omníque demùm labe perpurgatus, nulla corporis fæce ſordidus ſitu obſitus nullo, nulla denique labe contaminatus, ipſam æthereæ puritatis claritatem induet, & ſuperis par effectus, immortalitatis etiam conditionem diuinæ decreto liberalitatis aſſequetur.

Puteus pro vxore.

DEVS

A

PIERIVS VALERIANVS

AD M. ANT. PASSEREM, PATAVINVM PHILOSOPHVM PROBATISS. DE IIS QVÆ PER ISIDEM, ET IVGERIS quadram, & picturas aliquot alias ſignificantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XXXIX.

NOLIM putes, eruditiſsime M. Antoni, dedicationem hanc meam de Iſide, deq; ijs quæ ſimilitudine quadam ad Iſidis argumentum in comitatum ſeſe adiunxêre, ideò tibi factam, vt ſperarem te aliqua hinc obligatione mihi deuincire; cùm mihi potiùs perſuaſerim, multum me acquiſiturum, tibiq; plurimum debiturum, ſi commentationes has meas, qualeſcumque ſint, ſuſcipere dignatus fueris. Nam quid ego vel meditari, vel continua lectione conſequi vnquam potuerim, quod eruditionis cuiuſpiam nomine venditari mereatur tibi, cui totus ſit calatus ille domi, vnde omnia poſſis largiſſimè depromere? Non enim te ſolis Medicinæ Philoſophiæq; terminis cohibuiſti, ſed longè vlterius progreſſus, variarum inſuper rerum minimè protritarum doctrinam ita tibi comparaſti, vt de quacumque re propoſita, & eruditè loquaris, & eruditionem ipſam mira B *ſermonis iucunditate noueris conueſtire. Quin Poëtas, Hiſtoricos, polyhiſtorásque omnes ita familiares effeciſti, vt nihil tota in encyclopædia ſit, quod te lateat, quod non in promptu habeas, proq; loco & tempore vtaris quàm feliciſſimè. Quare nihil aut parum legendis noſtris profecturus es, niſi quantum amici virtutibus tuis dediſſimi nugas amas, & qui amant, Ouidianum illud obiectare ſolent:*

In facie næuus cauſa decoris erat.

Sit vtcumque, non debui ego, quantulumcumque præſtare potui, quin ad te mitterem hæſitare, aut propemodùm expaueſcere, qui ſcirem quantum inde lucri facturus eſſem, qui rem quidem imbecillam admodùm & infirmam offerrem, ſed quæ apud tam peritum, tam prudentem, tam probum, eundemq; humaniſsimum amicum ita accipi poſſit, vt vigorem firmaſq; vires ſit conſecutura.

DE ISIDE.

ISIS dea quæ fuerit, quantoq; cultu à veteribus veræ pietatis neſciis, ſed rerum humanarum peritiſſimis, ſuſcepta, quot ſuperſtitionibus celebrata, iam omnibus innotuit, quare nos circa hieroglyphica eius tantùm immorabimur.

QVADRIENNIVM.

Iſis varia ſignificat.

PER eius effigiem inter alia ſignificata Ægyptij annum ſuum, qui ſcilicet quatuor annis ſolaribus conſtabat, indicabant. Erat verò muliebre ſimulacrum patrio paludamento veſtitum, vt paulò pòſt dicetur, quod & anni, & ipſius Dei ſignum habebatur. Iſis in cœleſtibus aſtrum eſt, Sothis Ægyptiaca lingua nuncupatum, ἀστροκύων Græca, quaſi Aſtrocanem dicas, corruptam eam dictionem multis in locis inuenimus. Iſidem apud nos Sirius eſt, eademq; Canicula, quæ ſtella ſub C mento Canis eſt, vt Aratus obſeruauit, quamuis alibi ex Euſebij obſeruatione diximus, Solem & Sirium eundem accipi. Simpliciter verò ſtellam hanc in Iſidis honorem Ægyptij colebant, quòd ortu ſuo ingentes apud ipſos pluuias concitare ſolet, quibus Nilus creſcat, vnde ſibi victui neceſſaria comparabant, qualem honorem & Leoni habitum eadem de cauſa, ipſo Leonis commentario declarauimus. Cur verò annum ex hieroglyphico huiuſmodi intelligerent, cauſa eſt, quòd Ægyptij annum ab iſtius ſideris ortu auſpicabantur. Oriri verò in Ægypto ſolitus XII. circiter Calend. Auguſti. Sed hoc de vertente, de proprio inferiùs.

LVNA.

Adiutrix Amatorum Lunæ.

PLVTARCHVS verò & Euſebius, qui veluti Solem Oſirin, ita Iſiden Lunam ex Ægyptiorum dictatis eſſe contendunt, eam hoc hieroglyphico deſcribunt, vt cornua taurina, veluti nouæ Lunæ ſpeciem geſtet, nigraq; amicta palla, per latebras & obſcura loca Solem appetere atq; vnum ipſum concupiſcere videatur. Vnde factum eſt, ait Plutarchus, vt in amatoriis, quemadmodum apud Theocritum eſt, Lunam inuocarent. Eudoxus enim Iſin rebus amatoriis opitulari dicit. Hinc apud Ouidium, in Arte amandi, legas:

Multas illa facit quòd fuit ipſa Iouis.

Porrò Luna cùm ſit noctis domina, noxq; voluptatis illecebris & Veneri ſacra, quæ, vt alibi dictum, latebris & ſpelæis gaudet, hieroglyphicè plurimùm cum iis quæ Veneri attribuuntur, congruit. Amatores enim apud Maronem,

Secreti celant calles, & myrtea circùm Sylua tegit.

Hinc legas apud Euſebium, voluptates, atque eas quæ fortè omnium maximè cenſeantur, ſi aſpe-

xerimus, aut quod risu dignum, aut visu turpissimum est, aduertimus, quocirca vel erubescimus, vel occultare properamus. Id autem impendiò cauemus, vt hæc omnia nocti concredamus. Celari enim, vt elegans poëta dixit, vult sua furta Venus.

MATERIA FORMA QVE.

CVM verò Isis materiam etiam mysticè significet, Sol verò formam, vel agentem vim, Lunaq; Solem ita suum obseruet, eiusq; semper radios excipere quærat, quibus illustretur, videor Platonis illud intueri de sponsa, quæ veluti prostituta sponsum expectat auidissima, vnde rerum species, atque nouatus concipiat, & loco reddat; vti Luna lumen acceptum mutuò, quo potest studio restituit. Atque hæc ita obscura hieroglyphicum est materiæ, quæ nullam adhuc formam suscepit. Figuræ autem variatio in Lunari globo materiam apertè satis commonstrat, quæ veluti cera mollis, nunc hanc, nunc illam impressionem ex quocumque sigillo suscipere apta sit. Hinc tæniæ variæ multicoloresq; Isidi dicatæ, non septem tantùm eas Lunæ facies, quas Græci φάσεις dicunt, ab Heliodoro ita nuncupatas, σύνοδον, μῆναν, ἀνατολὴν, μηνοῦ, διχότομον, ἀμφίκυρτον καὶ πανσέληνον, sed etiã vim eius quæ circa materiam versatur, indicant, qua scilicet gignit omnia, & omnia concipit, lucem quippe, tenebras, diem, noctem, vitam, mortem, principium, finem. Quis enim assiduam in Lunari facie varietatem non admiretur, dum ea nunc euanescentem, vt Heliodori sententiam interpreteмur, nunc corniculatam, nunc diuiduam, nunc protumidam, nunc plenam contemplatur? Ignium denique facie varia, quantò longiùs facessit à Sole, tanto largiùs collustrari, parte luminis compotem, parte altera cassam, proq; oris circumuersione fulgoris speciem variare, siue id alieno irradiata lumine faciat, siue proprio præpetiq; candore, vt Chaldæi arbitrantur. Cleomedes enim libro de cœlestium orbium contemplatione scribit, inter Berosi placita contineri, corpus Lunæ pilam esse dimidia parte candidam, altera cæruleam, partemq; illam candidam proprietate quadam συμπαθείας ad Solem semper conuerti, vnde quò magis illi succedit, luminosam illam partem à nobis auerti magis, quò verò longiùs abscesserit, eò magis oculum nostrum in amborum medio sisti, partemq; candidam nobis aduersam fieri, ac perinde sese exhibere conspicuam. Tangit idem Apuleius in Deo Socratis.

Septem Lunæ facies, earúmque varietas.

PRINCIPIVM.

OSIRIDIS verò tæniæ nulla fucabantur vmbra, sed vndecumque micantissimæ splendorem nitidum præ se ferebant. Nam cùm illæ principij symbolum essent, idq; virtute sua purum nitidumq; sit, neque vllius rei admistione labefactetur, nihil præter candorem ostentare par erat. Sacerdotes autem illi cùm has semel in manus suscepissent, eas cuestigiò recondebant, non ampliùs videndas attrectandásve, Isiacis verò sæpius vtebantur. Tænias autem Græcam vocem sic interpretatur Verrius, vt dicat ornamentum esse laneum capitis honorati. Hinc Ennius Alexandro:

Taniæ quid.

Volans de cælo cum corona & tænijs.

Sed vt rei Philosophiam in albis hisce tæniis explicemus, manifestum est rerum omnium principium ab omnibus sanæ mentis hominibus ad Deum referri. Album autem est prima veluti materia quædam, in quam colores, quotquot volueris, perinde ac in vniuersalem illam possis omnes species inducere. Hinc ad Dei cultum alba plurimùm indumenta omnium penè nationum consensu adhiberi solent, semperq; albus color sacris accommodatus. Atque ideò ait Persius: *Quamuis albata rogarit.* Sed quid indigemus Persio, si Assertoris nostri indumenta, cùm gloriam suam vellet discipulis patefacere, alba sicut nix apparuêre? Apud Ciceronem II. de Legibus: *Color albus præcipuè decorus Deo est tum in cæteris, tum maximè in textili.* Et nostra pietas canit, vt linteas, easq; purissimas induti tunicas, sacra Deo caneremus. Sed quoniam præcipua annorum, mensium, & dierum hieroglyphica tam significata quàm significantia, desumuntur à vario cœli motu, præteritis multis, quę per figuras varias indicabantur, nec vulgo tamen, sed solis sacerdotibus Ægyptiis innotescebant, ad cœlorum perindeq; circulorum considerationem progressi, reliqua quę de temporibus significantur, per horum figuras explicabimus.

Albi coloris commendatio.

DE CIRCVLO.

CIRCVLI significata non apud Ægyptios tantùm in vsu fuêre, sed & apud nationes alias multifariam accepta: quare separatim suum, hoc est, hunc locum sibi deposcere visi sunt.

ÆTERNVM PERPETVVMQVE.

NAM quod modò in Osiridis tæniis dicebamus, has vtpote albas principium indicare, vnus quippe circulus descriptus, aut simpliciter, aut alteri cuipiam picturæ signóve circumductus: nunc semper, nunc perpetuum & æternum, nunc omnia, quippe τὸ πᾶν significabat, nempe quòd in ea figura neque principium neq; finem inuenire sit, quod æternitatis est proprium, & quia omnium est figurarum capax, vniuersitatem ipsam intra se complecti videtur. Ab huiusmodi autem circulari ambitu exactè peracto, videlicet cùm Sol à matutino horizonte digressus, eôdem redierit vnde ferri cœperat, diuinæ literæ *Tota die*, pro perpetuò posuerunt, vt Psalmo LXXI. *Vt cantem gloriam tuam tota die*, vbi Symmachus, pro lectione, quæ est, *Tota die*, perpetuò reddidit.

Tota die pro perpetuò, & vnde.

DEVS

DEVS.

A CVIVS etiam principij finisq; nusquam apparentis ratione habita, Ægyptij Deum ex hieroglyphico circuli intelligebant. Persæ verò (quod non absurdum est repetere) cùm Iouem cœli dominum dicerent, sacrificia illi se facere putabãt, vbi celsissimam speculam conscendissent, Iouemque cœli circulum nuncupassent. Transiit idem mos ad Turcas. Hinc ab alta quaque turri matutinales illæ acclamationes, quarum sensus est, Deum fuisse semper, futurúmque semper, neq; quicquam aliud, nisi quòd suum etiam salutant Mahometum. Sarraceni quoque & pleræque aliæ nationes Deum, Circulum appellabant, atque hinc sempiternum exprimi contendebant.

ADORATIO.

EA de causa Pythagoras circumactu corporis adorandum iubet, his verbis, προσκυνεῖν ἀξιφερόμενον. quod Plutarchus ad imitationem cœli perpetua vertigine circumacti fieri putat, quamquam nonnulli dictum ad rerum humanarum varietatem, assiduamq; mutationem, in quibus nihil stabile, perpetuumq; sit, arbitrantur. Sedenim quod ad corporis conuersionem pertinet, multarum is gentium mos fuit, idque Propertiani loci aperit intellectum, libro I.

Ante tuos quotiens verti me perfida postes,
Debitaq; occultis vota tuli manibus?

Quod dubio procul adorationem ritè factam innuit. Tale aliquid apud Suetonium inuenias, vbi Lucio ait, de Vitallij progenitoribus loquens: *Idem miri in adulando ingenij, primus Caium Cæsarem adorari vt Deum instituit, cùm reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, circũuertensq; se, deinde procumbens.* Fuit verò Numæ institutum, vt adorantes Deos, in orbem sese verterent, deinde B verò sederent. Prætereà conuersio illa, & totius corporis circumactio, nobis documento est, nihil ex humanis rebus firmum esse & stabile, & vtcumque vertat Deus, reuoluátque vitam nostram, id iucundè ac libenter admitti oportere. De sessu autem in Cynocephali commentario dictum, situm huiusmodi ad diuina pertinere. Id verò minimè prætereundum, fieri solitam eam corporis conuersionem à sinistra in dexteram, ad ipsius mundi imitationem, cuius ortus, vt & Plinius & nonnulli alij tradidêre, ab læua parte est in dexteram præceps. Quare iocatur Plautus Gurgulione, dicente Phædromo: *Quò me vertam nescio.* subiungit Palinurus seruus: *Si Deos salutas, dextrouersum censeo.* De Camillo memoriæ proditum est, cùm se ad dexteram conuertisset, vt mos erat Romanis adorantibus, subito eum lapsu cecidisse, quod omen ad damnationem, qua posteà oppressus est, pertinuisse creditum, omnia eo populo superstitiosius æquo perpendente. Quodq; ad huiusmodi circuitum in adoratione pertinet, notum ex historiis est, quàm prudenter Marcellus ad Capidium Cisalpinæ Galliæ vicum se gesserit. Nam cùm impetum in Gallos faceret retroactus ab Equo ob hostium clamorem perterrefacto, circuitum eum adorato Sole, vt Romanis in pugnæ principio facere mos erat, de industria feciſse simulauit, ne apud suos mali ominis religionem excitaret. E contrariò Galli sinistrorsum, & in læuam partem religiosius fieri ab adorantibus conuersionem corporis arbitrabantur, de quo ita Plinius: *In adorando dexteram ad oscŭlum referimus, totumq; corpus circumagimus, quod in læuum feciſſe Galliæ religiosius credunt.*

Numæ institutum in adorandis Diis.

PERFECTIO.

DENIQVE apud veteres obseruabatur, vt facto sacrificio, circulum in ara illinerẽt ex hostiarum sanguine, quem phiala religiosissimè collegissent. Idque erat sacrum illud verbum τελεσθῆς, C quod perfectionis indicium esse dicebant, quòd figurarum ea sit vndecumque perfecta.

ANNVS.

QVI verò per circuli designationem annum intelligi volunt, vt manifestiora prætereamus, eius potissimùm aurei circuli ratione inniti videntur, quem de Simandij sepulchro & Cambyses & Persæ sustulerunt: erat enim ille trecentorum & sexaginta quinque cubitorum ambitu, cubiti vnius latitudine, singulis anni diebus in singulis cubitis exsculptis, per astrorum ortus occasusque, quidque ea secundum Astrologos obseruata significarent, cuiusce rei quædam propemodùm vmbra habetur Patauij in Palatini palatij aula, vbi corona supernè circumcirca ducta, Zodiaci primùm totius figuris insignis, mox gradibus suis distincta, quorum vnicuique adpictæ sunt certæ rerum imagines, quæ pueri gradus eius emersu nati, modò ingenium, modò sortem indicẽt: quarum ego testimoniis sæpe vti soleo hieroglyphicis meis fide facienda: nam Ægyptium quid omninò sapere videntur.

Aureus circulus in Simandij sepulchro.

POEMATIS GENVS.

AD anni autem similitudinem Poëmatis etiam genus Circulus appellatur, cuius Aristoteles Analyticis meminit. Id alij alio exposuerunt modo. Sed nimirum Poëma illud Circulus appellatur, cuius finis idem est cum principio, cuiusmodi est Catullianum epigramma in annales Volusij, & alterum in Nonium Strumam, & vnum etiam in Mamurram & Cæsarem. Euthymius sanè Circulares eos Psalmo vocat, qui eodem finiunt versu quo cœperant, cuiusmodi est 18. suprà centesimum: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam sempiterna est eius misericordia.* Fieriq; solet, vbi sententiam aliquam insigniorem quærimus in audientis animo quasi aculeum quendam è repetitione productum affigere, vtque tenaciùs memoriæ inhæresceat, affixum ita relinquere.

Circulares Psalmi qui.

CONTRARIETAS.

Mathematica obseruatio.

MOTVS verò, qui est in circulis, natura considerata, in causa fuit vt periti Mathematicarum, contrarietatem hieroglyphicè significare volentes, duos iuxtà sese contingentes circulos describerent, quales in quibusdam machinis fieri videmus propter vnius incursationem aduerso motu alterum circumagi, atque ita manifestam discordiam apparere, quam in adolescentiæ nostræ delictis, amore in indignationem conuerso, ita ex Aristotele descripsimus:

Non aliter motas concurrere ad oscula vidi,
Hinc atque hinc geminæ si coïere rotæ,
Quæ simulac primis sese tetigêre labellis,
Pars ea quamprimùm, quæ veniebat, abit.
Fitq; ex concursu facies contraria primæ,
Machina versa meo qualis in igne fuit.

SVMPTVS PVBLICI PRIVATIQVE.

Orbiculi numismatũ speciem præ se ferentes.

ORBICVLI quidam numismatum speciem referentes, quos in aliquot pyramidibus & obeliscis excisos videas, pecuniam indicant in opere construendo erogatam; qui si fuerint in orbem disposiți, sumptum eius operis significare aiunt publicum fuisse, sin parallelari quodam ordine sculpti, priuatã impensam significare contendunt; quæ tamen interpretamenta iuniorum quorundam esse non inficior, nam apud veteres nihil tale interpretatum inueni. Exigeret hic locus, vt de circulis quibusdam mutua complicatione coniunctis, qui disciplinarum hieroglyphicum constituunt, rationem subiungerem, sed quoniam argumentum illud alio commentario, quod Illustrissimo reuerendissimoque Herculi Mant. inscripsimus, latè satis explicatum est, ad sphæram nunc, & figuras aliquot istius cogitationis conuertemur.

DE SPHÆRICA FIGVRA.

PER circulum superiùs Deum à nonnullis intelligi docuimus. Cæterùm si qua Deo forma similitudóve adscribi possit, longè conuenientius sphærica illi figura accommodabitur. Meritò itaque Xenophanes mundum illum archetypum sphæram appellauit, veteresque plerique veræ Theologiæ scientiam nondum assecuti, nihil esse aliud Deum, nisi cœlum ipsum, & cœlestia ista arbitrabantur. Sed & Salomon ad Deum conuersus: *Exaudi ô cœlum*, dixit. Deos tamen, vt nostrorum interim oracula missa faciamus, neque mensura, neque forma vlla comprehendi posse dicit Iamblichus, & omnes qui aliquo veræ doctrinæ lumine irradiati fuerunt.

ÆTERNITAS.

Faustinæ numus.

ITAQVE rectè cùm per hieroglyphicum sphęrę Deum intelligerent, æternitatem quoq; eadem figura descripserunt. In numo enim Faustinę, quam retulerant inter diuos suos, sigillum est cum sceptro super sphæram sedens, dexterâ exporrectâ, cum inscriptione, ÆTERNITAS. Eadem inscriptio in numo altero, vbi dea summis læuæ digitis pallam tollit, dextera sphęrulam porrigit. Cũ verò mundi ipsius figura in orbem conglobata perhibeatur, plerique veterum eo signo credidêre, mundum identidem principio caruisse, quodq; in diuinis Græci reddiderunt ἐν ἀρχῇ, ab æterno hi sunt interpretati. Quibus Magnus Basil. egregiè respondet, atq; inter alia, figuræ huiusmodi principium, quod incompertum illi putant; & scholis omnibus declamitant, à centro is esse demõstrat. Apud Romanos quoq; perpetuitas est per sphæram indicata, vt in sphæra illa, quę cum caduceo & pharetra transuersis, virgaq; cui palliolum appensum est, dexteræq; consertæ, in numo quem

Cæsaris numus.

Cæsari cudit L. Buca, in cuius altera facie inscriptio est his literis, CÆSAR DICT. PERPETVO. Sanè perpetuitas ex sphæra, authoritas verò Dictatoria, quę illi consensu atq; concordia ciuium demandata fuerat, per insignia reliqua significantur, de quibus sigillatim dicere non est hîc locus.

COELVM.

EADEM pila Solis & Lunę signis conspicua, cœlum significabat. Alij per huiusmodi speciem, CVNCTA, veluti etiam in circulo, interpretabantur: siquidem circumflexu cœli, quem alio nomine Mundum appellamus, cuncta regi comprehendique manifestum est, quippe qui totus in toto sit, imò verò ipse totum, extra intraq; in se cuncta complexus. Quin non modò pila, sed simplex rotæ curuatura cœlum apud Ægyptios indicabat. Ita enim apud Cyrillum legas libro nono contra Iulianum, quod præcipiti quidam ingenio pro Apside Aspidem transtulerunt. Huius picturæ eam Aegyptij tradebant causam, quòd cœlum in circuitum assiduè feratur.

FORTVNA.

Fortunæ figura, & manus præcipuum.

VVLGATISSIMVM illud inter hieroglyphica, Fortunã nunc rotulę, vt vulgus, nunc sphærę alicui, vt Cebes, insistentem pingere, siue vt eam rerum dominam ostentent, qua etiam de causa Apelles eam in sedem collocauit, siue vt eius instabilitatem inde coarguãt. Quin à volubilitate nomen etiam illimã quę priùs Vortuna à vorto dicebatur, digammi mox mutatione in F affinẽ literam, quod in pleriſque factum est locutionibus, in Fortunam abiit. Cuius præcipuum opus est, ima summis, & summa imis commiscere, rerumq; omnium vicissitudinem inducere, cuius quidem vertiginis ergô φερεπόλῳ τύχῃ Pindaro nuncupata. Nam si fortuna proprium hoc habet vt vicissitudinum author sit, quos modò claros effecerat, mox obscuret, foueręq; desinat, quos verò premebat, iam

A iam erigat, & illustres efficiat, quæque antiquissimus Hesiodus super his de Ioue dixit, ure ipsa suo propemodùm administret, quid in rerum natura mutabilitati huic & apertissimæ rerum vicissitudini magis simile reperiatur, quàm circuli rotæ've motus? constãt enim hæc primùm, simulac fiunt, ex re ipsa, contrariis simul manentibus, & integris, curuo scilicet & concauo, ex stante & moto, centro scilicet & circumferentia, ac simulac impelli cœperint, vna eademq; linea, vti superiùs dicebamus, abit & redit, ascendit atque descendit, eodemque motu, quod primum erat, vltimum, quod vltimum, primum euadit, vt nihil denique in vna re quapiam variantius excogitare possis. Vnde meritò dixerit Aristoteles, circulum miraculorum omnium esse principium. Id verò minimè prætereundum, Aegyrenses eiusdem mutabilitatis ergô Amorem atque Fortunam eodem in delubro venerari consueuisse. Constat igitur pilam atque rotam volubilitatis hieroglyphicum esse, & luculento apud Græcos epigrammate Posidippi de Occasione, quæ idem ferè cum Fortuna officium exercet. Ea enim cur rotulæ insistat interrogata, *Stare loco nequeo*, respondet. Auguralis autem disciplinæ obseruatione proditum est, sphæram æream de Cæsaris Maximini statua, quæ in vestibulo Regiæ locata erat Antiochiæ, excussam repentè Iouiano Imperatore vrbem eam ingredienti, turbarum quæ subsecutæ sunt in eius perniciem, portentum habitam, quod Aruspices rerum volubilitatem id significare asseuerarent. Et Constantius Imp. paulò antequàm moreretur, imaginari per quietem visus est, cernere se patris effigiem quæ pulchrum infantem offerebat, quem vbi gremio suscepisset, proiecit is longiùs sphæram de manu ipsius Imperatoris excussam, quod temporum permutationem portendere, euentu minimè irrito ab Aruspicibus responsum est. Quod verò dicebamus, Fortunam sphæræ insistentem pingi solitam, apud plerosque variat huius argu-

Auguralis obseruatio.

B menti species, vt in numo P. Septimij Getæ Cæs. sigillũ ab altera parte est cum radio in læua, cum sphærula in dextera, quam exporrigit, vti colossea quædam manus ahenea in Capitolio habetur. Vidi etiam Fortunæ simulacrum pilæ insistens cum nouacula, cum nauali clauo, & cornu copiæ, in qua, nouacula felicitatis indicat amputationem; pila facilem eius volubilitatem, vt passim; clauus, vitæ nostræ sub eius ditione cursum; cornu copiæ, bonorum largitionem. Sanè Plutarchus commentario de Fortuna Romanorum, Fortunam ait traiecto Tybri, positis alis, exutis talaribus, abiecta instabili & vestigia fallente pila, ita Romam ingressam, quod indicium esset eam ibi constanter permansuram, neque aliò in posterum abuolaturam, illud scilicet Maronianum secutus, quod de Romanis ait:

His ego nec metas rerum, nec tempora ponam,
Imperium sine fine dedi.

TERRARVM ORBIS.

QVO pacto autem terrarum orbem pila descripta significent, rudi etiam innotuit plebeculæ. Orbem enim linea quadam, veluti finitore circulo dissectum, alterum quoque ex hemisphæriis, quippe superiorem quasi meridiano circulo producto diuidunt, à meridiano autem quasi coluri partem ad occidentem Solem vertunt, atque inde Asiam, hinc Africã & Europam intelligunt, cùm tamen Poëtæ terram ἀπείρονα dicãt. Cuius vocabuli si vim simpliciter interpretemur, infinitam exponemus. At Ioan. Grammaticus Aristotelis interpres accuratissimus, σφαιροειδῆ mauult interpretari, omninò enim neque sphæra, neque circulus finem principiúmve vllum præ se ferunt. De figura verò terræ quàm varia aliis atque aliis credatur, videndum apud Plutarchum libro de Philosophorum placitis altero. Sed nos in hoc antiquis feliciores fumus, quòd non vniuscuiusquã testimonio, sed iam innumerabilium de visu referentium, vniuersum hunc orbis globum terra marique & habitabilem & permeabilem accepimus, & quotidiana in hanc & illam partem suprà & infrà nauigatione, manifestior fit in dies. Sed quod ad orbem nostrum attinet, videre est in Fau-

C stinæ numo quodam sphæram pro terrarum orbe positam: ibi enim Cybele Leoninæ insidet sellæ, sphæramque inter manum atque genu continet, inscriptio, quæ ad hanc rem facit, est, MATRI MAGNÆ. In numo Germanici Imp. Cæsaris Aug. Victoria sphæram mouere videtur, in qua literę, S.P.Q.R. quasi terrarum orbem Senatui populoq; Romano adiudicatum iam esse significare velit. Sanè autem Imp. Neruæ Cæs. Aug. sphæra S.C. adcusa est, cum adiecto temone, quod orbis gubernationem dubio procùl incidat. Et eodem significato Imperatori Vespasiano Aug. P. M. P. P. COS. VI. Vtrunque numo æreo signum idem dedicatum. Grati verò Imperatores qui diis acceptum referrent, quòd regnarent, id deorum prouidentiæ adscribentes, rem numismatum monumentis testati sunt. Nam in M. Antonini Pij numo simulacrum muliebre videas, quod stans læuâ contum tenet, dextrâ radium, quo præiacentem pilam verset. Inscriptio, PROVIDENTIÆ DEORVM. In altero eiusdem simulacrum idem læua manu baculo innititur, cuius apex in lituum flectitur, læuâ pilam radio attingit, quasi eam versaturo, aut leges illi consistendi præscripturo. Inscriptio, PROVIDENTIA. Eadem pila in manu dextera exporrecta in numo L. Veri Aug. cum inscriptione, PROV. DEOR. TR. P. III. COS. At in Maximini, simulacrum cum cornu copiæ, radióque in eius manu dextera pilam à pedibus versante, cum inscriptione, PROVIDENTIA AVG. In Antonini verò Pij numo sphæra cum cornu copiæ, FELICITATIS adscriptionem habet. Dicata etiam est cum iaculo, Philippi filio. Inscriptio, PRINCIPI IVVENTVTIS.

Faustinæ, & aliorum Imperatorũ numismata.

MVTABILITAS.

QVOD autem ad rerum mutabilitatem facit, non pila tantùm, verùm etiam rota in huiusmodi accipitur significatum. Psalmo enim LXXXIII. legitur: *Deus meus, pone eos vt rotam*, hoc est, tam facilè felicem eorum statum conuerte, quàm volubiliter rota ipsa conuertitur. Ita Euthymius, Eucherius, & alij.

DE ROTA.

ET quoniam res ipsa nos ad rotam iterum reduxit, cùm aliquot adhuc super ea reliqua sint significata, quæ distinctio sit in rotis primùm enarrabimus, mox quæ ad significatum attinent, exequemur.

DEORVM ROTÆ.

SCIENDVM enim rotas plurifariam à radiorum numero distinctas esse. Nã quę diis attribuuntur, octo radiis insignes figurantur, propterea quòd rerum cœlestium motus in octauam vsque sphæram, quantum humani oculi vis porrigi potest, obseruantur.

HVMANÆ ROTÆ.

HOMINVM verò rotæ sex tantùm radiis compingi debent; tot enim sunt humanæ naturæ motus, in anticam, in posticam ingredi, vel retrocedere, in dexteram aut in læuam ferri, sursum aut deorsum ascendere, vel descendere.

INFERORVM ROTÆ.

QVÆ verò Ixionis rota fertur, quatuor tantùm radiis compacta fingitur, vnde Pindarus dixerit, τετράκναμον ἐὸν ὅλεθρον. In ea verò ita districtus fingitur Ixion, vt manus singulæ singulis radiis affixæ essent, totidemque aliis pedes singuli. Qua de re apud Pindarum legas Pythiis, Ode ad Hieronem altera. Neruæ Traiani numus est, à cuius vna parte ipso pro suggestu populum alloquitur, togatus verò populus sublatis in cœlum dextris applaudit, inde in extremo margine meta est, iuxta cuius basim Nympha iacet humi fusa sinistro brachio supra rotam exporrecto. Sunt qui ex hoc Circum instauratum à Traiano interpretentur, quia rota circumagi videatur.

Neruæ Traiani numi.

AQVA TRAIANA.

SVNT qui, vt mihi videtur, longè rationabilius aquam Traianam intelligant. Nympha enim humorẽ, humi præsertim fusa, dubio procul indicat, innixa verò rotæ, aquæ cursum non incongruè significare possit. Alibi vidi Nympham ipsam in eiusdem Traiani numis cum rota supernè sita, & inscriptione, VIA TRAIANA, quorum vtrunque artificiosè, maximeq; propriè figuratum. Nam in via rota supernè voluitur, in aqua cursus ab imo est. Alius item numus eiusdem Traiani, in quo signum idem penè humi prosternitur, læuâ ramum frondibus vestitum, dexterâ currulem rotam iuxta genu tenens, sub basi cuius literæ sunt, VIA TRAIANA. S. C. circuncirca verò, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. In alio, in quo eædem literæ circumductæ, aquæ ductus habetur in semicirculum fornicatus, idemque simulacrum humi fusum cum harundine infrà, & literis in hunc modum dispositis.

VITÆ NOSTRÆ PROGRESSVS.

SEDENIM VIA etiam sua habet significata in Diuinis literis, quippe quę vitam hanc quam viuimus indicat, vnde omnes à die natiuitatis ad extremum vsque viatores, hospites, & peregrini dicimur, vtpote qui solum hoc extra patriam incolimus, vbi nulla consistendi firmitas, perpetua verò semper agitatio animi, vbi demùm rerum aut sententiæ considendum sit examinãtis: Distinguunt insuper Theologi viam à semita, per viam mandata ea peragenda intelligẽtes, quæ vniuerso mortalium generi data sunt; per semitam verò, quæ huic vel illi personæ ordini, collegio, nationíve præcipiuntur.

Viæ & semitæ differimen.

THEOLOGIA.

SVNT qui per rotã currulem in Diuinis literis Theologicæ doctrinæ hieroglyphicũ intelligãt, propterea quòd rota ea terram ima tantùm attingat superficie, reliquum in sublime tollatur, & aurigam animum semper terra procul surrigat. Idem præterea est officiũ rotæ, quod & Theologi, vt scilicet à terrenis imisq; rebus ad sublimium cœlestiumq; naturarum speculationem attollatur, inde mox à Diuinis ad humana descendat, quoq; inter se vinculo colligentur ostẽdat, qui quidem est rotæ motus. Sed quoniam proprio commentario multa de vniuerso curru diximus ex Diuinis literis, deque mysticis eius rotis, tunc cùm terrestre iter eamus, Traiana procedemus via.

Rotæ idem ac Theologi officium.

IMPERITORVM PRÆCIPITIVM.

SED cur id dissimulem, quod in Diuinis literis imperitorum præcipitantiam per Rotam significari comperimus? & in hanc sententiam à Psalmographo dictum citamus: *Deus meus, pone illos vt rotam.* Rota quippe posteriore parte attollitur, anteriore cadit. Posteriora sunt bona fortunæ, quæ quia nostra non sunt, ea nobiscum transportare non possumus, ideoque à tergo relinquuntur. Anteriora sunt æterna, & quæ non assiduè comitantur, imò nos præcedunt, seque duces, quò progrediendum sit, exhibent. Impurus igitur & imperitus rerum, cùm fortunæ bonis augetur, auersus retrò

Anteriora rotam & posteriora rotæ qd.

A retrò faciem quæ æterna sunt obliuiscitur; atque ita fit, vt anteriore parte neglecta, præceps earum posterioris, quæ attolli videtur, admiratione captus, in quam rapiatur voraginem animaduertere nequaquam potest, atque ita præcipitatur.

DE QVADRATO.

AB egregiè mobili figura ad maximè stabilem transire quodam veluti antipathiæ loco visum est, quippe vt vario eo delassatur motu, firmitatis istius occasione quietem aliquam aucuparer. De quadrangulari igitur figura differemus, quæ multiplicer descripta, multas identidem præ se fert significationes.

ANNVS SOLARIS.

QVARVM prima illa est, quam initio commentarij super Isidē tetigimus, Ægyptios quippe duas anni rationes habuisse, vnam qua vertentem, CCCLXV. diebus, & horis senis, agnoscebant; alteram, qua Sotheos ortum quarto quoque anno quadrantibus illis diei quatuor in vnum contractis, obseruabant supputationi huiusmodi respondere. Cùm verò iugerum centum cubitis dimetirentur, quartam iugeris, quæ scilicet cubitis XXV. claudebatur, pro sex horis quæ vnoquoque anno superabant accipere consueuerunt, ac perinde vertentem annum intelligebãt, cui quarta illa diei pars addita, quarto quoque absoluto, dies etiam vnus intercalaris ex quartis illis adauctus adiiciebatur. Sed quoniam hæc & alia multa superiùs super anni ratione disseruimus, ea repetere superuacaneum esset & importunum.

Duæ anni rationes secũdum Aegyptios.

B

SAPIENTIA.

VELVTI verò Fortunam rotundo lapidi insidentem pingere veteres instituerũt, ita Sapientiam in quadrato statuebant, ex hoc hieroglyphico volubilem illam, vti paulò antè diximus, huius verò sedem firmam & inconcussam indicantes. Et nostri quadrata ligna quæ ad arcæ Noës fabricam parari diuinum iussit numen, Doctores & magistros in Ecclesia significare dicunt, quorum sapientia inclusi intus populi conseruantur, & ab incursantibus hæreticorum procellis muniuntur. Ex quadratis enim lignis construere debere nos Bibliothecam admonet Adamantius, nõ ex agrestibus, rudibus, & impolitis, quippe ex Propheticis & Apostolicis voluminibus, in quibus solis vera continetur sapientia, vtpote qui vitiis omnibus resectis excisisque, quadratum vitæ iustioris tenorem & ex omni parte libratum præ se ferant.

Ligna quadrata in arca Noës quid.

MERCVRIVS.

CVMQVE apud veteres Mercurius sapientiæ Deus haberetur, Hermæa illa apud Athenienses fieri solita, quadratã quippe lapides, quos tum in priuatarum, tum in sacrarum ædium vestibulis ponere consuerant, v[illegible]caretur, rationem & veritatem perinde vt forma quadrata rectam semper stare. Nam ratio[illegible]ritatis Deus Mercurius antiquis erat.

IVPITER.

APVD Arcadas non Mercurij tantùm, sed & Iouis & aliorum deorum simulacra quadrantalia fieri solita, Pausanias author est, nempè vt eorum inde stabilitas significaretur. Iupiter enim ipse *manens stabilis, dat cuncta moueri*, vt veteres Poëtæ canunt. Nam & Hermæis à firmitudine nomẽ, quòd herma fundamentum sit.

VIR PROBVS.

C QVANTVM verò pertinet ad virtutes, quadrata forma virum ea de causa probum dicimus, quòd cubicæ figuræ species quoquo versum iacta versataq; fuerit, recta semper consistit, quatuor lineis, & totidem angulis semper insignis. Hinc illud, ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετράγωνος ἀνήρ. Quadrangulus reuerà probus, nulliq; obnoxius vituperationi, quod tangit Aristotel. Ethic. primo. Et ad Theodectem III. quadratũ simpliciter virum per translationẽ dictũ autumant, & perfectum significare. Sanè quidem cùm tres in corporibus staturæ considerẽtur, rotunda, quadrata, teres, humanum corpus quod à pictoribus & statuariis cõmendetur, sex & sexaginta digitos excedere non debet, quippe quod quatuor cubitorum altitudinẽ æquet, & quatuor & viginti digitos cubito adscribi, suo cõmentario probatum est. A quatuor igitur cubitis quadratũ corpus denominatũ, quod laudatissimæ staturæ sit. Infra horum digitorũ numerũ, quos fortè ab vniuscuiusque corporis proportione accipimus, quò quis magis contrahi, ac propemodũ desidêre videtur, eò magis ad rotundam speciem accedit, & corpus illud Rotundum appellari potest, quod digitis aliquot est quadrato breuius, vel cuius altitudo extremos brachiorũ quàm maximè porrectorũ digitos non exæquat. Teres verò, cuius proceritas supra sex & nonaginta digitos ascendit, altiórve sit eo mẽsuræ modo, quem, vti dictum, exporrecta brachia designant. Staturam hanc alij Oblongam, alij Gracilẽ appellauêre, & rotundiorem illam obesam dixêre. Cornelius Celsus corpus illud habilissimũ dicit, quod quadratum est, neque gracile scilicet, neque obesum. Nam lõga statura, vt in iuuenta decora est, sic maturiore conficitur senectute: solere enim homines huiusmodi supra modũ mox incuruari, tam Philosophorũ rationes, quàm historiarũ exempla ostendunt, si quæ quotidiè oculis offeruntur minus animaduertimus. Et Antoninũ Pium eiusmodi fuisse tradit Iulius Capitolinus, vsumq; eum ad emẽdandũ vitium tabellis ex tilia, quibus pectus ad sustinendũ pondus adstrictũ fasciis obligaret.

Quadratus vir quid.

CLARI

CLARI VIRI.

Proceriores statuæ quibus erigebantur, & quare.

QVOD tamen de certa hominis altitudine dictum est, nō negarim proceriores statuas iis erigi solitas, qui vel victoria aliqua, vel præclaris aliis facinoribus supra reliquorum mortalium gloriam euecti sunt, vt Diagoræ Rhodio Olympionicæ statua decreta est quinque supra quaterna cubita digitis. At Damageto eius filio paterna minor vno, cæteris maior digitis quatuor. Sunt qui habitam in his rationem putent, vt recta proportio oculis repræsentaretur, quoniam huiusmodi statuæ in columnas sublatæ, dum suspiciuntur, nisi naturæ longitudinem excedant, in monstrosam quandam obesitatis speciem declinare videantur, spatio fallente oculum. Sed vt hoc nō negarim, ita etiam plures statuarum ordines fuisse, non ignorandum dixerim, pariles quippe, magnas, maiores, atque maximas, alias benemeritis & sapientibus viris, alias Regibus, Imperatoribusque, alias heroibus, diis alias fieri solitas. Sed in iisdem ipsis statuis non ea mensuræ consideratio, qua de nos agimus, perpenditur, cùm in illis sua cuique proportio adiudicata esset, qua opus perfectissimum redderetur. In ratione verò nostra cùm obesum, quadratum, aut procerum corpus dicimus, rationem eam inspicimus, quæ ad digitorum & numerum & proportionem quadret, vt hæc ab illa distinguatur. Hinc illud apud Tranquillum intelligi potest de Flauij Vespasiani habitudine quadrata, & quod apud Palladium est, *Sint boues nouelli, quadratis & grandibus membris.*

MVLIEBRIS STATVRA.

QVONIAM verò decet muliebrem habitudinem graciliorem esse, atque ea de causa matronales virginalesq; columnæ, quarum ratio ad humani corporis similitudinem primùm excogitata fuit, proceriores quàm Doricæ, quæ viriles nuncupantur. Hinc fit, vt quæ virum decet quadrata facies & habitudo, dedeceat mulierem, & qui virum probum Quadratum dicimus, mulierē Quadrantem, & quadrantariam. Alia tamen ratione prostitutam intelligimus, de quo apud Plutarchum in M. Tullij vita, & apud Tullium oratione pro M. Cælio, quod non à corporis dimensione desumptum, sed ab exigua ea stipe, qua parabilis habetur. Sedenim Siculi ad hæc vsque tempora meretrices vulgò Quadratas dicunt, easdem Itali reliqui, vel ab obsequio, vel ironicè, Bonas fœminas appellitare consueuerunt.

ROMA VETVS.

ET Roma olim quadrata, eaq; specie primùm ædificata, diuque permansit vt quadrata Roma diceretur, præcipuè locus in palatio ante templum Apollinis, vbi reposita erant quæ boni ominis causa in vrbe condenda adhiberi solita. Saxo autem munitus erat in speciem quadratam. Eius loci meminit Ennius eo versu,

Est nunc, & quis erat Romæ regnare quadratæ.

DE META.

THAM metarum pyramidumque ratio nos appellat, quarum significata referamus: & quoniam & quadrangulares & triangulares metæ reperiuntur [illegible] quadrangularibus priùs dicere incipiemus, argumento eo, quod præ manibus erat, ir[illegible]

FINIS.

FINEM hæc aut operis consummationē, absolutumq; modum ostendit: siquidem myrias, qui decem millium numerus est, metam astruit. Numerus verò is ab vnitatibus multiplicatus, & maximus, & perfectissimus est, adeò vt sumpto ab vnitate principio, sit in myriadem finis. Pyramidis enim basis, vt apud Philonem est, longitudine pedum centum, ac totidem latitudine constituitur, quibus iuxta quadrati naturam multiplicis, in quē diximus numerū resultat: quem quia perfectissimum esse dictum est, finē itidem & exactum opus meta, ex ter multiplicato denario constituta, significare dicitur. Decadis autē vis est quaternarius numerus: secūdū enim compositionē à monade ad quaternarium punctis in vnum contractis ac supputatis, decas fit. Decies autem decem, centum; decies centum, mille; millia decies, summa perfectissima. Adstipulatur huic perfectioni architectorum etiam commensus, qui perfectionem in denario, quem antiqui τέλειον appellant, collocauerunt. Et Romulus, non ille quidem inter pastores, vt putat vulgus, educatus, sed Stabiis oppido non incelebri literis institutus, & vt Plutarchus attestatur, liberalibus artibus & disciplinis eruditus, ad eam quæ subsecuta est felicitatem ausu minimè temerario via sibi adaperta, confirmatis iam rebus regnoque iam constituto, quæcunque fecit & instituit, denario finiuit numero, vt putà Senatores in x. decurias, vrbem in curias x x x. in totidem decurias equites.

De denario numero.









Principes

A Principes hastatos & peilanos denario finiuit. Annúmque demum in menses x. terminauit, quod ad nostram vsque diem tributo militibus erogando perdurauit. Addunt nonnulli, non temerè esse denarium numerū tam pedum quàm manuum digitis attributū, & os capitis à mento ad frontem summam, & manus palmā ad medij vsque digiti summum, mensura decies repetita, perfectam cuiusque hominis altitudinem dimetiri. Quòd verò Mathematici, qui altiùs philosophantur, numeri perfectionē alij in senario, alij in septenario posuerunt, alterius est considerationis, quam in Digitorum cōmentario delibauimus, sed ad hos numeros illa nihil attinent. Huiusce perfectionis ergò Ægyptij, reges suos, qui mortales reliquos gloria præcessissent, honorare metis & pyramidibus, quæ sepulchris eorum superponerentur, consueuerunt, de quibus cùm pleni sint historicorū libri, neque plura super Ægypti rebus miracula celebrentur, quàm molium huiusmodi amplitudines, aliquot etiam ad hanc vsque diem perdurantibus, rem adeò notam verbosiùs prosequi superfluum existimauī, si vnum illud addidero, Nazianzenum minimè respuere eorū opinionem, qui pyramides eas in Ægypto celebriores ab Iosippo Hebræo exædificatas putāt, vt frumenti conditoria essent, & nomen rei consentire dicit, quod πυρὸν triticū vocant. Nam & apud Stephanum, in iis quæ Hermolaus Byzantinus compilauit, legas dictas eas ἀπὸ τῶν πυρῶν. Sed fabulam subiungit, ὡς ὀνεῖ σωσαγωγῶν ὁ βασιλεύς, ἔνδειαν ἐπιόντα σίτου, καὶ τὸν ἀιγυπτίων, à tritico scilicet quod vndique congestū Rex eò contulerit, penuriaq; Ægyptum affecerit, cùm Iosippi consiliū salutare fuerit, ne mortales fame, quæ per tot annos futura erat, absumerentur. Illas porrò vulgus adhuc Granaria Pharaonis vocat.

DE TRINO.

B HENTER hieroglyphicas has imagines, & trinum, triangularemq; pyramidem nonnulli ádnumerant, cuiusmodi obeliſci bases aliquot Romæ vidi, quod mysterium enodare, etsi profundioris ingenij, altioríque disciplinæ opus esse non ignoro, in quo omnia, ad hoc vsque tempus ingenia præstantissima defatigata sunt: non absurdè tamen me facturum existimo, si modicum quid vmbræ ad commenti huius rationem ex Philosophorum, Theologorúmque vetustiorum dictatis pro re nata breuiter tetigero.

TRINITAS RERVM.

Vnitates in rebus tres, & quæ.

TRES aiunt hi in rebus vnitates considerari, ita tamen mutuò connexas, vt ab vnitatis simplicitate minimè discedant. Est enim primùm ea in rebus vnitas, qua vnumquodq; sibi est vnum, sibiq; constat atque cohæret, cui quidam ex veteribus adeò fauere visi sunt, vt numerum ex natura rerum amouere cogitarint. Est ea secundò, per quam altera alteri res vnitur, & per quam demùm omnes mundi partes vnus sunt mundus. Tertia atque omnium princeps est, qua totum vniuersum cum suo opifice, quasi exercitus cum suo duce, est vnum. Adest tripartitò cōsiderata vnio hæc vnicuique rei per suam vnam simplicem vnitatem, deriuatam ab vno illo, quod & primum vnum, & trinum simul, atque vnum est, à Patre inquam, Filio, & almo Spiritu. Nam & Patris potestas, omnia producens, suam omnibus largitur vnitatem. Et sapientia Filij ritè omnia disponens, omnia inuicem vnit & copulat. Mox Spiritus amoris sui vinculo ad Deum omnia conuertens, totum opus opifici, nexu charitatis adiungit. Hinc illud Deo inditū amoris cognomentum, quo mortales affecti, primò Deum ipsum supra nos, supráque omnia diligere debemus, secundo loco nos ipsos, tertio proximum, sicut nos ipsos.

C CVBVS.

ACCEDIT huc Cubus ex trigonalibus figuris, quatuor compactus triangulis, cuius hieroglyphicum est SVPREMVM NVMEN. Nam cùm in Mathematicorum datis punctum referatur ad monadem, linea ad dyadem, vtpote quæ ab aliquo tendat ad aliquid, superficies verò sit ternarius, qui figuras inter rectilineas principium habetur, ac quoddam veluti elementum, inde si corpus solidum conficiatur, cubus erit, triangulis quippe quatuor rectilineis in corpus vnum coagmentatis atque compactis; ita prima pyramis inter solida emicat, cuius basis, tres ostentat angulos. Quartus in ipsius figuræ summitate positus, vt numinis somam, ita & nomen apud Pythagoricos accepit. Addunt Magi, simplex quoque triangulum æquilaterum Diuinitatis indicium esse, siue rerum cœlestium effigiem, vtpote quod sit sibi ipsi æquale, difficulter moueatur, & ad malum declinare non possit.



Obseruatio Mathematica de cubo.

IVSTITIA.

VT verò trini prosequamur significata ternarium veteres, vt alibi etiam ostendimus, iustitiæ dedicauerunt, vt de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait. Iniuria siquidem afficere, neque non affici, cùm extrema sint, & idcirco vitiosa, iustum æqualiter vtrinque reductum in medio residet. Sanè Pythagorici non numeros tantùm, verùm etiam figuras deorum nominibus dedicarunt, quippe qui triangulum æquilaterum Mineruam appellabant, Verticigenam & Tritogeniam, propterea quòd tribus perpendicularibus lineis ab angulis tribus dissecetur.



MINER

D

Cur trigeminæ Minervæ dicta sit.

QVOD verò pertinet ad Mineruam, trigeminam eam nonnulli faciunt, propter anni tempora, quæ vt sæpe dictum, apud Ægyptios tria tantùm fuêre, quippe, Ver, æstas, & hyems. Huic etiam tertium vniuscuiusque mensis diem dedicarant, cùm à Lunæ coitu mensem auspicarentur, vt Sthenis author est. Pallas enim, vt in eorum est Theologia, die tertia orta est. Et eandem & Pallada & Lunam plerique interpretantur. Hæc verò non priùs quàm tertio à coitu die se videndam exhibet. Quanquam non desunt qui Tritogeniam ea de causa dictam asserant, quòd è Iouis capite orta prædicetur: Tritò enim Bœotiorum lingua caput appellatur. Sanè Diodorus Pallada aërem esse dicit, cúmque incorruptibilem, eaq; de causa & virginem deam, & Iouis è vertice editam, confictum esse. Ad hoc facit Horatianum illud:

Proximos illi tamen occupauit Pallas honores.

Nam cùm aër tertium ex elementis locum obtineat, Æthræ, quæ pro Ioue accipitur, omninò proxima est, & ternarius illi numerus rectè datur. Missa facio quæ multa & varia de palude Tritone Græci fabulantur. Sed illud minimè dissimulabo, quod Democritus dixisse fertur, Pallada Tritoniam ea de causa nuncupatam, quòd præcepta tria ad humanam vitam bene beatéque degendam necessaria proposuerit, bene quidem consulendum, rectè iudicandum, iustè denique agendum: In quem terminum omnis disciplinæ sanctioris finis dirigitur. Meritò igitur ternarius, & triangularis figura ea, quæ lineis æqualibus describitur, & Palladi est, & iustitiæ dicata.

HVMANITAS.

SVNT & alia figurarum triangularium significata, quæ Psellus libello De dæmonibus interpretatur, Ea libenter apponam, quia cæteris hieroglyphicis videntur minimè dissimilia. Æquicrurem enim humanitatis symbolum aiunt, quod quidem vna breuiori linea descriptum, indicat rationis modulum contractiorem esse, ac perinde multa effugere, quæ percipi non possint,



E

MORVM DISSOLVTIO.

VEL si vna sit linea latiore productioréque, aberrare significat ab institutis, & à recta via, & plus æquo indulgeri quædam cupiditatibus.



CORRECTIO.

QVÆ tamen lineæ si notentur contractæ ad aliarum normam, ostendit, ex perperàm actorum pœnitentia vitæq; solutioris correctione, fieri non posse longè meliores quàm anteacta vita fuerimus.

DÆMONIACA NATVRA.

SCALENVS autem dæmonum & malarum potestatum figura dicitur, vsqueadeò inæqualis est, & à bono & æquo remotus. Componitur autem ex senario numero, sed imperfecto, qui corporeis, & mundi huius inferioris rebus obnoxius est, quòd in eo circumscriptiones corporeæ sitæ sunt, per eumq; mundus hic inferior compositus esse imperito eo seculo putabatur. Ideoq; aiunt sex genera dæmonum infra lunarem globum inueniri, quorum primum per sublimiorem aëra vagari tradunt, LELIVRON appellatum, quasi velint ignem significare. Secundum aëreum, quòd in crassiori nebulosaq; regione sedem habeat. Tertium terrenum. Quartum aquatile vel marinum, à locis & regionibus in quibus oberrant, & quarum curam gerunt. Quintum verò subterraneum, quod vel noctu, vel in puteis, & antris, & huiusmodi locis frequenter apparet, ne antrum Nursiæ fabulosum esse credamus, aut quem Diui Patricij puteum in Hybernia memorant. Nam & Cumis & aliis plerisque locis responsa in antris dari solita, totius antiquitatis testimonio persuasum est. Sextum & vltimum est lucifugum, imperscrutabile ac tenebricosum penitùs, algoríque perpetuo damnatum. Id verò dæmonum genus modis omnibus mortales infestare creditur, Stygiósque latices haustos spargere, vnde calamitates, pestes & fames consequantur. Addúntque huiusmodi rerum periti nomina, Actæum, Megalesium, Ormenon, Lycum, Nicona, Mimona, Alastoras alios, alios Palamnæos appellatos, à quibus omnia in homines incommoda congerantur. Sed hæc fortè plus nimio homini sublimium rerum cupidissimo, cùm παρεργα futura sint omnia quæ de dæmonibus loco hoc afferre voluerimus. Multiplices tamen eorum figuras & apparitiones, variis rerum & animalium imaginibus conspicuas, toto opere, vbi hieroglyphicum tale aliquid deposcat, minimè dissimulauimus.

Sex dæmonũ genera.

PIE

A

PIERIVS VALERIANVS AD IANVM VITALEM PANORMITANVM, DE IIS QVÆ PER VESTES aliquot significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XL.

NON *parua quidem de causa, Iane mi iucundissime, Leo X. Pont. Max. quam primùm tuum de Trinitate poëma legit, ingenio & eruditione tua delectatus, pietateq; in primis commendata, præclara tibi munera dari iussit, in quibus fuit & Palatinæ vestis ornatus, vt inter amicos admissum esse te, virtutis & optimarum artium ergò, omnibus innotesceret, tuq; ad disciplinarum studia in dies magis incitarere. Quæ mihi tam iucunda acciderunt, ac si omnia & ijs longè maiora in me collata essent, qui tot annos amorem erga me tuum habuerim exploratissimum, quemq; ego semper ob summum ingenium, suauissimos mores, singularem animi tui integritatẽ, fratris loco dilexerim. Itaque cùm ex remuneratione huiusmodi, quæ tibi obtigisset, magnam ego lætitiam contepissem, incensus ego quoque sum tanti Principis æmulatione, vt ipse quoque grato erga te animo essem, pro voluptate ea, qua me tuo de commodo, addã etiam honore, affectum sentio. Qualescunque igitur*
B *essent opes meæ, ex ijs aliquid ad te mittere decreui. Atque vbi horrea aperuissem, vestes aliquot hinc tibi deprompsi, non eas quidem Luculliano sumptu magnificentiaq; comparatas, neque Mileti textas, neque vt Pontificiæ illæ vestes erant, Tyria purpura saturatas, sed quales ex Aegypto me attulisse non ignoras, in quibus scilicet mira conspicitur parsimonia. Sunt enim vestes hæ labore omninò curaq; aliqua contextæ, sed materia admodum parca, iunco quippe omnes papyraceo, vt facilè contemni possint ab ijs qui nostri temporis luxum deliciasq; consectantur, quibus nil facere videtur ad cultum, nisi quod carissimè venierit. Vtcunque tamen, habendæ tibi sunt qualesquales fuerint, quas si foris in conspicuo vti verecundabere, certè, quæ tua est moderatio, domi tibi vsui esse poterunt. Non enim puto te ita repentè superbum euasisse, vt quamuis Pontificia in purpura tibi meritò placeas, si quid tamen manibus meis elaboratum acceperis, id sis aspernaturus. Sed iam quid hoc sit supellectilis, explicemus.*

DE PILEO.

VEMADMODVM in vnaquaque re nihil est capite prius, ita vestium aliquot significationes dicturi, à pileo, quod præcipuum est capitis integumentum, conuenienter incipiemus.

NOBILITAS.

NIMIRVM verò is apud Græcos nobilitatis indicium fuit, híque ea de causa Vlyssis caput pileatum fieri solitum autumant, quòd magna scilicet ab vtroque parente nobilitas illi obtigisset. Nam apud Ouidium eam ita in Aiacem oggerit:

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco: sedenim quia retulit Aiax,
C *Esse Iouis pronepos, nostri quoque sanguinis author*
Iupiter est, totidemq; gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laërtes pater est, Acrisius illi,
Iupiter huic: neque in his quisquam damnatus & exul.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas: Deus est in vtroque parente.

Quòd verò Castorum quoque capita pileata pingerentur, nil aliud sibi velle tradunt, nisi vt indicio esset, eos fuisse Lacones. Hos verò pileatos pugnare mos fuit, quò indomitum animum aduersus barbaros Reges & tyrannos significatione libertatis ostentarent. Quíque aliquot abhinc annis Venetias confugerunt Græci, extorres à Turca facti, nobilitatem suam & ingenuam libertatem vnanimiter pilei illius sui gestatione profitentur.

Mos pugnãdi antiquus.

LIBERTAS.

PASSIM enim in numis videas pileum ipsum cum inscriptione LIBERTATIS, vt in numo TIB. CLAVDII, in quo simulacrum est dextera pileum gestans, læuam expassam habẽs, cuius inscriptio est, LIBERTAS AVGVSTA. In Antonini item numo pileus à manu dextera pendet, læua hastam tenet, inscriptio, LIBERTAS COS. IIII. Sed in Caracallæ numo libertas ipsa præter virgã & pileũ, stellã etiam habet antè sitã. Aliter Liber-

catis argumentum figurabant per figilla quatuor, expeditis pedibus gradientia, quorum secundum & quartum fasces & secures alligatas gestarent, cum inscriptione, BRVTVS. Vnde apud Virgilium legas,

----Animámque superbam
Vltoris Bruti fascésque videre receptos.

Ab altera parte fœmineum caput est, cum inscriptione, LIBERTAS. Sed hoc nimirum in historiæ memoriam, quòd exactis Regibus, partáque libertate, Consularis magistratus annuus authore præcipuè Bruto sit constitutus.

LIBERATORES PATRIÆ.

QVòd verò in alterius Bruti numismatis cernere est pugiones duos adiecto pileo, Dion ex hoc Brutum & Cassium patriæ liberatores indicari dicit. Nam pugio cædem patratam omninò significat, pileus verò libertatem. In numo quodam argenteo venerandæ antiquitatis obseruaui fœminea capita ab vtroque latere singula, simplici quodam modo capillos collecta, in quo nihil aliud scriptum quàm LIBERTAS. In numo Ser. Galbæ simulacrum est cum iaculo & pileo, cuius inscriptio est, LIBERTAS PVBLICA. Eadem in Neruæ numis aliquot habentur. Apud historicos legas seruos nonnunquam ad pileum vocatos, vt apud Liuium XXIIII. *Postero die serui ad pileum vocati*, hoc est, promissa concessáve seruis libertas.

Serui ad pileū vocati.

SERVILIS IMPROBITAS.

SECVS verò intelligendum de seruo pileato. Nam cùm impositio pileo venundabātur, nequam & improbum esse seruum innuebat: significabat enim venditorem dominū nihil super eo polliceri velle, quod postmodùm ad præstandum cogi posset, exoluebátque ita se ab omni vinculo, E quod posset ad redhibitionem trahere, de quo vide apud Cælium Sabinum, & alios.

THEODOSIANI.

Tria egregia Theodosianorum gestamina.

SPECTANDVM etiam erat trium ordinum Theodosianorum insigne, sub militum Præsentiali merentium, qui dimidium quique simulacrum humanum in clypeo gestabant, idque manibus ab vtraque parte porrectis, quorum dextera vinculum, sinistra pileum prætendebat, quasi vellent innuere contumacibus se vincula iniecturos, obsequiosis libertatem donaturos. Sed enim de primis in Vulpis commentario diximus.

SECVNDI THEODOSIANI.

IN eodem Canone, quæ apud insignes Maffæos Romæ vidi, gestamen erat, luteus taurus ad viridantis monticuli radices pictus, in summo verò collis vertice dimidius Æthiops dextera manu lorum, læua pileum prætendebat, passis hinc & inde manibus, id ipsi quoque indicantes, in sua esse manu captiuos facere, & libertatem indulgere. Gestabant insigne hoc secundi Theodosiani. Ipsa verò parmæ facies hyacinthina, quasi cœli colorem præ se ferebat.

TERTII THEODOSIANI.

ERANT & tertij eiusdem nominis, eiusdémque ductoris, quorum parma in hunc modum facta præferebatur. Margo hyacinthini coloris circulo aliquātulum lato circumductus, sub quo alter contiguus angustioris spatij, inde facies media rubra, ab ima cuius parte albus erigebatur cippus in angustum supernè desinens, qui Lunæ speciem, cornibus sursum versis sustentabat. In medio parmæ insidebat Lunæ albus identidem circulus, cuius centrum latè fusum nigri coloris erat. Supra circulum hunc album ostentabatur à medio sursum Æthiops eodem modo quo superior F manibus exporrectis, eadem dextera loro, sinistra pileo munitis. Illud addam, eos Imperatoris triumphantis currum pileatos sequi solitos, qui fuerant è seruitute manumissi.

TRIPLEX LIBERTAS.

ANIMADVERTENDVS apud Ausonium locus, eo versu,

Triplex libertas, capitísque minutio triplex:

quod nonnulli legendum arbitrantur, *Capitis minutio triplex*, pro tribus pilei speciebus, vel tripliçi eorum conditione, qui pileum assequerentur. Sed enim minutio, vt inferiùs ostendemus, longè castior est lectio. Quod verò attinet ad libertates, tres manumittendi rationes erant. Prima, qua maiorem & iustam libertatem consequebantur, ita vt etiam ciues Romani fierent. Altera, qua Latini fiebant, ex lege Iulia Norbana. Postrema, qua in ordinem dedititiorum ex lege Ælia Sentia adscribebantur. Tres has manumittendi species tangit Boëtius primo Topicorum commentario. Apud Tacitum duas tantùm institutas reperias. Quas verò Boëtius enumerat, sunt, census, vindicta, testamentum, de quibus apud Iurisconsultos copiosiùs. de his Plautus, Cassina: *Tribus*, inquit, *conduci non possum libertatibus, quin ego hodie illis comparem magnum malum.*

Tres manumittēdi rationes.

FLAMINES.

Flamines vnde dicti.

SANE pileus apud Romanos sacerdotij symbolū semper fuit. Nam Flamines à Numa constituti, quasi pileamines dicti, quamuis nonnulli arbitrentur à Flammeo, quod est capitis tegumentum, appellatos. Nam & infulæ, & mitræ, & amictus alij atq; alij sacrificulis attributi: sedenim vt in sacerdotio pileum præstare fateamur, Fabij Pictoris authoritas facit, qui Flaminem ait non posse esse sub dio sine pileo, sub tecto autē, vt libebat; quem quidē morem in sacerdotio etiā nostro seruari

A uari nemo non videt. Domo enim prouehi præsulem sine pileo, nefas habetur.

HIPPOCRATES.

Pileata Hippocratis imago quid.

ANTE alias autem antiquorum statuas Hippocratis imago pileata celebratur, eoque habitu multis locis erecta. Ex eo nonnulli hieroglyphicè interpretari sunt partem eam custodiendam, in qua, tanquam in domicilio, princeps animus resideret, toraq; intelligendi vis collocata esset. Alij ex Græcis solam hominis nobilitatem inde intelligi volunt, vtpote qui cognationem ab Apolline & ab Hercule traheret. Nam eum ab Æsculapio oriundum senatus Athenienſis testatus est publicis etiam monumentis. Id verò si ad libertatem referamus, cui potiùs Liberatoris nomen accommodare debeamus, quàm illi, qui tot mortalium corpora morbis tot obnoxia liberauit, & bonæ restituit valetudini, sitq; humanæ incolumitatis author appellandus, si merito eum titulo honestare voluerimus? Non defuêre tamen qui rem malignè admodùm interpretarentur, & quod illi honoris causa datum erat, modò caluitium, modò imbecillitatem capitis, modò quid iis inanius tradiderint inde significari. Quod quidem de Pericle memoriæ proditum est, qui ea de causa pileo vti consueuerit, quia capite esset supra modum acutiore, vnde ab æmulis χοινοκέφαλος appellabatur. Hinc etiam, vt alibi diximus, statua eius cum casside posita. Formam tamen hanc, quæ dedecori nonnullis adscribitur, Genuenses honorificam, & adeò ingenuam ducunt, vt obstetrices statim nato puero nihil diligentiùs curēt, quàm infantuli caput tenerum, palmis, digitorum complexu complicatis, adstrictum producere, & fasciis colligatum, donec solidius fiat, conseruare.

FORMA PILEI.

Pilei varia dissimilis forma.

B ANTIQVA verò forma pilei est, quam Lucianus in Dipsade describit, dimidium quippe corticis alicuius oui. Nam apud Garamantas ex struthiorum ouis singulis in æquas partes dissectis, bini fiunt pilei. Tanta ibi est eius oui magnitudo, eoq; capitis tegumento populi illi sibi plurimùm applaudūt. Ea porrò pilei figura est in numo, quem Imp. Gordianus Pius Fel. Aug. cusit, cum signo ab altera parte, cuius læua hastæ toto cubito surrecto innititur, dextera pileum ea qua dictum est forma prætendit; inscriptio, LIBERTAS AVG. Non negarim tamen in aliquot monumentis, vbi signa maiora sunt, extremum pilei marginem paululum sursum versus inflecti, vt in statuis aliquot obseruauimus, præsertim Mercurij. Sed & numismata pleraque eam penè speciem ostendunt. Variatum autem apud has & illas nationes, vt alij marginem dilatarint, tam pluuiis amoliendis, quàm sereno vmbris captandis, alij cauam partem præsserint, alij altè sustulerint, camq; acuminatam alij produxerint, alij planam esse maluerint. Neque tamen nescius sum pilea apud Romanos ex lacernis cæsis cōsui solita, quod & apud Papinium & Martialem habetur, quem morem longo antiquatum tempore, nostra ætas reuocauit, pileaq; elegantissima ex consutis panni frustulis quatuor, tam ad ornatum capitis, quàm etiam ad vmbellæ vsum fecit, non ea tamen oui singula dimidij speciem referentia, sed quatuor veluti costis ad quatuor instar mundi cardinum assurgentibus diuisa, ita tamen vt quarta desideat in plicam, quasi polum describat, quem

Sub pedibus Styx atra videt manesq; profundi:

argumento, nos cœli semper memores esse debere, cuius figura quadam capita contegamus. Sacerdotes verò hoc plurimùm vtuntur capitis tegumento.

DE INDVMENTIS.

C QVANTVM verò ad reliqua pertinet indumenta, cùm multi materiam eam pertractarint, nobis non est consilium singula recensere, sed pauca admodùm quæ vel remotiora, vel ab aliis diuersa videbuntur, & aliquid sapiant hieroglyphicum.

ROMANVS.

MISSAM itaque faciemus togam, cuius figuram Quintilianus satis explicauit, cùm nulli non innotuerit per eam ita Romanum ciuem indicari, quemadmodum per pallium Græcum hominem. Vnde Latinæ Comœdiæ, in quas scilicet Latinę personæ inducuntur, *Togatæ* vocitantur, Palliatæ verò, quæ per Græcas personas aguntur. Sed hoc Virgilius explicauit, cùm dixit:

Togatæ & Palliatæ Comœdiæ.

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

CIVILIS.

AT eum quidem Romanum per togam intelligebant, qui ciuilia negotia tractaret, siue, vt diceret Horatius, *ciuilibus vndis mergeretur.* Vnde Martialis: *Toga rara, mens quieta.* Nam Marcellus vestimentum eam esse tradit, quo amicimur in foro negotiaturi. Cæterùm toga non solùm viri, sed etiam fœminæ vtebantur. Varro de vita populi Romani, vt apud eundem citatur, de togis loquens: *Antè enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Hinc apud Propertium legas:

Siue togis illam fulgentem incedere Cois.

Tertullianus cùm notaretur, quòd indumenta Romana fastidiret, pallioq; potiùs vir tantus vteretur homo minimè ambitiosus, causam tuetur suam, euitareq; seeo habitu & impensam & incommodum respondet, cùm toga vestis sit admodum onerosa, ait enim: *Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te prius in toga sentias, indutum, ánne onustum? habere vestem, an baiulare?*

Tertulliani dignum memorādum.

PAX.

QVONIAM verò ea quæ domi fieret Reipublicæ administratio, vel ciuilis vitæ negotiatio, longè diuersa videretur à bellicis negotiis; inde factum vt pro pace nonnunquam toga acciperetur, quippe cùm de ea vitæ ratione dicatur, quæ pertinet ad forensia.

BELLVM.

Per togam & sagũ hominum distinctio.

SED sagum cùm militare omninò sit indumentum, cuius scilicet vsus expeditiorem ad itinera & negotia hominem reddit, pro bello poni solitum. Ita arma togę opponuntur, de quo celebre illud Ciceronis dictum: *Cedant arma togæ.* Nam ad hunc vsque diem nationes pleræque, præsertim Galli, viros militiæ deditos breuis indumenti vocabulo designant, cùm sacerdotes, legum professores, ac negotiis ciuilibus deditos, longæ vestis nuncupatione describant, ita duplex hominum genus distinguentes, quemadmodum veteres per togam & sagum varia hominum studia significabant. Facit ad hoc Tullianum illud ad Cæsarem iuniorem lib. Epistolarum 1. *Pridie Nonas Febr. cùm ad te literas manè dedissem, descendi ad forum togatus, cùm reliqui consulares sagati vellent descendere.* In Canone autem illo, vt hoc καὶ πάρεδρον, non importunè tamen inseramus, qui apud Maffæos Romæ habetur, de Militum Romanorum ordinibus, nuncupationibus, vexillis, & gestaminibus, ad Theodosium & Valentinianum inscripto, lata de Thoracomacho indumento laneo Lybicis pellibus cooperto mentio est. Sed vsitatissimus semper fuit corij vsus in militaribus tegumentis. Hinc apud Maronem nonnulli,

---- *Lupi de pelle galeros*
Tegmen habent capiti, vestigia nuda sinistri
Instituere pedis, crudus tegit altera pero.

PLEBECVLA.

TVNICA autem, plebeculæ signum erat, eaq; etiam serui vtebantur. Vulgatissimum enim est, Tunicatum, aliquem ex Romana plebe significari. Vnde Horatius:

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Tunica quid.

Quæ verò esset tunicæ species, Nonius explicauit, cùm sine manicis eam esse dixit, & plurimùm talarem sine manicis esse ostendit, indumentum aptum ad opera facienda, eaq; gens otij propemodùm nescia erat. Hinc Virgilius vulgò gratulaturus, manicatos irridet, vtpote munus idoneos qui bella, negotiáve, aut artes vllas tractent. Numanum enim Latinum hominem sui generis strenuitatem iactantem, & imbelliam Phrygibus obiectantem, ita loquentem inducit:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

ILITHYIA.

SED vt antiquiora repetamus, Athenienſium institutum fuisse Pausanias tradit, vt Ilithyiæ simulacra ad imos vsque pedes contegerentur. In Diuinis verò literis tum tunica, tum color eius hieroglyphicè consideratur. Pontifex enim præter interiorem tunicam, quæ fit ex lino, materia quippe terrestri, Podere etiam vel hypodyti dicamus hyacinthino induebatur. Cœlestis enim color, dubio procul est hyacinthinus, monimentoq; est cœlestia demùm meditanda, cœlestia tractanda, cœlestia discutienda, totamq; mentis agitationem circa ea quæ cœli sunt exercendam. Sunt verò interpretes qui non Hypodytin, sed Epandytin edidêre, quod indumentum signat quod superinducitur, nimirum enim hypodytis interior est tunica, quæ primam nostram indicabat generationem, vt apud Hierosolymitanum Hesychium. Alij exponunt, quia hominem ostendit interiorem alij tunicam huiusmodi Iustitiam interpretantur.

Hypodytis Pontificis indumentum.

DE PODERE.

EST autem poderes, vt Eucherius, sacerdotalis lintea corpori penitus adstricta, eademq; talaris, ἀπὸ τ ποδῶν appellata ποδήρης, quæ & subucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quæ vestimentis aliis subiiciebatur, doctrinam sacratiorem intelligi veteres Theologi tradiderunt. Exodo: *Et fecerunt vestimentum poderum sub vmbone, opus textile, totum hyacinthinum.*

PVDICITIA.

QVOD verò in numis & monumentis aliis antiquis velatæ nonnunquam facies obseruantur cum inscriptione PVDICITIÆ, non tam ob flammeum, quo nouæ nuptę faciem obnubere solitæ sunt, cùm ad virum traducerentur, vnde illis nuptarum nomen, quam ob historiam institutum credíderim, vt ita fieret. Ab Icario enim Penelopes patre simulacrum eiusmodi dedicatum Pudori ferunt, Græciq; historiam super hac re huiusmodi conscripsêre. Cum Icarius ab Vlysse frustra contendisset, vt Lacedæmone habitare mallet, id demũ filiæ persuadere conatus est, cumq; acriùs instaret, ne se desereret, Vlysses iussit vt ea sponte sequeretur, aut cum patre si grauaretur, Lacedæmona rediret, Penelope obtecta facie, nihil quicquam respondebat, quare pater intellecta filiæ sententia, eam dimisit; & in facti monumentum, eo loco pudoris simulacrum erexit, quod in Laconia spectabatur. In numo, cuius inscriptio est, SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG. ab altera parte dea sedens velo faciem cooperta, digito dexteræ indice ad iugulum admoto, conspicitur, cuius inscriptio est, PVDICITIA. In alio Herenniæ muliebre sigillum sedens cum conto in læuam vlnam iacente, dextera velum ante faciem obducit, inscriptio est, PVDICITIA AVG. In eo quoque, cuius literæ

Simulacri ab Icario Pudori dicati historia.

A literæ ab vna parte sunt, MARCIA OTACIL. SEVERA AVG. ab altera sigillum est, quod velum in faciem prætendit, cum simili inscriptione, PVDICITIA AVG. In altero eiusdem Otacillæ cum eadem inscriptione & specie, quæ velum eodem modo prætendit, læua radium tenet, sed nomen ita scriptum est, MARTIA OTACIL. SEVER. AVG. cùm in altero MARCIA per c literam in ordine quarta, habeatur, quod quidem ostendit, eo quoque tempore eandem fuisse pronunciationem literæ r, quæ nunc est, cùm post i vocalis altera subsequitur. Quamuis ætate nostra fuerint publici non postremi nominis professores, qui longè aliter sentirent, blesitatemq; eam in r litera suaptè vi sonora, peruicaciter abhorruerint. Sed enim puto ego variatum in numis, quia alij Marcię nomen à Marco, alij à Marte deductum existimarint. Sed vt ad Flammeum redeamus, quo noua nupta olim cooperta ducebatur ad virum, crocei coloris id plurimũ fuisse comperio, vt apud Maronem, Cyri:

Flammeus nouè nuptarum.

Vt tibi Corycio glomerarem flammea luto.

Idem alibi pro maximo negotio habet, venerabile matronalis ornatus donum celebrare:

Circumtextum (quippe) *croceo velamen acantho,*
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis
Pergama cùm peteret, inconcessosque hymenæos
Extulerat, matris Ledæ venerabile donum.

Neque satis semel hoc dixisse, sed paulò pòst mirari Tyrios ait:

Pallamq; & pictum croceo velamen acantho.

Hoc illud est quod Cyprianus ait, continentiam & pudicitiam non in sola carnis integritate consistere, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter & pudore. Solicitus admodùm in hac re Tertullianus, mihi videtur, qui non solùm velamen huiusmodi *Armaturam pudoris* vocat, *verecundiæ vallum, sexus fœminei murum, qui nec suos emittat oculos, nec admittat alienos*, verùm etiam modum præscribit, ad quem velaminis istius forma produci debeat: *Quantum*, inquit, *resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, vt ceruices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt quas subiectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet. Velamen ingum illarum est. Denique bonum esse ait, vt mulier vsque ad lumbos à capite veletur. Iudicabũt nos*, addit, *Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegũt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere, mauult enim fœmina videre quàm videri.* Nam & qui Flammeum describunt, vestem alij, tegmen alij esse dicunt, quo matronæ capita tegebant, dictumq; volunt à Flaminica, quæ vxor Flaminis erat, boni ominis causa, quippe cui vsqueadeò iuncta erat pudicitia, vt vni illi diuortium facere non liceret. Sanctissimumq; præceptum est apud Christianos fœminis, ait Adamantius ex Paulo, vt cùm orant, habeãt velamen suprà caput, propter Angelos, qui sanctis assistũt, & in Ecclesiis versari delectantur: quos quidem nos, qui sumus peccatorum sordibus inquinati, videre nequaquam possumus.

B

ALBATÆ.

IPSI verò colores etiam hieroglyphicum quid sapere videntur. Nam flamen, vt Varro tradit, cùm Ioui sacra ferebat, totus albatus erat, & pileum etiam gestabat album. Magi sanè in Persíde dicebant, Deum ipsum non delectari nisi in albis vestibus, quod ego ex Salomone desumptũ credíderim, qui dum morum candorem, & animi puritatem persuadere intendit: *In omni tempore*, inquit, *candida sint vestimenta tua*, vtpote qui ætatem nullam, officium nullum, nullum otium & negotium toto vitæ tempore sinceritate & innocentia vacuum esse debere præcipiat: ita enim sacræ literæ

Albæ vestes quid notet.

C vestimenta accipere consuêrunt, ita veterem hominem exuere admonemur, ita qui nuptiali veste non ornatus, conuiuio nuptiali Regis discumbere ausus erat, ad cruciatum in vincula coniicitur.

VESTALES VIRGINES.

QVÆ verò Suffibulo amictæ sacrificabant, virgines Vestales erant. Fuit verò suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum. quod illæ in capite sacrificantes habebant, idq; sub mento fibula comprehendi solebat, vnde nomen. Eadem penè specie qua suffibulum erat, Romanæ matronæ nunc vtuntur, cùm domo exeunt, pudicitiæ simul & pietatis, quæ duo in illis egregiè vigent, indicia & vera & manifesta.

LIBERTAS.

LIBERTOS manumissione accepta, alba veste decorari solitos id ostendit, quod apud Tertullianum legitur de famulo libertate donato. Atqui & vestis albę nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaq; honoratur. & alibi talia, vt aduersus Marcionem libro quinto: *Et sacræ tinctura candidatis mos fuit albam vestem induere*, de quibus eleganter Pontius Paulinus:

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Neque minùs luculenter Fortunatus:

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoq; candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Et quoniam per hebdomadam Paschatis vnà tingi plures consuêrunt, ea de causa ferię illę, quę ad

hoc omnes institutæ sunt, & quæ subsequitur hebdomada, *In albis* adhuc appellatur. Erat verò signum quoddam manumissionis, de quo suprà dictum.

MODESTIA.

Erat & modestiæ signum alba vestis, animiq; qui præsentibus æquus, nihil vlterius tentare videatur: vti purpura ambitionis, animiq; sublimis & vasti, amplitudinis, magistratusq; summi. Sanè cùm apud Alexandrum quidam Antipatri parsimoniam atque modestiam commendaret: *Foris*, inquit Alexander, *albo vtitur pallio, intus verò totus est purpureus*, fictam notans in homine ambitiosissimo, qui maxima quæque appeteret, parsimoniam.

LEGES, VETVS ET NOVA.

Sed vt ad nostra redeamus, Canticorum cantico legitur, *Fratruelis meus albus & rubicundus*, quo loco Diuinarum literarum interpretes, per colorem album legem veterem intelligunt, per rubicundum, prædicationem Euangelij, vtrumque autem in Christo: ipsius est enim lex, ipsius Euangelium. Sanè vbi Leuitico de cicatricibus agitur, *album*, aiunt, *cicatricem* Legis transgressionem significare. Ita illi omnia hieroglyphicè sunt intelligenda.

DE STOLA.

Stolam apud veteres inuenias matronalis pudicitiæ signum, de qua Tertullianus plura. Ouidius amoris & impudicitiæ præceptaturus, quò se tamen verecundum assimularet, ait:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæq; tegis medios instita longa pedes.

BAPTISMVS.

Evangelii verò locum, *Citò proferte stolam primam*, pro iuuene perdito, qui redierat in viam, E veteres aliquot Theologi accipiunt pro baptismo, vt apud Eucherium. Suprà verò exeuntibus à baptismatis tinctura, vestem albam parari ostendimus.

DE ATRATIS.

SACERDOTES ÆGYPTII.

Contrà verò nostrorum mores, sacerdotes Ægyptij, cùm supplicabant, nigris vtebantur vestibus, neque alias quàm nigras vestes eũ decere arbitrabantur, qui diis preces allegaret, quippe vt terram ipsam supplicare significarent, ex qua mortales conformati sumus. Ea verò apud ipsos nigra figurabatur.

CERES ET FALACRALIS FLAMEN.

Et Cereri nigra vestis apud Arcadas inducebatur. Et Falacralis flamẽ nigro vtebatur pileo: erat enim Plutonis, cui cùm immolabãt, vestibus vtebantur nigris; quem colorem aiunt inferis diis dedicatum. Et lugentium vestis maximè nigra erat, vnde eas Varro Anthracinas vocat, quasi carbonarias velit dicere: ἄνθρακες enim Græcè, Latinè carbones appellantur.

AERVMNOSVS.

Saccus seu Saccũ ad Hebræis.

Apvd Hebræos luctus suprema q; mœstitiæ indicium vestis erat saccus, & Saccium appellata, humilis illa quidem, abiectæ vilitatis, & informis, quæ quidem induta calamitatem, qua quis oppressus esset, indicabat, conscissa verò lætitiam. Genesi, ὅτι Ιακὼβ σακκίον ἐξεφάρδω ἢ τὴν λυπὴν βαρὺ ἐποιήσατο, *Iacob autem saccium induit, magnitudineq; mœroris oppressus, humi sedit.* Sunt qui cilicium interpretentur. Sed & Græci Sacci vocabulum vsurpant. Vtcumque vestem huiusmodi induere consuerant; cùm in ærumnas, quæ omnem superarent consolationem, incidissent, qua demum leuati saccum discindebant. Vnde Psalmo xxxv. legas: *Ego autem cum mihi molesti essent induebar sacco, & macerabam ieiunio animam meam.* Eodem autem significato color niger luctum, & quam Theologi nostri facti pœnitentiam vocant, indicare plerisque locis manifestum. Nam atratas in luctu vestire, ærarium primordio ad hoc vsque tempus vnanimi omnium consensu factum. Tum illud Leuitico celebratur, *Si non capillus niger fuerit*, quod exponunt, si nullum pœnitentiæ signum per lacrymas dederit, aut aliquem omninò mœrorem præ se tulerit.

MAPPA.

Mappæ vsus

Et mappa vel genus, quod mensis insternimus, quoq; abstergendis manibus vtimur, hieroglyphicum suum adepta est, siquidem ea signum erat in ludis, quo Equi de carceribus excitati cursum arripiebant: mittebat enim Prætor eam cùm signum daret, quod nunc clangorem tubarum significatur, de quo Martial. habes:

Cretatam Prætor cùm vellet mittere mappam.

Nero libertos suos id facere voluit, quod tãto apud veteres honori ducebatur. Nam apud Liuium legas VIII. ab Vrbe cond. L. Plautio prætore graui morbo detento, Dictatorem creatum fuisse, qui ludis Romanis signum daret quadrigis emittendis; qui eo ministerio functus, Dictatura se abdicauit. Hodie quoque, mi Iane, Romæ munus id ad ornatissimos viros defertur. Nam, vt non ignoras, Angelus Cæsius Aduocatorum facilè princeps, & Cardinalis pater, & nobilissimus vir Petrus Melinus, tã eruditione, quàm domestica celebritate insignis, duo S. P. Q. Romani Cancellarij (is enim titulus apud omnes Europæ Principes inter honoratiores hodie celebratur) inter alia præfecturæ tam præclaræ munera, cursorum in stadio emittendorum etiam negotio præficiuntur.

PALV

PALVDAMENTVM.

Tribvnvm, vel Præfectum, aut Præsidem aliquem ex habitu significare qui volebant, imaginem eius paludamento insignem faciebant. Erat enim paludamẽtum vestis militaris, quo Duces, Tribunique, & Præfecti ad id munus electi, cùm in prouinciam proficiscebantur, vti consuerunt, indeq; Paludati dicebantur, quemadmodum milites præcincti. Paludamentum Nonius chlamydem mox appellatam dicit, sed id quoque antiquum nomen. Sed enim omnia militaria ornamenta, paludamenta dicebantur. Vnde Verrio libris auguralibus, Paludati, armati ornatique sunt.

RVBICVNDA.

Rvbicvnda vestis, tunica vel pallium deprompta, pugnæ acieiue cõmittendæ hieroglyphicũ apud Romanos habebatur, de quo in Marcello, & in Pompeio, & in M. Bruto, Plutarchus.

LÆNA.

Et læna vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta inducebatur, de qua Maro:

Tyrioq; ardebat murice læna:

Id vocabuli à Græcis dubio procul mutuò sumptum, qui genus id indumenti χλαῖναν, dicunt.

VERSICOLORIS.

Versicoloris vestis adolescentiæ hieroglyphicum est. Eaq; de causa veteres Comici adolescentis personam versicolori veste indutam, in scenam inducebant, vt scilicet ingenij volubilitatem, cupiditatumq; varietatem, in ea ætate præcipuam commonstrarent. In Iosippo verò puero per versicolorem vestem doctrinarũ & virtutum copiã, quæ iam ex eius indole concipiebatur, intelligit Adamantius. Quòd verò lex nostra præcipit, vestem ex duobus textis nõ induendam, eò respicit, quòd minimè debeas Christũ adorare simul & dæmonas: id enim est abominabile vestimentum. Non vult enim hominem semel Deo dicatum, diabolicis sese immiscere negotiis, neque simul orationibus incantationibusq; vacare, & huiusmodi alia quæ in spiritus contumeliam quotidie fiunt. Neque vetat hoc lex in textis tantùm, verùm etiã diuersi generis animalia commisceri prohibet, circuncisionem quippe, atque baptismum, vt ait Hesychius, non esse cõmiscendos.

Vestem ex duobus textis induere veritum, & quare.

LINTEA.

Linteа vestis alba supra cæteras vestes inducta, puellaris ætatis indicium fuit, quòd eo genere amiculi apud veteres puellæ ante duodecimum annum vtebantur. Hinc illud apud Afranium citatur: *Puella non sum, supparo si induta sum.* Vult verò Nonius supparum linteum esse femorale, vsque ad talos pendens, dictum quòd subtus appareat. Sunt etiam puellares vestes ex Varronis iussu, chlamydes encobomata, ac parnacides, quas iubet vt puellæ habeant, potius quàm togas. Vtcunque, longa vestis omninò fœminea est, aut citharœdica: de qua Maro,

Supparum Nonij.

Necnon Thraicius longa cum veste sacerdos Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Ita Propertius libro II.

Pythius in longa carmina veste sonat.

FIDES LVBRICA.

Noniavm verò supparum adducit in memoriam mihi linteum alterum, quo mulieres hodie passim vtuntur domi. Id infra thoracem accingitur, & ad pedes vsque propendet, anteriores q; tantùm partes velat, vulgò non impropriè gremialia vocantur. Habet hoc vestimenti genus hieroglyphicum suum. Nam & prouerbium est, *Nec mulieri, nec gremio credi* oportere, quòd & illa incerti & leuis animi sit, & in gremio posita plerunque cùm in oblitionem venêre, illis temerè surgentibus, procidunt.

Prouerb.

FIDEI CREDITVM.

Sinvm hunc Latini mihi videntur appellasse, quamuis eius locutionis latè patet vsus, præsertimq; vbi potestatem aut quid fidei creditum significat, vt altero & vigesimo Pandect. lib. Tit. III. Scæuola: *Titio c. do, lego, quæ mihi pertulit: quæ ideò ei non caui, quòd omnes fortunas, & substãtiam, si quam à matre susceperat, in sinu meo habui, sine vlla cautione.*

PRÆTEXTA.

Prætextam nõnulli putant togam fuisse, quæ ad talos vsque produceretur, dictam quòd in ea purpura prætexeretur. Per eam honorem intelligebant, qui esset cuipiam habitus: honestorum enim prætexta erat, ait Pædianus, toga viliorum. Alij nomine hoc purpuream quandam fasciam valde laram intelligunt, quæ tamẽ multipliciter plicata in angustum contraheretur, atque ita supra alia vestimenta nũc ab humeris, nunc à pectore in fasciæ modum circunduceretur, nunc eius capita vtrinque ab humeris in pectus demitterentur, cuius generis amicula Romæ plerisque antiquorũ statuis inducta cõspicias. Et in Veneta nobilitate qui togati incedunt, eo omnes amiculi genere vtũtur, eo excepto, quòd purpurea apud eos in vsu nõ est, sed ex nigro panno plurimum. Purpura enim non nisi magistratibus cõceditur, hisque insignioribus. Nuptialibus quoque, & cùm primi honores, quos procuratorios vocant, alicui deferuntur (sunt verò hi sacrarum largitionum præfecti) tunc consanguineis & cognatis & affinibus licet per aliquot dies vti purpura in lætitiæ gratulationisque significatum. Sed admonet me color purpuræ, vt quid in Diuinis literis manus coccino præligata sibi velit, exponam: Zaræ manus inquam Iudæ filij, quæ se de matris vtero porrexit: nulli enim dubium, esse id hieroglyphicum, per quod Theologi, vt apud Irenæum est, Iudaicum populum simplicibus legis operibus & circuncisionis sanguine insignem, qui priùs apparuerit, seque mox retraxerit, loco alteri fratri, qui & ipse in vtero matris erat, dato interpretantur,

Apud Venetos prætexta vsu.

& per Pharea Christianos, qui secundo loco cogniti hæreditatis primigeniæ messem abstulerint. D
Sed vt Romam repetamus, antiquissimum apud Rom. quoque fuit, vt magistratus prætexta vte-
Prætexta Nonij, & prætextatæ fabulæ. rentur. Nonius quoque ait, prætextam insigne Romanum esse, quod supra tunicas honorati qui-
que sumerent. Et prætextatæ fabulæ dicebãtur, vt apud Festum legas, quæ res gestas Romanorum
continebant, in quibus scilicet Imperatorum negotia agebantur, Regesq; Romani vel Duces in-
ducebantur.

PALMATA, ET TOGA PICTA.

IOVIS quoque imago toga prætexta insignis dedicabatur, cui & palmatam tunicam, & togam
picta adiiciebant, quo habitu triumphales etiam viri conspicui incedebant, vt apud Liuium
legere est lib. x. Et apud Iuuenalem triumphantem vides in tunica Iouis superbire.

PVDOR.

Aetas prætextata. QVANTVM verò pertinet ad pueros, præcipuum prætextæ significatum fuit, vt pudorem in-
dicaret, quem scilicet ætas ea, quæ Prætexta dicebatur, sibi proponere deberet, eiusque rei
indicium esse purpureum colorem, vnde admonerentur verecundiam in dictis factisque omnibus
amandam. Quòd si nuptialibus, de quibus apud Catullum, ad aliqua petulantius dicenda adhibe-
rentur, quò id facere liceret prætextæ iure minimè violato, eã in id tempus abiiciebant. Hinc pro
lasciuo sermone atque licẽtioso, aliqui prætextatũ dixêre. Sunt verò hæc quę tãgit Seneca, Medea:

Festa dicax fundat conuitia Fescenino. Ita Catullus:
Nec diu taceat procax Fescenina locutio.

Ea verò qualis sit, ad multos qui subsequuntur versus explicatur.

MANIPVLARIS.

CALIGA quoque suum habuit hieroglyphicum, vt scilicet eius ordinis militem indicaret, qui E
manipularibus præfectus esset: eo enim calciamenti genere vtebantur. Subiecti hi Centurio-
nibus, & Caligati dicebãtur, vnde apud Tranquillum legas de Augusti facilitate, qui vallares mura-
lesq; coronas sæpe etiam Caligatis tribuerit. Inter hos infimæ notæ milites quia & enutritus, &
assiduè versatus erat C. Cæsar, qui Tiberio successit in Imperio, ab eo calciamẽti genere Caligula
Ordo manipularis qd. vocitatus est. Qui verò esset manipularis ordo, & quo militum numero constaret, quoq; signo tur-
ma huiusmodi cognosceretur, minimè dissimulandum. Apud Liuium enim numerus xxx. militum
sub manipulo cogebatur, vno quippe vexillo. Manipulus verò præcipuè dicitur fasciculus alicuius
rei, quia manu capitur. Romulum quippe aiunt manipulos fœni pro vexillis habuisse, quòd repen-
tino tumultu excitatus, id signi genus prætulerit, req; bene gesta, boni inde ominis causa manipu-
los instituisse.

PENVLA.

PENVLA militaris vestis, quam cœlo pluuio gestare consuerant, quam Horatius solstitio nihil
prodesse dicit, Tribunitiæ potestatis insigne fuit. Hadriano autẽ Tribuno facto, Imperij omen
Imperij omen penula a nisa. fuisse penulas amissas, quas Tribuni gestare soliti pluuiæ tempore, Imperatores verò nunquam, ait
Spartianus. Potestas verò Tribunitia, quia sacrosancta erat ab Imperatoribus vsurpari solita, vt quę
maxima esset pars Regalis imperij, vt apud Vopiscum est.

ZONA.

VIRGINITATEM per zonam significare tam Græcorum & Latinorũ est, quàm etiam He-
bræorum. Trœzeniorũ autem virgines zonã Palladi Apaturiæ ante nuptias dedicabãt, sicuti
crines Hippolyto, cui Diomedes templũ excitarat, quòd Aurigã in cœlo positũ Hippolytum cre-
derent. Author Pausanias. Sed nos ad zonã. Denique plerisque locis Diuinæ literæ zonã pro forti- F
Põtifex zona præcinctus. tudinis hieroglyphico ponunt, eaq; Pontificem sacra facturum præcingi iubent. Sed quòd variari
cum opere plumatili præcipitur, non rectè nonnulli pro Plumatili Topiario substituendũ putant:
multa enim huius antiquitatis vestigia extant, ab extremis præcipuè noui orbis nuper inuentis
partibus allata, vbi tam indumenta, quàm gestamina, scuta etiamnum, & diuersi generis vasa ple-
raque omnia, psittacorum, & phœnicopterum, & aliarum pictarum auium plumulis intexuntur,
opere tam venustè variato, vt nihil delectabilius possit oculis offerri. Nam quòd superiùs dicebā-
mus, hanc pro fortitudine poni, cinctus ipse apud Romanos strenuum significat, vti discinctus im-
bellem, & ignauum, ac nihili hominem notat. Tertulliano zona tormentum est. Hilario, efficax in
omne opus bonum apparatus, vt ad omne ministerium Christi voluntatis cingulo simus accincti.

VINCVLA IVGALIA.

Noua nupta cingulum. IVGALIA verò vincula quæ sint, apud Poëtas omnes vulgata sunt. Noua sanè nupta cingulo
præcingebatur ex lana ouilla facto, quod vir prima nocte, in Deæ virginalis honorem, sponsæ ac-
cubans in lecto soluebat. Vnde Homerus, λυσέζωνον παρθενίην ζώνην. Et apud Ouidium:

Castaq; fallaci zona recincta manu.

Eoque spectat Catullianum illud:

Qui zonam soluit diu ligatam.

Indicabat verò hieroglyphicũ hoc, vt sicut illa in glomos sublata cõiuncta inter se est, sic vir suus
secum cinctus iunctusq; esset. Cingulumque hoc Herculaneo nodo vinctum, vir ominis gratia so-
luebat, vt sic & ipse in liberis suscipiendis felix esset, quemadmodum Hercules fuit, qui liberos se-
ptuaginta reliquisse fertur.

PVER

A

PVERPERIVM.

QVIN etiam zonæ solutio puerperij fuit hieroglyphicum: olim siquidem *Soluere zonam* dice-
bantur, quæ primò pariebant, eaq; de causa leuatæ partu mulieres, zonam Dianæ dicabant.
Vnde fanum Soluizoniæ Dianæ Athenis fuit, de quo apud Apollonium Argonauticis.

TEMPERANTIA.

HABENT & Diuinæ literæ hieroglyphicum quod per zonam cingulúmve significent, præci- *Zonæ in Di-*
puè verò temperantiam, & moderationem, qua fluxæ animorum cupiditates coërcentur, lu- *uinis signi-*
xuriantia compescuntur, & modus denique imponitur rebus., vt quinto supra quadragesimum *ficatio.*
Psalmo legas, *Regis filiam in cingulis aureis conspicuam*, quod alij in fimbriis transtulêre. Apostolus ta-
men præcincti circa lumbos zonis aureis dixit, quod pro cordis munditia nõnulli interpretantur,
alij vestem auro contextam simpliciter accepêre. Verùm Euthymius zonam agnoscit, & pro tem-
perantia atque modestia, quæ concupiscibilem animæ partem coërcet, interpretatur, non hoc di-
cturus, si vestem simpliciter agnouisset. quanquam & fimbriarum non respuit ornatum, & virtu-
tum inde multiplicitatem non auersatur.

DE PERA.

POSITA zona, visum est κατ' παρήχησιν & Peram apponere: nam & zona ipsa sæpe pera
est, vt apud Horatium:

Ibit eò quouis qui zonam perdidit.

B Hæc tam apud Græcos quàm apud Hebræos hieroglyphicum habet id, quod pro cura
& solicitudine victus accipitur, vnde Theologi transferunt ad impedimenta humanæ vitæ, quæ
animum alioqui paratum ad disciplinas interturbant. Græci super hoc dicunt, *Diogenes cui pera pe-*
nus, cui scilicet minima harum rerum cura. Euangelium quoque, *Non peram in via*, cùm nec quidem
solicitos esse de crastino imperauerit Dominus. Eodem facit & sacculus, quem habere non licet,
hoc est, in hac peregrinatione minimè thesaurizandum esse. Quod ibi apertiùs: *Facite vobis sacculos*
qui non veterascunt.

HIEREMIÆ CINGVLVM.

EIVSMODI est & cinguli significatũ, quod ex lino factum, eoq; cingere se iussus est Hieremias.
Quod quidem vt manifestiùs intelligatur, exigit locus vt de lino quædam altiùs repetamus.
Linum enim ex terra nascitur, satumq; prius in gramen pullulat, mox vt flore lasciuierit, vellitur, *Lini & ho-*
aqua immersum maceratur, exiccatum mox frangitur, & quoquo versum perdomatur, inde pecti- *minis cõpa-*
tur, atque netur, neque tamen priùs, quàm feruenti mordacique subinde lixiuio perpurgatum sit, *ratio.*
effectumque candidum, texitur, vt vestes inde consuantur, quas induti ante faciem Domini pre-
ces allegemus. Hæc omnia nobis diligenter inspicienda sunt, huiusmodique segetis herbæ've cura
ante oculos proponenda, quippe quæ probatioris, castigatioriſque vitæ scenam quandam pingere
videatur. Siquidẽ nos è terra geniti, luxuriare ineptiis statim incipimus, magistra igitur disciplina
auellendi à terra sumus, & lacrymarum aqua macerandi, ad sacerdotalem Solem mox exponendi,
laboribus inde & perperam factorum pœnitentia domandi, inde per omnes conscientiæ scrupulos
quàm diligentissimè pectendi, vt ita sordes excutiãtur omnes, nihilq; relinquatur, quod in filo vi-
tæ producendo possit officere; quod quidem filum longa bonorum operum continuatione nen-
dum est, mordacique subinde lixiuio dealbandum, vt eluto ita tetro illo colore, quem à terrena
C contraxeramus origine, candidissimum nobis amiculum, puta cingulum contexamus, quod tamen
ad Euphratem minimè defodiamus, ne ibi computrescat, inutileq; reddatur, hoc est, Assyriorum
& Babyloniorum moribus corrumpamur, sed eo & integro & nitido custodito, clericos, qui verè
sint per sortem electi, profiteamur. Atque hæc est super sacerdotum amictu ratio nulla non hora
repetenda. In vniuersum autem linteas vestes sacerdotibus attributas habilitatem significare ve-
teres plerique Theologi dixerunt. Inde lintea tunica iustitiam, femoralia identidem lintea castita-
tem ostendunt, nempè id innuentes, quòd veluti linum res est admodùm parabilis, ita virtutes,
modò eas appetierimus, minimo negotio comparantur.

PVRITAS.

HERODOTVS, vt Gẽtes quoq; nobiscũ in puritate vitæ sentire cõmõstremus, nefas ait apud
Ægyptios laneas vestes in ædes sacras inferre, proindeq; linteis vsos, de quibus ita Martialis,

Linigeri fugiunt calui, sistrataq; turba,
Inter adorantes cùm stetit Hermogenes.

Vnde apud Tertullianum de Christo, cùm linteo circũstringitur, propria Osiridis veste. At Plutar- *Sacerdotũ*
chus libro de Iside & Osiride, cur eorum sacerdotes linteis tantum vestibus vterẽtur, vnicam eam *vestes cur*
esse causam existimat, quòd immortalibus diis omnia pura mundaq; conueniant: non enim esse fas, *lineæ.*
Platone teste, pura deorum numina impuris & contaminatis rebus coli, quare cùm linum iis quas
superiùs recitauimus causis maximè purum fiat, sitq; ad eluẽdum expeditissimum, sacrificis Deùm
cultoribus ante omnia congruere censuerunt. De nigris verò vestibus, quas tunc inducrent cùm
Deos precibus placare instituissent, superiùs dictum est.

FATVM

FATVM.

ADDEMVS & illud, receptissimũ apud Poëtas esse Lina pro Fato ponere, quod nescio quid sapit hieroglyphicum. Nam vt Parcarum stamina prætereamus, quæq; super his alibi dicenda sunt, cur linum pro fato Poëtæ ponant, causam afferunt interpretes Theocriti, quia scilicet terræ fœtus est linum, quemadmodum etiam mortales: idque abruptum, significat hominem rursum ad terram redire.

CASTIMONIA.

SED vt ad vitæ redeamus integritatem, moresq; castos, nihil aliud sibi diuina nostrorum monumenta volunt, dum sacerdotalia memorant indumenta, quibus Campestre adnumerant, quod alij Femoralia dixerunt, nisi vt hinc castitatem etiam nos assumere commonerent, indumentum quippe quo pudenda cooperiamus, & renes etiam constringamus: eo enim sacerdos præcingi iubetur, in holocausti faciendi lege, hoc est, vt Cyrillus interpretatur, fluxæ libidinis luxuriam castitatis cingulo coërcere. Sacerdos enim qui sacris assistit altaribus, id præcipuè curare debet, vt castus & intaminatus operetur.

PROFECTVS ORATIONIS.

TAMETSI Origenes sublimiore quadam contemplatione raptus, cùm octo ponantur Exodo sacerdotis indumenta, cur Leuitico septem tantùm recensentur, inquirit, hoc scilicet Campestri posthabito, eoq; rem deducit, vt veluti de Mercurio nationes reliquæ veteres intelligebant, per Genitale nos quoque Sermonem accipiamus, qui quidem tunc exerceri debet, cùm spes profectus aliqua visa fuerit affulgere, fœturamq; minimè irritam futuram. Cùm verò nos nulla profectus spes inuitarit, sed auersas à bono aures, auersa hominum ingenia perspexerimus, Campestria subliganda, orationi quippe nihil quicquam profuturæ frænum imponendum. Sunt verò Campestria, perizomata, vt Eucherius, quibus iuuenes qui nudi exercebantur, in campo, vti consuerunt, pudendis cooperiendis. Iam & illud continentiæ significatum est maximè proprium, & admodùm hieroglyphicum, nisi oculos verecundiorum offenderet, quo pudẽdum fibula cohibitum ostentatur. Vsitatissimum autem apud veteres fibulam apponere, præcipuè his, quos ad Musicam educarent, ne scilicet Veneri operam dantes raucedinem contraherent. Vnde & fibulare, & eius contrarium, refibulare, verba.

Campestria quid.

RERVM PROGRESSVS PER CALCEVM.

SED neque calceus est inter indumenta contemnendus, qui progressionis indicium est: pro viatoribus enim excogitata sunt calceamenta, proque expeditionum auspiciis in Diuinis literis calceamentum ponitur. Inde Psalmo LX. dictum volunt: *In Idumæam extendam calceamentum meum:* hoc est, in Idumæam progressus, eam mihi subiiciam. Sanè veteres Theologi, vt Eucherius tradit, veluti per pedes humanitatem Christi significari dicunt, ita eum aduenisse, & corpus nostrum induisse, per calceamentum ita porrectum interpretantur, & quòd positum est, in Idumæam, in plebem gentilium hanc manifestatum iri pollicentur. Quod quidem dictum, Iane mi, Ægidius noster cùm tempora, quibus hæc futura sint, dinumerasset, rem multis diuinorum vatum oraculis comprobauit. Reliquum est, vt quæ futura ille magnus omninò vir prædixit, nos assiduis precibus, ab Optimo Maximo fatorum Rege deposcamus, vt tu argumẽtum habeas ingenio tuo dignum, quod scriptis illustrare aggrediaris.

Calceus in Diuinis qd.

PIERIVS VALERIANVS
AD ORNATISS. PATRITIVM VENETVM, IO. CORNELIVM FANTINI CLARISSIMI F. DE IIS QVÆ PER BVLLAM, ANVLVM, INSIGNIORES aliquot gemmas, & gestamina quædam significantur,
EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.
LIBER XLI.

CVM *primùm intellexi, Magnificentissime Ioannes, te præstantissimi viri Aloisij Cornelij generum effectum, clarissima quippe Clara eius filia in vxorem accepta, statim Venetias aduolaui, de tam felici matrimonio tibi coram gratulaturus. Inueni verò domumtotam exultantem gaudio, & auspicatissimis nuptiis bona commodaq; omnia ominantem, te verò cum institoribus agere de muliebri mundo, de bulla aliqua pereleganti, aureoq; torque, & anulo pronubo, in quo non splendorem tantùm, sed & pulcherrimum aliquod signum, quod antiquitatem saperet, quæritabas; ideoq; aduentu meo lætatus, super his multa interrogare cœpisti, quòd circa rerum huiusmodi cognitionem me diu versatum noras, de quibus cùm multa dicta fuissent, longeq; plurima dicenda essent, rogasti me, vt per otium ea scripta tibi traderem, vt hæc quietiùs examinares. Bullam autem præcipuè petebas, anulumq; cum gemma aliqua insigniori, præclaraq; antiquiorum opera, quæ non temerè olim &*

A & magistratibus, & ijs qui fortiter aut sapienter se gessissent, honori fuerint condonata. Hæc igitur ego quoque per otium in vnum tibi congesti commentarium. Quid enim ego antiquissimus domus tuæ cliens negare potuissem, quod tu tam honestè poscerès, quódq; ad ingenij tui eleganiam facere mihi videretur? Antiquissima enim est imaginum disciplina, & gentibus omnibus quæ ingenijs & eruditione claruère, in primo semper honore habita. Idem de Regijs, de Romanorum fascibus, de sella, deq; ornamentis alijs dici posset, cuius potissimum rei ratio ab Aegyptijs primùm desumpta, reliquis mox nationibus communicata. Volui itaque vt pars hæc meum erga te studium, amorem, obseruantiamq; declararet: eo enim consilio scripsi, vt hæc qualiacunque sint, istiusmodi mei erga te cultus testimonium essent manifestum. Ingrati siquidem animi esset, non assiduè esse memorem beneficiorum, quæ in me domumq; meam vniuersam, clarissimus patritius Fantinus pater tuus summæ vir integritatis assiduè contulit, quæ quidem è memoria vitaq; mea nunquam euellentur. Accedit ad hæc, quòd tu quoque iure quodam hæreditario eadem benignitate patrocinium erga nos idem suscepisti, méque præcipuè vel à teneris vtriusque nostrùm vnguiculis in amicitiam tuam acceptúmne dicam, an in domo tua compertum, fouere, ac omni officiorum genere prosequi nunquam destitisti, disciplinam liberalitatemq; eam, quam à patre sapientissimo atque optimo viro acceperas, egregiè consecutus. Auxerunt autem tot merita summum ingenium tuum, suauissimique mores, probitas dubio procul singularis, quæ vt te semper mirabiliter & amarem & colorem, effecerunt: nam & tu aliquid dignum maiorum tuorum gloria cogitas, futurúmque est, vt inde virtutis etiam tuæ lumen eluceſcat. Sed quoniam tam claræ sunt laudes tuæ, vt meo non indigeant testimonio, eæq; suapte vi omnibus innotescunt, ijs nunc dimissis ad negotium quod explicari quæris, accingamur.

B

DE BVLLA.

BVLLAM apud Romanos cordis effigiem habuisse, multi profitentur. Hetruscorum sanè gestamen illud ab Lucumone Hetrusco duce, quem Romulus tam condendæ quàm instituendæ vrbis socium, habuit, acceptum. Eum verò Pythagoricum fuisse Ausonius ostendit, vbi Samij Lucumonis acumen celebrat. Sedenim Pythagoram Tyrrhenum fuisse, Aristoxenus, Aristarchus & Theopompus asseuerant, quos Theodoritus id ipsum sentiens authores habet, quamuis vnus Neanthes eum Tyrium fuisse suspicetur. Multa verò huiusmodi excogitata sunt à Pythagora, quia non solùm originatione motus, quòd multæ olim in Hetruria ciuitates ab Ægyptiis fundatæ constitutæq; dicuntur, sed quòd ipsos etiam Ægyptios adierit, à quibus sacri sermonis rationem, obscuritatem in loquendo symbolicam, & disciplinas alias reportauit. Cur verò Samium nonnulli eum fuisse dixerint, alibi disputatum.

Bullæ commendatio.

CORDE PRÆSTANDVM.

FERAT verò apud Romanos gestaminis huius hieroglyphicum significatum, vt ingenui pueri figuram huiusmodi de collo suspensam ante pectus inspicientes, se tum demùm homines futuros cogitarent, si corde præstarent. Ideóque Tarquinij Prisci filium, quatuordecim non amplius annos natum, virili edito facinore, hoste quippe in acie cæso, Bulla primum omnium ea ætatula donatum aiunt, quamuis & Hersiliæ filium adhuc infantulum, quòd primus ex raptis coniugibus ortus esset, eo gestamine decoratum, proditum sit; puerumq; Papyrium ob tacendi simulandíque peritiam, qua in eludenda matris importunitate, quæ Senatus ab eo secreta perscrutabatur, vsus est, maximè nobilitatum. Sunt autẽ qui vocis secuti significatum, ἀπὸ τῆς βουλῆς id est, à consilio Bullam dici voluerint, ideóque datam pueris gestandam, quòd ætas ea alterius sit consilio regenda. Puerile enim omninò gestamen fuisse, Persiani ad Cornutum versus ostendunt:

C

Bullæ etymon.

Cùm primùm pauido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit.

Apertiùs verò Tullius, Verrinis: *Bulla in toga prætexta erat ornamentum pueritiæ, indicium atque insigne fortunæ.*

CONSILIVM.

ALII significare voluisse dicunt, consilium à pectore proficisci, ideóque Bullæ hieroglyphicum in eam partem residere. De consilio verò per figuram cordis à gutture pendentis expresso, in Cordis ipsius Commentario satis disputatum.

VERITAS.

AEGYPTII sanè cùm veritatem ex humano corde gutturi appenso ἱερογλυφικῶς, indicari dicũt, Bullã hanc intelligunt, insignemq; sanè hoc gestamine prædicant iudicẽ illum quẽ in Simandij monumẽtis fuisse tradũt, cuius à collo suspensa veritas penderet, oculisq; esset in sinũ deiectis,

octo

octo legum libris circunstantibus, quod nos admonere dicunt, Iudices integros esse debere, & so- D lam inspicere veritatem. Quòd verò esset compèdiosum veritatis hieroglyphicum nullum corde ipso commodius inuenimus. Adamantius vbi Ezechielis dictum illud interpretatur, *Et catena circa collum tuum:* Si me, inquit, posteaquàm iustitiæ opus adimpleuero, intellectus ornauerit veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circundatur. Nam & Platonici, qui iustitiam volunt actionem esse quandam animæ propriam, ei locum etiam circa pectus attribuunt. Nos verò cùm veritatem esse quid ingenuum, & mendacium seruile quiddam addidicerimus, ἐλεύθερα γὰρ ἀνδρὸς τ' ἀληθῆ λέγειν, *Ingenui opus viri est vt vera proferat*, eámque Bullam ingenuos tantùm gestare solitos, quid illud fuerit gestaminis, quod veritatis indicium à collo penderet, præterquam Bullam hanc, suspicari nequimus. Sanè Diodorus signum id varijs ornatum gemmis fuisse profitetur. Leuitico etiam, vbi de Pontificis ornatu agitur, veritatis signum inuenias in pectus incubuisse, de quo alibi suo loco diximus.. Sed & Salomonis dicteriis cap. III. veritatem gutturi circundare commonemur.

Iustitiæ sedes in pectore.

INVIDIÆ AMVLETVM.

Bulla triũphantium gestamen.

ERAT & triumphantium gestamen Bulla, quam in triumphis præ se gestabant, inclusis in eam remediis, quæ aduersus inuidiam pollere credebantur. Illud adnotandum ex Asconio, Bullam suspendi in collo infantibus, ingenuis auream, inuenio etiam apud alios argenteam, libertinis verò scorteam, esse solitum, vt illud apud Iuuenalem aperiatur, *Signum de paupere loro.* Sanè nostræ etiam ætatis mos est, vt si quis torquem aureum, catellámve gestare voluerit, neque tamen equestri vel, vt aiunt, militari, aut alia quapiam dignitate, cui gestamen illud competat sit insignitus, ligulam ex loro gestamini eiusmodi alligare compellatur.

E

GLORIOSVS.

NEQVE tamen vbique Bullæ nomen pro gestamine accipiendum, sed & pro baltheorum, & forium, & aliarum plurimarum rerum ornamentis, vnde pars hæc pro gloria fastúque ponitur, vbi quis non aliter gloria turgescere videatur, quàm Bullæ ipsæ inturgescentis cuiusdam figuræ speciem præ se ferunt. Vnde dixit Persius:

Non equidem hoc studio bullatis vt mihi nugis Pagina turgescat.

Id quod alia metaphora alibi dixit, *Ad populum phaleras.* Bullæ autem in zonarum ornamentis tanquam claui affixæ, baltheis dedere nomen, quasi Bullatei vocitentur. Et clauorum capita tumentiora, qualia templorum, & priuatarum aliquot ædium valuis ornamenti causa affigi solent, Bullæ nuncupantur: quas Cicero ait, Verrem, quæcunque aureæ essent, omnes auferre non dubitasse. Et apud Plautum in Asinaria, Leonida seruus in Atriani Sauriæ persona, *Iusin'*, inquit, *in splendorem dari Bullas has foribus nostris?* Idq; nominis est similitudine inde sumpta, quòd perquàm similia sunt bullis, quas aqua in aquam decidua suscitat.

HVMANA FRAGILITAS.

Prouerbiũ.

QVONIAM verò tumorculi illi perexigui, qui stillicidiis in aqua fiunt, citò prætereunt ad humanæ vitæ fragilitatem ostendendam hieroglyphicum factum est prouerbium, *Homo bulla*, cuius meminit Varro libro de re rustica primo, quamuis nonnulli de iis tantùm dictum volunt, F qui iam saturi annis propè casuri sunt, & morituri.

DE ANVLO.

FIDES.

Anuli vsus apud veteres.

PRÆCIPVVM anuli significatum hieroglyphicumq; verum est, ingenui hominis fidem indicare; quandoquidem anulum veteres non ornatus, sed signandi causa circumferebant, nec plus habere quàm vnum licebat; quãuis laudatissimum eiusmodi morem, succrescente postmodùm luxu, & diuitiarum ostentatione, delicioſi populi labes violarit. Scimus enim inuidiosum Sergio cuidam, nobili alioqui viro, cognomen additum, vt Orata diceretur, propterea quòd duobus anulis aureis & grandibus vteretur: vulgus enim aurum, orum, vt nũc passim dicitur, enunciabat. Sed erat hoc ad gemmarum etiam ostentationem, quarum mox luxus creuit in immensum. Nam signum in vno tantùm habere permittebatur, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides decerneret, quæ signaculo contineretur. In Diuinis quoque literis anulus est fidei signum, quò spectare Euangelicum illud Theologi aiunt, *Date anulum in manum eius.* & quod Psalm. legitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nam & Paulus vltimo Digestorum, anulum huiusmodi signatorium inter ornamenta recenseri negat. De hoc Cic. ad Q. Fratrem: *Sit*, inquit, *anulus tuus non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Sanè apud veteres testamentorũ tabulæ, septem testium signis anularibus muniebantur, quæ facti testamenti fidẽ facerent. Quòd verò seruis atque libertis

A libertis ius anulorum negaretur, quo tamen impetrato, ingenuitas simul impetrata intelligeretur, XL. Digestorum lib. Papinianus, Neratius, Paulus, & Vlpianus ostendêre. Hîc verò quæsiuisti à me, quid sibi vellet in scenis anuli aurei legatus vsus, quo non alibi, quàm in scena liceret vti. Respondi, locum eum ex Pandectis desumptum esse, sed fœdissimè vitiatum eorum imperitia qui literas nunquam attigerunt. Nam quòd vulgata habent exemplaria, *Proinde etsi scenicæ vestis vsusfructus legetur, aut anuli aurei, vel alterius apparatus, alibi, quàm in scena non vtetur*, legendum ex antiquissimo Pisano codice qui Florentiæ custoditur: *Proinde si scenicæ vestis vsusfructus legetur, vel aulæi, vel alterius apparatus, alibi quàm in scena non vtetur.* Habes enim vestem scenicam, habes aulæa, habes reliquum apparatum. Ac de aulæis huiusmodi apud Horatium legas, *Auditoris egent aulæa manentis*, in huiusmodi ornatus scenici significatum.

Explicatio loci cuiusdã ex Pandectis.

COR.

SED hæc vtcunque habeant, illud manifestum est digito qui minimo læuæ proximus est, anuli gestandi munus demandatum, caq; de causa nomen illi inditum Anulari: erat enim is cordis indicium, ideoq; institutum ab Ægyptiis, vt anulo tanquam corona honestaretur. Eundem sacerdotes ad deorum aras operantes confectis odoribus illinebant, idq; propterea fieri solitum aiunt, quòd dissectionum periti neruulum quendam à corde natum per dorsum ad eum tendere, & in eo desinere compererint. Sanè solebant in huiusmodi anulis eorum etiam imagines fieri, quorũ memoriam colerent & obseruarent, quod eos sibi præcipuè cordi esse, qui eas gerebat, cum quadam, etiam ambitione omnibus ostentarent. Vnde Cicero lib. de Finibus, Epicuri studiosos memorans: *Epicuri imaginem*, inquit, *non modò in tabulis, sed etiam in poculis & in anellis habebant.*

Digitus anularis cur anulo honestatus.

B

IGNAVIA HONORATA.

ALII putãt anulum in hunc digitũ immissum, ne aurum iam facilè obtereretur. Ignauissimum enim esse eũ inter omnes digitos, manifestum est, ideoq; ad auri & gemmarũ incolumitatem aptior videtur. Non enim exporrigi sine aliorũ comitatu potest, vnde minùs attritui obnoxius est. Itaque non desunt qui per eum digitum anulo honestatum, honores ignauo cuipiam habitos interpretari velint. Sed quãtum pertinet ad locum, subsecuta ætas nihil interesse iudicauit, quo gestaretur articulo, sed vt quisque vellet, quacunque manu, quóve libêret digito, ferre permissum est.

NOBILITAS.

SED vtcunque illi philosophentur, apud Romanos anulus omninò signum nobilitatis fuit: nam vt apud Liuium libro secundi belli Punici tertio, Mago, qui Cannensis victoriæ nuncius Carthaginem missus erat, post rerum gestarum seriem enarratam, ad rerum tam lætarum fidem effundi iussit in vestibulo Curiæ ingentem illum anulorum aureorum aceruum; deinde verbis adiecit, quò maioris cladis indicium esset, neminem nisi Equitem, atque ipsorum primores, insigne id gestare. Et in calce noni ab Vrbe condita: *Tantum*, inquit, *Flauij comitia indignitatis habuêre, vt plerique nobilium anulos aureos & phaleras deponerent.* Et vbi Cicero oratione quarta obiicit Verri, quod indignissimos in concione anulis aureis donasset, *Honori*, ait Asconius, *& lucro sunt, vt hastæ, vexilla, phaleræ, coronæ ciuicæ, item anuli aurei ingenuitatis signa.*

Mago Cannẽsis victoriæ nũcius.

DE DIADEMATE.

C

AB anulis & gemmis, casu nescio quo, ad diadema progressum est, quo in sermone, quòd fasciam esse diadema dicerem, & in numis aliquot eam gemmatam ostenderem, admirari videbâre, cuius rei fidem afferebam, Ægyptios sacerdotes si principem hominem ostendere voluissent, hieroglyphicè Canem solitos facere fascia velatum, de quo ad Florium loco suo plura.

REGIA POTESTAS.

IDEM Regiæ potestatis significatum à fascia etiã apud Romanos acceptum, exemplis tibi plurimis cõfirmaui. Apud Ammianum enim Pompeio legimus obiectum ab obtrectatoribus, quòd esset rerum nouarum cupidus, & Regiæ maiestatis affectaret insignia, quia crus fasciola candida obligatum, tegendi vlceris causa, gestauerit aliquandiu: nihil enim interesse, iactitabant illi, quam quis partem corporis redimiret Regiæ maiestatis insigni. Nam & Fauonius, vt Valerius ait, dicere solebat, nihil referre, qua in parte corporis sit diadema, cùm ita Pompeium eundem carperet. Eóque Senecæ sententia nimirum spectat, vbi dicit: *Fasciam solue, multum enim mali sub illa latet.* Libro de Alexandri virtute Plutarchus ait, Tigranem Armenium candidam fasciam, quod insigne regni est, ad Pompeij pedes abiecisse, regnumq; fœdissimè depositum in prædam concessisse. Cuiusmodi verò esset ornamentum hoc in numis vidimus, in quibus eius Regis caput impressum est, cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ab cuius altera parte hostem ipse prostratum calcat, palmámque dextera prætendens, hosti sceptrum sustollere videtur. Ibi verò diadema ita figuratum est, vt prælta fascia opere Phrygio, floribus & alitibus superadditis, elaborata, à fronte ad occipitium circundatur, duæque à temporibus hinc inde tæniæ, ipsæ quoque à medio deorsum

Pompeius rerũ nouarũ cupidus.

scissæ in humeros vsque dependeant, gemmis per omnem marginem bacchantibus. Et Cidarin D Regis Persarum insigne, quod Darius capite gestabat, cærulea fascia albo distincta circumibat. Ad

Antigoni dicterium, & factum Myrillin Cæsarem.

diadema verò facere fasciam, Antigoni dicterium indicat, vsurpatum à Seneca. Ille enim vetulæ cuidam felicitatem eius admiranti respondit, *Si nosses, ô mater, quanta quotve mala panni frustum hoc obtegat, diadema commonstrans, illud quidem vel è fimo tollere minimè dignareris.* Sanè cùm Cæsaris imagini quidam ex adulatorum numero, vt Appiani more loquar, coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, Tribuni Epidius Myrillus Cesetiúsque Flauus, vt apud Tranquillum est, coronæ fasciam detrahi iusserunt, hominémque qui id fecerat, duci in vincula mandarunt, simulantes & in hoc Cæsari rem gratam facere, qui ad Regni mentionem subirasci consueuerat, atque iis, qui aliquando eum circa portas regem salutassent, cùm populum vocem eam indignè ferre atque ingemiscere animaduertisset, respondit, se Cæsarem esse, non Regem, quasi illi ad nomen eius aberrassent: cùm tamen Myrilli factum adeò ægrè tulerit, vt in Senatu grauiter conquestus insidias sibi strui per Myrillum, qui calumniam affectatæ ab se tyrannidis astutè commentus esset, cùm eum morte dignum censeret, id demùm obtinuit, vt magistratu priuaretur, senatuque summoueretur. Quòd si quis adhuc dubitet diadema fasciam fuisse, qua principatus insigni Reges vti soliti sunt, si quæ retulimus ambiguum quidpiam habent, illud apertè dilucidéque declararit, quod super Alexandro Macedone fertur, olim eum diadema sibi dempsisse, causa vulneris alligandi, quo Lysimachus in fronte vulneratus fuerat, quod auspicium Regalis potestatis Lysimacho fuisse rerum scriptores prodidêre. Tradunt verò Græci, fasciam huiusmodi candidam pro insigni Regum esse, & à Libero patre fuisse primùm institutam.

VICTORIA. E

Corinnæ puellæ fascia data.

EADEM fascia in victoriæ significatum nonnunquam adhibita, vt quæ Corinnæ puellæ poëticis studiis clarissimæ, data capiti fascia traditur, quòd Pindarum Thebis melico certamine superauerit: eius enim picturam capite tænia vincto, hieroglyphicum dubio procul huiusmodi victoriæ argumentum, in Tanagræorum gymnasio fuisse Pausanias author est. In quo tamen, vti illi victoriam, ita nos principatum interpretari possumus. Nimirum fuit hæc Corinna illa, de qua Propertius noster,

Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ.

Et in vulgatis à Io. Lascari antiquorum epigrammatis:

ἡ σὲ τὸ πρὶν Θήβη ἀοιδὸν μελψαμένη τὸν ἀϊδνὰ ἀοιδὸν μελψαμένη τὸν

Vnde nos in nugis nostris puerilibus: *Inclytæ, quæ Mineruæ clypeum canit, Corinnæ.* Quòd verò gestaminis huius inuentum Libero patri, Græci adscribere voluerunt, manifestum est Ægyptios eo multò antè vsos, neque in Cane tantùm, sed in aliis quoque simulacris, vt in Isidis tæniis, alio Commentario latiùs declarauimus.

DE TITVLO.

ERAT & aniculi siue redimiculi species, cui nomen Tutulo priùs, mox Titulo fecerunt; ornamentum quippe capitis in sublime surgens, purpurea vtita redimitum, instar coni, galeríve rosarum. F

SACERDOS.

EO sacerdotium hieroglyphicè significabant. Quin & vxores & ministræ Flaminis, eo erant gestamine insignes. Petronius ait Titulum à Numa Rege factum, fuisséq; palliolum ex lino, quo sacerdotes in sacris vterentur. Alij per Titulum mitras siue fascias accipiunt, quorum vsus esset sacerdotibus ad ornamentum, non illæ tamen otiosæ, neque temerè appositæ, cùm sua præ se ferant significata. Κίδαριν Eucherius pileum sacerdotalem ait ex bisso, quem Græci & nostri Tiaram dicunt, quidam etiam Mitram vocant, eámque incorruptam dicit Apollonius, cùm integram & incolumen intelligit pudicitiam, propter fascias scilicet quibus id gestaminis præligatur. Vtcunque, ornamentum hoc capitis, vt Hierosolymitanus Hesychius interpretatur, sapientiæ signum est, propterea quòd in capite cerebrum sapientiæ organum habetur. Sed antiquioris illius Tituli species hodie quoque in vsu est sub Regni nomine, quo quidem Pont. maximi caput, maximis quibusque sacrorum solennitatibus insignitur, & vt summa eius potestas eo gestamine significetur, triplici fascia auro, gemmísque ditissima, ornamentum illud redimitum conspicitur. Sed apud Hebræos nullum venerabilius gestamen erat, quàm Petalum, aurea lamina in fronte Pontificis, quæ Dei nomen illud, quod nulla lingua mortali enunciari potest, quatuor Hebræis literis scriptum præferebat, quod Tetragrammaton adhuc appellant.

Petalũ Hebræorum.

REGIA

A REGIA CLARITAS.

IN antiquissimis Ægyptiorum monumentis cernere est mulierem quandam tribus regiis caput insignitam. Significare aiunt id, eam regis filiam, regis vxorem, ac regis matrem fuisse. Ea verò Simandij clarissimi Regis mater fuit, de qua scriptores rerum plurima: quorum si nos diligentiam sequeremur, tale aliquid in Blancam Philippi Magni Mediolanensium Ducis filiam diceremus, quæ Francisco Duci nupsit, quæ Galeatium Ducem genuit, de qua cultissimum extat Epitaphium à doctissimo eius temporis viro Bartholomæo Lăprydio Lyrici nostri clarissimi patruo editum. Id est huiusmodi:

Tres Italos proceres terris ego Blanca Latinis
Regnantes vidi, filia, nupta, parens.

Variæ titulorũ formæ.

In aliis Aegyptiorum Regiis varias gestaminum formas inspicias, quæ Regum capitibus imponerentur. Leonis quippe, aut Tauri, aut Lupi, aut alterius cuiusque feræ priores partes, Draconum etiam capita, insignia principatus, pro virtutis aut operum conditione, quo quisque in argumento clarum aliquod facinus edidisset, quóve rerum studio teneretur, quorum quidem significata de simplicibus eorum Commentariis, quæ conscripsimus, requirenda sunt. Neque verò sum nescius, coria Serpentum plerisque populis tegumentorum bellicorum vsum præstitisse, quibus plurimùm Amazones in Lybia vti solitæ, vnde, quod nonnulli tradunt, Medusæ figmentum emanarit.

B PALLAS.

SANE Phidias Draconem Palladi apposuisse perhibetur, quod cùm optimè calleret Maro, Dracones illos geminos à Tenedo in terram elapsos, post facinus in Laocoonta & eius liberos perpetratum, ad summa Palladis delubra confugisse dicit, sub pedibusq; deæ, clypeiq; sub orbe locum tutelæ sibi delegisse. Quod vt manifestiùs intelligatur, operæpretium est, quę Pausanias de simulacro Palladis tradidit, explicare. Ait enim simulacrum Mineruæ Athenis fuisse talari veste, Medusæ capite eburno pectus obtegente, cum victoria, cubitorum quatuor, & hasta in manu, ad pedes verò clypeus appositus erat, iuxta hastam Draco obuolutus cernebatur, quem ipse Erichthonium suspicabatur esse. In basi, quæ statuam sustentabat, Pandoræ historia sculpta erat, quæ mulierum omnium prima fuisse traditur ab Hesiodo, & in vltionem surrepti ignis, in humani generis perditionem emissa.

Palladis simulacrum.

PROTEVS.

INTER insignia reliqua spectare est nonnunquam arborem, nonnunquam ignem flámulis promicantem, quandóq; flores, quandoque plumas in varias cristarum species dispositas, quę modò ad decorem, modò ad stuporem comparabantur. Quibus cùm Proteus Aegypti Rex nominatissimus variè vteretur, datus est fabulæ locus, vt in tot se vultus commutaret. Quamuis non sum nescius Protei figmentum in longè seciorem intellectum ab antiquis interpretibus acceptum.

VERITAS.

Protei symbolum.

QVIPPE qui per eiusmodi fabulam, si quis hieroglyphici locutionem abhorreat, difficultatem eam ostendi dicant, quam in assequenda veritate rerum experimur, tot sunt quæ nos eludunt species, sophistarum decipulæ, atque subterfugia Dialecticorum posita, quæ veritatis speC ciem præ se ferant, Oratorum inductiones atque foritæ multis argumentorum aceruis in immensum congestę, vt multùm diúq; laborandum sit, anteaquàm Proteus ipse humana, hoc est, vera se facie spectandum exhibeat.

INSIGNIVM CAVSÆ.

AIVNT verò nonnulli, insignia hæc ideò priùs olim excogitata, vt Principis & ductoris sui ordinem milites in bello seruarent: quibus verò res prosperè succesSerat, animal consecrasse, cuius auspiciis victor euasisset, cùm animalia singula singulis geniis & cœlorum virtutibus credita, persuasum haberent, quos omni cultu sibi propitios reddere, & seruare curabant, cuius aliquando numen voti compotes exoraSSent. Quam opinionem magnus etiam Iamblichus, ac plerique alij Platonicæ factionis proceres enixissimè fouere contendunt, esse quandam in rebus inferioribus congruentiam, vt nunc ita dicam, cum superis asserentes, ideoque ad sacrificiorum efficacitatem conferre. Neque animata tantùm id præstare, verùm etiam inanima, colores, figuras, numeros; veluti hexagonarius numerus cum Sole congruit in Crocodilo, in Cane rursus, & canicipite Simia. Quædam à natura profectæ rationes, & vires, pari cum Luna temperatura deprehenduntur, ita demùm colores, figuras, formásq; omnes, cuipiam superiorum conuenire, vel animalium membra singula, vt Galli cor ad solares genios conciliandos efficacissimum.

ANIMALIVM CVRANDORVM CAVSA.

ANIMALIA verò apud Ægyptios ideò, dicit Iamblichus, alebantur, quia dum conseruarentur tenerentúrque, familiarem proprietatem ad deos augerent, vimq; communionis inter homines deosq; conseruarent. Quare Mathematici super hoc multa tradiderunt, ac nostris quoq;

temporibus plerique non postremę eruditionis viri, certis quibusdam siderum momentis imagunculas huiusmodi signant afflatu captato, vt astri genitive illius tutela, quibus se vel à genesi, vel à professione, vel etiam ab euentu aliquo commendatos credunt, fortunatiores simul ac beatiores fiant. Sed enim omnia hæc irrita fiunt; ac penitùs summouentur, cùm sanctissimum Christi nomen in omnes huiusmodi delusiones opponitur: inde enim omne bonum, inde felicitas vera; & incasura beatitudo. Sed vt susceptum prosequamur negotium, in honore plantæ etiam fuerunt, ne legumina tantum, ex iis quę terra nascerentur, cultu suscepta existimemus. Phœnices enim plangentes tas diuinis honoribus coluêre, vt apud Eusebium, & casu aliquo auulsas terra, aut alio quopiam euentu intermortuas, miseratione, luctu & deploratione, ex patrio sacrorum ritu prosecuti sunt. Ad horum ferè imitationem non arborum tantùm, verum herbarum atque florum obseruationes alias alia de causa excogitauit terra Græcia, vti lauream pro triumphantibus, & iis qui immortalitate dignum aliquid perpetrassent: quernam pro iis qui ciuem seruassent, oleaginam & alia quædam pro Gymnicis, de quibus multa passim Græci tradidêre. Namque hi Pandoræ primum caput ponunt coronatum à Charitibus. Saturnum Pherecydes ante omnes coronatum ait. Iouem Diodorus post euictos Titanas. Idē Priapo tænias dat, & Ariadnæ sertum. Iunoni vitem Callimachus, de quo alibi ex Tertulliano. Hercules nunc populum, nunc oleastrum, nunc apium capite prefert. Suam Apollo lauream, post Delphicum Draconem interfectum, de quo Pindarus, atque Callimachus. Liber hederam, cuius rei causam loco suo, ex Harpocratione recitauimus, quamuis idem India triumphata lauream tulit: namq; is vt Saturninus, triumphorum Deus habitus. Milites idem ait etiam myrto, quæ propria Veneris est, coronari solitos, quamquam & olea, quæ Mineruę debetur in primis, redimiti aliquando processêre. Prætereo castrenses, murales, & nauales ex auro dari solitas, & quæ latè habentur apud Gellium, Suetonium, & alios, & quæ vulgatissima sunt de insignioribus Græciæ certaminibus, Olympiis, Isthmicis, Argiuis, & Pythiis, quorum præmia oleaster, pinus, apium & malum erant. Vnde illud apud Max. Tyrium: *Minimè fas est oleastro malóue coronari, qui secum ipse decertet: vt victor præconio declareris, opus est æmulo.* Sed ne videamur immemores Aegyptiorum, Isis prima repertas spicas capite circumtulit, quod Leo scriptor Aegyptius tradit. Et vt nostrarum quoq; literarum monumenta prosequamur, Eua omnium prima, diceret Tertullianus, pudenda sua foliis coronauit. Sed qui plura super his petierit, Claudij Saturnini librum, quem de coronis edidit, inquirat, qui Tertulliano teste, & origines, & causas, & species, & solennitates earum ita disseruit, vt nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicui capiti inuenias consecratum.

Plantæ magno in honore habitæ antiquitùs.

LEGES.

Coronarũ vsus in conuiuiis.

AD coronarum demùm hieroglyphica reuersi, coronam dicimus legum indicium esse, propterea quòd certis est vinculis complicata, quibus vita nostra veluti religata coërcetur. Atque hæc D. Hieronymi sententia est qui στέφανον μὴ ῥήγνυε, Pythagoræ symbolum interpretatur leges non esse dilacerandas, sed in vigore & incolumitate sua conseruandas. Et quoniam sepes complicatione quadam ambituq; certo coronis quodammodo similes habētur, eadem ratione factum, vt in Diuinis literis ipsæ quoque sepes sint legum hieroglyphicum.

HILARITAS.

ROSEAM tamen & florulentam præterire noluimus, quæ quidem corona hilaritatis erat indicium: veteres siquidem conuiuia celebrantes, ornare se coronis consueuerunt, cuius rei principium à diademate simplici fuit, vt scilicet frontem fascia constringerent quod institutum est salubritatis causa, vt tradit Athenæus, propterea quod conuiuiorum mos sit, sese ad bibendum liberiùs inuitare. Ne igitur vinum æquo largiùs sumptum molestos ad caput vapores attolleret, experimento compererunt plurimùm prodesse frontem ita colligare. Posteritas verò salubri huic inuento decus & ornamentum adiecit, atque ideò fascias illas floribus peruestire cœperunt, quæ res procliuiter admodùm in effusissimum mox luxum euagata est.

CORNVA.

QVÆ verò corona Regium est gestamen, eam à cornu dictam volunt, passimq; in Diuinis literis cornu pro Rege positum inuenias, conueniuntq; similitudine quadam inter se Cornu, radius & corona. Vnde Moses cornuta pingitur facie, quæ radiata esse deberet. Diuini enim Solis afflata lumine, radiis quibusdam igneis promicare videbatur, quem splendorem cùm Israëliticus populus ferre non posset, precibus ab eo contendit, vt velata ad eos facie loqueretur. Coronę porrò Regiæ ex instituto veteri, radiorum referunt similitudinem, vt non temerè olim institutum sit eas in Apollinco cap. XII. preciosis lapillis confici, qui splendore suo fulgentes caput vniuersum radiis illustrarent, atque, vt in Ceruo rem hanc totam latiùs explicauimus, vetusti numi, marmoreę aheneæq; Regum statuæ pleræque duodecim conspicuæ radiis ostenduntur. Hinc apud Virgilium Latinus rex fœdera inter Aeneam & Turnum sancturus:

Moses cornuta facie depictus.

Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt,
Solis aui specimen.

MVRI.

A ET frequentissimus authorum vsus coronam pro muris vrbium vsurpauit. Pindarus Alcimedonti Olympiis, ὅτι στέφανον τεῦξαι metaphoricè aiunt interpretes mœnia: muri enim vrbium tanquam coronæ sunt. Hinc Anacreon:

Νῦν δ' ἀπὸ μ' πόλεως στέφανος ἄλωλεν.
Nunc dissipatæ sunt coronæ ab oppido. Vel,
Vrbis at iamiam perijt corona.

Quòd verò coronas Regias non esse discerpendas Pythagoram admonuisse dicebamus, sunt qui eodem argumento dictum existimant, quo ignem non esse gladio fodicandum edixit, quippe non esse vt quisquam principibus negotium faceſſeret. Quod verò de regno dicebamus, per Cornu significari, cum id passim in Diuinis literis habeatur, superfluũ est iis diutiùs immorari, vt: *Exaltauit cornu Christi sui*, & quæ huiusmodi dicta sunt in Cerui commentario. Illud hieroglyphicum ante omnia videtur, quod apud Ezechielem Cherubim humano primùm capite pingitur, eoq; quatuor cornibus bubulis insigni, humeris inde alatis, & pectore leonino, qua in specie Theologi nostri, vt apud Hierosolymitanum Hesychium legere est, insigniores virtutes quatuor, per totidem vituli cornua intelligunt. Humana quippe facies sapientiam indicat, quam Philosophi aliquot Prudentiam dixerunt, sed sublimius atque diuinius quid in Sapientiæ nomine, Leoninam nimirum fortitudinem. Per partem eam quæ vitulũ exscribit, iustitiam interpretantur, de qua nonnulla in Bouis commentario. Aquilæ species castitatem præ se fert, quę sublimi volatu in cœlum sese erigit: nam Ioannes, qui omninò Aquila est, scriptorum omnium consensu intaminata fuisse castitate perB hibetur. Animaduertendum tamen est in Hesychiano codice vulgato desiderari quædam, & perperàm esse positum, *In persona Leonis sapientia*, nulla de persona hominis facta mentione.

Quid Cherubim in Ezechiele descriptus.

VIRES.

IAM quòd alibi per cornua vires significari diximus, antiquum insuper dicterium est, πρὸ τότε δὲ κέρατ' ἔχειν, olim putassem te habuisse cornua, cùm quis fortis anteà habitus, spem mox per ignauiam fefellisset. Et Horat. de Baccho: *En addis cornua pauperi.* Quem secutus Ouidius ait:

Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit.

Alibi verò super eodem dixerat: *In prælia trudit inermem.* Et Dialectici syllogismi speciem, *Dilemma* dictum, quòd hinc & inde feriat, *Cornutum* appellant.

DE SCEPTRO.

SCEPTRVM Regium diademati & coronæ addere res ipsamet postulat, de quo tamen toto opere, vti variis imaginibus insigne apud hos vel illos haberi solitum, pro loco, & signo, quod occurrebat, multa disseruimus, nunc verò super eo quædam generatim edisserenda sunt.

REGNVM.

APERTISSIME quidem sceptrum siue virgam, hieroglyphicum esse regni, illud in Diuinis literis ostendit, quòd sceptrum de manu Iudæ non auferendum pollicetur Dominus, donec veniret qui mittendus erat. Regium quippe nomen in Iudæis tandiu duraturum, dum veniret Christus. Nam & Psal. *Virga regni tui* habetur, & huiusmodi multa passim. Ponunt verò Theologi differentiam inter virgam & baculum, quòd virga in Diuinis literis plerisque locis sit castigationis, correctionis, & disciplinæ signum, vt virga æquitatis, baculus consolationis, auxilij, sustentationisq;, vt eo loco: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Pro sustentaculo, Thob. *Baculum senectutis meæ.* Latini in huiusmodi significatum scipionem protulêre. Inuenitur & pro defensione, vt de Cleomene Athenienſium duce fertur, qui cùm propter omnium in se odium effectus esset insanus, baculo se aduersus insultantes muniuerit.

C *Virgæ & baculi differentia.*

DE TORQVIBVS ET PHALERIS.

SVBSECVTVS hinc sermo est de torquibus, phaleris, armillis, quę præmia fuisse militaris virtutis Plinius, Gellius, & quidam alij tradiderunt, quippe Sicinium Dentatum donatum torquibus ter & sexagies, phaleris vicies quinquies.

VIRTVS SOLIDA.

TORQVEM aureum solidæ virtutis præmium fuisse traditum est à Vegetio, quem qui meruisset, præter laudem duplas consequebatur annonas. Species torquium in marmore incisas Brixiæ videris cum inscriptione huiusmodi:

L. ANTONIVS L. F. FAB.
QVADRATVS DONATVS TORQVIBVS
ET ARMILLIS AB T. CÆSARE.
BIS.
LEG. XX.

Bini enim hinc, & inde alteri torques cum literis, quæ vigesimæ eum legionis fuisse declarant: in-D de duo signa militaria quadrata, ad cognomentum eius exprimendum, aut fortè legionis nomen. Et species quædam candelabri in tridentis modum figurati, in medio sita, de quibus in Armis.

OPERA LAVDABILIA.

TORQVIS quidem significatum aperuit Vegetius, de armillis nihil meminit, eas laudabilium operum præmium esse indicat Adamantius, dum in ea Ezechielis verba: *Et imposui tibi armillas circa manus tuas*, paraphrasim huiusmodi subiungit: *Cùm mihi dederit Deus occasionem bonorum operum, armillas circundat manibus meis.* Diffundebantur ad posteros gestamina hæc, quò minores ad imitandas maiorum suorum virtutes inuitarentur. Hinc apud Tranquillum legas, C. Caligulam vetera familiarum insignia nobilissimo cuique adempsisse, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio Magni cognomen.

ARMILLÆ.

Armillarũ etymon, & dona.

ARMILLÆ non humeris tantùm decus afferebant, verùm & brachia decorabant. Eas verò ita dictas volũt veteres etymologici, quod antiqui humeros cum brachiis Armos vocabant, inde arma, quæcumque ab illis dependent, vel iis alligata sustinentur. De armillarum donis habetur apud Liuium x. ab Vrbe cond. post victoriam è Samnitibus ad Aquiloniam, à Papyrio quippe Sp. Nautium, Sp. Papyrium fratris F. & quatuor centuriones manipulumq; hastatorum armillis aureisq; coronis donatos. Idem ibi centuriones, militesque atque equites, corniculis armillisq; argenteis donat. Et Decius Tribunus obseruatum ex obsidione præ-E sidium Romanum, dissipataque Samnitium castra, aurea corona ab A. Cornelio Cosso donatus. Aurea verò corona erat quæ castrensis, ex auro quippe in valli speciem fabrefacto, quæ dabatur ei qui hostium castra pugnando primus introisset.

DE ADAMANTE.

HINC sermonem transtulimus ad Adamantem, quo super multa vltrò citróque dicta sunt, dum tu ea quæ passim prædicantur, quæque lectione laboréque tuis super acquisieras, commemorares. Verùm ea quæ tu meministi, quæque tuopte studio consecutus es, hîc repetere superfluum iudicaui, quare ea tantùm, quæ paucissima illis ego addideram, recensebo.

FORTITVDO.

NON temerè scilicet Adamantem pro fortitudine proponi, cui robur indomitum, visq; insuperabilis, nomen meritò fecisset, quippe qui limæ, scalpro, & malleo duritia inenarrabili resistat, quodq; omnium maximè admirandum est, contra etiam ignis violentiam incolumis lapillus euadat, neque calore quidem admisso, vnde Græci ex ipso nomine à re imposito, gemmam indomitam intelligi voluêre. Per hanc verò ea fortitudinis virtus ostentatur, qua quis ea quæ aduersa acciderint ferendo peruincat, secundis nihil quicquam immutetur, atque vt apud Horatium est, rebus angustis animosus atque fortis appareat, idemq; vento secundissimo turgentia vela contrahere sapientia duce didicerit. Quineriam id insitum diuinitùs habere fertur Adamas, vt mentem animumq; gestantis vano metu liberet, vt superbæ etiam fortunæ respondare suadeat. F

Fortitudinis virtus.

INEXPVGNABILIS.



TRANSIT & in communem locum significatum huiusmodi, vt tam de animi fortitudine, quæ virtus sit, hoc est, honesti iustiq; causa concepta, quam etiam de obturata aliqua mentis destinatione, quæ nulla queat ratione loco dimoueri, possit intelligi, eaq; de causa Ditis pectora Adamantina fingi, & apud inferos solido ex Adamante portas & columnas esse, atque ita demùm omnia dura & implacabilia, eius lapilli elogio significari. Adamanta quidem Plutonem Theocritus manifestè nuncupauit Pharmaceutria:

Cur Adamas dictus Pluto.

Τύδ' ἄρτεμι ἢ τὸν ἄδᾳ Κινήσαις ῥ' ἀδάμαντα.

Propterea enim dictum hoc nomine aiunt interpretes, quòd durus sit & inexorabilis: aiunt enim hoc ex particulam intentionis esse, atque ita Plutonem mirum in hunc modum inexorabilem exponunt. Sed vt ad eam partem quæ virtutis est, redeamus, qua scilicet quis munitus ærumnosissima quæq; patientissimè perferat, nulliq; calamitatum generi succumbat, Adamantius vbi causam quærit, cur corpus etiam Iobis viri iusti piique, Deus in potestatem dæmoni concesserit affligendum, comparationem ab eo desumit, qui boni Adamantis dominus, eum cuiuis periculis omnibus concedat explorandum, dicatque: *Tolle, proba, experire, tormentisque omnibus examina*, sic omnium cognitor atque præscius, qui optimè nosset Iobem Adamantem

Amantem inuiolabilem, poscentidiabolo eum dedit in potestatem, sibi quidem satis conscius Iobem verum Adamantem esse. Mox illa de Christo subiecit: *Sic namq; & singularis ille & diuinus, cæleſtis atque incorruptibilis Adamas vnigenitus Deus à Patre ad terras missus, de quo dicit Deus Pater: Ecce ego ponam Adamantem in medio populi mei, quem neque ignis tentationum in deserto comminuet, quem ictus, verbera plagæq; impiorum in cruce non atterent comminuentve, quem neque sepultura, neque descensus ad inferos vel minimùm violare poterunt, sedenim omnia superabit, secq; diuinum & incorruptibilem probabit Adamantem.* Et ne quis fabulosa putet quæ de hircino sanguine, cui rerum vni cedat Adamas, memoriæ produntur, memoratu digna sunt quæ super hoc D. Cyprian. lib. de duplici martyrio differit, cùm efferas nationes, quas Romani nunquam frangere vel domare potuerint, Christi sanguine indicat emollitas. *Qui naturæ causas scrutantur, ait, narrant Adamantem nulli chalybis duritiei cedentem, hircino sanguine maceratum, ictu mox malleorum dissilire. Nullus autem Adamas corde saxeo peccatorum durior. Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquàm Adamantinum emollit sanguis Christi.*

Christus verus Adamas.

LITATIO.

IN Hebræorum sacris Adamas litationis signum habebatur, quia quæ foret summi numinis de mortalium rebus sententia, manifestabat. Gestabat enim eorum Pontifex ornamentum quoddã ante pectus opere pulcherrimo elaboratum ex auro, non vltra palmi magnitudinem, in cuius medio veluti stella quædam aurea eluceſcebat, duo vtrinque Smaragdi, quorum vnus tribubus sex, totidẽ alter ex XII. Israëliticis insigniti erãt. Inter Smaragdos medius Adamas erat. Sacerdos igitur Deum de re quapiam consulturus precibus ritè prolatis, supinis in cœlum manibus porrectis, oculos in id operis coniiciebat, deq; proposita re Deum interrogabat; qui si prospera secundaque

B polliceretur, Adamas ardentissimo splendore promicabat, radiisq; fulgentissimis coruscare quodammodo videbatur. Sin autem ex voto nihil promittebatur, lapillus nihil quicquam immutatus, sua se specie continebat. At si Deus populum cædi destinasset, sanguineus apparebat. Si mors cuiquam impendebat, nigro obfuscari conspiciebatur, idq; gestaminis EPHVD illi appellitabant, de quo tota sacra historia plurima. Sedenim & genus vestis sacerdotalis erat Ephud, quæ aliter Super indumentum, vel Superhumerale appellatur, cuius vestimenti duo erant genera, vnum lineum & simplex, quod sacerdotes habebant, alterũ diuersis coloribus, ex auro, purpura, & byſſo hyacintho gemmisq; suprapositis ornatum, quo soli Pontifices vtebantur. Logium quoque inter ornamenta Pontificia celebre, nostri Rationale appellitarunt, de cuius significato alio commentario diximus, contenti hîc formam eius ex Eucherio prodere. Erat verò pannus exiguus, ex gemmis & auro coloribusque variis, qui superhumerali contra pectus Pontificis adnectebatur.

Pectorale summi Sacerdotis, in quo medius Adamas.

SAPPHIRVS.

IMPERIVM AVT SVMMVM SACERDOTIVM.

SAPPHIRVS & apud veteres & apud iuniores, omni ætate, magna semper in celebritate fuit: siquidem per eum imperium, aut summũ sacerdotium significari manifestum est. Causam nonnulli eam comminiscuntur, quòd lapillus is cœlitus à Ioue & à Saturno vim quandam contrahat, vt ad eiusmodi euenta viam præparet, & faciliora hæc affectantibus omnia reddat, ita ab Ioue regnum, ab Saturno sacerdotium impetrari. Sedenim pietas C nostra sanctiora patrum documenta prosequens, Sapphirum in similitudinem Throni figuratum apud Ezechielem agnoscit, idque Dei Opt. Max. sedem significare contendit. Eucherius hinc cœlestes formas, ipsosq; Angelos intelligit, ita per serenum cœlum electorum conuentus ostendi dicit. Neque dissimilia Hesychius super tunica coloris hyacinthini.

A Ioue regnũ, à Saturno sacerdotium.

COELVM DECIMVM.

SPECIES tamen ea Sapphirei throni, vt ab Isaache Philosopho explicatur, decimum cœlorum orbem designat, Empyreum ab aliis vocitatum: ex colore siquidem sapphiri nitorem intelligũt illius lucis, quæ omnem supereminet lucem. Throni verò similitudo immobilitatem eius indicat, siquidem orbis ille fixus manens, & quietus esse perhibetur. In Diuinis sanè literis legere est, *Intuebuntur pỹ quæ sub pedibus Dei sunt, quasi opus lapidis sapphirei.* Quinetiam profanæ religionis authores Iouem in throno stabuebant, quod firmæ apud eum perennitatis indicium esset,

Thronus Sapphireus.

Qui stabilis cùm permanet, dat cuncta moueri.

SMARAGDVS.

VIRGINITAS.

SVNT qui perpetuo clarog; Smaragdi virore considerato, signum id esse virginitatis velint, idque insuper argumento addunt, in patranda re Venerea, quod experimento compertum est, si quis lapidem attingat, eum spõtè frangi. Cæterùm Astronomi Smaragdum Veneri cœlesti dedicarunt, & ad impetrãdum eius numinis afflatum perquàm idoneum esse profitentur. Nihil autem cœlitùs nõ vndecunque purum, honestum, & candidum, mortalium animis, si Platoni & veritati credimus, inspiratur.

IASPIS. GRATIA.

Vis Iaspidis.

IASPIDEM pro gratia poni authores tradunt. Sumptum ab eius vi, quòd mortalibus persuasum est gemmam eam hominum gratiam conciliare erga gestantem. Vnde non otiosè dictum à Virgilio volunt,

Illi stellatus Iaspide fulua Ensis erat:

quo præcipuè tempore Didûs gratia expetebatur, cuius amore detentus,

Carthaginus fundabat arces, ac tecta nouabat.

VENVSTAS.

Gẽmæ omnes Veneri debentur.

SVNT qui gemmas omnes in ornatu Veneri deberi putent, quòd scilicet eã maximè comptam esse deceat, & deliciis omnibus affluentem. Operæpretium verò est apud Tertullianum legere, quæ de morosa gemmarum cura differit, dum nostras miseratur ineptias, qui tam anxiè in re tam inani occupemur. *Tardè* (ait) *teruntur vt niteant, subdolè substruuntur vt floreant, anxiè forantur vt pendeant:* & alia in hanc sententiam. Vniones tamen cùm ad ornatum præcipuè comparentur, venustatis significatum sibi ante alias vsurparunt: lapilli enim reliqui non de pulchritudine tantùm, sed de dotibus etiam aliis censentur: in vnione nitor & læuor tantum expetitur. Quòd verò fuerint qui eos etiam deuorare magnificũ existimarint, id improbitati potiùs, quàm vlli sit liberalitatis splendori tribuendum. Diuinæ literæ per hieroglyphicum margariti, præmium ostentant quod rectè facientibus offertur. Euangelista: *Inuento autem vno pretioso margarito abiit, & vendidit omnia quæ habuit, vt id emeret.*

VNIONES. LACRYMAE.

Coniectorũ obseruatio.

ILLVD magis receptum, vnionem esse lacrymarũ indicium, sumptum quidem à Coniectoribus, qui visos in somnis vniones lacrymarum profluuium portendere tradiderunt: aiunt enim, ὀνείρων μαργαρίτας δακρύων ῥόον, vt apud Sudam est, Artemidorũ, & alios, cuiusmodi somnium cùm nobis aliquando contigisset, resq; postmodùm subsecuta esset, ita cecinimus:

Visus eram niueos manibus tractare lapillos,
Vnio in his, lætis gemma inimica viris.

AMETHYSTVS. SOBRIETAS.

NEQVE desunt qui Amethystum pro sobrietate poni dicãt, quòd eiusmodi lapidem contra ebrietatem stare compertum est: non enim vino tentari potest, qui eum gestet, in quo præter nomen, quod eius est significationis, nihil certi habeo, plerisque tamen, qualecunque sit, commentum placet.

DE PECTINE.

ERAM hîc finem facturus, cùm tu vt prosequerer ita hortatus es: *Mulierem nobilem gemmis aliquot ornauimus, sed ea nisi caput compserit parum profecerimus; addamus igitur & pectinem, & speculum, vt si qua eo vti velit, non aliunde quæsitum eat.* Subieci ego:

VENVS.

VENERI quidem præcipuè sacer est pecten, eiusq; Deæ statua cum pectine aliquando Romæ dicata est, soluto quippe voto, quod mulieres Romanæ vouerant, comis propter insuperabilem pruriginis ardorem abrasis, quo quidem incommodo atque cruciatu liberatæ, statuam huiusmodi Veneri erexêre, quæ comas restitueret. Eandem etiam barbatam statuerunt, quòd vtroque sexu prædita sit Venus, quam è lumbis ad superiora, marem, ad inferiora fœminam esse dictitabant. Atque huc spectat Maronianum illud, *Discedo, ac ducente Deo.* quamuis non contemnendi authores vtrunque sexum diis attribuant. Sed super hoc alibi. Sanè quod ad pectinem attinet, Naso eum Cytheriacum dixit:

Sæpe Cytheriaco deducit pectine crines. Metamorph. vbi de Salmaci.

Propria muliebris curæ vanitas, quæ.

Ea enim propria est muliebris curæ vanitas, vt in comêdo ornandoq; capillo, studium omne suum exerceant. Quare in numismatis videas Faustinæ caput multis & diuersis capillorum concinnitatibus sæpe variatum. Sanè Seleucus meritò duodecim eos versus sustulit, quibus Hesiodus inducit Palladem Theogonia Pandoræ satagentem, comendo eam & ornando, indignum ratus sapientiæ deam tanto studio circa muliebris ornatus curam occupari. Versus illi XII. hi sunt:

Ζῶσε δὲ ἣν κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ἀργυφέῃ ἐσθῆτι, κὴ κρήδεμνον δὲ καλύπτρην
Δαιδαλέην χείρεσσι κατέσχετε θαῦμα ἰδέσθαι.
ἀμφὶ δὲ οἱ στεφάνας νεοθηλέας ἀνθεσι ποίης

Ιμερτὰς

Ιμερτὰς περέθηκε καρήατι παλλὰς Ἀθήνη:
ἀμφὶ δὲ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῇφιν ἔθηκε,
Τὴν αὐτὸς ποίησε περίκλυτος ἀμφιγυήεις
ἀσκήσας παλάμῃσι χαριζόμενος Διὶ πατρὶ,
Τῇσ' ἐνὶ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο, θαῦμα ἰδέσθαι,
Κνώδαλα ὅσα τ' ἤπειρος τρέφει, ἠδὲ θάλασσα.
Τῶν ὅγε πολλ' ἐνέθηκε, χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλὴ
Θαυμάσσιν, ζωοῖσιν ἐοικότα φωνήεσσιν.

DE SPECVLO.

EXPLORATIO.

SVNT autem qui speculum explorationis signum esse velint, propterea quòd & næui & rugæ, & vniuscuiusque color, & alia quæ forent incognita, indice speculo deprehenduntur.

FALSVM.

SEDENIM sapientiùs illi rem expendisse mihi videntur, qui falsum ex speculo significari tradiderunt, in quo scilicet quamuis similitudo quædam appareat, eo tamen falsa est, quòd in speculo quæ læua sunt, dextera; quæ dextera, læua referantur, atque ita veritati fucus fiat.

HYMNVS.

ALIO QVI speculum Pindaro est hymnus, in quo scilicet res præclarè gestas, virtutesq; cuiuspiam celebres possimus intueri.

PIERIVS VALERIANVS
AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM D. NICOLAVM RODIVILLVM OLICÆ ET NESVESII DVCEM, PALATINVM VILENENSEM, AC MAGNI DVcatus Lituaniæ summum Marescalcum & Archicancellarium, Bresfensem, Saulensem, Borissouiensemque Capitaneum, de iis quæ per arma significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XLII.

CVM *iam varios commentarios diuersis misissem amicis, dedissemq; operam vt argumenti ratio vnicuique non inconueniens esset, diligenter dispiciendum mihi putaui, cuinam hanc nostram de Armis elucubratiunculam inscriberem. Verùm cùm arma acri mittenda viro non ignorarem, tu certè Nicolaë Rodiuille magnanime Princeps, animo statim obuersabare meo, teq; vnum è multis delegi, in cuius patrocinio ac tutela, noster qualis is cumque esset in hac re insumptus labor, conquiescere deberet. Nam cùm multæ sese offerrent causa, quæ quemuis ad te vel amandum, vel suspiciendum allicere possint, vt animi tui celsitudò cum summa coniuncta clementia & moderatione, ingenium facilè & apertum, nulla maleuolentia suffusum, nullaque auaritia inquinatum, bellicæ laudis militarisq; gloriæ flagrans studium, tum illa in primis Caroli V. Imp. Sigismundiq; Sarmatiæ regis (quos maiestatis causa nomino) de insigni tua virtute testimonia tot tantaq; fuêre, vt alter te Ducem renunciaret, ab altero multis maximisq; Lituaniæ imperiis & administrationibus ornatus longè clarissimus esses, dignusq; habitus qui in fortium bellicosorumq; populorum vel flore vel robore summam potestatem haberes, & in quo omnes rebus secundis animi æquabilitatem & religionis propagationem agnoscerent, aduersis inuictum robur cernerent, & disciplinam militarem prudentiamq; in administrandis disponendisq; singulis sequerentur, & authoritatem amplissimam libenter retinerent. Hæc cum in te sint dona, conerisq; tam pulchro laudabiliq; exemplo ad eorundem lucem alios multos adducere, & quasi normam boni gubernatoris dirigere, meritò te omnes strenuium istic hominum florem, ditionum istarum firmamentum, boniq; Principis ornamentum existimant; meritò quoque nos tuæ Excellentiæ hosce nostros de Armis commentarios nuncupamus & consecramus. Arma certè huiuscemodi mittimus ad bellum ita delectabilia, vt eadem vel domi sedens, in alto contrectare possis otio, cùm in iis ipsis & disciplinarum cultum, & variæ eruditionis totiusq; antiquitatis imaginem honoratissimam sis agniturus. Hæc qualiacunque à me conscripta, meæ in te perpetuæ obseruantiæ testes, probata ad alios venire patieris, equidem nec dubito, quin tuo patrocinio defensa, gratiora omnibus futura sint. Faxit Deus Opt. Max. vt potestas & voluntas quos tibi dedit, eos exitus habeat, qui & illi maximè gloriæ sint, & Christianis vtilitati, & tibi dignitati. Vale.*

IVS IN ARMIS.

DE ORVM, vt hinc exordiamur, simulacra armis ornata, authoritatem, vimque armorum indicant. Nam Græci præcipuè deos omnes in vniuersum ferro accinctos fingere consuerunt, ex eo scilicet innuere volentes, armis omnia parêre, in armis ius esse, cùm tamen Phœnices, vtpotè mercatores, & assiduis dediti negotiationibus deos cum loculis & crumenis bene pecuniosos omnes effingerent, nempè, quòd rerum omnium vim penes aurum & diuitias esse arbitrarentur.

MVLIEBRIS VIRTVS.

Mulierum Lacedæmoniarum virtus.

QVOD verò Lacedæmonij Veneris armatæ simulacrum dedicarint, virtutis id hieroglyphicum, quæ prænituit in mulieribus. Nam cùm Lacedæmonij bello cum Messeniis cõgressi eorum impetum sustinere non possent, pedetẽtim sensim retroferrent, vxores eorum hoc animaduerso, repentè arma corripiunt, impetuq; in hostes facto non tantùm lapsam maritorum aciem restituêre, verùm & Messenios ipsos fugauerunt. Eas inde amplexi Lacedæmonij, prout erant armati, cum armatis promiscuè, vt Lactantius ait, concubuêre. Atque ita mox armatam Venerem colere cœperunt. Neque tamen Venerem tantùm, quam μορφὼ vocitabant, sed deos, deasq; omnes cum lancea figurabant, vt eas ita redderent honestiores. Nihil enim apud eos ignauia turpius, nihil bellica virtute præstantius habebatur. Alia verò ratione armatæ virgines in sacrificiis adhibentur: eas enim in numis aliquot, atque etiam in lapideis signis atq; memoriis videas lacinia toga in humerum reiecta, figuratas. Hæ sunt virgines quæ Armatæ dicebantur, quòd in armum ita vestes coniicere sacrificij ritus deposceret. Vnde etiam poma ex alieno in armum legere, legibus prohibemur, tanto scilicet numero asportare, quantum humerorum onus sit. Hoc quidem κατ' παρίεργον fatemur, sed hoc loco necessarium.

MARS VLTOR.

VIDERE autem est plerisque locis, atque etiã in numis, signa Martis Vltoris cum scuto & hasta, quæ nimirum belli indicia sunt, cùm omnis eius ornatus in eo versetur, vt arceat à se clades, & hostibus inferat calamitatem. Hinc prouerbium illud emanauit, σὺν δόρει σὺν ἀσπίδι, cùm quid omni conatu aggrediendum innuimus. Huiusmodi verò statuam sibi Sesostris erigi curauit supra quatuor cubitorum magnitudinem, vt ita mortales reliquos superasse gestarum rerum gloria testaretur. Nam eorum quæ præclara gesserit Rex hic Ægypti, pleni sunt omnes antiquitatis libri.

Prouerbiũ.

BELLVM INDICTVM.

APVD Romanos indicti belli signum erat hasta ferrata præustaque, fœcialis manu prætenta, quam vbi primùm in hostium fines emisisset, tribus puberibus præsentibus, causa priùs exposita, bellum iustum indictum, fieriq; cœptum intelligebatur. Hinc apud Maronem Turnus primus, *iaculum intorquens emittit in auras Principium pugnæ.*

ARCVS ET SAGITTÆ.

TVMVLTVS.

AEGYPTII sanè sacerdotes tumultum, aut belli principium esse factum, significare cùm vellent, armatum hominem figurabant, qui telum arcu contenderet, & ad feriendum paratus videretur. In Diuinis tamen literis per arcum & sagittas ab improbis hominibus paratas, interpretes totum belli apparatum accipiunt, & huiusmodi significatione Psal. LIX. *Dedisti metuentibus refugium, vt declinare valeant arcum.* quamuis in Hebraicis codicibus longè alia lectio reperiatur. Ita tamen legit Euthymius, & hic arcum recipit Ecclesia.

SOLARES RADII.

IN Apollinis verò Dianæq; simulacris arcus & sagittæ vibratilem radiorum vim ostendunt. Vnde Lucretius hieroglyphicè ita eos expressit:

Non radij Solis, neque lucida tela diei.

Gallieni nummus.

Eædem in Sagittario cœlesti signo, vim eius à remotissimis etiã locis in plantas & herbas permeare, quæ quidem vbiubi sunt, solari omninò vi viuidæ, & incolumes conseruantur. In Gallieni sanè numis

A numis Sagittarij signum est, quale cœleste illud fingitur, cum inscriptione, APOLLINI CONS. AVG.

DE PHARETRA.

MINIMÈ verò prætermittendus est locus in carminibus diuinis Psalmo X. *Siquidem impij arcum sæpius intenderunt, promptuarijs sagittis pharetram impleuerunt, quas in quempiam probi cordis hominem immitterent.* Nonnulli Paraphrastæ, dũ nouitati forsan plus æquo student, pro eo quod apud Græcos est, ἑτοίμασαν βέλη εἰς φαρέτραν, *sagittas ad neruum accommodarunt*, ponere maluerunt, nempe quòd ita id exponendum codex Hebraicus admoneat.

COR, CONSILIVMQVE.

ADAMANTIVS tamen Græcam secutus lectionem, ita pharetram agnoscit, vt quid habeãt hieroglyphici, etiam interpretetur: per eam enim cor intelligit, per sagittas, consilia, & cogitationes, per arcum, os & labia. Nam & alibi dicitur, *Cor impij repletum est veluti pharetra sagittis venenatis.* Consilia enim cogitationesq; pessimæ impiorum sagittæ sunt: arcus verò, os & labia, quo distento, quippe adaperto, virulenti cordis spicula depromuntur ad vulnera. Quòd verò dictum est è latebris, non otiosè appositum: siquidem hi cùm lucem odio prosequãtur, in tenebris delitescunt, & in cæca malignitatis atque ignorantiæ latibula sese abdunt. Iam verò apud Lucianum legas, σὲ τὸν μισῶ σωόντων, stare aliquem in insidiis incognitum, qui arcu semper intento speculetur, qua latus exeras, vt ea te quamprimùm parte conficiat. Vbi nimirum delatorum intelligas malignitatem, qui dicta factaq; explorant tua, ac simul aliquid excederit imprudẽti, collectum statim ad dominum deferunt, vt aliquod inde tibi detrimentum accedat. Olympiis quoque Ode secunda, tela pro verbis, pharetram pro sententiis à Pindaro positas inuenias, in hunc modum, πολλὰ μοι ὑπ' ἀγκῶν ὠκέα βέλη ἔντον ἐντὶ φαρέτρας φωνᾶντα συνετοῖσιν, *Multa mihi tela velocia sub cubito in pharetra sonantia exaudiuntur, propter orationis acumen, & laudationum opportunitatem*, inquiunt interpretes. Præclara enim esse debent, neque ab obtuso ignauoq; ingenio prolata, quæ dicuntur, sed ea opportuno etiam loco disposita. Alibi diximus, mysticæ Philosophiæ interpretes, Plutonis cor ab Herculea sagitta vulneratum, hieroglyphicè significare velle nullum esse tam abditum in rerum natura locum, quò non peruenerit Philosophia: eius enim scientiæ latebras multi memorant. Nam & Nazianzenus ait Philosophiæ latebras omnes penetrasse.

Cor Plutonis ab Herculea sagitta petitum.

VVLNERA AMORIS.

AMORI verò arcus in primis dedicatur, propterea quòd eo vulnere saucij, semper eminus feriuntur, veluti sagitta quadam ab amatis oculis emissa, & in amãtium oculos recepta. Sunt verò illi, vt philosophatur Plato, radij quidam tenuissimi, qui ex intimo cordis expirant, vbi vitalis sanguis dulcissimus calidissimusq; sedem habet, viaq; sibi, vt Musæus ait, per oculos patefacta, per amantis identidem oculos illapsi, ad intimum eius cor penetrant, accensoq; interim magis ac magis sanguine, Bilis etiam inflammatur, vnde illi sequitur dolor, quem affixum esse cordi amantes omnes profitentur, quicunque illos euentus, aut durus, aut facilis sequatur. Hinc etiam adiectæ ad amorem faces, de quibus alio loco disseruimus.

Amoris sagittæ.

AMOR.

APVD Coniectores sanè, si quis ætate florida vir aut fœmina pectus sibi transfixum imaginatus fuerit, amorem significat. Non æquè id in grandæuo, siquidem huic id somnij triste aliquid, & illetabile nuncium affert.

POENITERE.

IN Diuinis verò literis sagittæ sæpissimè ponuntur pro doloribus, qui ex rerum properàm actarum conscientia cor stimulant, compungunt, exulcerántque. Ita Psalmo octauo supra XXX. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Attigerunt me*, transtulit Symmachus.

COELVM.

SEDENIM Philosophi cùm amoris cognomento cœlum intelligant, non otiosè commẽti sunt & alas & sagittas velocitatis indicia figurare, simulque faces, vtputà ignem, quo cœlum ipsum maximè spectabile est, ac puerum denique, cùm senium auferant à cœlo. Amorem insuper primum omnium genitum autumant, & cœlum initio creatum à Deo sacræ testantur literæ.

VELOCITAS.

ESTO igitur sagitta velocitatis etiã hieroglyphicum, cuius ergô Virgilius iuuenibus cursu pedum certaturis cùm Equum primò præmium proposuisset, alteri Amazoniam pharetram, plenámque sagittis pollicetur. Et Armenij sagittam Tigrin vocant, vnde & velocissimum animal Tigris, & fluuius rapidissimus, qui ex Armenia in Mesopotamiam labitur. Ibi enim sagitta Tigris dicitur. Et Psal. septimo, quòd minatur Propheta futurum vt Deus gladium suum expediat, & arcum intendat, interpretes per gladium acerbitatem, per arcum celeritatem mortis indicari tradunt. Ab hac sagittarũ velocitate vulgus totius Italiæ hodie cùm quid properãdum esse innuit, vocabulum formauit Affrezzare, ex quo sagittã Frezam vocant. Sanè Abarin genere Hyperboreum apud Scythas tantæ velocitatis hominem fuisse tradit Nazianzenus, vt cùm sagittam, veluti fabulantur, accepisset ab Apolline, emissam eam pari cursus pernicitate cõsequeretur, quo signo populos circumiens respõsa dabat, inde sibi fidem acquirẽs, quòd conatus ille longè supra humanas vires esse putabatur.

Abaris miræ velocitatis homo.

putabatur. Sed non fabulosè apud nos dictum, *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum*: per quas Eucherius Apostolos hieroglyphicè significari tradit, qui orbem terræ volatu pernicissimo peragrantes, doctrina sua mortalium, qui nondum Deum norant, corda penetrarunt. *Filij verò excussorum*, quia de priùs excussis telis, hoc est, Prophetis, Apostoli geniti sunt. De iis Psalmographus ait: *Misit sagittas suas, & alios aliò delegauit.* Plerisque enim locis sagittæ verba diuina sunt, quæ penetrabili charitate corda nostra configunt. Hic arcus ille erat, quem tetenderat, paratúmque ad feriendum asseruabat, quamuis hoc nonnulli ad minas referant, quòd arcus inter alia significata, minarum etiam signum sit. Vnde Horatius,

Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.

CONTRARIETAS.

VBI tamen sagittæ duæ parallelari positu iacentes animaduersæ fuerint, quarum cuspides altera ad alterius pinnas vicissim conuertantur, præsentaneæ contrarietatis signũ esse volunt.

FRACTA BELLI FEROCIA.

Regis Attilæ mortis augurium.

QVEMADMODVM verò arcus intentus belli signum est, ita fractus sublatam belli ferociam ostendit. Et in ostentis eodem accipitur significato, veluti quod in recentiorum historiis legitur, ea nocte qua Rex Attila sanguinis eruptione, quæ profluuio effusissimo de naribus emissa est, suffocatus & extinctus est, supremum numen Martiano Imperatori apud Constantinopolim agenti apparuit in somnis, arcúmque Regis defuncti relaxatum, vt alij, fractum, ostentare visus est, quod de bellica eius ferocia iam extincta signum fuit. Et in Diuinis literis scriptum est, Deum eorum conterere arcum, & arma confringere, qui pietate posthabita spem omnem in ferocitate sua posuêre. E

PERSÆ.

AB eo verò armorum genere, quo Persæ plurimùm vtuntur, sagittas numis Darius impressit, siue ita gentem suam significare voluerit, siue potentiam suam latè diffusam indicare. Nam & in Artoxerxis numo sagittarius miles cuius erat, eáque de causa numi illi Sagittarij vocitabantur, vt Plutarchus in Apophthegmatis. Vnde non infacetè dixerit Agesilaus, triginta se milibus Sagittariorum Asia pulsum, cùm ea summa Rex corruptis per Timocratem Athenienses effecisset, vt bello aduersus Lacedæmonios concitato is prouincia decederet. Quod quidem dicterium proximè accedit ad Gylippi Noctuas, de quibus loco suo.

Agesilai dictum.

PESTILENTIA.

SAGITTAS autem Apollinis in Græcos immissas, pestilentiam manifestissimè significasse nulli dubium, de quibus latè apud Homerum. Hæ verò hieroglyphicè solares radios indicant corrupto cœli tractu contagem illam dispergentes. Et Christiana pietas è diuorũ numero Sebastianum sagittis impetitum, dum Christo fidei testimonium præstat, aduersus pestilentiam sibi tutelarem proposuit.

D. Sebastianus tutelaris pestilentiæ.

DAMNATIO.

SVNT qui telum in sagittæ cuspidem ita ⟵ figuratum, damnationis signum esse autument, aut explodendum summouẽdúmve aliquod ineptè dictum in scriptis, id quod Aristarchi summi Grammatici iudicio inter hieroglyphica receptum est, quòd eo ille signo vsus sit in adulterinis apud Homerum carminibus summouendis. F

DE HASTA.

SAPIENTIÆ VIS.

VOD Palladem armatam vbique conspiciamus, indicat, arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur: nam stulto præcipitiq; ingenio Imperatores, quot & quantas & sibi & Reipublicæ calamitates attraxerint, vt alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Thrasimenũ, ad Cannas acceptæ, facilè ostẽderunt. Porrò autem hasta in manu Palladis, ingenij vim atq; promptitudinem ostẽdit. Vnde apud Martianũ legas:

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

FAMA.

Alexandri statua.

ADHÆC lancea in quacunque videatur imagine, præter militiam ipsam famæ etiam celebritatem indicat. Quare Lysippus, vt Plutarchus ait, eam in Alexandri manu posuit, fulmen quod alij fecerant, aspernatus, vtpote qui celebrem eum vna vix ætate existimaret, dummodò quis veritatis studiosus, ea tantum quæ re vera gesta fuissent ab Alexandro collegisset. Quod verò ad extensionem in longinquum facit, Telum appellant quicquid à manu iacitur, quòd πλῶ & πλόσ procul apud nos sonat. Quanquam apud Caium Iurisconsultum telum vulgò appellaretur, quod ab arcu tantùm mitteretur.

HOSTIS

A

HOSTIS INFENSISSIMVS.

INFESTISSIMVM hostem, qui omnes, quò maximè lædat, vias exploret, nonnulli significare cùm volunt, iaculum terræ appressum cuspide in eius læua statuũt, dexteram verò ori obiiciunt, eo gestu, vt in eam inspuat, nempe quòd persuasum sit ictus aggrauari saliua in manum ante conatum ingesta. Id verò ea de causa fit, quia manus ita magis solidescit, & maior in vibrando vis accedit, non autem quòd ea quædam sit fascinatio, vt Magi putant.

Saliua ictũ aggrauat.

OFFENSIONIS ILLATÆ POENITENTIA.

NAM illud forsan pertineat ad Magiam, quòd à iactu, si quem inferendæ iam iniuriæ pœnituerit, in mediam expuendo manum, qua vibrauerit, leuari percussum à pœna prodiderunt. Alioqui pleraque alia expuere, contra omnes fascinationes & pericula amuletum esse creditur. Vnde apud Theocritum τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον, *ter in sinum meum inspui.* Meminêre huius rei & Plinius, & authores alij plerique.

SVMMVS HONOR.

SEDENIM ne Lysippum adeò malignum aut inuidum in Regem suum, vt paulò antè dictum, fuisse suspicemur, sciendum hastæ gestamen haudquaquam inter vulgares honores habitum, tantæq; apud veteres venerationis fuisse, vt loco diadematis pro insigni Regio haberetur. Neque temerè Virgilianus Aeneas, B

Hastæ gestamen honorarium.

Bina manu lato crispans hastilia ferro, Ingreditur.

Et Regis filius Pallas apud eundem, telo rapto volat obuius ipse Aeneæ. Neque quidem ea solùm donari solitos tradunt qui fortiter in bello fecissent, verùm & Iunonem Curitin ab ea nuncupauerunt: Curis enim hasta Sabinis erat, quod iam apud omnes peruulgatum est.

STRENVVS.

EORVM qui fortiter fecissent insignia, more quodam hieroglyphico apud veteres fuisse reperio hastas puras, quibus milites ab Imperatoribus donari soliti, eaq; de causa Sicinium Dentatum, Plinio referente, hastis puris duodeuiginti donatum. Hastas verò puras, Donatus & Seruius interpretantur, sine ferro, eo præsertim Maroniano versu:

Ille, vides, pura iuuenis qui nititur hasta.

Qui quidem futurus erat Rex, multorúmque Regum parens.

BELLVM.

APVD Carthaginenses, genus intractabile bello, belli hasta erat indicium. Hinc cùm bellum velle se cum Romanis professuri essent, Romam ad eos hastam suæ voluntatis signum miserunt. Sedenim apud Macrones, dare acciperéque lanceam, sanciti fœderis signum fuit, cuius rei meminit Xenophon De reditu Græcorum IIII. C

SVMMA IMPERII.

Hasta cœlibaris.

EA verò de causa viros fortes hasta donari putat Festus Pompeius, quòd hasta summa armorum & Imperij esset, captiúsque sub ea vendi morem fuisse, proindéque rei fortiter gestæ signum erat. Et sub iugum mittere, qui superati essent, quique per vim sub Imperium deuenissent, apud historicos frequentissimum. Constabat verò iugum ex hastis tribus, duabus quidem fixis, & alia in transuersum ad eas alligata: sub his enim discinctos transire cogebant, inquit Festus, vbi Discinctos intelligendum armis spoliatos. Hinc etiam mos apud Romanos fuit, vt nuptarum capita cœlibari hasta comerentur, propterea quòd quæ nuberet, imperio viri subiiceretur. Cœlibarem autem hastam vocabant, quæ in corpore gladiatoris abiecti occisique stetisset.

CONIVNCTIO MARITALIS.

AIVNT verò nonnulli coniunctionem maritalem hieroglyphicum id significasse, vt quemadmodum hasta ipsa in corpore gladiatoris hæsisset, coniunctaq; fuisset, ita debere sponsam viro coniungi, vt, quod nostræ monent Diuinæ literæ, *duo sint in carne vna.* Alij boni tantùm ominis causa factum autumant, vt vota hinc ostenderentur, fore vt viros fortes genituræ essent.

DII.

PRÆTEREA, vt Iustinus ex Trogo memorat, ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluêre, ob cuius religionis memoriam hastæ adhuc, ait ille, deorum simulacris adderentur. Quin etiam simplex baculus surrectus apud Ægyptios diuinitatis hieroglyphicum fuit. Atque hoc illud est quod Pædianus ait in Diuinationum commentario, non placere sibi eorum opinionem, qui delubra existimant ligna delibrata, id est, decoriata, pro simulacris deorum more veterum posita. Id fieri solitum à veteribus Cyrillus inquit, quòd natura diuina nullo modo neque deiici, neque labefactari potest, sed inconcussa firmaq; suo robore communiat, sustineréque omnia & omnium fundamentum esse perhibetur. Sed vt ea etiam quæ ad ineptias vsque facta sunt in hoc genere commemoremus: Alexander Phereus hastam, qua Polyphranem auunculum interemerat, consecrauit, additis etiam corollis, eique tanquam Deo rem diuinam fecit. Tantum verò hastæ à veteribus tributum est, vt sceptrum illud Agamemnonis, multorum Regum successione apud Homerum celebre, Chæronei Bœotiæ populi diuinos illi honores meditati, quo cultus eius fieret augustior, Hastam appellitarent. Colebant verò illud vti numen, singulis diebus hostiis à sacrorum antistite immolatis. Cui etiam (tanta fuit hominum vesania) mensa variis instructa carnibus parabatur, omniformiumq; placentarum libis referta semper adstabat. Iam & Cenea illum, quem ex fœmina in virum à Neptuno commutatum Græci fabulantur, primum omnium aiunt comites suos iussisse per hastam suã iurare. Vnde mox prouerbium, *Hasta Cenei*, de quo apud interpretem Apollonij, & alios Argonauticis, plura reperias.

Hastæ à veteribus multum tributum.

DII PENATES.

ET Penates, qui apud Romanos tanta religione colebantur, armatos, hastatos quippe fuisse, memoriæ proditum est. Dionysius enim duos ait adolescentes fuisse militari habitu, & vetusto opere, qui sederent, & peila in manibus tenerẽt, cuius rei testimonium titulus subesset, DII PENATES. Eos Nigidius putat esse Apollinem & Neptunum, quòd in Apolline calor & aritudo, in Neptuno humor & frigus intelligatur, quæ nostræ compositionis principia perhibentur. Et quoniam Penatibus magnorum deorum cognomentum attributum est, vnde Maronianum illud:

Dij Penates qui dicti.

Cum sociis natóque Penatibus & magnis dijs,

eruditores particulam, *Et*, ad expositionem positam volunt. Alij eos Iouem & Iunonem esse voluerunt. horum enim præcipuum esse munus, iuuare mortales, atque inde vtrique nomen. Alij Castorem & Pollucem Deos magnos vocari persuasum habuêre. Sed quoniam in nullo deorum magis, quàm in dis Penatibus & Poëtæ &. Historici occupantur, tum ipsa vetus Romanorum religio tam multa, tam sæpe de his in medium protulit, haudquaquam ab instituto negotio alienum fecero, si super his aliquid ex remotiore vetustate repetiero. Pallantis filiam legimus, cùm Dardano in Arcadia nuberet, dotis nomine munera Palladis attulisse, scutum quippe breue cœlo lapsum, quod Palladium appellarunt, cúmque huiusmodi scuto magnorum deorum simulacra. Orta autem seditione in Peloponneso, Dardanum inde cum vxore & magna Arcadum manu vertisse solum, atque in Samothraciam nauigasse, vbi dotalibus muneribus templum erexit, quibus occultas instituit cæremonias, vt sacra ea separaret à vulgi cognitione. Simulacra itaque in subterraneo specu condidit, quæ mox cùm inde in Asiam transmigraret, secum abuexit, & in Dardania à se nuncupata collocauit. Ilus cùm Ilion ædificasset, eò deos ipsos transtulit. Æneas ex incendio Troiano ablatos in Italiam vexit, eósque Lauinij posuit. Ascanius in suam Albam traduxit, pulcherrimo illis templo ædificato. Verùm aiunt sequenti nocte Penates, nullo ferente, Lauinium rediisse, ostia clausa inuenta, parietes integros, & tectum nulla in parte violatum: quo miraculo motũ Ascanium, aiunt, sexcentos curatores Lauinium misisse, qui sacra custodirẽt, præfectúmque his antistitem Egestum nomine. Iidem demum Romam translati cùm vrbem approbassent, nequaquam abierunt. Cúmq; eos Romani in vrbis Imperiique sui custodes admisissent, ne per vim aut dolum auferri possent, eos in subterraneo, vt Dardanus fecerat, specu, templo ibi dedicato, posuerunt. In quo quidem templo id præcipuè religionis obseruabatur, vt spuere nefas esset. Ad hoc specu, & pristinum Dardani institutum, Virgilius allusit, cùm scripsit:

Deorũ Penatũ origo & institutio.

Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Nam sacra Penatibus sine Vesta nunquam fieri solita, sed vnà cum Vesta semper illi colebantur. Quid verò Vesta foret, declarat Naso:

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

Et Sinon apud Virgilium, vbi se Penatum offensam vereri simulat, si patriæ secreta hostibus prodat, cuius cura Penatibus credita:

Vos æterni ignes, & non violabile vestrum Testor numen, ait.

Sed quoniam de Vestali igne, & diis Penatibus alibi etiam disseruimus, hæc pro loco commemorasse sufficiat.

DII TVTELARES.

ID verò tutelares eos esse ostendebat, quòd sederent, quòd peila gestarent, quòd adolescentes essent. Nam sessio hieroglyphicæ firmitatis & constitutæ rei consiliive signum habetur. Peila propulsationem malorum, incommodorúmque significant. Adolescentia incrementum, quod Imperio esset in dies accessurum. Quod verò genus teli peilum sit, à Vegetio ita describitur: *Missilia pedestris exercitus peila vocabantur, ferro subtili præfixa trigono nouem vnciarum, siue pedali, quæ scutis infixa non possent abscindi, & loricam facilè perrumperent.*

Peila quid.

DE FRAMEA.

FRAMEÆ vocabulum, & id genus teli, Germanicum est, de quo Cornelius Tacitus in Germanorum moribus in hunc modum scribit: *Hastas, vel ipsorum vocabulo Frameas, gerunt, angusto & breui ferro, sed ita acri, & ad vsum habili, vt eodem telo prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.* Ita Eques scuto frameáque contentus est.

MORS.

IN Diuinis literis framea, vt & alia telorum genera, mortis hieroglyphicum habetur. Ita Theologi eo Psalmi loco: *Erue à framea Deus animam meam.*

DE SCVTIS.

FOCVS exigit vt hastis scuta etiam adiiciantur, quorũ varia sunt hieroglyphica, quia variæ sunt eorum species, varij etiam vsus, neque facilè est omnium rationes exquirere in tam varia tamq; frequenti armorum penè omnium mutatione, quæ vnaquaque ætate facta est, eas tamen nos formas amplectemur, quas in numis, aut veterum monumentis figuratas obseruauimus.

STRENVVS II.

PARI honore cum hasta scutum fuit, quo inter præmia reliqua militaria donari soliti sunt qui strenuè fecissent, cuius rei exempla passim apud historicos. Et apud Virgilium Æneas clypeum efferri iussit, quo iuuenem egregium Nisum præstanti munere donaret. Præcipuum verò honorificum apud Argiuos fuit scutum Enhippi, puero, qui tale aliquid meruisset, gestandum tradere, eóque inserto pompam ducere. Argiui porrò primi omnium scutis ligneis vsi, eo prælio quod inter Prœtum & Acresium fratrem gestum est, pro tyrannide occupanda. Sed enim de honobus inferiùs.

Scuto donati.

SALVS.

CVM Palladium superiùs cœlo lapsum, scutum fuisse diceremus, significatum eius ad Imperij tutelam spectare interpretati sumus. At identidem obseruatum est Peltæ quoque significatum salutis esse, quod ab interpretatione Numæ desumptum est: is enim delapsam cœlo peltam salutem Vrbi immissam interpretatus est, cùm octauo eius anno pestilentia per vniuersam Italiam debacchata, Romam quoque vrbem inuasisset. Vtrum verò grauis alioquin author peltam propriè nécne dixerit, quod scutum Numæ tempore cœlo delapsum fertur, & *lapsa ancilia cælo* Maro dixerat, alij viderint. Legi tamen de Saliorum ornatu, consuesse illos capite gestare pileum instar coni, non obrotundum, vt vulgò: thoraca aheneum induere, dextera manu ancile, læua peltam aheneam circumtulisse: quamuis, vti dictum, *& læua ancile gerebat*, legamus.

Pelta cœlo delapsa.

PELTAE FORMA.

QVONIAM verò pelta Maroni lunata dicitur, operæpretium me facturum crediderim, si figuram eius ex antiquis monumentis describsero. Nam ea Romæ multis locis aspicitur, nusquam tamen speciosiùs quàm in marmoreo quodam conditorio, quod nunc in hortis Pontificio Palatio subiectis pro æquæ temporariæ alueo ab Leoniana porticu spectatur. Ibi pugna quædam Amazonum incisa mira quadam arte, siue ea Troiana sit, siue, quod potius reor, quæ ab id genus erraticis in Scythia commissa est. Ita viri mulieribus parcere, inuitiq; obuias sauciare videntur,

cuperéque eas potiùs captiuas facere, quàm lædere. Omnes illæ peltis armatæ sunt, quarum species in hunc modum describi potest, vt scilicet circulus descriptus linea diametrali dissecetur, pars altera quantum cubiti manúsque ministerio inseruiat, relinquatur, altera duobus à lateribus excauetur, ita vt in eorum medio spatium sit inserendo brachio, cuius hoc sit propugnaculum. Extrema ad scuti marginem lunentur in cornua. Orbes illi duo hinc inde exempti, insertandæ si opus sit hastæ alter commodus, alter ad inspectandum inseruiat.



D

PRIMA ARMENICA.

VARIABAT verò peltarum forma qua parte manus erat inserenda; vt in prima Armenica, incisura erat rectangularis.

SECVNDA ARMENICA.

QVÆ in secunda, orbicularis fieri consuerat. Tum etiam coloribus, cùm pelta primæ cæruleo colore est, in alba parma; secúdæ verò purpurea in parma ipsa cærulea; in vtraque verò pelta aureus vmbilicus.

E

MENAPII.

MENAPIORVM autem pelta rubra erat in alba parma, sed infrà in eo albo sub pelta canis lutei coloris, pedibus ad cursum quarum fieri possit, exporrectis, vtero ad peltam verso, dorso parmæ superficiem spectante.

VESONTES.

VESONTES, qui sub illustri viro Magistro peditum militabant, parmam habebant peltis quatuor cæruleis insignem, quadrangulari situ intra parmæ marginem & centrum dispositis; centrum autem in partes quatuor decussatum, quarum duæ albæ, cæruleæ duæ. Circa centrum coloris rubri circulus, & in parmæ ambitu alter itidem ruber conspicitur.

ANCILIA.

EIVSDEM omnino significati Ancile est, cuius figura, vt ex veterum numis habetur, oualis est, ductu quidem oblongiore, quod, ne cui dubium relinquamus, ex Antonini Pij numo didicimus, ab cuius altera facie scuta tria vna serie disposita, ea qua diximus figura conspiciuntur, quibus inscriptio subiecta est, ANCILIA.

Antonini Pij numisma.

In altero Antonini eiusdem numo scuta sex habentur anciliorum specie, vt paria duo, vno super alterum sublato, partem interiorem ostentent, qua scilicet brachium inseratur; mox singula vtrique pari appensa, quæ vmbonem spectandum obiiciant, in eum quem vides modum. Literæ nonnullæ in eo quem attrectaui numo detritæ sunt, vna excepta locutione, SVPERATO. vbi etiam duo prima elementa ita curta sunt, vt vix discerni ab oculatissimo quoque possint.

F

SAPIENTIA.

FA plurimùm forma scuta sunt quæ Palladi dedicantur: quamuis non negarim orbiculari etiam specie nonnúnquam facta, cuiusmodi est Argolicus clypeus, quem Maro cum Phœbea confert lampade. Hieroglyphicum verò id esse plerique volunt, vt orbem indicare videatur qui sub clypei specie regatur à sapientia. Quare Martianus Capella, qualisqualis author est, ita de Pallade ait:

Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.

PAVITATIO.

A DE Medusa verò, quæ sit in vmbone medio figurata, idem sentit, quod in Serpentis commentario diximus, vbi de Domitiano loqueremur, qui Medusæ signum gestare solitus est ad stuporem, quem affectabat de se inter mortales concitari. Martiani versus de Medusa:

Quod pauidum stupitet sapiens solertia vulgus.

DEFENSIO.

ITA verò scutum pro defensione ponitur, vt milites eos ignominiosè notari passim videas, qui plus salutis & spei in scuto quàm in gladio posuissent, Scipionis præcipuè dicterio notum, cùm militi, qui clypeum elegantiùs ornauerat, dixit: *Non miror quòd clypeum tanta ornaris cura, in quo plus præsidij statuas, quàm in gladio.* Scuto verò nos coronatos ait Psalmographus pro tuto circumseptos munimine; monitiones enim plurimum in orbem circumduci consuerunt. *Scipionis dictum.*

DEDITIO.

EST & deditionis signum clypeus, si caput ei summittratur, quod apud Appianum legas, vbi Afranij & Petreij turmæ quædam à Cæsare circumuentæ, capita clypeis subiecêre deditionis indicio. Alibi scuta supra caput sublata, & huiusmodi iunctis vmbonibus progressus oppugnationem ostendit, qualia Romæ passim in columnis & triumphalibus arcubus, aris, clypeisque conspiciuntur.

INITIVM PVGNÆ.

SCVTA verò hastis illisa pugnæ initium significabant: siquidé moris erat cumprimùm hostes collatis signis in propinquum ita processissent, vt iamiam pugna esset ineunda, ad concitandos militum animos, vno eodemque tempore sub datum signum scuta percutere hastis, strepitu quam maximo possent excitato, quem morem apud Marcellinum inuenias. Eundem morem hunc à Græcis obseruatum tradit Xenophon, sed ad Equos incitandos fieri solitum. Apud Philostratum etiam, vbi de expiationibus ad Achillis tumulum agitur, legere est, milites qui ad tumulum succederent, post hymnum, quem ceciniſſent, scuta hastis solitos incutere, quemadmodum in bello fieri soleret, cuius sunt hæc verba: προσελθόντων δὲ τῷ σήματι μετὰ τὸν ὕμνον, ἀσπίδας μὲν ὡσασθαι ἐν πολέμῳ ἐδιδάσκετο. *Mos antiquus pugnæ ineundæ.*

PLAVSVS.

QVOD verò milites initio pugnæ facere consuerunt, togati, fabula vel concione, quam spectatum vel auditum veniſſent, absoluta, scabellorum crepitum faciebãt, eo scilicet plausu actoribus gratulati. Hinc apud M. Tullium oratione pro Cælio legas: *Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.* Dictumq; illud de Caligula apud Suetonium: *Et quondam tres consulares secunda vigilia, in palatium accitos, multaq; & extrema metuentes super pulpitum collocauit: deinde repentè magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaq; talari prosiliit, & decantato cantico abiit.* *Scabellorũ crepitus.*

HONORES.

CLYPEIS vnde nomen, incîdi describive facta pulchra moris fuit, vnde qui nihil adhuc strenuè in bello gessissent, alba vtebantur parma, de quo Virgilius: *Parmaq; inglorius alba.* Donabantur ab Imperatoribus honori militibus, atque etiam diis, quare sæpius apud Liuium legas; argentea clypea templis illata, ac diis dicata. Hîc nõnulli vocabulum à sculptura factum voluêre, quòd in his omninò imagines haberentur, in qua quidem sententia Plinius est: scutis enim ait illos, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines, vnde & nomen habuerunt clypeorum, non, vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo deduci. Sed quoniam in Grammaticos incidimus, inter clipeum per i, & clupeum per v, differentiam ponit Cornelius Fronto, clupeumq; per v, quæ omnino ὑ psilon Græca est, imaginis esse dicit, per i verò armorum. Apud Virgilium tamen, *Mutemus clypeos* legas, vbi de armis dubio procul intelligendum. Sed & in iis imagines fuisse, Seruius atteſtatur, qui Græcorum in clypeis Neptunum, in Troianorum Mineruam pictam fuisse dicit. Sed nihil sit horum, quomodo se pro Troianis venditassent, nisi Troianorum insignia in clypeis apparuissent? Sedenim alij sunt, qui genus, non scriptionem, differentiam facere putarint: ait enim Labienus, clypeum neutro genere Imaginem significare, virili verò inter arma poni. A quo diuersus est Pomponius dubij sermonis libro secundo, vbi Clypeus & Clypeum indistincto genere dici ait, sed litera differre, vt pugnatorium per i, Clipeum dicamus, imaginem verò per v, Clupeum, vt etiam ex Cornelio dicebamus. Eam verò differentiam improbat Charisius, qui clipeus per i, & clupeus per v, non alia ratione dici asseuerat, quã Maxumus & Maximus, Optimus & Optumus, propter communionem i & v literarum. Sanè clypeum vtroq; genere pro scuto Virgilium posuisse, agnoscit Nonius Marcellus, non malus author: *Ardentes* quippe *clypeos.* & ita alibi, & nono: *Clypeum superintonat ingens.* Clypeum ingens recto casu indubitatò legit Nonius, cui Seruius assentitur, dum per hoc expressum ait illud Homericum ἠέλιον θ' ὁρόων τε καὶ ἔμπαλιν αὖτις. quod etiam alibi Virgil. expressit: *Sonitum super arma dedêre.* Sed vt has Grammaticorum altercationes omittamus, quamuis hæ tibi doctissime Nicolae, nunquam displicuêre, de significato rei potius agamus. Dedicabatur sanè Clypeus iis, qui graue aliquod periculum à Repub. propulsassent, sustulissentq; penitùs propugnationis defensionisq; memoriam, isq; rem gestam imaginibus explicabat. *Clypei etymõ, & eius significatio pro distincto genere.*

Denique hoc non tantùm de militaris clypei forma intelligendum est, quantum de quacumque dedicatione in alicuius præclari viri memoriam posita, & vel sculpta vel inscripta ad posterorum memoriam, cuiusmodi marmoreæ æneæque tabulæ & Romæ & alibi adhuc superant, quæ omnia clypei cognomentum vsurparunt. Trahit verò me gestæ rei tam præclaræ magnitudo, ut κ᾽ πάνυ φέρον, sed forsitan non importunè dicam, qualiánam essent, quæ clypeos huiusmodi merérentur. In longa sanè tempora spectatus est clypeus aureus in Romana Curia collocatus, qui senatus totius iudicio in D. Claudij honorem affixus erat, quòd ille vt primùm Imperator salutatus est, tricena xx. millia Barbarorum, qui aduersus Imperium Romanum arma sumpserant, nauiúmque, si Pollioni credimus, duo millia felicissimo successu deleuit, adeoq; attriuit, vt paucos ad solum patrium redire permiserit. Extat adhuc exemplum eius epistolæ, quæ ita scribitur: *Claudius Broccho. Deleuimus trecenta xx. millia, duo millia nauium mersimus*; & quæ sequũtur. Adducit hoc in memoriam quod duodecimo de bello Macedonico apud Liuium legitur, clypea ærata ab ÆDD. CVR. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba posita. In codicibus, vetustis manuscriptis clypea auratalegi. Quod verò ad arma pertinet, Pœni quoque clypeos ex auro factitauêre, sculptis imaginibus, & secum in castris tulêre.

LACONES.

ET literæ nonnunquam singulæ, hieroglyphicorum munus expleuêre. Apud Romanos id frequentissimum, in omnibus ferè familiis appellándis. Sed enim de his dicere, tam longum quàm superfluum esset. Id vnum, quod ad arma pertinet, dicam, A literam in Lacedæmoniorum scutis notatam, populum eum significasse.

MESSENII.

AT in Messeniorum clypeis, qui & ipsi clarissimi olim extitêre, τὸ M descriptum erat, sui & ipsum populi significatione.

MOROSITAS.

Dionysij dicterium. QVOD ideò non sum referre grauatus quia arrepta hinc occasio est in argutum Dionysij dictum illabendi. Erat in antiquorum sortibus M, litera morositatis & stoliditatis signum, vnde prouerbium, ἔλαχες τὸ M, *obuenit tibi M*, obiectumq; aliquando Dionysio cauilli vice, cui sors obuenerat M, μοιρολόγε Διόνυσε, cui tamen & vafrè, & vero de se præsagio respondit ille, μοναρχήσομεν ἐγώ. *Prouerb.* Quamquam ex eo quòd res optimè successit Dionysio, prouerbium illud, *Sortitus es M*, de callidis, & longè maiora quàm in hominum spe, aut opinione fuerint attentantibus, dici mox cœptum.

DE Σ, ET K.

ADDEMVS illud Σ, signum in Equos impressum apud Græcos curiosiores, indicasse eius generis Equos, qui Samphoræ vocabãtur. Imò quia Σ, illis inustum fuerat, eo sunt nomine nuncupati, vocabulo ipso notæ huiusmodi signum præ se ferente, vti Koppatiæ, quibus K, generis erat signum. Fuerunt enim ait Eustathius, qui κόππα literam κοππα nominarent, vti nunc Theutones pleriq; omnes Papa scribunt, & Popa enunciant. Ita Dorienses Σίγμα, σαν dicebant, vt apud Athenæum, Samphora igitur à ferendo Σίγμα.

NEFASTVS.

ET ne singulas literarum notas alieno loco commemorem, subsequentis in ordine literæ M, significatum in Pontificum libris tantùm liceat addidisse: per eam siquidem nefasti dies notabantur. Notum illud, N. L. pro non liquere, positum in iudiciis. Et N. D. neci datum interpretari, F quod mihi non satis constat. Verùm illud non importunè addiderim, Neci datum intelligi, sine vulnere mortuum, vtpotà veneno, aut fame, sed hæc tamen authores confudêre.

SALII.

DE Saliis, quorum insigne esset thorax aheneus, & Ancile in dextera manu, in læua verò Pelta, cùm historia sit scholis omnibus notissima, superuacaneum iudicaui plura repetere.

DE GLADIO.

POST arcum & sagittas, iacula, peilaque & scuta demùm, Gladius locum habeat, cuius plurimus ex omnibus armis vsus.

CRVDELITAS.

Ochi Regis crudelitas. ID verò præcipuum eius erat hieroglyphicum, vt pro crudelitate poneretur, cuiusmodi nuncupatione Ægyptij Ochum appellare soliti sunt, qui quidem Persarum Rex omnium crudelissimus, ac maximè formidabilis, cæde omnia fœdauit, quacumque per Aegyptum progrederetur, quodq; apud eos inexpiabile facinus habebatur, Apin ipsum iugulauit, & amicis epulandum apposuit, atque ita vniuersam Aegyptum vnius animalis cæde luctuosam fecit, tanto is odio gentem eam prosecutus est.

SCE

A SCELVS.

PRÆSECTVM gladio sinciput, scelestum indicabat facinus: ita enim ἀνοσιότητα interpretabimurex Hori Niliaci dictatis.

OCHVS PERSARVM REX.

QVARE apud Ægyptios machæræ nomen imagóve, in Regum nomenclatura pro nomine Ochi hieroglyphicè exponebatur, atque ita recensebatur, ab instrumento eo tam lethali sumpta similitudine. In Asino sanè dictum, quonam argumẽto Persarum Magi crudelitatem in eo ab iniri Regni principio præsagiuerint, quia scilicet Artaxerxe patre defuncto, in ingressu regni lautiori, vt sit mensa ex pluribus eduliorum condimentis apposita, Ochum animaduerterunt manus primùm ad cultrum iniecisse, mox ad panem, & carnes, quas auidè & immoderatè comedit. *Crudelitas præsagita.*

VERBA.

DIOGENES verba gladio comparauit, cum adolescentem formosum admodùm turpia quædam fabulantem audiuisset: *Non te*, inquit, *pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium exerere?* Inuenies verò passim de maledicis, verbis proscindere, & eloquentiam ipsam esse gladium, & gladium in ore aliquem gestare, qui, vt ait Horatius, sit *Diogenis dictum.*

Quælibet in quemuis opprobria fingere læuus.

Et sacræ nostrorum literæ linguam gladio sæpe comparant, vt Psal. LVII. *Lingua eorũ gladius acutus.* & subsequenti: *Exacuerunt vt gladios linguas suas.* vbi quidem de calumniis & insidiis sermo est, quæ ab hostibus parabantur. Aliter apud Paulum, cùm ait, *viuum esse Dei sermonem, & efficacem, & omni gladio ancipiti acutiorem, penetrabiliorem q.*

B PERICVLOSVS.

QVOD verò declinandum subterfugio acutum gladium Pythagoras monuerit, dicens ὀξείαν μάχαιραν ἀποφεύγειν, plerique symbolicum sensum secuti, à periculosis negotiis abstinendum interpretantur.

IVSTITIA.

IVNIORVM autem inuentum est iustitiæ seueritatem atque rigorem, per exertum ensem manu virginea prætentum significare, cui ad æquitatis indicium, trutinã etiam addidêre. Sed enim apud veteres aliter traditum inueni, qui iustitiam cum libratis omninò lancibus in læua figurabant, sed in dextera non ensem, sed fasces cum adalligata securi statuebant, merita æquáque ex huiusmodi hieroglyphico præmia merentibus impendi, atque distribui, hinc scelerum conuictis castigationem impendere significantes. Sed enim species hęc duas secum mulieres captiuas trahit, vnam quæ fractum ensem manu prætendit, alteram quę conto innititur, duo ex hoc figmento vitia domita indicãtes, vt ex vtriusque medio virtutem ipsam adstruerent, per fractum scilicet ensem seueritatem nimiam retusam cohibitámve intelligentes; per contum, lentitudinem ad ferulã reuocatam, qua iudicia plus æquo producebantur. Indè enim contatio, quæ retardationem significat. Lenti verò sunt, qui nullo atrocique quantumlibet scelere concitantur, neque publicis neque priuatis iniuriis commouentur. Sunt C tamen & alia iustitiæ hieroglyphica, quæ locis suis, prout res exigit, exponuntur. Apostolus tamen ait, iudicem esse Dei ministrum, ideóque non sine causa portare gladium: vindex enim in iram ei, qui malè operatur. Et quoniam satis constat gladium seueritatis animaduersionisq; indicium esse, prætereundum non est quòd in Diuinis literis sæpe mentio fit ancipitis gladij, cuius hieroglyphicum est, quòd in iudicio corpus atque animam punire simul potest, vel quòd & supplicio præsentis pœnæ, & futuræ metu puniat. Ita accipi ancipites gladios in Sanctorum manibus. Nam vt & Eucherius ait, qui mundi peripsemata, quisquiliæ creduntur, de nationibus ac Regibus iudicabunt. *Anceps gladius quid.*

IRRITATIO.

IGNEM verò gladio dissecare, quid sibi velit apud Pythagoram, non facile fuerit augurari, cùm in eiusmodi symboli enarratione diuersi abeant præclari admodùm viri. Nam D. Hieronymus, atque etiam Cyrillus, impudentem, ac ira percitum animum asperitate verborum (is enim gladius est) non esse lacessendum exponunt. Diogenes, potentiorum iracundiam non incitandam interpretatur, cui sententiæ subscribit etiam Plutarchus. Et Flaccus Horatius cùm in Sermonibus dixit, atque ignem gladio fecare, nihil aliud prorsus sibi voluit, nisi admonere nos, ne magnorum hominum indignationem aduersus nos prouocaremus, lacesseremúsve. *Ignem gladio dissecare, quid.*

NVLLIVS FRVGIS OPVS.

REM, quæ neque vsui, neque efficaciæ respondere possit, nõ solicitandam attendendámve, Lucianus, Basilius, & Plato, hinc significari arbitrati sunt, quorum si qua est authoritas, aptè admodũ, qui studium in nullius frugis opere insumptũ significari voluerit, hominẽ pinget flammam gladio dissecantem. Cui simile dicterium illud, *Aquam in mortario tundere*: neque non, *Laterem lauare.*

CÆSAR.

QVOD verò fabulantur Cæsarem per cultrum significari, iuniorum inuentum est, non infelix tamen. Nam cultrum pro dissoluendi, incidendíve significato poni apud Iamblichum repetrias, in iis quæ scripsit ad Porphyrium.

PONTIFEX.

IAM & inter insignia Pontificum Flaminúmve, cultri species aspicitur oblonga, manubrio, quod ex ebore fieri solebat, & ex auro vel ex argento, rotundo solido, ad capulum iuncto, fixo clauis æreis, ære Cyprio, vt apud Pompeium legitur, cui à secando secespita nomen fuit.

SPIRITVS SIBI REDDITVS.

QVINETIAM Pontificis nostri IESV CHRISTI gladius celebratur, qui, vt celebri pentametro fertur,

Non venit pacem mittere, sed gladium.

Caro & spiritus, gladius Christi.

quod apud Marcum præcipuè legitur. Apud Esaiam verò Dominus intentato gladio nos visitare fertur. Per hunc Adamantius dissectionem Spiritus à carne videtur intelligere. Carnis enim sunt, fornicatio, immunditia, adulteria, veneficia, idolorum seruitus, & quæcunque dictu factúve fœda perhibẽtur, quæ omnia Dominiq; Deiq́ue nostri secespita abscidit abstulitq́ue. Antea enim quàm ille nos inuiseret cœlo delapsus, non erat ensis hic inter mortales, neque caro quicquam aduersus Spiritum concupiscebat, neque Spiritus aduersus carnem. Aduentu verò eius edocti sumus, quæ carnis essent propria, quæq; spiritus, doctrinaq; eius quasi gladius vibratus carnem à spiritu dissecuit, dissepararitq;, vt inde viueremus in spiritu, neque rerum nostrarum summam in carne, sed in E spiritu statueremus, non corruptionem à carne, sed beatorum vitam à spiritu in lucro reposituri.

MORS.

Scytharum iuramentũ.

APVD Scythas, qui multa Ægyptiorum more confixerũt, à quibus, vt veteres quidam authores tradunt, etiam instituti sunt, gladius mortis erat symbolum: fuitq́ue maximum omnium illis iuramentum, ventum & acinacem attestari (acinaces enim vt Medorum, ita eorum gladius est) per hunc quidem interitum, aut salutem: in eo enim salutis suæ præsidia statuebãt; per ventum autem animam, hoc est, vitam interpretantes, quòd scilicet tandiu viuamus, quoad vitales auras carpere permissum est. Pari modo in ostentis mali hominis & cædem minitantis habitus, vt Heluidio Pertinaci accidit, qui ante triduum quàm occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem, à quo gladio infestaretur. Eodem significato formidabilis minabunduſq; Galba, cognita Neronis nece, susceptaq; Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus à ceruicibus dependente, vsu togæ non priùs recuperato, quàm omnes qui res nouas moliebantur oppressisset. Quid verò libelli duo, qui reperti sunt in secretis C. Caligulæ post eius necẽ, in quibus notæ hominaq; continebantur morti destinatorum? præscripti enim erant diuerso titulo, alteriq; Gladius, alteri Pugio nomen erat, per hunc eos qui clàm opprimendi essent, intelligebat; per gladium, quos palàm cædere destinasset: moliebatur enim Princeps carnificinæ deditus, electissimum quenque vtriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandream commigrare.

Libelli duo in secris C. Caligulæ inuenti.

IMPERIVM.

IAM & potestatem & imperium ex gladio significari, à nostræ pietatis fundatoribus accepimus. Nam quod responsum à pio discipulo est, *Ecce duo gladij*, sacræ Legis interpretes humanarum diuinarumq; rerum potestatem sub Christianæ Reipublicæ principem peruenturam præmonstratum aiunt. Apud Chaldæos idem indicatum, cùm Darius vaginam acinacis, quã gestabat, Persico ornatu conspicuam haberet, longè antè quàm Alexander è Græcia moueret in Asiam, eam ornatu Græcanico communiri iussit, quo facto Chaldæi responderunt, Imperium, quod Darius obtinebat, in eorum ius venturum, quorum arma imitatus esset.

DE SECVRI.

EST & Securi à secando nomen, quare Demosthenes Phocionem orationum suarum securim appellabat: breui enim ille, sed acuta oratione, Demostheni plurimum aduersabatur. Et Hieremias, sermones Domini sicut securim ait, quæ vel petras incidat.

LYDIÆ REX.

EA non Romanos tantùm Consules insignes faciebat, verùm & Lydiæ Reges, quorum gestamen erat. Inde Iouis Labradei simulacrum, quòd securis labrys Lydorum vocabulo dicebatur.

ROM. COSS.

ROMANORVM verò securum significata cùm scholis sint omnibus admodùm vulgata, plurimiq; vnà cum Plutarcho rem interpretati sint, eas ad scelus, quod emendationem non reciperet, excidendum comparatas, vlteriùs ego de his quicquam in medium afferre supersedebo.

ANIMADVERSIO.

NEQVE enim apud Romanos tantùm, sed etiam apud aliquot Græcorũ gentes securis seuerissimæ fuit animaduersionis hieroglyphum, vt in Tenedio numo, de quo Pollux, cernere est.

Tene

A Tenediorum enim Rex cùm legem eam tulisset, vt in adulterio deprehensi mas & fœmina eodem supplicio securi subiicerentur, neque filio pepercisset suo, rem eo monumento iussit insigniri; quo Tenedius numus signatus est: de quo Aristoteles in Tenediorum Rep. vna quippe parte securis est cusa, altera capita duo.

Tenedius numus.

DVRATVRA MEMORIA.

IN antiquorum memoriis plerisque securim & asciam, sed hanc frequentiùs, videas adsculptam, addito etiam elogio, *Sub asciam dedi vetuit*, quotiens defunctus non obliterandam de sepulchro memoriam cauet, auersaque ideò scalpitur ferri acies. Sed in Diuinis literis per asciam simpliciter prauorum hominum in infectandis abolendisque proborum operibus studium & conatum intelligimus, vt Psalmo: *In securi & ascia deiecerunt eam.*

Prouerbiũ.

DE FALCE.

FALX præcipuè in Saturni manu, temporis, quod vniuscuiusque rei maturitatem attulerit, hieroglyphicum est, quod & nomen ipsum δρέπανον& præ se fert. Nam apud Græcos δρέπειν vindemiare est, atque metere. Tempus autem edax rerum, omnia demetit.

AGRICVLTVRA.

VT verò Cyprianus sentit, rei rusticæ, quam Saturnus docuisse fertur, signum fuit. Nam finis eius industriæ est, metere, fructusque colligere.

CASTIGATIO.

B QVAM verò falcem in custodis hortorum manu veteres posuerunt, ad fures arcendos, auesq; ne fructus læderent deterrendas, antiquum inuentum est, castigationis quippe hieroglyphicum. Apud Zachariam Prophetam siquidem legas cap. IIII. *Falcem quam videre visus est, longitudinis cubitorum viginti, latitudinis decem, contra fures eam, & contra periuros exacutam, inferriq́, eam in domum furis, atque periuri.*

DE SERRA.

INTER instrumenta secandi & Serra est, eadem militare vocabulum. Ea sanè in Ægyptiorum obeliscis frequens habetur, cæterùm apud eorum authores, quos viderim, quid ea sibi velit, traditum non inueni.

MALEDICENTIA.

PLACIADES maledicentiam, siue vt ipse scribit, maliloquium, per Serram significari obseruauit, siue id ob dentium seriem, quæ mordacitatem innuere videatur, siue ob inuisum stridorem, maximeq; auribus infensum, quem in nodos præsertim illapsa reddit, acerbo, vt inquit Lucretius, horrore concitato.

ANCEPS PVGNA.

ANCIPITEM verò pugnam, victoriam alternatim modò in hanc, modò in illam partem, vicissitudine sæpius variata, inclinantem, significare qui volunt, *Serra pugnare* dicunt, aut præliari. Id esse tunc, Festus ait, cùm frequens est consertæ pugnæ vicissitudo, cumque assiduè acceditur & receditur, neque vllo consistitur tempore, quod quidem ab secandi gestu desumitur: serra quippe modò in hanc, modò in illam partem assiduè tracta.

Prouerbiũ.

SVBSIDIVM.

IN militari disciplina Serra subsidium significat, de qua apud Fl. Vegetium: *Si ducenda sit serra, ex abundantibus ducendam esse, propterea quòd si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis.* Serra enim à strenuis directa, ante frontem hostibus opponitur, vt turbata acies reparetur, sitque ad similitudinem A, literæ, vel libellæ fabrilis. Fuit etiam Germanici numi nota, de quo apud Tacitum legas, eaque de causa Serratus dictus.

DE GALEA.

QVONIAM de armis ad offensionem comparatis est dictum, satis nunc de galea & thorace, quæ ad defensionem accipiuntur, dicendum aliquid.

PRINCIPIA OCCVLTA.

GALEA, qua Plutonis caput in primis tegitur, significat occulta esse principia generationis. Plutonem autem Solem interpretãtur, eo tempore quo per hyemem remotas à nobis mundi

partes

partes circuit; vnde etiam Proserpinam rapuisse confinxêre, de cuius rei significato passim haberetur. Illud addam, sceptrum illi & breue & aduncum figurari, quod inferioris regni indicium habetur.

ROMA.

ROMÆ quoque caput galeatum in numis passim, & aliis veterum monumentis. Id quanam alia de causa fieri dixerimus, nisi vt fuisse eam omninò Martiam intelligamus?

THELESILLA.

ET Thelesillæ Argiuæ poëticis studiis claræ statuam se vidisse Pausanias affirmat, quæ vna manu galeam, altera velitarem hastam teneret, libris circa pedes appositis, ob præclarum scilicet facinus, quòd illa cæsis acie ad vnum Argiuis à Cleomene Spartano, senes & pueros armatos mœnia tueri iusserit, ipsa cum valida mulierum manu hostem ad vrbis direptionẽ incursantem exceperit, fuderit, fugaueritque.

PERICLES.

CVR verò Periclis statuæ casside tegerentur, si quæsierit quis, sciendum id à sculptoribus ea de causa excogitatum, vt eo remedio capitis vitium emendaretur: capite enim is fuisse traditur oblongiore, nec cæteris partibus respondente, quod deformiorem hominem reddebat. Constat eum ab obtrectatoribus ea de causa *σχινοκέφαλον* appellatum, vtpote qui caput iunci instar acutum notarent. Quo vocabulo nonnulli decepti, *κυνοκέφαλον* apud Plutarchum legi credidêre, commenti etiam causam, sed ineptam & importunam, id ei nominis datum, ob agendi fandique libertatem, quam is, vt iidem aiunt, ad impudentiam vsque vendicasset.

Periclescur σχοινοκέφαλος dictus.

DE THORACE.

THORAX porrò munimenti signum ponebatur: vitalia enim defendit vniuerso pectori circumfusus. Deque hoc Antisthenes Philosophus dicere solebat, *ἀναφαίρετον ὅπλον εἶναι τὴν ἀρετήν*, *virtutem, quòd auferri minimè posset, munimentum esse.* Nam & ensis & clypeus excuti, amittiq; possunt: sapientiæ arma, quæ quis accinctus fuerit, firma sunt & stabilia. In pectore autem ita habere sedem sapientiam, vt pro sapientia pectus ipsum aliquando ponatur, ostendit Horatius, vbi dicit in Epistolis:

Non tu corpus eras sine pectore.

PVGIONES.

QVÆSIERIT aliquis, quid in numis Bruti pugiones duo significẽt, adiecto pileo. Sed quoniam inter vestimenta vbi de pileo agitur explicatum est ex Dione, pugiones cædem, pileum verò libertatem significare, proindeq; ex numo illo, Brutum & Cassium per cædem F patratam patriæ liberatores indicari, non esse hæc duximus vlteriùs repetenda.

DE CASTRIS.

INTER castrensia ornamenta honoresq;, inuenias plerisque locis nõ tantùm signa, verùm etiam & arcas pullarias, & castrorum ipsorum modulos, & signorum tum loculos & coronas, quæ quoniam obseruatione digna sunt, & eruditis iucũda, minimè grauatus sum quædam subtexere, qualia vno marmore apud Paulum Cardinalem Cæsium animaduerti.

Castrorum descriptio antiqua.

Castra quidem huiusmodi quam adpiniximus cõtignatione fabricata erant, tignis octo pro parte qualiber ita compactis, vt tribus quæque locis in transuersum conserta, clauis siue fibulis leonina capita prę se ferentibus coniungerentur, quorum quidem clauorum hieroglyphicum in primis erat, vt in Leone suo loco dictum: *Vigilandum esse.* Supra huiusmodi castrorum speciem capita duo adsculpta erant, velo quodam à dextro vsque in læuum protento, & superinsidente. Supra vtrunque caput singulæ laureæ. A castrorũ angulis, inferiore parte, loculi duo, vnus hinc, inde alter, qui quadrata forma, intus vacui, in acutam cuspidem desinebant. Hi terræ impingebantur pro theca, mox signi pars ima in eum inserebatur. Ibidem erat & pullaria cauea cum duobus pullis pascentibus: inter quam & castra signum Aquilæ conto præfixum. Idq; manifestè ostendit, qua ratione fieret, cùm exemptus loculo contus suspensus videatur, loculo vacuo apparente. A lateribus longissimi conti duo, signis, præmiis, & gestaminibus militaribus instructi, in quorum summo cuspis ad loculorum formam, ima pars ferro præmunita, capulisq; prædita, vt commodè sisti & auelli possent. Sed iam & inscriptionem harum rerum indicem, & faciem ipsam marmoris repræsentemus.

M. POM



Apud Dionem leges de loculo paruo, in quo Aquila aurea collocaretur, eum longissimo conto præfixum in exercitu à signiferis gestari, qui vt facilius impingi terræ posset, in acutam cuspidem desineret. De quo videndus etiam Cornelius Tacitus, in expeditione Germanici, vbi de hoc loculo, siue de sistendis signis loquitur.

Sed quoniam superioris marmoris inscriptio quædam habet quæ interpretatione indigeant vt D Centurionis signum apud veteres vsitatissimum, & alia in dictionibus concisa operæpretium visum est, ne quid à quoquam desideretur, totam eam explicare.

MARCO POMPEIO, MARCI FILIO, ANISIO ASPRO CENTVRRIONI LEGIONIS DECIMÆQVINTÆ APOLLINARIS, CENTVRRIONI COHORTIS TERTIÆ PRÆTORIÆ PRIMOPILARI LEGIONIS TERTIÆ CYRENENSIS, PRÆFECTO CASTRORVM LEGIONIS VIGESIMÆ VICTRICIS, ATIMETVS LIBERTVS PVLLARIVS FECIT ET SIBI ET MARCO POMPEIO MARCI FILIO, ET CINCIÆ COLLIBERTÆ ASPRO SATVRNINÆ FILIO SVO ET VXORI SVÆ MARCO POMPEIO MARCI FILIO COLLIBERTO ASPRO FILIO MINORI.

PIERIVS VALERIANVS

AD REVERENDISS. PATREM NICOLAVM SCOMBERGVM CARD. CAMPANVM,

DE IIS QVÆ PER SELLAM, CVRRVM, & fulmen significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XLIII.

MAXIMÈ vereor, sapientissime Pater, ne aliquando me tacito cogitationis conuicio verberaris, quòd tuæ erga me beneficentiæ tibi conscius, totq; insuper meritorum, quæ à te summa semper alacritate profecta sunt, nullum adhuc grati animi signum in me conspexeris elucere. Sciàs tamen accidisse, non negligentia, non rusticitate, non vlla tuorum erga me meritorum obliuione, sed ob eximiam commodorum, quæ abs te sum assiduè consecutus, magnitudinem. Ea quippe vel singula, pro quibus immortales tibi agere gratias debuissem, ingenium ita meum obruere videbantur, ne potuerim vlla vnquam meditatione parem verborum copiam excogitare, aut vlla mihi in parte satisfacere. Dicendum enim erat, quanta me semper humanitate virtantus amplecti perseueraueris, vt mearum omnium rerum patronus extiteris officiosissimus, vt vitæ dignitatisq; meæ rationem omnem fauore præsidióque tuo tuendam, iuuandam, sustentandam, ornandámque etiam susceperis; denique author fueris vt illustris adolescens Hippolytus, quem à summo Pontifice eius patruo mihi regendum, instituendúmque mandari procuraueras, me tandem egere vetuerit; vnde factum, vt aliquando me mihi asserere, & intermissa per tot annos studia repetere licuerit, quódque parturiebam opus absoluere demùm sperem, quod omnium meritorum maximum semper appellabo. Nam etsi alia periucunda sæpe mihi fuerant, nullum tamen hoc neque opportunius accidit, neque commodius. Cuius quidem consilij mei maiorem in dies singulos fructum voluptatémque percipio. Hinc enim euenit, vt multa in amicos, quos mihi paria literarum commercia conciliauerant, non obscura forsitan extarent officia, daretúrque interim occasio, vt meum summum erga te studium inciperem omninò patefacere, quod omnium maximè cupiebam. Parum enim existimabam talia mecum cogitasse, quæ menti semper firmiter inhæserant, nisi res ipsa aliquo, vtut fieri poterat, signo cæteris omnibus innotesceret. Visum itaque est vnum è commentarijs, quæ per datum à te mihi otium conscripsi, de mysticis Aegyptiorum literis tibi, si quid hoc ad rem facit, dedicare. In eo continentur Currus, Sella, & Fulmen. Sella, vt quies demùm aliqua laboribus detur tuis, quos vt Rempubl. Christianam plerisque locis conuulsam firmares, bonam orbis partem ambiendo, quæque vbique labefactata cerneres, prudentia consilióque tuo resarciendo tolerasti. Currus, in quo doctrinæ sapientiæq; tuæ sublimitas prouehatur. Fulmen, quod tuæ sit indicium claritatis & famæ. Dicent aliqui, impudenter à me factum, qui de picturis, de signis, de artificum operibus instituerim cum eo fabulari, quem consiliarium, quem socium, vbi arduæ quæque res inciderint deliberandæ, maximi quique principes sibi adsciscere contendant; agnosco quidem hanc culpam, & inepte feciſſe profiteor, qui te nugis his obtundere cogitarim: sed malui & à te, & ab alijs desiderari prudentiam meam, quàm nisi hoc qualecunque est, fecissem, memoriam, fidem, amorem, cultum & obseruantiam, officium denique ipsum forsitan exquiri.

DE

A

DE SEDE.

SVMMORVM Principum ornamenta, insigniáque & multa & varia fuisse alibi recensuimus, sed nullum vnquam sella sublimius, neque angustius, neque venerabilius habitum. Reliqua enim ad humanæ tantùm amplitudinis decus facere videntur, hoc ad diuinæ propemodùm maiestatis honores proximùm accedit. Quare minimè arbitror me operam elusurum, si multa, quæ de sellæ dignitate tradita sunt à Veteribus, in commentarium hoc collecta, si quis huiusmodi rerum cognitione delectetur, in promiscuo vsu fecero, meásque super his lucubrationes studiosis omnibus communicauero.

PERENNITAS.

PORRO perennitatis, æternæq; quietis hieroglyphicum esse sellam, plerisque locis toto opere disputatum est ex Ægyptiorum sacerdotum institutis, eoque præsertim loco, vbi sedentis Cynocephali significata percurrimus: sic enim cum statuebant, cùm Æquinoctij quietem æqualitatemq; describebant: quæ quidem necesse est ibi sit, vbi nihil subsultat quod alterum inquietet, sed omnia firma stabiliaq; in æquilibrio conquiescant. Quin etiam Veteres Deum infantili ætate, vtpote vnicum, atque perpetuum rerum omnium principium nullo conficiendum senio, inter lœti arboris ramos conquiescere profitebantur, vtpote qui diuinitatem ex ipso sedentis habitu internoscebant, quem nulla vnquam posset inquietatio sollicitare. Numa Pompilius Ioui flaminem assiduum sacerdotem instituit, cui præter alia ornamenta sellam etiam decreuit, & duos illi comites Martialem & Quirinalem. Quod verò ad firmitatem attinet, eiusdem Numæ præceptum fuit, vt post adorationem sederent, boni ominis causa, vt Plutarchus arbitratur, quòd scilicet preces esse B ratas augurarentur, Religionem hanc sella super, secuti plurimùm sunt Romani Principes. Hinc Macrinus Imp. cùm Bassianum Antoninum inter Diuos referri procuraret, tũ multa alia, tum præcipuè duas etiam statuas sedentes ciuili habitu illi decreuit, Diuos eos, ex eo quòd sederent, interpretatus. Nasamones autem, quòd ab obitu ad Deos euolare se arbitrabãtur, eò quòd fierent Diis ipsis propiores, cùm morituri erant, inter expirandum sedere, ac sedentes etiam sepeliri volebant.

Cynocephalis.

ÆTERNITAS.

SELLAM hanc æternitatis signum oculata fide perspicimus in numo quodam in quo Romę simulachrum est in sede cum ancili & inscriptione: ROMÆ ÆTERNITAS, cui scilicet Iupiter apud Virgil. fateatur nec metas rerum nec tẽpora posuisse, sed imperium sine fine decreuisse. Nam & ipsum Romæ vocabulum, nationes nõnullæ ex patriæ linguæ significatione æternitatem interpretantur. In numo cuius inscriptio est: CLOD. SEPT. ALB. AVG. idem simulachrum est sedens dexterâ genium porrigens, læuâ verò iaculum terræ affigens, cũ eadem Æternitatis inscriptione.

VESTA.

EADEM æternitatis significatio effecit, vt & Vesta per sedem exprimeretur, vel sella illi ante omnia dedicaretur. Iraque Diis reliquis apud Platonem, Phædro, duodecim ordinibus domo digressis, ac alatum Iouis currum subsequentibus, sola Vesta residet domi, eáque vbique sedens sculpi & pingi solita. Nam in Caligulæ numo gemmata sella sedens, dexterâ pateram porrigit, siniſtrâ contum terræ affigit, cum eadem inscriptione, VESTA. In alio Titi Vespasiani, ipsa eadem sedens cum conto, dexterâ genium sustentat: literæ, VESTA. In numo hoc inscriptio infernè, in altero supernè posita est.

Caligulæ numus.
Titi Vespasiani numus.

C

DIVVS.

EADEM species, vti superiùs de Bassiano dictum, relatum quempiam in Deorum numerum ostendit, quod ex inscriptione, quæ est, DIVVS, intelligitur. Numus est cuius inscriptio, DIVVS AVGVSTVS, ab altera facie, DIVA AVGVSTA, ipsa sella sedens conto innixa, dexterâ duas spicas porrigit. In Iuliæ Augustæ numo Dea signata est sella sedens, pinũ dextera prætendens, Leone accumbente: inscriptio, MATER DEVM. In Diuæ Faustinæ Piæ simulachrum muliebre est sedens cum lancea, signis antè affixis, quod pilam cui Aquila insidet porrigit, inscriptio, MATRI CASTRORVM. Nam M. Antonius eius maritus Faustinam subito morbo exanimatam, diuam à Senatu appellatam gratulatus est. Matrem verò castrorum ideò ipse vocitare solitus, quòd eam secum & in æstiuis habuerat.

Iuliæ Augustæ numus.

CVM verò proprium Deorum sit perpetua frui quiete, neque vllos humanæ vicissitudinis casus in posterũ expauescere, securitatem inuenias hieroglyphicè plurimũ sella compositam. In M. Aurelij Antonini Brit. numo dea sedẽs caput manu suffulcit, dextera radiũ tenet: quæ verò manus caput sustentat, eadem sellæ innititur. Inscriptio est, SECVRITATI PERPETVÆ. In altero Imp. M. Iul. Philippi Augusti, Dea sedens est, quę dextera sagittam tenet, læuam supra caput tollit innixam sellæ. Inscriptio, SECVRIT. ORBIS. In numo quodam Imp. Neronis Cæsaris Aug.

SECVRITAS.

P. M. TR. P. P. P. Dea sedens ara apposita, radium læuâ tenet, dexterâ caput ab occipitio sustentat, cum inscriptione, SECVRITAS AVGVSTI, quod mihi reducit in memoriam dictum illud: *In vtramque aurem quiescere.*

CONGIARIVM.

IAM & congiarium dari solitum simulachris tribus pro tribunali sedentibus, in numo Clodij Pupieni cernitur. Et in numo Domitiani COS. XIII. congiarium ipse sedens populo elargitur, cum inscriptione, LVD. SÆC. Ædes verò iuxtà sita est, & in tribunalis facie literæ appositæ sunt, S. V. F. P. D. quarum sententiâ ita reperi à nonnullis interpretatam: *Sedem vouit firmam primo decennali.*

ÆDITVMVS.

AEDITVMVM quoque significaturi sacerdotes iidem Ægyptij, hominẽ pro templi foribus in sede statuebant, eo amictum indumento, iisq; gestaminibus ornatum, quæ latè Eusebius lib. II. de præp. Euang. recenset, vbi templum Serapidis describit, & custodes hos ipsos pastophoros enumerat, à sacerdotali scilicet habitu sic cognominatos, à Latinis aliàs æditumos, quasi æditũ intumos, aliàs ædituos, à tuendis ædibus appellatos, vt apud Charisiũ est. Præuidit Dauides principes sacerdotum è Iudæis futuros, qui aduersus Christum insurgerent, cùm dixit: *Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta.* Nam & idem mos pro templo sessitandi, apud Hebræos etiam fuit. Sed cur ab Ægyptiis, à gentibúsve aliis exempla quærimus, cùm Diuinæ vbique literæ de throno Dei tam multa protulerint? Vidit enim Michæas *Deum Israël sedentem in sede sua*, & Esaias: *Dominum sedentem super thronum excelsum atque sublimem*, & apud Hiere. *thronus gloriæ, exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israël*, quæ quidem omnia firmum & stabile Dei significant imperium: &, vt inquit Adamantius, siue de Christo volueris ista intelligere, non peccabis: siue de Patre, non impiè senseris: est enim thronus gloriæ excelsus, & à principio, Assertor noster: propterea regnum eius & sanctificatio nostra Christus est, quia & ille sanctificans, & nos sanctificati ex vno omnes sumus. *Ideò verò eum sedere dicimus*, ait Euthymius, *quòd hinc Regiam eius dignitatem, stabilitatémque, & venerabilem iudicis auctoritatem imaginamur.* Ita sedere super sedem suam dicitur Deus, qui latè Dominus super omnes gentes regnat. Quin & malignus cùm Scythas, Turcas, & plerosque alios à Septentrione barbaros, alios impios, alios hæreticos sibi addicendos præsagisset: *Ponam*, inquit, *thronum meum ad Aquilonem*, inde enim mali genus omne, per tot ætates, per tot sæcula, inquietioris vitæ prouincias continenter effluxit. Cùm verò super Cherubim sedere ponitur Deus, intelligitur de summa scientiæ plenitudine, quæ tum Angelis, tum viris insigni pietate præditis superastitit, de qua Salomon Prouerbiis: *Anima eius sedes sapientiæ.* At scabellum à scamno sede diminutum, humilitatis & subiectionis, inquit Eucherius, indicium est, vt in Psalmo: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Accipitur & pro Christi humanitate, vt: *Adorate scabellum pedum eius.* Nam & pedes pro Filio ponuntur in Diuinis, sicut caput pater, de quo loco suo.

Thronus gloriæ quid.

DOCTRINA.

PLERISQVE verò hieroglyphicis cathedra doctrinę significatum habet, atque ita D. Hieronymus, & plerique omnes interpretantur locum Euangelicum: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Ita illud Psal. I. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, quod pro doctrina non sana interpretatur Euthymius, Hæreticorum ait Eucherius: beatique porrò illi habentur, qui pro sceleratis non steterint, & cum impiis atque peruersis minimè sederint. Quamuis pro pestilentia nonnulli accipiant, Derisores, & pro cathedra, societatem ponant: vt sit, neque commercium habuit cum iis quorum ingenium & doctrina omnis eludendis decipiendisq; mortalium animis exercetur. Quòd verò Paraphrastæ nonnulli scripserint, neque socius fuit eorum qui studio faciunt malè, multò minùs eò dementiæ peruenit, vt impostorum illi vita placuerit. Latinum est omninò: *Assidere cuipiam*, pro socium esse, vel similem, vel imitatorem. Hinc Horatius in Epistolis:

Parcus ob heredis curam, nimiúmque seuerus
Assidet insano.

hoc est, par, vel socius, aut similis est insano. Sunt qui cum superiore significato consentientes, per cathedram hoc loco perseuerantiam, & firmitatem in malis operibus significare velint. Nam desidere, vnde deses & desidia, contationem indicat huiusmodi.

Per cathedram quid.

CONSVLTATIO.

QVIN & consultationem per sessum ex Ægyptiaca doctrina significari manifestũ. Vulgatúmque apud nos illud de Romanis, Sedendo eos vicisse, quod ad consilia referunt eruditi, vt apud Plautum is, qui nimio plus sapere se sedentem asserit, & quod apud Maronem: *Turnus sacrata valle sedebat*, legitur, exponit Seruius, sedere, est consilium capere. Multaq; apud alios etiam in hãc sententiam. Non otiosè positum est in sacris concentibus, Psal. 49. *Sedens aduersum fratrem tuum obloqueris*, id enim καθεζόμενος indicat. Sedens, hoc est, consultò, non subita ira aliqua percitus, non dolore concitatus, non repentina aliqua re commotus, sed animo cõquiescente, & sponte de calumniis agitante, vel aliquid, quod obesse posset, excogitante.

CESSATIO.

NEQVE desunt, qui sedere pro cessare ponunt. Horatium secuti, qui de pusillanimo dixit:

Sedet qui timuit, ne non succederet.

Vti

AVti stare, ad expeditionem paratum esse interpretantur. Ita Maro:

-- Stat ferri acies mucrone coruſco, Stricta parata neci.

Ita pro deside sedentem, vel qui nihil attentet, intelligunt.

OPIS IMPLORATIO.

ILLVD non omiserim, implorantium opem fuisse morem apud hospites, quos adiissent, in foro sessitare, quod apud Alcinoum fecisse Vlyssem Homerus scribit, neq; dissimulauit Apollonius. Et Martium Coriolanum patria profugum, Actij Tullij Volscorum Principis supplicem factum, ad focum sedentem scribit Dionysius Halicarnassæus. De Themistocle quoque in exilium abacto, talia inuenies apud Græcos historicos.

ÆDILIS CVRVLIS.

ERAT verò sella eburnea proprium Ædilium Curulium hieroglyphicum, quod quidem quoniam aliis aliquot Magistratibus debebatur, animaduertendum apud Plutarchum in Mario, duos apud Romanos Ædilium ordines fuisse, quorum alter sella, quæ curuos pedes haberet, vtebatur, in qua sedentes ius dicebant, huicq; honori aderat Magistratus nomen. Inferiorem alterum Popularem vocabant. Quòd si quis à maiori honore decidisset, rursus ad alterius petitionem accedere consuerat. Pauloq; infrà, Marius cùm ad Herennium responderet, huiusmodi sellam ἐγκυλισθῆναι memorat, quæ cuiusmodi esset, in numismatis intueri licet: duæ enim huiusmodi causæ habentur super tribunali, in M. Plętorij Æd. Cur. numo, vt omninò inde qua fieri specie solerẽt sellę illæ, conspicuum sit. Magna autem ambitio Romanis fuit eburneis huiusmodi sellis ad clarissimos quosque Reges, quorum amicitiam sibi conciliassent, dono missitandis. Inter ampla quippe dona, quæ Masinissæ Numidarum Regi missa sunt, sella etiam Curulis fuit. Ad Syphacem quoque cum donis aliis sella missa, cùm is se Carthaginensibus inimicum, Romanis amicum per legatos professus esset. Et Ptolemæo Ægypti Regi, cùm legati ad commemorandam renouandamque amicitiam missi sunt, tulêre dona, togam, & tunicam purpuream, cum sella eburnea. Et Consules, cùm Magistratum inibant, in sella eburnea sedere solebant. Vnde apud Ouid. in Fastis:

Et noua conspicuum pondera sentit ebur.

Sed hæc missa faciamus, quę omnium sunt historiis peruulgata, in currúmque protinùs à sella ipsa insiliamus.

M. Plętorij numus.

DE CVRRV.

PROXIMVS ad sedẽ accedit currus, multis & ipse hieroglyphicis insignis, quæ commemorare infiniti propemodùm operis labor esset: sed enim ea tantùm recensebimus, quæ vel in numis, vel autorum de vetustate libris comperiuntur, & si qua facient ad pietatem, ea nequaquam dissimulabimus.

TRIVMPHVS.

SANÈ constat, apud Romanos & gentes alias currum Triumphi significatum habuisse, cuiusmodi victoriarum monumenta passim in numis, in aris, in arcubus conspiciuntur. Iis autem qui triumphassent, statuæ in curribus ponebantur, quæ ob id Triumphales appellatæ sunt. Earum verò statuarũ ornamenta erant, quæ Liuius enumerat, Corona aurea, sella Curulis eburnea, eburneus Scipio, rota picta, & palmata tunica. Sellam autem Curulem ea de causa dictam volũt, quòd curru honoris gratia soliti erant in Curiam vehi Senatores, qui Curulem magistratum, hoc est, maiorem honorem gessissent, in quo curru sella esset, supra quam considerent.

Statuæ triumphales.

AMPLIATOR IMPERII.

TRIVMPHALIS autem effigies Romæ iis omnibus decreta est, qui fines Imperij ampliassent. Augustus verò memoriæ Ducum, qui populi Romani Imperium ex minimo maximum reddidissent, proximum à Diis immortalibus honorem præstitit, itaque & opera cuiusque manentibus titulis restituit, & statuas omnium Triumphali effigie in vtraque fori sui porticu dedicauit, professus edicto, commentum id se, vt illorum veluti exemplar, & ipse dum viueret, & insequentium ætatum Principes exigerent à ciuibus.

MARITIMA VICTORIA.

IN numo M. AGRIPPÆ COS. III. ab altera facie Neptunus est, Equos agens flagello sublato, ipse currui cymbæ speciem præ se ferenti insistens. Cymba inter vtrumque Equum sita. In puppi eius nauigij auis est alis surrectis, quę Aquilæ speciem refert. Literæ, HIC OMNIPOTENS ÆCORIS. Vnde apud Horatium illud: *Suspendisse potenti vestimenta maris Deo*, vbi animaduertendum est C, literam apud nos ordine tertiam, pro Q, positam more maiorum, qui Q, literam olim excluserẽ, vt Velius Longus attestatur, neque à Nigidio Figulo in Commentariis suis vnquam posita est, teste Victorino. Numi verò huius species nimirum victoriam ab Agrippa contra Sex. Pompeium partam ostendit, quam Maro etiam celebrauit in Scuto:

Parte alia ventis & Dijs Agrippa secundis
Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora nauali fulgent rostrata corona.

M. Agrippæ numus.

Sunt etiam numi alij in victoriæ huius memoriam cusi, in quibus triremes tridentalibus rostris D præditæ conspiciuntur, vt tandem aliquando Virgilianum illud incolumitati suæ restituatur, *Rostrisq́ tridentibus*, de quo in iis quę circa Virgilianæ lectionis castigationem olim elucubrauimus, plerique dubitant.

IMPERIVM.

IMPERIVM autem, aut summam rerum, spectosioréque magistratus, aruspicina quoque per currum significauit. Nam Tarquinius, cognomento Superbus, cùm adhuc Romæ regnaret, & Iouis Capitolini templum penè absoluisset, currum quendam fictilem Thuscis quibusdam ex Veiorum gente fingendum locauerat, quem cùm iam confectum figuli in fornacem intulissent, non vt reliqua fictilia humore expresso exilior euasit, quàm impositus esset, sed fermentati panis instar intumuit, eóque magnitudinis concepto robore duritiaq́; increuit, vt vix sublato fornacis culmine, parietibúsque dissectis, educi potuerit. Consulti super hoc aruspices, responderunt, apud quos eiusm odi currus asseruaretur, felicitatem & imperium iis portendi.

NVPTIÆ.

EIVSDEM boni ominis causa, & aucupandæ felicitatis affectatione institutũ apud veteres erat, vt noua nupta curru vecta traduceretur, quod Hesiodus, siue is Aristophanes Grammaticus fuit, Scuto Herculis ita describit:

Τοὶ μὲν ἐπ' ἀστράγυς ἐπ' ἀπήνης ἦγον
Τ' ἀνδρὶ γυναῖκα, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει,
Hi curru inuectam geniali virginem amanti
Traduxêre viro, passímque Hymen Hymenæus *Excitus cantu.* E

Et ligneum spōsæ simulachrum Citheronis consilio fabrefactum, pro Asopi filia suppositum, & in curru constitutum ab Ioue reperias: quò Iunonẽ, quę diuortium fecerat, illuderet. Eo verò nuptiali curru tres tantùm vectari solitos, Sponsam, quæ sederet in medio, Sponsum, & Parochum, Pausanias tradit. Parochum eum nimirùm intelligens, quem nos hodie anuli maritalis Compatrem appellamus; *πάροχοι δὲ παράδοξοι παράπομποι, ἢ οἱ συμπορεύοντες τῇ νύμφῃ ὅπως τοῦ ζεύγους ἐν παράνυμφοι.*

TERRA.

QVOD verò Cybelem curru inuehi finxerunt, cùm eadem & tellus sit, terræ ipsius libramentum in aëre pendentis indicare Lucretius putat:

Hanc veteres Graiũm docti cecinêre Poëtæ,
Sedibus in curru bijugos agitare Leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes *Tellurem.*

Illud addam, ex iis quas rerum natura partes habet, vni illi veteres maternæ venerationis meritò cognomen indidisse, quando ita hominum illa mater, vt cœlum Deorum, habita est. Hæc nos nascentes excipit, natos alit, semélque editos sustinet semper, nouissimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater operiens. Quòd si quis causam quæsierit, cur turrito capite conspicua sit, eam Lucretius rationem in hunc modum expresit:

Muralíque caput summum cinxêre corona,
Eximijs munita locis, quòd sustinet vrbes,
Quo nunc insignis per magnas prædita terras
Horificè fertur diuinæ matris imago.

In editis enim & excelsis locis vrbes ponere antiquis mos erat, non tam alterius diluuij metu, qui F diu mortalium mentibus insedit, quàm vt difficilior hostibus accessus foret.

BATTI NAVIGATIO.

ERAT Delphis Batti effigies in curru, quem Cyrenenses dedicarunt, posteaquàm is nauibus in Libyam traiecit. Auriga erat Cyrenę: Libyæ verò capiti coronam imponebat. De Batto autem qui Thera insula pulsus, Apollin isoraculo in Libyam profectus, Cyrenaicis rebus originem auspicatissimè dederit, alio loco diximus copiosissimè.

CIRCENSES.

LVDOS Circenses per bigas & quadrigas, quæ tot numis signatę sunt, significari, satis omnibus innotuit, vniuersa Græcia cum Romanis eo spectaculorũ genere per multa secula detentis. Id autem honoris habitum aurigarum factionibus, vt in victoriarũ eorum memoriam numi ipsi & bigati & quadrigati cuderentur, de quibus in vita Veri apud Iulium Capitolinum legas, postulatum interdũ à populo Prasinianorum aureorum modium propter Equũ ex factione Prasina, cui Verus impotenter fauit. Vbi cauendum ne, vt aliquot habent codices, Parsimanorum legas, aut quid hac locutione corruptius: sed veluti Capitolinus à Veneto, Venetianum fecit, ita Prasinianum à Prasino deduxit.

AVRIGA COELESTIS QVIS.

IN COELO quoque Aurigæ species ostenditur, de quo ita Theon in Commentariis Arati: *Fabularum scriptores*, inquit, *Aurigam eum, qui cælo adscriptus est, imaginem esse dicunt Bellerophontis, vel Trochili, qui Callitheæ filius fuit: solenniáque huius rei sacra in Argis primum instituta, quòd primus iunxerit currum.* Sunt tamen qui putent Myrtili, sunt qui Cillantis, qui Pelopis auriga fuit, sunt

A sunt qui Oenomai figuram esse contendunt. Atque ita Græcia demum est in vnaquaque re contentiosa.

DIVINA MAIESTAS.

SED ENIM cur nos mortalium fabulas æquo curiosiùs prosequamur, cùm Deus Opt. Max. sua sc conspicuum authoritate nobis exhibeat? cuius summa maiestas, qualisq́; videri cœlicolis & quanta solet inuehitur curru, non eo inquam Platonico, in quo *ὁ μὲν μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεύς πτερὸν ἄγων ἅρμα πορεύει*, sed de curru loquor quem Hetruscorum monumenta obseruanda nobis vetustate ostendêre, quem ex Aramæorum arcanis profundissimæ doctrinæ vir Ægidius Viterbiensis in Circum ætate nostra primus induxit. Verùm super hoc quædam altiùs repetenda sunt. Aramæi vnum eundemq́; librum duas esse leges dixerũt: alteram scriptam, alteram à Deo Moysi traditam: illam populis, hanc sapientibus: illam prouerbij rerum humanarum, hanc lucis rerum diuinarum formam gerentem: in illa historiam orbis conditi atque administrandi, in hac formulam adumbratæ atque ad effigiem expressæ diuinitatis ostendi. Duo itidem Plato regna commemorat, Iouis & Saturni, regnúmque Saturni regno Iouis tanquam felicius anteponit: siquidem sub Ioue actio vitáque humana, sub Saturno verò contemplatio diuinorum significatur. De quorum temporum felicitate Platonicam ita sententiam Maro mihi videtur expressisse, vt cum Platone currum agitet ad palmam. Ait enim: *Currus Platonicus.*

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni,
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant, ipsáque tellus
B *Omnia liberiùs nullo poscente ferebat.* Mox de Ioue:
Ille malum virus, serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos iussit, pontúmque moueri,
Melláque decussit foliis, ignémque remouit:
Et passim riuis currentia vina repressit,
Vt varias vsus meditando extunderet artes
Paulatim, & sulcis frumenti quæreret herbam:
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem,
Tunc alnos fluuij. & quæ plurima de humanis ferè omnibus negotiis subsequuntur.

Hunc imitatus Naso, vtriusque regnum ita describit:

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem, rectúmque colebat:
Pœna, metusq́; aberant, nec verba minantia fixo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti. & quæ multa prosequitur.

Sed vt ad rem nostram conuertamur, vtrumque duobus nominibus appellat Hebræus, illud opus BERESCIT, ac creationis hoc opus CVRRVS, & arcanæ intellectionis. Legis igitur secundæ huius, quæ arcana est, per Messiam & suos aperienda, per speciem Currus apud eos conscribitur, *ἐσχατικῶς*. Currum hunc Ezechiel quatuor ex imaginibus excogitauit: vidit enim in diuina luce tanquam ideas quatuor, atq; iis veluti gemmis ac sigillis, formati à Deo sunt Angeli quatuor, omnium cœlestium mentiũ & Duces & Principes. A dextera Dei gemma ea prima est, vnde pulchra, grata lætaq́; omnia proueniunt: eámque vim Michaëlem vocant. A lęua gemma altera est, vnde fortia, dura castigataq́; manant, ea Gabriel nuncupata. Mixtum ex iis medicina & temperamentũ Raphaël. Quarto denique loco Vriel terræ proximus horũ trium veluti dispensator. Ita Michaël & Gabriel pro duabus rotis, Raphaël pro sella, quæ sit media inter rotas posita. Quarta Vriel pro axe, circa quem fabricæ huius est totius fundamentum. Duo illa priora nonnulli Brachia vocant: tertium & pectus & zonam: quartum tanquam vel pedes, vel pedum scabellum. Idcirco dictum aiunt de Imperio Romano Hierosolymę euersore: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Græca Theologia Michaëlis vim in Deo vocat Venerem, Gabrielem Martem, Raphaëlem Iouem, cui sella propriè dicata est: & Solem quartum, fœminæ marisq́; vim habentem, omnis planè generationis initium, & Vrielem nominat & Adonin Hebræus. Orpheus ea quatuor vno refert versu, quòd mas, quòd fœmina, quòd rerum genitura, quòd Adonis: *Currus Ezechielis.*

Κέρη τε κόρε σὺ πᾶσι θεὸς ἐν ἄδωνι.

Vt non ita commentitia esse videantur ea quæ Plutarchus de Bacchi cultu apud Iudæos obseruauit, & in Symposiacis latè disputauit. Eorum enim scenopegia in Bacchi celebritatem fieri putat, Adonimq́; & Bacchum eundem esse. Rotis quatuor, siue gẽmas, siue currus ipsius partes, aut membra libeat appellare, quinto adiiciunt loco Nurielem tanquã temonem, cui alligatus trahitur currus. Atque quinque hæc diuini currus nomina alto mysterio vna locutione scribũtur in Canticis. eam nostri ascensum purpureũ interpretati sunt. Salomon scribit currum hoc modo: ARGAMAN. Prima litera fit Vriel, per A, enim illi scribunt. Sequenti R, Raphaël. Tertia G, Gabriel. Quarta M, Michaël. Quinta N, Nuriel. Neq; sum nescius, Hebręorum quorundam iuniorũ super Angelis, Pla-

netísque & signis, quibus imperitent, commentationes longè diuersas esse, aliteréq; tradi in diuinis illis supplicationibus, quæ secundùm doctrinam Cabalisticam institutę dicuntur: cæterùm
Michaël Astrologos hi potiùs quàm Theologos secuti mihi videntur, qui Michaëlis in Deo vim ita interpretantur, vt numen incõparabile significare dicant. Vnde illud in Psal. citant: *Deus quis est similis tibi?* Mercurium è Planetis huic ministrum esse, fandi & agendi potentem, diuinæq; & humanæ naturæ totius interpretem: cuius lætiores receptus sint, siue (vt Græci dicunt) οἰκοδεσπότας, è cœlestibus signis Gemini atque Virgo: huiusmodiq; genio die quarta preces allegandas. Et nostri Michaëli munus illud attribuunt, quod Mercurio Græci veteres, qui scilicet animas cœlo inferat, atque alias sub tristia tartara mittat. Ad hæc trutinam in manu eius statuunt virgæ loco, vtpote qui merita inquirat, bona malaq; compenset, proindéque vtut quisque apud superos vixerit, aut pœnis, aut præmiis afficiatur. Sed antequàm à Michaële discedamus, quamuis cuipiam κατὰ παρεργον dictum videatur, præterire nolo id quod Rabi Tedacus Leui lib. de duodecim numerationibus ait, Michaëlem Occidentali vento præpositum, vt magna mihi de causa institutum à Gallorum pietate videatur, quod ad nostra tempora magno cultu perdurat, honoratissimum or-
Gabriel. dinem cohortis Regiæ D. Michaëli dicatum esse. Sed vt reuertamur, Gabrielem isti Deum fortem interpretantur, minoris tamen cuiusdã fortitudinis esse. Lunam è Planetis huic ministrare, cuius
Raphaël. gratissimum hospitium Cancer esse perhibetur, secundaq; illi die supplicandum. Ex Raphaëlis nomine atque vi, rerum aiunt omnium medicinam emanare. Esse hunc Solem ipsum, qui & Phœbus. Nam is apud Ouidium dicit: *Inuentũ medicina meum est.* Leonis vnius domicilio gaudere: prima illi die vota concipienda, nuncupandáque. Ac, ne Apollinis & Æsculapij fabulas irrideamus, Iouis filius Apollo censetur, huius verò Æsculapius: ipsa nimirùm Theoretice, quæ intellectum E
illuminat, Apollo est, Æsculapius ars ipsa. Vnde Maro:

Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.

Ars igitur Æsculapio attributa, per quam bona cõparatur valetudo, vtpote quæ in curatione ipsa
Zamaël. versetur. Est & Zamaël, cuius munus vlciscendi, venenaq; dispergendi esse perhibent, vberrimę illi bonorum omniũ largitioni semper oppositus. Martem hunc esse Græci volunt, Arieti &
Nanaël. Scorpio præfectum: tertia illi die preces faciendas. Nanaëlem mox enumerant, in nomineq; id esse significatum autumant, vt Deum benignè nobis omnia respondere, ac omnia ipso horreo mortalibus elargiri interpretentur. Esse hunc Venerem, qui Tauro Libraq; delectetur: sexta illa die sup-
Zadchiel. plicandum. Zadchielem inde deprehendêre, qui Dei iustitiam, & quintæ diei sacrificia, precesq; procuraret: vnde nonnulli quinarium iustitiæ dedicarint. Esse hunc Iouem, nam vt Maro: *Rex Iu-*
Caphziel. *piter omnibus idem.* Isq;, vt illi commenti sunt, Sagittario atque Piscibus præficitur. Caphzielem demùm septimæ lucis curam gerere, eaq; mortalium preces sibi deposcere. Ab eo vim frigidam emanare, qua scilicet singula in inferiori mundo concreta condensentur. Nam vti calidi est dissoluere atque rarefacere, ita frigoris est solidare coagularéque. Saturnum hunc nostri vocant, qui Capricornum & Aquarium sedes habet. Sedenim vt in curru satis expatiati, metámque ipsam ritè circumuecti, eõdem, vnde cursum auspicati sumus, reuertamur, id aliqua egere videtur elo-
Platonis cutione, quòd à Platone regna duo posita diximus. Is siquidem multò antè tempore præsagisse
regna duo. videtur, quæ nunc demùm speramus euentura. Mundi circuitũ is ab Oriente ad Occidentem Iouis esse, ac perinde Fatalem dici. Appariturum verò olim alterum sub Saturno huic oppositum, ab Occidente scilicet Orientem versùs, in quo sponte nascantur homines, & à senio in iuuentutẽ regrediantur. Id ita Platonici interpretantur, vt Iouem mundi animam intelligi velint, cuius lege fatali manifestus hic manifesti mundi ordo disponatur. Prętereà animorum vitam in corporibus concretis ab Ioue esse, sensibusq; & rerum agendarum studio deditam. Saturnum verò supremum inter Angelos intellectũ, cuius radiis animi etiam vltra Angelos illustrentur, accendanturq; & ad intellectu pollentem vitam continuè pro viribus erigantur. Quæ quoties ad vitã huiusmodi conuertuntur, sub regno Saturni agere creduntur. Sub Ioue verò, cùm rerũ humanarum negotiis implicantur. Plotinusque regnare nos ait sub hoc vel illo, prout secundum hunc vel illum egerimus. In hac autẽ vita sponte regenerari dicimur, rursumque iuuenescere, ac in dies magis efflorescere, cùm sana bene institutæ mentis optione ad meliora contendimus, de quo Paulus Apost. *Homo interior renouatur in dies.* Atq; passim in Diuinis literis de iuuentute nostra, quę sit vt Aquilę renouãda Quòd si vllo vnquam tempore spes affulsit vt mortales hæc essent consecuturi, nunc sperandum maximè, cùm eorũ omnium ingenia, quę aliquem verę lucis fulgorem consecuta sunt, maiorũ nostrorũ errores, qui tot annos vni tantùm sensui adhæsêre, deprehendere iam incœptarũt, omnémque studiorũ suorum conatum ad veritatem ipsam conuertere, sanctioresq; disciplinas adamare. Adiuuant insuper hanc proborum hominũ voluntatem, sanctissimorum autorũ scripta, lucubrationesq; & documẽta, quæ de vetustatis eruta voraginibus quotidiè prodeũt in lucem. Et iam illemmimè

A minimè censetur eruditus, quantumlibet Græcè, Latineq; sciat, qui Iouem scrutaturus cœlestem non insiliat in currum, qui sacra non attigit, qui diuina non est imbutus disciplina, qui Christum atque adeò Christianæ institutionis volumina non assectatur, quid mysteria sibi velint, non exquisierit, quáque ratione Deo animum asserere possit, inspicere neglexerit. Verùm ille omnium optimè peritus, qui lutosas, fæcéque conglutinatas alas in profluente puriter abluerit, perpurgauerítque, à terráque sublatus cœlestium Circensium pompam comitatus eò peruenerit, vbi sparsas manu veri Iouis fruges donariáque percipiat, opiparéque & ipse & iugales excepti, amœnissimi lautissimíque diuersorij otio perfruantur: quod qui fecerit, dubio procul intelliget reliquas doctrinas omnes, studiáque omnium reliqua, nihil aliud nisi summam esse vanitatem.

DE FVLMINE.

NOVEM igitur in alta sede conspicuum alato inuecti curru consecuti sumus. Quò verò eum esse Iouem agnosceremus, nullum manifestius signum fuit quàm fulmen eius manu prætentum: quare cùm id gestaminis ad Iouem præcipuè pertineat, non secus ac sella, de fulmine dicere minimè alienum est ab instituto negotio futurum.

IVPITER.

OMNIBVS vtique vulgatum est hieroglyphicum illud: *Fulmen supremi Iouis gestamen esse.* Sed vt nunc fabulas dissimulemus, veram figmenti causam afferamus, siquidem hoc ipsius fulminis naturam exprimere videtur, quod quidem ita fit. Calor interdum per refrigeratum à ventis aëra *Ioui cur datum fulmẽ.*
B conspersus, vbi contrariæ naturæ viribus solicitari cœpit, sese in globum colligit, & aduersus algorem validissimè reluctatur: vrget algor ventis ingruentibus, ille sese magis ac magis adstringit, quoq; angustiùs premitur, eò validior euadit, ac simulac extremam intentari sibi vim intelligit, totis erumpit viribus, crassioreq; aëre, qui circumfusus est, disrupto, viam sibi cum strepitu & incendio patefacit. Suprema verò illa pars elementorum, vnde calor emanat, cùm Ioui sit attributa, ideò illum vetustas fulgura & fulmina ciere confinxit. Signaq; Iouis passim cum fulmine fieri consuerunt, cum vno quidem frequentissimè: sed & cum duobus fulminibus aliquando Ioui statua posita est, vt apud Elidem Olympiæ Iouis Horcij nuncupata: ea quidem seuera minaciq; effigie, vtraque intenta manu fulmina tenebat, iuxta quam pugiles in certamen descensuri super mactati Porci exta iurabant, nihil se dolo malo facturos, aut secùs quàm Olympię leges paterẽtur ausuros.

FAMA LONGE LATE'QVE PROPAGATA.

ILLVD verò præcipuum fulminis significatum est, vt vocem procul auditam, hoc est, famam re- *Varia fulminis significata.*
rum gestarum longè lateq; per immensa terrarum spatia diffusam expatiatamq; præ se ferat. Transit & illustrem præclari facinoris memoriam, in longam annorum seriem propagatam. Ægyptij enim sacerdotes huiusmodi gloriæ amplitudinem ostendere si vellent, Vocem, vt ipsi dicunt, aëris quippe tonitrum, hoc est, ipsius fulminis imaginem describebant. Nihil enim magis, nihil validiùs nec terribiliùs tonitru sonare constat. Eaq; de causa Apelles pictor, (vti in Armorũ commentario diximus) cùm Alexandri effigiem pingeret, fulmen in eius manu posuit, quo nominis eius amplitudinem ex rebus ab eo gestis longè lateq; propagatam, & memoria nunquam intermoritura celebrem indicaret. Posita ea tabula (vt Plin. ait) in templo Dianæ Ephesiæ, 20. talentis auri
C picta. Eo verò artificio fuit, vt digiti eminere viderentur, & fulmen extra tabulam esse. Sedenim Lysippus statuarius factum vt adulationis plenum improbauit, quare hastam ipse in manu Regis posuit: qui quidem, si vera quis de Alexandro, non fabulas conscripsisset, famam eius ne vna quidem ætate superfuturam iudicaret, nedum id assequi meritus sit, vt diuini honores ei decernerentur, datis ad Græcię ciuitates literis, vt se decreto publico Deum instituerent. Ea res cùm matrem Olympiam etiam offendisset, magnę integritatis fœminam, Rex ipse vt incœptũ excusaret, & institutum suũ approbaret, insigne volumẽ ad matrem suam conscripsit, vt apud Cyprianũ legi, quo rationes multas ostendit, Regibus suis Apotheosin decernere, atq; hinc maiorũ Regum memoriã seruari, indeq; colendi & sacrificandi ritum inoleuisse. Sanè quidem Athenienses ipsi, qui doctrina & sapientia semper insignes habiti sunt, cùm XII. tantùm Deos anteà colerent, Alexandrum tertiumdecimum appellauêre, honoresq; illi adhuc viuenti instituêre, qui tamen vulneribus sæpè confossus, morbisq; tentatus, ac postremò vita functus, se mortalẽ ostendit, qui Deorũ interim concilio adiectus erat. Quare Lacedæmonij literis acceptis, argutè libereq; admodùm more suo responderunt, ἐπεὶ δὴ Ἀλέξανδρος βέλει Θεὸς εἶναι, ἔστω Θεὸς, *Quandoquidem Alexander vult esse Deus, esto Deus*, quo decreto id declaratum voluêre, nullam aliam fuisse causam, neque meritum aliud cur Deificatio esset Alexandro decernenda, nisi quòd ipse ita vellet. Cæterùm is qui adhuc viuens, diuinis honoribus inhiabat, ne communibus quidem post obitum iustis honestabatur, ad grauissimam vsque Olympiæ matris lamentationem. Peruulgatum tamen apud multos populos & nationes fuit, Reges suos, vt nuper dicebamus, pro Diis colere. Nam & Romani non tantùm Reges plerosque suos, verùm etiam eorum vxores Diuinis honoribus honestarunt, & nonnullis templa, & sacra etiam instituerunt. Quantũ verò pertinet ad fulmen, eò tolerabiliùs

id Alexandro concedendum, quò insolentiùs Lysimachus ab Alexandri morte particulam eius D regni sortitus, non quam armis virtutéve vlla sua subegisset, sed ex Regis tabulis adeptus esset, lãcea cœlum tangere se iactabat: quod tantundem erat, ac si famam astris terminare se diceret. Qua de causa Pasiades Byzantinus hominis vanitatem irridens, ad suos conuersus ait: *Cauendum ne is lanceæ mucrone cœlum medium pertundat.* Quodq; impatientiùs aliquis ferat, Clearchus Heracliæ tyrannus fulmen gestauit, & ex liberis vnum tonitrum appellauit. Quanta verò Cliti, quanta Demetrij fuit insolentia, quorum iste non magna admodùm regni parte ab Alexandro accepta, Iouem se vocari passus est, responsa sua pro oraculis haberi gauisus: ille quatuor ad summum nauibus demersis, Neptunus vocitari voluit, tridentemq; gestauit? Vt minùs iam Salmonea miremur eò prouectum insaniæ, vt flammas Iouis, & Olympi sonitus imitaretur. Nam, vt apud Maronem:

Quattuor is inuectus Equis, & lampada quassans,
Per Graiûm populos, mediaq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, Diuúmq; sibi poscebat honores
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simularat Equorum.

Fabula. Longè verò feliciùs atque tutiùs Numa Pompilius eliciendorum fulminum rationem inuenit. Nam cùm quædam occulta sacra ad fulmina expianda noscere cuperet, Egeriam consuluit, quæ respondisse fertur, vt Auentinum peteret, & fontem, qui in antro quodam erat, melle & vino generosiore inficeret, quò solebant hora certa Dæmones duo sitibundi conuenire. Hi erant Picus & Faunus. Curaret verò ille sibi latebras, in quas abditus ab aduenientibus illis non conspiceretur, ipse tamen fontem intueretur, disponeretq; per fontis marginem retia, prout opportunum sibi E videretur. His peractis Dij venerunt, & potus allecti suauitate multum ebiberunt: tandem sopore grauati, ibidem, vbi constiterant, somno se prostrauêre, quos ita grauatos Numa implicuit in rete, qui videntes se captos, in varias se formas transformabant. Sed cùm nihil quicquam proficerent, ad veras tandem effigies redière, Numamq; vt retia solueret, orauerunt. Rex se non priùs retia soluturum dixit, quàm de placando Ioue docerent. Illi & hoc docuerunt, qua scilicet ratione cœlo Iupiter eliceretur, quoq; modo fulmen expiaretur. Vnde Ioui elicio nomen datum, cuius templum in Auentino positum, vbi res hęc contigerat. Scio fabulam importuno loco positam, sed quia non ita vulgata est, minimè fuit dissimulanda. Ne verò nos alienæ gloriæ detractoribus fauere videamur, Alexandro fulmen meritò attributum dixerim, ea de causa, quòd annos vix tres & triginta natus, celeritate mira Orientales ferè omnes nationes subegerat, & Oceanum ipsum enauigauerat, vt non immeritò Cęsar, qui pari saltem animo ad eam rerum amplitudinem adspirabat, cùm Gades venisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuerit, atque (vt Tranquillus ait) pertæsus sit ignauiam suam, quod nihil tum à se memorabile actum esset in ætate qua iam Alexander orbem terrarum subegisset.

CELERITAS.

EST enim fulmen ante omnia velocissimę omninò celeritatis indicium, quam Poëtæ cùm volunt exprimere, dicunt, *fulminis ocyor alis.* Idem ex antiquorum numis manifestum est: vt in eo cuius inscriptio est, Q. PILIPVS, Equus habetur in pernicem cursum admissus, cauda exporrecta, fulmine subsequente, lancea protenta, quod innuere videtur, prouinciam susceptam summa celeritate peragratam, negotiumq; quàm ocyssimè confectum. Nam & Ptolemęus, vnus ex Ægy-F pti Regibus, promptitudinis & audacię causa περαυνὸς appellatus est, ait Pausanias. Facit huic rei fidem numus alius, in quo caput humanũ est, Capreę coopertum spolio, sub cuius iugulo fulmen est, & arcus ab occipitio: ab altera verò parte Pegasus, cũ sagitta subiacente, omnia vti palàm est, velocitatis indicia, cùm præsertim inscriptio sit, L. PAPY. De quo quidem Papyrio, qui ob mirificam in agendis rebus festinationem atque celeritatem, Cursoris cognomentum meruit, multa rerum scriptores memoriæ prodidére. Equorum porrò velocitatem in Curuli certamine fulguri comparat Hesiodus Herculis Scuto, vbi dicit:

ὅπποι δ' ἱππείοις ὀχέες ἐπιβεβάασιν ἅπασιν ἴσῃ ὠκυτητῇ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.

Quem Statius secutus ait:

Iisdem, igne Iouis lapsisq; citatior Astris.

Et inferiùs idem Hesiodus de Equis in cursum à Pallade concitatis:

Τοὶ δ' ἄμοτοι προγένοντ' ἴσηλοι πυρὶ καὶ θοέλλῃ.

Quod proximè accedit ad Papinianam sententiam.

CELEBRITAS.

IN Augurali disciplina fulmen tam in publica quàm in priuata opera vibratum, atq; etiam per nocturnam imaginem in somniis visum, celebritatem nominis, & magnarum rerum auspicia facit. Nam Olympiæ Alexandri fulmen per somnium oblatum, futuræ in filio claritatis indicium fuit. Illa enim priori nocte, qua se viro adiunxit, existimauit facto tonitru in vterum sibi fulmen illabi, ex cuius ictu magno excitato incendio, in flãmas inde latè diffusas abire visum. Quid verò hîc memorẽ Iuliæ filiæ Cęsaris monumentũ ictum fulmine? Quid Euripidis Poëtę Tragici, atque

A atque Lycurgi sepulchra de cœlo tacta? Quid Veliternum murum? Quid Eutimi Pictæ, aut Horatij Coclitis, aut Probi Imperatoris, aut Taciti & Floriani statuas eodem modo afflatas? quæque huiusmodi exempla plurima declamatione, quam olim de fulminum significationibus edidimus, explicata sunt, quorum significata in hanc nominis amplitudinem accepta, tam Aruspicum responsis, quàm euentis posteà comprobata reperiuntur.

ELOQVENTIÆ VIS.

QVOD verò de claris Eloquentia viris dictum, vt de Pericle & aliis reperimus apud antiquos, eos ciere tonitrus, & fulgura dispergere solitos, cùm orarent, tanta erat animorum percussio & in dicentium sententia motus, tanta verborum autoritas, de sacra dubio procul lectione metaphoram sumpsêre. Psalmo enim 100. supra quartum & trigesimum canitur: *Educit nubes ab extremo terra, fulgura vertit in pluuiam.* Vbi per nubes viri sancti intelliguntur, per fulgura verò persuadendi vis, per pluuiam eloquentia: de quo plura alibi. Et quod alibi Dauid: *Vox*, ait, *tonitrui tui in rota*, eo hieroglyphico significat Euangelij voces, quæ de cœlo diuinitùs intonaturæ essent, & vniuersum terrarum orbem (id enim rota est) commoturæ attonitumq; reddituræ. Eodem modo per fulgura verba Christi signari tradit Eucherius, eoq; spectare Psalmi dictum: *Et fulgura multiplicauit & conturbauit eos*, de Iudæorum confusione, qui ei nulla in re vnquam resistere potuerunt. Et Hieronymus primis Hebręorum castris, *Rameſcn*, tonitrui gaudium interpretatus, diuina verba, & quæ voces sunt in sacris literis, per tonitrum accipi docet, quòd cælitùs editæ excipiantur. Fulminis verò radij descripti, quæ ipsæ coruscationes sunt, ad eiusdem Euangelij pertinent claritatem & famam, de quibus Psalmo: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terrarum.*

B

CLEMENTIA.

IN Antonini Pij, atque etiam in aliquot Neruæ numis cernere est fulmen in toro collocatum, quod manifestum & pulchrum admodùm est clementiæ signum: arguit enim offendendi potestatem penes ipsum Imperatorem esse, verùm ob eius clementiam quiescere: quod perinde est atque illud, quòd Apum regem aiunt aculeo quidem præditum esse, verùm eum in vulnus nunquam exeri. Primam verò huius virtutis laudem ætate nostra tulit Iulius Medices Princeps noster, qui simul ac bonorum in eum studiis inclinatis Pont. Max. electus atque salutatus est, omnium statim, & earum quidem atrocissimarum iniuriarum oblitus, iis omnibus cuestigiò pepercit, quos aduersarios habuerat iniquissimos, quos hostes totius vitę cursu perpessus erat infensissimos, quíq; non bonis tantùm & fortunis eius, sed & vitæ modis omnibus insidiati sæpiùs fuerant. Quare Clementis nomen, vt tantæ mansuetudinis pignus, perpetuumq; monumentum, assumpsit: ita summa totius vitæ moderatione conseruauit, réque probauit, vt Christianum demùm Pontificem mortales intueri se profiterentur. Sedenim cùm nobis de tanti Principis laudibus loqui non liceat, qui eius auspiciis annos aliquot in hominum luce versati sumus, negotium aliis relinquemus, eam fuisse nostri Principis clementiam professi, vt vel hostes ad eam æternis literarum monumentis celebrandam impulsura sit. *Iulij Medicis clementia.*

C

PIERIVS VALERIANVS AD IOAN. BAPTISTAM MONTANVM, DE IIS QVÆ PER SOLEM, Lunam & Stellas significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XLIIII.

SCRIBIS, *Clarissime vir, vidisse te lemmata quædam mea in breue admodùm compendium redacta, Hieroglyphicis quæ per Stellas apud Aegyptios sacerdotes, in doctrinarum suarum arcanis habentur: quod vt ad se mitterem Reuerendissimus Cardinalis vtriusque nostrûm alumnus Hippolytus Medices, tantopere flagitauerat. Addis insuper, cognouisse te rei isiusmodi argumentum non in ea tantùm schedula contineri, sed à me longè copiosius conscriptum. Rogas itaque, vt rei totius Commentarium ad te mittam. Nam quicquid erat, ad figurarũ tantummodò formam spectabat, quibus pictor uteretur in Iulio illo sidere adornando, cuius celebritatem Hippolytus ipse tanto studio fouet. Nimirum video te, Montane eruditissime, Leonem ex vnguibus æstimare voluisse: at in re mea non Leo, sed Musculus continetur, qui se olim apud Mythologos pro Leone ausus est venditare. Quantulumcumq; tamen id sit, quod ego præstare potuerim, officij mei fuit, omni posthabita cunctatione, obsequi viro, tum à primis studiorum nostrorum annis amico, tum ætatis totius demũ cursu mihi semper admirando, tam in Philosophiæ, quàm artis Medicæ peritia, quàm etiã in cultioris eruditionis elegãtia, seu Græca, seu Latina, quis posset, politissimo. Accipies igitur Stellarũ hieroglyphica, prout*

à me

à me fuerunt interpretata. Sed nosti Stellas sine Luna desolatas quodammodo videri. Nam quò illæ rerum quæque D *suarum semina conspergant, nisi in Lunaris orbis paratissimum,vt ita dicam,horreum condantur,quæ postmodum illa quasi sequestra terris demum indulgeat, aut potiùs vberrimè largiatur? Sed neque Luna neque stellæ sine Sole sui compotes esse possunt:quare Sol quoque his adnumerandus, imò anteponendus. Ridebis,scio, non erubescere me, quòd ausus sim de Sole,de Luna, de Stellis apud talem tantumq; virum totius Encyclopædiæ decus & ornamentum verba facere: sed id me cõsolatur,quòd tu, vt hæc ad te darẽ,iusseris:quare si quid hæc attulerint tædij vel molestiæ, vni tibi qui crabrones irritaris imputato. Vtcumque,si leges hæc quæ sunt per nos in vnum veluti corpus hinc inde collecta, opto non ea tantùm quæ me longè accuratiùs legeris, in memoriam tibi reducant, verùm etiam te Pierij tibi deditissimi memorem assiduè faciant.*

DE SOLE.

COelestivm corporum quæ die nocteq; micant, significationes dicturi, rationi consentaneum esse duximus à Sole ipso dictionem auspicari : quando nisi Sol esset,neque Luna, neque Stellæ vllæ conspicuæ essent, vt doctrina est Astronomorum, & res ipsa indicat. Cùm itaque Sol reliqua huiusmodi corpora lumine illustret suo, nostriq; videnda oculis offerat,ab eo, vtpote lucis arbitro, initium meritò faciemus.

DEVS OPTIMVS MAXIMVS.

THeologi tam vetustæ Religionis,quàm nostræ pietatis interpretes,Deum Opt.Max.& vnũ & lumen,& bonum appellauerunt.Eáque ratione Sol cùm sit vnus,vnde illi nomen,quippe à solitudine:sit lumen,vt sensu manifestum est:sit bonus,vt quotidiano cernitur experimento, Dei ipsius hieroglyphicum,nullo alio signo addito,perhibetur.E profano verò cultu ante omnes Per- E sæ,reliqua Deorũ omnium,quam gentes ipsæ venerabãtur,caterua reiecta, Solem Deum esse vnicum arbitrabantur,ita vt nulla Diis templa condenda esse crederent,ea inducti ratione,quòd vni Soli,quem colerẽt,vix mundus ipse sufficeret.Pythagoras tanta eum veneratione prosecutus est, vt aduersus eum nefas esse dixerit lotium effundere,vtpote quem omni cultu dignũ arbitraretur. Et Hesiodus præceptum hoc summa religione obseruandum adhortatur.Omninò autem Gregorius Theologus id esse Deum dicit inter intellectuales creaturas (his enim locutionibus vtuntur qui diuina tractant) quod Sol inter sensibiles. Quæ verò de Solis similitudine cum Deo referũtur à Ioanne, à Paulo, ab Hierotheo, absolutissimè verò à Dionysio,qui horum documenta literarum monumentis quàm diligentissimè commendauit, cùm ea quotidiè per templa scholásque omnes commemorata recitentur, ea hîc ego duxi prætereunda, Phœnicum interim & Ægyptiorum inuentis gratulatus,qui primi omnium,vt Euseb.memoriæ proditum ait,Solem & Lunam & Stellas ita esse Deos intellexêre, vt eos tantùm gignendarum abolendarumque rerum omnium causam affirmarent,quod iis congruit,quæ Plato Legum XII.de Parcis philosophatur. Nam & Anaxagoras Solem μυρὸν esse,hoc est,ferrum candefactum,arbitratus est,atque ita omnia ex eo gigni conformaríque affirmabat.Ferrum enim ita dispositum, in quod volueris opus informabis. Magnificentiùs Euripides Anaxagoræ discipulus, cum eodem sentiens, Solem Auream glebam appellauit. At Socrates apud eruditissimum optimúmque Xenophontem eos reprehendit, qui Solem Deum posuêre,luménque eius & formam ad Deum Opt.Max.refert, quòd omnis eius potestas & magnitudo à Deo sit, à quo vnà cum Luna fuerit creatus. Eáque ratione reprehendit & Homerum,& cæteros omnes,qui Solem vnicum esse Deum crediderunt. F

VNITAS.

SI quid autem est in rebus, quæ nostris obiiciuntur oculis,quod vnitatẽ significare possit,nempe Solis est : id quod, vti dicebamus, locutionis etiam etymon attestatur,à solitudine deductum, siue potiùs à Sole ipso fiat solitudo. Sapienter itaque Alexander Macedo Dario amicitiam petenti respondit, nec mundum duobus Solibus posse regi, nec duo summa regna saluo statu terrarum haberi posse,quam sententiam ex Aristoteleis Ethicis sibi desumpserat,qui discipulo adulaturus,tum hæc,tum illam præcipuè Homeri sententiam prætexerat :

Dictũ Alexandri Macedonis.

Οὐκ ἀγαθὸν πολύκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς.

Quòd verò Solem in rebus egregiè vnum esse dicebamus, extra res Deus quoque vnus, & τὸ ἑνὸς cognomento ab Orpheo,à Platone,& à nostris agnoscitur.

VERITAS.

ET qua ratione Sol vnus est, eadem est veritatis hieroglyphicum, duplicia enim & multiplicia sunt veritati contraria.Simplex igitur sit,necesse est,quod verum cẽseri debeat. Hinc nudum effingitur ipsius veritatis signũ:& quia omnia habet in conspicuo,ex eo præcipuè veritas est. Hinc Pythagoras πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον,quempiã loqui non debere monuit,facie scilicet contra Solem versa,q; non esse manifestis repugnandum significare contendunt,neq; hominem loqui ferè posse, quòd vndecumq; verum sit,cùm omnem hominem diuinæ literæ mendacem esse dicant. Sanè de iis quæ liquidò patent,apertámque in se continent veritatem,dici solet : *Meridiana esse luce clariora.*

Imago Veritatis.

CHRISTVS.

AT sacræ passim literæ CHRISTVM per Solem imaginari tradunt, vt illud:*In Sole posuit tabernaculum*

A *bernaculum suum.* &, *Exiit de tribu Iuda cuius signum est Leo Solare animal.* Plato in Repub.vt solet mysteriis suis inhærescens,& Prophetarum,quos adiit,& audiuit, oracula depromens, Solem visibilem Dei filium appellat,quippe qui Deum ipsum exscribere non audeat,& à quoquam fieri posse diffidat. Atque identidem intelligendum,quòd vbique Christus ipse profitetur hominem imaginem esse inuisibilis filij,qui si lux est vera,quæ mentem omnem illustrat, expressissimum habet simulachrum hunc Solem,qui est lux imaginaria illuminans omne corpus. Hinc patiente Christo aduersa Luna deficiens, consensum nobis suæ naturæ perspicuè commonstrauit,nosq; iure optimo diem,qui Soli à Mathematicis adscribitur,eum Domini vocitamus,& eius cultui sacrum dedicamus,vel hinc ostendentes non esse cur amplius corporeum Solem, vt olim Gentes,colamus, quasi Regem cœli,& dominum,atque moderatorem,posteaquàm Sol inuisibilis,coæternus Patri, & coæqualis,per quẽ & cœlum & terra condita sunt,situs in vmbra mortis homines illuminauit, estq;, vt cum Simeone absoluam, lumen, quod è gentium oculis tenebras discutiat, & electo populo gloriam afferat, nullo vnquam tempore defuturã. In aliquot antiquorum numis cernere est humanum caput radiis circumquaq; diffusis, cuius inscriptio est, ORIENS. Siue igitur pro Sole, siue pro regione,vnde Sol oritur, imago ea recipiatur, vtroque hieroglyphico Christum referre videbitur, de quo Zachar.Propheta : *Ecce vir,* ORIENS *nomẽ eius, qui dominaturus esset super solio suo.* Alter quoque Zachar.antiquum hoc dictum attestaturus: *In quibus nos visitauit,*ait,*Oriens ex alto,vt eos qui sedent in tenebris & in vmbra mortis illuminaret.*Idcoq; tam vox,quàm imago Orientis, Assertorem nostrum significat, ait Eucherius. Exorientis autem Solis imago altera erat apud Ægyptios *Dies Domini.*

B sacerdotes,Lotos quippe arbor aquatica, vbi infantem in ea considentem figurassent. Hinc vtiq; vapores illos matutinos, qui à Sole mouentur, strictiori quadàm aura refrigerantes potiùs quàm adurentes intelligi volebant. Cæterùm ego significatum hoc,vt exortum lotos indicet,inde sumptum crediderim,quòd ea ante Solis emersum implicata folia habeat, quę quidem ita sensim exsinuãtur,aperiuntúrque,vti magis ac magis tollitur iubar Solis.Maximè verò panduntur,vbi medium is iter emensus est. Eodem verò decedente,folia ipsa vicissim contrahuntur,complicaríque incipiunt ac insinuari, veluti nulli patêre velint præterquàm numini quod venerantur, atque ita quibus liceat modis,eo abeunte,sese intra claustra cohibeant.Quod,vt Proclus ait,obseruatum à Magis,vt sacram omninò eam Apollini crederent,effecit.

RESIPISCENS.

HAbet & Aurora suum hieroglyphicũ,quod aperire non pigeat. Per eam siquidem vir ostenditur,qui de voraginibus emergens,prauorũ operum,& erroris cæcitatem derelinquat,& ad iustitiam & lucis puritatem euehatur, quæ sententia eiusdem est,quem suprà citauimus,Eucherij.

CLARITAS.

ASolis verò claritate,viros omnes insignes,qui vel rebus præclarè gestis patriã illustrarunt, siue sublimiori aliqua doctrina mortale genus (quod egregiè tu facis)instituerũt,aut vitę sanctioris exemplo reliquis fuêre documento, quò veram possent assequi beatitudinem, LVMINA nuncupare mos est. D.Ambrosius Luminaria, sanctos inquã homines, inter mortales versatos ait. Illi enim verę participes lucis,eas animas quas erudiebant ab ignorationis tenebris educentes,luminaria non iniuria nuncupati sunt.Ita gentes reliquæ viros, qui præclari nominis essent,nomine Luminis appellarunt,vt Latinus Rex apud Maronem queritur, *Lumina tot cecidisse Ducum.*

IMPERII MAIESTAS SVMMA.

CAPvd eosdem Persas, quos paulò antè nominauimus, quorum quidem disciplina recentior omninò fuit,deducta ad res humanas similitudine, Sol eum penes quem summa esset Imperij maiestas, indicabat, Solémque in eius sublimitatis homines signa dare persuasum habebant. Vnde etiam apud Maronem:

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam
Tunc caput obscura nitidum ferrugine texit.

Et vltimo Domitiani tempore corona quædam Iridi similis Solem circundedit,quę lumen eius ac radios obscurabat: quod portendebat,vt Arioli interpretabantur, fore vt is Imperator à Stephano iugularetur.

HVMANA VITA.

TAntvs verò est Soli cum humana vita consensus, vt is claritate sua insignis, vitæ identidem nostrę tranquillitatẽ:obscurus autem obnubilatusq; rerum nostrarum perturbationem ostenteret. Hinc apud coniectores inuenias, quod etiam vester Hippocrates Medicis non otiosè obseruandum præcipit : *Si visus Sol in somnijs obscurari, occultarive, aut nusquàm apparere, periculum instare vt ægrotus vitam amittat. Si verò vim alicuius insequentis ipse Sol aufugiat, decumbentem in furorem agi præcipitem.* Mentis enim lumen eo signo labefactari, inquietari, ac loco exturbari suo. Quæ cùm quis imaginatus fuerit,solicitus admodùm est Hippocrates, vt ægroto certa victus ratione obuiàm eatur.Tantam verò Sol prærogatiuam in iis,quæ ad nutriendi rationem spectant, habet, vt Physici omnes ex calore & humore nostrum constare incrementum asserant. Nam & Hesiodus posteaquàm fluuiorum quorundam nomenclaturam absoluit, subiecit mox : hos esse qui mortale genus

nus enutrirent, vnà cum Sole. Interpres addit: *Aquæ enim & Sol nutriendi vim habent, eorúmque beneficio res aluntur & gliscunt.* Inde Catullus de flore quodam viuido:

Dum mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.

ANNVS.

APVD Aruspices Sol annorum significatum habet, quorum ipse Dominus est. Quódque ad hãc rem facit, Cyri somnium memoratur, qui scilicet imaginatus per quietem sit Solem ter manibus apprehendere frustra appetiisse, siquidé conuoluebat se Sol, & elapsus abire videbatur: hinc Magi dixerunt, eum triginta annos regnaturum, quo scilicet tempore Saturnus Solem eodem assequitur puncto, vnde simul deferri cœperat. Id vtcumque interpretatum fuerit, tamen ipsis commentum placuit.

GRÆCI.

Prodigium. AEGYPTII vates per Solis imaginem Græcos in prodigiis intelligi tradidêre, cuiusmodi rei nota est historia. Cùm Alexander Macedo Tigrin fluuium superasset, paulò pòst Luna prima vigilia defecit, deinde sanguinis colore suffuso, lumẽ omne fœdare visa est: quod Macedones laborum pertæsi dirum arbitrabãtur, resq; ad omnium desperationem processissent, nisi vates Ægyptij, quorum doctrina omnis per rerum imagines explicabatur, affirmassent, bene sperandum esse, quòd Sol Græcorum, Luna Persarum indicium esset, ideóque ruinam stragémque eo ostento illis gentibus portendi, quorum signum laborare visum esset, quod effectus postmodùm comprobauit. Interserere autem hieroglyphicis prodigia, somnia & ostenta licet, quia manifesta inter se congruunt germanitate.

PATER, MATER, LIBERI.

SED vt ad hieroglyphica nostra redeamus, cùm Sol generationis arbiter existat, Luna veluti lac E humorem sufficiat ad nutrimentum, liberi vitæ lumen à patre sortiantur, non temerè apud Hebræos Iosippus puer imaginatus est sopore pressus, se à Sole Lunaq; & stellis vndecim adorari: nam quod Patrem simul & matrem, ac fratres totidem id olim facturos, tunc ostensum, euentu postea comprobatum, cùm illi annonæ Præfecto, & maxima quæque negotia Regis in Ægypto administranti, cùm nondum eum agnoscerent, procubuerunt.

PRÆGNANTIA.

SED quod ad partus attinet, manifestissimo hieroglyphico id Ægyptij figurare consuerũt, apud quos bipartitus Solis orbis, in media cuius scissura Stella imposita esset, humanum fœtum in prægnantis mulieris vtero significabat, non ea tantùm de causa, quòd vterum in corpore medio situm solari corpori ob rotunditatem æquipararent, sed quia Sol conceptus omnes irradiatione sua viuificat: à quo vitalis virtus præcipuè demanat, quod quidem Aristoteles Physicæ Auscultationis secundo affirmat, gigni hominem ex homine & Sole professus. Veluti verò Stella lumen à Sole mutuatur, ita fœtus in vtero alimentum à matre consequitur. Neque huius eruditionis imperitus Lucretius, cùm Epicurum illum suum mortalibus vitæ tranquillæ initia dedisse conaretur ostendere, mortales reliquos Stellas dixit, Epicurum verò Solem appellauit, his versibus:

Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes
Restinxit Stellas, exortus vti aërius Sol.

Cur Solis ortu Stellæ extingui videantur. At dicet aliquis: Si Sol exortu suo Stellas omnes extinguit, quomodo illis lumen mutuatur? Qui- F bus respõnsum facio, accidere id ex oculi nostri imbecillitate, qui luce illa omnium maxima perstricti, minora nequeant lumina conspicari.

DE LVNA.

ATQVE hæc de Sole dicta sufficiant, non enim omnia prosequi volui, quæ super eo dici potuissent ab instituto hoc non aliena, sed occupationum tuarum ratio mihi habenda fuit, publicæ quippe professionis, lucubrationum tuarum peculiarium solicitudinis quam pro laborantibus, quotquot opem implorant tuam, benignissimè susципis atque accuratissimè, à quibus si longiore sermone auertere te voluissem, in alicuius omninò commodum peccassem. Ad Lunam igitur breuiter examinandam aggrediamur.

NATVRA HVMANA.

SOLE pro sublimioris naturæ imagine constituto, fuêre qui per Lunæ hieroglyphicum naturam humanã exprimi dissererent. Nam quod hæc è limo terráve constat, terra etiã lunaris globus esse perhibetur. Pythagoras enim Lunam modò Terram cœlestem, modò terrestre cœlum appellabat: ac terræ similem eam dicit Aristoteles. Varia est prætereà Lunæ facies, diebusq; singulis *Diuersa Lunæ facies.* immutata conspicitur, neque variantię quicquam magis obnoxium, quàm rerum humanarũ conditio. Quinetiam si vniuscuiusque hominis vultum intueamur, nunquam aut rarissimè hac & illa vice eundem esse conspiciemus, modò enim iratũ, modò lenem, modò tristem, modò hilarem, modò hoc, modò illo affectu perturbatum comperiemus, ac prout diuersę rerum imagines animum percu

A perculerint, ita varias in vultu figuras conformabunt. Hinc inter magna naturæ miracula de Socrate fertur, eum eodem semper vultu conspectũ. Ad hæc, vt quæ tam manifesta sunt, missa faciamus, cupida lucis Luna, cupidum intelligẽdi (ea enim lux est) mortale genus. Eam modò Soli suo adiunctam, modò abeuntem, modò redeuntem aspicias. Animus quoque noster nunc ipsius veritatis lumini copulatur, nunc longè recedit, nunc ad veræ rationis intellectum facta repetitione reuertitur. *Aberrare enim hominum est, & septies in die vel iustus cadit.* Luna ea semper parte clara, *Prouerbiũ.* conspicua, & illustris est, qua Solem aspicit: obscura verò, caua & inanis parte ea, qua diuertit à Sole. Homo qua se parte conuertit ad Solem suum, micãtissimis radiis velut alter Moses illustratur: ab eo verò auersus aliò, turbulentissimis omnium errorũ tenebris offuscatur. Hinc dies à Deo dictus Neomeniæ, nouæ quippe Lunæ, quem festum celebrare debeamus. Quod eò spectat, vt intelligit Adamantius, quando lex vetus vmbra futurorum est, quod Apostolus Paulus ait, eandem ipsam memorans Neomeniam, vt intelligamus iustitiæ Solem Christum esse, Lunam verò Ecclesiam, quæ lumine ipsius repletur, ac cùm Soli suo iuncta fuerit, eíque penitùs adhæserit, tum festum diem agit Neomeniæ.

PIORVM COETVS.

IGITVR Theologi, qui Christum Soli æquiparant, in quo sit sensibilis humanitas, & diuini luminis imago, iidem per Lunam piorum, vti dictum, vniuersitatẽ intelligunt, cùm nulla sit gens, nulla natio, nulla sectæ cuiuslibet congregatio illustrata lumine, nisi quæ vt in Sole Luna, Christi radio verberatur. Eucherius quoque Lunam Ecclesiæ dicit hieroglyphicum, nempè quòd in hac mundi nocte resplendeat. Et quoniã defectibus menstruis imminuitur, & faciem quotidie variat, nostræ sit etiam symbolum imbecillitatis, de qua superiùs.

ÆTERNITAS.

B APVD Gentes præcipuum erat Lunæ significatũ, æternitatis hieroglyphicũ haberi, propterea quòd, cùm defeciisse videtur, noua iterum fit, sæpiusq; anno toto iuuenescit. Quare scitè admodùm Horatius, cùm breuem & imbecillam humanæ vitæ conditionem lamentatur, ait:

Damna tamen celeres reparant cœlestia Lunæ.

In Faustinæ numis aliquot simulachrũ est, quòd læua pallam sustinet, dextera auiculã cum Luna *Faustinæ & Seueri Alex. numus.* superfidẽte porrigit: inscriptio, ÆTERNITAS. Alibi enim diximus eam in Marci adulationem relatam inter diuos à Senatu. In numis etiam aliquot Seueri Alexandri Aug. simulachrum videre est, quod dextera nouam Lunam attollit in sublime, inscriptione addita, PERPETVITATI AVG. Ægyptius autor Horus ad huius hieroglyphici supplementum & Solem adiecit. Et Catullus noster, quæ de Luna dixit Horatius, ipse de Sole dixit:

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetuò vna dormienda.

Causa verò cur per hieroglyphicum Solis & Lunæ Ægyptij sacerdotes perpetuitatẽ significarẽt, *Per Solẽ & Lunam cur perpetuitas significatur.* ea perhibetur, quòd eos perpetua esse rerum elementa arbitrabantur, quippe quæ virtute propria inferiora omnia generarent, conseruarent, & perennare facerent. Huius ergo perpetuitatis, quæ semper fuit, est, & futura est in Christo, Psalmographus memor, futurũ scripsit, vt Christũ populi omnes reuereantur per generationes omnes, quandiu Sol & Luna circuitu se conuoluerint. Et Cabalistæ vigesimam illam intelligentiam agnoscũt à perpetuitate desumptam, quæ per meatum C Solis & Lunæ quotidie cõtinuatur. Vita porrò nostra (vt id identidem repetamus) eorũ regimine ducitur, cuius cùm duæ præcipuè partes sint, eæque maximè propriæ, sentire, & crescere, quorum alterum Græci αἰσθητικὸν, alterum φυτικὸν dixêre, sentiendi vim à Sole, crescẽdi à Lunari globo sortimur: atque ita vtriusq; luminis beneficio hæc nobis constat vita, qua fruimur. Denique humore vnius, & alterius calore sustentatæ rerum species prorogantur, æternæque fiunt. Ad hoc faciunt plerique Corneliæ Saloninæ Augustę numi, cuius caput ex noua Luna prodire videtur, à quorum tergo modò FOECVNDITAS, ob id quod modò dicebamus: modò IVNO, quòd eadem Lucina est: modò PVDICITIA, quòd Iuno, Luna, Diana, & idem Proserpina numen inscriptum apparet. Horum omnium summam Catullus ita breuiter colligit:

Tu Lucina dolentibus — *Tu cursu Dea menstruo*
Iuno dicta puerperis, — *Metiens iter annuum,*
Tu potens Triuia & notho — *Rustica agricolæ bonis*
Dicta lumine Luna. — *Tecta frugibus exples.*

Quod verò ad huiusmodi fœcunditatem facit, plerique cœlum omnium terra nascentium patrem arbitrati sunt, terram verò matrem. Ipsum autem æthera propterea patrem, quòd aquarum lapsus inde cadentium seminis vicem præbeant: terramq; matrem, quòd matris vice has excipiat, & inde pariat. Eadem de causa Lunam, quippe quæ totius humoris domina perhibeatur, *Luna masculino genere.* quasi virilem operam in eo sumministrando præstet, à multis Lunum virili genere vocitatum reperias, quod professus est etiam Tertullianus. Et Cornelius Seuerus, quem Charisius citat, Phœben epitheto generis masculini adiecto dixit:

Ignea iam cœlo lucebant sidera, Phœbe Fraternis succesſor Equis.

Quamuis non desint Grammatici, qui eruditionis fortè istius ignari, putent SVCCESSOR fœminino etiam sexu dictum ab antiquis: vt, *Autor ego audendi*, de Iunone. Verùm illud probabilius est, quod aliquâ sapit eruditionem. Sanè inueteratum esse constat apud Carrenos Mesoporamiæ populos, eum qui Lunâ muliebri nomine ac sexu nuncupandâ putasset, eo supplicij genere damnatum iri à Natura rerũ omnium arbitro, vt is mulieribus addictus, eis semper seruire cogeretur. Qui verò marem eam esse credidisset, futurum vt vxori semper suę dominaretur, neque vllas vnquàm muliebres insidias pateretur. In Hebræorũ arcanis, quæ Cabalistica vocant, omnes siderum idearumq; cœlestiũ virtutes Lunari corpore suscipiuntur, à quo posteà, vti diximus, in inferiorem materiam vt genitale semen immittuntur, rerum species, fructus, animantia, nouatúsque omnes per elementa singula progeneraturæ. Alibi simulachrum Panis, quod Panopoli visebatur, attigimus, eo gestu factum, vt Lunam à dextera sitam flagello verberare videretur, quippe vt quæ apud eam quasi in penum quandam reposita essent, rerum semina loco & tempore depromi flagitaret.

MENSIS.

QVÒD si Lunam Ægyptij deiectis infrà cornibus pinxissent, hieroglyphico eo mẽsem significari prædicabant, cùm palam sit eam in ortu cornua surrigere sursum versus, eo præcipuè tempore, quo signa Zodiaci vel rectà cadunt, vel oriũtur, quòd pars inferior tantùm, eáque oculis nostris minima, propinquo occidente Sole conspicua sit. Ad coitum verò properãtem, sub septimum & vigesimũ itineris decursi diem planè manè conspectam, deorsum cornua demittere: duobus enim reliquis, quos in assequendo Sole, eóque mox prætereundo consumit, omninò latet, tertio sese incipit ostentare. Hoc eodem significato Poëtæ quoque, Mensem intelligunt, vt illud: *Luna quater latuit*: atque eodem modo apud alios passim.

ÆGYPTVS.

Antonini Auguſt. Pij numus.

IN T. Antonini Aug. Pij PP. numo, qua parte inscriptio est, ALEXANDRIA, videre est humanæ figuræ signum, quod ambabus manibus Lunam affectet apprehendere, siue sit is adorationis gestus. Ea autem cornibus infrà deiectis sita est, tribus in conuexo tuberculis, duobus infernè, quæ veluti guttulæ pendentes sunt. A pedibus postica parte spicę tres fructu prægrauidæ conspiciuntur: ab antica Crocodilus humi repit, capite in simulachrum id reflexo. Quæ omnia, vt hæ partes alibi declaratæ sunt suis quęque locis, Ægyptum ipsam significare, etiamsi non adesset inscriptio, Alexandriæ, nulli dubium relinquitur.

SOPHISTÆ.

VARIETAS autem Lunæ, mutatis quotidie faciebus, adeò conspicua, ansam dedit, vt nonnulli sophistas per Lunæ hieroglyphicum intellexerint: & Ægyptij Sophistæ, quando Luna Ægypti symbolum est, cuius prouinciæ Isis domina perhibetur, toto opere notantur. Alia tamen ratione Clitomachus, vt apud Strobæum legere est, Dialectică Lunæ æquiparauit, quæ nunquam eadem facie sese mortalibus ostẽtet, nunc accretione, nunc diminutione luminis assiduè variante, nunquam interquiescat.

INSIPIENTIA.

NOSTRI huiusmodi varietatis ergô insipientiam per Lunæ simulachrum indicarunt, quippe cùm propter vniformitatis effigiem, veritatem, propter lumen in Solis corpore, ratione firma præditum intellectum innuerent. Contrà per Lunæ varietatẽ, & nothum lumen, inconstantiam mentis accipiebant. Vnde Salomon Sapientia: *Sapiens sicut Sol permanet, insipiens autem sicut Luna mutatur.* Et Matthæi locus de iuuene lunatico, qui nonnunquã in ignem, nonnunquã in aquam cadere consueuerat. Quòd si trahas ad spiritum, animaduertas in talibus impetus quosdam quasi bonorum operum surrepentes, ita vt laudandi videantur, ab iis tamẽ qui dilucida in eis interualla non agnouerunt; rursus enim eos minui videas, quodque videbatur in eis lumen, nõ est diurnum, sed nocturnũ lumen, quod quidẽ vsqueadeò imminuitur, vt iam penitùs deficiat. Atq; ij nonnunquam in ignẽ cadunt, id est, in ardorẽ concupiscẽtiæ, in veteres excandescẽtias, in vlciscẽdi cupiditatẽ, in pecuniarũ amorẽ, & vitia reliqua. Nonnunquã in aquam, hoc est, in lubricas mortalium curas, in perseuerandi desperationem, in ambitionis fluctus, ciuilesq; vndas perpetua instabilitate exagitatas. Humana enim vita, vt alibi ostensum, marinæ instabilitati plurimùm assimilatur.

PERSÆ.

QVOD verò Luna Persarum hieroglyphicum esset, superiùs ex ostento dictum, & quid super eo senserint Ægyptiorum Magi.

NOBILITAS.

PERVVLGATVM & illud est, Lunæ gestamẽ apud Arcadas nobilitatis hieroglyphicũ fuisse: qui quidem Proselenes ea de causa nuncupati sunt, quòd ab Deucalioneo diluuio primi ipsi Lunam inspexisse nascentẽ se credidêre: quodq; putarent vniuersum humanũ genus aquis obrutũ perisse, & à se rursus originẽ propagationis emanasse. Erat verò gestamẽ id, quo vti soliti Arcades, fibula in Lunæ cornua porrigentis speciem, qua calceamẽta connectebãtur: de qua scommaticum Herodis dictũ fertur in Bradeam vxoris fratrem, qui cùm generis sui nobilitatẽ æquo verbosiùs

Arcadũ gestamen.

A bosiùs apud Romanos ostentaret. *Næ tu*, inquit Herodes, *generis tui nobilitatem in astragalis gestitas.* Quin & Romanis, qui nobilitate præstarent, gestandi lunulas morem fuisse Plutarchus tradit, nisi satis sit Martialis dictum, lunatam pellem appellantis calceum in hanc sententiam. Et de Quintiliano Rhetore apud Iuuenalem habetur:

-- & nobilis, & generosus
Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ.

Sunt qui causam huius gestaminis eam commenti sunt, vt sic admonerentur considerandam esse rerum vicissitudinem, quę præsertim in Luna spectabilis est, ne solo nobilitatis nomine nimiùm turgescerent.

DE STELLA.

SED iam locus exigit, vt Stellas tuas aggrediamur, quarum significata recensere, rationemq; reddere, nostrę potiùs fuerit indaginis, quàm alterius cuiuspiam inuentum, cùm præsertim in restituendo contextu pauciſſimorum admodùm verborum, quę Stella super apud Horum Ægyptiũ tradita inueniuntur, cura laborq; non defuerit. Sed est omninò in damno libellus ille tam in vulgatis Aldina impressione, quàm etiam in manuscriptis exemplaribus, quorum nobis copia fuerit. Sed iam ad rem ipsam.

VNIVERSI DEVS.

APVD Horum igitur legas Stellam hieroglyphicum esse Dei, neque ferè quid ampliùs: quare necesse est rem ipsam paucis his inclusam verbis, manifestiùs & latiùs aperire. Etenim cùm
B Ægyptij luctamen & concertationem, quam Deus Opt. Max. in cœlestibus orbibus, aduerso motu atq; eo etiam vario concitatis, instituit, contemplarentur, neque id alia quapiam ratione deprehendissent, quàm Stellarum motu, earumq; præcipuè, quas vices assiduè variare manifestum, rapiq; vniuersam mundi superioris machinam ab exortu occasum versus, vertigine supra mentis captum citatissima, ac nisi res ipsa quotidie fidem faceret, prorsus incredibili: obniti verò contrà ab occasu exortum versus sphæras octo ex iis, quæ nobis innotescere potuerunt, easq; prout magis minúsve à centro distant, pro ratione sua eò segniùs aut velociùs ad metam properare, nimirum fieri hæc absque Deo minimè posse crediderunt. Quis enim tantarum molium rector constitueretur, qui certo temporum spatio omnia gubernaret, nisi mens suprema omnium arbiter haberetur? Cùm igitur per Stellas potissimùm in Dei ipsius cognitionem peruenissent, ipsius vniuersi Deum, per signum idem ipsum, quo rem deprehenderant, significare instituerunt. Ideoq; stellæ hieroglyphicum pro mundi totius Deo ponere voluerunt. Sententiam verò hanc Romanis etiam placuisse, possumus ex eo coniicere, quòd in Pertinacis numo simulachrum est, manibus versus ingentem Stellam ad cœlum sublatis, cum inscriptione: PROVID. DEOR. COS. II. Ita ille Diis gratias agere professus, quorum prouidentia rerum potitus esset.

Pertinacis numus.

PAN.

ATQVE ea potissimùm ratio est, cur Pana Deum ex hieroglyphico Stellarũ intelligi contendebant: quin & pectus eius variis insigne Stellis effingebant, cùm omninò per Pana totam rerum naturam interpretarentur: qua de causa & fistulam septem calamis compactam, propter erronum totidem concentum, ori eius apprimebant, de quo apud Orpheum plura. Probo autem
C idem & Pan & Iupiter est, quòd πᾶν omne, vniuersam quippe, vt dictum est, naturam significet. Propterea verò & hinuleæ pellis varietate tegi solitum aiunt, vt ex maculis referri Stellæ videantur, de quo in Serpentis commentario plura, quod quidem isti forsan de sacris nostrorum literis desumpsêre, in quibus legitur: *Extendit cœlum vt pellem*, quamuis Adamantius dictum de sapienti anima interpretatur. Nimirum illa extensio in modum pellis, tanquam literis inscriptæ luminaribus & Stellis, dicitur *Rakia*, & *στερεὸς*, Græcis corium est. Nos verò tentoriũ illud: Firmamentum appellamus, & aulæa picturata vulgus etiam vbique hodie Racia nuncupat. Porrò Cœlum propter micantes Stellas à cœlatura appellatum Probus idem putat, vnde scilicet Luna bigis ferri incipit in superiorem vsque cœlestium orbium partem, quæcumque continentur, ea Græcè ab ornatu κόσμος, à puritia Latinè *Mundus* vocatur, ait Varro.

Cœlum à cœlatura.

CELEBRITAS.

NON temerè itaq; in somniis, vt apud Philistũ legere est, Satyriscus est celebritatis hieroglyphicum. Nam Dionysij mater, eius qui Syracusanorum tyrannus fuit, cùm pregnans eum ipsum aluo contineret, per nocturnam imaginem visa sibi est Satyriscum peperisse. Ex quo galeatę Siculi coniectores interpretati sunt, eum quem illa peperisset, clarissimũ Græcię sidus, ac diuturnum cum Fortuna fore. Hinc Naso etiam sidus pro nobili claritate generis posuit, vbi Maximum, ad quem de Ponto scribit, *sidus Fabiæ gentis* appellat. In Diuinis quoque literis, Doctorum & pietate insigniũ virorum lumina per stellas significãtur, vt apud Danielem, *Docti tanquam stellæ fulgebunt.* Et quæ progenies Abrahæ promissa diuinitùs est, tanquam Stellæ, non tam ad numerum innumerabilem refertur, quàm etiam ad rerum, quibus posteri eius illustrandi essent, claritatem. Præcipuè verò Hyades in huiusmodi celebritatis hieroglyphicum delectæ, vt admonet Eucherius:

siquidem ortu suo solent pluuiam inducere, atque ideò per id sidus sacræ disciplinæ Doctores interpretantur. Cur verò pluuia diuinæ sit institutionis hieroglyphicum, suo commẽtario est abundè disputatum.

PROSPERITAS.

ARVSPICVM autem obseruationes Stellam asserunt prosperitatis, ac læti alicuius euenti signum esse, ab Atteio Capitone traditum, quod (vt Festus ait) acceperat à P. Seruilio augure. Hinc locis inaugurandis Stella ex lamella ærea, qua specie reliquæ spectantur in cœlo Stellę, præfigebatur. Disciplinam hanc secutus Virgilius, felicissimum Troianæ posteritatis successum Anchisæ ita præmonstratum ait: *--- subitoq; fragore*

Intonuit læuum, & de cœlo lapsa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Neq; immeritò Cæsar Augustus crinitam Stellam visendæ magnitudinis, quæ Iulio Cæsare sublato statim apparuit, cum paucis admodùm sententiam suam professus, felicitatis, quæ se deposceret, ostentum interpretatus est, quamuis palàm Iulij Cæsaris animam in eam Stellam commigrasse dictitare solitus esset, remq; testatus sit numismatum monumentis, Stella scilicet impressa in eo numo, cuius inscriptio est: CÆSAR AVGVSTVS. Ab altera verò facie, DIVVS IVLIVS. Adiectum etiam est id insigne capiti statuæ eius in foro positæ. Et alij plerique numi Cæsaris caput Stella supra frontem præfixa conspicuum ostendunt. Et Dionei Cæsaris astrum Virgilius hac de causa celebrauit. Veluti etiam Horatius micare dixit Iulium sidus, *velut inter ignes Luna minores.* In numis verò quos Metius Macer in honorem Cæsaris cusit, Cometa ab occipitio Cæsariani capitis apposita est, vt ab eius obitu signum id subsecutum innuat. Fuerunt autem ex iunioribus E nonnulli, qui per Stellam tantùm Iulium Cæsarem intelligi voluerint, picturis publicatis. Verùm hæc consignificat, non autem simpliciter significat.

Iulij Cæsaris numus.

FATVM.

Quomodo per Stellam fatũ indicatur.

ADIECERE sacerdotes Ægyptij, Fatum per Stellam significari, quoniam id ex siderali dispositione consistere vulgata Doctorum opinione creditur. Per motum enim Stellarum negotia transiguntur, vt Hesiodi interpres ait super Asterie. Nam & Parcæ illę, Clotho, Lachesis & Atropos, vt alibi ex XII. Legum Platonis ostendimus, nihil aliud sibi volunt, quàm tardum in primis Saturni motum, quo singula maturantur, & multitudinem virtutum, quę in firmamento sunt, per quas tãta rerum varietas in inferioribus generatur, ac reliquorum denique erronum motum quo suo quæque tempore perficiuntur. Quamuis enim à Solis & Lunę beneficio vita constet, qua fruimur, nostra tamen negotiatio tam ad ipsa duo lumina, quàm ad quinq; vagas Stellas refertur, vt vulgus Astrologorum putat. Quinetiam nullum in cœlo sidus, lumen nullum, otiosum volunt. Et Cabalistę nullam esse herbam, plantámve in orbe hoc dicunt, quę non ab aliqua firmamenti Stella irradietur, foueatur, & ad incrementum adiuuetur. Erronum verò variis coniunctionibus & aspectibus, vt vocant, ea rerum vicissitudo in humanis rebus esse perhibetur, quę Fati cognomento à plerisque nuncupatur. Tametsi clarissimi ætate nostra fuêre viri, qui acriter in Mathematicos inuecti, huiusmodi veterũ commentationes plurimas euertere conati sunt. Cæterũ, vt Diuos August. & Ambros. ac plerosque è nostris alios missos faciam, qui lapidem hunc voluêre, Plotinus è veteribus nihil vi & potestate siderum hominibus euenire cõtendit, sed ea quę decreti necessitas quam nostri Prędestinationem vocant, in singulos sancit, ita per horum septem transitum, stationem, recessúmve, monstrari: vt Aues seu præteruolando, seu stando, futura pennis vel voce significare dicebantur, ipsę tamen rerum indociles, ac quid agant prorsus ignarę: quarum volatus, aut status, aut garritus, prout fausta infaustáve, commoda vel incommoda portẽdere existimabantur, ita salutares aut terribiles habitos, cùm à se ipsæ neque salutem, neque terrorem vllum afferant.

DE SIRIO.

QVAM tamen præ se fert Stella Sirius præsagituram, non leui de causa, sed ex grauissimis Philosophorum obseruationibus adinuenta est. Aiunt enim Ætæos ortum Caniculæ diligenter quotannis obseruare solitos, coniecturamq; inde capere, salubrísne, an pestilẽs annus futurus esset, Ea enim Stella si obscurior ac caliginosa propemodùm extitisset, pingue, ac concretũ esse cœlum, ac perinde afflatum eius grauem & pestilentem futurum abominabantur: sin illustris atq; pellucida apparuisset, cœlum identidem tenue purumq; coniiciebant, futuramq; inde salubritatem præsagiebant.

COELESTES SPIRITVS.

Angelorum tres Hierarchiæ.

CÆTERVM nos cùm piè simus instituti, cur non etiã piè loquamur? Sanè constat apud Theologos, & Dionysium præcipuè, tres Angelorum esse Hierarchias, quibus in Firmamento sedes prędipuè constituta. Harum suprema soli cõtemplationi vacat, Deumq; perenni sono, continuaq; assiduitate nullo vnquam tempore defutura collaudat. Medius autem ordo, cũ sit cœlestibus officiis atq; muneribus delegatus, per Firmamentum, quod ab excellentia cœlum appellant, significatur. Postrema verò Hierarchia, etsi natura supra omne corpus est, supraq; cœlũ, curat tamen ea quę sub cœlo sunt. Et cùm diuidatur in Principatus, Archangelos & Angelos, omniũ horũ munus circa ea tãtùm versatur, quæ sub Luna sunt. Principatuum cura circa Respub. Principes, ac Reges, vt ex

A ex Dauide cognoscimus. Archangelorum, circa mysteria, & sacras cæremonias. Angeli priuatis student rebus, & singuli singulis hominibus adhibentur. Euthymius porrò Iudæorum fuisse custodem Michaëlem nominat, vbi verba citat ex oratione Azariæ, libro Danielis: *Angelus autem Domini descendit simul cum Azaria & sociis in fornacem:* cùm tamen Archangelus sit. Sed enim sæpe admodum in quotidiano sermone omnes ordines Angeli nuncupationẽ vsurpant. Cùm igitur tertius ordo huiusmodi res humanas tueatur, & ad incorruptibile superioris dominij decretum dirigat, cuinam potius quàm huic ordini Fati cognomentũ dabimus? Qui demum cùm octauæ sphæræ, hoc est, stellato insideat orbi, à soli eius excellentia Stellæ significatum Fato cõgruere meritò videtur. Neque tamen absurdũ est Angelos per Stellas intelligi, qui Stellarũ præsides habeantur: veluti cùm apud Salomonem pro cœlo Deum intelligimus. Scriptum est enim historia Regum, *Exaudi ô cælum:* vbi non cœlũ tamẽ, sed cœli, & terræ Rectorẽ ac Dominũ, ex Theologorum interpretatione, Deum appellat. In Moseos etiã traditionibus, vt summi viri locum interpretãtur, per Stellas Angeli significãtur. Demùm Angelorũ munera cùm sint, purgare, illuminare, perfectũ reddere: si Parcis hæc, vt fortè non incongruũ videatur, adscribere voluerimus, ne penitiora hæc documenta sublimiùs æquo perscrutemur, Fatum id omninò esse constabit. Cui quidem opinioni subscribit Chrysippus (hos enim autores citare compellor, propter nostrorũ quorundã literatorũ peruicaciam, qui profanis autoribus maiorem adhibẽt fidem, quàm Christo, & à Christo patreq; eius omnipotente Deo illuminatis.) Igitur si Græcis Philosophis magis quàm Paulo vel Apostolis aliis credunt, Chrysippum præcipuum ex antiquioribus audiant ita dicentem, *Fatum esse potentiam* B *spiritalem, certa quadam ratione vniuersi constitutricem.* Atque alibi: *Fatum,* inquit, *est mundi ratio: vel, lex eorum quæ in mundo prouidentia constituuntur: aut, ratio ad quam omnia quæ fuêre, facta sunt.* Quin & Possidonius, dum Deum Iouem primum appellat, secundum Naturam, tertium Fatum, si quę de Angelis retulimus, & alia Theologorum scripta considerare voluerimus, idem hoc, aut non multùm dissimilia sentire deprehendetur.

Per Stellas Angeli significãtur.

Fatũ quid.

TEMPVS.

AD hæc Stella temporis etiam est hieroglyphicum, quia nihil in mundo toto statã temporis legem magis obseruat, quàm cœlestia corpora, quæ sua quadam lege iterum ac sæpiùs mota, eodem semper temporis interuallo, certisque periodis eò redeunt, vnde ferri cœperant.

EXPLORATIO.

STELLA eadem apud Ægyptios circuitionis indiciũ habetur: quod siue ad orbicularem motum, siue ad cœli ipsius figuram, siue ad ea, quę de temporum repetitionibus modò dicebamus, quis retulerit, omnia quadrabũt. Sed enim quam hi circuitionem ponunt, Explorationem potiùs ego dixerim, propterea quòd Stellæ peruigiles facta consiliaq; nostra omnia videntur explorare. Vnde apud Catullum legas:

Aut quàm sidera multa cùm tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores.

Apertissimè verò apud Plautum exploratores per Stellas intelliguntur, si cui non satis est Christi ipsius testimonium dicentis, *vel puerulorum Angelos facta eorum omnia referre coram Patre suo.* Nam Stellas paulò antè Angelorum hieroglyphicum agnoscebamus. Apud Plautum igitur Arcturo Stella in scenam introducto, hæc, Rudente, recitantur:

C *Qui est Imperator diuũm atque hominum Iupiter,*
Is nos per gentes alios alia dispărat,
Qui facta hominum, mores, pietatem, & fidem
Noscamus, vt quemque adiuuet opulentia,
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quiq; in iure abiurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Iouem,
Quotidiè ille scit quis hîc quærat malum.

Coronæ exploratoriæ Caligulæ.

Romani enim veteres hæc de Stellis opinabantur, quæ nos officia Angelis attributa noscimus, cùm animi illi, olim iam electi ad pietatem, & religionem, cultumq; Dei, in rerum diuinarum curam, qua poterant, ante omnes propensi essent: quare hi de Stellis, quæ nos superiùs de Angelis ex sapientissimorum hominũ sentẽtia retulimus, intelligebant. Huiusce modi autẽ explorationis ergô C. Caligula nouum quod excogitauit coronarũ genus, Solis & Lunæ, siderumq; specie distinxit, easq; coronas, nouo etiam nomine, exploratorias appellauit, vtpote qui per Solẽ diurnos, per Lunam & Stellas nocturnos exploratores intelligeret. Cur verò noctem sacerdotes iidem ex stella picta significarent, manifestius est, quàm reddi causam vllam oporteat.

CVSTODIA.

VIDERE est in numo quodã cuius inscriptio est, VRBS ROMA, specũ in arcum productũ, cum Lupa & geminis infantibus circum vbera in medio sitis. Ab vtroque autẽ specus latere assurgunt pueri duo colludentes: supernè stellæ totidem siue pro geniis illæ sint, quorũ auspiciis infantes qui fuerant in fluuium abiecti, sospitati sint, mox famelicam lupæ rabiem non effugerint

modò,sed ab ea perhumaniter etiam fuerint educati,atque ita argumentum hoc omne, CVSTODIAE sit hieroglyphicum,quæ diuinitùs fuerit infantibus præparata.Nam & apud nos certæ sunt preces,quibus Angelum nobis custodẽ dari deposcimus. Siue celebritatis, neq; non apotheseos, quæ subsecutę sunt,Stellę illę signa sint. Siquidem Romulus fratris nomen etiam post mortẽ eius publicis actis adscribebat.Vnde Virgilius dixit: *Cum fratre Quirinus iura dabant*,commẽtus quidem id Romulus, vt Remi fratris manes placaret, quibus terrificis imaginibus sæpiùs infestabatur.

ANIMA.

EST etiam id apud Ægyptios stellæ significatũ,vt defuncti iam hominis animã ostendat, quod in manuscriptis codicibus habetur:quod dubio procul animæ immortalitatẽ indicabat, quæ scilicet deficiente corpore vim atque vigorem suum efficacissimè conseruaret. Atqui vim luminis manifestam anima ipsa videtur obtinuisse, quam scintillam massæ stellaris Heraclitus Physicus asseuerabat.Timæus verò Locrus vnicuique animę collegam esse,siue consertam Stellarũ aliquam tradidit,quod nõ dissimile est à genio sospitali atq; custode, quo de superiùs disserebamus.

MORBVS GRAVIS.

HIPPOCRATES Medicus obseruauit Stellas per somnium in mare,vel in terram cadere,atque heuanescere visas,graues indicare morbos ei apparatos qui sibi videre id visus fuerit, cũ contrà,claræ,& exortum versus currentes,sanitatis affuturæ indicia sint.

CREPVSCVLVM.

ADDVNT Ægyptij sacerdotes (quod in impressis codicibus non habetur) crepusculũ ex micantissimę Stellæ simulacro significari, propter Hesperi,Phosphoriq; notabilem fulgorem, vt puto:quę quidem eadem Veneris Stella est,nonnunquam Solem præcedẽs, nonnunquam subsequens:itaque per aliquot dies ante Solis exortum Stellarum omnium maximè splendescit,aliàs occidente eo, luce sua aliis præmonstrata,atque his quasi valere iussis, ipsum mox Solem subsequitur.Vel quia tota stellarũ ratio inter vtrumq; crepusculum, vespertinũ scilicet & matutinum, munus peragit suum.Vespertino siquidem excitatæ crepusculo, simul ac matutinum aduenerit, suo quasi perfunctæ excubiarum munere,Soli sua data vice Stellæ recedunt omnes.Et vt tandem Stellarum cõmentationẽ cum vtroque crepusculo absoluamus, earumq; principiũ & finis termi-
Noctis hieroglyphicũ. netur,pauca quædam subiungam ex Diuinis literis, in quibus Nox suum habet hieroglyphicum, cùm præsentis vitæ tenebras,& hallucinationem significet : matutinum verò tempus pro futuro seculo ponatur:de quo Paulus,*Nox præcessit,dies autem appropinquabit.* Eoq; spectare dicit Hesychius Hierosolymitanus præceptum illud Leuitici, *Ne de carnibus sacrificij salutaris quicquam in matutinum relinquatur*,quippe ne vitam nostram deprehendi finamus imperfectam, quo scilicet tempore intercipiatur agendi facultas, quippe vbi misericordiæ opus nullus cuiusquam alterius virtutis aggredi poteris,vel exercere.Quare quinque illæ virgines parum prudentes,ante oculos nobis proponendæ sunt, quæ dum lampadum suarum oleum comparaturæ retrocedunt, aduentu interim Sponsi clausa ianua excluduntur, non ampliùs admittendæ. Idem admonemur ex Prouerbiis à Salomone : *Ne dicas amico tuo, Vade,& reuertere, nam crastino tibi dabo, cùm statim possis dare : nescis enim quid pariat superuentura dies.* Ad hoc ita Hesychius : *Festina, neque quicquam differas, ne fortè in eas coarcteris angustias,vnde expedire te nequeas,eoq; difficultatis adigaris,vt cuestigiò rerum omnium, quas tractaueris,rationes reddere cogaris.*Epicurus,qui plerisque in aliis,res agere deprehenditur, in eo versu prudentissimè se gessit,cùm dixit: F

Ἐπασῶ ἡμῶν ἀχολέμυῶ ἀποδήσις.

Nemo hominum est,qui non inter agendum obeat.

Quòd si quis ætate nostra,præter bonorum omnium spem oppressus, inter agendum obiit, quis vnquam maiore totius Romæ luctu desideratus quàm noster Hippolytus? qui parata ære suo priuata triremi,fortiq; militum manu ad Carolum Imperatorem,qui Libyam debellabat, Christoq; asserebat, priusquàm instructam nauem, explicataq; vexilla illa Iulij sideris videre posset, medio itineris veneno lethali,quo perditissimus minister ferculũ infecerat,nobis tam iuuenis, tam Cæsari charus,tam eius gloriæ cupidus, miserabiliter interceptus est. Pauciq; pòst mensibus,nepos eius Alexander Florentiæ Dux, Imperatoris ipsius gener,à consanguineo sibi coniunctissimo non minori scelere mucrone crudelissimè, dum dormiret, trucidatus. Sed nolo vulnera tam atrocia refricare, potiusque tibi næniam,qua infelicissimum vtriusque casum, iacturamque & luctum nostrum deploraui,pro libelli huius Coronide subiungam.

HIPPO

A

HIPPOLYTI MEDICEI CARD. ET NEPOTIS EIVS ALEXANDRI FLORENTIÆ DVCIS, MISERABILES EXITVS deplorantur.

VT cùm potenti deciderit Iouis
Dextra, superbæ insigne latus domus,
Et strage & ingenti fragore
Corda hominum attonita obstupescunt:
Mox, dum misertum est puluere grandia
Cæmenta solui,parte alia latens
Erumpat improuisa flammæ
Vis,reliquúmque operis ruina
Inuoluat oppressum,cinis omnia
Puluisq; fiant prætereuntium
Honore & admiratione
Tecta prius celebrata,puncto
Vno auferantur temporis,omnium
Mortalium per corda pauor meat,
Considerantum quàm caduca
B Sint ea quæ asserimus beata:
Sic duplicato concidimus malo,
Quicunque claras Medicæ domus
Stellas colebamus, fideli
Obsequio, officijsq; chari.
Nam vix cicatrix illa coiuerat
In altum adacti vulneris,intima
Per ossa lapsi, cùm peremptum
Eximium Hippolytum abstulit mors.
Qui dum cohortes cogeret impigras,
Arma & triremes ære parans suo,
Hanc vltrò opem allaturus oræ
Cæsari opes Lybicæ prementi,
Roma profectus Partenopeium
Nauale iturus, de media via
Improuidè interceptus atro
Fraude dato opprimitur veneno.
Hinc mille & illinc mille per auia
Sparsi locorum,siue domi in situ
Fletuq; lucebamus,ægra
Pectora per, lacrymis profusis.
Cùm fœda clades huic superaddita
C Oppressit incursu subito omnium
Mentes,& vnda vndæ niuosis
Alpibus incubuit refusa.
Maiora aperto vulnere vulnera
Nunc facta sunt, consanguinea vt manu
Confossum Alexandrum in cubili
Fama tulit,medioq; noctis.
Sic heu misella hæc vita hominum omnibus
Iniuriarum obiecta periculis,
Quouis dieque horaque nostro
Assiduè capiti ingruentum.
Mens nulla prudens est adeò,vt queat
Obstare fatis, vel petulantias
Ictusq; fortunæ cauere,
Aut varios subitosq; casus.
Sed magna Regum ô progenies, Ducem
Quæ Petrum Athenis magnanimum inclytis
Olim dedisti,totq; honorum
Muneribus titulisq; fulges.
Quàm clari eratis,quàm prius improba
Turcæ tyrannis & Scythicum genus
In Græciam inuasisset,alta
Vi superum imperio potita.
Fato Quiritum scilicet Ilium
Euersa,Romanum Imperium extulit
Gens vestra Athenis pulsa, vt orbis
Consuleret statui vniuersi.
Atque hinc duorum Pontificum decus,
Amplum Leonis,mox venerabile
Clementis : idq; ijsdem tiaris
Continuis propè colligatum.
At non potentes dicere Cosmidas,
Laurentiumq; & nobilium virûm
Prouentum honoratum,Camœnis
Lugubribus licet,atque mœstis,
Sed flere ademptorum miserabiles
Vices,in ipso limite gloriæ,&
Primo rudimento inuidendi
Nominis, egregiæq; laudis.
Heu quò iuuentus, & validus vigor,
Et promptitudo mentis, & ingeni
Atque indoles illa educata
Auspicijs sapientum auorum.
Quo purpuratus Hippolyto decor
Splendorq; rerum, seu patruo comes
Puer senem adiuuaret, ingens
Pondus & Imperij subiret.
Quem Cæsar alto in puluere Pannorum
Vidit paratum cernere Principem,
Contra superbarum cateruas
Gentium,& horribiles phalangas,
Cùm Turca nunquam pluribus anteà
Instructus armis, crederet Italas
Vires Iberúmque robur
Et Tamesin domitare,& Albin,
Quem tota circùm vis Asiatica
Niliq; latè gens vaga turgidi,
Et Græciæ totius arma
Atque Scythæ,atque Arabes obibant.
Verùm explicatos vidit vt ordines
Nostrorum ita acri prælia spiritu
Poscentium,aufugit, reductis
Retrò Equitum Peditumq; turmis.
At qui virum se præstiterat foris,
Haudquaquam inerti pectore erat domi,
Quem multo abundantem Senatus
Consilio iuuenem probabat.
Qui sæpè Romam seditionibus
Tumultuantem,iraq; Quiritium
Pacasset,irrumpens in arma
Fronte hilaro, eloquioq; dulci.
Qui splendidas tot diuitias, opes
Tantas,amicis atque clientibus

Vellet paratas, se exhiberet
Ditem aliis, sibi pauper vni.
Siue apparatu Regifico penum
Elaboratum apponeret omnibus
Aequaliter, parcissimo ipse,
Et tenui & facili vteretur.
Sed quis modum vitæ omnis, & integram
Syncerit atem narret? Hic omnibus
In posterum exemplo futurus,
Tam viridi excipitur iuuenta.
Immitis aufert Parca eadem Ducem
Illustrem Alexandrum, iuuenem inclytum,
Florentiæ, Hetruscíq; regni
Omne decus, columenq; summum,
Quo iustum & æquum Principe floruit,
Seruata morum est integritas, fides
Intaminata. At vis scelesta
Pulsa procul, pudor ipse tutus.
Hic glorioſi Caroli erat gener
Selectus omni de grege. Filio
Hic Regio Henrico sororem
Coniugio celebri elocarat.
Hæc obfuerunt, perniciem hæc bonis
Traxêre, vestræ nomina gloriæ
Vos abstulerunt. Hæc amarum
Inuidiæ stimulum incitarunt.
Laboriosum scilicet est opus,
Tutum esse Regem, qui violentiæ
Obstet suorum, vllumq; fraudi
Esse locum vetet, & rapinis.
Sic Pertinacis mens bona: Seruij
Sic victa virtus cæde nefaria:
Sic multa vbique exempla, quorum
Iam numerum hoc etiam obtinebit.
At vos meum vnum præsidium ac decus,
Si quid clientis Musa erit, ibitis
Nunquam vel ignotis, vel vllis
Illacrymabilibus recensi.
Non vos ego inquam perpetiar mori,
Dum vis mihi adsit, perpetuum quibus
Debetur excelsa in columna
Nomen, honos, statuæ, æsq; fusum.

NÆNIÆ FINIS.

PIERIVS VALERIANVS AD REVERENDISSIMVM D. THOMAM CAMPEGIVM EPISCOPVM FELTRENSEM, DE IIS QVÆ PER NAVEM, ET ALIQVOT eius partes significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XLV.

NVNQVAM *putassem, Colendissime Præsul, accidere posse vt mihi de Iure tecum disserendum esset, quod nunc casus tulit, & necessitas poscere visa est. Nam cùm mecum cogitarem aliquod tibi Commentarium de significatis Aegyptiorum, pro meo erga te cultu & obseruantia, dedicare (non enim vir tantus prætereundus eras, qui etatem omnem & Iure publicè profitendo, sententiis Romæ dicendis, sacrosancto Concilio præsidendo, & in Principum negotiis procurandis, insumpseris) argumentum quærebam quod ad huiusmodi Personæ nomen accommodari posset, opportuneq; piscium meorum hieroglyphica commentaria præ manibus habebam, quæ Præsulibus quibusdam, quos præcipuè colo, honoratissime Antiſtes, cæperam distribuere: atque cùm non tam ipsi pisces, quàm etiam instrumenta quædam nautica interserenda essent, Anchora tibi deberi visa est, quæ quòd firmatæ Christianæ Reip. præsidio aliquando fuerit, antiquæ clarissimæq; nobilitatis Campegiæ domui pro insignibus argentea hinc & inde gestare concessum est iam ex illo, quo Vgolinus ipse Campegius Pisanæ classis Imp. maris Imperium ab impiis infidelibus inquinatũ, pacificum reddidit. Sed priusquam de Anchora dicere incipiamus, ex re me facturum puto, si animaduertendum dixero locum libro Pandectarum xiiij. titulo, de Exercitoria actione, capite statim primo, altero mox paragrapho, perperam interpositam esse Anchoræ locutionem. Accursium hallucinari puto, quia corruptum sit codicem nactus: ibi enim Vlpiani ex libro ad edictum verba ita notata sunt:* Magistrũ nauis accipere debemus eum, cui totius nauis anchora mandata est, scilicet à domino. *Nusquam verò legi ego Anchoram pro gubernatione poni, quod quidem munus pertinet ad clauum: vsitatissimaq; omnium autorum metaphora, temonem aut clauum aut gubernaculum regiminis loco poni passim obseruaui. Sed enim in Vlpiani verbis nulla erit ambiguitas, si veluti in Pisano habetur codice antiquissimo illo qui Florentiæ asseruatur, ita legerimus,* Cui totius nauis cura mandata est. *Castigatissimamq; lectionem hanc & in meo peruetteri, & in aliquot codicibus manuscriptis, in quos nemo manus iniecerit, deprehendi. Elegi itaque te iudicem, vt quæ aliena essent, legitimos agnoscerent possessores, reſq; omnis nautica legitimè traderetur. Tu quod Iuris est videris: nos anchora iam ablegata, quando hic standum minimè necessum fuerit, ad iter institutum peragendum, nauim iam ipsam ascendamus.*

DE

DE NAVI.

NAVIS, atque eius partes aliquot, armamentaq; ipsa multis locis in veterum monumentis sculpta, & in numis cusa, non leue cogitationis argumentum spectantibus exhibuêre, dum quid hæc sibi velint plerique omnes inuestigant, quorum bonam explicaturi partem à numo omnium antiquissimo exordiendum duximus. Quid igitur sibi Iani numus velit examinemus.

ADVENTVS, VEL MIGRATIO.

ROSTRVM nauis, aliàs autem puppis, vel interdum integrum nauigium in æs signatum, Iani nauigationem in Italiam ostendit: ex altera enim numi parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis, inquit Plinius, & nos inspeximus. Ouidius ita etiam interpretatur: *Iani numus*

At bona posteritas puppim signauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Quinetiam Onirocitæ obseruant, quotiescunque quis vel nauem vel ratem imaginatus fuerit se videre per quietem, nũcium ex longinquo peregrè confestim affuturum. Antiquissima verò est illa numi species, quadrans scilicet, Raticus nomine, in quo ratis. Mosq; inde durauit, vt pueri in aleæ lusum denarios in sublime iactantes exclamarent, aut capita, aut nauim, quorum altero post firmatum numum conspicuo, eius esset victoria, qui diuinasset, lusu teste vetustatis. Quanquam & altero vsi sunt numo, Ouem Bouemq; insculptos habente, quod numi genus documento erat, veteres gregibus & armentis abundasse, quippe quorum omnis res in Ouibus & Bubus collocata erat, vtautor est Plutarchus in Problematis.

FELICITAS.

ADHÆC nauis in aliquot veterum monumentis felicitatis hieroglyphicum est, vt in Hadriani numo, quæ remigio vecta, pulcherrimeq; elaborata visitur, cum inscriptione: FELICITATI AVG. Sub naui verò S. C. COS. III. PP. In numo etiam Augusti cernere est nauim longam cum remigio, cuius eadem inscriptio: FELICITATI AVG. *Hadriani numus & Augusti.*

SALVS.



QVÆ verò nauis apud Athenienses erat SALVTIS indicium, in Thesei memoriam coli consueuerat, singulísque annis Delon mittebatur Apollini cultum allatura, suscepto olim à Theseo voto huiusmodi, si ciuibus suis vnà secum saluis reuersus esset. Eóque interim tempore, quo sacerdos Apollinis nauis eius puppim coronauerat, & Delon ea profecta esset, pelagoq; remenso in patriam rediisset, cautum erat Athenienſium lege, ne quenquam publicè interficerent. Eaq; de causa scribit Plato in Phædone, longum temporis interuallum interiectum esse inter iudicium Socratis, & mortem eius, quòd sententia pridie quàm spectaculi auspicium fieret, lata erat.

CHRISTIANÆ PIETATIS SVCCESSVS.

HABET & Christiana pietas felicissimi successus sui signũ, nauem cum piscatore Petro, tam in familiari summi Põtificis anulo, quàm in aureis Apostolici fisci numis expressam, manifestissima eius quę subsecuta est felicitatis indicia, tot annis anteà præmonstrata. Nam quod Ouidius dixit: *Hospitis aduentum testificata Dei*, sumptũ omninò est ex altiori disciplina, qua prisci Romani diuinitùs admoniti essent, hospitem aduenturum, qui verum Dei cultum afferret, siue Noam nauigio ereptum vndis, siue Ianum salutaria tot præcepta Italię daturum, naui ad nos vectum, ac naui mox insignem in numis, siue ipsum nostrę pietatis autorem fluctuanti nauiculę affuisse meminerimus. Hoc verum ac vnicum est aduersus sæuientis maris rabiem sospitamentum: hic vnicus salutis nostræ portus, quem eiusmodi nauis auxilio occupare festinauerimus. Sapientissimè Ioan. Scholasticus vigesimosexto scalarum suarum gradu pericula recenset, in quę per mare hoc magnum & spaciosum nauigantes incidimus, scopulos, vertigines, inundationes, piratas, belluas, siphones, procellas ventis fluctibúsque commistas, singulorúmque adiicit interpretationes: vt per scopulos, feram præcipitémque iracundiam intelligamus. Per vertiginem, res eas, quę prętер spem oblatę mentem circunsistunt, delirióque agitant, & in desperationis profundum rapidè deuoratos trahunt. Per inundationum tumores, ignorantiam, quę boni specie decipit. Malus enim & egregiè superbus est, sibíque omnia arrogat, quicumque est imperitus. Per piratas, gloriatum satellites, qui nostras opes omnibus vitę incommodis partas, interuentu subito diripiunt. Per belluas, nostrum hoc corpus graue, brutum, & efferatum, ac perdifficile cicuratu, vtpote quod ventri tantummodò deditum, solam sibi finem constituit voluptatem. Per siphones, elationis nostrę impetus, per quos ad cœlum vsque sustollimur, vnde mox deturbati, in profundissimam tartari voraginem præcipitamur. Huius, inquam, pelagi causa nauis illa tot olim numis cusa, diuinitùs *Periculorũ huius mũdi enumeratio.*

aduen

aduenturam miseris mortalibus salutem indicauit. Ac ne de præsagio dubitemus, in ipsius Iani D numis, tam gemino capite barbato, quàm etiam imberbi, vti habetur in argenteo, in quo etiam nauis cum rectore, literæ supernè C. FONT. neque non inaliis videre passim est inscriptionem, ROMA. Romæ enim pietatis nostræ principatum, & in togata præcipuè gente constituendum, vt Euangelicam interim veritatem prætereamus, vel Maro ipse supremæ intelligentiæ actus spiritu diuinauit, dum Iouem inducit a sserentem:

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Cui quidem imperium sine fine concessisset, quippe quòd eorum institutiones essent in omnem terrarum orbem, vt Theophylacti verbis vtar, exituræ, neque vllo vnquam tempore defuturæ. Neq; verò mirum in Marone homine diuini muneris experte, & qui verum pietatis ritum adhuc abditum ignoraret, diuinationis lumen illuxisse, quia verisimile est eum in huiusmodi vaticinio, ex veterum arcanis aut Marci, aut Sibyllæ, aut Hetruscorum, prædictionem illam excerpsisse. Vel, quoniam summus ille spiritus nullum hominum genus, nullam vnquam nationem aspernari compertus est: quare Balaana legimus, hominem & alienigenam, & piorum hostem, præclara tot super Israëlitarum successu diuinasse.

SOSPITAMENTVM.

Q. Nasidij numisma. IN Q. Nasidij numo nauis est cum velo, & stella in antenna, & ab altero latere caput cum tridente, & inscriptione, NEPTVNI, subaudiendum, ope vel auxilio seruatos. Hoc enim Stella significat in antenna sita, de qua loco suo inter cœlestia.

MANIFESTA oppugnatio.

QVONIAM verò obiter in velum incidimus, minimè prætereundum videtur, quod dici solet: *Velificatione plena in quempiam ferri*, quod est, aperto Marte, inimicitiis minimè dissimulatis, rem aggredi, hostémque lacessere.



OCCVLTA OPPVGNATIO.

HVIC contrariũ est: *Conto, remulcóve nauigare*, cùm tacitè quispiam insidiatur, atque, vt vulgò etiam dici solet, *Subaquanea vti opera*. Locum hunc ad hanc propemodùm sententiam interpretatur Ammianus rerum gestarum libro XVIII. dicens: Non conto neque remulco, vt aiunt, id est, non flexiloquis ambagibus, vel obscuris, sed velificatione plena in Rempublicam ferebatur, quamuis aliter expositum sit in collectaneis Suidæ, Prouerbio κοντῷ πλεῖν, quod quisquis ille fuerit, exponit, ἥκιστα φροσποιούντως ζῆν.

LVNÆ VECTATIO.

Isidis nauis. QVOD nauigium in Isidis honorem Ægyptij coluerint, sunt qui raptam eam ab Ioue naui, cuius insigne Vacca esset, arbitrentur: sed commentitium hoc mihi videtur. Magis autem ad Ægyptiorum eruditionem quadrat quod Plutarchus ait, Lunam apud eos nauigio vehi fictam. Hanc Isidis nauem Apuleius multis donariis ornat. Diodorus fabricatam à Sesostri nauim ex cedro octuaginta cubitorũ ait longitudine, deauratam exteriùs, interiùs verò deargentatam, quam dono obtulit Deo qui Thebis ab Ægyptiis colebatur. Is Isis erat.

NAVIGATIONIS AVTORES.

Tyriorum numus. IN Tyriorum numo nauis est cusa, nimirum ea de causa, quòd ipsis Tyriis commentum placet, F nauigationis primæ se autores haberi. In huiusmodi eorum numo legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. Est & alius cum eadem naui longa numus, in cuius altera facie caput est cũ corona irradiata, inscriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΣΙΔΟΝΙΩΝ. Ita demum Phœnices inuentæ nauigationis laudem asciscunt sibi.

VICTORIA NAVALIS.

Agrippæ numus. IN Agrippę numis nauis illa tridentali rostro insignis, qualem scilicet Maro sæpe describit, dum non vno loco ait, *rostrisq́; tridentibus*, partam ab eo victoriam indicat maritimo prælio, quod aduersus Sex. Pompeium commisit, id quod Maro in Augusti gratiã ita immortalitati commendauit.

Parte alia ventis, & Dijs Agrippa secundis
Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora nauali fulgent rostrata corona.

Aliquot in monumentis videas & Varronis insignia naualia, qui Proprætore sub Pompeio Piratico bello militauit, à quo ob res bene gestas nauali corona donatus est.

DE ANCHORA.

HIEROGLYPHICVM anchoræ non Ægyptiorum tantùm est, sed à Græcis & Romanis Principibus vsurpatum, vt minimè importunum sit, rem à plerisque tractatam repetere, vt quę sectamur significata, loco suo manifestentur.

MATV

A

MATVRANDVM.

CIRCVMVOLVTVS anchoræ Delphinus, quòd signum in aliquot Titi Vespasiani numis obseruauimus, maturandum, vt Latini vna locutione dixerunt, omninò significat. Sed quoniam rei causam in Delphino satis explicuimus, & res iam æuo nostro lippis & tonsoribus innotuit, plura super eo dicere supersedebimus. Id pro pictura animaduertendum est, anchoram quæ in numo Titi habetur extrema dentium in vomeris speciem dilatare, cuiusmodi figuram Aldus noster imitatus est in omnibus quos impressit libris. Alia verò forma esse, dentibus quippe in acutum recto ductu mucronatis, quam in numo veteri apud eruditissimum virum Romulum Amasæum vidimus.



TVTELA, REfugiúmque.



HOMINEM, qui rebus suis tutelam præsidiúmve parauerit opportunum, per nauem & anchoram significabant. Quòd si sola anchora manu prætenta figuraretur, refugium indicabat, quasi vellet innuere pictura hæc, si aduersa ingruerit tempestas, réspue nostræ fluctuare cœperint, paratũ esse profugium, vt possimus ita seruari. Estque dicterium apud Græcos in hanc sententiam celebre, quo Demosthenes vtitur oratione pro Ctesiphonte. Et Propertius eruditionis elegiacæ columen ad hoc innuens ait: *Anchora iacta mihi.* Idem sermo apud Paulum, rei nullius ignarum, epistola ad Hebræos, cap. 6. *Qui confugimus, vt spem propositam teneremus, quam veluti anchoram habemus animæ cùm tutam, tum firmam.* Et Chrysostomus, de supremo firmóque profugio, concione in Lazarum III I. hæc ait: *Sunt diuinæ sapientiæ opera, hæc maxima illius prudentiæ sunt argumenta. Conscientiæ increpatio sacra est anchora, quæ nos nequaquam sinit in peccatorum profundum absorberi.*

STABILIMENTVM.

QVÒD si firmitatem, ac immobile stabilimentum rei cuiuspiam significare vellent, anchoras duas appingebant: similitudine sumpta à nauibus, quæ tunc

Ventorum temnunt fabiem fluctusq́; sonantes,

cùm duabus anchoris innituntur. Qua similitudine vtitur Aristides Panathenaicis. Sed enim Pindarus duabus innixum anchoris dicit, qui duas habet patrias: vnde prouerbium, οἶκοδεμ οἰκαδέ, *Domo domum*, de commodè peregrinantibus, quippe de iis quì arrepto itinere quotidiè apud amicos aut necessarios diuertunt. Nam pro firmitate Pindarus idem vna etiam vtitur anchora, Isthmiis, ἤδη πρὸς ὄλβῳ βάλλετ' ἄγκυραμ, *Iam anchoram ad fœlicitatem iecit*: hoc est, firmitatem iam ad vitæ tranquillitatem assecutus est. Vitæ porrò nostræ tumultus, perturbationes, cladésque omnes, marinis fluctibus, tempestatibus, vorticosisq́; æstibus solemus æquiparare, quemadmodum Archilochus facit, qui cùm in Thracenses calamitates incidisset, bellum marinis fluctibus ita comparauit: *Prouerbiũ.*

Γλαῦ χ' ὅρα, βαδὺς ἠδὴ
Κύμασι πεφάσεται πόντου,
Ἀμφὶ δ' ἄκρα χρεὸν ὄρπηξ
Ἰσταμένφ σὺν μα χειμῶνος.
Κηρύσσ δ' ἐξ ἀελπίης φόβος.

C

Myrsilus quoque Mitylenæorum infortunia tyrannicásque procellas ita describit:

Τό δ' εὖ τε κῦμα τοῦ προτέρου νέμω ἔχει
Παρεξέρχ δ' ἄμμι πόνων πολὺν ἄντλην.

Atque iis vrgentibus infortuniis ad sacram, vt aiunt, anchoram confugiendum. Sapientes enim ferè omnes hieroglyphico vtũtur anchoræ, tam scribendo quàm loquendo: vt Pythagoras, quem Phocion ait super humana vita ita differre solitũ, ὅτι χρὴ βίον αἱρεῖσθ ἄειστον, quæ si primùm amaritudine aliqua prædita videatur, suauẽ ipsam redditura sit consuetudo. Diuitiæ si optẽtur, sciendum eas infirmã admodùm esse anchoram. Gloriam, etiamnum infirmiorem. Quæ corporis sunt, eiusdem esse tenoris. Principatus, honores, omnia hæc imbecilla, & nullo robore suffulta. Quæ firmæ igitur anchoræ? prudentia, magnanimitas, fortitudo, quas nulla procella discutiat. Nam diuina lex est, virtutem solam atque vnicam habere robur, reliqua omnia nugas esse.

INTERPRES.

APVD nationes aliquot anchora fuit interpretationis signum, quo scilicet caduceatores, & internuncij pro gestamine vterentur. Præcipuè verò Indi anchoram pro caduceo habuêre, propterea, inquit Philostratus, quòd omnia tentet, ac peruestiget. Eáque de causa cùm Apollonius ad locum, quem Indi sapientes incolebant, appulisset, séque cum comitibus intra stadium cohibuisset, adolescens eum adiit à sapientibus missus qui auream anchoram pro caduceo manu gestabat, *Anchora Indis pro caduceo.*

gestabat, pérque eum in colloquium adductus est. D

FRÆNVM.

ADHÆC anchora moderandi compescendíque signum est, frænumq; indicat, quod quidem ex Pindaro desumitur. Ille enim πυθιῶν, Ode quæ inscribitur, Ἀρκεσιλάῳ κυρεναίῳ ἅρματι, frænum Argûs nauis dixit, vbi interpres ait, Anchoram ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἵππων λαβὼ τὸ ἐπέχειν τὰς ναῦς ἅτινα χαλινῶ, sumpta ab Equis translatione, quòd ea naues compescat fræni instar.

SELEVCI GENVS.

Seleuci numi. EXTANT Seleuci numi anchora signati, propterea quòd is anchora signatum femur habuit ab ipsa origine, filiíque & nepotes eius eodem insigniti modo, anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuêre. Et vt Græci sunt ad figmenta promptissimi, fabulam etiam adiiciunt, Laodicen Antiochi nuptam, Apollinis congressum per quietem pati visam, qui anulum ei quendam veluti concubitus præmium donauit, iusseritq; vt mox filio eundem redonaret, futurum eum aliquando felicissimi euentus auspicium: repertumque prima luce anulum in lecto, cuius signum anchora erat, admirationi fuisse, Seleucumque mox natu grandem, tradito anulo à matre, de origine sua, déque futura felicitate edoctũ, cùm mortuo iam Alexandro, quem in Permatre, de origine sua, déque futura felicitate edoctũ, cùm mortuo iam Alexandro, quem in Persicam militiam secutus fuerat, regnum ipse Orientis occupasset, gemmæ istiusmodi memoriam consecrasse. Nam & cùm vrbem Antiochiam patris nomine condidisset, campos vicinos vrbi Apollini vti originis autori dicauit. Hæc Trogus. Appianus indignum ratus fabulas historiis admiscere, rem aliter tradit in Syro: Apollinem quippe Laodicæ per somnium mandasse, vt quem anulum aliquando reperisset, filio statim gestandum daret: fore nanque vt quibus in orbis locis Seleucus anulum eum amisisset, eam ipse postmodùm regionem Imperio suo subiiceret. Is igitur cùm Alexandrum sequeretur anulum iuxta Euphratem fluuium amisit, factúsque eius Prouinciæ E Præfectus in diuisione regni post Alexandri mortem, moxq; inde deturbatus ab Antigono, Ptolemæi, cui Ægyptus obuenerat, auxilio in regnum restituitur.

POSSESSIO.

Seleuci historia. EST & obtinẽdæ possessionis signum anchora, cuiusmodi eiusdem Seleuci fuit interpretatio, reperto, quem iam amiserat, anulo, in quẽ anchora incisa fuerat. Ciuus quidem rei huiusmodi fertur historia, quæ ad futurum augurium ab Apolline promissum facit. Seleucus cùm eiectus Babylone, Ptolemæi mox copiis adiutus, posset quidem vti vi, ex amisso tamen anulo in spem regni omninò erectus, omnia prius quàm armis experiri constituit, ne populum, quem per benignitatem sibi allexerat, belli metu exacerbaret. Internunciis ad rem vsus, ciuium cõperit studia erga se propensissima, itaque festinatione opus esse admonitus, paucis admodùm, sed iis impigris & fidelissimis electis, Babylona versus quanta potest celeritate proficiscitur. Accidit verò, vt inter gradiendum pede lapidem offenderet, euellerétque, ex cuius impulsu tanto dolore affectus sit, vt ibidem eueſtigiò subsistere, ac humi residere cogeretur. Ecce verò ibi amicis pedem demulcentibus, & euulsum lapidem inspectantibus, anulus ille affulsit, qui sublatus attrectatúsque, magnæ inter socios mœstitiæ argumentum fuit. Id quid rei esset cùm Seleucus sciscitaretur, signatam illi anchoram anulo reperto mœstitiæ causam dedisse responderunt, ex qua captiuitatem portendi interpretabantur. Tum Seleucus: *Bono*, inquit, *animo estote omnes: nam quam terram calcamus, & retenturi sumus, & firmiter possessuri:* & cum dicto doloris immemor prosilit, icérque arripit alacriter. Cui paululùm progresso adfuêre obuiam qui tuta & pacata omnia nunciarẽt, exceptusq; ita omnium F studiis, dignitatem pristinam & regnum illud obtinuit. Mox Indiam & Asiam omnem subiugauit. Anuli verò memor, vrbem in Oriente condidit, & gemmam originis memoriam consecrauit.

DE TEMONE.

IN naui autem primas omninò partes tenet temo, de quo multa sunt apud veteres significata, quæ tamen omnia in vnum coëunt intellectum.

REGIMEN.

NAM regimen per figuram eius significari manifestum: & cuius arbitrio res aguntur, is gubernare, & gubernaculum temo ipse dicitur. Hinc Iuuenalis, *Aut de temone Britanno decidet Aruiragus*, dixit, cùm Domitianum Britannia potiturum præsagit adulator ille Veiento, expulso inde Aruirago, qui totius insulæ imperium obtinebat. Nam ad ea tempora Britannia nondum venerat in ditionem Romanorum, tentata bello sæpiùs, licèt cum eorum aliquot Imperatoribus fœdera iunxisset, quæ nostri plus æquo forsitan extulerunt. Contrà verò Nero, paucos ante dies quàm moreretur, vidit per quietem eum sibi nauem regenti extortum, trahíque se ab Octauia in arctissimas tenebras, quod aruspices respondêre, eum administratione deiectum mortem infelicissimam moriturum.

FORTVNA.

QVAPROPTER veteres cùm Fortunæ plurimũ tribuerent, eamq; negotiorum penè omnium quæcun

A quæcumque mortales gererent, arbitrum opinarentur, simulacrum eius dexterâ clauum, sinistrâ cornu copiæ tenere finxerunt, quòd bona & commoda ab eadem omnia proficisci crediderunt: vnde diuitias & opulentiam, fortunas appellauêre, vni illi regendi elargiendíque facultatem concessam arbitrati.

INCONSTANTIA.

VT verò inconstantiam eius notarent, vtpote quæ, vt Horatius ait, possit imo tollere de gradu mortale genus, vel superbos vertere funeribus Triũphos, & valet ima summis mutare, sedentem eam in pila sculpebant, quod tum in marmoreis monumentis, tum in numismatis antiquis obseruauimus. Talis eius species est in numo Neruæ Traiani, cum inscriptione, FORT. RED. S. C. vbi etiam legas, SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS, literis omnibus expressis, quod rarò inuenitur. *Neruæ Traiani numus*

FORTVNA REDVX.

EIVSDEM Fortunæ Reducis simulacrum est in altero eiusdem Imperatoris numo, vbi Dea ipsa sede sedens temonem manu regit, qui à pedibus surrigitur: inscriptio est, FORTVNÆ REDVCI. Atque hac eadem specie & inscriptione literisq; habetur in Hadriani numo, vbi temo insidet pilę, in nonnullis abest pila. Eadem verò sedens cum temone & cornu copię est in numo Septimij Getæ, cum inscriptione, FORT. RED. Sed illud obseruatione dignum, quòd eadem species cum temone, & cornu copiæ in Domitiani numo, quem apud Bembum vidimus, FORTVNA AVGVSTI scriptum est, prima syllaba per v vocalem vltimã, quæ passim in ea locutione per o vocalem quartam enunciari solet. Eadem penè inscriptio speciesq; cornu copiæ & temonis pilæ insistentis in B manu Fortunæ stantis habetur in numo Antonini Pij. De pila verò atque rotula alibi erit locus suus, vbi Fortunæ ipsius ornamenta copiosiùs explicabimus. *Hadriani Septimij Getæ, Domitiani, & Antonini Pij numi.*

DE RETIBVS.

PETRVM in naui superiùs inspeximus, sed habebat idem retia quæ tractaret. Huius rei memoria nos quoque traxit ad sagenam, ad hamos & tridentes: quare priusquàm exiliamus è naui, an possimus aliquid expiscari, videamus.

SILENTIVM.

PER retia silentium significari tradunt, ea quidem ratione, quòd præcipuum est præceptum piscatoribus, vt dum gregem circundant, silentio quàm maximo nauigent. Pisces prætereà altissimo silentio præditos esse compertissimum est, paucissimis exceptis, ac præcipuè Cane marino, vnde etiam Prouerbium emanarit, ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων. Sic eruditus Horatius eos *Mutos* vocat. Sic Lucretius, *Mutas natantes* appellauit. *Prouerbiũ.*

PERSVASIO.

IN Diuinis autem literis retia sunt persuasionis hieroglyphicum, qua scilicet homines in veritatis cognitionem inducuntur, atque ita capi videntur. Ad hoc facere Euangelicum illud ait Euchérius, *Mittite retia in capturam.*

INSIDIÆ.

C ANTIQVISSIMVM esse reperio, insidias per rete significari, neq; ea tantùm de causa, quòd eius opus omne ad insidias comparatur, quantum etiam ex historia desumptum est. Nam Pittacum memorant, vnum ex septem Sapiẽtibus, aduersus Phrynonem Athenienſium ducem validissimi corporis hominem, Pancratiasten scilicet & Olympionicam, de finium controuersia, quæ inter Atticos & Mytilenęos erat singulari certamine dimicaturum, rete secum in occulto sub clypeo abditum tulisse, quo, cùm tempus visum est, iacto Phrynonem impedierit. Historia est apud Verrium, in iis quę Festus defloravit: neque ea tamen in vulgatis codicibus, sed antiquo manuscripto, cuius partem vltimam Romæ comperi. Hinc sanè ludus à Pittaco institutus, quo Retiarius Mirmillonem in certamen prouocabat, cui adcantabatur, *Piscem peto, non te peto, quid me fugis Galle?* Erat autem eodem autore Festo, Mirmillonicum genus armaturæ Gallicum, ipsíq; Mirmillones anteà Galli appellabantur, in quorum galeis piscis erat effigies. *Ludus Pittaci.*

DESOLATIO.

EST & desolationis signum retis genus, quod verriculum appellatur, ad multa siquidem id spatia in mare demissum, restibusq; longissimis hinc atque inde attractum, quantumcumque spatij complexum fuerit, totum abuerrit, neque vlli piscium exitum patêre permittit. Transiitq; miserabile genus hoc venationis in vrbium & agrorum desolationes. Accidit enim plerumque, vt edicto vniuersali oppressorum exitio agri sint euerriculati. Fiebat autem euerriculatio in hũc modum. Viri manus sibi mutuò tenentes, quasi restim vnam texunt, occupatisq; terræ, quam desolatam volunt, extremis finibus, ita latè extensi progrediuntur, latentesq; passim incolas venando excipiunt, nihílque reliqui faciunt, quoquouersum peragrantes. Quod olim exemplum à Darianis militibus editum in Chio, Lesbo, Tenedóque insulis vi captis, atque euerriculatis. Eretrienſes quoque legas à militibus Xerxis eadem euerriculatione omnes abductos.

DE HAMO.

HABET Hamus cum Anchora similitudinem quandã, si figuram inspectes. Sed quantũ est in anchora officij, tantũ in hamo malignitatis atq; perfidię: quę cuiusmodi sit, hinc apparebit.

DECEPTIO.

SVNT qui non imperitè, neque impropriè, deceptionem per hamum pictum significari tradant; siquidem decipere, est vnum ostentare, & aliud præter opinionem inferre. Ita hamus escam esurienti offerre porrigereq; videtur, saturitatemq; polliceri, mox apprehendit, alligatq;, & captiuum facit eum qui escam illam appetierit. Hoc habemus apud Horatium de cœnipeta:

---Hic vbi sæpe Occultum visus decurrere piscis ad hamum.

Et hunc secutus Lucianus eo opusculo quod in Romanorum inuidiam de Aulicorum vita conscripsit, in hac plurimùm similitudine immoratur, dum spes illas clientium, qui admissi ad Principum amicitias montes statim aureos sibi pollicentur, hami istiusmodi vorationi similes esse contendit. Et de lenone in fraudem prolabente, *Meus est, hamum vorat,* apud Plautum. Longè verò aliter in Diuinis literis hamum accipi videas, per quem sanctissimum Christi corpus significatur, de quo apud Ezechielem Theologi dictum aiunt, *Et extrahamte in hamo meo, & extendam te super terram, campos implebis, & à volucribus omnibus impetèris, perindeq; omnes terræ bestias tuo pastu saturabo.* Sicuti enim si hamum esca coopertum piscis rapiat, non solùm escam ab hamo non sustollit, sed ipse de profundo esca aliis futurus educitur, ita mundi Princeps, penes quẽ erat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Adamiaci IESV, cùm sub eo hamum diuinitatis inclusum minimè sentiret, quo deuorato hæsit ipse continuò, deq; profundo tractus, eductus est vt esca fieret iis, quibus calcandi super Serpentes & Scorpiones potestas à Deo data fuerat. Idem apud Iobem 40. capite reperias: *Aut adduces Draconem in hamo, aut capistrum circa nares eius appones.*

Christi corpus per hamum.

DE TRIDENTE.

HAT Tridens inter piscationis arma connumeratur, sed cum hamo parum congruit.

APERTA VIS.

HAMVS enim per fallaciam quicquid acquirit aucupatur, sed tridens aperto marte, medio veluti campo aduenientem hostem excipiens, eum aggreditur, solaq; fretus agilitate, conficit. Sed quid is in Neptuni manu, quid in Trœzeniorum numis, & in Mantineensium scutis sibi vellet, alio Commentario docuimus. Hæc verò plus quàm satis esse, quæ ad occupatissimum virum & otij nescium mitterentur, existimaui. Vale.

PIERIVS VALERIANVS BOLZANIVS AD MAGNIFICVM VIRVM BENED. AGNELLVM, DE VRNIS NILI, LVCERNA ET FACIBVS, TVRIBVLO, & phiala, demum igne & aquis.

LIBER XLVI.

ANTONIVS AGNELLVS *Patruus tuus, Vir magnifice, cùm esset olim Venetijs apud clarissimum, eruditissimumq; Io. Lascarin, ea tunc in ciuitate Ludouici Galliarum Regis Oratorem, tanta mihi familiaritate deuinctus erat, vt amicitia nulla coniunctior esse posset, quàm ea, quam communia studia inter nos conciliauerant. Incumbebam ego tunc in prima literarum tyrocinia, audiebamq; in arte dicendi Prunulum, in Eloquentia Sabellicum, in varia rerum eruditione Georgium Vallam, sed rarissimum Lascarin obseruabam in primis, in quo magna optimarum artium scientia, summa vetustatis inuestigatio, reconditarumq; rerũ studium atque cognitio non vulgaris, atque, vt semel dicam, vir erat omni liberali doctrina politissimus. Hunc itaque frequens inuisebam, probatissima eius consuetudine melior in dies euasurus. Quòd si Lascarin occupationes distinebant, aderat illic Patruus tuus, qui diem sine linea præterire minimè permittebat: semper enim noui aliquid de Musarum penu depromebat, nunc Epigrammatum, quæ faciebat, argutias, nunc Hendecasyllaborum amœnitates, nunc huius vel illius numeri Poëmata, in quibus multum inerat leporis & elegantiæ. In eo verò præcipuè conueniebamus, quòd ille numismatum antiquorum signis mirificè delectabatur, quorum festiuam copiam habebat à Lascari, ad quem quicquid in huiusmodi rebus venerandã saperet antiquitatẽ, id à nobilitate illa sponte conferebatur. Idem propemodùm studium ab Vrbano patruo meo erat mihi quodãmodò hæreditarium, qui cùm magnam orbis partem pererrasset, multorumq; nosset hominum mores, de peregrinationibus suis, Aegyptijs, Arabicis, Palæstinis, semper habebat noui aliquid quod scitu dignũ & vtile communicaret mecum. Quotidie igitur cùm simul esse dabatur, Agnellus aliquid habebat, q̃ super numismatis alicuius gestaminibus aut titulis*

A *titulis disputaret. Ego si quid diceret quod ad Aegyptiaca faceret hieroglyphica, in eo summo opere delectabar. Quodam verò die tuus hic Patruus imagunculam quandam ex orichalco protulit, cuius gestus erat, vt corpore reliquo decumbente, caput manu dextera sustineret, cubito ad basim appresso: manu altera aquam ex tribus vrnis vna tantùm ansa coniunctis effunderet: ad hæc pueruli minutissimi operis numero sexdecim circumfusi, pueriliter hac & illac per vniuersum corpus lusitare videbantur. Super hoc Agnellus, qui argumentum huiusmodi haudquaquam temerè factum arbitrabatur, quid hoc sibi vellet curiosissimè percõtabatur. Respondi ego, imagunculam esse Nilum amnem: tres vrnas, causas itidem tres incrementi: puerulos XVI. totidem cubitos, quibus cresceret ad fertilitatem. Vix hæc summatim dixeram, & horum omnium rationem reddere parabam, cùm affuit tabellarius à Gallis, quo cum literis ad Lascarin ingresso, Agnellus quoque accersitus est ueĕtigiò. Ego eo digresso domum redij, ac triduo pòst Patauium à Patruo missus, vbi Leonicum audirem: neque ex eo amplius Agnellum videndi facultas fuit, qui Principum negotijs addictus, statim ipse quoque aliò migrauit. Tantum id, non multò pòst tempore, eum diem suum obijsse renunciatum est. Posteà verò quàm calamitosissimis totius Venetiæ temporibus Romam me recepi, vbi locupletior mihi copia facta est huiusmodi rerum, quas alibi difficulter inueniebam: ibi verò tum publicè tum priuatim toto calatho, suggerebãtur, incubui alacriùs in idem studium, quo me semper oblectaueram, & ἐφεγλυφικῶν plura ad amicos Commentaria conscripsi: cumq; in Roma media vidissem effodi marmoreum Nili Colossum cum XVI. illis puerulis circùm lasciuientibus, de quibus in imaguncula Patrui tui meminimus, subijt statim Agnelli memoria, præq; hominis mihi suauissimi desiderio lacrymas cohibere non potui, quòd ereptam mihi videbam occasionem, ne huiusmodi rerum Commentarium ei dedicare possem, qui si fuisset in humanis, nihil illi optatius accidere potuisset, neque ego quicquam libentiùs fecissem. Venit autem in mentem mihi, posse me saltem renouare memoriam eius, quem vnicè adhuc colerem, si rem omnem ad te conuerterem, qui nepos eius esses, in quo præsertim non alienam ab ipsius Patrui genio vigere mentem animaduertissem, videremq; si memoriam eius apud te*

B *suscitarem, id iucundum mihi, tibi verò gratissimum fore, cùm hoc à me deposcere viderentur integritas humanitasque tua dubio procul singularis, & reliquæ virtutes tuæ, quibus apud omnes clarus es & insignis, & quarum ergò coluerim ego te semper, & obseruarim. Habe igitur & antiquæ amicitiæ meæ cum Patruo tuo monumentum, & meæ erga te obseruantiæ signum, vt ipsemet spero confiteberis, manifestum.*

Nili hieroglyphicum.

DE TRIBVS VRNIS.

PLVVIORVM sanè fontiúmque simulacra cum vrnis dedicari solita, magis apertum & obuiũ vnicuique est, quàm vlla indigeat interpretatione. Cur verò Nilus cum tribus vrnis figurari soleat, nõ otiosè quærendum est. Nam Ægyptij illi sacerdotes cùm incrementum Nili tribus præcipuè de causis fieri putarent, reliquis aliorum opinionibus abiectis, quæ propemodùm essent innumerabiles, quò sententiam ipsi suam perpetuis testarentur monumentis, tres vrnas Nilo attribuerunt, cùm reliquis fluminibus singulæ singulis adhiberentur: vt illud apud Maronem,

Nilus cur tribus cum vrnis figuretur.

Cælataq; amnem fundens pater Inachus vrna.

Harum verò trium causarum primam illam asserebant, quòd tellus ipsa Ægyptia aquam ex se ipsa progigneret, vberrimeq; proferret, suiipsa humoris altrix. Vnde Timæus Mathematicus Nili fontem phialã appellarit, quasi ipse intra se contineret eam aquæ vim, neque aliunde mutuaretur. Est tamen eodem vocabulo in Nilo locus à figura sic appellatus, quod nihil facit ad Timæi phialam. Phidias inter sculptores celeberrimus, vel ipse rerũ peritus, vel ab iis qui ętate illa peritissimi erãt, admonitus, cùm Victoriæ signum in Marathone sub Nemeseos, velamẽto confingeret, in dextera

C eius statuæ phialam exculpsit, in qua Æthiopes cælati videbãtur propter Oceanũ, qui Nemeseos pater habitus est: Nilum Oceanum vocari multa veterum dicta monuerunt. Quòd verò gignat Ægyptus aquas, ex eo, aiebãt ipsi, facilè coniici posse, quòd in quouis alio climate fluuiorũ exundationes circa hyemem plurimùm accidunt, nunc imbribus coactis, nunc niuibus liquefactis: sola verò terra Ægyptiaca in medio terræ habitabilis cõstituta, quemadmodũ in oculo pupilla, peculiari quodam aquarum profluuio æstatem mediam irrigat. Alteram Oceano causam adscripsẽre, à quo aquam in Ægyptum exundare incremẽti tẽpore fama est, quæ quidem præcipua fuit Euthymenis opinio, Ægyptiorúmque in primis sacerdotum, vt Diodorus attestatur, qui rei fidem non aliam faciunt, nisi quòd satis sit eorum autoritas vt sibi fides adhibeatur, qui rerum scientiam per manus à parentibus traditam, longa annorum serie obtinerent. Iuniorum inde diligentia exploratũ est, Nilum ab Oceano ex Atlante monte primùm emanare, ibíque Dyrin appellari: Heptabolum inde lacũ stagnare: inde cognomẽto Nigrin effluere, mox Coloën paludem efficere, inde Astosobam & Astaboram flumina, donec ad cataractam peruenies erumpat, ac per Ægypti campos diffluens, Nili demùm cognomentũ accipiat. Tertiã causam imbrium esse dicunt, qui australibus in Ægypti regionibus, Etesiis nubila, vt ait etiã Democritus, illo ferentibus ex orbe reliquo, eo maximè effundũtur tẽpore, quo Fertilis æstiua Nilus abũdat aqua. Atque vti tradit Eudoxus, Ægyptij sacerdotes imbres eos ibi fieri ob antiperistasin arbitrantur: cùm enim æstus nobis est qui viciniora Cancro loca incolimus, tunc hyems iis qui Capricorno propinquiora habitant.

Addit adhæc Thales, mare in ora agi vltrò, Eteſiarum ex aduerſo fluminis flantium repercuſſu, de quibus ita Lucretius:

Aut quia ſunt æſtate Aquilones óstia contra
Anni tempore eo, quo Eteſiæ eſſe feruntur.
Et contra fluuium flantes remorantur, & vndas
Cogentes rurſus repplent, coguntq; manere.
Nam dubio procul hæc aduerſo flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis ab ſtellis axis aguntur.

Incipit verò creſcere Luna noua, quęcunque poſt Solſtitium eſt, ſenſim modiceq;, Sole Cancrum tranſeunte: abundantiſſimè autem dum in Leone progreditur, mox reſidet in Virgine iiſdē quibus accreuit modis. Quanta verò feracitate vniuerſam Ægyptum beet alluuione fœcunda, multi prodidêre: vnde eum Poëtæ modò fertilem, modò pinguem, modò potu fœtiferum dicunt, quòd animalia, quæ ex eo bibunt, & pinguiora, & obeſiora fieri compertum eſt: quare ſuum illum Apim tanta cura cultuq; nutritum, ex Nilo bibere, quàm religioſiſſimè vetuerunt: ſiquidem & macilentiam & gracilitatem omni pondere vacuam, diuinitati propiorem arbitrantur, vt Plutarchus aſſeuerat. Quinetiam ſacerdotes eadē cauſa plurimo vti ieiunio & abſtinentia conſueſſe, Porphyrius atteſtatur, vt eorum copia liberati, eorumq; pondere leuati, quæ intromittuntur in corpus, animi oculus à fumo fluctúque corporeo foras emicaret, neque commemoratione, neque demonſtratione iam indigeret, ſui compos, víque pollens ſua, ob naturalem ſui ſolertiam otij neſciam.

AGRICVLTVRA.

Nili effigies & deſcriptio.

VETERES autem legimus agriculturam hieroglyphicè per Nili ſimulachrum indicaſſe. Cuiuſmodi verò eius eſſet effigies, lepida deſcriptione Philoſtratus indicauit. Laſciuire enim eum, cubitulis ait circūludentibus: huic enim ſeſe ab vndis attollenti, magnitudinis quippe iſtiuſmodi pueri ridibundo adblandiuntur occurſu, ſexdecim numero, quot itidem cubitis ad fertilitatem facit exundatio, infantiliſq; ætas ea creſcendi eſt hieroglyphicum. Circumſiſtunt verò Nilum huiuſmodi pueri propemodùm garrientes, quorum alij humeris inſidēt, alij de cruribus pendent implicati, in vlnis alij cubitant, luſitant circa pectus alij: ipſe verò pater flores ſuaueolentéſque herbas de ſinu depromit, & in eos ſpargit: ex iis alij coronas cōtexunt, alij ſeſe illis obuoluunt, ſtratiq; per flores ſomnum captant: ſiſtra quatiunt alij, alij ſubiicientes alteri cuipiam humeros, ſcalarum vicem officioſè ſubminiſtrant, alteriq; alteris catena veluti iuncta ſuſtolluntur: neque abſunt qui plauſum ſonitumque ab aquis excitēt, applóſis manibus. Crocodili verò & fluuiales Equi procul hinc ſummoti, imo ſe condunt fluuio, ne puerulos perterrefaciant, & numinis ſui luſum interturbent. Hanc ſpeciem Philoſtratus, & agriculturæ fœcunditatem, & rei nauticæ lucrum, & communicatam longinquis regionibus & prouinciis opulentiam ſignificare teſtatur. Sexdecim verò ponuntur cubiti, quia ſi infra xv. ſubſederit auctus, bona Ægypti pars non irrigatur, ac perinde redditur ad ſerendum inutilis. Si ſupra ſexdecim attollatur, quantò altiùs inturgeſcit, eò magis fames expectatur: quia diutiùs aquis immorantibus, ſerendi præterit tempus, neque ſata poſſunt ad frugem maturitatémve peruenire. Auctu demùm intra xv. & xvi. conſiſtente, omnia ex voto ſuccedunt, ſeminibus latè iactis, & opportuno tempore maturatis.

NILVS.

ILLVD etiam adnotatu dignum, quòd ſimulacra fluminibus reliquis ex lapide candido fieri ſolita, vt vndarum nitorem exprimerent, Nilo verò ex nigro, vt Pauſanias ait, propterea quòd ex Aethiopia delabitur:

Vſque coloratis amnis deuectus ab Indis, ait Poëta.

Et ipſe fluuius à nigrore Melonis olim cognomentum habuit. Vnde Catullus eum ait æquora colorare, latè enim longeq; inficit mare, quia limoſus eſt, & vnda turbidiore, quare in mare delapſus aquam nactus nitidiorem, per longa ſpatia colorem ſeruans expatiatur. Qui tamen Nili coloſſus antiquus Romæ à Leone X. in Citriorum ſpecula dicatus, ex Pario marmore factus eſt.

DE LVCERNA.

SED vt reliqua prætereamus, quæ plurima Nilo ſuper dici poſſent, ad igniaria iam deueniamus, quæ quidem hieroglyphica multa ſecum trahunt, quæ tam à lumine, quàm ab ignis ipſius natura deſumuntur: ea quæ & qualia ſint, explicare iam cura fuerit, proindeque lucernam, fidam ſtudiorum vigiliarumq; noſtrarum comitem, ſeligamus.

VITA, ANIMVSQVE.

PRIMVM quidem lucernæ ſignificatū eſt, vt pro vita figuretur, cui oleum ad luminis viuacitatem infuſum, vitalem eum humorem oſtēdit, quo paſcitur calor, vt corpus viuificet: quo deficiēte, & calorem ſimul & corpus extingui neceſſe eſt. Inde apud Euripidem pleriſq; fabulis vitam relicturi dicunt, χαῖρε φίλον φῶς. Quam opinionem Plutarchus ſequitur, dum lucernam corpori, animæ quippe receptaculo, ſimilem dicit, lumen verò animo. Nam & ſacerdotes in captandis auguriis

A guriis lumine minimè cooperto clauſóve ideò vti ſoliti, ſummaq; aëris tranquillitate frui, quòd animum, qui certi aliquid coniicere velit, tranquillum ab omni ventorum turbine, hoc eſt, ab impuris affectibus liberum eſſe deceat, ne veluti aues aëriæ tranſuerſæ plerumque vi ventorū aguntur, ita internę mundi noſtri aues, quippe mentis agitatio ſolertiáque, & huiuſmodi pleraq;, errore perplexo diſturbentur.

ANIMAM SPONTE NON EXTVRBANDAM.

Veterū ſuper igne religio.

HINC illa apud veteres ſuper igne religio, vt eum porrò extinguere nefas eſſet, quem potiùs per ſeſe languentem deficere ſinebant. Tale quid in nobis, veluti per hieroglyphicum indicantes, ne vi animam exturbaremus, nobiſmetipſis mortem conſciſcentes: animam enim, inquit Plato, nobis cuſtodiæ creditam tandiu obſeruare debemus, quoad à Principe repetatur, ne ſi fractis ergaſtulis, perfoſſiſq; carceribus effugerimus, diuinas leges quotquot ſunt in nos, nullo relicto defenſioni loco, conuertamus.

LIBERORVM PROPAGATIO.

LONGE verò apertiùs ſexto de Legibus animam lumini comparauit, vbi ciues ait oportere liberis generandis atque educandis operam dare, vt vitam quam ipſi à maioribus accepiſſent, viciſſim quaſi tædas ardentes poſteris tradant. Hunc ſecutus Lucretius, vbi de animantibus agit quæ ſucceſſione propagantur, vita per vices aliis in alia transfuſa, huiuſmodi hieroglyphico rem oculis ſubiicere viſus eſt:

Et quaſi curſores vitai lampada tradant.

Lampadū ludus.

De ludo verò lampadum, quem dicunt à Prometheo inſtitutum, legendum apud interpretes Ariſtophanis, Ranis: apud Platonem lib. 1. de Republ. apud Pauſaniam, Atticis: apud Herodotum Vrania: & in Rhetoricis ad Herennium.

HOMO.

EODEM argumento Hercules humanas victimas in lumina totidem Saturnalitiis ſacris commutauit, in pietate oraculi per hunc modum perhumaniter emendata: nam Pelaſgos tradit Varro poſt longos errores perueniſſe in Italiam, ibíque ex oraculi Dodonæi monitis decumatos homines Diti atque Saturno ſacrificaſſe. Oraculum fuit, vt L. Manius ſe vidiſſe dicit ſuper tripode quodam in templo Iouis priſcis characteribus:

ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΪΔΕΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ,

quod ita Latinum fiet:

Plutoni capita, aſt hominem ſacra mittite patri.

Sedenim Hercules ex Hiſpania rediens, rei non ſacræ, ſed execrabilis immanitate offenſus, cùm Deos hos lumina, non homines ſibi depoſcere docuiſſet, quòd φῶς, commune vtrique nomen, & lumen & hominem ſignificaret, oraculúmque ita interpretandum,

Plutoni capita, at genitori lumina dentur.

Saturnaliorū inſtitutio.

obtinuit vt Diti oſcilla, & Saturno lampades dedicarentur, atque ita Saturnalia inſtituta, in quibus præter ſigillaria mos fuit cereos etiā miſſitare. Sanè humanas hoſtias Saturno immolare multarum gentium mos fuit, ſed immaniùs apud nullas, quàm apud Carthaginenſes, qui, vt Diodorus tradit, præſtantiores ex filiis ſuis ſacrificare conſuerant. Cæterùm cùm aliquando exuta feritate humanitatem demùm induiſſent, aliorum filios aut clàm ſurreptos, aut emptos, pro ſuis educare ſacrificioque ſupponere cœperunt. Euenit verò vt ab Agathocle Siciliæ tyranno poſt Alexandri C Magni interitum grauiſſima obſidione premerentur, atque vti mos eſt in calamitatibus, aut ad Deos, aut ad pietatem, nonnunquam etiam ad ſuperſtitionem confugere, ſuſpicari cœperunt. Saturnum iratum, quòd honore ſacrificij, quod fuiſſet à patribus inſtitutum, fraudaretur, tot in eos clades immiſiſſe, cumq; res palàm facta eſſet, multiq; inuenti eſſent, qui pro nobilibus & ingenuis ſacrificabant, antiquum ritum inſtaurandum cenſuerunt, quoq; Deos placarent, ducentos ex nobiliſſimis adoleſcentibus publicè ſacrificarūt: quamuis, vt in Porco ſcripſimus, apud Diodorum & aliquot alios variatur hic ſacrificatorum numerus aduſque CCC. Sed hoc parui refert, hiſtoria reliqua concorde. Plutarchus lib. de Superſtitione, vbi de huiuſmodi religione meminit, eos ait qui ſine liberis forent, pueros à pauperibus in hūc vſum emptitaſſe. Id genus ſacrificij tangit Plautus, cùm dicit: *Faxo vt bubulis, coryis onuſtus ſis Saturni hoſtia.* Q. Curtius id à Tyriis vſque ad vrbis excidium ſeruatum tradit. D. Auguſtinus iuuenes Saturno ſacrificari etiā apud Gallos morem fuiſſe dicit. Carthaginenſes tamen Gelon Siciliæ tyrannus legibus adſcribere coëgit, vt ab infanticidio deſiſterent, cùm eos apud Himeram debellaſſet, autor Plutarchus in Apophthegmatis, quódq; alij tradidêre immanem hunc morem Cambyſes rex Perſarum abolere aggreſſus, mox & Alexander Macedo, nihil quicquam profecerunt, ſed Hadrianus demùm ſuſtulit.

VITA DIVINA.

Ignis Veſtalium ſummā religio.

AT Veſtalis ignis ille, quem tanta diligentia Romanæ virgines nutriebant, ſublimiorem diuinioremq; vitam præ ſe ferre videbatur: hunc itaque & cuſtodia, & nutrimento adiuuabant, quòd ſuperioris illius vitæ ſymbolum æternū videretur. Atque inter portenta, vt & Dionyſius & alij referunt, vrbis perituræ præſagium habebatur, ſi caſu aliquo accidiſſet eum extingui. Hinc

Camillus ad Quirites ait: *Quid de æternis Vestæ ignibus, signóque quod Imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar?* & Maro:

Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Cernere est nonnunquam lucernam in basi alicuius simulachri: id æternitatem significare, nonnulli interpretantur.

INSIGNE AVGVSTALE.

OBTINEBAT sanè primas ignis inter insignia augustalia, vt ex Herodiano coniici potest, ita in Commodo scribente, quòd consilium suum ad Marciam retulit, vnam è suis concubinis cui scilicet plurimùm deferebat: ac propè vxoris eam loco habebat, sic vt præter ignem omnes honores illi velut Augustæ tribuerentur. Extant quædam Theodosianæ militiæ, & eorum qui Theodosium aliquot antè annis præcesserunt, monumenta, Prouinciarúmque, & Præfectorum, & Ordinum, & Manipulorum omnium, qui tunc Romano Imperatori parebant, quodam veluti rationario nomina & insignia descripta. In his videas Præfectorum abacos passim cum candelabris superimpositis figuratos, in plerisque etiam ara est in magni proceriq; tripodis speciem ex ære fabrefacta: quod nimirum ad huiusmodi dignitatis participationem referri debet.

DOCTORES.

IN Diuinis literis sæpe inuenias disciplinarum professores, mysteriorúmque interpretes, morumq; moderatores, per lucernam intelligi, quam Assertor noster hieroglyphicè monet super candelabrum statuendam, vt domesticis omnibus illucescat, discussisq; tenebris ad obeunda munera cuique sua lumen subministret. Addit & alibi, non occultandam esse lucem hanc, sed in frequenti quouis hominum cœtu proferendam. Quicumque igitur lucem de se daturus est, debet E priùs omnium vitiorum sordes perpurgare: neque enim vnquam charum præstabit lumen fæculenta materia. Quòd si lux vertatur in tenebras, vt rectè Climace sua Scholasticus, tenebræ ipsæ, hoc est, homines ij, qui sacris initiati non sunt, in quantam tenebrarum profunditatem coniecti cæcutient atque hallucinabuntur?

SPLENDOR NOMINIS.

ANTIQVI omnes lumen pro homine, qui vel ingenij vel corporis viribus fretus præclara facinora edidisset, hieroglyphicè ponere consueuerũt. Vnde Maro, *lumina tot cecidisse virũm* dolet. Et eadẽ synepeia: *Geminos terrarum lumina Reges*, vir, quẽ citare minimè pigeat, eloquentissimus Pontanus posuit. Sed nostra potiùs afferamus. *Parauí lucernam Christo meo*, legas Psal. 132. ibi interpretes per lucernam, gloriam exponunt, hoc est, splendorem nominis, præclaramq; famam, & victuram in illustri luce posteritatis suæ celebritatem. Alij tamen per lucernam Euangelium intelligunt, alij Ioannem Baptistam, qui etiam *Lucerna ardens* dictus est. Lucernæ quippe erant & alij Prophetæ, sed illunes propemodùm, quia ænigmaticè ferè omnes loquebantur. At Ioannes manifestissima declaratione Christum ipsum intento digito commonstrauit. Eucherius plerumq; bona opera per lucernam in Diuinis literis accipi tradit, vnde dictum sit Euangelio: *Sic luceat lumen vestrum, vt videant bona opera vestra.*

MORTES DVÆ.

CVM verò in hominibus duæ sint occumbendi rationes, vna quæ vi fit, altera quæ natura ipsa contingit: extinctum identidem ignem vi, violentam mortem significare dicebant, cùm scilicet quis, vti superiùs dicebamus, manus sibimet inferret. Quantum verò pertinet ad mortis rationem, quæ natura fieret, esse huius simulachrum volebant ignem, quem ita spontè deficere permi- F
Mortis naturalis imago.
sissent: cautum enim erat lege, ne cui prorsus ignem extinguere liceret, neque quidem alimenta adiiciebant, ne frustrà nutriretur: extinctum porrò nulli ex mulieribus licebat intueri. Sed qui veterum instituta eludunt, non alia de causa cultum apud Romanos ignem asserunt, quàm apud Ægyptios vel Canis, vel Crocodilus, vel Lupus enutriretur.

PIETAS.

PLERISQVE verò monumentis ignis est pietatis hieroglyphicum. Quòd si inferiora hęc vlla nos superioribus cõciliare possunt, nihil est quod maiore sit cum animo similitudine, cùm lumine polleat, & illustret omnia, ac perinde genios ac Deum ipsum nobis repræsentare videatur.
Ignis cur dictus sit animal.
Adde quòd nihil aliud viuenti magis congruit animali, animal & ipse à nonnullis existimatus, non ea tantùm de causa, quòd vt animalia cætera nutriatur, imò etiam omniuorus sit & insatiabilis, sed quòd etiam sensu pollere videatur, quod tunc præcipuè cùm extinguitur apparet, quippe qui veluti principij vitalis expers minimè sit, inclamat, excandescit, vlcisci studet, reluctabundúsque resistit, veluti reliqua faciunt animantia, quæ violenta morte perimuntur.

PERDITIO.

IGNEM alioqui belluam animatam esse Ægyptij ferebant, quæ quidem omnia absumeret, omnia depasceretur. Hinc apud aliquos videas ignem symbolum esse perditionis, cùm ita omnia consumat. Animal verò esse indicio est, mori eum deficiente pabulo: quare, vt alibi dictum, cadauera apud illos cremare nefas, vtpote quæ ita belluis deuoranda tradi viderentur, ideoq; in ignominiam combustum Amasios cadauer à Cambyse.

BELLVM

A
BELLVM.

VSITATISSIMVM etiam est ignem pro bellorũ significato ponere. Hinc Hieremias ollam succensam videt ad Aquilonem, vnde scilicet tot in vniuersum terrarũ orbem bellorum essent incendia motibus assiduis effundẽda. Hinc *tanti incendia belli*, legas apud Maronem: &, *Italiam ardere bello*, apud Ciceronem. Hecuba verò face prægnans, ignes enixa iugales est, in futuri belli, quo patria caperetur concremaretúrque, significatum. Aruspices enim ignem in huiusmodi sæpe portentum accepêre. Cuius non ignarus disciplinæ Virgilius, de Lauinia, cuius causa bellum adcò funestum excitandum erat, ita cecinit: *Hecubæ partus ignem.*

Prætereà castis adolet dum altaria flammis,
Et iuxta genitorem adstat Lauinia virgo,
Visa (nefas!) longis comprendere crinibus ignem.
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesq; accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum spargere tectis,
Id verò horrendum, ac visu mirabile ferri,
Námque fore illustrem fama, fatisq; canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

SIGNA MILITARIA.

B APVD Romanos inter alia militaria signa nonnũquam & flammulas rufas inuenio gestari solitas, fuisseq; flammam prosperi euentus signum vbique legas: veluti pugna quam Romani *Romanorũ cum Sabinis pugna.*
cum Sabinis ad Heretum commisere, vbi ferunt militares Romanorum hastas ad altam noctem pertinaciter ardere visas, nec, cùm omnia consumat flamma, ex iis quicquam esse detritum: quo facti audentiores, veluti Deorum aliquis victoriam pollicitus esset, vbi primùm illuxit in Sabinos illati, qui multitudine longè præstabant, insigni eos victoria profligarunt.

VMBRÆ.

HINC etiam superstitibus animis vmbrarum nomen, quia fumus adhuc vel torri, vel carbonibus pertinaciter inhærescens, diutiùs vaporat, nutrimento adhuc residuo. Vulgò enim creditur eorum diutiùs errare animas, qui ante diem violenter occubuerint. Quare ita Dido Maronana minitatur:

-- Sequar atris ignibus absens,
Et cùm frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero.

MVLIERIS AMOR.

APVD Onirocritas legere est lucernam ardentem esse mulieris signum, quæ sit amore capta, *Amor inconstans.*
propterea quòd leuis, inconstans, & infirmus admodùm sit earum amor, qui lucernæ instar, minimi flatus impulsu extingui potest.

LVCVBRATIO.

VVLGATISSIMVM verò est lucernam pro lucubrationibus ponere, vnde Demosthenis illæ, ac Aristophanis Grammatici, & Cleanthis lucernæ celebratissimæ, atque illa Epicteti tam fre-
C quenter à nostris & à Græcis autoribus decantata, vt nulla apud omnes celebrior, nulla pretiosior habeatur. Sanè quidem à Pythea obiectum Demostheni quòd eius enthymemata lucernam olerent, quippe quòd is nihil ex tempore diceret, sed meditatione & vigiliis singula elucubraret: ne- *Lucernam olere quid.*
que segnis in respondendo Demosthenes, qui non eodem pretio sibi & illi constare lucernam subiecerit, nocturna scilicet illi conuiuia exprobrans, quibus ille plus indulgeret, quàm Demosthenes studio. Æschines quoque nimiam hãc hominis diligentiam incessans, λυχνεύχρον eum appellat, siue quòd semper, vti dictum, ex scripto diceret: siue quòd, vt nonnulli aiunt, in vtriusque partis fauorem aliquando scriptitarit. Vnde iocus ille apud Aristoph. Erine, de lucernarum fabro, & quòd omnia iam consilia sint ad lucernam consultaturi. Sed vt ad lucernam redeamus, Plato cùm summi boni, quà poterat, cognitionem perueſtigaret, id minimè explicare posse contendit, sed ex diutino contubernio, tanquam ex igne statim prosiliente, succensum ait lumen animam irrepere. Sed longè ante Platonem magnus dixerat Propheta: *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.* Et, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et, *In lumine tuo videbimus lumen.* Hinc illa Esaiæ celebris adhortatio: *Illuminare, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum*, & pleraque huiusmodi de aduentu IESV, qui verum & vnicum est lumen. Passim verò apud hos ignis fidei *Ignis fidei symbolum.*
symbolum est, lucerna scientiæ, quas in manibus habendas diuina institutione commonemur. Et Psalmo 18. illuminandam à Deo lucernam prædicitur, vbi nonnulli interpretes per lucernam, intellectum, per tenebras corpus exponunt. Cedunt verò tenebræ, vbi veræ scientiæ lumen effulserit. Quòd verò pro lucubratione lucerna accipiatur, in causa sunt nocturnæ vigiliæ, quæ meditationi maximè commodę sunt, & ad excogitandum propter silentium aptissimæ. Vnde illud, plus olei, quàm vini quosdam absumpsisse, qua de causa Poëtæ noctem δῖφεγνν, à meditationis pro-

ptitudine vocitant. Epicharmi dictum est, si quid scitu dignum quæras, nocte meditandum: & vt D semel dicam, nihil ad studia nocte commodius. Quare non incongruum lucubrationis symbolum est lucerna, cùm præcipuè frequens Ægyptiorum mos fuerit, per instrumenta sæpiùs eorum vsum significare.

DE FACIBVS.

ADDEMVS lucernæ faces, vtpote quæ in eundem cum lucerna veniant vsum: nam & Cicero aliquid se ad ligneum lychnum non sine delectatione scripsisse profitetur.

AMOR.

AEGYPTII sacerdotes, qui odium per aquas intelligebant, sub hoc tamen nomine mare ipsum accipientes, per ignem amorem exprimi voluerunt, ideoque faces passim Cupidini dedicarunt: notum enim illud de amore captis, vri eos intimis medullis. Et apud Maronem: *Amoris vis.* *Regina cæco carpitur igni.* Alibi: *Est mollis flamma medullas.* Atque eadem, *Vritur infelix Dido: Ardet amans Dido.* Cyrus apud Xenophontem, ignem ait vrere homines qui eum tangant: amorem verò non præsentes tantùm, verùm etiam longè absentes inflammare. Meritóque Porcius Licinius dixit *Amor cum facibus & alis cur.* hominem ob amorem non esse ignitum, sed ipsum ignem, cùm ait: *Quæritis ignem, ite huc: quæritis, ignis homo est.* Vulgatum & Isidori dictum autoris Græci de amore loquentis, ea de causa cum facibus & alis amorem pingi solitum, quòd nonnunquam cupiditate impatientiùs exurat, nonnunquam verò præ satietate abuolet. Nam & Propertius alas illi in huiusmodi vsum traditas arbitratur, vt eius ostendat instabilitatem, dicens: E

Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostráque non vllis permanet aura locis.

Sed cùm amorem firmissimam in se vno tantùm posuisse sedem indicare velit, ita subiungit:

Sed certè pennas perdidit ille suas.
Euolat is nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusq; meo sanguine bella gerit.

Sed quod ad faces pertinet, Hesiodus cùm terram, aquam & aërem genitos posuisset, quarto loco amorem genitum subiecit, per quem interpretes hieroglyphicè igneum elementũ intelligunt.

AMOR MVTVVS.

DVÆ faces vinculo constrictæ diuaricataq;, nimirum indicia sunt amoris mutui, quem Græci ἀντέρωτα dixerunt, vti ἀντίδεον πολύφημον Homerus. Pinguntur verò hæ accensa parte sursum versus erecta.

AMATORES MORTVI.

QVÆ si pingantur inuersæ, amatorum funera indicant, vt in Elegia, qua Tibulli mortem deflet Naso, legere est:

Ecce puer Veneris fert euersámque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce faces.

Sed rem Ægyptiacam, qua ratione quis euasisse de amoris ergastulis indicare possit, in Erycinæ F Veneris templo sculptam idem admonuit II. de Amoris remedio:

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic lethæus amor, qui pectora sanat,
Inq; suas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & iuuenes votis obliuia poscunt,
Et si qua est duro capta puella viro.

Erycinæ verò Veneris templum non tãtum loco hoc ad Erycis filij memoriam respicere videtur, quam verum tacitè innuit Græci nominis significatũ, hoc est, assertricis, quippe ab ἐρύκω τὸ ἐρύομαι, assero, libero, defendo: vnde ἔρυμα, munitio, propugnaculum. Inde etiam Eryci epitheton celsus, quòd editioribus locis arces olim fieri solitæ.

NVPTIÆ.

Romanorũ mos in nuptijs. ERAT & nuptiarum index fax illa, quã prætextatus puer apud Romanos patrimus matrimúsque præferebat, duobus aliis eiusdem ordinis & conditionis nuptam deducẽtibus. Noctu autem, prima aut secunda hora ducere mos erat, ominis causa, quod ita optima ac secundissima euentura sibi proponebant: quod nonnulli tradunt in honorem Cereris institutum. In hoc autem sacro ea superstitio accesserat, vt fax ea ab vtriusque amicis raperetur, perfuncto munere, quòd ea incesserat religio, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulcro comburendam curaret, siquidem vtroque mors propinqua alterutrius captari, putabatur. Addemus, tametsi παρ' ἔρον, institutum apud Romanos fuisse vt virgo, cùm ad virum tradebatur, de matris gremio, aut

A aut alterius, quæ proxima necessitudine esset, rapi simularetur, eo scilicet omine, quòd ea res feliciter Romulo cessisset. Hinc illa apud Catullum:

Hesperе qui cælo lucet crudelior ignis,
Qui natam possis complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam,
Et iuueni ardenti castam donare puellam,
Quid faciunt hostes capta crudelius vrbe?

Sed vt ad facem reuertamur, apud Græcos ad id ministerij ancillæ adhibebantur, vti cernere est in Herculis Scuto apud Hesiodum: opus enim id antiqui illius esse Apollonius & Stesichorus agnoscunt. Ibi nouam nuptam plaustro vectam videas: *Græcorum mos in nuptijs.*

Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλυφάζε χερσὶν ἐυὶ δμώων.
Ardentes latè spargebant lumina tedæ, Quas manibus famulæ gestabant.

Quanquam moris etiam inuenio apud Græcos fuisse, vt mater nuptiales eas faces prætenderet, vnde apud Euripidem:

ἐγὼ δ' ὅτε σοὶ πυρὸς ἀνῆψα φῶς
Νόμιμον ἐν γάμοις ὡς πρέπει μητρὶ μακαρίᾳ.
Atqui nec ignis prætuli lumen tibi,
Nempe vt beatam in nuptijs leges monent Decere matrem.

Æneas apud Virgilium cùm se maritali coniugio deinctum abnegaret, ait:

Nec coniugis vnquam prætendi tedas.

B

CERES.

EST etiam Cereris gestamen fax, in eius enim manu alicubi cernitur, quam aiunt ab ea incensam in Ætna, cùm filiam perquirere instituisset.

ILITHYIA.

QVINETIAM Ilithyiæ hieroglyphicum est, cum face in vna manu, altera passa & exporrecta, à capite ad pedes tenuissimo panno contectum, prout apud Æginenses fuisse Pausanias meminit. Fax verò illa, vel partum, ob dolorem, ignis violentiæ assimilari ostendit, vel lucis illius quam nascentes indipiscimur, indicium est. Exporrecta discapedinataq; manus eo significato ponitur, quòd solui grauidam partu dicimus. Amictus per se patet.

DE TVRIBVLO ET PHIALA.

VONIAM verò multa super Vrna priùs & Phiala dicta fuerunt, contrariaque his addita Lucerna, & Faces, consentaneum est visum, vt quid vtrumque simul iunctum significet, videamus. Proposita autem sunt pro hieroglyphico Turibulum & Phiala.

DISCORDIA.

SVNT enim qui turibulum, aut aliquod aliud vas igniarium cum aquario pictum, vnde scilicet ignem & aquam inesse perspiceretur, quippe si ex vno ignis promicaret, in altero aqua desideret, discordiæ signum esse tradant, quòd ea naturæ sint maximè contrariæ. Vnde *Ignem aquæ permiscere* dictum de iis, qui se ea præstituros pollicentur, quæ fieri nequaquam possint. *Prouerbiũ.*

PVRITAS.

C SEDENIM Ægyptij sacerdotes per ignem & aquam, quippe turibulum & phialam, labes maculásve detersas elutasq; optimè significari volebant: quin etiam ignorationem hallucinationemq; doctrinæ ope summotam, vbi præsertim ita illæ officerent, ne quis discernere aut internoscere potis esset, vbi veritas latitaret, quòd per huiusmodi elemẽta rerum omnium defęcatio peragatur, ac puritati suæ restituatur, vt qualis sit appareat: aqua enim maculas eluit, quę verò aqua efficere non potest, ignis exequitur. Hinc illa apud veteres aliarum quoq; gentium appellata *Suffitio*, quotiens qui funus prosecuti fuerant, quòd polluti haberẽtur, ignem aqua sparsi superingredi consuerunt, purgationem scilicet hinc fieri persuasum habentes, & quauis pollutione infectos ita liberari. Vnde nonnulli per aquas quæ super cœlos sunt, purificatorias virtutes, vt ait Ambrosius interpretati sunt. Aquas verò super orbes ætheris esse, idem die secunda validissimè contendit. Doctè autem Catullus, cùm in aqua puritatem hanc intelligeret, dixit: *Aut quilibet qui puriter lauit dentes*, hoc est, aqua sola lauit, vnam eam allutionibus aptam non ignarus, humores verò reliquos aut inficere, aut medicamentum esse. Ignis autem, vt nostri veteres tradidêre, purgat, aqua expiat, lustrátque. Hinc ille Plautinus iocus Aulularia: *Aqua suffitio dicta.*

Quid impurate, quamquam Volcano studes,
Cœnæne causa, aut mercedis gratia
Nos nostras ædes postulas comburere?

Et apud Lycophronem legas Thetim indignatam, sed eam mortali Peleo in matrimonium collocatam, filios quotquot oriebantur in ignẽ exurendos coniicere solitam, quòd ita rebatur mortalitatem exuri, & quod immortale esset perpurgatũ conseruari, veluti aurum ęre cõfusum ignis ope purgatur, posteaquàm quicquid admixtum erat æris, in fumum & scoriam verterit. Atque ita sex *Thetis indignatio.*

iam

Deus ignis consumens.

iam filios absumpserat,donec ad Achillē ventum,quem pater superueniens ab igne exemit,Chironiq; curandum commendauit.Sacræ verò literæ apud nos Deum esse ignem consumētem asserunt,igneosq; fluuios hunc præcedere: quin & eundem ipsum instar ignis omnia conflantis incidere:in quo nimirum nequitia intelligetur,quæ à Deo consumatur,cùm omnis ab eo sit purificatio,nempe vnumquodque opus quale sit probat ignis.Referta autē est natura humana tum plumbo, quo animi nostri pergrauati ad terrā inclinant:tum aliis impurioribus metallis, quæ rubiginē inducunt,vel auri & argenti naturam adulterant,vt ait Adamantius : quare diuino illo igne opus est,vt quæ vndequaque immixta est animi nequitia deleatur.In quam sententiā peccanti populo dictum in sacris literis:*Habes carbones ignis,quibus insideas,hi erunt tibi in auxilium.*Sed nusquam apertiùs quàm in Esaiæ visione purgatio hæc ostēditur,vbi vnus de Seraphin à Deo mittitur,qui pruna de altari incenso forcipe apprehensa,Esaiæ labra tetigit dicens:*Ecce abstuli inquitates tuas, & peccata tua circumpurgaui :* labia enim immunda se habere profatus erat, & in medio populi labia immunda habentis habitare. Transfertur nimirum ignis ad turibulum per quod in Diuinis literis linguam Dominicam intelligunt,lingua verò ignis,in quo Spiritus.Vnde Dauid, *Carbones succensi sunt à Deo,*qui scilicet nos calefaciant ad pietatem,impellantq; mentis nostræ impetum ad doctrinam Dei,vt oratio nostra in conspectu eius tanquam thymiamātis odor ascendat. Aromata enim super ignem imposita,hieroglyphicè orationē spiritalis doctrinæ significant,vt traditum à Theologis ostendit Hierosolymitanus Hesychius. Præcipuè verò thus gratiarum actiones & oblationem significat,non solùm quia dictum est Deo,sed quia,vt Medici dicunt, multas oculorum sanat ægritudines.Quòd verò thus,idque lucidissimū, super XII. propositionis panibus XXIIII. Leuitici poni iubetur,LXX.Sal reddiderunt,quod Apostolorum doctrinam significaret:illi enim Sal terræ.Hebraica tamen lectio *Lebone* habet,hoc est,thus.In iisdem Diuinis literis mentio fit de carbonibus desolatoriis:eos esse dicit Eucherius,qui peccata dissoluunt:huiusmodiq; fuisse illum, qui ad labia Esaiæ Prophetæ appressus est,vt quæ is cōtrexerat vitia, perpurgaret.Ponūtur etiam pro igne charitatis,aut exemplorum,aut pœnitentiæ, quāquam de carbonibus his aliter in Iunipero traditum.Facit ad hunc locum id etiam quod apud Ezechielē legimus,Deum vti corpus visum,à cuius lūbis vsque ad pedes mēbra omnia igne conflagrabāt, à lumbis verò vsque ad caput electri speciem erat,quo nihil magis est hieroglyphicum.Nimirum indicat hoc, renes lumboſque, & quæ partes ad terram tendunt,exurendas esse:illecebras quippe,nequitiam,& voluptarios affectus omnes perpurgandos:ita enim quæ à renibus supernè existunt, supraq́ue mollitudinis & nequitiæ operā attolluntur,in purissimam electri materiam euadere : electrum enim auro pretiosius esse contendunt.Si nostrum igitur corpus,Dei corpus esse volumus,vitia eius igne percrememus, eo quippe quem Deus immittit,vt ita sordibus exuti, loti, perpurgatiq́ue , electri speciem,per ea quæ ad sapientiam pertinent,exhibeamus.

Aromatum hieroglyphica.

VESTA.

Ignis duplex consideratio.

DVPLEX verò apud veteres erat ignis cōsideratio,quippe qui materialē hunc nostrū longè diuersum à superiore illo dictitabant.Eum sanè in sublimi positum , Volcanum appellantes, quasi Volicanum dicere voluissent.Vestam verò aiebant domesticum hunc nostrum esse , vt alibi dictum,autore Varrone:quamuis Ægyptij transluciduin & purum illum ignem Palladē esse volebant,hunc verò qui materiæ applicitus est,Vulcanum intelligebant. Sed huius argumenti consideratio examinatur in Vulture locupletiùs.Quantum autem pertinet ad Vestam,simulachrū eius strongilari figura,obrotunda quidem,& in acutum prominente, quæ circa medios humeros resideret,cuiusmodi est coagmentatæ figura terræ.Eadē & sedētis habitu statuebatur,& apud Græcos ἑστίαν quasi τὸ ἑστάναι, τὸ ἱδρύσασθαι,quod sedes ponere significat,appellatam aiunt.Sessum verò ad diuinitatis perpetuitatem spectare,alibi commodiùs differendum est. Quod verò περὶ τὸ ἱδρύσασθαι dicebamus,qui vulgi dicta consectantur , ab ea tradunt ædificationis principium esse. Scriptores enim rerum affirmant artes nullas à mortalibus inuentas,priusquàm ignis repertus esset , quo deprehenso , eiusque vsu cognito , reliquæ omnes artes inde in dies magis ac magis profecēre,cùm vnusquisque ignis commoditate adiutus noui aliquid semper excogitarit,& modò hoc, modò illud opus mortalium vsui proposuerit.

NVPTIALIA, VEL PVRITAS MARITALIS.

Ex aqua & igni rerum formæ.

QVOD verò purificatione super dicebamus,nonnulli aiunt inde sacris nuptialibus ignem & aquam præferri solitam:nam & huiusmodi donaria nouæ nuptæ apponebantur,quę scilicet vxorem puram & castam permanere oportere docerent.Qui verò instituti huiusmodi ratione altiùs rimantur,naturæ vicem hinc intelligi interpretantur.Ignem siquidē aiunt actionis vim obtinere,& agendi elementum esse:aquam verò patiendi.Hinc Philosophi non defuēre, qui rerū formas ex aqua,per admixtionem ignis,produci existimarint,atque ita auspicatissimè ignis & aquæ sacramēto nuptiarū fœdera sanciri.Apponebātur verò hæc in limine domus, quà spōsus & spōsa intraturi essēt,vt ea oblata species,memores eos redderet quorsū essēt huiusmodi sacris initiati.

ÆRVMNÆ.

SED ENIM Græcus Poëta quidā acerbè nimiùm rem huiusmodi interpretatus est, cùm dixit: Θάλασσα,

A Θάλασσα τὸ πῦρ, & γυνὴ, καὶ τρία,

tria quippe accidere mortalibus ærumnosa,mare, ignem, & fœminam. Et Theologi nostri ignem in Diuinis literis pro ærumnis & calamitatibus quæ probent hominis fortitudinem, poni dicunt, in eamq; sententiam dictum autumant Psal.65.*Igne nos examinasti,sicut examinatur argentum,* quódque ibidem est: *Transiuimus per ignem & aquam*, calamitates quaquauersum ingruentes , omnéque genus ærumnarum vno impetu effusum intelligi volūt, quasi nihil iam atrocius, neq; miserabilius esse possit,in vllo malorum genere, quod exantlatum non esset : alterum enim horum atrocissimo cruciatu conficit , alterum inimicissimo animæ mortis genere suffocat, quippe quæ cùm ignea sit, nihil indignius pati se posse putat , quàm per aduersarij sui violentiam exturbari. Ita & illud in Euangelio : *Frequenter eum & in ignem & in aquam misit, vt eum perderet,* quod pro periculosis euentis positum ait Eucherius.

NECESSITAS.

Vxor malū necessariū.

SED vt ad nuptias reuertamur,longè honestiùs Metellus,qui de vxore ducenda sententiam interrogatus , vxorem esse malum haudquaquam inficiatus est, malū tamen id esse necessarium: igitur per ignem & aquam necessitatem interpretabimur, quæ ducere vxores iubet : non tantùm ob sobolem,quæ præcipua causa est,verùm etiam vt sit,quæ domus & familiæ totius curam suscipiat,& quodam veluti gubernaculo administret ac regat.

VITA.

Saturnus patris genitalia amputans quid.

B VTCVMQVE verò senserint alij,scimus ignem & aquam vitæ priùs auspicia dedisse,vitamq; quandiu vitales auras carpimus , conseruare. Quis verò ignorat , sine maritali copula breui periturum esse humanum genus omne,cæterorumq; animalium species defuturas? Quare exules, qui vita censebantur indigni , aqua & igni priuabantur. Sanè Poëtæ cùm fingunt Saturnum amputasse genitalia patri Cœlo,eaq; in mare abiecisse,indéque natam Venerem,id significare volūt, igneum semen admixtum cum humore,generationis fuisse principium.

CONIVGII COMMODA.

NON absurdè etiam voluptatem, & vsum, quæ soleant ex vxoria consuetudine,vnanimíque concordia percipi,qualem Homerus mirificè commendat , per huiusmodi ignis & aquę fercula interpretabimur,cùm nihil ferè sit in rerum natura igne iucundius,nihil vtilius aqua,quę sola ex rebus omnibus necessitatibus innumeris opem affert , quare aquam Pindarus *Optimam,* Aristotele etiam comprobante,nuncupauit,igneum etiam ardorem auri pari elogio prosecutus.

MAIORIS LVMINIS VIOLENTIA.

ET ne longiùs à Pindaro recedamus,argumentum is pulcherrimo hieroglyphico subministrauit,ode Olympiorum prima, vbi fulgorem ignis celebraturus inquit, αἰθόμενον πῦρ ὥστε διαπρέπει νυκτί: non ignarus scilicet,ignem soli expositum amittere omnem splendoris gratiam, quæ noctu suam habet commendationem.Elegantia igitur ingenia virtutem cuiuspiam,præstantioris alicuius interuentu obnubilatam, labefactatámve , significare cùm vellent , ignem Soli expositum, pingere cogitarunt: siquidem ignis splendor, vt palàm est,Soli expositus,vim amittit suam,noctu verò præualet,&,vt in suo regno,peruigescit. Atque hoc est quod Pindarus ait, διαπρέπει νυκτί.

NVMEN.

Persarum super igne religio, & Lyciorum.

C CVM tot igitur sint ex igne vtilitates , totq; magnarum & admirabilium rerum similitudines habeat,non immeritò à Persis in primis, & Sacer , & Æternus vocabatur , quem quacumque rex exercitum duceret , magni numinis instar argenteis altaribus impositum præferebant. Super hoc Maximus Tyrius : *Perse diarium ignem adorant , nimirum diuinitatis signum , insatiabilem , voracem.* Huic cùm sacrificant,illi alimentum præbentes his verbis vtuntur:*Ede ignis domine.* Neque Persarum tantùm est ignem colere , vt idem Tyrius refert , sed Lyciorum etiam , apud quos Olympus ignem emittit,hunc sacrum habent. Ferunt autem ignis , quo Zoroaster conflagrauit , reliquias, tanquam ignis diuini à cœlo delapsi,à quodam susceptas,ad Persas,vt perpetuis excubiis seruaretur,esse delatas : atq; hinc apud eos ignis cultum habuisse principium.Fuit verò Zoroaster is, vt à veteribus accepimus,Chamis filius Mezraim nomine,qui Magia per manus à patre accepta, signa quædam veluti Stellarum scintillas de cœlo deducere,& alia huiusmodi ostentare solitus,diuinitatis sibi nomen asserebat, donec fulmine tandem ictus interiit : mortalium tamen imperitia , qui tunc erant,ita raptum eum fulmine & cœlo illatum credidit,mutatoq; nomine Zoroastrum,quasi viuum astrū appellauit,subsecutaq; deinde ætas omnia quę fulmine tacta essent sacra existimauit. Sanè Orpheus, à quo noctem alibi diximus Luminis parentem appellatā , æthera πύεσπον vocat, quippe igneum spiraculum.Euripides autem:*Vides excelsum,qui illum infinitum ætherem,& terram vndequaque circumplectitur humentibus vlnis,hunc crede Iouem, hunc arbitrare Deum.* Quem secutus Ennius: *Aspice,* inquit,*hoc sublime candens,quem inuocant omnes Iouem.* Veteres hunc Diespitrem, & Lucetium dixêre,Græci Ζῆνα,à ζῆν,quod viuere est.Vnde Ioan.*Vita erat.*Plato Cratylo διὰ dū vocat,transfert ad præpositionis vim, vt Ioannes idem : *Per quem omnia facta sunt.* De splendore verò : *Et erat facies eius sicut Sol.*vt apud Malachiam : *Orietur vobis timentibus Sol iustitiæ.* Sed quæ plurima pertinent ad

Zoroaster.

Solis

Solis hieroglyphicum, cùm ea commodiore loco pleniùs dicta sint, in cœlestium corporum commentario, breuiter hæc tacta sufficiãt. Quàm verò attonita propemodùm veneratione apud Persas coleretur ignis, ex eo manifestum est, quòd grauissimus apud eos mos supplicandi fuit, cùm quis igne in manus accepto supplex interminabatur, eum se in aquam iniecturum, si voto excidisset: non esse illi fas ducebant eum reiicere, qui sic preces allegasset. Sedenim vt impudentiæ nonnullorum modus imponeretur, neq; vlli violandi ignis occasio permitteretur, lege inde sanxerũt, vt qui eo supplicandi genere vsus esset, supplicio multaretur. Autor Plutarchus.

TENTAMENTVM.

Iuramentũ in Liuonia obseruatũ. FVIT & apud quosdam è nostris populos, iuramenti atque iudicij species super ferro cãdenti superstitiosè potiùs quàm piè per æditumos templi in Liuonia præsertim obseruata. Nam sceleris alicuius accusati, ad ferri candentis iudicium vocabãtur, & id subire nonnunquam vel inuiti compellebantur. Id erat eiusmodi, vt criminis reus ferrum candens, è mediis prunis exemptum, in manus caperet, accusatoribusq; & iudicibus ostentaret, siq; adustione nulla subsecuta illęsus esset, absolueretur: si autem vim eam pati non posset, obiecti criminis ita conuictus, damnaretur. Purgabant verò se priùs ieiuniis, confessione, & Eucharistia, mox ad horrificum illud experimentum accedebant: id, quia periculosum erat, & insontes aliquando ex eo condemnabantur, præcipuè verò contra Christianæ pietatis mores erat, Deusq; tentari videbatur, Honorius III. fieri per grauissimum edictum vetuit, vt Decretalium lib. 5. tit. 36. *de Iniurijs*, cap. 3. habetur.

DE FVMO.

ACC, ne fumum etiam præteream, postquàm super igne multa diximus, quod fumi significatum esset, iam aperiemus.

IGNIS.

ORTVS à terra fumus, & in cœlum sese attollens, ignem, ait Horus, significare perhibetur. Porrò ignis Aristoteli nihil aliud est, quàm fumus incensus, & apud Homerum totiens fumus expetitur, vnde ignem ac mox habitabilem esse regionem coniicere detur. Eò verò hieroglyphicum fumi tendere videtur, vt suspicionem aliquã non temerè obortam esse intelligamus. Nam *Prouerbiũ.* cùm rumor aliquis in vulgus emanat, dici solet, *Absque igne fumum nullum oboriri.* Et Petrus apud Clementem: *Fieri minimè potest*, inquit, *vt consurgat fumus, vbi non sit ignis.* Quinetiam vbi Pindarus, Nemeis, inquit, ὕδωρ καπνοῦ φερτάτιον, certet aquam apposuisse fumo: fumum, ait interpres, pro igne posuit, ex sequela scilicet signum quod præcedit indicans. Et Psalmo 17. legas, *fumum ascendisse in ira Dei*, & euestigiò ignem exarsisse, vbi quidam aiunt interpretes, inuectum quidem primò in Dæmonis peruicacia comprimenda, mox ad vitia reliqua extirpanda aggressum. Alij fumum hoc loco initia futuræ compunctionis intelligi volunt, & ita sentit Eucherius, quod ad Ægyptiacum accedit hieroglyphicum: quamquam & Dei comminationes significare posse non inficiatur. Nam, vt etiam apud Plautum, *flamma fumo est proxima.* Quæ omnia nostri multò antè literarum monumentis mandauêre. Sic Ecclesiastici 22. legas: *Vaporem fumumq; emanare in altum ante ignem*, ita & contumelias & minas sanguinis esse præuias.

PERDITIO.

In fumum rem abijsse quid. PERDITIONEM multi per fumum intellexêre, & mos est, opes diuitiasq; magnas, Regna, & vnãquamq; rerum amplitudinem *In fumum abijsse* dictitare, cùm ita consumpta fuerint, aut ita collapsa defecerint, vt ne vestigium quidem pristinæ maiestatis relinquatur. Iocatur in hanc sententiam Horatius, vbi Mennium paternorum maternorumq; bonorum abligiritorem omnia in fumum ac cinerem vertisse dicit. Ad hoc succurrit Demonactis Philosophorum omniũ festiuissimi dictum, qui à quodã interrogatus eludendi causa, vt pleriq; literatos ita tentare solent, quot fumi minæ ex mille lignorum minis combustis educi possent: *Cineres expendendos esse*, respondit, *reliquum in fumum abijsse*, quod ea ratione supputatur, qua Archimedes detractum fraude aurum à Redemptore ex votiua Hieronis corona deprehẽdit, de qua latè apud Vitruuium. Quod verò ait Hesiod.

αὐτὰρ ἐπὴν σταθμὸν μὲν ὑπὲρ καπνοῦ κατέθηκε.

Quamprimùm fumo properes clauum imposuisse.

præclari admodùm interpretes: *Posteaquàm combusseris*, exponunt, vtpote qui nolit fratrem vlteriùs rei maritimæ dare operam, sed solam exercere agricolationem.

SOLICITVDINES.

SVNT tamen qui loco hoc Hesiodiano philosophari malint, & pro Fumo, vitę nostræ solicitudines accipiant, quæ intellectum ac rationem ipsam obtenebrant. Difficulter enim posse nos pura sensuum claritate, hoc est, tranquillitate frui, vbi illa ingruerint quę mentis oculos lancinent & cæcutire faciant.

BONA VOLVNTAS PER ERROREM OFFVSCATA.

SVNT qui per fumum bonam proficiendi voluntatem, quæ tamen sit erroris tenebris offuscata, interpretentur: cui si fomes adhibeatur, hoc est, si recta accedat institutio, flatúque verborum adiuuetur,

adiuuetur, ignem promicaturum, hoc est, rectorum operum effigiem apparituram. Hinc Esaias, lignum, à quo vel tenuis admodùm fumus exhalet, minimè extingui debere præcipit: vbi fumus, tantillæ illius pietatis quæ sit in delicioso diuite signum esse videtur. quam sententiam acutissimus etiam Scotus claro fretus lumine cognouit.

IMPERITIA.

SANE' fumus est etiam imperitiæ symbolum, cùm lumen sit doctrinæ signum: cuius cõtrarium est caligo ipsa: vnde caligare errantes dicimus: fumus verò est, qui caliginem inducit. Transfertur & ad vitia, vt Alexandrinus Clemens: *Vitia*, ait, *veluti fumum immensum esse*, qui vniuersam mundi huius domum repleuerit, atque hæc institutionem malam, sodalitates pessimas, consuetudinem improbam, colloquia praua, opinationes haudquaquàm rectas inuexisse, vnde primùm error, inde contemptus, tum infidelitas, atque malitia, paratáque semper ad nocendum versutia, auaritia, vana iactantia, atque alia huiusmodi exoriantur. *Vitia fumus immensus.*

PIERIVS VALERIANVS AD MARCVM MANTOVM IVRISCONS. PRÆSTANTISS. DE IIS QVÆ PER LYRAM, ET arma quædam alia musica significantur.

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XLVII.

SCRIBONIVS *Libo, magnæ olim apud Romanos celebritatis, inter opera multa quæ magnifica & præclara posteris reliquit, numum eum argenteum signauit, in quo putealis, quod pro foro iudiciali fecerat, exemplum expressit, victurũ operis à se instituti monumentum. In eo verò multi non incuriosè quæritare solent, quid sibi velint lyræ, ad singulos putealis angulos adsculptæ: Quorsum enim aiunt, lyra ad litigiosa dissidia, discordésque contẽtiones? aut quid putealis aquæ silentium & quies, ad vllam facit harmoniam, aut clamosi strepitum fori? Quibus ego respondere soleo, sapienter à Libone ornamentum illud eo loco excogitatum, vtpote qui ob oculos ea posuerit, quæ his, qui locum eum frequentarent, & vtilia & salutaria viderẽtur. Litigãtibus quidem, vt concordiæ memores, ad pulcherrimum suauissimumq; eius fructum oculos intenderẽt, quo quidem nihil humano generi accidere posit vtilius, neque commodius. Causidicis, si clientibus consultum vellent, congruentia susceptæ materiæ dicerent: ab ijs quæ incongrua & discrepantia essent, abstinerent. Qui autem iudicaturi consedissent, rationum & argumentorum, quæ allatæ essent, consensum, veritatem, aut non leuem saltem verisimilitudinem acriter inspicerent. In cuiusmodi sermonem cùm proximis diebus apud communes amicos incidissem, euenit vt iucundissima tui recordatio è re nata surreperet, quòd anteà diu multumq; cogitaueram aliquod ex hieroglyphicis meis commẽtarium tibi (Marce præstantissime) deberi, quando te potissimùm impulsore labor hîc omnis susceptus est & exantlatus. Ipsa autẽ Lyra magis conueniens visa est, quàm res alia quæpiam, quæ tibi donaretur, quam tu scilicet suauiter adeo, seu linguam causis acuas, seu ciuica iura respondere paras, concentu tam mirifico resonare facis, vt omnium mentes, tanquam Amphion alter, quoquò velis trahas, neque saxa tantùm moueas, sed vel adamantina destinatorum hominum corda, quotiens adlibuerit, arbitrio verses tuo, siue disertissimè discutiẽdo de cathedra intones, siue in foro agendo fulmines, siue mare terras q; publica vel priuata tempestate perturbatas, clarissima ingenij tui serenitate tranquilles. Sed quoniam multi longè quàm ego sim facundiores in laudes incumbunt tuas, ego ne decus tuum culpa deteram ingenij, ab aliorum me prouincia cohibebo, & quod tibi destinaui commentarium procurabo.* Scribonij Libonis numisma.

CONCORDIA.

IGITVR, vt palàm est, Romani veteres per Lyrę hieroglyphicum concordiam figurarũt. cuius tamen alia quoque sunt significata, eáque multis antiquorũ tum Poëtarum, tum Philosophorum præconiis celebrata: sed nos ea tantùm seligemus, quæ ad hieroglyphicum institutum facere videbuntur: tamen, vti meus est mos, si res exigere videatur, numũ, quo de meminimus, diligẽtiùs examinabimus. Eius inscriptio est, PAVLLVS LEPIDVS CONCORD. à cuius altera parte legitur, PVTEAL SCRIBON. LIBO. Ibi figurã Putealis videas, de quo scriptores plerique meminêre. Huic autẽ à singulis angulis Lyræ appẽsæ sunt, corymbis & sertis medio interuallo dependẽtibus. Aiunt verò Libonẽ primùm tribunal & subsellia prope Arcum Fabianum



Liboniani numi hieroglyphica interpretatio.

collocasse. Hinc Horatius: *Forum putealq; Libonis mandabo siccis,* quia scilicet forensia negotia præcipuè sibi deposcunt sobrietatem. Et Ouid. de remedio:

Qui puteal Ianúmque timet celeréſque calendas:

hoc est, qui se rapit timet in ius, & qui alienum pascit æs, quod scilicet calendis singulis efflagitatur. Neque illud dissimulandum fuerit, in numi ipsius inscriptione duo esse obseruatione non indigna: in Scribonij nomine ꟻ literam iacentem atque supinatam, & PAVLLVS gemino LL, notatum ex Terentij Scauri sententia atque præcepto, neque non ex antiquorum vsu, quod in plerisque monumentis obseruaui: neque proprium tantùm nomen, verùm & aduerbiũ PAVLLVM eadem lege scribendũ Grãmatici veteres censuêre, vt illud Romæ, HOSPES QVOD DEICO PAVLLVM EST ASTA ET PELLIGE. & huiusmodi pleraque.

IVDICIVM COMPOSITVM.

Lyræ munus præcipuum.

ATQVE illud in Lyra præcipuum, quòd hominem compositi iudicij, quíque aures eruditas haberet, significabat: ea siquidem diuersas componit voces, & concordi omnes tono temperat: quod munus in diuersæ rationis affectibus componendis videtur homo præstare, vt non imperatò Diogenes Cynicus carpere sit solitus Musicos, qui cùm Lyræ chordas cõgruenter temperarent, animi mores inconcinnos haberent. Eadem mordacitate Isidorus Cynicus Neronem transeuntem in publico clara voce corripuit, quòd Nauplij mala bene cantitaret, sua bona malè disponeret, neque vllum in vitæ tenore temperamentum adhiberet.

INÆQVALIVM CONCORDIA.

Mercurius cum Lyra quid.

STATVEBATVR & in Mercurij manibus Lyra, idq; hieroglyphicum ostendebat, concentum omnem ex vocum inæqualitate constare: concentus verò hominum est, cùm variæ voluntates in consensum vnum contrahũtur. In singulis verò mortalium concentus ille, quo quis beatitudinem assequitur, vbi scilicet res & congruenter temperarit, & ad amussim explorarit. Plato animam in Timæo concentum & concordiam vocat. Aristoxenus & Dicæarchus harmoniam dixerũt. Lyræ igitur meritò dominus Mercurius,

--- Qui animas nunc euocet Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittat, vt Maro.

BONA DISCIPLINA.

EST & Musarum insigne Lyra. Musas Eusebius à *μυέω* dictas arbitratur, quod significat honesta bonaq; disciplina instituere: eásque Orpheus & Proclus in hymnis religionem hominibus commonstrasse dicunt, quemadmodum & Orpheo id attribuunt, vt suauisonæ testudinis concentu, hoc est, placidis & aptè compositis verbis fera hominum corda mitigarit, agrestes mores expoliuerit, & dispersos vagósque mortales in cœtum vnum congregarit. Apud Aristophanem legas, per citharæ callentem, hominem sapientem, & Gratiis omnibus ornatum, à veteribus iudicatum. Diuinæ quoque literæ citharam pro morali virtute acceperunt, vtpote quæ in actione consistat. Et in huiusmodi significatum Theologi dictum volunt Psal. XLIII. *In cithara tibi confitebor.*

RATIO.

ATHANASIVS in iis quæ contra gentiles scripsit, rationẽ Lyræ comparauit, vbi de anima, mente & sensu differit: quippe id Lyræ haud dissimile videri ait, quæ rectè temperata sit, & Musico, qui eam resonare faciat, non imperito. Est enim in Lyræ neruis suus cuique sonus, grauis, acutus, medius, argutus, atque alius aliis. Concentus autem nullus discerni aut internosci potest, nisi fidicinis ars accedat. Tunc verò modulatio & varia soni suauitas ostenditur, cùm qui Lyram tenet, neruis increpuerit, singulósque aptè percurrerit. Eodem modo, cùm sensus in corpore sint tanquam Lyra compositi, si docta mens illis imperauerit, discernet animus, quid absonum, quid concinnum sit, quale sit vnicuique rei temperamentum adhibendum, vt nihil denique facere, aut meditari aggrediatur, quod modulis & tonis non respõdeat, vnde concors concẽtus exaudiatur.

Concordia vnde.

Et nonnulli concordiam inde dici putant, quòd chordæ variæ in vnam conueniant harmoniam: tametsi alij concordiam à corde deductam malunt, qui Tullio innituntur Tusculanarum primo dicenti: *Alijs cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesq; dicuntur,* vt in Cordis commentario disputatum: eamque afferunt rationem, quòd id locutionis in monumentis antiquis aspiratione careat. Qui chordis insistunt, concordẽ à Græcis *σύναυλον* dici opponunt, consueſseq; aiunt veteres è locutionibus pleriſque in Latinitatis vsum receptis, adiectam consonãtibus aspirationem summouere, quatuor tantùm admissis, quæ Scaurus enumerat.

MATRI

MATRIMONIVM CONCORS.

SED nos vt ad concordiæ significata redeamus, illud ex Onirocritarum disciplina deprompsimus, vt si quis nuptiarum tempore Lyram per somnium videre imaginatus fuerit, concordiam id inter maritum & vxorem futuram significare.

MVSICA.

Neronis numisma.

QVÆ verò Lyra est in Neronis numo, studium eius in arte Musica, & victoriam ex certamine eo partam significare crediderim. Fidibus enim eum oblectatum ad insaniam vsque, & in theatris Musica decertasse, non sine maiestatis Imperatoriæ dedecore atque ignominia, Scriptores eorum temporum omnes prodiderunt. Nam is præter numos ea nota percussos, statuas etiam sibi citharœdico habitu posuit.

POMPONIVS MVSA.

Pomponij Musæ numisma.

EST & Pomponij Musę numus, à cuius altera parte muliebre signum est cum Lyra & Plectro: id quid sibi aliud velit, quàm eius cognomentum, non video, siue is Pomponius Poëta fuerit, de quo apud Plinium, siue qui in bello Mithridatico captus, cùm multis vulneribus saucius ad Mithridatem adductus, interrogatus ab eo esset, an amicus futurus esset, si opera iussu regio daretur, vt curaretur; respondens, *Si tu,* inquit, *populo Romano amicus fueris, aliter me quoque semper inimicum habebis.*

AMOR.

Cytherea vnde dicta.

QVONIAM verò voluntatum, studiorumq; consensus atque similitudo amorem parit, celebratur à Platone Lyra inter amatoria monumenta libro de Anima. Proclusq; vbi Venerem Cytheream ab Homero & Hesiodo appellatam exponit, aduersatur Hesiodo, neque dictam ὅτι προσέκυρσε κυθήροις, διδὲ ᾧ τὰ κύθηρα, κυθερεάδες ἡ καυθμήν ἔχουσα ἐαυτῆ πάσης ἐρωτικῆς φιλίας. Non assentitur, inquam, Proclus, vt Cytherea dicta sit à Cytheris, vbi illi templum, araq; tot frequentissimo mortalium conuentu colebantur, quia, inquit, *κύθηρα* vocantur insulæ illæ, & *alta Cythera* etiam apud Maronem, cuius scilicet vocabuli syllaba media per *η* vocalem longam perscribatur. Dictam verò Cytheream ait, quòd vniuersæ consuetudinis amatoriæ vim intra se occulat. Nam & alij Cytheream ab occultanda turpitudine dictam voluêre, & illi in abdito templum fuisse alibi diximus. Lyra autem cùm omnem in se suauitatem cõplectatur, quandam cum Amore, cum Venere, cum Gratiis similitudinem præ se ferre videtur, pariq; cum iis illecebra homines illectare. Demumq; hæc illa videtur Amphionis Lyra, cui sponte saxa etiam paruisse perhibẽtur: cuius rei mentionem facit Apollonius, Argonauticis, & Antimenidas primo, donatamq; Amphioni Lyram eam dicit à Musis, quamuis Dioscorides ab Apolline, à Musis tamen etiam Pherecydes Hist. lib. 10.

SEDATVS ANIMVS.

RIDICVLVM fortè nostris videatur, si quis non vnum hominem tantùm armis instructum: quippe Achillem cithara canentem pinxerit, verùm & vniuersum exercitum in aciem descendentem, ad citharæ modulos progredientem fecerit, quoniam neque citharœdi quicquam commune cum armis habere iudicatur, neque milites, ferocesq; homines vllam hodie liberalium artium disciplinam assequi dignantur. Verùm si Lacedæmoniorum disciplinam & instituta respiciamus, inueniemus eos ad Lyram citharæq; sonum acies instruxisse, reiectisq; tubis, & classicis aliis, ad eiusmodi modulationis sonum pugnam inire solitos, id quod indicat illos sedatiori quodam animo prælium aggredi consuesse. Nam & Homerus strepitum & tumultum in congressu primo barbaris dedit, cùm Græcos sensim & taciturnos progredi dixerit. Hanc tamen in Pompeio contationem reprehendit Cæsar, cùm in Pharsalia victor euasisset.

HVMANA VITA.

Tenor humanæ vitæ.

QVI verò per Lyram humanę vitę rationem exprimi dixerunt, tã eorum, quę superiùs de sensibus, atque anima, deq; mortalium institutis attulimus, rationem habuisse mihi videntur, quàm etiam de naturæ nostræ conditione rẽ ipsam perpendisse. Nam cùm in Lyra septem discrimina vocum celebrari comperissent, humanæ vitę tenorem eadem assidua agitari varietate animaduerterunt: septima enim hebdomada mas in vtero fabricatus existit: septima post partũ hora manifestum aut vitæ aut mortis argumentũ affert: septimo pòst die vmbilicus astringitur, ac solidescit, post bis septem manifestum est luminis indiciũ: post septies septem obtutus firmitas, atque cognitio. Videmus mox à mense septimo dentes pullulare, post bis septem sessionem esse tutam, post ter septem verborum articulationem, post quater septem incessum, post quinquies septem lactis horrorem suboriri, post annos demum septẽ primoribus dentibus expulsis validiores enasci, ac perinde vocis sonum integrum fieri: secundo verò septenario pubescentiã, ac emittendæ genituræ facultatem, roburq; iam ad virilitatem spectare: tertio, lanuginem, & crescẽdi finem: quarto robur, & membrorum plenitudinẽ. Quinta verò hebdomade, cùm virium augmentum, quantum vnicuique esse datur, absolutum sit, congruum nuptiarum tempus à Platone cõscribi, quod septimo Legum habetur. Sexta autem, partas collectasq; vires incolumes seruat, ac prudentiæ vigorẽ affatim subministrat. Septima, diminutionem quippe virium, sed perfectum intellectus & rationis incremẽtum habet: quare soliti sunt milites ea ætate rude donari, & consiliis rebusq; publicis

adhiberi. Atque hac de ratione Horatius ad Mecœnatem scribit, se iam donatum rude: nam qui D vndenos Decembres quater iam, vt ipse de se dicit, expleuerat, per septimam hebdomadam deferri iam occeperat. Octauo mox septenario perfectionẽ & in intellectu, & in ratione videre est, qualis maior in vnoquoq; iam sperari debeat. Nonus humanitatem ac mansuetudinem adducit. Decimus vitam finiendi plerumque desiderium: quæ omnia versibus elegiacis Solon luculentissimè complexus est, Lyramq; suam ita temperauit, vt humanæ vitæ concentum, sonoramq; vocalitatem anno septuagesimo terminaret, quem vbi mortales excesserint, desipere iam, & chorda modò hac, modò illa subinde videntur aberrare. Neque multum ab huiusmodi consideratione, quòd Magnus Basilius per citharam corpus interpretatur: nam & alij Theologi Psalmo 57. *Exurge psalterium & cithara*, per psalterium animam, per citharam corpus intelligi volunt, quod ita pluribus esse locis acceptum Euthymius obseruauit.

LYRÆ FORMA.

SI quis verò Lyram, qua fuerit apud antiquos specie, intueri velit, non ignoret constare illam ex binis cornibus, iugo, testudineaq; testa: talem enim, vt in Amphione Philostrati est, Mercurius excogitauit, compegitq;: qua posteaquam, vt aiunt, Apollinem & Musas honestauit, Amphionem etiam, vti dictum superiùs, donauit. Cornua verò illa sublimipetæ Capreæ fuisse volunt, quibus Musici, antequam ligni vsus ad hoc commodus haberetur, ad Lyras conficiendas vterentur. Ex lignis verò quæ Lyræ apta censeantur, buxum maximè laudant, vtpote quæ solida sit materia, & ad polituram aptissima. Potentiores huc ebenum adhibuerunt. Rhæti atque Norici acerem arborem egregiè crispatam exhibuêre, vtpote quæ mirificè colorũ varietate delectet, quæq; fissa non fallat, neq; excauata dissiliat. *Elephas*, ait Philostratus, *nihil ad Lyram*, quocirca sciti viri neq; animal ipsum E magni quicquã faciunt, neque cornibus eius vtuntur, quamquã nostri, *pectine pulsat eburno*, libentissimè dixerint. Videtur verò natura ipsa opera perquàm diligentissimè dedita, testudinis testam, vt huic inseruiret vsui, fabricasse, ita illam excauauit, & vas veluti quoddam vocum repercussioni collectioniq; præparauit: vacua quædam foramina hinc inde fecit, in quæ vmbilici inseri possent, atque alter alteri apprimi: chordæ enim ex vna parte, quippe in imo, quadræ suæ applicantur, ex altera vmbilicis obuoluuntur. Atque hæc in illis ratio potissima consideratur, vt rectè in Lyram ductæ æquis inter se distent interuallis, & parallelos binæ quæq; efficiant: quæ quidem species in hodiernis adhuc quodammodò refertur, quamuis cornua non in vacuum, vt olim, sed in ipsum Lyræ corpus inflectantur. Atque hæc ea quidem species, de qua Græci scriptores, & Romani Græcos secuti, inuentionis laudem partim in Mercurium, partim in alios conferunt. Sed Hebræorum literæ Tubalem appellãt, qui primus omnium & huiusmodi instrumenti, & Musicæ inuentor fuit.

Mercurij Lyra.

Sedenim quam Lyram à Mercurio inuentam tradunt, trium tantùm chordarum fuisse dicunt: voces enim ab eo tres triũ instar temporum inuentas aiunt, acutam quippe, grauem & mediã, prout tria tantùm apud Ægyptios fuêre tempora, æstas, hyems, & ver, singula quadrimestria. Sic æstati acutus sonus attributus, hyemi grauis, veri medius. Thebarum tamen portas ea ratione septem institutas Græci dicunt, vt totidem in Lyra tonos repræsentarent. Et memorabile illud Emerepis Lacedæmonij factum celebratur, qui cùm Ephorus esset, cuius scilicet magistratus censuræ Græcia vniuersa olim acquiescebat, Phrynidi Musico duas è nouem chordas bipenni excidit, dicens, *Musicam ne depraues*: de quo nono Symposiacõn apud Plutarchum. Adhæc ipsa hominis constitutio cùm sit quatuor ex elemẽtis, & anima, & quaternarius numerus multis de causis corpori competat, ternarius verò animæ, de quo alibi copiosiùs, iuncta hæc, & in concentum excitata omnem F reddunt harmoniam, quæ tam ex operibus, quàm ex cogitationibus nostris percipitur: vt non immeritò humanam vitam tot septenariis variari paulò antè disputauerimus.

DE FISTVLA.

HAGIT ad hoc & fistula, vt chordis Lyra septem, ipsa quoq; septem compacta cicutis: cuius forma conspicua est passim in Panos & Satyrorum manibus.

RESIPISCENTIA.

HOMINEM Aegyptij diu quidem mente captum, posteà verò quasi somno excitatum, ad intellectus officia redeuntem, & vitæ suæ iam modum imponentem significare si vellent, fistulam, inquit Horus, pingere consueuerunt: huius enim munus, animum ab odiosis & grauibus atque etiam impuris cogitationibus auertere, & curarum obliuionem, vt diceret Hesiodus, inducere, &, vt exemplo Pythagoræ comprobatum est, impotentiores etiam lasciuientis animi sedare motus, dum composita soni suauitate animum arbitrio suo versat & moderatur. Facit hoc ad illud Antiphanis, siue, vt alij, Bionis, qui Bucolica scripsit, *ἀλλὰ νῦ αὐτὸς τεχνᾶσ σίευξα, πάλλ δέ τοι ὦμαρες ἕξον, Tu tibi fistulam ames cera coniungere, quando non labor aut opus hoc magnum.*

Fistulæ munus.

ADVLATIO.

EADEM verò, vt alibi dictũ, cũ Ceruo picta, pernicio sam indicat adulationẽ, ob historiã scilicet quę super ea & Ceruo fertur, animal id eius suauitate modulisq; mulceri, & ad stupore vsq; de lectari: vnde accidat, vt dũ Ceruus intẽtior in eã incũbit, incauto illi abalienato q; mors inferatur.

De

A

DE TVBA.

SED iam altiùs insonemus, neque semper in molli Lyra aut fistulis immoremur, sed & Tubam strepitu procul ære canoro exauditam, ad musica instrumenta reliqua adiiciamus.

CELEBRITAS.

SIGNIFICAT tuba famam & celebritatem, vnde Romani in Saturnię ædis fastigio Tritonas Stubicines imponebãt, caudis abditis & absconditis, id scilicet eo hieroglyphico significantes, quòd historia gestarum rerum ab Saturni commemoratione ad nostram vsque ætatem in obliteranda celebritate, nota, clara, & quasi vocalis esset: quę verò ante Saturnum gesta fuerint, obscura & incognita in tenebris delitescere: idq; sibi velle Tritonum caudas ad humum inclinatas, absconditásque. Erant verò Tubæ Martı dicatæ, vti etiam nunc sunt: in acie enim mos est.

Tritonum tubicines quid.

Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.

ERIGENDÆ MENTIS SIGNVM.

IN sacris verò literis tuba suum habet intellectum. Nam quę memoria tubarũ celebranda mandatur à Deo prima septimi mensis die, nihil aliud sibi vult, vt interpretantur Theologi, nisi debere nos Prophetarum oracula memoria repetere, Euangelicas voces omninò recogitare, Apostolorum prædicationes cœlestium tubarum instar, quarum sonus in omnes terræ fines exire destinatum erat, reminisci: & ita initio mensis tuba canamus, & in Psalmis Deo iubilemus.

DE TIBIIS.

B SED tibiæ Veneri sacræ ferebantur, eáque de causa in ouatione tibiis & myrto Romanos vti solitos Plutarchus ait in Marcello.

SENSVS.

EÆDEM Pani, perinde ac etiam fistula, attributæ, quippe quẽ sensilis mundi rectorem intelligebant: sonus enim non nisi sensu percipitur. Atqui Apollinem etiam aiunt à Pallade doctum libenter tibiis cecinisse: & in altera simulacri eius, quod Deli erat, manu, tres insidebant Gratiæ, quarum vna Lyram, alia tibias, tertia fistulam, quæ inter has media erat, gestabat, & dona legas ab Hyperboreis Delum missa, Cithara, tibiis & fistula comitantibus.

Apollinis in Delo simulacrum.

SACRORVM TEMPVS.

TIBIA sanè rei sacræ signum erat, precationumq; faciendarum tempus indicabat, quasi adesse iam Deum per eam admonerentur, qui sacris assistebant. Nos quoque cùm in sanctis ædibus sacra facimus, æris tinnuli sono diuini libum mysterij adorandum innuimus. Sed quod ad tibiam spectat, minimè recens, neque imperitæ plebeculæ dicterium est de cessantibus tibicinem expectare, sed antiquum & nobile, quippe quo Scipio minor vsus est in Pompeium, qui tibicinis filius credebatur. Pompeius enim C. Lælio Consulatum ambiente, cui Scipio maximè fauebat, negauerat Scipioni se petiturum, adfuturum verò Lælio, eumq; deducturum: quem dum expectarent, auditum est eum iam candidatum prehensare obuios. Tum Scipio ridens: *Næ*, inquit, C *nos egregiè stulti sumus, qui perinde ac Deos, non homines precaturi simus, tempus terimus tibicines expectantes.* Hinc ansam arripuit Cornelius Tacitus, vbi libro 14. de Octauia Messalinæ filia loquens: *An quia*, ait, *veram progeniem penatibus Cesarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Aegyptij soboleminperatorio fastigio induci?* Nempe propter Pompeium, qui, vti dicebamus, Tibicen à Scipione vocatus est. Octauia verò à Scribonia Augusti vxore descendebat.

DE TYMPANO.

TYMPANO etiam & choro laudari gaudet Deus. Per tympanum Gregorius lib. Epist. sexto ad Anastasium, abstinentiæ tenuitatem *ἰσοχυφικῶς* interpretatur, à materia scilicet ipsa, qua constat tympanum: nam id dubio procul corium est ex pelle iam arefacta, quæ tamen priùs diu fuerit macerata: ita vir ieiunio confectus, ab omni luxu alienus, parcè & duriter viuens, qui laudes Deo canat.

DE TINTINNABVLO.

CIERE ad se nos videtur etiam tintinnabulũ, quod Mosaicus Sacerdos, de quo 28. Exodi, ornatu Pontificio gestare iubebatur: ad imas enim tunicę fimbrias aurea tintinnabula, malaq; punica alterna appendebantur, vt eorum sonitus, quotiescumque Pontifex ingrederetur, egrederetúrve Sãctuariũ, exaudiri posset. Significabat id, oportere sacerdotem, vt etiam in Cane dictũ, assiduè vocalem esse, nunc docendo, nunc arguendo, nũc exhortando, sæpissimè verò cõsolando, quod nostra sibi fragilitas deposcit, opportuna remedia cõquirẽdo.

Itaque tintinnabulum prædicationis eſt & inſtitutionis hieroglyphicum, de quo plura Gregorius Didem lib. primo, Epiſt. XXIIII. Tintinnabula huiuſmodi antiqui operis domi habemus: ſunt autem ex orichalco, meſpili caui forma cum fibula ſupernè ad appenſum apta. Intra concauum ærea immiſſa pilula eſt, quæ motata, ſonum impulſu reddit argutum, atque admodùm ſuauem.

DE LITERIS SEPTEM.

ATQVE vt ad Muſicam redeamus, aliis quoque ſignis ea pingi ſolita eſt, nõ iis tantùm, quæ propria ſunt illius inſtrumenta: quare ſupereſt vt quid Ægyptij per vocales numero VII. ſignificarent, afferamus, & ita Muſicos hos numeros abſoluamus.

MVSA.

ILLI ſiquidem digitos duos literis ſeptem inſignitos præferẽtes, Muſam, vt Horus ait, ſignificabant. In quo aduertendum, vulgatos Hori codices fœdè deprauatos circunferri, qui φράγματα, ſeptem, non ῥάμματα, habent. Cur verò nos Vaticanæ bibliothecæ codicem, in quo ῥάμματα ἑπτὰ, non φράγματα, ſcriptum eſt, caſtiorem iudicauerimus, ea in cauſa ſunt, quæ apud veteres tradita reperimus ſuper ſeptem vocalium ſignificato, quibus Muſica omnis exprimi ſolita. Nam Demetrius Phaleræus in Commentariis περὶ ἑρμηνείας, Ægyptiorum fuiſſe morem ait, ſeptem vocaliũ modulata enunciatione Deos collaudare. Septem porrò vocales Plutarchus Muſicæ totidẽ vocibus accommodat. Et Phurnutus ex veterum dictatis obſeruat, ſeptẽ eſſe diuerſos tonos, quibus olim tota modulatio conſtaret. Vox verò ipſa ſeptem patitur qualitates, acutam, grauẽ, circumflexã, dẽſam, tenuem, lõgam, breuem. Ac veluti eſt apud Philonem, ſeptenarij numeri proportio eſt valde Muſica, quippe qui ſex ad vnum ſexcuplarem habeat: ſexcuplaris verò ratio maximũ in re propoſita interuallum facit, quo quidẽ acutiſſimum à grauiſſimo ſeparatur. Cæterùm & quinque ad duo vim plurimam in harmonia demonſtrant, ipſi πρὸ ὀξυπάσων ferè æmulam. Et vt ſemel dicam, hebdomada cùm ex ternario quaternarioq; cõſtet, harmoniam omnem amplexatur, quippe ὀξυπεσάρων, ὀξυπέντε, & ὀξυπασῶν. Omnes quoque proportiones, Arithmeticam, Geometricã, & Muſicã. Quod verò diximus ex Plutarcho, vocales eas fuiſſe literas quibus fortè vterẽtur Ægyptij, ne qui Græcè neſciunt dictum mirentur, ſciendum apud Latinos vocales duas, E, ſcilicet & O, figura vnãquanque eadem, vi tamen & tempore & enunciatione diuerſas eſſe: quarum vnaquæque apud Græcos ſuo inſignis eſt caractẽre, atque ita ſeptem omninò eſſe, ad humanæ ipſius vocis conditionẽ excogitatas. Ex his notũ eſt A, ſedem habere in imo barathro pectoris, quam enunciatam palma ad pectus admota ibidem trepidare ſentimus. E, in faucibus, quã manu itidem deprehendimus, atq; illa duplex, acuta, & grauis. Grauis enim (nã eã ſono E, Latinæ literæ veteres enunciaſſe, paulò pòſt in B, litera oſtendemus) vocalis hæc tũc exauditur, cùm ſpiritus aliquãtò inferiùs cõtrahi videtur, & ſuppreſſo quodãmodò ſono enũciatur. Acuta verò ſub ſigno ε apud Græcos, E vel e apud Latinos, cùm ad aperta vſq; labra porrigitur, & vocaliore ſono ſe prodit. I, tanquã colũna, quædã, ad cuius imaginem figuratur, palatũ mediũ inhabitat, idq; ſuſtentare quodãmodò videtur. O, item duplex, acuta, & grauis. Acuta, cùm emiſſum ab imo pectore ſpiritum circa dentes ſiſtit, & expedito cum ore reſonare facit. Grauis, cùm vſque ad dentes emiſſum interiùs reuocat, & aliquantulùm remoratur, quod ex ipſa etiam figura quodammodò replicata, ω vel Ω Græci conſtare voluerunt. V, dubio procul in labiis tota cõquieſcit. Vocalis ea apud Græcos non habetur, ſed eius ſoni vice diphthongum ponunt ου, quã Latini, cùm vno charactere u ſæpe ſcribi obſeruaſſent, contracta in acutum parte inferiori, V, ſuam fecẽre, per quam ſuum illum vſitatiſſimum peculiaremq́ ſonum exprimerent. Verùm multa etiã quæ Græci per υ ſcriptitãt, ipſi per vocalẽ hanc ſuã ſignare inſtituerunt, vt δύο, duo: Πύῤῥος, Purrus (ita veteres ſcribebant, vt antiquæ indicant inſcriptiones aliquot) nos ad Græcos redimus, & Pyrrhus facimus. Quod ne dictu leue adeò videatur, Verrius Flaccus ita commentatur. Quod illi dicunt κύμινον, nos cuminum: quam illi κυπάειρον, nos cupreſſum: quẽ illi κυβερνήτην, nos gubernatorem. Neque negarim cum Scauro, Græca nomina plurima in noſtrũ ſermonẽ admiſſa, τῷ ὑ ψιλῷ ſonũ & figurã cõſeruaſſe, vt, hymnus, hyacinthus, de quo plura Victorinus. Sed vt argumentum ſuſceptũ proſequamur, ex literis mutæ nouem (tot enim Græci ponũt) eodẽ autore Plutarcho, Muſis totidem dicatæ. Octo inde ſemiuocales, voces muſicas reliquas abſoluũt vnà cũ vocalibus ſeptem, quas natura ipſa commodè variare poteſt, ad quintũdecimũ vſque gradum aſcendendo. Neque verò hîc Sophiſtas audio, neque ſuperſtitioſa multorũ conamina in hoc albo repoſuerim, qui ad vnum & vigeſimum vſque gradum aſcenſum dari diſputant, qui quidem ſtridor potiùs eſt, quàm humanæ vocis ſonus. Verùm ego ſatis habiturus ſum, ſi cum Iuſquino Muſico ætate noſtra clariſſimo ſenſerim, qui materiam hanc in Theoreticis lucubrationibus ab Ægyptiis, à Plutarcho, & à Marone minimè diuerſas, accuratiſſimè pertractauit.

Vocis qualitates ſeptem.

Vocalium ſedes.

MVSÆ CVM APOLLINE.

VERVM hęc alij viderint, nos ad Muſarum hieroglyphica reuertamur, quorũ illud præcipuũ, vt ſi lingua dentes quatuor è regione oppoſitos incutiat, eo geſtu Muſæ cũ Apolline ſignificentur: dentes enim Muſarũ inſtar ſunt: per linguam verò, quæ illos pulſet, Apollinem vti plectrũ aliquod intelligimus. Nam & Romani linguam ſimilem plectri, dentes chordarũ dicere ſolebant, vt lib.

A vt lib. de Natura Deorum Cicero. Et Ambroſ. in Hexam. linguam veluti plectrum eſſe dicit. Tranquillus de Claudio: *Plectra linguæ titubantia.* Sedenim cur quatuor tantùm Muſæ poſitæ ſint, altior inquiſitio eſt, cùm ſemper multiplices habitæ ſint apud eruditos. Cur autem eas nonnulli nouem poſuerint, non lingua tantùm, aut dentes quatuor, ſed tota oris facies diſcutienda, quia ſic eas per totidem oris inſtrumenta repræſentari tradidêre, quæ ſunt dentes, quos nominauimus, quatuor: labia mox duo, quę cymbalorum vſum ad augendum ſonitum prębent: inde palatus, in cuius concauitate ſonus inturgeſcit: gutturis fiſtula, quę ſpiritum immittit: pulmo denique, qui veluti æternus follis ſpiritũ concipit, & pro vſu rei temperatiſſimè remittit: denique in medio reſidens Phœbus omnia cõplectatur. Singula hæc contarentur, nihilq; proficerent, ignauia veluti quadã torpeſcentia, niſi ſedulæ linguæ plectra excitarentur, & ad ſolicitam operis properationem accenderentur: quorum omnium rationẽ Anaximander Lampſacenus, Leophantes Heracliopolita, Piſander Phyſicus, & Euximenes latiùs explicuerunt. Neque tamen deſunt qui nonarium numerũ pro pluralitate poſitum contendant, vt apud Nicandrum, vbi de Scorpij cauda σφόνδυλο ἐννεάδεσμοι, quaſi cauda eius nouem eſſet ſpondylis compacta, quæ nodis ſeptem tantùm inſignis eſt. Quinetiam Nicander idẽ ἐννεάκεντρον dixit de eo, qui duos tantùm aculeos haberet, obſeruatũ ab Apollodoro. Sic apud Maronem, *nouies Styx interfuſa, & porrecta nouem perjugera corpus:* & quod obſeruat Theon in Arati carmine, ἐννεάμηνα κορώνη, nõ quòd nouem, inquit, ætates viuat, ſed perquàm diu. Et apud Alcæum hydra ἐννεακέφαλος, quæ πενηκοντακέφαλος eſt apud Simonidem, quem imitatur Maro:

Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra.

Muſæ quatuor, nouẽ, plures, & quæ.

Itaque qui Muſarum numerum ſupra nouem augent, eo nituntur argumento, quòd ſcientię pluri-
B mæ ſunt, non autem nouem tantùm: vnicuique enim ſcientiæ ſuam eſſe Muſam pręſidem oportere. Ex eorum verò numero qui tres tantùm Muſas ponunt, eſt Eumilus Corinthius, qui etiam earum nomina hæc prodidit, Cephiona, Apollonida, & Euryſthenida, quas Apollinis fuiſſe filias fabulatur. Aratus quinto de aſtris quatuor enumerat, Argen, Meleteam, Thelyonem, Aæten. Qui has quinq; poſuêre, nomina his à quinq; ſenſibus indidêre. Epicharmus in Hubes nuptiis ſeptem ait, & filias Pieri Pimpleidoſq; Nymphæ, quarum nomina, Nilûs, Tritone, Aſopus, Heptoporta, Achelois, Titoplûs, & Rhodia. Apud Heſiodum in Theogonia nouem ſunt, hæq; Latinis iam celebres, quarum inuenta ſunt toni tres, ὑπὸς, μέσος, ἰσχυὸς, plenus, medius, tenuis. Accentus totidem, acutus, grauis, circumflexus. Tempora itidem tria, præſens, præteritum, & futurum, quæ ſi ad Muſicam referantur, præteritum longi temporis inſtar erit, quòd ab eo quotidiè lõgiùs abſcedamus: futurum pro breui accipietur, quòd illi quotidiè propinquiores efficimur: præſens verò communis, quam Græci μέσον vocant, inſtar erit ſyllabæ: inſtantis enim temporis natura eſt, vno eodemq́ momento prætereuntia venientibus coniungere. Alij hunc Muſarum numerum alio atque alio modo interpretantur: atque ex his qui quatuor ſtatuunt, nonnulli linguarum quatuor differẽtiam excogitarunt, vtpote quòd Muſarum inuentum fuerit, Ionicam, Atticam, Doricam, & Æolicam linguam à communi diſtinguere, & pleraq; inſuper quaterna ad oſtẽtationem vſque dinumerant. Qui quinarium earum numerum recenſent, quinque, vti dicebamus, ſenſus ab eis animaduerſos, diſtinctæq; cognitioni traditos prędicant. Qui ſeptem, ſeptichordem lyram, ſeptemq́ compactam cicutis fiſtulam, climata ſeptem & Planetas totidem, vocaleſque, vti initio commonſtrauimus, memorant. Qui nouem eſſe contendunt, hiſtoriã Cliûs inuentum aiunt, plantandi rationem
C Thaliæ, coniugalia & ſaltationem Euterpes, agriculturam Polymniæ, Aſtrologiam Vraniæ, Calliopes Poëticam, atque ita demùm vnicuique inuento, quod ad mortalium vſus faceret, ſua eſt cuique Muſa excogitata, vnde neceſſe eſt infinitum earum numerum conſtituere. Sed hæc nullo apud Græcos fine diſputantur. Apud Ægyptios, vti palàm fecimus, compendioſiùs colliguntur, ambagibuſque euitatis, rectà per planiſſima toto conſtrato itinere traducuntur.

A.

CVIVSMODI verò eſſent literarum charactẽres apud Ægyptios, ſi quæſierit quiſpiam, putarim ego partim inſtrumentorum aliquot, plurimum verò animalium effigies fuiſſe. Illud enim ex Plutarcho conſtat, Mercurium, qui primus literas Ægyptiis communicauit, Ibin primam eſſe literam voluiſſe. Refert quidem ea in ingreſſu triangularem effigiem, cruribus ita diſpoſitis, vt loco ſuo dictum, & quæ prima apud nos & Græcos litera eſt, ad iſoſcelis trianguli faciem accommodatur. Atque ita coniicere poſſumus, reliquas quoque literas, vel 15. vel quotquot fuerint, alicuius animalis effigie, membróve figuratas, quæ tam longa inde annorum ſerie ſint abolitæ, atque ab eo præſertim tempore quo Ptolemæi Græcas literas in Ægyptum deduxêre, Ægyptiacorum porrò characterum formæ, vna hac excepta, ferè omnes obſoleuêre.

B.

QVOD ſi eiuſmodi exemplis inſiſtendum eſſet, fortè B, per pictam pecudem figurari poſſit, aut membrum ſtatumq́; eius aliquem qui Ouem ſaperet, quòd proprium eſt illi literam eiuſmodi articulato proferre ſono. Agnoſcunt hoc interpretes etymologici, Cratinúmque citant διονυσαλεξάνδρῳ, eo verſu:

Οἷ δ' ἠλίθιοι ὥσπερ πρόβατον, βῆ βῆ λέγων βαδίζει.

Stolidus tanquam pecus, Be be dicens ambulat. D

Atque ita nõnulli, vti paulò antè monuimus, H tertiæ apud Græcos vocalis sonũ per E grauẽ pronunciant, quod Latini receperũt, Penelope, Anchises, Aristoteles, naturæ quidem in Oue sonum imitati.

Γ.

QVINETIAM Γ aliquid habet quod hieroglyphicè notari possit: siquidem autores Græci literæ huiusmodi etymon ἀπὸ τοῦ ἀμᾶν, quod metere est, deduci volunt, & simulachrũ eius falcem ponunt.

Δ.

DELTA dubio procul per stellas tres æquidistantes ferè, easq; in trigonum sitas notant: & ea de causa signũ cœleste inter æstiuum & æquinoctiale circulum supra caput Arietis Δέλτωτον vocant: & Ægyptum Græci à triangulari forma nuncuparũt. Verùm hæc curiosioribus relinquemus: id vnum dicam, signũ id æquis esse lateribus duobus, vno breuiore, sed propè reliquis æquali.

DE PENTALPHA.



QVONIAM verò incidimus in literarũ notas, & cunctarũ rationes reddere difficillimũ, & inexhausti laboris opus est, & quod fortasse fastidium potiùs quàm delectationem vllam sit allaturum, πενταλφα inter has minimè præteribimus, ex qua præter delectationem, vsum etiam & vtilitatem aliquam percepturi sumus. Signum id ex alpha quinque numero complicitum: lineis enim à pentagoni recti punctis alternatim ductis ea prosilit figura, de qua multa scitu digna minimè sunt dissimulanda. Antiochum ferunt cognomento Soterem, antiquum illum à quo reliqui Syriæ Reges Antiochi mox dicti, cùm aduersus Galatas acie decertaturus esset, per nocturnam imaginem videre visum adstitisse sibi Alexandrum, qui mandaret vt militibus tesseram daret E ὑγιαίνειν, cuius dicti hieroglyphicũ olim iam adinuentũ erat triplex triangulus inter se cõplicitus, ex quinque paribus lineis sese inuicem in puncto contingentibus: quo non cunctanter à se facto, pentagrãmóque huiusmodi tum in vexillis impositò, tum & singulis, & reliquis militaribus indumentis superaddito assutóque, admirabilem mox est à Galatis victoriã consecutus. Antiochi porrò numus argenteus passim habetur, istius rei memoria sempiterna, in quo nota ea impressa est, additis singulis per angulorum interualla literis ΤΓΕΙΑ, in eum quem hîc vides modum. In militia verò Imperatorum, qui præcipuè Byzanti claruerũt, ordo qui sub illustri viro Magistro peditum merebat, propugnatores nomine, cæruleam præferebant parmam, cuius margo purpureus erat, viridis autẽ vmbilicus intra πενταλφα huiusmodi contentus, quicquid autem erat spatij reliquum inter vmbilicum & lineas quæ pentalpha illud describebant, purpureo erat colore illitum. Meritò autem propugnatorum iis nomen datum, quorum opera salus exercitui comparabatur. Sed quoniam hæc parum fortè suauia videantur, multa huiusmodi præterire consilium fuit: tum etiam, quia non æquum erat virum grauioribus deditũ rebus, exilibus his legendis occupare. Sed illud minimè dissimulare possum, posse nos in veræ salutis significatum accipere quinque CHRISTI vulnera, pectoris vnũ, manuum duo, totidem pedum, quæ in propatulo posita pentalpha ipsum commodè constituunt: patefactis enim manibus, quæ deorsum à lateribus porrigãtur pedibusq; ipsis modicùm diuaricatis; puncta æquidistantia quatuor assignantur, quintum verò in ipso pectore costas inter: à quibus punctis lineæ quinque numero æquales omnes, quæ altera alterius punctis se contingãt, πενταγραμμον faciunt, duæ quippe à pectore ad vtrumque pedem, duæ alterę in chiasmi ferè modum decussatæ à dextera manu ad pedem læuum, atque à læua ad dexterũ, quinta ab alterutra manu ad alteram. Neque πάρεργον id fuerit, si quæ de salutatione Lucianus collegit, saluti subiecerimus. χαίρειν ait ille, hoc est, *Gaudere*, antiquam fuisse salutationem, cuius exempla complura ponit. Platoni demũ visum esse amicabilem hanc compellationem in εὖ πράττειν, quod bene agere est, conuertere: vnde noster Horatius vtrumque complexus morem, epistolam ad Celsum ita exorditur:

Celso gaudere, & bene rem gerere Albinouano,
Musa rogata refer.

Antiochi Soteris numus.





F

Verùm Archytas Pythagoram secutus, vnà cum pleriſque eiusdem sectæ χαίρειν atque εὖ πράττειν repudiatis, ὑγιαίνειν induxêre, quod mox alter alteri scribentes vsurparunt. Latini horum sententiam approbantes, SALVTEM, vt apud Tullium & alios frequentissimum, perscripsêre. Existimarunt verò sapientissimi viri, compellationem huiusmodi & animæ & corpori esse maximè congruentem, & simul omnia intra se mortalium bona complecti. Quin etiam Epicurum ferunt, qui voluptatem maximè omnium adamauit, in quibusdam doctis admodùm epistolis non χαίρειν, sed ὑγιαίνειν, præscripsisse.

INFI

A INFINITVM.

SED vt iam ad priores illas vocales redeamus, earundem literarum numerus infinitum significat, si quem sequimur codicem fidelis est, quod alij vulgata exemplaria secuti, Rudem, alij Inexpertum traduxêre, quod ἄπεδον apud Horum habetur. Neq; sum nescius ἄπεδον dici posse ἀπὸ τοῦ μὴ ἔχειν πέδας: verùm iisdem autoribus etymologicis dicitur etiam ἀπὸ τοῦ μὴ ἔχειν πεῖρας, quod finem aut terminum non habeat. Hori verò autoritate dicunt ἄπεδον significare tunicam, quę non habeat exitum, eóque significato Sophoclem in Polyxena dixisse:

χιτὼν σ' ἄπεδος ἐνδυτὴς κακῶν.
Malorum amictus tunica te exitu carens,

subintelligendum, perdet. Et apud Euripidem in Oreste:

Ἑκόσιν ἀπείρῳ φᾶρεϐάλλεσ' ὑφάσματι,
Textọ maritum impermeabili induens.

Est & alia ratio cur hîc infinitum significare locutionem eam contendamus, quam ex ipsius numeri ratione desumimus, quem Pythagoras immobilem dixit, suaq; firmitate solidum, adeoq; plenum, vt quòd infinitum in rebus est, ipse comprehendat. Sedenim super hoc loco suo in numerorum hieroglyphicis locupletiùs.

PRINCIPIVM ET FINIS.

ET ne ab infinitate hac discedamus, quæ germana est æternitati, minimè prętereundum videtur, quòd hieroglyphicum primæ huius apud omnes literæ significatum, quod in Diuinis habetur literis, principium exprimit, veluti Ω apud Græcos vltima, finis est indicium: vnde illud iam
B omnibus cognitum: *Ego sum* A *&* Ω. Apostolus autem Epistola quam ad Ephesios scribit, Deum propositum esse dicit in semetipso, ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput, id est, ad initium reciprocare vniuersa in Christo quæ sunt super cœlos & super terras in ipso. Et duas Græciæ literas, primam scilicet & vltimam, sibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in se figuras, vti quemadmodum A ad Ω replicatur, ita ostẽderet in se esse, & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium, vt omnis dispositio in Ω desinens, per quem cœpta sunt, per verbum scilicet Dei, quia caro factum est, proinde desinat quemadmodũ & cœpit, & à Deo in Christo omnia reuocarentur ad initium. Repetuntur hæc à Tertulliano lib. de Monogamia, vbi secundas impugnat nuptias. Apud Hebręos, quorum tam multa cum Ægyptiis communia sunt, magna est significationum sylua singulis in literarum characteribus: sedenim hæc quia latissimè apud Cabalistas explicantur, ne actum agerem, præterire consilium fuit: ea siquidem nos tractanda desumpsimus, quæ per rerum figuras, non per literas scribi consueuerunt.

A, & Ω, principium & finis.

FATVM.

ADDVNT & Fatum, siue Parcas, per eandem vocalium designationem intelligi, non tam ob Planetas septẽ, qui Fatorum ministri sunt, vti latiùs in Stella disseruimus, quàm ob id quòd imago Dei habetur Septenarius, dux idem & princeps vniuersorum, immobilis, indomitus, omnium victor, gubernator omnium, de quo plura eo loco habentur, vbi de numerorum significationibus ordine suo disputatum est.

DE LIBRO.

C AD LITERIS ad librum transire ipsa rei natura compellit: literæ siquidem locutiones adstruunt, locutiones orationem, librum oratio.

ANTIQVITAS.

DESCRIPTA folia, codicilli vel liber quomodocumque compaginatus obsignatúsve, antiquitatis hieroglyphicum esse perhibetur. In manuscriptis enim Hori codicibus παλαιότητα δηλοῖ, legitur, non παλαιότατον, Folia quidem codicillique, propterea quòd antiquorum mos fuit in foliis, & quarundam arborum corticibus scribere, vnde & Codicis & Libri cognomenta permansêre. Et apud Maronem Æneas orat, ne Sibylla foliis mandet nomina:

Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Ideò verò obsignatus liber, vt superiùs, quòd in eo vel veteres sapientum disciplinæ, vel res gestę, longę posteritatis memoriæ commendentur, atque ita liber, vt diceret Horat. *Longum scriptori prorogat æuum.* Stesichori Poëtę statuam senilem, incuruam, cum libro, temporibus suis fuisse in Sicilia tradit Tullius in Verrinis. Et nos Romę apud Raphaëlem Vrbinatem marmoream Philemonis statuam validæ senectutis vidimus, qui vna manu volumen replicatum continebat, alteram ad mercedem operis passam porrigebat: de cuius auaritia in scriptis suis venundandis alibi meminimus. Sed quoniam de literis sermo fuit, quæ Musicam significant, Musica verò tam animi quàm morum concordiam & concinnitatem ostendit, vt in Lyra cõmonstrauimus, succurrit mihi quàm memorabile sit commentum illud Athenodori Philosophi, qui Augustum Octauianum docuit Philosophiam. Nam cùm videret hunc ad iracundiam facilè commoueri ne asperum aliquid statueret, ex quo posteà pœnitentia subsecutura esset, eum monuit, vt vbi irasci cœpisset, quatuor & viginti illas Græcas literas memoria recenseret, vt illa concitatio, quæ momentanea est ac breuis

Liber obsignatus.

Athenodori commentum.

(vt Horatius

(vt Horatius ait) furor, aliò traducta parui temporis interiectu langueſceret: quod & alij Auguſtum imitati non ſine fruge factitarunt. Saluete igitur literæ verè ſacræ, verè cœleſte donum beneficio ſummo mortalibus elargitum, ſiue vos Muſicam, ſiue concordiam, ſiue animi concitatioris impetum componatis. At quanta mox in dictionibus, quanta in orationibus virtus, ſi pura ipſa, nuda, ſimplicia, & inania propemodum elementa tantum habent virium, vt ſoni, quem ſingulæ reddunt, commemoratione ſaltem, à perperàm factis incœptiſq; abſtinere compellant?

PIERIVS VALERIANVS AD ERVDITISS. ARNOLDVM ARLENIVM, DE IIS QVÆ PER INCVDEM, MALLEVM, ARATRVM, FLAGELLVM, FRÆNVM, Laqueum, Catenas, Iuga, & Vncum, ſignificantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER XLVIII.

NOn ſum neſcius, Arnolde eruditiſſime, vbi commentarij huius tibi dedicati titulum inſpexeris, animo te concitatiore ac ſubirato forſitan dicturum eſſe, quorſum mihi incudes has & malleos, aratra, flagella, fræna, laqueos, catenas, iuga, & odioſum vbique nomen Vncum, id genus propoſuerim: an ego, veluti Vulcanus alter, fabrilem facere iubeor? an alia quæris vincula mihi ſuperinjicere, quàm quibus opprimor, tot Aegyptiorum nugis, vt recta & caſtigata prodire poſſint, procurandis? Tolle, tolle iſta, & exquire aliquid & excude quod me deceat, vel vnde optatiſſimum mihi poſſim otium comparare. Reſponſurus ſum, Bona verba, quæſo, Arnolde mi, nullum hinc tibi bellum intentatur, nullum paratur incommodum: mea hæc inſtrumenta ſunt eius generis, vt vel ſedens, vel ſtratus, nullo labore ſingula poſſis attrectare: quòd ſi quid in his laboris deſumendum fuerat, id à me iam exhauſtum tibi perſuadeas. Memineris tantùm Pierium tui memorem eſſe, nihilq; cogitaſſe, quod tibi vel moleſtum, vel iniucundum accideret, aut minimè liberale: voluiſſe verò in hac commentariorum ſuorum diuiſione, te ſibi vnanimi amicitia neceſſarium, in adoptionem ad rerum ſuarum participationem admittere herciſcundæ familiæ iure. Quod verò inſtrumenti tibi euenijſſet, ne vlla hæredum cauillatione auferri poſſet, donationis etiam nomine cenſeri: ſed quæ ſimplex donatio ſit, nulla eius Homeriaci carminis additione facta,

δὴ τότε μοι χαίεσυτι φέρῃ πρὸς δώματα.

Sed hæc plus nimio, cùm amicitiæ noſtræ ſimplicitas omnia boni conſulere debeat, nullaq; indigeat ratiocinatione quicquid dictum factumq; ſit. Quid verò ſibi velint inſtrumenta tot, facilè diſces ex eorum vnoquoque, quod in manum ſumpſeris.

DE INCVDE.

INTER inſtrumenta primùm non iniuriâ locum occupãt Incus & Malleus, quorum quidem opera ea fiunt inſtrumenta quæ faciundis reliquis miniſterium præbent. Ab incude igitur priùs exordiamur.

DVRANDVM.

IVNIORVM inuentum eſſe putaram olim, vt ad caſuum damna ferendo vindicanda, Incudem quis proponeret, ſed poſteaquàm in Græcum diſtichon incidi, luculentum quidem, ſed incerti autoris, figmentum hoc antiquum quid ſapere perſpexi. Eſt id huiuſmodi:

ἄγμων μὲν τε φοβεῖται τὸς ῥάφας,
ἣ νοῦς ἐλέφρων πάσαν ἔλκυσαν βίαν,
Strepitus nec incus maxima horreſcit, neque
Mens firma quaqua traxeris, violentiam.

Incus igitur hieroglyphicum fortiſſimi ponatur animi, ſiue pro præcepto, quo in aduerſis durandum admoneamur, neque vllis procellarum ſæuientium tempeſtatibus moueamur, ſed contra Fortunæ quantumlibet iniurioſæ ictus enitamur, ne vllus labefactandi locus ille relinquatur. Neque aſpernatus eſt Cicero hieroglyphicam huiuſmodi ſimilitudinem lib. de Orat. ſecundo, vbi dicit, *Aſſiduis vno opere eandem incudem diem noctemq; tundentibus*, de iis qui *perſtante*, vt Lucretius ait, *Labore* vincunt, quod deſignarunt facere.

SED

SED quæſierit hîc fortè aliquis, quid ſibi voluerit Homerus per incudes duas, quas Iupiter ſe Iunonis pedibus appendiſſe dicit, quam priùs aureo funiculo ſuſpenderat. Atqui fabularum vbique aërem per Iunonem intelligimus. Funiculus autem aureus æthram ſtellarum globis conſpicuam oſtendit. Incudes verò duæ terram & aquam, inter quæ Iuno ipſa ſuſpẽſa confingitur. Hinc Fulgentius ex autoritate Theopompi in Cypriaco carmine, & ex Hellanico ἐν τῇ τῶν Διὸς φιλολογίᾳ, Iunonem ait ab Ioue vinctam catenis aureis, & incudibus ferreis degrauatam, quamuis prauè quidam Deprauatã legunt: ſed longè fœdiùs interpretantur, dum exponunt Deuirginatam: & quod magis rideas (animaduerte hominis phraſin, & impudentiam) depudicatam, imminutam, incudibus, veluti ſtragulis & lecto geniali præpoſitis, ob nimij tendoris & libidinis impatientiam (ſic ille ſtolidus inſanit, & enormia longè magis ſibi confingit ſuper Angelis.) Nec tamen me præterit, alicubi legi Angelos quoſdam deprauari, & compedibus coërceri: ſed ibi deprauari non ſignificat depudicari, vt ſtupor iſte putat, ſed gratia luminéque Dei priuari. Homeri autem carmina, vnde hæc à Theopompo & Hellanico deſumpta ſunt, habentur Iliad. ο.

ἦ ὄ μέμνῃ ὅτι κρέμω ὑλόθεν ἐκ ἠ ποδοῖιν
ἄκμονας ἦκα δύο, χρυσὲὶ χερσὶν ἦ δεσμὸν ἧπλα,
χρύσεον ἄρρηκτον, σὺν δ' ἂν αἰθέρι ἢ νεφέλῃσι.
ἐκκρέμω ἠλήτεον ἦ θεοὶ κῦ μακρὸν ὄλυμπον,
λύσαι δ' οὐκ ἐδύναντο.

Non memor es cùm te de ſummo penſilem Olympo
Demiſi, vtq; pedes geminas graue pondus ad imos
Appendi incudes, manibuſque tenacia vincla
Ex auro inieci: aëris tu in nubibus altè
Pendebas, fremuêre Dei per ahenea cœli
Templa indignantes, neque te diſſoluere quiſquam *Eualuit.*

TERRA ET AQVA.



Incudes duæ Iunonis pedibus appẽſæ, quid.

DE MALLEO.

NCVDI Malleus, vt diximus, non indecenter adiungitur: de quo quidem apud Ægyptios nihil habetur, apud Diuinarum literarum autores multa reperiuntur.

MALORVM IRRITAMENTVM.

VIDETVR verò Malleus pro malorum irritamento accipi: arma ſiquidem, pugiones, cuſpides, & cultros malleus excudit, vnde mala tot in mortales oboriuntur. Eo etiam fiunt tubæ ductiles, per quarum clangorem animemur in bellum. Eo franguntur opera, & quæ ſolida ſunt conteruntur. Quare nonnulli Diuinarum literarũ interpretes Zabulum per mallei figuram intelligunt, à quo malæ omnes procedunt cogitationes, prauáque conſilia, & bonorum operum perturbationes. Hunc malleum ἱερογλυφικῶς vniuerſæ terræ confractum contritumque intelligit Hieremias aduentu Chriſti, ſubindéque confringi quotieſcunque prauis poſthabitis operibus, ad rectam viuendi rationẽ conuertimur. Vnde ait Apoſtolus: *Deus autem conterat Satanam ſub pedibus veſtris quàm ocyßimè.* Sed ſuper hoc plura legas homilia tertia in Hieremiam apud Adamantium. Zabuli verò nomen, quo Theologi veteres plurimùm vtuntur, idem eſt quod Diabolus, vti Zacynthus per reſolutionem Diacynthus. Theocritus, καλὰ πόλις ἀδιάκωθ@, quod & alibi notauimus.

Malleus figura Zabuli.

DE SISTRO.

SISTRVM in Cleopatræ manu Virgilius ſtatuit. Idem in Iſidis ſacerdotumque & Regum aliorum manibus ſpectatur, myſticum quidem inſtrumentum, ſed quo crepitum admodùm ſonorum prociebant, de quo apud Maronem legas:

Regina in medijs patrio vocat agmina ſiſtro.

Interpretes quidem ſitulam & ſiſtrum Niliaci acceſſus & receſſus hieroglyphica fuiſſe dicũt. Sed enim neceſſe eſt hoc altiùs atque diffuſiùs explicare.

RERVM VICISSITVDO.

SISTRVM itaque, cuius vſus totus erat in motu, eam rerum viciſſitudinem, quam iuniores Alterationem vocant, continuumque formandi deformandiq; motum indicabat: nam eius quaſſatio aſſiduũ rerum motum oſtẽdebat. Cæterũ quia quæri ſolitũ à pleriſque, ſiſtri ſpecies quænam eſſet:

esset; pro re fecerim, si priusquàm partium eius significata tractare aggrediamur, formam instru- D
Sistri forma ex Plutarcho. menti eius à Plutarcho traditam descripsero. Erat sistri species orbicularis, & æquè caua, in cuius circumferentia mobilia quatuor veluti tintinnabula appendebantur. Portio siquidem ea, quæ generationi corruptioniq; obnoxia est, lunari subiicitur globo, infra quem omnia commutantur, alternántque vices variabilis æui, quippe quæ sint ex elementis quatuor, igne, terra, aqua & aëre conflata, & in hanc vel illam speciem cõformata. In apside verò, summo verticis loco, felem effingebant, quæ faciem humanam haberet: infrà verò sub motabilibus illis orbiculis, hinc Isidis, inde Nephthyos effigiem: quibus quidem figuris ortum & obitum indicabãt, cuiusmodi sunt elementorum quas vocant alterationes & motus. Quid verò sibi felis vellet, suo commentario dictum, vt scilicet Lunæ symbolum esset, quòd animal id temperaturam cum Luna perquàm similem habeat, siue coloris varietatem, siue æstum, siue nocturnam potiùs quàm diurnam exercitationem, siue procacem admodùm salacitatem consideremus. Quid verò illud quod aiunt, felem vnum primo partu edere, secundo duos, ac singulis ita vicibus vsque ad septenos vnum addere, vt tot denique tota vita pariat natos, quot in Luna dies connumerantur? Iam verò pupillarũ incrementa decrementáque pari cum Luna consensu omnibus innotescũt. Humana verò facies nihil aliud sibi volebat, ait Plutarchus, nisi vt intelligeremus animal id peritiam & rationẽ mutationum, quæ lunari globo accidunt, habere, quando vni homini per rationem intelligere datum est.

XXVIII.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . .
. . . .
. . .
. .

DE TRIDENTE.

EX sistri figura igitur elementarem omnem plagam intelligimus: ex incude, terram & E mare. Si verò quis mare tãtùm hieroglyphicè signare voluerit, habebit ex numis vnde figuram sibi desumat.

MARE.

IN promptu siquidem est tridens, qui in Neptuni manu positus, symbolum, vti Plutarchus ait, erat tertiæ regionis ab igne: qua de causa ita & Amphitriten & Tritonas appellant. In numis sanè passim pro symbolo Maris ponitur, vt multis est locis cernere.

TROEZENII.

ALIQVOT verò numi tridentis nota signati, Trœzeniorum indicant rempublicam. Siquidem cùm illi Neptunum religiosissimè colerent, hieroglyphicum tridentis in numis cultus sui testimonium imprimebant, autor Plutarchus idem. Et Τροιζηνίους aliquando Trœzen ipsa dicta, hoc est, Neptunia, vt apud Stephanum habetur: tametsi ea sit olim aliis atque aliis nominibus appellata, quippe nunc Aphrodisias, nunc Soronia, nunc Apollonias, & Anthanis. Peloponnesiacam autem hîc intelligo: nam alia est omninò Trœzen iuxta Massiliam, quæ pertinet ad Italiam, à qua prouincia etiam ipsa Trœzenis olim nuncupata. Sed, vt ad priorem reuertamur, Pausanias Palladem & Neptunum de regione ea certamen iniisse tradit: pugnã Iouis sententia diremptam, qui regionem communem vtrique eorum esse sanxerit: eaque de causa Palladem apud ipsos Τριτωνίδα καὶ Δυνιάδα nuncupatam, Neptunum verò βασιλέα, essèque in eorum numis vna parte tridentem, in altera autem Palladis ipsius caput.

MANTINEA.

IN Mantineensium etiam scutis tridens signatus erat, quare eius vrbis ciuis per gestamen id cognoscebatur, vt est apud Pindarum. F

LEGIO VIGESIMA.

SPECTARE est Brixiæ antiquo in monumento tridentem in insignium quorundam militarium medio positum, in candelabri quodammodo speciem figuratum, supra quem literæ sunt, LEG. XX. Inscriptio est, quæ Lucium Antonium Fab. Quadratum in torquibus & armillis à Tito Cæsare bis donatum indicet.

DE ARATRO.

TANTA fuit olim agriculturæ reuerentia, tantusq; honos illi semper habitus, vt veteres sceptra Regia in Aratri formam effigiarent, quo & ipsi quoque sacerdotes perinde ac Reges vtebantur.

SCEPTRVM REGIVM.



Hostile

DEMOLITIO.

CIRCVNDVCENDI verò aratri obseruatio non in condendis tantùm vrbibus reperitur, verùm etiam in euertendis delendísque. Quare illud apud Modestinum Digestis lib. VII. tit. *Quibus modis*, &c. obseruandum, *Aratro in ciuitatem inducto, ciuitas esse desinit*, vt passa est Carthago. Eóque spectat Horatianum illud primo Carminum:

Imprimeretq; muris

A *Hostile aratrum exercitus insolens.*

Et secunda Philippica M. Tullius: *Vt vexillum videres, & aratrum circumduceres, cuius quidem vomere portam Capuæ penè perstrinxisti.*

AGRICVLTVRA.

NIMIRVM etiam est aratrum agriculturæ frumentariíque prouentus signum, vt in numo argenteo cernere est, cuius inscriptio est ab occipitio, SCIPIO IMP. cuius caput Elephantino est insigne capite, quod dubio procul Africanum signat: infernè aratrum pulcherrimè factum. Ante faciem spica, inde literæ, Q. METELLVS. Ab altera facie sigillum nudum, cuius dexterâ innititur femori, læuâ supra magnam spicam toto brachio exporrigitur: literæ hinc, REG. F. C. inde, EPIVS. De frumentaria verò Africæ feracitate alibi sæpe dictum. Quod verò Prophetæ olim dixerunt, *Ex Sion procedet lex, & verbum Domini de Hierusalem, corrigetq; vim magnam populorum, vt concidant gladios suos in aratra, frameas suas in falces.* Irenæus lib. in Valentinum quarto, pacificum Christi dogma præmonstrasse tradit. Christiana igitur institutio ad pacem, ad concordiam, ad vnanimitatem comparata est. At quò nos decidimus? quæ nobis tempora destinata sunt? quibus quæ plurima tàm publicè quàm priuatim Christianis accidunt mala, non aliunde sint, quàm ab ipsis Christianis.

Aratrũ in sacris quid.

DE FLAGELLO.

AVGVSTVS MENSIS.

B IVNIORVM inuentum est, per flagella duo frumentaria in transuersum alterius alterum posita, Augustum mensem indicare, quòd eo potissimùm tempore tritura peragatur, inter messem scilicet & vindemiam, nisi hoc fiat, agricolis vix, quod agãt, habentibus. Sedenim cùm non eadem sit regionibus omnibus triturãdi ratio, hieroglyphicum hoc iis tantùm inseruiet, quibus id instrumenti vsui est.

Flagelli hieroglyphica.

IMPERIVM.

ID receptius apud veteres est, vt per flagellũ imperium significetur, quod sæpe in Consularibus numis cusum obserues. Quinetiam in coniecturali disciplina nihil ab hoc diuersum notat, quod vel ipsius M. Tullij Ciceronis somnio satis innotuit, cùm is C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, Augusto viso affirmauit ipsum esse, cuius imago sibi secundum quietem obuersata, cœlitùs aurea catena demissa, cui Iupiter flagellum obtulisset.

TOLERANTIA.

EST & tolerãtiæ symbolum per se manifestum satis flagellum ipsum, quo vno signo Laconum patientia verberibus tolerandis assueta, clara & illustris habebatur. De qua Tertullianus: *Certè Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sanguinis fuderint.*

DE FRÆNO.

REX.

C AB officio verò gubernandi regendíque, habenæ quoque in Regis significatum veniũt. Hinc frænum nonnulli in fortunæ manu statuunt. Hinc plerisque locis eadem clauum tenet nauigij gubernaculum. Sed habenas tenere, pro regere, passim apud autores vsurpatum. Quia verò funem ex corio primùm fuisse constat, vt naues apud Homerum τρηχηλοῖσι βόεσσι ligantur, funes interdum habenas vocitari comperias. Et nostri Bellunenses, toto agro, validissimos funes ex crudo corio in ligulas longas secto, in tricasq; mox arctè complicato conficiunt, quos etiam rusticorum vulgus funes appellitat. Quin & Virgi. vetustatis amator dixit, *classiq; immittit habenas*, cùm funes intelligeret velo regendo apros, vt Cælius Vrbanus antiquus Grammaticus interpretatur. Quamquam eruditissimi nostro tempore sint, qui eo loco habenas metaphoricè pro clauo positas arbitrentur.

TEMPERANTIA.

EADEM porrò ratione qua clauus in naui moderationem significat, frænum tum moderationem, tum quam Theologi nostri temperantiam appellant, significare dicunt. Nam quod temonibus, id Equis frænum est. Iocatur in hanc sententiam Plautus, Rudente, nauem pro Equo intelligens, vbi sacerdos ad puellas iectas ait: *Nempe Equo ligneo per vndas cæruleas estis vectæ.* Camus & frænum idem sunt, quamuis camus ad inflectendam ceruicem comparatur, frænum ad oris, ac perinde totius corporis regimen. Horum significatum est, malarum incitationum coërcitio, vt exponunt Theologi eo loco, *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Dicitur autem κάμος ab inflexione ἀπὸ τοῦ κάμπτω, quod domare est. Huiusmodi enim fræni genere desultores vtuntur ad pullorum ceruices intactas edomandas. Nemeseos porrò signum ab antiquis celebratum, insigne cubiti mensura manu prætenta, neque non fræno, in hunc scilicet modum:

Camus & frænum.

Η' Νέμεσις προλέγλ τῷ πήχει, πῷτε χαλινῷ,
Μήτ' ἀμετρέοντι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγλν.

De qua ita nos:

Vna manus cubitum ostentat, gerit altera frænum:
Illa, modum serua, hæc admonet, os cohibe.

DE TVRBINE PVERILI.

HABENARVM mentio turbinem in memoriam attraxit, quia turbinis concitatio ab habena est. De hoc autem Græci Latiníque potiùs quàms Ægyptij, quantum inuestigare potui, meminerunt. Quoniam verò clari admodùm viri similitudinem à rhombo, qui turben est, desumpsêre, quid in eo lateat hieroglyphicum, exponere visum est operæpretium.

VEHEMENS MENTIS AGITATIO.

Rhombus quid.

EST autem rhombus, vt hinc exordiamur, lignum buxeum, vel ex solidiore aliqua arbore tornatum, plana latáq; primùm basi, cono sensim in angustum abeunte, cui u apex clauo armatur ferreo. Vsus eius in puerilibus ludis cùm antiquissimus fuerit, Florentini, apud quos plurimùm exercetur, cum vulgò *Palæon* appellant, vocabulo ipso vetustatem indicante. Implicatur is à cuspide præ longo loro, atque ita ludo puerili, quanta vi fieri potest excussus, basi supernè cuspide infernè versa solo alliditur: dum verò ab intorto se loro explicat, in rapidissimam concitatur vertiginem, atque ita volubiliter rotatus, spatiis ampliter curuatis hac illac fertur: pueri superinstantes flagello illum exagitant, acriq; intorta plaga impetum vehementiorem adiiciunt: Turben hic à Tibullo, à Marone autem turbo, vt Sosipater Charisius obseruauit, dicitur. Ob eam igitur concitatissimam vertiginem agitationémque, Poëtæ mentis volubilitatem, quæ nullo possit loco consistere, rationéve separari, quod plurimum in furore accidit, expressêre. Atque ita Tibullus amatorio furore exagitatus, de se dicit:

Namque agor vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Ludum hunc Maro dilucidiùs pinxit, vbi correptam furiis amatam Reginam nusquàm consistere posse, ita luculenter ostendit, vt versus hi, vel decies repetiti, nullius vnquam tædio recitentur:

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur spatijs, super inscia turba
Impubesq; manus mirata volubile buxum
Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias vrbes agitur, populosq; feroces.

Quoniam verò inter furoris species quinque à Platone memoratas, amatorius locum obtinet, rhombum Magi alliciendis amatoribus aptum veneficiis adhibuêre: de quo apud Theocritum, Pharmaceutria.

DE COLV ET FVSO.

NEQVE quidem in mystico hoc scribendi genere contemnendæ sunt colus & fusus, cùm ex iis antiquissima quædam referantur significata.

FATVM.

Parcarum pictura.

PER colum autem & fusum significari fatum, lõgè manifestius est, quàm vlla debeat commentatione vlteriùs explicari: plena siquidem sunt Poëtarum volumina, fatũ ipsum per stamina, per fusum, per colum, per fila vbique significantium. Tres verò Parcas illas huius negotij arbitras, qua de causa vetustas finxerit, Platonem latissimè interpretatum alibi diximus. Tres autem illas esse, quarum vna colum sustineat, altera neat, tertia adactis in fila forficibus modò hæc, modò illa occet: ita rebus quotquot in mundo sunt, ortum, auctum, interitum esse proprium, ignorare neminem crediderim. Si verò tabulæ huius seriem quis delineari sibi cupierit, ita picturam digeramus, vt Clotho vestem induta versicolorem, cum corona septem stellis insignita colum teneat ingentem admodùm. Lachesis veste passim stellata insignis, manibus in pendentium magno numero fusorum fila immissis, modò hunc, modò illum torquere videatur, vtraq; palma ad torturam composita. Atropos atrata insultet filis forfice detruncandis. Fusi solo passim iaceant, alij modico, alij plurimo obuoluti stamine. Fila variis sint picta coloribus. Minimè verò dissimulanda sunt, quę filo super ex Diuinis literis tradit Hesychius: subtegmen quidem mortalium intentionem indicare, stamen verò Dei nutum, vtpote firmiùs, eáque gratia quæ stabilis atque incommutabilis in nobis permanet, quæ nostræ intentionis subtegmen admittit, vt boni operis indumentum contexatur.

QVOD

NVPTIÆ.

Colus & fusus nouè nuptis dãtur, & quare.

QVOD verò colus & fusus nouam nuptam indicet, aliquis fortè dubitarit. Sciendum autem id inde sumptum boni ominis causa, quòd C. Cæciliæ, quæ alio nomine Tanaquil Tarquinij Prisci vxor fuit, lana cum colo & fuso in templo M. Anci diutissimè adseruata perdurarit, cuius rei mentionem facit Varro. Et quoniam res Tanaquili feliciter cessit, institutum vt nubentes virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine. Hinc gratulari libet antiquitati patriæ meæ, vbi toto territorio adhuc huiusmodi obseruatur, vt postero die quo noua nupta traducta fuerit, manè præstò sint domestici coniunctiores sponso, cum colo & fuso, quos nouæ nuptæ offerant, armáq; alia, quibus opus aliquod domesticum fieri soleat, quamquam vulgus interpretatur id ea de causa fieri, quasi subinnuere velint, hesternum quidem diem & genialem & festum fuisse, postero autem ad officia muliebria redeundum. Nam & alibi de olla meminimus, quam noua nupta postero à nuptiis die iubebatur à socru petere, quam illa peracerbè conuiciis etiam superadditis abnegaret. Sed enim tam peruulgatus de colo fusoq; mos antiquitatem illam sapere mihi videtur.

PAVLATIM QVID EFFECTVM.

SEPARATIM autem per fusum glomo obuolutum, sunt qui paulatim quid effectum intelligant, quod apud veteres nusquam inueni. Nam fila ipsa dum nentur, paulatim coëunt, sensimq; torquentur, & ex molli vellere linóve per patientissimam contationem in eam soliditatem ac firmitudinem, quæ operibus faciendis apta sit & idonea, coalescunt.

MORS.



AT colus atque pensa tantùm, staminibus abruptis, mortis habere, significationem tradunt, vulgata quam citauimus Parcarum fabula, quarum munus esse diximus, suum vnicuiq; rei finem præscribere, inde etiam ficto nomine, quòd, vbi fatalis aduenerit dies, nemini parcant. De vi autem earum, quã ἀμεταστρεφον esse dicit Plato, nos inconuertibilem dicere possumus, quóque pacto non circa stabilem corporis sanitatẽ tantùm, verùm etiam ad animos in legum cultum & obseruantiam inducendos munus exerceant suum, quin legibus & sanctionibus firmam præstent incolumitatem; duodecimo Legum libro circa finem Plato disserit, ibidémque interpretes de fixarum stellarum orbe multa. Lachesin quippe firmamentum esse (vt superiorem fabulam apertiùs interpretemur) in cuius stellis vires sortesq; inferiorum omnium contineantur. Clotho verò Planetarum cœtum, in euoluendis rerum sortibus firmamento subministrarem. Atropon denique Saturnum, qui stabilitate sua eductas in effectum sortes immutabiliter confirmet: quæ quoniam latè apud eos disputantur, à me nunc prætereuntur.

DE LAQVEO.

Laquei hieroglyphica.

HÆC verò Parcarum lina in opus deducta, laqueum neuêrunt, artificíque astu composuerunt: de quo dicere non fuerit importunum.

AMOR.

LAQVEVS vel vinculum, nunc rete, nunc decipula quælibet, amorem hieroglyphicè significat, quippe qui artibus his homines conuenetur, tacitéque aggressus incautos in insidias trahat. Addunt etiam nonnulli hamum, de quo loco suo dictum. Quod ad laqueum facit, aliqua spe proposita voluptatis ita decipimur, veluti feras quoque, appositá esca, spe boni, capere moris est. Neminem enim faciliùs decipias, & arbitrio colligaris tuo, quàm amantem: vnde etiam vinculum, & vinciendi, & captiuum reddendi, significatum habet.

VENVS.

IPSI verò Veneri amoris genitrici à vinculo nomen inditum: siquidem à viere, quod ligare est, dictam ait Varro. Quod verò apud Lacedæmonios Venus cognomento Μορφὼ, pedicis circa pedes obuolutis ostendebatur: nam Tyndarum ferunt coniecisse Venerem in vincula, quò filiarum opprobria, quæ impulsu eius acciderant, vlcisceretur. Sedem Pausanias figmentum hoc à vulgi fabula summouet, rémque eruditiùs hieroglyphicè interpretatus, ea specie significari tradit, quòd debeant mulieres erga viros suos in fide firmiter & constanter permanere. Nostri in vniuersum castitatem & sobrietatem ita comparandam monuêre, si tali vtamur hieroglyphico, dum aiunt:

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum.

DIANA.

APVD eosdem Lacedæmonios, Dianæ simulacrum, quod Iphigenia & Orestes ex Taurica regione detulerunt, vitice colligatum colebatur, nempe quòd eam auferentes viticem fasciculo obuolutam occultauerint. Huic quondam homines sorte ductos immolabant, quod sacrificij genus Lycurgus in Epheborum flagra commutauit, simul vt aram Dianæ, quod ipsa oraculo sibi deposcere visa erat, humano sanguine conspergeret, simul vt plagarum cõtemptu fortiorem redderet iuuentutem.

DIANA STRANGVLATA.

APVD Caphyatas Arcadiæ populos, Dianæ strangulatæ simulacrum, atque eidem templum erat. Significabat id, non hieroglyphicè, sed historicè, rem super ea gestam, propterea quòd pueri quidam circa templum ludentes funiculũ repertum simulacri collo iniecerunt, se Dianam suspendisse dicentes, quos Caphyatæ lapidibus obruerunt, oraculo inde moniti eos sepelire, & sacra quotannis facere, cùm eorum vxores omnes abortiuos partus ederent. Autor Pausanias.

FIRMITAS.

SVVM verò ὀνυάλιον Lacedæmonij pedibus vinctum colebãt, Scuiusmodi vetustissimam apud eos statuam fuisse Pausanias attestatur, ne scilicet aliorsum ab vrbe sua secederet, sed in ea firmus stabilisque permaneret. Cuiusmodi insania Tyrios etiam vexauit, quo tempore ab Alexandro Macedone obsidebantur: nam & Apollinis ipsi sui basin aurea catena religarunt, cùm quidam in cõcionem progressus affirmasset, visum sibi per nocturnam quietem Apollinem dicere, velle se transire ad Alexandrum: post quod vinculum iniectũ, eum insuper Tyrij Alexandrinum cognominarũt. Sedenim aliorum quoque deorum statuis Plutarchus ait in Problematis Tyrios vincula solitos iniicere, id scilicet indicantes, quòd lento gradu in scelerum castigationem ferantur. Et Horatij locum de pœna quæ *claudo incedit pede*, in hanc eandem sententiam Porphyrio interpretatur.

IVNONIVS.

Milonis statua.

ET ahenea Milonis statua in Olympia fuit, quę super discum posita vinctis simul pedibus innixi videbatur. Malum autem Punicum sinistra tenebat. Dexteræ digiti recti, & rigentibus similes apparebant, vittaq; caput habebat redimitum. Rem ita interpretatus est Philosophus Tyaneus, vt Milonem athletam dixerit Iunonis sacerdotem à Crotoniatis institutum, idq; mitram & redimiculum indicare. Arborem verò malum Punicam solam in Iunonis honorem plantari.

FORTITVDO ATQVE TEMPERANTIA.

QVANQVAM alij eruditionis hieroglyphicæ non ignari, dicunt pedes colligatos id significare, & fortissimus is athleta nullius viribus ex eo loco, vbi semel cõstitisset, dimoueri posset. Malũ manu comprehensum, digitorũ eius fortitudinẽ indicare, quod identidem nullius conatu auelli posset. Porrectionem verò digitorum eodem roboris argumento significasse, quantum illi virium inesset, quòd à quoquam vel robustissimo, neque inflecti, neque dimoueri potuerint. Per vittam verò temperantiam hominis aiunt indicari: athletæ enim vires suas ea potissimùm ratione custodiebant, quòd ab iis, quæ corpus eneruant, libidinibus studiosè admodùm abstinebant.

MINERVA ARCADICA.

Minerua obligata quid.

NEQVE quidem Dianæ tantùm simulacrum obligatũ erat apud Arcadas, verùm etiam Mineruæ signum obligato crure ostẽdebatur. Significabat id vulnus, quod ipsa à Teuthi Arcadum duce acceperat, dũ illi suadere, & obstare conatur, ne Græcorum societatem desereret, quam ipse ob simultatem in Agamemnonem repudiauerat. Teuthis autem apud Arcadas colebatur, & certamen id cum Minerua illi laudi adscribebatur. De stupore verò & imperitia Arcadum, qui nihil cum Minerua commune aut sociale habuerint, in Quercu, atque etiam in Asino, satis dictum.

SEMEN IN VTERO.

Saturnus alligatus.

SATVRNVM Apollodorus alligari ait per annũ laneo vinculo, & solui ante diem sibi festum mense Decembri; atque inde prouerbium, *Deos habere pedes laneos*. Hinc verò significari semen in vtero animatum (nam à satu Saturno nomen) in vitam grandescere, ac donec erumpat in lucem, quod decimo fieri mense, & Virgilij & aliorum testimonio, iis quæ rectè ferunt, comprobatur, mollibus interim naturæ vinculis detineri. Sunt verò qui referant id ad tempora, quæ certa naturæ lege connexa sunt, vel quòd fruges omnes vinculis nodisque quibusdam alternentur; vel quòd in Tartara coniectus, propter loci, in quo versatur, profunditatem, quasi quibusdam ibi vinculis

A culis detineatur, vt deportatus. Alij fictum volunt ob motus tarditatem, de quo alibi.

ARTIFICIOSVM OPVS.

QVÆ verò vincula statuis, quas Dædalus elaborasset, iniici solita sunt, id sibi volũt, artificiosè adeò fuisse fabrefactas, vt abire viderentur, quocirca vinculis compescẽdæ essent. Meminit huius rei Plato in Menone, *Dædali signa*, inquiens, *ni religata fuerint, abire & fugam arripere, vbi verò reuincta sunt, consistere*. Proinde si quis aliquod eius habeat, & solutum esse sinat, incertam eam esse possessionem, perinde ac si quis seruum habeat fugitiuum, & 1. Politicorum Aristoteles Dædali statuas memorat, quas vulgus spontè moueri, & opus facere dictitasset. Neque desunt qui ligneam Venerem à Dædalo fabricatam autument, quæ argento viuo infuso moueretur. Hinc quotiens opera huiusmodi & pulcherrima & absolutissima esse ostendere voluerimus, si Platonis sententiam approbemus, eorum pedibus, aut quæ opportunior fuerit parti aliquid adalligabimus.

NEQVITIA.

IVNIORVM incœptum esse volunt nonnulli quantiuis pretij viri, amorẽ obligatis oculis pingi: neque id antiquam sapere eruditionem, cùm eum ipsi dicant oculatissimum. Plerique tamen veterum, vt Theocritus, Menander, Archilochus, & è nostris præcipuè Virgilius, amori cęcitatem attribuerunt, eum scilicet amorem intelligentes, cui assidua est comes nequitia. Affectum enim in turpitudinem cæcum esse, nemo non dixerit. Appetentia enim quæ ab oculorum sensu est, intellectum concitat ad voluptatem: ea verò tali orta principio, quæ putat in conspectu esse bona, ea

Amor cæcus quid.

B tantùm concupiscit, addictaq; sensui à contemplatione auertitur, neque sui compos est, vt possit eligere. Impetu igitur raptatur & in furorẽ fertur. Furor dubio procul intellectum obcæcat: quiq; ita affectus est, is *cæco carpitur igni*. Qui verò electionis est compos, auream colit Venerem, nihilque priùs curat, quàm cęci stimulos auertere amoris, cæci, quia dubio procul affectus ille à sensu rectus, aut exoculatus est, aut ita oculos habet obligatos, vt nec quę attingunt ad rẽ, nec sumptus videat. Quòd verò sint qui, *Cæco carpitur igni*, exponant, cæco, validiore, quia dixerit Ouidius, *Quoq; magis tegitur, tantò magis æstuat ignis*, cur non dixêre potiùs, cæco, intellectus & rationis lumine priuato? Id tamen actiuè, quia nõ videbat omninò Dido quò rueret, quò raperetur, in quantam ærumnarum tragœdiam se præcipitaret. Amat Scyllam Glaucus: Scylla lupis est canibúsque succincta, quod meretriciam proteruitatem & impudentiam ostendit. Glaucus idem vel cæcus, vel, vt significantiùs loquamur, luscitiosus, & glaucoma cęcitas Latinis est. Sed cur non ea etiam de causa laqueum amoris insigne dixerimus, quòd vbi quis perditè insanire cœperit, extremo sibi aufugio, & miseriarum liberationi laqueum agnoscat? vt elegantissimus ille monet senariolus:

ἔρως ἅπαντ' λιμὸς· οὐδὲ μὴ χρόνῳ
ἐὰν δὲ μήδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ,
θρασεῖα σοι τὸ λοιπὸν ἡ τύχη βοήθεια.

Quod ita Latinè reddere possumus:

Fames amorem sedat: hæc si non potest,
Non grande saltem tempus efficit: nisi
Præstare tempus hoc queat, reliqua salus
Est laqueus, aptes quem tibi.

C Passim verò Poëtæ amoris retia decantant, quæ statim declinare studeamus. Nam, vt sapientissimè admonet Lucretius;

-- Vitare plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

VENATOR.

SEDENIM cùm venationis præses Diana fingatur, iure illi & laquei & retia sunt attributa, vtpote præcipua venatorum arma. Vnde Psal. 90. scriptum: *Libera me de laqueo venantium*. Et 125. canitur: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. vbi animaduertendum est apud Græcos quidem θηρεύοντων legi, quam literam nostri secuti sunt: sed apud Hebræos vocabulum esse, quod aiunt significare Sidonios, populum Iudæis semper infestissimum: venatores enim Sidonij, inquit Adamantius. Neque ignorauit hoc Maro noster, apud quem Venus mater Æneæ filio:

Arma venantium præcipua.

--- Media se fert obuia sylua,
Virginis os habitumq; gerens & virginis arma Spartanæ.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatq; comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentis.

Cúrque hoc venatricis habitu incederet, causam mox infert:

Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram,
Purpureóque altè suras vincire cothurno.

ANNONA.

Venationis hieroglyphicum.

QVINETIAM ipsa venationis locutio aliquid prę se fert hieroglyphicum: siquidem venatio tum victum, tum annonam, & quicquid in humanæ vitæ vsum comparatur, significare dicitur. Venatui enim primę ciborum deliciæ comparatæ. Quare videas locum Psalmographi: *Viduam eius præcipuè benedicam*, quod in antiquis Græcorum exemplaribus θηεύν, non χηεύν legitur, quod venationem significaret: ex qua locutione Theologi omne ciborum genus quod ad pulpamenta comparatur, accipiendum dicunt. Nam & qui Hebraicam lectionem sequuntur, aliquid simile deprehendêre, cùm pro, *Viduam eius benedicens benedicam*, *annonam illius*: alij, *præcipuè benedicam*: alij, *amplificabo, copiosissimamq; faciam*, reddiderunt.

DOLI OCCVLTI.

SED vt ad laqueum reuertamur, id instrumenti occultos dolos & calliditatem, insidiarumq; indicat cogitationes. In occulto enim tendi solent insidiæ, quemadmodum & laquei, & in eiusmodi sententia à fatidico vate Dauide positum inuenias. Idem alibi mortis laqueum memorat, pro morte per insidias intentata. Nam quod laquei venatoribus aduersus feras, id insidiæ in hostes præstant. Dubio procul enim vbi in Psalmo legitur, *Laqueum parauerunt*, dolos omninò significat Eucherius. Atque alibi in iisdem sacris literis de meretrice legas, vinculum in manibus eius de vitiis: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, vt contrito laqueo liberemur.* Nam hæc quandiu rupit Sampson, inimicos vicit.

DE CATENA.

APERTA VIS.

CATENA verò vim apertam significat, quia victis palàm catenæ iniiciuntur, neque vllam exigunt occultationem.

VITIA.

THEOLOGI nostri veteres, catenas vitia significare contendunt, quòd vitia se inuicem gignere, atque arctissimè complecti consueuêre. Nam qui de moribus disputant, necesse aiunt multa illi inesse vitia, in quo vel vnum tantùm fuerit in conspicuo: vsq; adeò peccatum esse, transire lineam, finiuêre. Sic à manibus Petri Apostolorum principis catenæ ceciderunt: sic illi soluendi ius diuinitùs attributum. Hoc tamen significato iuniores laqueos libentiùs dixêre.

CONIVGIVM.

SVNT tamen & maritalis vitæ indicia, propriæq; similitudines catenæ, quæ pedibus, quæq; manibus iniiciuntur. Nam pedicæ vitæ liberioris progressum impediunt, hominemq; intra certæ rationis ergastula cohibent, neq; licentiùs euagari permittunt. Manicæ verò sunt negotiorum impedimenta, quibus implicari necesse est familiæ patrem, si rem, liberos, domumque suam rectè administratam, institutam, conseruatámque velit.



DE IVGO.

INTER vinculorum genera & iugum est, cuius varia omninò sunt significata. Sed quoniam de maritali vinculo quid cœpimus, eidem hoc adiiciemus.

PAR COPVLA.

PRO vita coniugali, vel ipso nomine rem indicante, honestiori argumento iugum accipi. Ea siquidem est coniugatio & copula maximè maritalis, vnde coniugium & vincula iugalia, & parem denique conatum, curam, amorémque, & studium in consortibus esse debere indicat, atque hoc est quod apud eruditos dictum inuenias, *Pari iugo.*

SVBIVGATIO.

APVD Horatium iugum aheneum, pro violenta subiugatione positum reperias, vt eo loco:

Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga ahenea
Sæuo mittere cum ioco.

Iugum mittere.

Nam & subiugare, militare verbum, & sub iugum mittere, passim apud historiæ scriptores inuenias. Erat verò huiusmodi iugi species, vt in Armorum commẽtario diximus, ad similitudinem Π, Græcæ literæ, duabus scilicet hastis in terra defixis, tertiaq; ad summum earum deligata, sub qua victi hostes omnibus armis exuti subeuntes, transire per ignominiam iubebantur.

SER

SERVITVS.

INVENIAS & pro seruitute iugum poni, ac perinde pro fatigatione: vnde *subdere colla iugo*, pro trahi in seruitutem & labores, passim apud Poëtas, à Bobus nimirum sumpta metaphora, qui ad hoc iungũtur, vt laboribus exerceantur. Hoc significato Assertor noster, qui calicis amaritudinem suis pollicetur, de promptæ voluntatis alacritate loquens, *suaue esse iugum suum, & onus leue* profitetur.

Iugum Domini suaue.

LEGES.

SVNT qui per eiusmodi dictum leges intelligi putẽt, quòd appellatione iugi legum onus fuerit etiam à Dauide nuncupatum. Omninò verò leges pro subiugatione & imperio vicissim à Marone dictum: *Leges q; viris & mœnia ponet.* Nam qui legibus parent, similitudine quadam colla iugo subdere videntur: & qui potentiorum arbitrio subiiciuntur, subire iugum identidem.

PATIENTIA.

SVNT qui iugum significato patientiæ præferãt, quo plurimũ insigni gauisus est LEO X.P.M. Cùm enim ab ineunte ętate Virgilianum illud admirari cœpisset, quòd solitus sit ille, vt aiunt, dicere, nullam homini virtutem patientiâ cõmodiorẽ esse, eã sententiã ita carmini mox inseruit:

Superanda omnis fortuna ferendo est.

Leonis X.P. M. patientia in omnibus.

Nullum vnquam is opus neque publicum, neque priuatum, etiam cùm ad Pontificatum euectus esset, faciundum locauit, cui iugorum insignia non apposuerit, cum inscriptione, SVAVE, vt scilicet ad virtutis eius fructum percipiendum alacrem esse necessariam voluntatem innueret, iugũque id suaue futurum, quod libenti animo toleraretur. At contrà nihil tam facile, quin difficile appareat, quod inuitus facias. Postea verò, cùm is rerum potitus esset, ad insigne id ea accommodata est interpretatio, quæ orta est ex re ipsa, eo scilicet principe iustam & clementem atque adeò suauem humano generi seruitutem obtigisse.

IVPITER.

SED quid illud, quod ipsius Iouis symbolum est, iugum? Iugare siquidem Iouis inuentũ esse veteres tradiderunt, & à Iouis nomine Græci ζεῦξαι deduxerunt. Ipsum autem aiunt primùm iumenta iunxisse, vt ea in frugum satu frugalem nobis operam præstarent. Nam

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.

Nec ignorauit hoc Naso, cùm scripsit de Ioue ipso:

Semina tum primùm longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressiq; iugo gemuêre Iuuenci,
Postquàm Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Ioue mundus erat.

DE CLAVO.

CAPET quid simile cum iugo, cumque laqueo, clauus, quantum pertinet ad colligationẽ, applicationem, vnionem: quare locus exigit, vt super eo quoque aliquid differamus.

SISTERE.

Claui hieroglyphica.

CLAVVS vtique sistendi firmandique signum habitus apud antiquos. Et Dea ipsa Necessitas adamantino clauo insignis fingebatur, quæ vbi quid faciundum decreuisset, non licere vel Diis ipsis intercedere, Homerus ait. Hinc apud Horatiũ Fortunã ipsam, quæ rerũ humanarũ domina fingitur, semper anteit *sæua Necessitas*, siue, quod in antiquissimis codicibus obseruaui, *serua Necessitas.*

Clauos trabales & cuneos manu
Gestans ahena, nec seuerus
Vncus abest, liquidumq; plumbum.

Eodem vtitur hieroglyphico Tullius in Verrinis, vbi ait: *Et vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, & de consilij sententia Mamertinus se frumentum non imperasse pronunciat.*

SOSPITAMENTVM.

QVI verò clauus aheneus, nonnunquam & ferreus in postico pariete templi, quod Mineruæ dicatum erat, in Capitolio visebatur, præsentanei remedij ad mala quę impendere viderentur, signum habebatur, atque amuletum erat præcipuè contra pestilentiam, eoque vim morbi sisti persuasum fuit. Figebat eum Consul solenni sacro. Et aliquando Dictator solius figendi claui causa creatus est: quo in albo Cincius Manlius, Cn. Quintilius, & alij nomen habent apud rerum scriptores. Cuiusmodi rei adhuc Romæ extat monumentum hoc:

M. HORATIVS CONSVL EX LEGE
TEMPLVM IOVIS OPT. MAX. DEDI-

CAVIT ANNO POST REGES EXACTOS. A CONSVLIBVS POSTEA AD DICTATORES, QVIA MAIVS IMPERIVM ERAT, SOLENNE CLAVI FIGENDI TRANSLATVM EST.

D

ANNVS.

Clauus annalis.

ERAT & alterius generis clauus, qui Septembribus Idibus figebatur per annos singulos in sacrarum ædium parietibus, ad annorum numerum colligendum, quia paruus tunc erat literarum vsus: isque clauus annalis appellabatur.

DE CVNEO.

CONTRA verò Cuneus, quæ vel natura sunt solida, vel arte compacta, conglutinata & applicita sunt, discutit atque dissoluit, discissaq; separat, & à clauo totus diuersus abit. Ideoque inter instrumenta necessitatis, quę fortunę operam suam subministrat, appingitur. Super eo est igitur differendum.

DISSOLVTIO.

POSITO siquidem firmandi signo, quod per clauum indicatur, vbi scilicet fortuna quippiam stabiliuisse videatur, cùm & eiusdem munus sit, ea quæ firmissima iudicentur in humanarum rerum ludibrium dissoluere, loco dimouere, discutere, atque disiicere, additus est ad necessitatis insignia cuneus, qui nimirum, vti dictum, dissoluendi, discindendi, atque separandi symbolum est. Et veluti per clauum firmatum aliquid ostendimus, ita per cuneum, infirmatum aut loco dimotum indicamus. Additum & ahenea hæc gestari manu, vt vicissitudinis huius perpetuitas nunquam defutura commonstretur: siquidem, vt sæpe alibi docuimus, perpetuitatem indicat æs, propterea quòd rubigine non absumitur: ideoq; Vegetius probat æreos clauos configendis nauibus, quos ferreis anteponit, quòd eos tempore & humore celeriter rubigo consumat: illos etiam in fluctibus permanere incolumes manifestum sit.

E

Aes perpetuitatem significat.

DE VNCO.

VÆ verò de Vnco & Plumbo subsequuntur apud Horatium, ad eandem faciunt sententiã: siquidem vnco trahi, qui loco deiecti fuerint, læsæ præsertim maiestatis rei solitum, apud rerum scriptores sæpe legimus: quare congruit vncus cuneo.

DE PLVMBO.

PLVMBVM verò clauo perquàm simile est, propterea quòd eo infuso, & statuæ, & aliæ operum ædificiorumq; moles cohærescunt, & firmitate stabiliuntur, & suapte natura est adeò ponderosum, vt etiam si non ad operis adhibeatur firmitatem: quam difficulter loco dimoueas, per se valeat significare.

HEBETVDO.

Plumbeum ingenium.

ALIOQVI plumbum hebetudinis indicium est. Nam cùm velocissima esse debeat mentis agitatio in eo qui acutioris ingenij laude commendandus sit, vbi quem tardiorem ad ea excogitanda, consulenda, constituenda, adeunda, peragendáve, quæ vsu veniunt, inspexerimus, à contatione ipsa, vel ab immobilitate, plumbeum ingenium per cauillum exprobramus. Vnde in Tusculanis Cicero: *Nisi sanè in Physicis plumbei sumus.* Et pro inefficaci, & inutili, atque inani sermone, plumbeum gladium aut pugionem plumbeum, apud eundem Tullium inuenias.

F

INIQVITAS.

ILLVD etiam in Diuinis literis obseruatur, quòd iniquitas per plumbum intelligitur. *Iniquitas enim,* secundum Zachariæ Prophetæ visum, *super plumbi talentum sedet.* Vetus enim ponderis modus est talentum. Ideoque Pharaonis exercitus, vtpote qui in iniquitate permansit, tanquam plumbũ in imas aquas pessum iit, ibique supinus in cauo profundi alueo recubuit, vt ait Adamantius.

DE VECTE.

QVID pondus significaret indicauimus: sed reliquum est instrumentum ponere, quo magna quantumlibet pondera facilè moueantur.

ARS NATVRAE VICTRIX.

IS vectis est, per quẽ, artẽ humana industria cõparatam, quæ naturã lõgè vincat, indicamus, négotiáve perdifficilia minimo conatu cõfecta. De vecte sanè, deq; aliis machinis Antipho Poëta fenariolo

A fenariolo eo, quem citat Aristoteles in Mechanicis, arte nos ea superare docet, quibus rei natura ipsa repugnare videbatur. Magnas enim rerũ moles loco dimouemus adacto vecte, hypomochlio, quem nostri Suppressam vulgò vocant, centri loco summisso, pondera supra omniũ, qui rẽ nõ inspexêre, fidem tollimus, & eorũ qui inspexêre, sed causam non intellexêre, admiratione, huc illuc arbitrio nostro promouemus. Atque hoc est quod in primis admirabile dicit Philosophus, quod quispiã pondus viriũ imbecillitate loco mouere non potest, id ipsũ facilè cõmouere, & hac illacq; ducere, adiuncto vectis pondere tam exiguo, si reliquæ molis motæ magnitudinem contempleris.

Vectis vsus

DE CLAVI.

PRÆSTAT vtrunque clauis, quod & cuneus & clauus: eadem enim aperit & claudit, hoc est, ligat & soluit, & in manu Iani præcipuè statuebatur.

PVDOR.

DE qua quidem multa Poëtæ nostri. Sed vt figmenta, vbi agitur seriò, prætereamus, Fabij Pictoris, si modò legitimum est id opusculi, interpretationem afferemus, qui Ianum dicit ad pudorem & sanctimoniam, domorum primùm valuas, seras & claues excogitasse, ab eoq; ianuas appellatas: vnde claues in simulacris, in beneficij huius memoriam gestet.

Ianuæ vnde.

SECVRITAS.

BALLI dicunt securitatis eius signum esse, quæ passim eo regnante fuit: domos enim omniũ religione ac sanctitate munitas fuisse prædicant. Alij à cludendi aperiendiq; anni officio, quòd munus eius esse Dei putabant, claues additas arbitrantur: eáque de causa Clusium & Patulcium appellatum. Ad huius instar Apollo cognomẽto *κυρεῖος* colebatur apud Græcos, q; ineũtis & exeuntis anni arbiter haberetur. Ianum verò eundem esse ac Solem, à multis vbique disputatũ.

Apollo. κυρεῖος

PORTVNVS.

NEQVE tamen Ianus tantùm cum clauibus, verùm & Portunus cũ claui figurabatur in manu: nam & portarum Deus esse putabatur.

PARTVS.

ERAT etiam olim ritus, vt nuptialibus inter alia clauis quoque mulieribus traderetur. Id aiũt boni ominis causa fieri solitum, ad partus scilicet facilitatem illis comprecandam. Et hoc significato in sacris literis sæpe inuenies, *Vuluam aperire.*

PIERIVS VALERIANVS AD MAGNIFICENTISS. VIRVM ALOISIVM CORNELIVM, DE IIS QVÆ PER LAPIDEM & aliquot ædificiorum partes, significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

C

LIBER XLIX.

QVM mecũ reputo, Vir magnificentissime, nulla verò non hora reputo, quantus sit tuus erga me amor, quæ beneficentia semper extiterit, suffundi me verecundia necesse est, quòd tibi nunquam alia ratione respondere cogitarim, quàm redamando, beneficentiæ verò hactenus immemor mihi fuisse videar. Nam quod ad amorem attinet, cõmune id est cum plurimis, cùm tu innumeros alios, imò quotquot semel allocutus fueris, ad te amandum, colendumq; trahas, & iucundissimo suauis naturæ tuæ blandimento nouos quotidiè amicos pares: adeò singularis est integritas illa tua dubio procul incomparabilis. Sed enim quamuis hoc maximi faciendum sit, longè maioris ponderis apud me est benignitas, qua me semper es tam liberaliter prosecutus: cui si parem referre gratiam non poteram, saltem eius prædicatione liberarem me à dissimulationis suspicione, quæ meritò suboriri poterat, nisi aliquando eã confessus essem. Nunc igitur cùm labores meos Aegyptiorum hieroglyphica, qualiacunque sint, publicare constituerim, pro amicorum moribus & ingeniis conuenientis materiæ commentaria in hunc & illum distribuere consilium fuit, atque ita hoc de Lapide & fabricis nõnullis, tibi deberi existimaui, quãdo hodie nemo priuatorum hominũ fabricæ rationẽ, pulchritudinem & elegantiã te vno melius intellexit, intellectamq; in vsum & artem euexit. Quòd si digna magnanimitatis tuæ fors fato aliquo tibi obtigisset, ætas nostra nulli veterum in rei tam præclaræ amplificatione cedere iudicaretur. Accipies igitur Lapides meos primã ædificiorũ omnium materiam, eosq; ita tractabiles, vt vel in ære manfurum opus ædificare possis, quod cõtra fulminũ casus incolume resistat, nullam fluuiorũ illuuiẽ pertimescat, terræmotus, hiatus, eructationesq; omnes aspernetur: quæ si tibi aliqua parte arriserint, magno ego beneficio affectus mihi videbor, qui multis olim à te cõmodis acceptis, per nugarũ mearum distributionem obligationis illius meæ partẽ aliquam tibi depensam existimaueris.

DE

D

DE LAPIDE.

Lapis in cultu olim maximo.

ANTEQVAM ad ædificia aggrediamur, de Lapide priùs dicere consentaneum est: non enim quispiam nisi materia priùs comparata, fabricare incipit. Sedenim & rudis lapis sua apud antiquitatem omnem habuit significata. Neque fortè Romani temerè Iouem lapidem iurabant, apud quos futurum erat vt veræ pietatis fundamentum ex petra solida iaceretur. Petra enim erat Christus, de quo paulò inferiùs dicturi sumus: nunc enim à Gentibus incipere visum est. Multipliciter siquidem apud hos & illos lapis in cultu fuit: vt apud Thraces colebatur saxum, in quo vestigium Herculis impressum esse persuasum habuêre. Et Arabes, vt legere est apud Maximum Tyrium, tetragonum colebant lapidem. Apud Romanos lapis alter extra portam Capenam erat, qui, cùm siccitas temporis frugibus officeret, intra vrbẽ solenni pompa ferebatur, & statim pluuia, vt memoriæ proditum est, cadebat: proptereáque Manalis appellabatur, quòd eius beneficio impetraretur, vt aquæ à cœlo manarent.

PERPETVITAS.

Saxum Capitolij.

APVD eosdẽ lapideus Terminus in Capitolio Diuinis est honoribus celebratus: autoreśque sunt, saxum illud fuisse, quod Saturnus deuorare non potuerit propter magnitudinem, cùm Iouem deglutire se crederet. Nam vetusta illa superstitio omnis comminiscendis fabulis implicabatur. Cassiodorus, vt quæ recepta sunt ponam, meminit aruspicem interrogatum, quando imperium Romanum casurum esset: respondisse, quando saxum Capitolij cadet: addidisséque insuper si eueniret, vt vnquam caderet, futurum vt post xxx. annorum millia iterum resurgeret: tanta eius artis fuit impudentia: nisi aruspex is per tantæ multitudinis numerum perpetuitatem intellexerit, quam apertiùs explicuit Maro:

Hís ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

E

Serpens in lapidẽ versus.

Atque alibi: *Capitoli immobile saxum.* Nam & Serpens apud Homerum post nouem Passeres deuoratos in lapidem mutatus, significasse dicitur, captæ euersǽq; Troiæ gloriam nullo vnquam tẽpore peritura, vt scilicet Calchas attestatus erat, ὅ κλέος ὄπποτ' ὀλεῖται. quãquã super hoc aliter alibi.

FIRMITAS FOEDERVM.

Quibus modis firmabantur fœdera antiquitùs.

SED vt significationes, quod nostrum est institutum, prosequamur, illud omnibus cõstat, lapidẽ fœderũ firmitatis hieroglyphicũ fuisse, quòd teste lapide apud veteres fœdera sint firmari solita, quę vt homines rata scirent fore, Fecialis Agnum læua manu, dextera silicẽ retinens, si falleret, Iouem cæterośque precatus Deos, ita se mactaret, quẽadmodum ipse Agnum: & secũdum imprecationem saxo caput pecudis elidebat: quæ latiùs explicata sunt apud Polybium libro tertio in fœdere cũ Carthaginensibus primùm icto, quod æneis tabulis inscriptum in æde Capitolini Iouis diutissimè permansit. Et tale aliquid VII. Epistolarum, quas vulgus Familiares vocat, apud Tullium, epistola eius libri prima, vbi de histrione Æsopo loquitur. Erat & iuramenti species per lapidem simpliciter, vt Athenienses iurare soliti quod Aristoteles & Philochorus subinnuũt: & Demosthenes contra Cononem, τῶν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῶν ἕκαστον ἀ λίθον ἀροῦντες, καὶ ξορκοῦντες. Id quod sacratissimũ intra se continet verę diuinitatis arcanum: nam apud Hebræos, A B, pater: B E N, filius: A B E N, lapis. Hic verò lapis ille est, si mysticum sensum introspicias, quem non temerè Propheta memorat, & Petrus principibus populi & senioribus obiectat, quòd eum reprobauerint ædificantes, atque mox constitutus fuerit in anguli caput,

F

FIRMA PROSPERITAS.

NON præteribo illud, lapidem è cœlo lapsum felicissimi constantiśque successus in gerendis rebus aliquando fuisse signum: vt qui ad Ægos flumen visendæ magnitudinis è cœlo delatus traditur paulò antequam Lysander angustissimo temporis spatio, tam magna, tam continua felicitate, tam gloriosè faceret aduersus Athenienses. quamuis pernicioſum augurium Aristotimo Aelienſium tyranno præstitit saxum è sublimi loco ab Aquila demissum in eam tecti partem sub qua tyrannus cum vxore cœnam, quæ instruebatur, opperiebantur: nam paulò pòst ab Hellanico & aliis ciuibus fœdissimè trucidatus est.

PIETATIS NOSTRAE STABILITAS.

SED quod ad saxum ab ea volucre demissum facit, in Aquilæ Commentario statutam firmiter sedem per Lapidem in nido ab ea alite positum significari docuimus: quique & cuiusmodi ille lapis esset, quǽque ex eo vtilitates haberentur, antiquorum secuti opiniones, commemorauimus. Vt verò nunc Ægyptiorum commẽtum magis approbemus, quídnã aliud Petra quàm firmamentum & stabilitatem affert? Vnde Psalmo xxx. qui apud Hebræos xxxi. est, habetur: *Quia petra mea & mu-*

A *& munitio mea*, quippe veluti arx in rupe sita, & turribus munita. In vulgatis, *robur* legitur: interpretes alij, *fortitudo mea*: Romanus *firmamentum* habet. Nam cùm nos passim Christum assertorem nostrum petræ nomine accipi legamus, per petram nimirum pietatis nostræ stabilimentum intelligimus, super qua Ecclesiam ipse suam ædificauerit, quòd verè sit diuinitùs decantatum passim, *Capitoli immobile saxum.* Romano enim Pontifici hæc promissa sunt, quippe Petro, qui Romæ (nemo hoc inficiari, nisi imperitus, ausit) sedem fixit: cui, vt Euangelia testantur, potestas data est in orbẽ vniuersum: quem locum etiam Theophylactus diligenter examinans, *Non vnius*, inquit, *Ecclesiæ, non vnius prouinciæ imperiũ est Petro & Successoribus eius demandatum, ἀλλὰ πάσης τῆς οἰκουμένης, sed vniuersi*, ait, *terrarum orbis.* Ad hanc sentẽtiam facit Nabuchodonosoris somnium, quem ναυοκοδρόσωφον appellat Strabo, qui per quietem imaginatus est, se statuam cernere visendæ magnitudinis, cuius caput aureum esset, humeri & brachia argentea, ex ære venter, & femora: crura & pedes ferrei, luto ferruminati: ac saxum mox ingens, impulsore nullo, repentè iugo montis auulsum in statuam procubuisse, eaḿque incursu eius prostratam & attritam in puluerem abiisse, qui ventorum mox flatu dissipatus est: saxum mox adeò creuisse, vt totam sua magnitudine terram occuparet. Cuius quidem ita conspectæ statuæ significatum Daniel, qui & Azarias, Propheta potiùs quàm coniector, ita explicauit, vt per caput aureum diceret Assyrium regnum demonstrari. Brachia & humeros argenteos, duos esse Reges, qui Imperium illud euersuri essent, atque horum alterum æramento similem, moturum ab Occidente in huiusmodi regni perniciem & euersionem: Mox rerum summam ferreum excepturum, latéque omnia obtenturum. Alij post rem gestam faciliore coniectura, imò animaduersione potiùs oblata, ex subsecuto rerum euentu ita statuæ rationem accepêre, vt dicerent aureum illud caput Assyrium quidem regnum significasse, quod primum omnium fuit in terris constitutum. Sed per argentea brachia, hinc Arbacem Medum, illinc Cyrum intelligunt, quorum alter, Assyrio sublato Imperio, regnum Medicum, alter Persicum constituerit. Per ventrẽ & femora ahenea, Alexandrum Macedonem, qui rubicundo colore fuit, significari, qui ab Occasu profectus Orientem subegit: cuius regnum post eius mortem à successoribus, quos per femora possis intelligere, scissum est. Per ferreos pedes Romanos interpretãtur, qui magis adhuc Occidui quàm Macedones fuêre, Macedonuḿque opibus euersis, latè sunt terris omnibus dominati. Hæc quidem illi tam verè, quàm etiam ingeniosè, omnibus dubio procul approbanda protulêre.

Daniel. 2.

Somnij Nabuchodonosoris explicatio.

B

CHRISTVS.

SED quod ad saxum pertinet, neque hi exequuntur, neque Iosephus explicare voluit, consultò se interpretamentum illud præterire silentio professus, quoniam ex historica lege præterita scriberet, non futura. Quod quidem homo Iudæus ideò mihi videtur subticuisse, ne quæ de Christo subsecutura manifestè conspicere poterat, prodere cogeretur. Cui enim dubium sit, per saxum illud, quod vniuersam statuam, atque adeò totum vniuscuiusque statuę cultum sustulit atque dissipauit, Christianam intelligi pietatem, cuius sonus, peruulgata quippe doctrina, in omnem terrã esset exiturus, Pontificéḿque summum Petrum, & successores, non vni tantùm prouinciæ imperaturum, sed, vt Theophylacti verba repetamus, vniuerso terrarum orbi leges & salutifera præcepta præscripturum? quod etiã tradit Cyprianus lib. contra Iudęos altero, c. 15. 16. 17. Quod verò dictum est à Daniele, lapidẽ sine vllius manibus impulsum, id porro eò spectare ait Hesychius Hierosolymitanus, quòd sine congressu viri & mulieris conceptus eius processit, & partus. Ita alibi: *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non excitabis illud de sectis lapidibus: si enim cultrum admoueris ei, polluetur:* C neq; enim secta, neque dolata est Christi caro ab vlla hominis manu. Apud Esaiã quoque celebre est, Christũ hieroglyphicè per lapidẽ intelligi, vt eo loco, *Ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidẽ pretiosum, electũ, summum, angularem, honorificum:* quę omnia agnoscit & Petrus epistola prima, addito, *futurum vt qui crediderit in eum, minimè sit aberraturus.* Ipsa ad Esaiæ verba ait Irenæus, vti non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei aduentum eius, qui secundùm hominem est, intelligamus. Nam & quod Daniel lapidem sine manibus excisum ait, hoc idẽ significat: id enim sine manibus est, quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum, qui solent lapides cædere, nulla scilicet viri opera eius in hunc mundum aduentus futurus erat: hic enim lapis à terra ex virtute & arte constat Dei. Et apud Hebræos Psal. 27. primo statim versu: *Clamo ad te Domine, qui petra, arx, & præsidium meum es*, quò scilicet hostes nunquam accedere potuerunt. De petra hac Tertullianus, vbi circuncisionem vtramque comparat: *Circuncisis*, ait, *nobis petrina acie*, id est, Christi præceptis: petra enim Christus, multis modis & figuris prædicatus est.

Christi Aduentus.

***

QVONIAM verò, vt Theologi consentiunt, petra Christus est, animaduertendum in Psalmis, vbi de paruulorũ allisione ad petram sermo est, id nobis omnibus ita faciendum, vt scilicet cogitationes, affectuũ prauorum plenas, pueriles & fatuas, priusquàm adolescant, firmitatémque consequantur, deliberationíque adhærescant, esse quamprimùm ad Christi petram allidẽdas. ita sentit Euthymius, idémque priùs dixerat Adamantius. Hic ille omninò lapis est, vt sæpe dictum, qui ad anguli statuitur caput, quem ij reprobauerunt, qui vsum eius non agnouerunt. Repudiabant enim eum inter Iudæos sacerdotum principes, & vt Samaritanum explodebant, seductorémque, & nouarum rerum autorem criminabantur: cùm ecce in ædificij angulum à Deo translatus est, ibíque positus, & firmiter stabilitus, duos coniunxit parietes. Iudæorum vnum, eorum, inquam, qui pietatem hãc secuti sunt, & Gentium alterum, qui Baptismum susceperẽt.

SENSVVM EXPERS.



PLERVMQVE autem per lapidem expertem sensus hominem intelligimus, vnde illud apud Comicum, *Quid stas lapis?* Et Amaryllis à Theocritiano pastore tota lapis dicitur, quòd nullis amiculi, vt idem ait, precibus moueatur. In hanc verò sententiam vir sanctitate ante alios mortales omnes insignis, vatésque summus, clamat in deserto, solitarióque secessu, *Potest Deus è lapidibus istis suscitare filios Abrahamo*: quippe de stupidis, penéque brutis hominibus, qui nihil adhuc diuinum sapiunt, propterea que tanquam lapides sine sensu sunt. Nam qui lapides adorabant, lapidibus similes, vt in Psalmo est, euadebant. In Exodi Cantico scribitur, *Pertantur in lapides, donec pertranseat populus tuus Domine*: quem locum ita interpretatur Adamantius, vt intelligat de gentibus dictum, quas tantisper lapidescere supplicetur, donec pertranseat populus Iudæorum, cùm illud subsecuturum esset vt deletis illis, & à Deo recedentibus, gentes lapidem exuturę essent, proq; duro & stupido corde, viuentem, sensusq; & intelligentiæ participem rationem, per Christum susceпturæ. Nam & Cyprianus, epistola libri secundi tertia, Euangelium illud, ex lapidibus excitari filios Abrahæ de gentibus colligi ex Ioannis ipsius verbis interpretatur. Græcis quidem, qui lapides totiens in populos mutari fabulantur, ansam dedit vocabulorum vicinitas & similitudo, quibus λάας, λάϑ-, & λάαϑ-, lapis est, λαὸς verò populus, cùm fortè existimarent tam facilem esse mutationem ex lapidibus in populos, quam paruo momento λαός paroxytonus in λαὸν oxytonum transire potest. Sed ioci satis. Sanè apud Esaiam primo supra quinquagesimum capite in huiusmodi similitudinem legas, *Attendite ad petram vnde excisi estis*, quod paulò pòst explicat, *Attendite ad Abraham patrem vestrum*. Vt verò ad Euangelium redeamus, Eucherius secutus Origenem, ipse quoque de insipientibus dictum intelligit, cùm præsertim alibi dicant Diuinæ literæ, *Auferam cor lapideum de carne vestra*. Irenæus ita suscitari filios Abrahæ ex lapidibus, cùm nos à lapidum religione remouit, à durísque & infructuosis cogitationibus transtulit ad potiora, & fidem Abrahæ similem in nobis constituit atque firmauit.

Locus peruulgatus Græcorum.

DE MOLA.

IT Mola lapis est, vnde molares lapides, pro ingenti massa & pondere. Ipsa verò in Diuinis literis hieroglyphicum habet suum minimè contemnendum.

HVMANÆ VITÆ COMMERCIA.

Amicitiæ hieroglyphicum.

SVNT enim qui per molam humanę vitę commercia significari velint, propterea quòd molæ semper duæ, atque alterius altera ita ope indiget, vt singulæ opus nullũ faciant: vnde amicitiæ nostræ necessitudines appellantur, quòd vnicuique necesse sit habere amicum, cum quo sua consilia conferat, qui se mutuò adiuuent, & alter alterius officiis subleuetur. Vnde rectè, *Væ soli*, dictum. Eucherius locum Euangelij, *Duæ molentes in mola*, eò trahit, vt per molas vtrumque intelligatur testamentum (vtar enim eius verbis quæ per annorum millia in disciplinæ nostræ traditione receptissima sunt, & maximè propria) quarum scilicet molarum opera, labore quippe differentium, veteris Testamenti triticum in farinam, quippe pastum Euangelij, conuertatur.

DE

A

DE ARIS, ÆDIBVSQVE ET IANIS.

SEDENIM ædificationem iam incœpturi, nihil priùs quàm aras excitare videmur admoneri, vt quod auspicatum esse cupimus, à diuũm immortalium cultu principium assumat.

DEI SAPIENTIA.

SI tamen priùs id explicuerimus, cur in Diuinis Hebræorum literis aquæ de petra profiliunt: *Petra*, inquit Philo, *firmam Dei sapientiam demonstrat*, vnde firma identidem exhauritur doctrina. Nam aquæ passim in Diuinis literis, vt suo docuimus Commentario, ita pro disciplina accipiuntur, vt apud Ægyptios ros pluuius, id quod etiàm de manna pluuio in solitudine affatim redundante possumus interpretari. Sed hæc alibi, nos ad Aram.

PIETAS.

Ignis internuncius hominum & cœlestium.

FA verò præcipua est aræ significatio, vt nostræ erga Deum pietatis indicium sit, precesq; nostras igne, vt veteres opinabantur, internuncio ad Deum deferat. Vnde apud Maronem, *Tango aras, mediosq; ignes*, dictum, quòd inter humanam naturam & cœlestem, ignis medium ita obtineat, vt meritò dici possit internuncius. Materiæ autem adhærescit, & in sublime semper fertur, tanquam rerum omnium nostrarum conscius, inferiora hæc cœlicolis manifestare videatur. Hinc sacrificiorũ ritus eo tempore quò naturæ tantùm leges obseruabantur, non temerè instituti sunt, & posteaquàm clarior illuxit veritas, ignis ita sacris nostris adhibitus, vt si absq; igne Deo preces allegemus, vix litare posse nos persuasum habeamus. Quòd si, vt alibi latiùs differuimus, inferiora hæc vlla nos superioribus conciliare possunt, nihil est quod maiore sit cũ animo similitudine, vtpote qui & lumine pollet & illustrat omnia, ac perinde genios, ac Deum ipsum nobis repręsentare
B videatur. Quamuis impia improbaq; perditorum Anabaptistarum factio tempore hoc, non ignes modò rituq; sacros omnes in pietatis nostræ signum exhibitos, extinguere, perdereq; conentur, sed & etiam bonos mores, ipsúmque Dei cultum profanare aggrediantur. Dedicata verò nimirum ara sacrificiis faciendis, & precibus allegãdis, quibus diuũm animi nobis concilientur. Qui tamen esset apud veteres probatus sacrificãdi ritus, pauci admodùm animi nobis concilientur. Qui tamen esset apud veteres probatus sacrificãdi ritus, pauci admodùm prodidêre. Deo siquidem Deorum omnium supremo, mente & intellectu solo, sine sermone, sine sono sacrificabãt. Vnde Crocodilus, quòd elinguis est Diuini silentij ratione habita, cultus apud Ægyptios. Spiritibus & beatorum animis laudes adhibebant. Cœlestibus materia constantia, quæ scilicet similitudine aliqua ad eos facere viderentur, vt ignem Soli, & huiusmodi pleraque toto hoc hieroglyphicoũ opere perquisita: malis verò dæmonibus, ne nocerẽt, vel vt eorum impuritas arceretur, libaminibus & nidore carnium faciebant. Cæterùm Ægyptij veteres pecudibus aut sanguine placare Deos semper abhorruerunt, precibus & thure solo contenti. Adegerunt verò eos Ptolemæi, sacra Saturni Serapidisq; suscipere, quod facere coacti, fana eorum extra pomœria posuerunt, quibus hostiæ de more mactari debebant. Quamquam illaudato Busiridis exemplo, homines posteà immolari occeptum, cùm is apud proxima Nilo loca tyrannidem occupasset. Sed quod ad aras & pietatem attinet, in numis T. Ælij Cęsaris Antonini simulacrum est vtraque manu passa, ara appositа, cum inscriptione, PIETAS. Manus porrò passæ, vt in Cynocephali Commentario docuimus, adorationem significant. In Hadriani Aug. idem simulacrum eodem habitu, ab cuius vno latere Ciconia adsit, de qua loco suo: ab altero ara est corymbis ornata, inscriptio, PIETAS AVG. In numo Diuæ Augustæ Faustinæ simulacrum est, quod læuâ pallam sustentat, alterâ in ignem, qui de pulcherrimè facta ara promicat, libamina porrigit, cum inscriptione, PIETAS. Est & ara posita ante signũ, in cuius manu patera est libationi parata in numo Lucillæ: inscriptio, PIETAS. Eadem inscri-
C ptione pietas ipsa in Antonini numo dexteram exporrigit passam, læuâ in subiectam aram libat. Illa porrò passa dextera, adorationis, vt alibi loco suo declarauimus, indicium est. Supplicationes porrò fieri solitæ, aut cùm vota facimus, aut cùm damnati votis gratias agimus. Hinc aliæ atque aliæ inscriptiones in numis inueniuntur, omnes tamen ad pietatem ipsam referuntur, siue diuini numinis auxilium imploremus, siue vota persoluamus. In Iuliæ Piæ Felicis Aug. numo signum est læuâ pallam in vlnam sustollens, dextera in aram porriciens: inscriptio, VOTA PVBLICA. At in Hadriani numo cernere est duo simulacra, quorum stat vnum ipsius Imperatoris effigie, alterum læua palmæ surculum tenet, dextera pateram offert Principi: inscriptio, ADVENTVI AVG. Est & Domitiani numus cum ara & igne super accenso, cuius inscriptio est, PRINCEPS IVVENTVTIS. Pulcherrima verò omnium quas viderim ara est in ipsius Cæsaris Domitiani numis, in quo ansas illas, vnde aræ nomen nonnulli volunt, apertissimè licet intueri.

Ara in numis plurimorum.

PROFVGIVM.

FVISSE verò aras apud veteres, vti etiam nunc sunt, sanctioris asyli loco, nulli non exploratum est. Hinc apud Maronem Priamus, omni alia salutis spe abiecta, ad aram confugit, cui dixerat vxor, *Hæc ara tuebitur omneis*. Et M. Tullij dictum pro Roscio Comœdo: *Sicut in aram confugit ad huius domum*. Et apud Terentium: *Nemo te accusat Syre, ne tu aram tibi, aut deprecatorem pararis*. Et Ouidius de Tristibus:

Vnica fortunis ara reperta meis.

MISERATIO.

D



APVD Athenienses ara peculiaris fuit miserationi sacra, de qua Papinius Poëta, & Lactantius Grammaticus, neque nō Apsinis in Rhetoricis meminêre: & Plutarchus lib. de Superstitione, φόβιμον βωμὸν eam appellat. In profugij sanè significato Vestam pro ara poni apud Xenophontem inuenias rerum Græcarum libro secundo: ἀκέσας ταῦτα ὁ Θεραμένης, ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὴν ἑστίαν, *Hæc cùm Theramenes audisset, ad Vestam sibi profugium parauit.* Et sacrificalis ara Vesta est Polluci, præcipuè verò quæ in Prytaneo fuit, vbi inextinctus ignis asseruabatur. Et triginta curiarum Vesta collocata apud Dionysium Halicarnassæum antiquitatum secundo. Tale quiddam & apud Tranquillum in Tiberio.

XII. IANI COLONIÆ.

QVOD verò aræ XII. Iani simulacro adsculpi solitæ sint, sunt qui ob id factum putent, quòd Ianus pomœria & aras duodecim Hetruriæ coloniis sacrasset. Alij aras illas XII. ad mensium numerum dedicatas aiunt, quòd Ianus pro anni tempore sit Romanorum religione pingi solitus. Nam de CCCLXV. diebus, quos gestu manuum referret, alibi disseruimus.

TERRA.



E

ROTVNDAM ædem Vestæ Numa Pompilius Romanorum Rex consecrasse fertur, quòd eandem esse terram, qua vita hominū sustētaretur, crediderit. Eā ad pilę formā esse, vt sui simili templo Dea coleretur. Pro eorum verò sententia, qui per Vestā nil aliud quàm puram flammam intelligebant, de strongilari lapide, qui Deam figuræ similitudine referret, alibi diximus.

MVNDVS.

ET mundo ædem veteres ea qua conspicitur forma posuerūt, mundumque eam appellauêre, ab eo mundo, inquit Cato in commentariis Iuris ciuilis, quem Festus citat, qui supra & infra nos est. Eius inferiorem partem veluti Diis manibus consecratā, clausam omni tempore custodiebant, neque nisi ter in anno, patefaciebant, vt ait Atteius Capito, quippe diebus his, postridie Volcanalia, & ante diem sextum Idus Nouembris, & ante diem tertium Non. Octobris: quos dies, ait Festus, etiam religiosos iudicauerunt, propterea quòd eo tēpore, quæ occulta & abdita religionis deorum Manium essent, veluti in lucem adducerentur, & nihil eo tempore in Repub. geri voluêre. Itaque per eos dies non cum hoste manus conferebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in Republica nisi quod vltima necessitas admittebat administrabatur. Volcanalia autem antiqua monumenta in Circo Flaminio x. Cal. Sept. celebrare solita comperimus. In aliis, Fer. Volca. N. x. Calend. Iunias. Ibique N litera diem nefastum notat, apud Ouidium. Tubilustria Volcano XIII. Calend. Iun.

Volcanalia.

DII OMNES.

Pantheon Romæ templum.

OMNIBVS verò Diis, Agrippa templum rotundo ambitu Romę dedicauit, eaq; de causa Pātheon appellauit: in quod quidem minùs quàm in alia veterum monumenta sæuit ipsa vetustatis iniuria: idq; nunc Virgini Deiparæ dedicatum, magno mortaliū concursu inuisitur, & ab ea qua factum est forma nomen habet. Sanè Augustus Cæsar, qui templum id excitauit, licèt Agrippæ inscribi dedicatione ipsa voluerit, nulla cōmodiori forma deos omnes cōplecti poterat quàm orbiculari: de qua quoniam alibi dicturi sumus, vlteriùs nunc de figura huiusmodi loqui supersedebimus: si tamen id dixero, Aristotelis dictum esse, veteres gauisos diis templa rotūda specie dedicare, cuiusmodi sanè multa Romæ supereſſe adhuc, vel magna ex parte diruta, vel nostræ pietatis diis instaurata conspeximus.

F

IANVS.

IANO contrà, templa quadrata specie dedicari solita, quatuor quippe pilis, quæ totidem fornicibus iungerentur, peruiosque à frontibus quatuor aditus patefacerent, qui tamen in primario Iani templo solenni sacro pacis tempore claudebantur.

MENSARII.

ERANT autem & alij Iani, in quibus trapezitarum mensæ, vbi mercatorum conuentus, & omnium quæ ad rem pecuniariam pertinent negotia tractabantur: de quibus Horatius,

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos: hoc Ianus summus ab imo
Perdocet: hæc recinunt iuuenes dictata, senésque,
Læuo suspensi loculos, tabulámque lacerto.

Huiusmodi generis ædificia plurima Romæ erant, nunc vnum minus dirutum in velabro perdurauit iuxta ædem quæ D. Georgio dedicata est.

PAX.

A

PAX, BELLVM.

QVOD verò Iani templū in numis habetur, quadrata & ipsum specie, sed clathris, repagulis, & foribus præmunitum, ipsi tantùm Deo dedicabatur. Clausum hoc, pacem indicare: adapertum, belli tempus, non tam ex Virgilij carmine cantatissimo, quàm etiam ex numis passim in conspicuo est. Sed illud præcipuum numisma tum opere tum etiam inscriptione spectabile, in quo legitur, PACE P.R. TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Fuit verò is, vt ex altera numi parte habetur, IMP. NERO CLAVD. CÆSAR AVG. GERM. TR. P. P. P.

PROVIDENTIA.



ALIA etiam atque alia templorum exempla multifariàm in numis habentur, quæ prosequi ad fastidiū potiùs, quàm ad delectationem inclinaret. Illud dicam, in numo cuius inscriptio est, DIVVS AVGVSTVS PATER, ab altera parte legi PROVIDENT. Idem templum est in Imperatoris Constantij numo, cuius inscriptio est, PROVIDENTIA AVG.

SALVS. IVNO. DIVVS.

IN Domitiani numis templum est SALVTI AVGVSTI inscriptum. In Volusiani, Dea in delubro sedens cum inscriptione, IVNONI MARTIALI, de quibus dicere hîc nullum est operæpretium. Neque verò veteribus tantùm Dis, sed & iis quos
B apotheosi cónsecrabant, templum etiam dicare mos erat: vt videre ėst in Antonini numo, in quo templum est cum inscriptione, DIVO PIO.

SVBDIALES QVIBVS.

TOTA verò ædium sacrarum forma antiquitùs pro conditione numinis ædificari solita, quare ex ipsa statim ædis facie numinis qualitas intelligebatur. Ioui siquidem, fulguri, cœlo, Soli, & Lunæ, subdiales, vt Vitruuius monet, ædes, quæ Græcè ὑπαίθρεα dicuntur, ædificabantur, quorum numina, potestates, vimq; ac effectus omnes sub dio spectamus.

DORICÆ QVIBVS.

MINERVÆ autem, Marti & Herculi numinibus, vt idem ait, virtute ipsa memorandis, ædes opere Dorico erigebantur: nullis quippe deliciis, neque lasciuioribus florum ac foliorum ornamentis, neque denticulatis coronis, ac guttulatis metopis, sed rudi ac hispido potiùs aspectu, qualis dignitas in viris expetitur, à peregrino omni cultu aliena.

CORINTHIACÆ QVIBVS.

AT Veneri, Floræ, Proserpinæ, & fontanilibus Nymphis, numinibus quippe delicatioribus, ob mollitiem atque nequitiam Corinthiacæ constituebantur, genus quidem ædificij tum gracilitate operis, tum florum ac foliorum lasciuia, volutarumq; multiplici perplexitate, triglyphorum, ac aliorum ornamentorum varietate visu admodùm delectabile.

IONICÆ QVIBVS.

C IVNONI verò, Dianæ, ac Libero Patri, cæterisq; eiusdem ordinis numinibus Ionicum adhibebant opus, medio quodam inter Doricum & Corinthium temperamento, quippe quod neque horrorem & austeritatem ipsa operis simplicitate præ se ferat, neque quidem eneruatam illam mollitiem ex tot ornamentorum luxuria commonstraret.

DE COLVMNIS.

NEQVE quidem templa tantùm, verùm etiam columnæ non sine mystico aliquo intellectu fieri consueuerunt, quarum & rationes retulisse non incongruum videatur: siquidem hæc haudquaquàm sunt ab Ægyptiacis inuentis dissimilia, dum aliæ firmitudinis, aliæ rei præclarè gestæ, famæque supra mortalium conditionem ad vsque cœlum attollendæ, aliæ captiuitatis, aliæ profligationis, aliæ opprobrij sint indicia.

TERMINVS.

CÆTERVM antiquissimum fuit per columnam terminum significare, quòd columellas in terminis ponere mos fuerit. Hinc regionum multarum fines terminosq; columnas appellamus, vt in Hispania Herculis: eò enim vsquè & imperium & labores ille suos extendisse fertur. Eodem modo in Africa sub Atlante monte, & Asia ad Euphratem fluuium, & supra Armeniam terminos Romani Imperij columnas dixerunt, & eo significato Atrides Protei Menelaus ad vsque columnas exulat, apud Virgilium legas, quod pro Ægypti finibus positum notat Seruius.

Columnarum hieroglyphica.

GLORIÆ SVBLIMITAS.

D



IN ſepulchris verò, neque non monumentis reliquis columnarũ ratio fuit, vt cuius nomini dicatæ eſſent, gloria ſupra cæteros mortales attolleretur. Hinc illa Ennij de Scipione verba: *Quantam ſtatuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quæ res tuas geſtas loquatur?* Hinc in argenteo numo videas columnam, cui medię ancile affixũ eſt, vrna in ſummo ſuperpoſita, duabus hinc & inde laureis appenſis, quam ſenatus Diuo Auguſto Veſpaſiano decreuit. Sed vt reliquas præteream, duæ adhuc Romæ viſuntur, quæ Romanæ potentię atque ſplendoris teſtimoniũ faciunt, Traiano vna, altera Hadriano erecta, ad ſummam quarum altitudinem, quæ admodùm excelſa eſt, per interiores gradus coclitis in modum circumductos commodiſſimus eſt aſcenſus: non enim in re tam omnibus obuia nobis immorandum eſt. Decretæ autem in columnis ſtatuæ à Senatu pleriſque fuerunt, quos enumerare noſtri non eſt inſtituti: rerum enim quæ tractandæ ſunt multiplicitas breues nos eſſe cogit. Illud admonuero, quod apud Plinium legitur, Senatum Galbæ vt primum licitum fuit ſtatuam decreuiſſe roſtratæ columnæ ſuperſtantem, placere nonnullis vt ſtriatæ legatur. Antiquam autem eſſe celebritatem ſtatuarum in columnis, ex eo manifeſtum, quòd C. Menenio ſupra columnam ſtatua dicata eſt, qui Latinos priſcos deiecerat vnà cum Camillo collega, quæ res, inquit Liuius, rara illa ætate fuit. Et illa adeò celebris Traiani columna coloſſum habuit ſuperimpoſitum, cuius rei fidem faciunt eius numi.

Traiani & Hadriani columnæ.

E

DE OBELISCIS.

EORVM loco Ægyptij ſuos erexerunt obeliſcos, & Græci ἄξιον ὀβελίσκον dixerunt, cui maximi quiq; honores deberentur. Non ineptum autem fuerit animaduertere Ægyptiorum ſtatuas, quę antiquitatem ſapiunt, graciliores eſſe, & truncis oblongis propemodùm ſimiles, quod quidem non eſt artificum vel ſtupori vel imperitiæ imputãdum, ſed eorum potiùs diligentia ſtudiúmque conſiderandum, quippe qui ita facerent, vt diuinitatem minimè corporatam eſſe oſtenderent. Quare Euphranor pictor, idemq; fictor nominatiſſimus, quem in omni ſpecie admirandum perhibent, non ita fortè reprehenſioni obnoxius, propterea quòd in vniuerſitate corporum exilior fuerit, in capitibus articuliſq; grandior, cùm is præſertim primus dignitates, ac heroum inſignia dicatur expreſſiſſe.

Euphranor pictor.

HEROES.

SED quoniã in Heroas incidimus, id minimè diſſimulabo, quòd Romani Græcos potiùs quàm Ægyptios imitati, Heroum ſtatuas, & eorum qui bene de Repub. meriti eſſent, eò maiores faciebant, prout eos maiori honore dignos arbitrabantur, de quo apud Macrobium. Hinc iocoſum illud M. Tullij dictum in fratris ſtatuam: nam cùm in Prouincia, quam ille rexerat, clypeatam eius imaginem conſpexiſſet ingentibus lineamentis vſq; ad pectus de more pictam, erat autem Quintus ſtaturæ paruæ, *Frater*, ait, *meus dimidius maior eſt, quàm totus.* Apud Virgilium verò Dido cùm voluntariam mortem excuſat, quaſi ea omnia abſoluiſſet officia quæ à ſe exigi potuerint, nihilque à ſe vlteriùs expectari poſſe, quod ad apotheoſeos gloriam pertineret, ita ſecum ratiocinatur:

Iocus Ciceronis in ſtatuã fratris.

F

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi,
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Cur verò magnam ſperet, enumerat merita:

Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi,
Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.

Oppida autem condere, inter ingentia ea facta recenſetur, propter quæ Romulus & Liber pater, & cum Caſtore Pollux, Deorum in templa recipi meruerunt, vt eſt apud Horatium. Cùm itaque maiores iuſto ſtatuæ vita functis fieri ſolitæ eſſent, Onirocritæ, qui, vt ſæpius oſtendimus, hieroglyphicis adhæreſcunt, vbi quis ſupra humani modi ſtaturam fieri ſe magnum conſpexerit per quietem, mortem illi præſagiunt affuturã: & qui filium paruulum ad virilem magnitudinem imaginatus fuerit excreuiſſe, eius identidem mortem expectandam. Hinc Virgilianum illud ſuper oblata viſui defuncti corporis anima, *Et nota maior imago*: nempe quòd corporeis clauſtris veluti prælis exoluta anima poſt mortem latiùs dilatari videatur. Sed enim illa de honoribus opinio & verior eſt, & probabilior.

CHRISTI VICTORIA.

ILLVD minimè prætereundum, ſextidecimi Pſalmi inſcriptionẽ apud Græcos eſſe στηλογραφίαν: alibi aureum inſigne Dauidis, vbi interpretes antiquorum repetunt morem, qui columnas, magines, aut ſtatuas iis qui ſtrenuè feliciterq; militiam exercuiſſent, erigere conſueuerant. Id verò laudis victori Chriſto attributum, eo Pſalmo declarari.

PRO

A

PRO PATRIA OCCISI.

APVD authores Græcos locum Athenis fuiſſe legas, Ceramicum appellatum, columnis vndecumque frequentem, quæ in eorum memoriam erectæ erant qui pro patria pugnando cecidiſſent, inſcriptione adiecta quo quis prælio oppetiiſſet.



CLARITAS EX POETARVM SCRIPTIS.

PINDARVS Timarcho Æginetæ Nemeis:

στᾶλαν θέμεν παρίᾳ λίθῳ λοῦσαι τέραν.
Ponatur altè ſtructa ſaxo Candidior pario columna.

vbi interpretes per columnam Poëma intelligunt. Nam ſtatim ſubdit ipſemet Poëta, quantum claritatis addant Poëmata in præſtantis alicuius viri laudem elucubrata.

TELESILLA.

TELESILLÆ Argiuæ poëtica facultate celebri, galeata ſtatua erecta eſt in columna, libris circa pedes adiectis, vt alibi diximus, quod maribus Argiuorum, qui prodierant ad bellum, ad vnum cæſis, fœminas armarit, & contra hoſtes eduxerit, eoſq; vrbis diripiendæ ſpe profectos retrocedere coëgerit. Exemplum muliebris virtutis inter pauciſſima ſæpe commemorandum.

Statua Teleſillæ.

ISOCRATES.

B ISOCRATI verò Eloquentiæ magiſtro, ſtatua in columna decreta eſt ab Athenienſibus, quòd octo iam & nonaginta natus annos, ab inſtitutione nunquam ceſſauiſſet.

APOLLO AGYIEVS.

CONSPICVÆ fuerant apud Græcos columnæ quædam in coni formam deſinentes, quas ante fores erigebant Apollini ſacras, vt verò quidam dicunt, Baccho, vt plerique alij, vtrique: nam idem vtriuſque numen eſſe, oſtenſum alibi. Hinc Apollinem Horatius Agyieum nuncupauit. Eas nonnulli aras vocauerunt: ſed columnarum omninò habere ſpeciem non inficiantur. De his apud Sophoclem:

Ignibus odoris aræ Agyienæ nitent,
Suffitu halantes myrrhæ lacrymas barbaro.

Sed cur non Græcos potiùs verſus apponimus?

λάμπει δ' ἀγυιᾶς βωμὸς ἀτμίζων πυρὶ
σμύρνης παλαμαῖς βαρβάροις δίῳσμένας.

Ea verò de cauſa Agyieus dicebatur, quòd huiuſmodi columnæ in compitalibus vicaneiſq; viis erigi conſueuerunt: ἀγυιαὶ enim viæ quæ ab vtraque parte exitus habent.

VICTORIA DE PERSIS.

C EXCOGITATÆ etiam ſunt columnæ trophæorum vice, quę victoriam oſtenderent, cuiuſmodi porticus cognomento Perſica Lacedæmone viſebatur, victoriæ illius index, quam Pauſanias Ageſipolidos filius conſecutus eſt in Platæo prælio, vbi parua manu ingentes hoſtium copias profligauit, in cuius præclari facinoris memoriam ſtatuas habitu Perſico pro columnis porticu ſubiecêre.



Perſica porticus.

CARYATARVM OPPROBRIVM.

SIMILE in Caryatas Peloponneſi populos exemplum editum, quorum mulieres matronali habitu, ſtola quippe ad pedes vſque demiſſa, in captiuitatem abductæ ſunt, viris priùs ad vnum cæſis, totius Græciæ in eos conſpiratione facta, quòd Perſicas partes aduerſus Græciam ſecuti eſſent. Hiſtoriam in exemplo poſuit Vitruuius.

BELLVM.

ALIQVA etiam columna belli ſignificatum habuit, vt quæ Romæ olim erat ante Bellonæ templum, ſuper quam quotieſcumque bellum cuipiam indiceretur, haſtam iaciebant, eius ſcilicet ominis cauſa, quòd ſpes eſſet per huiuſmodi ſuſceptum bellum, aut hoſtes à finibus ſummouendi, aut vltra præſcriptos fines imperium proferendi. Ea autem columna Bellica dicebatur.

Columna bellica.

SECVRITAS.

D

INVENIRE est in numis aliquot columnam ad securitatem additã, vt in eo quem IMP. CÆS. VAL. HOS. MES. QVINTVS AVGVSTVS cusit. Ibi enim muliebre signum molli & eneruato habitu stans, lævâ columellæ innititur, dexterâ palmæ surculum tenet supra verticem exporrectum: inscriptio est, SECVR. AVG. Quæ quidẽ species cùm fortè antiquitùs fieri soleret, facilè credendum purpureos Tyrannos hinc ab Horatio dictos:

Metuere Fortunam *Iniurioso ne pede prorsus,*
Stantem columnam, *Atque ita sublimi deiiciantur loco.*

FIRMITAS.

Columnæ Doricæ. NAM vetustissimum omninò columnarum inuentum ad firmitatem fuit, quę præsertim Viriles appellatæ sunt, quas alio mox vocabulo, vti superiùs dictum, Doricas vocauerunt. Nam cùm Græci olim in colonias missi per Asiæ loca Caribus finitima regionibus quibusdam occupatis ædem Apollini Panionio ædificare statuissent, nullaq; adhuc esset symmetrię proportio, nulla dimensionis norma, commenti tamen sunt à pedis mensura, quæ sexta pars est virilis corporis, columnas dimetiri, rati sic firmitatem ædificiis duraturam apposuisse: easq; columnas nudas, sine vllo prorsus ornatu, vt virilem omninò speciẽ præ se ferrent, erexêre. Author Vitruuius. Sed enim & in Diuinis literis columna pro firmitate accepta est, vbi Prophetico ore dicit Dominus, *Ego confirmaui columnas eius*, de terra loquens, non vtique quòd eam columnis subnixam esse diceret, sed virtutem, quę terram in medio rerum omnium sitam suffulcit, sustinetq;, per eam loquendi figuE ram symbolicam, seu dicere mauis, hieroglyphicam, nobis indicauit. Eam vtique firmitatem columnas appellari. Basilius etiam interpretatur, & aliis sæpe locis Testamenti veteris eodem significato columnæ accipiuntur.

MVLIEBRES COLVMNÆ.

CVM verò Dianæ etiam ædem construere vellent, gracilitatem in columnis, ad muliebris corporis effigiem, commenti sunt, easq; octaua parte crassitudinis produxêre, spira etiam pro calceo supposita, capitulo volutísque vti capillamento concrispatis, atque aliis muliebrem mundum referentibus ornamentis additis.

VIRGINALES COLVMNÆ.

ADDITÆ his Virginales etiamnum columnæ, quę Corinthiæ nuncupatæ sunt, & gracilitate & ornatu, propter ætatis teneritatẽ, & hilariores, & venustiores. Puellę siquidem & sumptuosiùs, & magnificentiùs ornari solent, quàm matronæ, quas cum vittis stola satis deceat ad honestatem. Neque negarim, succrescente indies hominum diligentia, aliis atque aliis dimensionibus columnas excidi cœptas.

CALATHVS CERERIS.

OBSERVATIO calathi, qui locorum vbique Cereris capiti superponitur, de quo multa in alio commentario, cur id facere consuessent Ægyptij, disseruimus. Effecit itidem vt capitula in calatiscorum effigiem columnis præsertim Corinthiacis superaddi placuerit, quamuis Græci omnia suis inuentis libenter adscribunt, & Callimachum quendam cognomento Catatechnon prædicant, qui genus id capituli primus excogitauerit, verisimili etiam fabula, vt ad confingen-F
Fabula. dum felicissimi sunt, adinuenta. Mulierem quippe Corinthiam quandam, amissa filia corpus sepulturæ mandasse, ac super tumulum calathum rebus iis oppletum, quibus maximè nata dum viueret, oblectabatur, statuisse, atque demùm testa superimposita coopertum reliquisse: accidisse verò vt calathus ille casu super acanti radice ibi nata insideret, quare verno adueniente tempore gramen id pullularet, & calathum foliis primum amiciuerit, mox & floribus ornarit, cumq; caulículi procrescerent, obstaculo superstratæ testæ concuruati, Capreolos in volutarum speciẽ complicarunt: quo quidem obseruato, ingeniosus faber venustam eam capitulorum speciem meditatus sit omnium applausu conformare. Commentum quidem hoc eo fauore legentium exceptum est, vt architecturæ magistri sine vlla prorsus contatione illi assensisse videantur.

DE MVTILIS.

OBSERVARE etiam est in omnibus ferè veterum ædificiis imagunculas quasdam nunc virili, nunc Bouilla, nunc alterius animalis facie, quæ vel mutilos, vel coronas sustentant. Id ab Ægyptiacis inuentis non omninò alienum suo legitur significato.

ATLAS.

NAM quantum ad humanam pertinet effigiem, Atlantem, totius quippe ponderis patientem, id significare dicunt, & huiusmodi sustentacula nimirum à Græcis Atlantis nomine nuncupantur, quę cur à Latinis telamonas vocari nonnulli dicunt, & antiquis architectoribus & nobis incompertum est: si cui tamen ariolari licet, πλαμῶνας scimus esse lora, quibus sustinetur clypeus, quibus

A quibusq; brachium insertatur, atque etiam vinculum, quo ensis vel appenditur, vel manui nonnunquam, ne vehementiori aliquo excutiatur ictu, adalligatur: quare crediderim à sustentãdo desumptum nomen: τελάσαι enim, τολμῆσαι ἢ τλῆναι est, quod pati, & tolerari Latini dicũt. Illud super Atlante vulgatum, gestare eum humeris vniuersam mundi machinam, de quo Maro:

--- Vbi cælifer Atlas *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Inde scilicet fabula conficta, quòd is omnium primus Solis & Lunæ cursus, syderumq; omnium motus, ortus & occasus, certa quadam moueri lege deprehendisse creditus, eaq; diligenter obseruata mortalium vsui promulgasse. Quòd verò pro Atlantibus Bouilla etiam capita fieri solita diceb amus, vidimus id apud Melinos Romæ: habet enim Petrus compater, meus Bouillum caput aheneum, quatuor circiter vnciarum magnitudine, pulcherrimè fabrefactum, eo gestu, vt aliquid omninò sustentasse videatur, de quo tamen alibi diximus.

DE PERPENDICVLO.

QVANDO verò in hæc ædificiorum opera prouecti sumus, quid sibi velit etiam Perpendiculum, explicemus.

AEDIFICATIO, VEL POSITVM.

AEDIFICATIONEM, vel positum aut constructum opus, per id appensum linea, libratúmque, denotabant. Nullo enim pacto erigi possent ædificia, nisi facierum angulorúmque rectitudo per perpendiculorum indaginem exploraretur: eaq; præcipua est obseruatio in ædificiis *Perpendiculi hieroglyphica.*
B moliendis, vt structuræ omnes perpendiculo respondeant, neque proclinationes, vt vocabulo vtar Vitruuiano, in partem vllam habeant.

RECTVS TENOR.

TRANSIT & ad res alias id significatum, & ad perpendiculum amussim adiiciunt, cùm quid vndecumque & quoquò versum delibratum directúmve significare voluerint: vtriusq; enim munus est, vt iustus tenor, ipsaq; rectitudo adinueniatur. Sed perpendiculum in iis deseruit, quæ surrigenda sunt: amussis, & planis, & obliquis, & omnibus denique vniuscuiusque corporis lateribus, per quæ recta linea fuerit deducenda.

DE CARDINE.

AD fabricam omninò pertinet cardo: quare si quid super eo dicendum sit, hoc potissimùm loco differendum.

AVTHORITAS VEL REI SVMMA.

HABET verò significatum ab eo munere, quod in valuis, ostiisq; sustinendis præstat, ita vt *Cardinis significata.*
nunc dignationem, nunc authoritatem, nunc rei summam significet, ex arbitrio scilicet aut ministerio cuius res vnaquæq; pendeat, cuiq; rerum pondera innitantur. Hinc in litibus & causis tale aliquid appellatur cardo, à quo scilicet tota persuadendi ratio pendere videatur, quóve omnia congeruntur argumenta, sitq; status is, circa quem tam rei quàm accusatoris conatus omnis vndecunque exerceatur.

CARDINALES SACERDOTES.

C HABET & pietas nostra dignationis gradum à cardine nuncupatum. Nam veluti cardines in ostiis admittendi excludendiq; arbitri videntur, ita illi admittendorum exigendorúmque operum, quæ ad Christianam faciant pietatem, concessamq; summo Pontifici authoritatem potestatem que tuendam, authores honorificentissimi perhibẽtur. Fratres hos appellat Pontifex M. decretáque omnia, legésque in comitiis istius ordinis perlatæ, de consultatione eorum, tametsi omnia per se possit, sancire se profitetur. Is enim honos eis habetur, vt huiusmodi sententiarum rogationes in acta summa cum fide referantur.

PIERIVS VALERIANVS AD HIERONYMVM FRACASTORIVM, DE IIS quæ per Palmam, & Laurum significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER L.

QVAMVIS *parua admodum inter nos consuetudo fuerit, eoq; secessu Oliuetano Veronensis agri, quo mihi per continuum triennium frui temporum eorum permisit quies, dum tu Veronæ tuis, ego ibi meis tum studiis tum negotiis incumbebamus, vix ter facultas data, vt esse vnà possemus: neque antèa te Patauij, quò me ad Philosophiæ studia conuleram, videre licuerat, quòd inde paulò antè*

discesseras, quàm ego aduenissem: tua tamen te virtus ita mihi ex eo tempore conciliauerat, vt quem ob summum ingenium, summámque doctrinam vlus te vno diligerem, certè neminem haberem: omnium enim voce commendationéque politissimis literis, & liberalium omnium artium studiis florebas, clarúsque & celebris habebare, vnde meus erga te, quem adhuc ex facie non agnoscebam, cœpit cultus, qui mox cum ætate accreuit simul, maioribus scilicet in dies ad virtutem profectúmque tuum additis incrementis. Ab eo verò tempore quo bella illa calamitosissima, tam aspera, tam continua, me non modò ex tranquillo eo secessu exturbauerunt, verùm tota etiam patria expulerunt, quandiu foris profugus, errabundus, inops vixi, tui semper memor, atque solicitus fui, quòd vicem et amantuam, & bonorum omnium ingemiscebam, & vbicunque locorum ciues tuos dispersos etiam ipsos comperissem, nunc per Aligeros fratres Petrum & Ludouicum, nunc per Alithæum, Zauarisium, Turranios, nunc per alios amicos tuos quos doctrinæ nomine veneror, curabam vt meus erga te amor tibi fieret perspectissimus: idque officij ab aliquibus ex his mihi non indiligenter præstitum confido. Sed quoniam vel his testibus tam locupletibus mihi nondum satisfaciebam, decreui tandem quaqua ratione possem, aliquod huiusmodi mei erga te animi signum manifestius exhibere. Igitur cùm labores meos in Aegyptiorum hieroglyphica explicanda recenserẽ, pluráque id genus commentaria in amicos distribuerem, túque non in postremis esses, plantas duas insigniores elegi, Palmam & Laurum, eásque à nostratibus longè diuersas, ex Aegyptiorum quippe lucis à me primùm in Italiam translatas, quas tibi dono mitterem. Palmam quidem, ob sublime illud ingenium tuum, quod ad excelsa quæque prospero euentu sese attollere contendit, cuius euectus pennis toto primùm cœlo Epicyclos summouisti, tótque priorum Astrologorum machinas demolitus, facilem & permeabilem Planetis viam complanasti. Laurum autẽ, quia tu, re optimè in cœlo gesta, ad infima mox terræ loca descendisti, tanquam Hercules alter triumphabundus: sed qui in superiorem orbem non vt ille, de visceribus terræ Cerberum traxeris, qui aconitum ad mortalium perniciem euomeret, sed ab Antipodibus Siphylum illam tuam admirandi vigoris plantam asportares, quæ morbis omnibus, tam cognitis, quàm incognitis, præsentanea remedia, & incolumitatem efficacissimè conferret. Quod verò ad plantas attinet, spero eas à te benignè suscipiendas, déque earum surculis amicitiæ nostræ firmitatem colligari posse, quam diuturnam perpetuamq; fore mihi persuadeo: quia meus erga te amor, cultus, & obseruantia, talia mihi pollicentur: tuq; vt ameris ab omnibus, ingenij, doctrinæq; tuæ monumenta, vno Doctorum omnium ore celebrata deposcunt: quorum quidem operum, studiorumq; tuorum omnium felicitatem agnoscimus, & omnium posteritati celebrem & illustrem fore plurimùm & ex animo gratulamur.

DE PALMA.

PALMAE significata plurima tradũtur, quorum præcipuè quatuor ex grauissimis authoribus seligere visum est: quippe annum, mensem, iustitiam siue æqualitatem, atque victoriam: quorum significatuum causæ diligentiùs examinandæ sunt. Reliqua, vtpote manifestiora, sponte, nulla solicitata cura, proruenient.

ANNVS MENSISQVE.

Cur annũ & mensem Palma signi ficet.

CAVSAE verò cur annum Palma significaret, tres esse perhibentur, eáq; omniũ prima, quòd sola omnium arborum per ortus Lunæ singulos, ramos singulos progenerat. Atque ita etiam significatum mensis obseruauerunt, vt per singulos Palmæ surculos, menses totidem adnumerarẽt. Par itaq; vt si annus exprimi debeat, Palma duodecim ramis prædita figuretur. Sedenim, etiãsi hæc non adfuerit curiositas, annum omninò significabit, vel quantum ad mensem attinet, quòd in officulis eius ea maximè figura expectaretur quæ lunata esset, quam contra fascinationes pollere plurimùm arbitrabantur. Lunam autem maximè cauam, qualis est cùm octo & viginti dierum numerum expleuit, cornibus, scilicet infernè deiectis, mensis indicium esse in cœlestibus loco suo dictum. Dianáque ipsa apud Homerum Apollinis hymno, mensis & anni arbitros paritura, Palmam amplexata describitur. Altera causa est, quòd Palma, vti Babylonij tradunt, referente Plutarcho, trecentas & sexaginta vtilitates mortalibus elargitur, ideóque anni simulacrum & insigne: tot enim diebus annus constat, intercalaribus quinque, de quibus in Vulture, subductis. Alia ratio est, quòd palmæ satus quatuor ex lignis, siue Ossa ea maluerimus appellare, quæ, vti paulò antè dictum, in eius fructibus insunt, fieri solet, quæ bina iuxta composita subter, bináque supernè colligantur, pronaq; omnia seruntur, quorum inde radices amplexu mutuo connectuntur, atque ita primi ortus promiscui coalescunt, & vnus ex cunctis caudex conficitur.

Annus quoque solaris quatuor qualitatibus constat, quæ tamen ita mutuò connecti videntur, vt fallente de die in diem qualitatis ipsius mutatione, vnus quasi caudex fieri videatur.

TEMPORIS DIVTVRNITAS.

Virtutis locus, & sedes.

NON dissimulabo quasi κῦ παρεργου, quod Quintius Græcus author asperũ quendã locum, & admodùm editum, superatuq; perdifficilem ponit, in cuius vertice Palma consurgat, cuius in cacumine insideat virtus: ex montis vtique asperitate labores varios, ex Palma tẽporis, vt Hesiodi interpres ait, diuturnitatem innuens. Non enim putabat quempiam ad perfectã aliquam virtutem peruenire posse, nisi per labores, quos diu toleraſſet. Temporis autem diuturnitas quo conuenientiùs signo figuretur, quàm per id, quod anni & mensis habetur hieroglyphicum adeò manifestum? Sententiam hanc ita sibi desumpsit Quintilianus: *Desinit in aduersa niti qui peruenit*

A *uenit ad summum, scandenti circa ima labor est.* Quod nos in adolescentia ita retulimus:

Incipit oppositam pedibus qui repere molem,
Eximio superat grande labore iugum.
Vt tenet aërei placidissima culmina montis,
Languida felici membra quiete leuat.
Pastus amaritiem rigidæ radicis acerbam,
Molliculi glutit dulcia mella faui.
Hoc sophiæ asperioris iter Superantule pergas,
Dummodo post fellis pocula nectar habes.

ÆQVALITAS.

Palmæ prætium.

AEQVALITATEM verò ea de causa significabat, quòd cùm initio Soli dicata fuerit ante Laurũ, grauissimi authores asserũt, & Phœbum & victores hac, non alia quapiam arbore coronari solitos. Quæ cùm æquale esset victorum omniũ præmium, æqualitatis inde symbolum assecuta est. Sanè Plutarchus & Pausanias authores sunt, Palmæ pretium, qua multis in certaminibus victores æquè coronarentur, à Theseo primùm institutum, cùm à Creta reuersus in Delum applicuisset, & Apollini ludos edidisset. Siue ea de causa sit excogitatum, quòd arbor ea foliis sit maximè æqualibus, ideóque victoribus conueniret, quòd æqua eorum laus atque præmium esset.

IVSTITIA.

Palmæ proprietates varie.

B FRVCTVM præterea reddit pari cum foliis æquilibrio, atque hinc iustitiam significari voluerunt. Præter hæc incorrupta est Palmæ materies, ac propemodùm senij nescia, perinde ac decet incorruptos esse, neque vnquam temerè flecti aliorum quorunquam arbitrio, Iustitiæ administratores. Folia demùm, nisi vi tollantur, nunquam amittit, quare illam congruenti epitheto ἀειφυλλον, atque etiam ἐμπεδόφυλλον appellauerunt, cùm & Laurus, & Oliua, & Myrtus, ac aliæ quædam, quibus est perennis foliorum viror, succrescentibus aliis priora decutiant. Eademq; immobilitas expetitur in Iustitia. Quòd verò ponderibus resistat, & in aduersum incuruetur, facere idẽ Iudices debent, atque reluctabũdi, seductores, pellacesq; omnes detrectare, neque mulieribus, neque violentiæ cedere. In hanc sententiam Leuitico celebrandis feriis xv. mensis septimi, Palmarũ surculos, quos Græci spathalas à gladij forma vocãt, Legislator sumendos præcipit. Theologi per eos iuuenescentia Iustitiæ germina interpretantur. *Iustus enim*, ait Psalmographus, *sicut Palma germinabit*, propterea quòd nihil est in vniuersa Palma, quod respui debeat, ita tota ab intima medulla ad extremum vsque folium humanæ necessitatis vsibus est commoda, idque multipliciter, perinde ac in iis, qui iustè viuunt, nihil reperias, quod non vndecunque vtile sit ac commendabile.

SOL.

NEQVE quidem ea de causa tantùm Palma Solis hieroglyphicum est, quòd anni vicissitudines referat, quantum quòd figuram solarium radiorum imitari quodammodò videatur. Vnde sacerdotij veteris autores, qui (vt Proclus ait) à rebus apparentibus, superiorum virium cultum
C adinuenerunt, ab hac similitudine solare quid in Palma esse arbitrati sunt. Et apud L. Apuleium legas, mystico eo sacro quo initiabantur Isidi, caput, ad solarium radiorum similitudinem ostendendam, Palmæ candidæ foliis in modum radiorum prosistentibus redimitum.

VICTORIA.

Neronis numus.

VICTORIAE demùm in Palma significatum, ex numis, picturis, sculpturisq; omnibus vniuersæ iam plebeculæ manifestum est. Eaque elocutio toties vsurpata Ciceroni: *Docto Oratori Palma danda est. In quadrigis qui Palmam primus acceperit. Quam Palmam vtinam dij immortales tibi, Scipio, reseruent.* & similia. Et causam multi prodidêre, præcipuè verò Plutarchus Symposiacωn octauo, quam etiam posuerat Aristot. nempè si super arboris eius lignum, magnum quantumlibet pondus imponas, Palma minimè deorsum cedit, nec infrà flectitur, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur in contrarium fornicata. Eaque de causa in certaminibus Palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam, vti dictum est, ingenium ciusmodi ligno est, vt vrgentibus prementibusque non cedat. Videre verò est Palmam caudicibus sursum versus collectis in numo Neroniano, vbi idem ipse Aprum impetit veru, victoriæ nimirum, quam de confecta fera cõsecutus esset, hieroglyphicum. Et felicis augurij causa Augustus Palmam inter iuncturas lapidum enatam ante domum suã, in compluuium deorum Penatium transtulit, vtque coalesceret magno opere curauit, Cæsaris factum secutus, qui castris locum capiens, inter syluas, quas cædebat, repertam Palmam conseruari vt omen victoriæ iussit. Adhæc Cæsarianæ victoriæ aduersus Pompeium in Pharsalia prælio commisso Trallibus Palma ostẽtum dedit, exorta repentè eodem fermè tempore, quo hæc gesta sunt, penes Cæsarianæ statuæ basin, quæ in templo Victoriæ dicata erat: quamuis omnis circa statuam locus natura solidus, & durissimo lapide instratus esset. atque huius generis ostenta multa apud veteres memorantur. Minimè verò prætereundus est numus æreus cũ ingenti Palma, eaque dactilis fœcunda, cuius inscriptio est, AL. AE. quæ dubio procul victoriam Alexandriæ Ægyptiacæ significat: quod vt magis explicetur, ab altera facie spica est cum inscriptione, ΚΑΙΣΑΡΟΣ.

IVDÆA.

IVDAEA.

DESVMVNTVR hieroglyphica plerunque à rebus quas egregiè aliqua regio ferat: vt Cyrenaica per Silphium, quod in Batti numis cusum videas. A Palmarum verò feracitate Iudęa eius arboris pictura significatur. Sanè in Titi numis passim videre est eius prouinciæ simulacrum arbori Palmæ adalligatum, cum inscriptione, IVD. CAP. Vbi verò inscriptio est Cæsaris Vespasiani, atque ibidem IVDÆA CAPTA, mœsta sedet ipsa manu quasi faciem complodens, adstat ipse iuxta Palmam. In alio cum eadem inscriptione signum est, quod dexterâ altè innititur pilo, lævâ sceptrum gestat, lævumque pedem iacenti galeæ superponit.

IACTVRA.

Palmæ ænea Atheniensium.

CONTRA verò, vel deiecta, vel casu aliquo vitiata, iacturę imminentis prodigium habebatur: veluti ænea illa quā Athenienses in Delphici Apollinis templo dedicarant, rei aduersus Medos feliciter gestæ monumentum. Paulò antè quàm aduersus Syracusanos mouerent, infaustæ signum expeditionis fuit, quòd eius fructus, qui ex auro constabant, Corui alites inauspicatę pluribus diebus impetierunt, eosque partim deuorarunt, partim deiecerunt.

NVPTIÆ.

SED cur nuptiarum etiam significatum in palma dissimulemus? qui picturam huiusce rei tā elegantem legerimus apud Philostratum, Imaginibus, qui paludibus & fluuiis hoc superaddit ornamentum, Palmarum quippe veluti fornicibus ductum, pontem fluuio superiniectum. Nam cùm Palmarum alia mas, alia fœmina sit, inuicemq; maritali quadam copula coniugentur, marésque attrahant ad sese fœminas, neque illæ congressum, quantumcunque adniti possint, aufugiant, sed vltrò ramis ab vtraque vicissim contrà ad osculum quodammodò exporrectis, manifesta dent mutui desiderij signa, is duas, & huius scilicet & illius sexus Palmas in ripis fluuij oppositas è regione E
Palmæ, maris & fœminæ, amor.
statuit. Hic verò mas amore correptus plurimùm incuruatur, alteq; sese supra fluuium protendit. Fœmina verò, quantumlibet procul sita sit, neque apprehendi possit, inclinat se tamen, & obsequij quoddam & ipsa studium præ se fert. Aquam itaque quodam veluti ponte coniūgunt, difficili tamen & inaccesso transitu, propter foliorum asperitatem. Hanc vtique speciem ex Philostrato qui pinxerit, nuptiarū & coniugalis amoris hieroglyphicum, ex ipsius naturæ gremio desumptū, summa etiam cum venustate descripserit. Quò verò maior huic argumento sit fides, eam palmarij diligentiam adhibent, vt mares eo saltem interuallo à fœminis distent, vt puluis ventorū flatibus à foliis sublatus in fœminarum folia incidat, quod satis ad fœcūditatem facere compertū est. Sed mirum dictu, quòd si qua procul à mare abstiterit, vt neque puluis, neque aura, odórve eius ad eā permeare possit, excogitauerunt coloni funem à mare religatum ad fœminā vsque producere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam, masculo viru clanculum per funem irrepentè fœcundā fieri, quæ priùs in ea sterilescebat solitudine. Diophanes author Gręcus, Florentinū citat, qui suis in Georgicis multa de Palmæ amore conscripsit, contabescere eam maris desiderio, quod nulla dissimulatione profiteatur, modò radices versus eum porrigens, modò verticis in eum proclinatione, fructum ferre pernegando, agricolamque demum cogi amantem huic inuestigare, qui multas Palmas mares manu amplexúque contingat, mox ad amore perditam rediens, eā amplexetur, attrectetq; manibus. Flores quoq; mari priùs impositos tollat, & supra fœminæ verticē imponat. Quæ ne quis fabulosa suspicetur, istiusmodi amoris exemplum atque coniugij nostro dedêre tēpore. Siquidem vir clariss. Iouianus Pontanus, homo minimè futilis, & quem fabulas pro historia, F
de re maximè suo tempore omnibus conspicua, scribere puduisset, duas celebrat Palmas, marem vnum Brunduſij, fœminam alteram Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: vbi verò tantùm adoleuêre, vt sese inuicem conspicere potuerint, longo quamtumlibet multorum stadiorū tractu dissidentes, fœtificare cœperint. Sed cur non ipsum audiamus?

Brunduſy latis lungè viret ardua terris
Arbor, Idumæis vsque petita locis.
Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma,
Illa virūm referens, hæc muliebre decus.
Non vno creuêre solo, distantibus agris,
Nulla loci facies, nec socialis amor.
Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor
Vtraque, frondosis & sine fruge comis.
At postquam patulos fuderunt brachia ramos,
Cœpêre & cœlo liberiore frui,
Frondosiq; apices se conspexêre, viriq;
Illa sui vultus, coniugis ille suæ,
Hausêre & blandum venis sitientibus ignem,
Optatos fœtus sponte tulêre sua.
Ornarunt ramos gemmis (mirabile dictu)
Impleuêre suos melle liquente fauos.

Est

A Est idem amor in pistaciis, ex quibus semina cùm panguntur, mas & fœmina committi debent coniunctis naturis, ita tamen vt mas ad Fauonium dorsum vertat, vt monet Demageron.

INNOCENTIA.

NE verò nostratia prætereamus, in sacris nostrorum literis eo loco vbi, *Statura tua similis facta est Palmæ*, legitur, Ambrosius significari ait viriditatem pueritiæ, atque naturalem eius innocentiam, quam à vitæ primordio receperimus, seruandam esse, & vt fructum nullo foliorum defluuio suo tempore maturemus, admoneri. Idque de Assertore nostro piorum conuentus canere, *Iustus vt Palma florebit.* Tardè verò proficit Palma, sed diu in viriditatę persistit, ait Eucherius: ita Ecclesia sancta per multas difficultates ad firmum fidei statum venit, auctaque iam & propagata, statura nimirum diu.

PIORVM VITA.

SIGNIFICAT & piorum vitam Palmæ species, propterea q, sicut interior eius caudex & tenuis est, & corticū scabritie perplexitateq; visu minimè iucundus: superior verò pars visenda, tū trūci tū ramorū amplitudine, amœnaq; pulchritudine viriditatis expanditur, ita piorū cōditio prima facie contemptibilis videtur, sed in mirificam demū exit morū virtutumq; pulchritudinē. Sed cur non ipsa Eucherij sanctissimi doctissimiq; viri verba subtexam, in hanc sententiam? Habet quiddā aliud Palma, quo à cunctis arborū generibus differat. Omnis enim arbor quæ in suo robore iuxta terram vasta subsistit, crescendo superiùs angustior euadit, & quātū paulisper sublimior, tanto in altū redditur subtilior. Palma verò tenuis ab imo inchoat, & iuxta ramos aut fructus ampliori robore cōturgescit. Quibus itaq; alia arbusta nisi terrenis mētibus assimilari possūt, inferiùs vasta, superiùs angusta? quia nimirū omnes mortaliū in hoc seculo degētiū delectationes in terre-
B nis rebus sunt fortes, in cœlestibus debiles. Pro tēporali enim gloria, vsq; ad mortē appetūt desudare: pro spe verò perpetua, ne parū quidē in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerāt, & pro cœlesti mercede vel tenuissimas vnius verbi cōtumelias ferre nō possūt. Vt terreno iudici totos dies assistāt, fortes sunt: in oratione verò corā Domino, vel vnius horæ momēto lassantur. Sæpe nuditatem, vigilias, famē pro acquirēdis diuitiis & honoribus tolerāt, & multa se abstinentia cruciāt: quod bis aut semel in hebdomada pati pro salute animi, grauissimū ducūt. At cōtrà ex æqualitate Palmarū designātur iusti, qui vita proficiunt, qui nequaquā in terrenis studiis *Iusti ex æqualitate Palmarum designati.*
sunt fortes, & in cœlestibus debiles, sed lōgiùs atque distātiùs studiosos se Deo exhibēt, quàm seculo fuisse meminerunt. Rectè itaque, vti suprà dictū, *Iustus vt Palma florebit.* Illud addam ex sextis Hebręorum castris apud Hieronymū: *Veluti* XII. *dulcis aquæ fontes ad Elim reperti,* XII. *indicarūt Apostolos de quorū fontibus aquæ deriuatæ, vniuersi terrarū orbis ariditatē affluēter irrigarūt, ita Palmæ numero Septuaginta cibum ostenderunt, quem mortales à totidem secundis Apostolis appositum essent accepturi.* Cibus enim doctrina, vti sæpius dictum. Quoniam verò Crux Domini, quæ Palma ea est, in quam ascēsurū esse Dominū Prophetæ prædixerāt, longo stipite & in altū surrecto, in transuersumq; latè porrecto fuisse fertur, significasse etiā videtur illud anteà dictum, *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me:* ipsa enim manuum extensio duos populos, Israëliticum & Gentilem ad Deum trahere, & in vnum congregare videbatur, vt seniores dixisse scribit Irenæus: non absre fuerit, vt pīis quacūque ratione possumus satisfacere studeamus, signum id & victoriæ & salutis, quo pacto pij veteres figurarint, adscribere. Contus erat prælongus, cuius apex in ρ, Græcæ literæ similitudinem incuruabatur: inde paulò infrà χ, Græca identidem litera sua insignis decussatione addita erat, id Christi nomen ostē-
C tat. Inde qui Crucis signū faceret bacillus trāsuersus, cui velū aut mappula solebat appendi vexilli loco. Hæc duo significabant apud Græcos, quorū characteribus signata erāt, CHRISTVS PASSVS, aut CRVCIFIXVS. Inde pro delubro pedamentoq; aliquo, vasis alicuius forma, orbiculis, aut ouis, aut aliis gestaminibus castrensi more altero super alterum suffixis subiiciebātur, in hūc scilicet modulū. Quod vltimo loco subiecimus, forma loculi est, in quē vexilla figebantur, de quo alibi pleniùs. Agitè verò qui signum hoc sequimini, & in eius imperium iuraſtis, salutem vobis atque victoriam inde certissimam pollicemini. Non enim tumultuarium hoc, aut temerè concitatæ cuiuspiam multitudinis fortuitum est signum, quod elementa porrò omnia, quod humana omnis natura, quod bruta, quà licet, exprimere conantur. Dissecatur terra punctis quatuor, à quibus ductæ lineæ crucem figurant. Puncta, Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Sanctius in ea animal Homo, brachia cùm precatur in crucem extendit, vel saltem pectus signat à fronte ad vmbilicū, vt descensum à cœlo in terras nostri numinis indicet, mox ab læua, à corde quippe ad dexteram papillā (in dextera enim bonorum operū motus) crucē delineat. Per mare verò quæ volitant nauigia, si optatum cursum arreptura sint, antennas malo in crucis effigiem applicant: quæque cœlum alites secant, passis alis crucem ostentant. Nos igitur faciem & pectus cruce signati, tutiùs & animosiùs

Crucis Christi hieroglyphicū.



siùs vnumquodque virtutis opus aggrediamur, fluxarum cogitationum inundationes transeamus D incolumes, præpetiq; volatu supra cœlum attollamur, adminiculo signoq; crucis omnia feliciter executuri, stratisque & superatis dolosissimi hostis insidiis, eiusque conatibus euersis, in Domini nostri cruce tantùm gloriati, trophæa, more veterum, victoriarum que triumphos ipsa cruce designata suspendamus.

DE LAVRO.

Laurus vis medica.

VLGATVM illud est, Laurum Apollinis insigne perhiberi, eiusq; fronde, Palma iam posthabita, eius simulacra coronari. Neque tantùm ea de causa, quòd Laurus in ore palumbi vim medicã indicet, quæ plerisque volucribus præsentaneo est remedio, quantũ quia sit, vt Eusebius ait, ignea, ideoq; à dæmonibus maximè odio habetur. Vsta præterea resonat, quòd quandam prædicendi vim habet. Ignispicium enim non tantùm splendore, verùm etiam crepitu portendit, frequentissimo Poëtarum omnium assensu. Fuerunt verò Empedoclem, qui animam esse igneam statuebat, Lauri natura considerata dicere solitũ, si hominii sit in animaliũ quodpiam transmigrandũ, optandum maximè vt in Leonem transiret: commodissimum enim id animæ quæ hominem incoluisset hospitium futurum. Sin verò arbor esset subeunda, in nullam commodiùs quàm in Laurũ fieri transmigrationem. Pindarus atque Callimachus Apollinem me- E morant interfecto Delphicò Dracone Lauream induisse quasi supplicẽ: erant enim supplices coronati apud Veteres. Aristophanes dominum & seruum oracula consulturos coronatos inducit, Pluto. Quin & Liber Lauro coronabatur, in qua ex Indis triumphasse fertur, diesq; in illum solennes, magna olim corona dicebantur, vt tradit Tertullianus. Laurea itaque Apollini & Baccho sacra, illi vt Deo telorum, huic vt Deo triumphorum. Quanquam & Myrto milites redimiri soliti: ita Claudius Saturnius, qui librum edidit de coronis. Est & alia ratio cur Laurus Apollini sacra dicatur: legimus enim apud Serapionem Ascalonitam, Lauro ad dormientium caput apposita, vera videri somnia. Idipsum Antiphonem, Philocrum, & Artemonem, qui de somniorum interpretatione scripserunt, asseuerasse comperimus. Neque quidem Eustathij interpretamentum super hoc parui fecerimus, qui Daphnen ideò dictam ait, quòd δα intensionis particula, & φαινειν, quod loqui & canere est, in compositionem accedant. Apud Hesiodum interpres Theogoniæ, Laurũ ait ἐνεργεῖν πρὸς τὰς ἐνθεσιασμὰς. Hinc vaticinantes Lauro coronari solitos ait interpres Aristophanis. Et qui bella sequebantur Vates, in summa galea Lauri conum gestabant.

VATICINIVM.

Δαφνηφάγοι cur dicti Vates.

QVOCIRCA nõ imperitè Aphthonius Laurũ vaticinij symbolũ esse dicit, quã μαντικὸν φυτὸν Dionysius in præceptis de Panegyricis scribẽdis appellat. Nã quòd Vates δαφνηφάγοι vocitarentur, non ex eo tantùm, quòd ille dixerit, *Laurumq; momordit*; & Sibylla apud Tibullum, *Sic vsque sacras innoxia Lauros vescat*, desumptũ est, verùm etiam ex Sophoclis Cassandra dicentis, δάφνην φαγὼν ὀδόντι πρίεσθο τόμα. Eodem modo Lycophron, δάφνην φαγὼν φοίβαζον ἐκ λαιμοῦ ὄπα. Porrò Daph- F nem puellam, vt Plutarchus scribit in Agide, Pasiphaës nomine Spartani coluerunt, quæ oracula, vt aiunt, certissima sit dare solita.

CVSTODIA.

PRo custodia verò Laurum poni, & incolumitatis esse symbolum ex Proclo didicimus, qui veteres ait Laurum tutelæ consecrasse, & in sacrificiis, & in locis vbicũque vel sata, vel affixa fuerit, incolumitatẽ præbere. cuius rei non ignarus Ouidius, tutelæ huius ergò illud de Lauro dixit: *Mediamq; tuebere quercum.* quod ita mihi libet interpretari, vt ad ciuicæ coronæ sospitamentum & tutelam statueretur: id quod ex numis quibusdam intellexi, in quibus ciuica posita est, quam duo Laurei rami circumplectuntur, non ipsi in coronam deducti, sed ad osculum quodammodò adcuruati. Literæ, OB CIVES SERVATOS. Duo huiusmodi sũt apud me, in quorũ vno literę circumductæ, C. GALLIVS. C.F.L VPERCVS. III. VIR. AAA. FF. In altero, L. NEVIVS SVRDINVS. III. VIR. AAA. FF. Quid verò sibi velint elementa illa, quippe A triplex, & F geminum, si quis quæsierit, sciat id significare, Auro, Argento, Aere, Faciundo. Inueniuntur verò & in Augusti numis, & alibi. Eadem verò specie ciuicam eam fuisse crediderim, quam Augusti foribus affixam Ouidius scribit, quamuis nonnulli arbores ipsas satas putant, quia ita scriptum à Poëta sit:

Numi cum Lauro ciuica.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamq; tuebere quercum.

Idem sibi vult numus argenteus in quo duo Lauri surculi cum radicibus, in quorum medio erecta est columna Ionica, supra cuius capitulum carchesium est, in medio parma affixa, cum literis S.C. Nam ab vtraque colũnæ parte in albo singulatim literæ E.X. adscriptæ, Altera inscriptio est, DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS. quod apotheosin ipsam sapit. Sed ex his satis superq; est ostensum, Laurum pro custodia & tutela poni, & eorum quę perpetuò sospitari, cõseruari, ac viue-

re vo

A re volumus signum. Accedit & illud ad sospitamentum, quòd eius arboris folia fulmen non icit: eaq; de causa Tiberius, cùm fulmina coruscationésque supra modum expauescerẽt, cœlo turbido Lauream sibi solitus est imponere, non secus ac eadem de causa Augustus ex Vituli marini pelle cingulum gestare.

POETICA VIS.

QVÆ quidem perennitatis aut diuturni temporis vita cùm à nullo magis, quàm à Poëtis ipsis expetatur, meritò Laurus vnà cum hedra, cuius circa vetustatem opus omne, Poëtis dedicatæ sunt: aliorum enim scriptorum authoribus non tam fama quàm vtilitas etiam quæsita sola Poëtis gloria, & victuri nominis cupiditas insita est, nec, vt eleganter & verè dixit Ouidius, *petitur sacris nisi tantùm fama Poëtis.* Quod verò datum sibi Laureum sceptrum à Musis canit Hesiodus, laborem & diligentiam scribentis indicat, propterea quòd veluti sunt amara Lauri folia, ita virtutis sudor, vel ipso eodem teste, laboriosus. Vnde chartas Cornelij laboriosas Catullus pro magna laude celebrat. Nam cùm Hesiodus pauperibus fuerit parentibus genitus, verisimile est eum non sine magna difficultate proficere potuisse. Ita enim Zezes, quòd Musæ nouem eum Lauro coronarint, labores & amaritudinem eius in doctrina comparanda commonstrant.

AVTHORITAS IMPERATORIA ET TRIVMPHALIS HONOS.

ESSE verò Laurum insigne triumphantium, non ex eo tantùm quod apud Ouidium legitur,

Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

B quantum ex multis veterum monumẽtis innotescit. Illud quoq; satis constat, Imperatores triumphi lauream ad Iouem Capitolinum ferre solitos, atq; eam in eius gremio relinquere. Laureata verò Imperatorum capita in numis passim habentur. Atque hîc non incongruum fuerit ea, quæ de Laureto, vnde triumphaturi laureas sibi decerpere consuerant, memoriæ prodita sunt, repete- *Lauretum.* re. Liuiam quippe olim post Augusti statim nuptias Veientanum suum reuisisse, ibiq; tum illi Gallinam albam, quæ ramulum Lauri rostro tenebat, à præteruolante Aquila, quæ illam rapuerat, in gremium demissam, cumq; nutriri alitem, pangíque ramulum placuisset, tantam pullorum sobolem prouenisse, vt Tranquillus ad sua vsque tempora villã eam, *Ad Gallinas*, vocitatam attestetur. Tale verò Lauretum fuit, vt triumphaturi Cęsares inde Laureas boni ominis gratia decerperent. Fuitq; mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere. Adeò verò Laurus triumphantium propria fuisse videtur, vt obseruatum sit in [redacted]odi Laureto sub cuiusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Ex quo etiam prodigij causam intelligas, quod Iulij Cæsaris eadem præmonstrauit, cùm pridie Idus Martias auis Regaliolus cum Lauræo ramulo Pompeianę Curiæ sese inferens, à varij generis volucribus ex proximo nemore persequentibus ibidem discerpta est. Nouissimo verò Neronis anno, in quo Cæsarum progenies defecit, sylua illa Veientana radicitùs omnis exaruit, & quicquid ibi Gallinarum erat, interiit. Tali portento fuit Alexandro Seuero Laurus alia ingens & antiqua, quæ in palatio cuiusdam ciuitatis, à qua proficiscebatur ad bellum quod contra Germanos parauerat, subitò collapsa, mortis itidem eius indicium habita. Contrà non temerè boni ominis Lauri folia, quę circa Pompeij fasces illigata fuerant, cùm longo itinere per arida & inculta loca iam exaruissent, eo tempore quo in vico quodam Galatiæ cum Lucullo in colloquium descendit, detracta, & à Lucullianis lictoribus recentia & viridia, quæ penes eos plurima erant, liberaliter suffecta: quòd summam gloriæ rerum à Lucullo gestarum ad C Pompeium transituram interpretatum est, vt paulò pòst subsecutum. Et Romæ lamentabunda Luculli vox audita, *Pompeius res meas in Asia gestas elecuauit.*

Laurus Alexandro Seuero portẽtosa, boni ominis Pompeio.

PVRGAMENTVM.

SEXTVS ait laureatos milites currum triumphantis sequi solitos, vt quasi purgati à cęde humana intrarent vrbem, proindeq; suffitionibus omnibus Laurum adhiberi, solitam fuisse, vel quòd medicamento siccissima sit, vel quòd omni tempore vireat, boni ominis causâ perpetua Reipublicæ viriditas hinc optabatur.

VICTORIA.

QVANTVM ad aruspicinam pertinet, Laurus victoriam aliquando præmonstrauit, vt ea quæ in domo Alexandri Seueri iam infantuli nata iuxta Persicum arborem, intra vnum annum Persicum ipsam incremento mirabili superauit: vnde Aruspices futurum prædixêre, vt puer is olim Persas euinceret, quod euentu posteà comprobatũ est: sub eo enim primò Persæ serui apud Romanos fuêre. Quare apud Virgilium ex ea desumptum doctrina legas de victore: *Viridiq; aduelat tempora Lauro.* Notum illud est, solitos esse Imperatores Romanos, re bene gesta literas Lauro reuinctas mittere, victoriarum & lætitię nuncios, quæ Laureatæ dicebantur, quod in Epistolis ad Atticum & alibi habetur. Hinc Ouidius:

Alexandri Seueri Laurus.

Non ego victrices Lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

Apud Marcellinum, vbi de vanitate Constantij loquitur, suorum ducum victorias sibi adsciscẽtis,

laureatas literas missitatas inuenies. Quare Plinius xv. Laurus Romanis præcipuę lætitiæ victo-D riarumq; nuncia, additur literis, & militum lanceis, pilísque. Vnde legere est in Pompeij gestis, cùm is in Arcadia equestre certamen ageret, ludi gratia, aduenisse tabellarios ex Ponto, gestantes iaculorum cuspides Lauro coronatas, ex quo læta nunciare antequam literas redderent cogniti sunt. Mithridatem enim sibi mortem conscisse nunciaturi venerant. Victores Delphis Pythiis certaminibus ea peculiariter Lauro coronabantur quæ Delphica nominabatur, cuiusmodi genere & triumphantes Romæ: ea enim longè viridior est, maximis baccis, atque ex viridi rubescentibus: vnde nonnulli commentati sunt, in quatuor certaminum præmiis, quæ recensentur ab Archia, per malum grandiores has Pythiæ Laurus baccas intelligi, de quo apud Lucianum videas de pomis in templo Apollinis decerptis.

IVRGIOSVS.

Bebrycia Laurus.

QVOD verò iurgiosum notari per Lauri ramum alicuius manu prętentum nonnulli dicunt, Græcorum commentum est, non Ægyptiorum, idq; desumptum ex historia. Nam Bebrycia Laurus erat in Amyci portu, à qua ramum quicumque decerpsisset, tandiu fieri iurgia solebant, quoad abiiceretur: quod traditum est ab Apollodoro lib. primo de Ponticis Heroibus. Sedenim particularia hæc inter hieroglyphica locum non habẽt, quia necesse est, quòd rectè sit exprimendum, id vniuerso generi competere, vnde ipsa desumitur significatio.

REMEDIVM.

QVÆ verò de Scipione Laureo memorantur, significare id remedium contra pericula & insidias, quæ à quopiam intententur, vt apud Sudam legitur, non ea tantùm causa est, quòd contra venena pollere Laurus creditur, sed huc iaciunt ea omnia, quę superiùs recitauimus, vbi E tutelam & custodiam per Laurum significari docuimus. Quin & Æsculapij caput Laurea redimitum non alia de causa dicunt, nisi quia ea arbor plurimorum sit remediorum. De medicina verò diuinitùs reuelata, quę per Lauri ramũ, aut folium in Columbæ rostro ostenderetur, in Alitis eius

Foliorum Lauri remedium.

Commentario diximus. Præstant & hordeo condito incolumitatem Lauri folia, si sicca grumis immisceantur, aut supernè sternantur, diuq; à vitio conseruant, vt Demagerontis præcepto admonemur, in iis quæ à Constantino Cæsare selecta sunt. Quin Romani, vt apud eundem Cæsarem, Laurum boni genij plantam sunt appellare soliti: persuasumq; habuêre, locum, vbi Laurus esset, neque à sacro vllo morbo, neque à dæmone infestari. Et salutaris ominis gratia folia ipsius à populo Calendis Ianuarij Magistratibus offerebantur, vnà cum caricis.

DE CEDRO.

AD Palmam & Laurum pro Poëtis, & Cedrum & Myrtum adiungere glorioſum est, cùm de prestantibus insigne dictũ illud proferri soleat, *Et Cedro digna locutus*. Ante alias enim arbores Cedrus æternitatis hieroglyphicum est, quia materia eius neque putrescit, neque cariem patitur. Hinc Arca fœderis ex Cedro fabrefacta est. Et Cedro digna loqui dicuntur illi, qui ea scribunt quæ nulla temporis iniuria sit abolitura.

EXCELLENS.

ALIBI Diuinis in literis excelsioris potentiæ viros indicat in Psalmo: *Sicut Cedrus Libani multiplicabitur*. Et alibi: *Confringet Dominus Cedros Libani*, hoc est, potentiores. De medulla verò Libani ablata à Rege barbaro, pro nobilitate protrita, dictum in Aquilæ Commentario. Sed F iam ad Myrtum.

DE MYRTO.

GENIVS ET VOLVPTAS.

SATIS quidem exploratum est omnium ferè Poëtarum lectione, Genium & Voluptatem ex Myrto significari. Arbusculam eam omnium delicatissimam aiunt, perpetuo tam virore spectandam, quàm foliorum specie, suauissimóque odore præstantem, vt non immeritò sit Veneri Deæ omnium delicatissimæ dedicata, vnde meruerit Pelops Hippodamiæ nuptiis potiri certaminis victor auxilio Veneris, quòd ei simulacrum ex pullulante Myrto fecisset.

VENVS.

NAM qui Venerem pingunt, libenter illi myrteam coronam imponunt, quo coronatam eam in iudicio Paridis astitisse, Nicander ait Alexipharmacis, atque ea de causa huiusmodi arbusculam & Iunoni & Palladi odio habitam in posterum. Apud quem animaduertas, Dictynnam Palladem appellari, quamuis glossemata quædam aliter exponant. Neque verò dissimulandum, Myrtum pudendi muliebris habere significatum, vnde apud Aristophanem legas, ἐδὲ πῦ μύρτῳ διῖλς ἐωῦντι, πρὶν ἐξ ἑνὸς λόῖε πουδὸς ποιησόμεθα ποτὲ ζὼν ἑλλάδα, quod ita reddemus: *Neque rem aggredi*

A *aggredi veneream, priusquam Græciam fœdere iunxerimus.* Sed Myrtum Pollux caruncula intra pudendum muliebre ponit lasciuo quodam motu interim subsultantem: quò forsitan spectat Aristophanicus ille iocus, vbi chorus senum Lysistrate ait: *Ensem posthac gestabo in Myrti ramo.* In commentario Serpentis Hecates fabulam recitauimus, quam multis modis Faunus pater solicitauerit ad stuprum, cùm eam paternæ petulantiæ reluctantem modò virga myrtea verberaret, modò vini tormentum adhiberet, mox in Anguem conuersus spiris totam implicuerit, atque ita voti compos euaserit. Ibiq; virgam myrteam, nequitiæ imaginationem, vinum mentis hilaritatem, anguem multiplices voluptatis nodos hieroglyphicè significare ostendimus. Nam quod ad Myrtum attinet, apud Maronem:

Hecates fabula.

Quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum Sylua tegit.

OVATIO.

MYRTEA verò corona triumphantium militum capiti gestata, rem bellicam sine sanguine confectam significabat: vel cùm quid bello non indicto per occasionem captum fuerat: tunc enim ouatio decernebatur, non triumphus, atque ita myrtea vtebantur corona, facilitatis indicio, cùm in triumpho ob victoriam cum labore partam laurea gestari solita esset, de qua superiùs.

HILARITAS.

ERAT & hilaritatis indicium ramus Myrti, quem veteres intervina alter alteri porrigebant. Mos enim fuit in conuiuiis eo circumlata ramo vnumquemque discumbentiũ ad cantandum B excitare. Singuli enim conuiuarum accepto in manus Myrti ramo, partes canebant suas: quem morem in Symposiacis Plutarchus latè disputauit. Et Horatius adueniente verno tempore, quo se vndecumque patefacit hilaritas, dum Cytherea choros ducit Venus, decere ait viridi nitidum caput impedire myrto. Atque vbicumque conuiuiorum lætitiam celebrat, coronas è myrto inferri iubet.

ARMA BELLICA.

IN prodigio autem, quòd ad Polydori tumulum Æneæ sese obtulit, corneis virgultis, & Myrti densis hastilibus, ad euulsionem sanguinem stillantibus, Tib. Claud. Donatus per id genus virgulta hostilem illic esse locum significari dicit, quippe quòd duo ea genera lignorum hastilibus bellicis apta sint, proindeq; pacis auspicium nullum illic esse potuisse. Ac per hoc sacrificanti in nouæ ciuitatis causa, portendi, id quod accidit, crudele illic hominum genus, & humano infestum sanguini. Sedenim crediderim ego potiùs Maronem nostrum locum hunc de sepulchrali myrto mutuatum ab Elpenoris tumulo: quandoquidem Theophrastus ait ad Circeum in Italia locum esse eminenti quodam situ, densissimo variarum arborum nemore, sed arborosis præcipuè myrtis densum, vbi paruus visitur locus, quem incolæ Elpenoris tumulum perhiberent. In eo, qui supini hominis mensuram non excederet, myrtos coronarias nasci, minutis quippe foliis, & odoratioribus quàm latifoliæ sint, neque alibi toto tractu eas, quàm angusto eo spatio reperiri. Sane Myrtus corona quoque funebris est, de qua Pindarus in Isthmiis, vt in Cupresso diximus:

ἔνθα λάβροθεις πάλα μύρτοις ὅδε ἀνὴρ.

Thebis enim qui vicerant Iolea, Myrto coronabantur, ea de causa, inquit interpres, quia funebris C est. Iolam enim heroem Thebani colunt, ad cuius tumulum Iolea celebrabant.

AMORIS VVLNERA.

EST Myrti genus, quæ folia habet perforata, ea Trœzeniis latissimè prouenit: per hanc amoris vulnera, mœroremq; ipsum, quo plurimùm amantes ex desiderio conficiuntur, significari tradiderunt celebres doctrina viri. Alij (dicenda enim omnia sunt) fabulantur ab acu, quæ Phædræ capillos coërcebat, ea foramina processisse: de quo, vt nullam esse fabulam tam ineptam, quæ apud Græcos authore careat, admoneamur, apud Pausaniam libro primo videndum.

Myrtus folia habens perforata.

GANYMEDES.

SVNT qui per myrtum Ganymedem referri putent, quòd persuasum sit eam ibi lætissimè natam, vbi puer is pedum vestigia pressisset. Argumento esse locum in Chalcide Harpagium à re ipsa nuncupatum, quòd ibi Ganymedem ab Ioue raptum fabulantur, ibidemq; Myrtos pulcherrimas, atque admodùm copiosas nasci. Quod ea de causa à Chalcidensibus confictum aiunt, quòd insulares illi impurum genus fuerint, puerilium amorum turpitudini quàm deditissimi, pudore omni posthabito. Id quoque apud Pausaniam.

PAPYRII VICTORIA.

IN numis aliquot aspicere est Papyrij caput myrtea corona redimitum. Significat id Sardos ab eo in campis Myrteis superatos, ob cuius rei memoriam myrtea ipse corona vsus est.

AD ILLVST. HIERONYMVM ROBOREVM VICINOVI DOMINVM, DE IIS QVÆ PER QVERCVM, HEDERAM, Ferulam, Milacem & Amygdalam significantur,

Ex sacris Aegyptiorum literis, Pierius Valerianus.

LIBER LI.

HAEC verò tibi Quercus tua, honoratissime Hieronyme, quam ex Aegypto aduectã tibi dari tantoperè cupiebas, neq; id immeritò, neque temerè: nam cùm ea arborum validissima vulgò à robore nomen consecuta sit, siue potiùs vires ipsæ ab arbore Quercu, quæ robur ipsa est, nomẽ acquisierint, cui potiùs dari debuerat, quàm illi qui de clarissima Roborea stirpe prognatus, duorũ ætate nostra maximorum Pont. Sixti IV. & Iulij II. illustris gloria, clarissimum quenque eorum decorare videatur? Nam Sixtus Saonæ ortus cùm veluti postliminiò Taurinum veterẽ patriam studijs florentem reuisisset, maiorum tuorum, quos agnatos habebat, liberalitate adiutus, paratam sibi ad Pontificatum viã inuenit: tantum enim virtute & disciplinis optimis profecit, vt vel ante ætatẽ primos in congregatione sua titulos sit honorificè consecutus: mox doctrinæ & præstantis ingenij nomine Sacerdos Card. factus, integritate hominis cognita, nullo negotio fuerit ad summum Pontificatum euectus, ac tum ipse, tum Iulius II. qui ei paulò post successit, progeniem, vnde fuerant oriundi, honestissimis titulis & honoribus ornauerunt. Sed ne singula referã quæ & aliàs à me dicta sunt, & paucis explicari non possunt, quid magni illi Gallorum Reges, nonne Roboreos semper magni fecerunt, & eorum aliquem apud se fouerunt? teq; adeò ipsum sapientissimus Rex Franciscus, ac deinde Henricus eius filius, singulari humanitate sunt amplexi? quibus tu bonarũ disciplinarum studio, politioriq; eruditionis nomine gratus in primis extitisti, eiq; opinioni, quã omnes de te concepimus, in hac ipsa adolescentia non auarè cæpisti respondere: vnde ipse etiam Rex Henricus tua ad res gerendas opera arq; industria vti in animum induxerit. Itaque non plus tibi familia tua splendoris adiungit, quàm abs te illa accipiat, eiq; indies magis ac magis accessurum esse videtur. Quod autem ad Quercum attinet, Hedera quoque se illi applicuit ad ornamentum, progq; septo Myrtus, & Ferula, Milaxq; cum Amygdalis accessere, quibus venustè ædium tuarum hypæthron poteris conuestire, amœnioribusq; vmbris festiuè admodùm opacare. Vale.

DE QVERCV. CIVIVM SERVATOR.

Corõnæ ciuica ex Quercu, & quare.

INTER coronarum genera querna in primis celebratur, quæ ciuis in bello seruati signum magno apud veteres in honore semper habita. Cur verò ciuicas ex Quercu fieri sit institutum, plures enumerantur causæ. Alij enim dicunt honorem hunc Arcadibus attributum, quos oracula solita sint ob vetustatis honorem Glandiphagos appellare. Alij ea de causa, quòd facilem & promptuarium cibum Quercus sit militibus afferre solita. Alij quia Ioui sacra sit, in cuius tutela sunt ciuitates, congruensq; haberi, vt qui ciuem seruasset, ea coronaretur fronde, quæ ciuitatum omnium tutelari Deo dicata esset. Apud Celtas autem, vt Max. Tyrius tradit, altissima Quercus deligebatur, eaq; erat Iouis signum. Sunt qui eam tradãt primam Plantarum omnium genitam, atque ita populorum altricem fuisse, & primariam oraculorum authorẽ. In numo quodã, cuius Dorica inscriptio est, ΑΠΕΙΡΟΤΑΝ. Aquila habetur fulmine subter pedes deiecto, & rami duo querni in coronã flexi, quę dubio procul Epirotarum moneta glandes Chaonias, & oracula Dodonæa significat. Quantũ verò pertinet ad seruatos ciues, quamuis in Lauro de C. Gallij & L. Næuij Surdini numis rem explicuisse satis esse possit, nõ importunè tamen loco hoc repetetur quòd Ouidius de Quercu ad Laurum dixit, cùm in arborem eam Daphne trãsmutaretur, *Mediamq; tuebere Quercum.* In numis quippe aliquot coronam ciuicam esse positam, quam duo Laurei rami circumplectuntur, non ipsi in coronam deducti, sed ad osculum quodammodò incuruati: literæ, OB CIVES SERVATOS, quorum duo huiusmodi apud me sunt. Qua specie ciuicam eam fuisse crediderim, quam pro Augusti foribus affixam scripsit Ouidius:

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamq; tuebere Quercum.

Quamuis nonnulli arbores ipsas eo gestu satas fuisse putant. Libet autem & aliorũ quorundam addere monumenta. In numo C. Caligulæ ciuica tantùm cum glandibus spectatur, in quo literæ sunt huiusmodi, S. P. Q. R. PP. OB CIVES SERVATOS. In Sergij verò Galbæ Aug. numo ciuica eadem est cum inscriptione, S.P.Q.R. OB C.S. Eadem in Vitellij Germanici, in cuius medio hæ literæ sunt, S. P. Q. R. OB CIV. SER. In numo etiam quodam aureo, & aliis pleriſq; obseruaui, ciuicam hanc Neroni etiam ex S.C. dedicatam: quamuis alia non adsit descriptio, idem tamen est significatum. Eodemq; S.C. Antonino numus datus est cũ Porca fœta & natis sub vbere, quibus

A quibus imminet quercus, quòd animal id dubio procul glande plurimùm pascatur, vnde antiqui omninò cibi admoneamur: quam causam Plutarchus præcipuam putat in ciuicæ coronæ dono: quamuis primas Ioui partes tribuat, cui sacra sit arbor, & in cuius tutela, vti dicebamus, sunt ciuitates. Videas & in numo quodam Augusti Cæsaris, quercus arbores duas cum ingenti patina in medio carum sita, circa quam literæ sunt ad quadrati posituram S P Q R. Neque sum nescius ciuicam etiam ex Ilice fieri solitam: nam & ipsa glandifera est, Cæciliumq; Comicum Poëtam coronam ciuicam iligneam appellasse, omninò enim ilignea primò fuit. Rationem Festus tradit, quòd frondem præ se perennem ferat, posteà verò magis placuit ex esculo Ioui sacra, vbique custodito honore glandis, vt Plinius author est. Nota sunt quæ & quanta tribui solita sunt iis qui ciuicam meruissent. Ea quippe vti licebat perpetuò in ludis. Induenti assurgi etiam à Senatu moris erat, Senatuiq; proximus erat locus assignatus. Vacatio munerum ipsi, patriq; & auo paterno dabatur, quòd filium adeò publicæ rei vtilem genuissent. Ne verò temerè daretur, arctiores additæ sunt leges, vt quippe ciuis qui seruatus esset, seruatũ se esse fateretur, aliter testes in eo negotio nihil proderant, neque si quempiam alium quàm Romanum ciuem seruasset, quantumuis Regem Ciceronem ciuica donandum L. Gellius censuit, quòd eius opera esset atrocissima Catilinę coniuratio detecta, vindicataque, atque ita non ciuis vnus, sed vniuersa Romana ciuitas seruata, meritoq;, vt ait ille:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

AMVLETVM.

HECATE quoque quercu coronari solita est, in cuius manum hasta imponebatur, & humeros multis Draconum spiris implicabatur. Huiusmodiq; Deæ simulacrum ante ianuam dedicari
B solitum Æschylus tradit, idque incantationum amuletum habebatur.

VIRTVS.

HERCVLEAM verò clauam illam valido plurimùm de robore fieri solitam, virtutis simulacrum esse, optimi quiq; authores tradunt. Tum etiam numus Gordiani Pij declarat, in quo Hercules nudus cum claua spectatur, cum inscriptione, VIRTVS AVGVSTI. Neruæ autem Traiano ex S. C. quod in numis apparet, decretum est Leonis caput claua supererecta, cũ inscriptione vni illi maximè attributa, quæ est, OPTIMO PRINCIPI. Nec præteribo Commodi vanitatem, in cuius numo videmus ingentem clauam cum inscriptione, HERCVLI ROMANO AVG. S. C. & ad hæc coronam ciuicam circunductam. In aliis ad adulationem huiusmodi cusis, Hercules est facie ad ipsius Commodi similitudinem informata, cũ spolio & claua in læua, dexterâ coronam trophæo superimponens: literæ, HERCVLI ROMANO AVG. Accepit enim is statuas Herculis habitu, eiq; immolatum est vt Deo. Harum vnam adhuc integram cum claua & Hyla, Iulius II. restituit pro foribus aulæ superioris palatij Pontificij, vbi nũc porticus Leoniana. Sedenim Leo X. statuam amoueri iussit, neglectamq; in angulum reiici. Neque verò clauam Herculi semper ex Robore fuisse perhibent, verùm & ex Oleastro, cuiusmodi ea fuit quam Mercurio πολυλίφ dicauit, quam iterum pullulasse fama est. Nam Trœzenij Oleastrum ex ea claua natum ostentare olim consueuerunt. Pisander & aheneam Herculi clauam fuisse dicit.

Claua Hercolea.

FORTITVDO.

IAM verò fortitudinem validasq; vires per Quercum significare mos est multorum, siue nomen ipsum sequantur, quæ roboris elogio censetur: viribus enim præstantes viri, vt Festus ait, robusti à robore nuncupantur: robur verò à robo colore rufo, quòd ea materia plurimas eius coloC ris venas habet, siue insitam illi vim admirentur, quò incorrupta materies, & ad ædium perennitatem facere, magnis inde acceptis vtilitatibus, comperiatur.

DIVTVRNITAS.

EADEM autem de causa diuturnitatem etiã significat Quercus, quòd eiusmodi sit eius vis, vt in seros vsq; annos prorogetur, præcipuè cùm vel defossa, vel aquis macerata per tempus aliquod fuerit. Quare augures non iniuria auo Galbæ fulgur procuranti, cũ extra de manibus Aquila rapuisset, & in frugiferam Quercum contulisset, summum, sed serum imperium portendi familiæ responderunt: quod euentus mox comprobauit.

IMPERIVM FIRMVM.

IMPERII firmitatem per sceptrum ex querno trunco significatum inuenio. Sceptrum autem cum foliis quernis in columna quadã ex alabastrite Viterbij spectare licet, inferioribus quippe ramis amputatis, superioribus autem ita mutuò complexis, vt oculi speciem reddant. Plutarchus Osirim huiusmodi signo redditũ arbitratur, qui, vt nonnulli prodidêre, non Ægypti solùm, verùm & Italię, & totius ferè terrarum orbis imperium obtinuerit. Aiunt verò sceptra huiusmodi ita pluribus ramis ornari solita, vt plures erant prouinciæ, quibus is imperitaret, cuius honori & nomini dicatum esset id monumenti. Quercus enim Rheæ, quæ terra est, sacra, vt Apollodorus 3. de Diis, ait. Quin eos omnes quernis coronari tradit, ob vtilitates quas arbor ea tam in ædificiis, quàm in primo victu præbuit.

OSIRIS.

MACROBIVS in hac oculi specie, quæ ab incuruatis ad complexũ hinc inde ramis, vt in nobilitatis vestrę gestaminibus spectare est, cũ Osiridis nomen agnoscit, tum Solis id esse signum

contendit. Oculi verò similitudinem ideò poni, quia Sol regali potestate cuncta despiciat, vnde illi oculi cognomentum apud antiquos. Sedenim de oculo eo commentario disputatum, quo per singulas humani capitis partes, quæ aliquid significant, decurritur.

PRINCIPATVS.

Flauiorum Quercus.

CÆTERVM & in Aruspicum disciplina Quercus principatum ostendit, quod multis olim auguriis obseruatum est: ex quibus illud præcipuè referendum videtur, quod in suburbano Flauiorum Quercus antiqua, quæ Marti sacrata erat, per tres Vespasiæ partus singulos repentè ramos à frutice dedit, haud dubia signa futuri cuiusq; fati. Primum quidem exilem, & haud ita multò pòst arefactum, ideoq; puella nata non perennauit. Secundum prævalidum ac prolixum, & qui magnam portenderet felicitatem. Tertium verò instar arboris: quare patrem Sabinum ferũt aruspicio insuper confirmatum renunciasse matri, nepotem ei Cæsarem natũ. Contrà verò sceptrum nouissimo Neronis anno de Augusti manibus excussum fulmine, imperium Cæsaribus diuinitùs abrogatum indicauit.

FERITAS.

QVORVNDAM etiam inuentum fuit animi feritatẽ ex Quercu significare, quòd etiam non ignobiles Poëtæ agrestes homines, immites atque sæuos, nullisq; humanis moribus expolitos, duro ex robore natos dictitabant: de quo interpres Hesiodi, Vereres, ait, filios in quercubus aut petris exponere solitos, vrbium tectorúmve commoditate nondum adinuenta, datamq; hinc ansam, vt ex petris aut roboribus geniti viderentur.

OBSCOENITAS.

Per glandẽ quid figuretur.

HABET & glans ipsa suum significatum, idq; obscœno satis intellectu, ob eam scilicet qua prædita est figuram, pudendi virilis mucroni penè similem, atque hinc Arcadum obscœnitatem inceſſi reperias, quòd *βαλανοφάγοι* essent. Vnde Diogenes eiusmodi notæ adolescentem Arcadem dixit, is cuiusmodi videretur esse interrogatus: intelligebat enim Arcadiam infamem esse, vtpote quæ luxu deliciisq; barbaricis corrupta esset. Alij referunt ad stuporem, vnde dixerit etiam Iuuen. *Læua in parte mamillæ nihil Arcadico iuueni subsultare.* Sed cum priore sententia facit alterũ eiusdem Cynici dictum, apud quem cùm mentio fieret de puero quodam qui malè pudicitiam tutabatur, Diogenes cuiusnam is esset interrogatus, Tegeates, respondit, ludens scilicet ex ambiguo: nam Tegea ciuitas est Arcadiæ, Tegos autem interdum pro lupanari ponitur.

IRA DELINITA.

IPSA denique arbor Quercus, ea insignis asperitate, quæ omnibus conspicua est, non immeritò fertur vsque adeò inimica oleæ, vt eam iuxta se positam extinguat. Olea verò cùm sit pacis, mãsuetudinis ac lenitatis indicium, excogitatum est Quercum olea complicare, cùm iracundiam atque inexorabilem animi asperitatem sese ad lenitatem dedisse significandum fuerit. Contrà addam *τὸ παιώνιον* & ea, quæ beneficium à Quercu consequũtur: scriptores enim naturalium rerum, hederam quercinam, viscum quercinum, & polypodium quercinum optimum dicunt.

DE HEDERA.

HEDERA autem non quercina tantùm, sed qualiscumq; esset, haudquaquàm obscuræ celebritatis erat apud Ægyptios, quippe quæ propter continuum virorem vitibus etiam præferebatur in sacris, quòd illæ à fructu folia identidem amittant.

BACCHVS.

FA verò in primis quæ corymbos nigros fert, sed & sine delectu coronamẽtis accepta Dionysio sacra, quòd æquè est ac apud Ægyptios Osiridi, à quo etiam isti nomẽ: chenosiris enim eorum lingua nominatur, quod Osiridis planta interpretatur. Prætereà Dionysius, Nysa vrbe à se posita in extrema ferè India, hederam quam sæuit, æternum nominis sui monumentum esse iussit.

NOCVMENTVM ABSCONDITVM.

THYRSIS verò, quod telum est ligneum, circumfusa hedera coopertum vini nocumentum hieroglyphicè indicat sub ipsius suauitate latitare. Hinc Macrobius Liberum Patrem ait ferire per obliquum, circumfusæ hederæ latitante mucrone. Neque aliud sibi vult vitis supra caput Hecates prætendi solita, quæ nimirùm ostendit Fauni patris insidias, quas in natam vini opera construxit, de quo latiùs in Serpente.

TENACITAS.

VSQVEADEO verò adhæsit hederæ tenacitatis nomen, vt illigandi complectendiq; significatum, vt olim apud nostros flamini Diali non modò eam tangere ominosum esset, verùm etiam nominare, ne inde illigatus aliquo modo, vel re, vel cogitatione deprehenderetur. Eaq; de causa neque anulum quidem ei gestare licebat, libera siquidem omnia esse volebant sacrificulis. Vnde sacrum factura Dido apud Maronem, *vnum exuta pedem vinclis in veste recincta*, legitur. Manifestum autem est hederam vincire quicquid fuerit, ad quod se applicuerit. Hinc Horatius *lasciuis hederis ambitiosior* dixit. Hinc Catullus mentem amore reuinciens, *vt tenax hedera hac & illac arborem implicat errans.* Et Gallienus Imperator:

Brachia

Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Ea denique siue ab hærendo, siue ab eo quòd edita petat, siue potiùs ab edendo ea, quibus adhæserit, nomen habeat. Libero Patri dedicata est, vt initio dictum, quòd ita semper vireat, vt & ille semper iuuenis. *Nam solis æterna est Baccho Phœboq; iuuenta*, vel quia mentes hominum ita Liber liget, vti ea quæcumque tetigerit impedit: ebrius enim quamuis solutum eum vel in angusta paupertate dicat Horatius, & Lyæus à soluendo nomen acceperit, irretitam tamen habet mentem, neque sui compos est.

ASSERTOR.

IN numis pleriſq; caput hedera redimitum aspicias cum Assertoris inscriptione: vt illud cum cornibus, ab cuius altera parte sigillum est cum racemo in dextera, in læua spolium gerit: literæq; legi possunt, ΔΙΟΝΤΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. In aliquot aliis caput identidem hedera redimitum, ab altera verò facie Hercules cum claua & spolio: literæ sunt, ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΟΣ: infrà verò, ΘΑΣΙΩΝ. Sed dicerem ego populeam potiùs esse frondem, nisi flexuosus viticulæ ambitus hederam potiùs referret. Sunt verò Thasij ab insula, quæ Thraciæ adiacet, vnde Herculis progenitores oriundi, quo nomine illi sibi plurimùm plaudentes, imaginem eius numis exprimere instituerunt.

BACCHEIA SVPELLEX.

VINARIA verò vascula, quæ Cissibia plurimùm appellant, orificium ad hederacij folij speciem informatum habent: κίσσος enim hedera: cuiusmodi vasa quamplurima, quæ longam sapiunt vetustatem, vbique Romæ videas. Et quæ nunc etiam è luto formantur, ad eandem penè formam rediguntur, à foliisque vulgò nomen habent, nam Folietæ nuncupantur. At bona pars Italiæ vasa vinaria quotidiani vsus Boccalia, quasi, vt puto, Bacchalia dicere velint, appellant, quamuis *βαυκάλιον* pro vase vinario sit apud Homerum. Qui *κισσίβια* dicta putarunt, quòd vasa olim ex hedera fieri solerent, hallucinari mihi videntur: nam neq; quidem lignum satis idoneum, neque materia commoda est, cùm satis constet, si poculo hederaceo mixtum infundatur, vina transfluere. Neque ego nunc poculorum genera perquiram, quæ copiosè satis ab aliis enumerata fuerunt: illud ostendisse satis fuerit, qua de causa bona eorum pars hederã supremo margine assimularent. quinetiam in nonnullis iuxta ansam impressum hederæ fòliũ obserues: & apud Maronem *Pastoralibus quibusdam poculis superaddita vitis; Diffusos hedera vestit pallente corymbos.* Qua verò specie esset cantharus qui Baccho dedicabatur vti scyphus Herculi, si quæsierit quis, picturatione commodiùs quàm verbis explicabitur. Pedem enim habet à latiori ambitu in angustum flexuoso interiùs ductu se contrahentem, ita vt ea pars tota desidentibus incuruis costulis describatur: mox intumescit in calicem, quod nomẽ nostris in sacrificiis tot iam adhinc annis, specie nihil quicquam immutata, receptum est. hinc iterum angustari incipit, totoq; ambitu intro versus incuruari, quo ductu vbi aliquantulum processerit, rursum aperitur, & cratera in summo patefacit. Adduntur hinc atque inde ansæ, quas Aures Græci libentiùs appellarunt: sed aures ego eas alia quàm ansæ sint forma factas intelligo, vtpote quæ quidem prostarent à summo vase, sed minimè ad inferiora flecterentur.

Cantharus Bacchi.

In morem autem Delphinorum aliàs ansæ, aliàs anguium figuras, plerúque volutarum in modum fieri solitæ. Sed & vna tantùm ansa præditos plerisque locis cantharos in antiquorum monumentis aspicias, cuiusmodi apud Virgilium est Silenianus ille,

Cui grauis attrita pendebat cantharus ansa.

POETA.

Hedera cur Poëtis dicata.

QVOD verò Poëtis hedera decerneretur, vt vnà cum Lauro coronam eorum perficeret, non tam perpetuus vtriusque viror, qui diuturna eorum opera significaret, in causa fuit, quàm vt ostenderetur, eos, qui digni hederis euasissent, Laureámq; meruissent, & ingenio & arte præcelluisse: per Laurum enim insitam in ingenio vim, ac venæ fœcunditatem Apollinis irradiatione locupletem intelligebant: per hederam verò artem & industriam peruigili labore partam. Cuius rei id est indicium, quòd hedera suapte vi admodùm imbecilla humi semper reperet, neq; se vnquam attolleret: pertinaci tamẽ labore artificioso; conatu peruincit, vt vel arboribus vel parietibus adhæreſcens, paulatim irrepẽs supra omniũ fastigia victrix euadat, & supremo in vertice dominetur: vtroq; enim opus est, si quis velit excellere: nisi verò excelluerit, nihil quicquã profecit, quia *Mediocribus esse Poëtis, non homines, non Dij, non concessere columnæ.* quare sapienter ait Horatius,

--Ego quid studium sine diuite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

In eandem sententiam apud Pindarum legas, vt in Ape diximus, Poëtas lacte simul & melle pasci: quorum lac naturam facundiæ vbertate affluentem, mel artem, laboriosumq; proficiendi cona-

tum ostendit. Non enim sine magno labore, industria & artificio comparatur. Apud Athenæum quod minimè dissimulandum est, legas, ex Seno Eliensi Grammatico desumptum, Aurocabalos, qui postea Iamborum Poëtæ nuncupati sunt, hederacea corona vti solitos: Ithyphallos verò talari tunica manicatos, ebriosorum personas ridiculum in morem gestasse. Hinc apud Virgilium:

--Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Et quod ad manicatos facit, elusum alibi:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sed vt ad Athenæum reuertamur, Phallophoros demum ait (ideæ sunt hæ impudẽtioris Musicæ, lasciuæq; apud veteres ceremoniæ) serpyllo & pæderotæ herbis faciem occultasse, sertáque sibi ex viola & hedera nexuisse.

VETVSTAS.

PRÆTER hæc vetustatis symbolum est hedera, cùm semper circa vel arbores, vel ædificia vetustate consumpta ruinosaq; saxa maximè versetur: quin etiam ex eo Baccho sacra, veluti vina etiam de vetustate commendantur. Pindaricum porrò est vinum à vetustate commendare, vt Epharmosto in Olympiis, ἄγει ϑ' ἀρχαῖον μᾶλλον οἶνον. Ita Horatius passim:

O natam mecum consule Manlio testa.

Sic Tibullus, vt corrupta obiter lectio corrigatur, lib. Amorum secundo, Elegia prima:

Nunc mihi fumosi veteres afferte Phalernos
Consulis, & Chio soluite vincla cado.

Fumosi enim Consulis, non Fumosos Phalernos, vt imperiti nonnulli putant, eadem synepeia apud Iuuenalem habetur:

Fumosos equitum cum Dictatore Magistros.

Hedera cur vetustatis symbolũ sit.

Notum enim quemadmodum Romani studiosissimè curarint, vt atria sua maiorum illustriũ imaginibus complerentur, ad excitandam scilicet posteritatem, vt quod sibi ad imitandum proponerent, assiduè conspicerent. Fumosos igitur, præ vetustate quadam veluti fuligine coloratos. Hedera autem cogere in senium arbores creditur, ipsaq; non nisi senescentibus libenter adhæresci. Extant super hoc luculentissima Laberij carmina, quorum ea duo tantùm afferam, quę ad sententiam, qua de nunc agitur, congruere videntur:

Vt hedera serpens arborum vires necas,
Ita vetustas ambitu annorum necat.

Neque quidem ea tantùm de causa, quia vetustas vinum commendet, & hedera sit vetustatis indicium, ea Baccho sacro perhibetur, sed quoniam, vt super eius vi Plutarchus disserit, commanducata hederæ folia ebrietatis speciem quandam repræsentant, & procliues ad furorem mentes incitant.

FVROR POETICVS.

ATQVE hinc demùm existimant eruditissimi viri coronas hederaceas Poëtis attributas, siquidem motus ille diuinitùs fit, vt author est Plato, quo Poëtarum mens concita, imagines rerum tot supra naturam concipit, & ea interdum mysteria scriptis mandat, quæ paulò pòst ipsi abeunte furore vix intelligunt. Vnde non immeritò excludit sanos Helicone Poëtas Democritus, eosq; tantùm admittit,

-----Quos cantor Apollo
Non patitur versare lutum, sed ad aurea cœli
Limina sublimes Iouis omnipotentis in aula
Sistit, & ætherei monstrat commercia cœtus,
Ambrosiámque libens nectárque propinat, & illi
Magna canunt afflante Deo, mortalia ponunt
Nubila, quæq; Deum in penetralibus abdita cernunt.
Adq; vbi iam sese redière insomnia mente
Attonita repetunt, & quæ inspexère reposcunt,
Et plerunque suas non percepère Camœnas,
Vsque adeò humanus præstant cœlestia rebus.

F

DE SMILACE.

QVONIAM verò Milax, vt vocabulo vtar Æginetę, quadam cum hederæ foliorum viticísque similitudine ita congruit, vt ea multi magno cęremoniarum errore pro hedera vsi sint, ignorantes funestam esse, & omnibus sacris & coronis infaustam, ideò visum est in hoc hederæ commentario eam dissoluere ambiguitatem. Quatuor enim distinguitur speciebus: arborea vna, quæ nostris taxus est virgulto assimilis: altera, sed aspera & spinosa, surculis, ramis, pediculis, & foliis paliuri instar hamatis, labruscæ propemodùm racemis prædita, quam Venetiis in semotioribus Lignipedũ hortis in pergula surrectã aspexi. Hederæ aliæ duæ propiores, quarum

Hederæ species quatuor.

A quarum vna Lævis, altera Hortensis appellatur, sed vsque adeò sibi inuicem assimilatæ, vt vtramque plerique vnam tantũ speciem existimarint. Siliquis hæ lupinorum tunicas magnitudine adæquantibus fœcundissimi, in quibus grana ad faseolorum similitudinem renunculorum figuram referentia delitescunt, presiora in aliis, in aliis torosiora. Colorum multa varietas, in aliquibus lutea, in aliquibus purpurea, nigra alia, alia variegata ex nigro & albo, surculo in omnibus iunceo ad admirandam altitudinem excrescente: foliis propemodùm hederaceis, nisi quòd hederis vnicuique singula, his passim trina, hederæ tenacia, & perpetua, & lævore quodam placida, his asperiora debiliáque, & cum vento simul interdum abeuntia, Autumno prorsus decidua.

FVNESTVM.

FLOS harũ coronis intextus funestum habet hieroglyphicum. Florem verò ferunt violis admodùm similem, colore in aliis candido, in aliis punicco, in aliis etiam subpallido, ex quibus lugubres coronas fieri Plinius attestatur, infaustósque esse dicit omnibus sacris & coronis, causamq; affert, ob crocum in eam herbam amore smilacis conuersum: quam quidem fabulam Naso IIII. Transmutationum libro, vnico eo versu tangit:

Et crocon in paruos versum cum smilace flores.

De qua quidem fabula cùm nihil aliud extaret, nos olim de cultu eius herbæ viticulive iustum opusculum hexametris cecinimus, fabulæq; totius argumentum explicuimus. Idem Plinius ait: *Vulgus ignorando, hanc, hederam existimando, festa sua polluère.* Nam & Poëtis, & Libero Patri, aut Sileno, Smilax iam pro hedera sacrabatur ab iis, qui omninò quibus coronandi essent ignorabant. Legumen hoc diu nostris regionibus ignotum, nunc nuper allatum è Sicilia Romam, multorum
B hortos tota iam Italia cœpit multiplici fruge fęcundare. Oblectat mirificè fructus tum lepida colorum varietate, nitoréque gemmarum instar arridentium, tum opere topiario surculus, qui foliorum sylua densissima in metas erigitur altissimas, & muris applicata paucorum dierum spatio ad celsa quantumlibet ædium fastigia prorepit, turres exuperat, nullius arboris proceritate superatus. Ideóque in spatiosas scenas latissimáque tentoria, quo præcipuè anni tempore magis expetuntur, mirabili pampinorum feracitate contexitur. Tum cibus leguminis non, vt multi tradunt, abominabilis, sed gustu gratus atque suauis: nam & discussus à tunicis, & cum teneris adhuc siliquis aqua incoctum, lautis etiam cœnis apponitur. Quam verò Medici damnant, fortè trachea illa est, paliuri spinis prædita, quæ racemulos quosdam ad instar labruscæ producit.

DE AMYGDALA.

QVONIAM verò, nobilissime Hieronyme, spem eam quã de præclara ista indole tua optimam omnes conceperant, vel ante tempus explere, tam in bonarum artium studiis, quàm in insignium morum elegantia iam dudum occępisti, Amygdalam tuum esse hieroglyphicum animaduerti: ea enim arbos anta alias omnes floribus induta, non suæ tantùm spem ostentat opulentiæ, sed & aliarum frugum annum feracem pollicetur. Vnde Maro cùm videret eam primam omnium florere, nihil vel Ianuarij rigore deterritam, ex florum eius multitudine lætæ identidem fęturæ spem in frumentis concipere nos posse monet, his versibus.

Contemplator item, cùm se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes,
C *Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,*
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.

Quòd si spes, vt Speusippus Platonicus definit, est expectatio boni, velut è conuerso metus animi concitatio in expectatione mali, sicq; floribus inspectis vsum inde fructuum expectare solemus, nulli dubium erit quin flos sit futuri boni prænuncius, & frugem paulò pòst succrescentem polliceatur: nam & Themistius iucundissimam floris speciem fructuum prænunciam esse dicit.

IVVENTVS.

ADhæc flos omnis iuuentutis habetur hieroglyphicum: iuuentus autem omnis semper spei plena, cùm senectus contrà omnia desperet: siue hoc accidit iuuenibus ex exiguo rerum vsu, senibus verò ex irrita multorum votorum experientia: siue quia iuuenes natura vegetiore, quæ cupiunt ardentiùs futura etiam sibi proponunt, spémque impendiò pascunt, senes debilitate confecti, præ timore etiam cùm assecuti sunt, diffidere videntur, ideóque bonis minùs gaudent. Alij dicunt æquiùs ideò sperare iuuenes quàm timere, quia spes est de futuro tempore: in senibus autem multa memoria residet, ac earum præcipuè, quæ spem plurimam eluserè, tum autem memoria ipsa spe quodammodò contraria constituitur.

Iuuẽtus spei semper plena.

SENECTVS.

PORRÒ senectus, quæ sese hîc obtulit facit vt ad amygdalã rursum reuertamur, eius siquidẽ hieroglyphicũ in Diuinis literis accipitur pro Canitie, quę manifestũ est senectutis indicium. Amygdala autem potiùs quàm alia quæpiam ex plantis, quia, vt etiam ex Maronis descriptione vidimus, arbor nulla densiorem florum vbertatem reddit quàm Amygdala. Locus autẽ est in hanc sententiam

sententiam apud Salomonem ad calcem Ecclesiastæ: *Florebit amygdalum, & pingueſcet locuſta, & diſſipabitur capparis, atque hæc incæptabunt, homine iam in domum æternitatis ſuæ profecturo:* hoc est, vt apud Eucherium, canescet homo, tumebunt pedes, & concupiscentia frigescet: nam hæc plurimùm homini in postremo vitæ tempore accidere consueuerunt, vt inde in terram, quasi in æternitatis suæ domum redeat. Proculdubio autem indicium appropinquantis mortis est, cùm canis caput albicat capillis. Mitto illud quod D. Hieronymus notat, quosdam interpretari per amygdali florem sacram spinam, quòd decrescentibus natium carnibus spina succrescat, & floreat: nam & hoc & illud senij est.

CONTINENTIÆ FRVCTVS.

APVD Hieremiam primo capite, vbi se is virgam vigilantem videre asserit, Theodotio reddit amygdalinam. Vnde colligitur, amygdalum castioris hieroglyphicum esse temperantiæ: nucem enim eam videmus amarissimum habere putaminis corticem, testaq; lignea, eáque durissima cingi, amaritie corticis difficultatem indicante, integumenti duritia virtutem ipsam: fieri autem vt cùm putamina illa & amara & dura summoueris, fructu fruare suaui admodùm & delicato. Sic continẽtiæ castigata coërcitaq; custodia, amara primùm videtur, perdifficilis & ab omni delectatione remotissima, sed ex qua fructum colligas dulcissimum suauissimúmque: ait enim Hesiodus, virtutis radices amaras esse, fructus verò suauissimos.

DE NVCE IVGLANDE.

NVPTIÆ.

E

AB amygdalo ad nucem iuglandem transire non incongruum, cuius est hieroglyphicum, vt nuptias præ se ferat. Credidêre multi, ait Plinius, quia nuces cadendo tripudium sonumq; faciant: qua de causa dictum illud, *Sparge marite nuces.* Sed verisimilior causa est, quam ipse comminiscitur, ob integumentum duplex, puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis, quali propemodùm operimento fœtus muniantur.

CAPPARIS.

Capparis Hebræis Auion.

VT verò & Capparim absoluamus, super eo multa & varia tam Hebraici interpretes, quàm Latini & Græci commenti sunt, dum Hebraicam vocem, quam nos Capparim dicimus, illi AVIONA, modò amorem, modò desiderium, modò concupiscentiam, & his similia elocutionibus suis circunscribunt. Sed qui diebus nostris scripsêre Capparim libidinẽm perfrigerare, hoc loco, teste eo, decepti videntur, quòd minùs animaduerterunt Salomonem id notare voluisse, cessare tunc libidinis ardorem, cùm Capparis nulla esse cœperit: id enim apertè signat, *Dissipata fuerit*: perinde ac si Græci per fabulas suas philosophentur, tunc ardorem Leandri gelidis aquarum fluctibus superari, cùm primùm Herus lucerna fuerit extincta.

PIERIVS VALERIANVS DE FVNESTIS ARBORIBVS, ET CORONIS ALIQVOT, F

Ex Sacris Ægyptiorum literis, ad Laurentium Granam.

LIBER LII.

LVCTVOSISSIMO *illo die, quo Celsi Melini iusta, Academia vniuersa deposcente, peruetusto maiorum ritu celebrauimus, memini te (facundissime Grana) dum funeris apparatus instruebatur, multa de me quærere super funestarum arborum significationibus, quòd nonnullam huiusmodi rerum inquisitioni operã dare me non ignorabas. Tuq; meminisse debes pauca admodum ea fuisse, quæ mihi tunc, tanti ac talis amici casu consternato, memoriæ succurrissent, tum quòd eò totus conuersus eram, vt quæ multa in præcepti iuuenis desiderium à doctissimo quoque conscribebantur, sedulò colligerem, collectáque publicarem: tum quòd nolebam eo tempore te nugis meis occupare, studiorum tuorum socium laudare meditantem. Quem quidem tu non laudasse tantùm, sed diuturniori, vel æternæ potiùs vitæ visus es mihi restituisse. Dignus quidem Celsus, qui tam eruditum, támque elegantem funeris sui laudatorem sortiretur. Dignus tu quoque, qui de iuuene tam præstanti, tam docto, tam probo verba faceres, quamuis id lætiori argumento factum omnes maluissemus. De qua quidem oratione tua multa alij præclarè prædicant: nos exuperasse te & nostram, & omnium expectationem, qui de te optima quæque conceperamus, verissimè profitemur. Tibi verò an ego responsurus sim in iis quæ percontatus eras, adhuc ambiguum est mihi: curaui tamen, vt si quid per diligentiam assequi possem tuam, me flagitationis memorem fuisse comprobarem. Itaque Cupressum, & Pinum, & Populum, & pro*

A *pro corona Similacem, & quædam alia, quæ funesta sunt, perquisiui, de quorum significatis commentariolum hoc ad te conscripsi. Illa verò meminisse debes, cùm de coronis quæreretur, quibus cenotaphium cingeremus, respondisse me, ex Salice, ex Moro, ex Caprifico & Loto demùm serta contexenda. Ex Moro, quoniam senilem prudentiam tam iuuenili ætate præ se ferebat. Ex Caprifico, quia cupiditatibus omnibus, quas innumeras ea ætas afferre solet, ipse iugum imposuerat. Ex Salice, propterea quòd summa erat adolescens continentia præditus. Ex Loto, ad diuinum eius ingenium, & omnifariæ doctrinæ studium: quorum quoque omnium rationes poteris ex hoc libello nostro cognoscere. Sed enim in his nihil fortè nouum tibi, gratam tamen futuram spero industriam, quæcumque esse potuit, meam, quòd non contanter satis amico facere procurarim. Esto igitur apud te nostri hoc amoris qualecumque monumentum: neque id horrori sit quòd feralia donamus, vtpote qui Philosophus non minùs rerum fines, quàm ortus progressusq; sis contemplari solitus. Sed iam quid hæc sibi lignorum strues velit, inspiciamus.*

DE CVPRESSO.

CVPRESSI significata apud Horum nulla sunt, apud Latinos & Græcos pleraque memorantur.

POLLVTVS MORTE LOCVS.

ATQVE illud in primis, quòd pollutionis, aut incestati de alicuius morte loci, aut funeris signum fuit, feralique illi apud omnes cognomentum: quia cùm minimè recidiua sit, humanæ conditionis sortem referre videatur. Quamquam Herodotus vnam solámque Pinum ex arboribus recisam minimè repullulare tradit, essêque, vt ipse ait, πανόλεθρον. Nimirum animaduerB terat homo multæ diligentiæ, recisam Cupressum in Creta beatiore insula repullulare, quod de Pinu nusquàm obseruarat.

CRETA.

QVONIAM verò Cretæ id præcipuè concessum, vt renascentes, quæ præsectæ fuerint, Cupressos videat, nonnulli Cretam per eiusmodi arborem significari tradiderunt, non aliter. *Palma pro Iudæa cur.* quàm Palmam pro Iudæa poni in Vespasianorum numis obseruatum: Palmæ siquidem & lætiùs & frequentiùs in Iudæa proueniunt, quàm vsquàm alibi. Cupresseta porrò Gnosiorũ celebrat Plato, in quibus æstiuo die de legibus commentatum à Megillo & sociis tradit. Non immeritò autem *De Cupressi prodigiũ.* magno habitum ostento, cùm arbor Cupressus altitudine conspicua in Vespasiani agro auito sine vlla vi tempestatis euulsa radicitus repentè procidit, ac insequenti die viridior atque firmior eodem vestigio resurrexit, grande, vt inquit Tacitus, prosperumq;, assensu aruspicum, & summa claritas iuueni admodùm Vespasiano promissa. Apud Plinium legas, vbi de prodigiosis arboribus disserit, arbores multas, sine tempestate, vllâve causa alia, quàm prodigij, cecidisse, ac sua mox spõtè resurrexisse, quæ fuerunt fausti ominis & ostenti. Sedenim ne nostra negligamus, vetustis rebus nimiùm applaudentes, in Mediceis ædibus quæ thermis Alexandrinis dirutis incumbunt, hoc *Medicæ arboris prodigium mirandum.* Romæ vidimus, quod huc inseruisse minimè fuerit importunum. Paucis admodùm antè diebus quàm Leo X. Pont. Max. moreretur, Medicam arborem, proceræ admodùm magnitudinis, sed magna sui parte in latitudinem ramos ad parietem affixam, vt perpetuo virore aũlęa, quæ dicuntur, facere viderentur, casu nescio quo, noctu solutis pergulæ compagibus ita concidisse, vt cacumine terram attingeret, & à porticu in xystum prodeuntibus præaltæ curuaturæ arcum exhibeC ret. Subsecuta mox clarissimi Principis mors. Neglecta arbor, omni tunc familia aliis negotiis occupata. Creatur interim Hadrianus VI. Pont. Max. ab extremis vsq; Morinis in Italiæ ludibrium perquisitus. Insequitur statim ab electione, maxima hyemis inclementia, niues iuges, & in multos dies terræ, pertinacia Romano solo insolita, inhæsitantes, qualem tempestatem & niuium altitudinem, asperitatémque aëris nemo quantumlibet natu maximus Romæ se vidisse profitebatur. Sæuiit ea hyems in citrios lucos, & viridia omnia, Medicis arboribus consita perstringit, & ad radicem vsque aduritomnésque illæ huiusmodi arborum deliciæ, quæ Romæ plurimæ frequentissimæq; erant, auferuntur: sola è nostris illa obseruata incolumis, quæ ante Leonis obitum prociderat: ac omnis ille ordo, qui ad eundem parietẽ adhęrescebat, minima iactura læsus, cæteris omnibus ad repullulationem succisis ad imum caudicem. Quòd si altero vix anno completo Clementem VII. Leonis præmortui fratrem patruelem ad Pontificatus fastigium euectum vidimus, cur Medicam illam arborem in eius ædibus, & inclinatæ fortunæ deiectam, & felicissimi successus, ab hyemis tam horridæ sæuitia seruatam, fuisse prænunciam affirmare vereamur?

SEPVLCHRA NOBILITATIS.

SVNT qui Cupressum funus quidem & sepulchra, sed non nisi nobilitatis significasse contendant: quod & Lucani testimonio confirmatur, ita dicentis,

Et non plebeios luctus testata Cupressus.

Sanè Thucydides libro Historiarum secundo, arcas fuisse dicit ex Cupresso, in quibus eorum ef- *Arcæ ex Cupresso.* ferrentur ossa, qui pro salute patriæ mortem oppetere non dubitassent. Huius autem instituti, vt Cupressus defunctis accommodaretur, principium nonnulli ad historiam referunt: aiunt enim Asclepiadis authoris grauissimi testimonio, Boream Celtarum Regem cùm filiam Cyparissam nomine

nomine amisisset, arborem hanc in eius tumulo seuisse, à qua inde nomen inditum Cyparisso: D mox à satu illo luctuosam feralémque haberi cœptam.

MORS.

Seueri Imperatoris exitus.

NAM & in ostentis mortis indicium fuit, quod tum aliis euentis, tum Imp. Seueri casu comprobatum est, cùm Aethiops quidam clarè inter scurras famæ, cum corona è Cupresso facta illi obuiàm processisset: quem cùm ille iratus remoueri ab oculis præcepisset, coloris tactus omine, respondisse ille dicitur, *Totum fuisti, totum vicisti, iam Deus esto victor.* Paucis verò post diebus Seuerus est vita functus. Quod verò pertinet ad colorem, fertur & Hadrianus Imp. ex Mauri occursu extrema sibi iam ingruere concepisse.

DIS.

CVPRESSVS porrò in tutela Ditis Patris, & eius arboris rami sepulcris affixi, adsculptíve, Dis Manibus commendari defunctos indicant. Atque hoc est quod apud Horatium legas, arborem nullam hominem ad inferos sequi, præter inuisas Cupressos.

IVNO.

Simulacra ex Cupresso.

EX ea autem arbore simulacra Iunoni Reginæ fieri iussa, in plerisque prodigiorum expiationibus obseruatum: vt Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Coss. Cupressea simulacra Iunonis Reginæ posita per virgines viginti septem, quæ Vrbem lustrauerunt.

ORPHEVS.

ET in Lebethris Orphei simulacrum ex Cupresso cultum, quod cùm Alexandri temporibus sudorem multum emisisset, omnibus eo prodigio perterrefactis, responsum est ab Aristandro viro sapiente, bene sperandum, siquidem quod nunc opus Alexander aggrederetur, ob rerum E gestarum magnitudinem maximum esset sudorem & laborem Poëtis, ac Musarum cultoribus allaturum.

PVLCHRITVDO SINE FRVGE.

INDICAT etiam Cupressus rei cuiuspiam sublimitatem atque pulchritudinem, ex qua tamen nullus percipiatur fructus. Quare Phocion, cùm Leosthenes Athenienses in bellum impulisset, magnáque spe ad libertatis & principatus nomen erexisset, illi us verba dicebat Cupressis esse similia, quæ cùm proceræ admodùm sint & pulchræ, fructum tamen non habent. Cessit inde res in prouerbium κυπαρίττου κάρπος, de re speciosa quidem visu, sed prorsus inutili. Spectatu quidem iucunda est Cupressi proceritas, effigiésque illa metas imitata, fructu tamen superuacua est, baccísque torua, diceret Plinius.

PERPETVITAS.

Diis simulacra ex Cupresso cur fiebant.

CVR verò Diis simulacra ex Cupresso fieri solerent, in causa est materiæ perpetuitas, odorisq; suauitas, quæ perpetui thymiamatis loco esse videretur. Cupressum enim neque cariem, neque vetustatem sentire tradunt, neque temerè rimam aperire, vllaue parte fatiscere. Simulacrum Iouis in Arce ex Cupresso à condita Vrbe sexcentesimo sexagesimoprimo anno dicatum, tempore adhuc suo durare Plinius attestatur, qui quidem anni essent circiter CC. Plato leges publicas, acta decretaq; sacris monuit inferendas tabulis Cupressinis, quòd eam materiem ære perenniorem arbitraretur. Quantum verò pertinet ad odorem, Indi Cupressum inter aromata propemodùm venerantur.

DE PINO.

ET Pinum, mi Grana, non paruam habere cum Cupresso similitudinem, exploratum est. F

MORS.

Amaritudinis in sacris significatio.

NAM mortis ipsa quoque indicium est, de qua idem obseruatum vbique, arborem excisam semel minimè suppullulascere. Vnde Staphylus Poëta πεύκης τέρετρον, hoc est, *in morem piceæ* dixit. Et apud Homerum βελος ἐχεπευκὲς, lethale telum exponunt interprètes vetustissimi, quamuis alij ad solam referant amaritudinem & acerbitatem, qua sit arbor ea præcipuè prædita: quandoquidem amaritudo ipsa ita est morti affinis, vt vice versa mors interdũ pro amaritudine vsitatissimo mortalium sermone proferatur: neque hodie tantùm, verùm & apud vetustissimos hominum ita fieri solitum inueniamus. Nam IIII. Regum, cùm Prophetarum grex apud Elisæum esset, & eorum vnus egressus in agrum colocynthidas agrestes legisset, eásque conscissas in ollam pulmentariam parasset, neque eorum quisquam propter amaritudinem gustare posset, clamauerunt ad Elisæum dicentes, *Mors in olla est*: hoc est, tanta est pulmentarij amarities, quanta mortis est. Eodem modo, paucis antè diebus, cùm post raptum in cœlum Heliam, Hierichonta se recepisset, questi sunt eius loci ciues, aquas esse apud se pessimas, quas diuinitùs cùm dulces reddidisset, numinis dictum citauerat: *Sanaui aquas has, & non erit vltrà mors in eis.* Sed vt ad piceam reuertamur, Herodotum nonnulli carpunt, quòd solam piceam præfectã non repullulare dixerit, cùm & Cupressum, & alias quasdam plantas ipsi agnoscant, quæ idem patiantur. Sed quãtum ad Cupressum attinet, diximus nos Herodotum ad Creticã respexisse, quas repullulare cõstans fama est. De Pinu verò, quod Staphylus Pini more dixit, pro abolitione, excidioq; supremo, in memoriam

A riam adducit terribilem eam Cræsi denunciationem, qua per caduceatorem Lampsacenis interminatus est, eos vt Pinum exterere, nisi Miltiadem, quem per insidias ceperant, missum facerent. Cumq; Lampsaceni inter se quererent, quid illud esset, quod Rex se vt Pinum diceret extriturum, à grandiore natu, ciue edocti sunt, eam arborem semel excisam nunquã ampliùs suppullulascere. Quod illi excidium veriti, Miltiadem confestim è vinculis exemptum liberum abire permiserũt.

ISTHMIA.

ISTHMIACI quoque certaminis præmium Pinus erat. Neque verò Pinu tantùm, verùm etiam arido olim apio sacri eius victores coronabantur. Funestum enim esse etiam apiũ, suo loco docebimus. Quę verò apij corona Nemeorum victoribus dabatur, ex eo viridi texebatur apio, vt interpretes Pindari monuerunt. Erant verò Isthmia in Melicertę memoriam instituta. Et Pausaniæ ad- *Isthmia quid.*
huc temporibus Pinus apud aram Melicertæ germinabat, quem puerum à Delphino delatum expositúmque, Sisyphus rei miraculo motus in Isthmo sepelisse fertur, & certamen illud instituisse.

NATVRA.

NATVRÆ imaginem esse Pinum dicit D. Ambrosius, quippe quę semina à primo illo diuino cœlestiq; priuilegio accepta custodiat, partúsque suos quadam veluti annorum vice & ordine referat, neque nisi vi caloris admota excludat. Atque eadem ipsa nux flammæ speciem imitatur, lacunatis, in turbinem toris reticulato opere circumductis.

CYBELE.

B EODEM argumento & causa Cybeles Deæ symbolum erat Pinus: nam & ipsa Dea rerum omnium mater habebatur. Videre verò est numum, in quo caput Cybeleium est de more turri- *Numi cum capite Cybeles explicatio.*
tum, ab altera cuius parte corolla impressa est ex duobus ramis Pineis, intra quos literæ sunt ΣMTPNAIΩN. Vbi illud quoque adnotatione dignum, quòd litera Σ in eo numo figuram habet Latinæ aspirationis in latus prostratæ, ac solo proiectæ, Ⲥ. Hinc enim crediderim multa ea Græcorum vocabula, quæ apud eos à vocali incipiunt aspirata, per S à Latinis enunciata, vtpote qui aspirationem S literam esse arbitrati sunt. Sic ἑπτὰ septem, ἕρπω serpo, ὗς sus. Siue ea literæ Z nota fuerit, quòd veteres inscriptiones plurimæ Z pro S litera ponunt: vt, ZMYRNA Romæ in Diuæ Anastasiæ, & in Campo Floræ in Veientibus arce castri noui, OS SVIS ZMARAGDI: in foro Traiani, ÆMILIVS ZMARAGDVS, & innumera alia, de quibus Grammatici viderint. Per Hetruriam vetusta pleraque conditoria Pinum, insculptam habent, siue funerali argumento, siue quòd apud eos Cybele olim verè coleretur.

ÆSCVLAPIVS.

APVD Sicyonios Pinea nux Æsculapij symbolum habebatur. Nam & Pausanias author est, eum Deum cum sceptro, & nuce Pinea in manu altera, sculptum esse.

DE POPVLO.

ACCEDIT his Populus, multæ & ipsa apud antiquos venerationis, quamuis inter infelices damnatáque religione recenseatur: quo in numero sunt omnes, quę neque serũntur, neque fructum ferunt.

FVNVS.

C EA quoque apud aliquos inter ferales habita. Nam apud Rhodios ludi funebres in honorem Tlepolemi celebrabantur ab impuberibus pueris Populo coronatis.

TEMPVS.

PER eam tempus etiam indicabant, propterea quòd arbor ea bicoloribus sit foliis prædita, ex quo præcipuas ipsius temporis partes, quippe diem ac noctem referre videatur. Ideoq; Probus Herculi dicatam ait, quòd Physici tempus per Herculem interpretantur. Quinetiam hoc habet Populus commune cum tempore, quòd eius folia post solstitium circumaguntur: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum, ait Plinius. Sunt verò & aliæ arbores, quæ foliis bicoloribus variæ conspiciuntur, vt salices, oleæ, citri: in illis tamen color penè idem, licèt ab vna parte dilutior, ab altera densior atq; coloratior habeatur. In Populo verò, hac præsertim quæ alba nuncupatur, nam ea est Alcidæ gratissima, vt Maro, & in eiusmodi accipitur significatum, candor ex vna parte penè niueus ac cerussatus, ex altera porracei folij instar viridissimus. Narrant nonnulli fabulam, Herculem cùm ad inferos descendit, eius arboris coronam gestasse, atque eam foliorum *Fabula.*
partem quæ foris conspicua erat, fuligine tetri chaûs obscuratam, quæ interiùs condebatur sudore ablutam candidiorem euasisse: inde cùm furcúlos eos in Acherontis ripa seuisset, seminium id latè propagatum. Sedenim vt apud Pausaniam est, Hercules Populum albam ex Thesprotide regione iuxta Acherontem fluuium genitam ad Græcos transtulit, atque hinc locus fabulæ datus. Acheron enim Thesprotidis fluuius leucem, quę alba est Populus, passim fert, perinde ac Alpheus oleastrum, Asopus Bœotiæ iuncos, Menander myricas, Perseam Nilus.

DE APIO.

EX herbis verò ante alias omnes maximè ferale est apium. Neque tamen hîc ego contenderim, vtrùm Selinon atque Petroselinon idem sint, an aliquid inter se dissideant, quam prouinciam sibi doctissimi hac ætate viri suscepêre, satis habiturus, si, quę ad hieroglyphica quomodocumque pertineant, significata commemorauero.

NEMEEVS VICTOR.

Nemea certamina.

HOMINEM apio, verùm eo viridi, coronatum, Nemeeorum victorem significare magis vulgatum est, quàm vlla indigeat repetitione. Quodq; ea certamina in Archemori, ita ab Amphiarao vocitati, celebritatem instituta essent: quamuis nonnulli dicant Herculem Nemeeo Leone domito certamen id sacrauisse, cuius pretium apium esse voluerit. Ideóque Leonis herbam apium appellatũ, de qua Pindarus Nemeis Alcimedæ Æginetæ, *βοτάνα τένιν ποθ' ἁλεόντ@ νικάσαντι*. Historia tradit herbulam huiusmodi ex Archemori sanguine progenitam. Alij volunt inde Leonis herbam dictam, quòd apium in Nemea lętissimè vulgóque proueniret, qua Leo ibi versatus affluenter admodùm pasceretur.

LVCTVS.

NIMIRVM igitur apium luctus indicium est, quãdoquidem herba ea, vt Pindari interpretes aiunt, est inferis sacra, luctuiq; dedicata. Nam, vt Græci authores prodidêre, terrestre admodùm est: effunditur enim libenter humi, plurimumq; occari gaudet, vt solo propinquius adhærescat. Satum eius semen, vt aniculæ nostræ fabulantur, ad inferos proficiscitur, priùs quàm enascatur. Orta inde fabula, quòd ob soliditatem atque duritiem, qua præditum est, aliquãto diutius quàm alia intra terræ viscera morari videatur. Itaque mortalis Opheltes, qui mox Archemorus, terreno fuit honore decorandus: ex quatuor enim illis insignioribus certaminibus, Olympiis, Pythiis, Isthmiis, Nemeis, vt Archias:

Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Sunt duo mortali, sunt duo sacra Deo.

Mortales Archemorus, & Melicerta, qui & Palæmon: Dij, Iupiter & Apollo. Præmia, Apollini Laurus, quæ pomi etiam nomine nuncupatur, ob grandiores baccas, quas Laurus Delphica producebat, vnde coronæ illæ decerpebantur, de quo vide apud Lucianum. Ioui oleaster, Palæmoni pinus, aut aridum apium, viride verò Archemoro, olimq; olea. Minimè verò prætereundus hic locus est, ad vtrumq; significatum funeris & victoriæ optimè accommodatus: quippe cùm Timoleon copiarum Græcarum dux, audito Bomilcaris & Asdrubalis Carthaginensium aduentu, qui classe bene magna comparata missi fuerant ad Græcos tota Sicilia pellendos, ipse cum quinque tantùm peditum millibus, & equitibus mille, hostibus occurrere statuisset, profectusq; Syracusis cùm ad Crinisium amnem, quò sciebat hostem venturum, processisset, factus est obuiam mulis apium ferentibus: perterrefactis omine militibus, qui apio sepulchra coronari non ignorabant, quem morem Plutarchus in Symposiacis enarrat: vulgatumq; erat inter Græcos adagium, incurabilem valetudinem apio indigere. Imò, inquit Timoleon, Coronæ vobis vel ante victoriam offeruntur, ad id scilicet alludens, quòd Isthmiis victores apio coronabantur: dictumq; euentus comprobauit, Carthaginensibus postridie victis profligatisq; maiore suorum ciuium strage, quàm vnquam anteà passi essent, insignię; ac memorabili victoria Timoleonti acquisita. Sanè plerisque in antiquorum monumentis, & in adsculptis cantharis atq; carchesiis, apium obserues, quippe mortis atque luctus indicium. Eo autem sepulchra, & alia mortuorum cõditoria substerni solita, priusquàm cadauera inferrentur: eaque de causa cùm veteres in conuiuiis omnibus ferè aliis coronamentorum generibus vterentur, flores & herbas omnes huc admiscerent, vno in primis apio, vtpote quod nihil ad hilaritatem faceret, abstinebant.

Tim leõtis cum Bomilcare & Asdrubale pugna.

DE MYRTO.

EST & Myrtus inter funestas arbores adnumerata, qua Thebis qui vincerent Iolea, coronabãtur, de qua Pindarus in Isthmiis, *ἔθα λόχοθε κάρυξα μύρτοις ὁ δ' ἀνήρ*. Fuit autem Iolaus heros apud Thebanos diuinis cultus honoribus, ad cuius tumulũ Iolea ludos celebrabant, & huiusmodi coronam ex Myrto præmium instituerant, propterea quòd, inquiunt interpretes, funebris esset arbor. Verùm cùm lõgè plura sint ab ea & genij & voluptatis significata, inter funestas has Myrtum prorsus inserere noluimus, sed eam cum lætioribus, Rosa, Hedera, & quibusdam aliis conuenientiori loco pangendam existimauimus.

DE SALICE.

POSTEA verò quàm iusta iis, qui præclaro fuerunt ingenio, ritè persoluimus, tẽpus est vt ad lætiora conuertamur argumẽta. Promiseram enim superioribus diebus (Grana) tibi, priusquàm funus hoc incideret, de Salice, de Moro, de Caprifico, de Loto, quæ deducta essent hieroglyphica præscribere. Ea igitur in hunc modum disponemus.

VINCV

VINCVLVM.

SALICEM in primis esse vinculorum symbolum, tum ex quotidiano eius virgulti vsu manifestum, ad id enim plurimùm comparatur: tum Diuinæ etiam literæ attestantur, cùm Iudæos dicunt patriis abductos sedibus, miserrimo Babylonis incolatu organa sua in salicibus suspendisse, de quo paulò pòst.

CASTITAS.

QVOD autem nonnulli aiunt salicem castitatis indiciũ esse, tametsi de ea nihil Ægyptij, non incongruè tamen confictum est, siue sit propter vinculi significatum, quòd eius materia sit plurimùm apta vinculis, atq; ideò coërcitionis indicium sit: & castitas ipsa modò zona, modò campestri, modò alio atque alio vinculo coërcenda præcipitur. Siue sumptum ab Amerina salice, quæ lectis accubitisq; imposita, castitatem inducit. Siue ab eo, quod plerique authores tradunt, folia huius arboris contrita & pota, intemperantiam libidinis efficaciter frænare: sæpius verò sumpta, vsum in totum auferre. Vnde Homerus sapiẽter salices *ὠλεσικάρπους*, nostri veteres *Frugiperdas* appellarunt, vel infructuosas, cuius scilicet semen in potu acceptum efficit ne conceptus subsequatur. Sanè Porphyrius in iis, quæ circa Homerica philosophatur, salicem ab eo *ὠλεσίκαρπον* vocari tradit, quòd semen priùs quàm maturescat abiicit. Sed idem ea potiùs de causa dictum putat *ὠλεσίκαρπον*, quòd semẽ illud, siue fructum appellare quis malit, ex vino propinatũ sterilitatem faciat seminali omni vi protinus labefactata. In Diuinis porrò literis, vbi iubetur populus Dei tabernaculorum festa celebrare, quippe in tentoriis omnes habitantes Palmarũ ramos, ac frondes salicis manibus prętendere, nimirum per salicem continentiam intelligimus. Idq; volumus admonitum, apud Orig. homil. 9. super Exodum, in qua de tabernaculo agitur, eo loco in damno esse impressos codices, vbi legitur: *Arbor autem populi & salix, virgulta sunt castratis*, vbi dubio procul legendum est, *virgulta sunt castitatis*. Fortè autem non temerè id scripsêre aliqui, credentes saligna corona coronandos eos, qui iuxta Esaiæ dictum, *quasi salix super fluentem aquam oriuntur*. Neque alia de causa crediderim apud gentes lasciuissimo, quem fingunt, hortorum custodi salignam falcem adhibitam, nisi vt Veneris pruritum, & impudicas cogitationes castitatis falce resecandas admonerenmur.

Salices cur frugiperdæ dictæ sint.

STERILITAS.

SALICEM porrò sterilitatis hieroglyphicum intelligi voluerunt, Maronem secuti, qui salicem inter infœcundas memorat plantas: vbi Seruius semen salicis esum infœcunditatem ait mulieribus gignere, quippe qui apud Plinium legerat, semen salicis mulieri sterilitatis medicamẽtum esse. Sed enim qui Maronem aiunt eam infœcundã appellasse, quia semen non habeat, nõnnulli salices habere in foliis grana quædam, quibus vis seminis ineat, vt eo commisso terris arbor surgat tanquam sarculo defosso, vel æquè ac si de semine pullularet. Sciendum tamen eam ocyssimè semen perdere, quippe quòd ante maturitatem in aranęam abeat. In Creta tamen insula fructum ad maturitatem ferre perhibetur.

Salicis semẽ inutile.

OTIVM.

EVTHYMIVS vbi, quod superiùs attigimus, legitur, *In salicibus suspendimus organa nostra*, per salices otium interpretatur, propterea quòd arbores hæ sunt infœcundæ, quippe sine vllo vtili, vt dictum est, semine. Nam cùm Iudæi in eam tracti captiuitatem prope Babylonis flumina desedissent, captiuitatemq; suam tantùm deplorarent, nihil habebant quod eos ad cantus hilaritatem inuitaret. Ignauam igitur per otia vitam trahere cogebantur.

PRÆMATVRVM INCREMENTVM.

SVNT qui per integram hanc & adultam iam arborem præmaturum incrementum, adolescentiamq; ante annos mira auctam proceritate, significari velint. Manifestum enim vnicuique est, quàm citò, quantaq; ramorum densitate constipata crescat salix. Hinc Verrius eam ita dictam interpretatur, quòd ea celeritate crescat vt salire videatur. Quamuis non ignoro sententiam hanc à Festo Pompeio irrisam, qui etiam id damnat, quòd non virgulti genus potiùs, quàm arborẽ eam appellarit. Sed hæc austera nimis est Grammatici censura. Leuitico feriis, quę xv. septimi mensis colligendis fructibus celebrantur, *salices de torrente* sumi præcipiuntur. Theologi pleriq; omnes hîc quoque per salicem castitatem interpretantur, moderatiq; coniugij continentiam, siue, vti superiùs dictum, propter vinculorum ex ea vsum, siue quia fructum non facit, veluti Eunuchi, quos viros vocat Euangelium, de quibus apud Esaiam: *Non dicat Eunuchus aridum se lignum esse, quia in domo mea dabo eis locum nominatum à filijs filiabusq;*. Mox attestationis loco subiungit: *Dabo inquam eis sempiternum nomen*. Quòd verò loco hoc positum est, *salicem de torrente*, sunt qui orationis & pœnitentiæ hieroglyphicum esse velint, vt eo identidem loco Psalmographi: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, cùm recordaremur tui Sion. In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra*. Orationes enim & quæ pœnitendo lacrymæ oboriuntur, indigent inuicem commisceri, de quibus Esaias: *Sicut salices super prætersluentes aquas*. Alij torrentem loco hoc pro præsentis vitæ decursu capiunt, in quo subita tot incommoda quotidie nobis ex improuiso ingruunt, qualibus Christus noster exerceri voluit, qui & ipse de torrente, qui secus hanc viam prætersluit, bibere non recusauit.

Pœnitentiæ hieroglyphicum.

DE MORO.

D

IN quibusdam arborum variarum commentariis, in amicorum quorundam gratiâ conscripsi, fortitudinem ex quercu, iustitiam ex palma, temperantiam nuper ex salice significari ostendimus. Nunc autem (Grana) quartam etiam his addemus Heroinam, quæ quidem prudentia est.

PRVDENTIA.

EAM per morum ex arboribus significari ex eo compertum est, quòd vna omnium prædicatione prudentissima censetur, vtpote quæ non vt multæ, properat, quæ vbi primùm lenioris mitiorisq; aliquantulum auræ spirauerit, erumpunt in germina, & flores exsinuant magna interdum strage, ob temporis inconstantiam. At morus ne pruina lædi possit, quam hostem sibi perniciosum agnoscit, non antè germinat quàm frigus penitùs fugatum esse cognouerit, atque ad amœnissima adulti veris tempora peruentum omninò sit. Addit hoc, quod rem properè conficit, & quod sapientis illius præcepto mandatur, τὸ παρὸν δῦ ποιεῖ. Vna enim ferè nocte tota germinat, fœtum celerrimè grandit & maturat, ne caloris etiam aduentantis iniuria lædi possit.

Morus quo tempore germinat.

DE CAPRIFICO.

TEMPERANTIA.

SEDENIM cùm salicem pro castitate posuerimus, quæ bonæ mentis vinculo vti zona coërcita sese probet, eamq; temperantiam etiam esse interpretati simus, cùm virtus hæc ad alias quoque cupiditates coërcendas, frenisq; atque catenis compescendas progrediatur, sitq; omninò temperantia, ex Ciceronis finitione, moderatio cupiditatum rationi obediens, E optimè videntur Ægyptij fecisse, qui virtutem hanc per Caprificum expressêre: ea siquidè collo Tauri quātūlibet lasciuientis alligata, animal ferocire minimè permittit, sed lasciuia eius atq; petulātia omni cohibita, eum obtemperantem reddit, neque quicquam sinit immodestiùs facere.

Tẽperantiæ finitio.

IVNO.

QVOD verò alicubi videas Caprifici ramũ simulacro Iunonis appositum, ea de causa factum quòd Nonæ apud Romanos erant Caprotinę nuncupatę, quibus, vt author Varro est, matronæ sub ficu Iunoni sacra facicbant, & ex Caprificо virgam adhibebant, nempè ob memoriam pudicitię seruatę, cùm Philotis ancilla Senatui suasit, vt pro matronis & virginibus, quas hostes dari sibi obsides petebant, ipsa cũ ancillis aliis habitu matronali cultæ submitterẽtur: cuius laudata sententia cùm omnes hæ secũ potiones meracas in lætitiæ signũ attulissent, conuiuiumq; simulassent, hostes lætabundi, comessatione & potu grauidi, post iocos quieti se dederunt. Hìc Philotis signum dedit ex Caprificо, per quam de mœnibus, vbi nata erat, propendentem irrepserat, Romani exciti impetum in dormientes faciunt, eosq; cædunt, & clade fœdissima fugant, potitiq; victoria, sacrum id instituêre, vt ancillę matronis æquatæ Iunoni, quã à Caprificо Caprotinam appellauêre, sacrificarẽt. Ad hoc sacrum respexit Ouid. cùm in arte dixit:

Philotis ancillæ sentẽtia laudabilis.

Porrige, & ancillæ qua pœnas luce pependit,
Lusa marítali Gallica veste manus.

F

DE LOTO.

INTER arborum significata nulli apud Ægyptios maior honos habitus quã Loto, mirificę omninò arbori, & quæ magnum cum cœlestibus consensum habeat, sitq; veluti nostrarum rerum ad superos internuncia.

ORTVS SOLIS.

ERAT verò Lotos apud Ægyptios sacerdotes exorientis primum Solis imago quædam, vbi infantem in ea residentem apposuissent: hinc vtiq; vapores illos matutinos, qui à Sole mouentur, strictiori quadam aura refrigerantes potiùs quàm adurentes intelligi volebant. Cæterùm Solis ipsius significatum, exortum quippe, Lotos indicat: idq; inde sumptum crediderim, quòd ea ante Solis emersum implicata folia habeat, quę quidem ita sensim exsinuantur aperiuntúrque, vti magis & magis tollitur iubar Solis: maximè verò panduntur, vbi medium Deus iter emensus est. Eodem verò decedente, folia ipsa vicissim contrahuntur, complicaríque incipiunt, ac insinuari, veluti nulli patêre velint quàm numini quod venerantur, atq; ita quibus liceat modis, eo abeunte sese intra claustra cohibeant. Quod, vt Proclus ait, obseruatum à Magis, vt nulla prorsus contatione sacram eam esse Apollini crederent, effecit.

Cur Lotos Solis ortum indicet.

VESTALIVM INITIA.

ERAT & Romę maxima in celebritate Lotos capillata, cui Vestalium virginũ capilli cæsi deferebantur, veluti puberũ adolescentium Apollini, vel Æsculapio eius filio. Græci verò fluminibus patriis cæsariem offerebant, illis eam dicabant, offerebantq;, quod quandam omninò cũ Loto rationem

A rationem alimoniæ præ se ferebat, perinde ac arbor ipsa felix cognominata, tum ea quã superiùs attulimus ratione, quòd Deo tã familiaris habeatur, vt sedes eius statuatur, tũ quòd irriguo semper solo pullule. Neque me fugit quas arbores Verranius dixerit felices, sed quæ ille scripsit, ad auguralem disciplinam retulit. Nobis hæc Ægyptiaca de ipsius naturæ vi satis fuerit desumpsisse.

DEI ADVENTVS.

VT verò ad Solis ortum reuertamur, minimè prætereunda est Memnonis statua sedens, nigro è lapide, quæ magna religionis celebritate in Æthiopia visebatur, in quam ducem ipsum posteaquam ab Achille confossus fuit, transmutatũ fabulantur. Erat ei diei aduenientis indicium, vt Auroræ filius maternum officium imitaretur. Eo autem artificio fabricata erat, vt Sol primo statim ortu radios suos in os eius eiacularetur, ac veluti plectrum aliquod ibi sonum excitaret, vocalíque significatione iam adesse Deum annunciaret.

Memnonis statua.

MVNDI MOLES PLENA DEO.

ALII mundi molem ex ea specie, Deumq; in eius medio compositum residentémque intelligere maluerunt. Interpretatur hoc Iamblichus ad Porphyrium scribens: commentúmque hoc ideò ab Ægyptiis excogitatum ait, quòd Lotos limosis præcipuè locis fructificet, sitq; in primis aquatica, quod veteres illi præcipuum generationis argumentum contendebant, qui Oceanum rerum parentem omnium dictitarent. Obseruauerant autem in ea demum omnia orbiculata & rotunda, quippe folia atq; poma, ex qua quidem effigie perfectissimaq; forma mentis actionem perfectioni intentam ostendi profitebantur. Deum verò infantili ætate, vtpote vnicum atq; perpetuum rerum omnium principium, nullo conficiendum senio, neque ipsum vlli ætatum variantiæ obnoxium, super actionem eiusmodi in seipso totum consistere, ac principatus reliquos exuperantem, sanctum, incorruptum, & vbique venerandum conquiescere. Nam diuinitatem ex ipso etiam sedentis habitu internoscebant. Sessum enim Deo in primis accommodabant, quem nulla vnquam potest inquietatio solicitare, commoueréve. Quin & sedentem Cynocephalum statuebant, cùm æquinoctij quietem æqualitatémque describerent, quæ quidem necesse est ibi sit, vbi nihil subsultat quod alterum inquietet, sed omnia firma, stabiliáq; in æquilibrio conquiescant. Quòd verò initio diximus infantem insidentem in medio Loti poni solitũ, obseruata sunt etiam ab Ouidio, apud quem mater ita loquitur 9. Metamorph.

B

Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici, nostraq; sub arbore sæpe,
Lac facitote bibat, nostraq; sub arbore ludat.

Sic infantem hunc videmus apud Poëtam in Loto sedentem figurari.

PIERIVS VALERIANVS AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. REGINALDVM POLVM CARD. DE IIS quæ per Oleam, Vitem, & Ficum significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

C

LIBER LIII.

FAMILIARIS *mihi tota vita mos fuit, optime clarissimeq; Reginalde, vt clarorum hominum, quos præcipuè colerem, moribus contemplandis non parum adhiberem studij atq; diligentiæ, vt scilicet qua quisq; parte excelleret, ea præcipuè commendaretur. Nam, vt optimè nosti, Deos hominesq; a partibus laudare Homerus instituit. Cùm itaq; qua tu in primis laude præstares mecum examinarem, perspiciebam, Vir rarissime, tria esse, quæ de laudum tuarum principatu inter se contendere videbantur. Hinc enim bonarum literarum, optimarumq; artium doctrina primum sibi locum asserebat: indè admirabilis ea morũ suauitas, quam & summa benignitas, & singularis humanitas comitabantur, doctrinam sibi cedere imperitabat. Vrgebat tertio loco pietas integerrima, vitæ moderatione conspicua, diuinarum rerum studio feruida, omnibusq; probitatis numeris absoluta: quæ licèt ab omni esset ambitione alieniſsima, nihilq; speciosum in propatulo iactaret, suaq; se virtute inuoluens, alienæ nihil opis indiga si vni sibi pretium esset, satis habere videbatur: quò tamen magis ab ostentatione aliena erat, eò admirabilior illustriorq; apud omnes euadebat. Quocumque me igitur animo & cogitatione conuertebam, ambiguus quam tibi præcipuè partem attribuerem, mecum aliquandiu dubitaui. Nam si tu cum reliquis & probis & literatis viris, quos tu semper vnicè liberaliterq; fouisti, ad mensam meam Aegyptiacam adhibendus eras, consentaneum videbatur, vt quam tu symbolam in talium conuiuarum sodalitium conferres agnosceretur, quiq; tuus esset nuptialis ornatus appareret. Sedenim animaduerti demùm nullam earum, quæ in te conspicuæ sunt, virtutum partem ab alterutrius societate disiungi. Quorsum enim doctrina, nisi qui per doctrinam mores comparantur, ita præsto sint, vt & doctrinæ laus moribus optimis adiuuetur, & mores ipsi doctrinæ firmamento innixi stabilitiq; fulciantur? Diuina verò illa pars vix apud illos vnquam illustris habita, nisi &*

mores & eruditio fidissimi comites accessissent, ad ruminationem enim bisulcæ etiam vngulæ quærebantur. Quæ tum in te omnia ita nimirum elucescerent, vt vel regiam ipsam sanguinis tui sublimitatem facilè superare putarentur, cognoui demùm te non à partibus, sed à toto celebrandum: quæ quidem omnia in vno apud te coniuncta eò nuc acciderunt illustriora, quòd hac fama impulsus Paulus III. P.M. spontè, te nihil tale cogitantem in sacrosancti Senatus Collegium adsciuit, non modò, vt virtutem ornaret tuam, sed vt tu quoque non paruo patribus esses ornamento: qui quidem nostræ pietatis partes, hoc præcipuè tempore labefactatas, tam acriter defendendas susceperis, vt multas sæculi nostri infectas labes tum authoritate, tum eruditione tua deterseris eluerisq;, tum exemplo vitæ laudatissimo optimi atque integerrimi Præsulis formam præbueris ad imitandum. Quoniam verò clientium mos est vt patronis ad huiusmodi honores euectis, eorum nomina gentilitiaq; insignia, corymbis, sertis, floribus, foliisq; honoratioribus redimita posteris quisque suis affigant, horum ego secutus ambitionem, sertum insignibus tuis ex olea, vite, atque ficu circunducendum instituì: ex olea, vt tuæ ea esset mansuetudinis & serenitatis indicium: ex vite, vt & meam & literatorum omnium lætitiam indicarem: ex ficis, vt tuorum inde suauitas morum ostenderetur. Sed enim quid hoc rerum sit, ex ipso iam Commentario apertius inspicias licet.

DE OLEA.

PAX.

RACIFICVM in primis Oleæ hieroglyphicum esse, tam apud Poëtas quàm Oratores vulgatissimum est, cuiusmodi illud est Maronianum:

Pacifera q; manu ramum prætendit oliuæ.

Et Aristophanes in Auibus, vbi Hercules legationem exponit à Deis se venisse, conciliandæ pacis gratia: atqui respondet Pistotherus, ἐλαιου οὐκ ἐστιν ἐν ληκύθῳ, *oliui in lecytho prorsus nihil.* τὸ γὰρ ἔλεος, misericordia dicitur, quæ quia contingit iis, quibus pax datur, olea apud Probum pacis est hieroglyphicum. Sed enim non à Græcorum fabulis, neque ab alienigenarum gentium commentis, sed diuinitùs, vel ab ipso ferè noui mundi primordio inesse oleæ pacificationis vim nobis demonstratum est. Diluuio enim cessante ab Noë columba emissa, quę præpeti volatu regionis aliquantulum circũlata, paulò pòst oliuæ surculum habens in arcam reuersa est: eoq; argumento lætatus Noes, sensit tempestatem diluuij iam tranquillatam, terramq; ipsam pacatam, & remittente inundatione iamdudum in emersu esse. Sed quid illud? Cùm ferrum, ferriq; vsus bello in primis inseruiat, & symbolicè pro bello ponatur, tantam inesse oleo vim, vt id emolliat, & ad feriendi vsum ineptum, & inutile reddat: siquidem fabri, qui ferrum lentescere & emolliri volunt, candefactum id oleo intingere consueuerunt.

DVRITIES EMOLLITA.

Odij compositi hieroglyphicum.

QVARE nonnulli mollitam esse duritiem hieroglyphicè significare si vellent, cultrum in aliquot oleæ baccas impactum facere instituerunt. Quod illi non seciore significato propemodùm simile est, quòd oleæ surculum querno ramo quidam implicare excogitarũt, immortalis odij dissidium compositum esse significantes, propterea quòd quercus & olea tam pertinaci odio dissideant, vt altera in alterius scrobe depactæ moriantur.

AGRICVLTVRA.

SVNT qui oleę ramusculum in Mercurij manu propter agriculturæ studium poni dicant, cùm ipse mitium & fructiferarum arborum sospitator habeatur, eumque honorem oliuæ potiùs, quàm alteri cuipiam arbori habitum, vt pro agricolatione poneretur, quia longè plures vtilitates ex olea desumuntur, quàm ex quauis alia fructiferarum arborum. Neque tamen desunt qui rem ad pacis significatum deferant, quòd ille rerum internuncius pacem feratur conciliare, de quo multa diximus in Caduci Commentario. Operæpretium verò est videre veterum monumenta, in quibus Olea insigne pacis vbique prætenditur. Nam in Hadriani numo quodam simulacrum habetur flexo genu, quod dexteram ipsi Hadriano stanti porrigit, lęuâ oleæ ramũ humero demissum tenet: dens læuo cubito lapidum tumulo innititur; dexterâ ramum oleæ habet: inscriptio, HISPANIA. quo ex argumento pacata quietáque prouincia subintelligitur. In eiusdem alio, signum est cum olea in læua, cum genio in dextera, quod fortè refertur ad augurium ex oliua, sorte sibi oblatum, vnde aspirare cœpit ad Imperium, sortibus Virgilianis fretus, cùm ei versus illi obuenissent:

Hadriani numus.

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta
Regis Romani, primus qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terrâ
Missus in imperium magnum.

Quibus quidem ramis oliuæ insignem Maro fingit Numam ab Anchise præcognitũ, cui ob iustitiam & integritatem nemo vnquam bellum intulit, ipse vltrò pacem semper fouit. Quocirca Hadrianus Imperio potitus æquè pacis studiosus fuit: expeditiones enim sub eo graues nullę fuerũt, bella etiam silentio penè transacta. In numo verò Seueri Pij Aug. togatum est simulacrum cum oleæ ramo, cuius inscriptio, FVNDATORI PACIS. Eisdem penè figuris in eiusdẽ Seueri Parth. max. numo inscriptio est, FVNDATOR PACIS. Quamuis verò vidisse iuuet in Maximiani numo

A numo simulacrum quod oleam prætendit, cum inscriptione, PAX AVGVSTI: illud tamẽ mihi magis arridet, quòd in numismate Philippi patris sigillum illud est oliuæ ramum tollens, cum inscriptione, PAX ÆTERNA.

FELICITAS.

QVOD verò olea adiecta caduceo felicitatis hieroglyphicum habeatur, multa veterũ numismata indicio sunt, quæ in ipsius Caducei Commentario continentur. Apud Pausaniam legas, Pacem gestare in vlnis Plutonem puerum pectori appressum, eo quidem significato quòd pax opulentiam alit, educátque: vbi verò opulentia, ibidem & maxima felicitatis pars, eaq; nimirum omnibus expetita.

CONDONATIO.

Oleæ in sacris hieroglyphica.

IN Diuinis Hebraicæ vetustatis monumentis oleum condonationis, veniæ, ac misericordiæ signum habetur. Et in Euangelica historia Assertor noster condonaturus adulterij pœnam mulieri, quæ rea agebatur à Pharisæis, ex oliueto in templum perrexerat. Et apud Athenęum non absimile, βωμὸν ἔλεε. quæ tamen omnia ex Hebræorum sacris deprompta sunt, quibus iubemur erustulum absque fermento, quod oleo sit irroratum, offerre Deo. Et alibi, *Vbi anima donum affert, similæ erit eius oblatio, fundetq; super eam oleum, & panes absque fermento conspersos oleo.* Et alibi oleum esse pro peccato legas, & huiusmodi pleraque, quæ omnia delictorum huiusmodi condonationem indicant: siquidem, vt Adamantius ait, *omnis anima eget oleo diuinæ misericordiæ, vt sospitari possit.* Hinc Hilarius ait super Matthæo, *Oleum fructum misericordiæ cælestis esse, propheticus quoque sermo profitetur.* Ergo cùm ieiunamus, oleo caput nostrum inungemus, bonis quippe operibus caput nostrum, id est, vitæ nostræ sensus ornabimus, quia intelligentia omnis in capite est. Iam, vt Hierosol. Hesychius interpretatur, ferè passim in Leuitico superfusum oleũ pro eleemosynis accipitur, vti thus, orationes, & preces interpretantur. Quod verò scriptum est, animam quæ peccauerit, offerre donum similam cùm oleo, virum nulla vel ingenij sublimioris, vel doctrinæ gratia præditum, sed vita tantùm hominem professum, alioqui vel mercaturæ, vel agricolationi, vel piscatui, aut militiæ, aut sellulariis artibus deditũ Cyrillus intelligit, qui simplicitatem suam, cuius simila est indicium, quærat Deo per oleum diuinæ misericordiæ cõmendare. Neque prætereundũ quod aliquorũ historiæ prodiderunt, Augusti temporibus è taberna meritoria trans Tyberim oleũ erupisse terra, totaq; die nulla intermissione fluxisse: quod forsitan ad ortum Christi, & eam quæ subsecuta est mortaliũ, quæ summa eius fuit misericordia, redẽptionem, & gratiã per omnẽ terrarum orbẽ lõgè lateq; diffusam, referri potest. Sunt qui defossi in terrã cadi defluuiũ illud olei fuisse dicant, cumq; apotheca, vbi vas conditum fuerat, in ripæ Tyberinæ summo margine sita esset, amphora casu aliquo vitiata liquorẽ: inde sibi viam aperuisse. Vtcunq;, maximi omninò ostẽti loco habitũ, eiusq; rei monumẽta longa annorũ serie posteritati cõmendata. Epopæus Thessalus, qui Coraci Sicyoniorũ Regi successit in Imperio, à Nicteo Thebanorũ Rege bello impetitus, cõmissaq; pugna graui accepto vulnere cùm victor euasisset, Palladi tẽplum erexit, qua rogata vt signũ aliquod ostenderet, ex quo an id gratũ deæ donum fore coniicere posset, aiunt oleũ spõte ante tẽplum fluxisse, simulq; Epopæũ haud ita multò pòst vulnere negligentiùs curato periisse. Ex Gentiliũ enim religione obseruatũ est, Deos tunc suæ in nos misericordiæ signa exhibuisse, cùm ex carcere corporis migrare iussi essent, id quod aliquot exẽplis declaratum est. Simile fuit in Cleobe atque Bythone fratribus iuuenibus, qui pietissimi erga matrẽ Iunonis deæ sacra petiturã, iumentis aliis deficientibus, vltrò ipsi iugum subiẽre, pro quorũ pietate merita à Iunone filiis dona mater cùm popposcisset, manè ambo inuenti sunt animã efflasse. Quod verò ad misericordiam & veniam imploratam attinet, quæ multis veterũ exẽplis per oleum significata fuerint, interpretari libet Ælij Lampridij locũ in Heliogabali vita: Sybaritas eo anno periisse, quo missum ex oleo & garo cõmenti sunt. quòd si quis ad cibi genus id, & ganeæ delicias referat, subfrigida admodũ causa videatur: sin ad oraculũ, cuius mentionem ex Stephano Hermolaus Byzantius facit, Ægyptiacũ aliquid, hoc est, eruditius oleat. Tunc quidẽ Sybaritas perituros oraculũ nunciauit, cùm maior olim honor mortali cuipiam, quã diis habitus esset: forteq; euenit vt seruus heri sæuitiam subfugitans, ad aras deorum confugiens, nihil profecerit: vt verò ad patris herilis monumentum se recepit, veniam implorarit, atque ita oleum garo, pisculento quippe ac perinde profano, vt in piscibus habetur, pulmentario, commixtum: condonatum quippe crimen profanæ rei gratia, posthabita diuina.

ELEEMOSYNA.

Epopæj religio.

PLVRIBVS verò locis olea in Diuinis literis virum probum indicat, qui misericordiæ præcipuè fructibus abundet, de quo habetur in Psal. *Oliua fructifera est in domo Domini.* Contrà oleaster minimæ frugis hominem, vel idololatram ostendit. Paulus: *Si autem tu ex naturali excisus es oleastro.* Tum lucernas in tabernaculo testimonij à vespere vsq; mane illucescere iubet Dominus, hoc est, iuge esse commiserationis opus. Nam Salomon, *Oleum*, ait, *de capite tuo non deficiat.* Coram Domino autẽ illa accendi debet, quia in abscondito fieri debet eleemosyna, & vni Deo tantũ innotescere, vt ignara sinistra sit quid fecerit dextra. Quòd mundissimũ esse vult candelabrũ, ostendit opus hoc tam piũ à colluuie ostẽtationis & hypocriseos abstersum esse debere. Aliter lucerna

super candelabro mundissimò posita semper in conspectu Domini, candelabrum Euangelica est D doctrina, in qua Christus virtutes, lucernæ instar, splendere præcipit, absurdum esse dicens sub modio eam occultari: oleum verò quod his lucernis infunditur, ipsa est eleemosyna, vnde ieiunium, virginitas, oratio, iustitia, & alia vitæ nostræ lumina irrigantur, & vt perpetua inextinguibiliq; flamma vigeant custodiuntur.

SVPPLICATIO.

IAM verò notum est illud, imbellem oliuam à Valerio Flacco quinto Argonauticῶn appellatam, de qua Statius non alia de causa dixit,

Ramumq; precantis oliuæ. atque alibi: *Vittatæ lauru & supplicis arbor oliuæ.*

Olea ramus cur à legatis gestabatur.

Ramus enim oleæ lauríve lana circumuolutus, manibus legatorum supplicantium gestari solitus erat: quo de more Probus Æmilius in Pausania. *Id postquam Lacedæmonij resciuerunt, legatos ad eos cum lana miserunt.* Maro quoque morem hunc tangit:

Optime Graiugenûm cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Quod quidem hieroglyphicum Seruius ad imbecillitatem indicãdam institutum putat: nam qui precantur, & supplicant, suam arguunt imbecillitatem. Ex lana verò velamentum id accipi solitum, quòd Oues alieno semper auxilio egeant. Hinc sacra illa ἐπιτέλεια, de quibus in Theseo Plutarchus: nam Theseus oleæ ramum sertis coronatum vouit Apollini, si Minotauro interfecto incolumis rediisset. Hinc ὀχοφορία, στυμφαλία, χυαναψία.

MANSVETVDO.

Deorũ simulacra cur ex Olea.

QVANTVM autem pertinet ad mansuetudinem, sunt qui illius ergô Deorum simulacra fabricari ex olea contendant, quasi benignitatem illam, qua superi sunt præcipuè præditi, ita ad vnguem referre videantur. Hinc apud Herodotũ Terpsichore, orta in Epidauriis sterilitate, consultum ab iis oraculum respondit, Damiæ & Auxesiæ simulacra ex olea erigenda. Non immeritò itaque sacra oleæ stirps apud Milesios tunc sponte sua conflagrasse dicitur, cùm illi inter se omne crudelitatis & immansuetudinis genus truculenter exercuissent. Aiunt verò oleo contra furorem tantam inesse vim, vt effusum in perturbatos vesanientis maris fluctus, tempestatem efficacissimè tranquillet. Hinc Ioannes Synæ monachus: *Velut vter oleo repletus fluctuum rabiem in serenitatis tranquillitatem commutabat.*

ÆTERNITAS.

ALII, quiligni naturam & soliditatem exploratam habebant, æternitatis ratione habita id fieri crediderunt: ea siquidem materies æterna est, quã neque tẽpestas, neq; caries, neque vetustas labefactat. Eadem non in muro tantùm obstrusa, sed & in substructionibus, & in terra obruta, & in aqua defixa, collocatáve, sempiterno propemodũ officio perseuerat incorrupta. Cumq; Maro dicat solũ ignem inimicissimum oleæ, quo si comprehensa semel fuerit, non à stirpe valere, non cæsam reuerti posse, atq; *ima similem reuiuescere terra*, illud Athenis admiratione dignum olim euenit, quòd eo tempore quo vrbs Medorum incendio conflagrauit, ea simul arsit olea, qua de lis illa inter Palladem & Neptunum orta fingitur: sed eandem aiunt eodem die in duorũ cubitorum mensuram excreuisse: author Pausanias, à quo nonnihil diuersus abiit Herodotus, Vrania. Atque hoc illud est, quod libro de Legibus ait Tullius: *Nisi fortè Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere poiuerunt.*

GYMNASIVM.

CORPORIS autem exercitationes, & gymnasij labores, per oleũ significari passim inuenies, quamquam non sum nescius Anacharsin Scytham oleum concitandæ insaniæ pharmacum appellasse, quòd Athletæ eo perunctι magis ac magis insanirent: putabat enim, aut putare se fingebat, eam oleo inesse vim, vt eo qui delibutus esset, inde ad certandi furorem concitaretur. Sed hæc vt Philosophus Anacharsis, qui tecto gauderet & vmbra, quiq; olei vsum apud Scythas suos nullum esse viderat. Cõtrà verò Epaminondas permolestè tulisse fertur multum olei se intra corpus recepisse, cùm eius coquus impensarum redderet rationem: *Maluissem enim*, inquit, *id extrà consumpsisse*, nempe ad exercitationes alludens. Idem apud Horatium significatum, vbi libro Carminum primo, Sybarim dicit amore perditum deliquescere: quærit enim cur is oliuum sanguine viperino cautiùs vitet. Et Attis Catulli galliambico ait:

Epaminondæ iocus per elegans.

Ego gymnasi fui flos, ego eram decus olei.

Neque quidem ad corpus tantùm, verùm ad mentis etiam labores & exercitationes propter vigilias & lucubrationes refertur: vnde dictum de studiosissimis nonnullis, plus olei quàm vini eos insumpsisse. Et ad alicuius veteris & præclari viri lucernam aliquid elucubratum, cùm eius imitationem exprimere voluerint.

NITORES.

QVOS verò λιπάθας vel Marci nostri, vel alterius cuiuspiam celebrari videmus, inde nitores quosdã & insperſa lucubrationibus fulgura quædã intelligenda, quæ splendidiorẽ orationem reddant. Id à balinearum vsu sunt qui deprõptum putent, quòd lecythi vsus eo potissimùm loco inseruiat, in quo oleum ad huiusmodi nitores & elegantias comparatum, infusum sit. Qui verò ad lucubrationes & vigilias rem deducunt, eas aiunt meditationi maximè commodas, & ad ex

A ad excogitandum propter silentium aptissimas. Epicharmi enim dictum est, si quid scitu dignum quæras, nocte meditandum: ἐν νυκτὶ γὰρ βελὴ τοῖς σοφοῖσι λέγεται. *Epicharmi dictum.*

VICTORIA.

AN verò ea de causa victoriæ hieroglyphicum per oleam indicari nonnulli prodiderint, quòd ex ea veteres trophæa cõstituere cõsuêrint, an quia victoribus ex oleastro corona plurimùm pararetur, in ambiguo est: dubio procul enim Olympionicæ oleastro coronabantur, vt Aristoteles, oleæ specie, quæ quidẽ ea de causa φιλοσέφανος appellatur: folia enim coronis huiusmodi dedicata, contrario quodam modo habent cum reliquis foliis, alia siquidẽ quod albicat interius claudunt, virori forinsecus patefacto: hæc verò intra se quod virile est insinuãt, quod candidum habẽt foras spectandum exponunt. Aiunt verò Herculẽ Pęoneum, Epimedem, Iasiumq; & Idam fratres, ex Ida Cretensi in Elidem delatos, ibíque Herculem, qui natu maximus erat, reliquis certamẽ fratribus proposuisse, victoremq; oleastro coronasse, quam plantam ipse ex Hyperboreis regionibus in Græciã detulisset: cuius rei meminit Pausanias, Olympia. Et apud Pindarum eum legas ex oleastro lucum seuisse, quem victoribus dedicarit. Nam & Aristander & Alexandri Magni vates oleum victoriæ, sed laboriosæ, signum esse interpretatus est. Cùm enim Rex ad Oxum flumẽ applicuisset in Sogdianos mouens, castris positis non procul ab eius tabernaculo gemini fontes repẽtè exorti, alter aqua, alter oleo fluxêre. Consultis vatibus, Aristander respondit, olei fontem, laborem quidem, sed & victoriam promittere: vnguntur enim athletæ, & olea victores coronãtur. Vnde in antiquorum memoriis nonnunquam legas legatum oleum, vt Reate, T. Fundilius Gemilius VI. Augustalis H-S. xx. dedit, vt ex redditu eius summæ, die natali suo IIII. Kal. Febr. præsentes vescerentur, & ob dedicationem statuæ decurionibus & seuiris, & iuuenibus sportulas, & populo epulum, & oleum eadem die dedit, oleum nimirũ ad gymnica certamina quæ funeralibus celebrari cõsueruntNeque verò prætereundum Panathenaicis, quæ in Palladis gratiam celebrabantur, olei vas plenum victoribus dari solitum, quòd oliuum inuenerit Minerua, quãuis non desint, qui oleam inuentam à Mercurio tradant, nõ à Pallade. Sed enim cur oleæ ramus in Mercurij manu poneretur, superiùs exposuimus. Sanè quidem non ignoramus ministros triumphantium oleagineis coronis vti solitos in honorẽ Mineruę, quę belli dea putabatur, & hinc illi Bellonæ nomẽ. Vnde illud apud Maronem, *Præses Tritonia belli.* Xerxẽ tamen fefellit insomnium, quo sibi visus est coronam oleagineam gestare, ex arbore, cuius ramis terra tota occuparetur, id quod eum maximè impulit, vt tãto belli apparatu in Græciã traiiceret, vbi postmodũ magna victus clade, turpissimã fugam arripuit. *Fabula de Oleastro.* *Xerxis somnium.*

B

PINGVEDO.

SACRÆ nostrorum literæ vbertatem interdum per hieroglyphicum oleæ acceperunt: nam eam pinguedinis & lætioris cuiusdam vbertatis signum esse ex eo perspicias, quòd libro Iudicum cùm à sterilibus arboribus olea ad imperium accerseretur, respondit ea, nolle se pinguedinem suam derelinquere, quæ vsui & diis & hominibus haberetur. Apud Horatium, lecta de pinguissimis oliua ramis arborum, habetur.

HILARITAS.

ET pro hilaritate oleum poni in iisdem Diuinis literis inuenias: vt Psal. XCII. *Senectus mea in oleo pingui*: vbi interpretes per oleum hilaritatem exponunt, citantq; ex paulò pòst sequenti Psalmo locum, *vt exhilaret faciem in oleo.* In iisdẽ Diuinis literis inuenitur cibus panis non fermentati, collyridúmque oleo consperſarum, & obunctorum oleo laganorum: per quæ, vt Hierosolymitanus Hesychius interpretatur, Apostolorum doctrina, legis eloquium, & mystica Prophetarum verba intelliguntur. Obuncti Prophetæ, quia res non ita liquidò, neque tam opulenter explicuêre. Conſperſæ collyrides, quia passim doctrina Christi, legis vtitur testimoniis: de Christo enim Moyses locutus est. Panes verò nulli non adiiciuntur obsonio, plenisiméque hominem pascunt, magísque omninò nutriunt, veluti Apostolorum traditiones, quæ eædem & Christi documenta sunt, in omni vitæ tenore coloréque vsui veniunt, & opulentissimè sufficiunt. *Mysticus olei sensus.*

C

SPES.

EST & spei simulacrum olea, propter continuam viriditatẽ: nam nostro etiam tẽpore Virorem multi pro Spe ponũt. Hinc similes nos esse oleæ Basilius cuperet, quò grauidi refertiq; fructibus, nunquã spe denudaremur. & quia miserationis etiam indicium eam esse ostẽdimus, omni, vt idem inquit, tẽpore misericordiæ munus exercentes, fœcunditatis ac vbertatis eius, quæ semper vberrima est, æmuli euademus. Quod verò proditum est Iouẽ olea coronari solitum, id ea de causa factum Phurnutus putat, quòd in ea viriditatis perennitatẽ & pinguedinem animaduerterãt: itaque Deum omnium bonorum authorẽ, fœcundissima vtilissimaq; omniũ arbore insigniri placuit. Alij dicunt propter glaucedinẽ, quæ sit cęlo propemodùm similis: nam & id ad historiã additur, vt à Pallade, quæ Glaucopis dicitur, producta credatur, de qua quidẽ fabellam ex Marco Varrone recitare non pigeat. Enata fortè in Athenarum arce oliua arbore, sed & aquarum scaturigine mox emanãte, Cecropem per id tẽporis Regẽ, animo ad hæc prodigia obnoxio, sanequã territũ, & ne futurarũ fortè calamitatum hæc portenta forẽt prænuncia, sciscitatũ Apollinis oraculum missos certos homines, qui & ostẽti causam perquirerẽt, & auerrũcãdæ deorũ iræ, si quid illi minitarẽtur ostento, *Cur Iupiter olea coronatus.*

ostento, rationem discerent. Legatis verò post scisitationem respondisse Pythiam, iussisseq; interim illis bono essent animo, neque enim ostentum id hominum malo aliquo factũ, sed deorum duorum contentione certantium inter se, vter eorum Athenis imponẽdi nominis author esse deberet: per oleam enim Mineruam, per vndam Neptunum significari, & quæ sequuntur ad hoc pleraque alia, quæ de industria missa facio. Porrò de deorum concilio, vt apud Ouidium est, pleriq; omnes tradidêre, decreuisse eos, vt is imponẽdi nominis author esset, qui rem humano generi vtiliorem protulisset. Oliua quidem quantas habeat vtilitates nemo non nouit. Vnde verò quãto sit mortalibus vsui, loco suo declaratũ à nobis est. Sedenim oleam ideò prælatam aiunt, pronunciatumq; pro Pallade, quia arbor ea pacis indicium haberetur. Pacem verò bonorum omnium opulentiam & vbertatem secum afferre, parentes nostri forsitan experimento cognouêre. Nos Italia vniuersa per tot annos assiduo cõtinentiq; bello afflicta, vix eius felicitatis famam, vt diceret Homerus, audiuimus.

FRVGALITAS.

QVAMVIS autem tanta sit læta pinguedine, est tamen & frugalitatis indicium oliua, de qua sæpe legas, eiusmodi baccas apud veteres parsimoniæ causa appositas, & à Platone lauto etiã conuiuio, deliciis contemptis, esitatas. Eundemq; constat in conuiuio quodam oleis vescentem, irrisum à Diogene, qui dixerit, *Si sic prandisses, non ita cænares:* qui scilicet sentiret, non esse id frugalitatis, sed stomachi lauto prandio grauati. Quod verò pertinet ad Mineruam, quæ innupta, quæ virgo perhibetur, meritò ea sibi oleam ascisci, cùm puritate pudicitiáque non minùs olea quàm Minerua delectetur, Græci enim, vt Rutilius Taurus ait, iubent oliuam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris vtque virginibus operandum, credo, inquit, recordati, arbori huic esse præsidem castitatẽ, Florentinus quoque lib. *De re rustica*, adeò puram esse oleam tradit, vt collectores etiam non nisi puros amet, qui cùm ad oliuationem accedunt, iurant se non aliunde quàm ab vxore sua venire: ita fieri vt anno insequenti vberiorẽ prouentũ exhibeant. Præcipuè verò aiunt Anazarbi, quæ Ciliciæ est ciuitas, oleas esse fœcundissimas, quoniam à castis tantummodò pueris colantur. Sed neque illud dissimulandum, tametsi ridiculum, quod apud authores Græcos, qui nihil nõ ausi sunt mandare literis, inuenias, amuletũ præsentaneũ ad capitis dolorem esse, si oleæ folio Mineruę nomen, ΑΘΗΝΗ scilicet, inscribatur, ipsumq; folium filo religetur ad caput in coronę modum.

Minerua cur detur olea.

DE VITE.

FFERT verò se post oleam Vitis, neque minoris ipsa vtilitatis, vt non immeritò multis & his insignibus atque præclaris sit hieroglyphicis decorata.

LÆTITIA.

QVORVM illud præcipuum, & omnium præconio celebratum, vt per eam lætitia intelligatur: id non Ægyptij tantùm, verùm & Philosophi & Poëtæ Latini Græciq; omnes, eodem admisêre cõsensu. Sed vt plurima super hoc à Platone & ab Homero dicta dissimulem, nónne Diuinæ etiam literæ sententiã hanc eandem plerisque locis prosequuntur? cuiusmodi illud est, quod requisita vitis ad aliarum arborum imperium respõdit, non posse se deserere vinũ suum, quo Deus atq; homines læti redderentur. Quare Socrates apud Xenophontem, Symposio, vinum ait non aliter mœrori mederi, quàm mandragora hominibus: lætitiamq; non aliter excitare, quàm oleum insperſum igni flammam adauget. Et coniectores, vel modici vini haustu in somniis attẽtari viso, læti alicuius euenti signum arbitrantur. Apud Philostratum vinitor sub vite confidẽdum Phœnici suadet, quòd ex ea spirare soleat lætitia. Epigrammatarius Poëta quidam non inelegãs nec infacetus, acerbè in eum inuehitur qui racemũ immaturum aspernatus humi abiecerat, & insuper pedibus cõculcauerat: non immeritò quidẽ indignatus, propterea quòd primo eo gustu deceptus, vitem omnẽ malè acceperit, & in præciso racemo succrescentem lætitiam extinxerit. Ita enim dicit:

Indignatio epigrammatarij cuiusdam.

Τίς ποτ' ἀμπελίνας οἰνοτρόφον ὄμφακα βάκχε
Ἀνὴρ, ἀμπελίνε πλήμασιν ὀξεβαμμ',
Χειλεσιν εὐφθὰς ἀπόμην βάλεν ὡς ἀν ὀδίτας
εἴη νασομένοις ἡμιδαὲς σκύβαλον,
εἴη οἱ Διόνυσος ἀναρσίοις οἶα λυκόρτοις
ὄθνειον ἀμπέλου ἔσθεσεν εὐφροσύναν:
Τῶδε γὸ ἀν τάχα τις ἀγρὸν πώμασιν, ἢ πρὸς ἀοιδὰς
ἤλυθεν, ἢ ροιεῦ κήδεος ἔλαβε λύσιν.

cuius hæc propemodùm est sententia:

Quæ feritas? quisquis dona immatura Lyæi
Ante diem è vitis palmite sustulerat,
Labráque perstrictus vecors abiecit, vt esset
In pedibus trita vile putamen humo,
Huic pater instauret Lenæus digna Lycurgo,
Quando ita nascentem sustulit Euphrosynem.
Namque aliquis vino hoc hilaris cantasset, amasset,

Aut

Aut poterat curas dememinisse graues.

Nos verò adolescentes iocati contrà ita respondimus:

Κεἰνῳ ἀεικέσσας κ' οἰνοτρόφον ὄμφακα μισῶν.
Ὅς βάλε τὸ σκύβαλον ἡμιδαὲς χαμάδις,
Κλήματά τ' ἐξέταμεν ἡ ὅλες βλαστὸς ἀπὸ ῥίζης,
Ὅς τῷ ἀυξομένην ἔσθεσεν ἀφροσύναν.
Τὲ ἢ τὶς οἰνοβαρὴς ἐξ' ὠμῳτῷ, ἢ πρὸς ἄρηα,
Ἦλυθ' ἀ'ν ἢ γ' αὐτὲ τάχα λέληθε φρέπον.

quorum sensum ita Latinè reddemus:

Macte animis quisquis vinum hoc immite perosus,
Allisit putri vile putamen humo,
Ramosq; & plantam totam ab radice recidit,
Atque ita gliscentem sustulit Aphrosynen.
Namque aliquis poto hoc vino grauis isset ad arma,
Aut decoris poterat dememinisse sui.

Sed vt lætitiæ huic modum imponamus, Salomon ait: *Exaltatio animæ & cordis, vinum moderatè sumptum:* ad iucunditatem enim creatum est, non ad ebrietatem, quæ te vita defraudet.

ACERBITAS.

AT non in omni vua suauitas, neque quidem in vlla, nisi maturuerit, nisi aëris clementia, lociq; & situs opportunitate adiuta fuerit. Nam vuæ pleræque neque tempore, neq; loco suo decerptæ, amaritudinem potiùs quàm suauitatem vllam præ se ferunt: quare suum est omphacio significatum, vt scilicet insuaue, acerbum, & intolerabile aliquod damnum per immaturam vuam indicetur. Hinc illud in sacris literis: *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes nostri obstupuerunt.* quam sententiam diuinitùs Cicero mihi videtur explicuisse, vbi ad Brutum scribit: *Nec verò me fugit quàm sit acerbum parentum scelera filiorum pœnis lui.* Sed hoc præclarè legibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet: & quæ mox de Lepidi crudelitate in liberos subsequuntur, quæ omnia in parentis scelus aggeruntur.

HILARITAS.

EADEM ratione qua lætitiam significat vitis, publicam etiam hilaritatem ostendere videtur: quare apud Maronem Troiani longa nauigatione & sæuissima mox tempestate fatigati, Dei Bacchi lætitia exhilarantur, atque alio etiam loco, adesse eisdem lætitię datorem Bacchum votis precari videmus. Tum apud Horatium, si qua celebratur hilaritas, vel ipsa pauimenta vino natãt. Tristi verò & perturbato homini Plautus propinandum monet, qui bilem diluat. Cui simile id quod apud Ciceronẽ III. Tuscul. habetur: *Huic calix mulsi impingendus est, vt plorare desinat.* Quin & ipsa Musica, quæ tota ad hilaritatem comparata est, non alio magis stimulo concitatur quàm suauis vini gustu. Hinc apud Ouidium legas:

Stimulus Musicæ.

---Necnon & carmina vino Ingenium faciente canunt.

quod ex Tibulli synepeia dictum. Ille enim cùm Osirim vitisatorem laudaret, ita de vino cecinit:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.

Hinc Æschylus quasi nimium oblasciuiens, dictus est tragœdias suas potando scriptitasse, de quo Plutarchus in Symposiacis. Contrà reprehensus est Gorgias, qui tragœdiam suam Marti dedicauit, cùm Baccho potiùs tribuenda fuerit: nam ea de causa dictum, οὐκ ὀρθῶς ἀθύρεται ὃν ὕδωρ πίνῃ, *nullam quippe adesse hilaritatem ei qui aquam bibat.* Quam sententiam sibi desumpsit Horatius eo Epistolarum loco, vbi festiuè admodùm bibaciratem hanc eludit ad Mecœnatem:

Prisco si credas Mecœnas docte Cratino,
Nulla placere diu, neque viuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus. Mox & illa per iocum acriter demorsa:
Ennius ipse pater nunquam nisi potus, ad arma
Prosilijt dicenda, forum putealq; Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare seueris.

Agnouit & hoc Anacharsis Scytha, quamuis super vino seuerè nimis iudicaret, quippe qui cùm in conuiuio quodam vibrisatores quosdam cantilenam admodùm variam crispata voce cum sibilo simul emodulantes auscultaret, interrogatus an in Scythia tales essent modulatores, respondit illicò, *Neque quidem vitis*: vtpote qui innuere vellet, non aliam esse causam emodulationis eiusmodi, quàm epotum vinum. atque hinc dicterium, *Nemo cantat sobrius.* De his queritur Dauides Psal. LXVIII. *Vinipotores contra se canere.* Anacharsis dictum ab Aristotele commemoratur eo loco ἀναλυτικῶν, vbi argumentorum quædam genera à causa desumi solere ostendit. Idem Anacharsis tres in vnaquaque vite racemos inueniri dictitabat, qui diuersa inter se vi pollerent: primum enim voluptatem afferre, ebrietatem alterum, tertium molestiam. Sed vtcumque Scytharum suorum sobrietatem prætendat Anacharsis, Cleomenem tamen Spartanorum

Anacharsis super vino iudicium.

Regem

Regem apud Scythas, vt alibi diximus, vino versum in insaniam accepimus, quòd scilicet cum eis meri potationibus contendere voluisset. Meritò autem Plato, vbi secundo de Legum ferẽdarum ratione disserit, optimum futurum existimat, si Carthaginensium more miles in castris nunquam vinum gustet, sed toto expeditionis tempore aquam biberit. *Seruis ne vinum vnquam concedatur. Magistratus, quandiu munere funguntur, abstemij sint. Præsides & iudices, eo tempore quo negotia causarum tractantur, vinum penitùs non attingant. Et qui magnis de Reip. rebus consilio adhibentur, remq; publicam administrant, aquam omninò bibant.* quam sentẽtiam Philosophus ille summus ex xxxi. Prouerbiorum Salomonis capite sibi desumpsit. Sanè Romanorum in hoc quoque prudentiam, qui sobrietatem in imbecillo fœminarum genere accuratissimè custodirent, multi commendauêre. Sed Tertul ianus egregiè, qui mulieres Romanas ait olim vsque adeò vino abstinere ciuitatis eius instituto iussas, vt matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedia necarint. Sub Romulo verò quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata sit: idcirco & oscula propinquis offerre necessitas erat, vt spiritu indicaretur, exploratúmque inde esset, an temetum olerent.

Sententia Platonis super vini abstinentia.

LIBERTAS.

QVOD verò & libertatis indicium sit vitis, ipsa Bacchi nuncupatio, quæ apud Græcos Lyęus est, apud Latinos Liber, argumento esse potest. Tum apud Platonem inuenias, explorandis adolescentium ingeniis conuiuia nonnunquam indulta, quò illi ad pocula se benigniùs inuitarent, eoq; tormento coacti, ab intimis se præcordiis expectorarent, vtpote qui nihil tunc simularent, sed cupiditates omnes suas, studiáque omnia propalarent. Vnde sapienter Horatius:

Quid non ebrietas designat? operta recludit.

& quæ sequuntur. Idem alibi:

Fœcundi calices quem non fecêre disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Meritò itaque apud Spartanos Dionysius cognomẽto φίλας dicitur idiomate Dorico, quod penetrum significat: vinum siquidem mentem, non secus ac alæ corpus, attollit, & modò hùc, modò illuc volitare facit perquàm agiliter: cuius rei meminit Pausanias tertio. Facit ad hanc libertatis significationem quod ab Heliogabalo profectum est, vt vindemiarum festiuo liceret vnicuique multa in dominos iocosa atque scurrilia, petulantissima quadam licentia ipsis etiam audientibus dominis iactare, quem morem adhuc in agro Neapolitano vigere passim vidi, cùm eo fortè tempore ad visendam eius honoratissimæ ciuitatis Academiam illò me contulissem. Et quoniam vinum in lætitiæ libertatísque significatum abiit, liber ex Moseos historia quod ad rem facit exemplum recitare. Cùm Pharaonis pincerna, qui eodẽ custodiebatur loco, quo & Iosippus ob custoditam innocentiam, vt nocẽtissimus detinebatur, per quietem existimasset se triplicem videre palmitem ternis præditum racemis, qui cùm tempestiuè maturuissent, essentq; à se resecti & expressi, subitò Regi mustum propinasset: ex quo Iosippus bono eum esse animo iusit; futurum sanè vt triduo liberatus eo situ, quo intabescebat, in pristinam dignitatem restitueretur: atque ita vti à Iosippo prædictum fuerat, tertio post die liberatus, & honori suo redditus, coniectorem haudquaquàm vana nunciasse comperiit.

Dionysius cur φίλας dictus.

FELICITAS.

EIVS enim scientiæ periti scribunt, vbi significata vitis examinant, vuam in somniis visam, etiã extra tẽpus, felicis esse presagij. Cuiusmodi etiam vitis fuit, quæ visa est Astyagi per quietem nocturnam de Mãdanes gnatæ suę genitalibus oboriri, vniuersamq; Asiam palmitibus inumbrare: quod de Cyro nepote eius euentu adeò felici postmodùm comprobatum est: terrarũ enim latitudinem id significabat, quæ Cyri esset imperio subiuganda. Rheæ siquidem vitis sacra est, & ciusmodi deæ de vite fieri simulacrum tradit Euphorion. Fuit autem hoc attestatum ostẽtum, ad alterum, quo priùs imaginatus fuerat Astyages idem videre se micturientem filiam, quæ Regiam vrbem cum vniuersa Asia inundaret. Et quamuis Rex quid vtrunque sibi vellet à Magis edoctus, contra filiam & infantem natum multa esset machinatus, fatalem tamen necessitatem euincere non potuit. Euerso enim Medorum regno, Persicoq; constituto, Cyrus mirum in modum creuit.

LABOR.

Vitis imbecillitas.

NEQVE tamen ita felix tranquillúmque est hieroglyphicum vitis, vt non & laboris plurimi sit etiam argumentum: siquidem arborum nulla maiori indiget cura. Vsque adeò imbecilla est, vt nisi humana diligentia excolatur, pergulis sustentetur, vel arboribus mariretur, falce comprimatur, ac annis singulis præcidatur, multo denique labore custodiatur, breui admodùm tempore vel pereat, vel in labruscam degeneret. Quare non imperitè dixit Hesiodus, siue is Apollonius fuit, qui scutum Herculis doctissimis carminibus celebrauit:

Οἷα διόνυσ᾽ ἐδὼκ᾽ ἀνθράσι χάρμα, πῆ ἄχθ᾽.

Vt & lætitiã & laborem simul hominibus à Bacchо datos affirmaret. Neque sum nescius, τὸ ἄχθ᾽ ad animi etiam anxietatem atque mœstitiam referri posse: siquidem compertũ est eos, qui meraco plurimùm vtuntur, melancholicos fieri, atque inde tristiori esse corde: tum obliuiosos, vt Florentinus in re rustica ait, in primis fieri, vt ea taccã quæ per ebrietatis furorem infanda pleraque perpetrantur:

A petrantur: quorum omnium memor Maro noster, ne vinum plus æquo laudaret, ita cecinit:

Bacchus & ad culpam causas dedit, ille furentes
Centauros letho domuit, Rhætumq;, Pholumq;,
Et magno Hyleum Lapithis cratere minantem.

Habet & illud incommodi, quòd linguam vinum præpedire solet, eaq; de causa Mercurio, non vino, sed lacte supplicabatur, ad ipsam etiam eloquentiæ dulcedinem indicandam, idq; Romæ vico etiam Sobrio nuncupato fieri solitum.

TITILLATIO.

ET quod aiunt, sine Cerere & Baccho Venerem frigere, adducit in memoriam, Lampsacum ea de causa salaci Deo sacram olim dictitatam, quòd optima generosissimaq; vina proferebat: ludibrium enim illud Veneris & Bacchi filium fuisse antiquitas fabulatur. Citat Stephanus Demosthenem, qui rei istiusmodi causam memoriæ prodiderit. Cùm itaq; vinum præcipuum sit nequitiæ fomentum, meritò signum Virginis vitem auersatur: cauendum enim, vt Orpheus monet, ne Luna signum Virginis præcurrente vitem seramus: eam enim Virgo odio prosequitur. Atque ne vllus vnquam sit fabulis modus, alij dicunt propter Icarium patrem, qui ab ebriis colonis fuerit interfectus.

Lampsacũ cur Deo salaci sacra.

SANGVIS.

FVIT & sanguinis signum oblatum in sacris vinum, atque eo nonnunquam cognomento nuncupatum: quare quod apud Maronem,

B *Vidit Thuricremis cùm dona imponeret aris,*
Horrendum dictu, latices nigrescere sacros,
Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorem.

non tantùm ostenti loco positum, sed antiquum videtur significatum attigisse, quòd & pro vino sanguis, & pro sanguine vinum acciperetur. Nam à Mose secundo Deuteronomij cantico: *Et sanguinem vuæ biberet meracissimum*, & à Psalmographo dictum, *Sanguinem vuæ biberunt.* Sanè quidem Ægyptij sacerdotes vino pertinacissimè abstinebant, & antiquissimi eorum reges: nam & illi tunc non nisi sacerdotes erant, vt tradit Hecatæus. In Deorum tamen cęremoniis vino vtebantur, eoq; libabant, vt idem author scribit, non gratam quidem rem cœlestibus oblaturi, sed eorum sanguinem, qui contra Deos pugnassent propinaturi, indéque sibi numina conciliari arbitrabantur: persuasum enim habebant Ægyptij, vitem ex fuso in terram gigantum sanguine pullulasse, vnde & amentia, & furor inesset vino. Quamquam posteriores Reges, Psammeticho in primis authore, vinum, sed certa mensura, mensis adhibuêre. Ponit verò & Hesiodus mensuram qua sit ad salubritatem bibendum:

Τρὶς δ᾽ ὕδατ᾽ ἐν κρητῆρι, τάδε τέτρατον ἤμισυ οἴνου.
Tres miscebis aquæ partes, sit quarta Lyæi.

Et venustum admodùm est Epigramma Meleagri, quo à Meraco salubriter exterreremur:

αἰ νύμφαι τὸν βάκχον ὅτ᾽ ὀκ πυρὸς ἤλατ᾽ ὀκ ὕδρος
Νίλαν κὰρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον·
Τ᾽ ἄνεκα σὼ νύμφαις βεόμι Θ φίλος, ἤνδε νίν εἴεγγις
Μίσγεδ᾽, δέξη πῦρ ἔτι καιόμενον.
Ardentem ex vtero Semeles lauêre Lyæum
Naiades, extincto fulminis igne sacri.
C *Cum Nymphis itaque est tractabilis, at sine Nymphis*
Candenti rursum fulmine corripitur.

Hæc autem miscendi meri admonitio, adducit in memoriam mihi locum in Diuinis literis, quem nefas est præterire: *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.* Calix Domini mixto plenus, idem est, vt sentit Eucherius, ac si diceretur, misericordia & iudiciũ. Inclinatur verò ex hoc in hoc, cùm de misericordia in iudicium diuina seueritate transitur. Fæx autẽ non exinanitur, quia adhuc vltimũ iudicij reseruatur: ea siquidẽ erit vindemia, quę ipsis in Diuinis literis hieroglyphicè ponitur, significatq; rerum finem, quam Theologi, seculi consummationem vocant, aliquando depopulationem, vt Psalmo: *Vindemiant eam omnes qui transgrediuntur viam.* Pro fine verò rerum Ioël.: *Mittite falces, & vindemiate vineam terræ, quia maturæ sunt vuæ eius.* Et ne hoc imprudentibus excidat, vindemiæ ipsius instrumentum torcular, nomen in sacris literis hieroglyphicum, per quod scilicet tum alia quædam, tum præcipuè tempora ærumnosa, pressuræ, vexationésque significantur: quam in sententiam totus ferè Psalmus euagatur, cuius inscriptio est, *In finem pro torcularibus.*

Vindemiæ hieroglyphica.

FERACITAS.

NON ineptè verò quispiam feracitatem hieroglyphicè significaturus', vitẽ cum racemis pinxerit, inter enim fœcundiores plantas principatum obtinere vitẽ nemini dubium, si arbusculæ vniuscuiusque ratione habita, vini copiam expenderimus. Addam etiam, eam alicubi esse racemorum magnitudinẽ, vt racemi singuli singulos expleant currus, cuiusmodi fertilitas est Eucarpiæ minoris Phrygiæ vrbe. Quinetiam currum medium ibi diffractum defecisse vnici racemi

Eucarpiæ fertilitas.

pondere Metrophanes tradit. Ita rectè Plinius, nullum apud Græcos mendacium esse dicit, quod D teste careat, vtcumque tamen, hæc & alia super huiusmodi vrbe à Stephano memorantur in iis, quæ deflorauit Hermolaus Byzantius.

PIORVM CONVENTVS.

Vitis mysticus sensus.

SED vt de vite simpliciter sermo sit, debere nos, ait Basilius, rationem eius cõtemplari, qua Dominus sese vitem, & Patrem agricolam esse, vinitoremque dixit, nosq; singulos in piorum conuentu per fidem satos, Palmites appellauit: hinc nos ad vberrimi fructus feracitatem inuitat, ne vt inutiles atque superflui ludibrio simus, & à fœcundorum palmitum consortio recisi amputatique igni destinemur. Assertor verò nostet nusquam cessat animas nostras vitibus comparare. Vinea namq; facta est dilectio, dicit, in cornu, in loco pingui, & vineam seui, septumq; circumposui. Animas humanas planè vineas dicit, quas circundedit sepio, tum ea securitate atq; tutela, quæ resultat ex præceptis, tum ipsa gemmarum custodia. Dictum est enim: *Versabitur Angelus Domini in circuitu metuentium eum.* Deinde quasi valla nobis defixit positos in Ecclesia primũ Apostolos, mox Prophetas, mox Doctores alios: inde animum nostrum, ne deiectus despectusq; humi reperet, & præteruentium pedibus conculcaretur, maiorum nostrorum exẽplis, qui per summam innocentiam & probitatem clari & illustres habentur, in altum erexit, eorumq; vestigia sequi iussit, qui per virtutem & integritatem ad summum euasêre. Ad hæc vitem Ambrosius plebem Ecclesiæ significare contendit, quæ veluti quadam fidei radice plantatur, propagineq; humilitatis reprimitur: vbi verò circumfossa fuerit, religatur, erigitúrque, ne reflectatur in terram. E sarmentis alia recidũtur, propagantur alia. Reciduntur quidẽ ea quæ inani sylua luxuriant, de quibus Pythagoras symbolicè dixit, μὴ κατένδειν θεοῖς ὀκρεμόνων ἀτιμήτων, pura purgataq; omnia esse volens quæ Diis offerantur. Ea verò propagantur, quæ bonus agricola fructifera iudicarit. Adminiculorum verò ordines iugationisq; concinnitas verè atque manifestè docent æqualitatẽ in Ecclesia seruari debere, vt sese nemo, quantumlibet diues & honoratus, extollat, nemo pauper animum despondeat, seq; despectum atque contemptum esse vereatur: ignobilis nemo desperet, verùm æqua sit omnium conditio, pariterq; omnium mens ad superiora sustollatur, suamq; in cœlis futurã consuetudinem atque commerciã sibi proponat. Ne verò vllis ingruentium tempestatum procellis vexari, locóve deturbari deiicíve possit, clauiculis quasi charitatis amplexibus proximos quosque complectitur, & in eorum coniunctione requiescit. Appellat nos IESVS vitis suæ palmites, propterea quòd inquit Origenes, palmes arbore connectitur, & clauiculis tanquam manibus stricta confirmatur à lapsu, quo freta adminiculo ventos turbinesq; contemnat. Futurorum id bonorum indicat spem, quia fideles quique non solùm in iis, quæ gerunt, sed etiam in iis quæ sperant & credunt, perfectum salutis statum expectant: quapropter quasi ad quendam patientiæ ardorem spe iuncti atque confirmati, naturalium motuum procellas, cupiditatumque turbines insultúsque perferunt atque contemnunt. Hæc & huiusmodi pleraq; commentationibus in hieroglyphica nostris libẽter inseruimus, quò mihi sint æquiores ij, qui studium in hac re meum acriùs incessunt, quorsum id tendat ignari, cùm viderint similitudinariã hanc loquendi figuram non tantùm ab Ægyptiis, quos immeritò contra Dei præceptum abominantur, inuentam, verùm etiam ab antiqua & noua lege receptam, quinetiam ab ipso nostræ institutionis conditore CHRISTO IESV frequentissimè in vsum deductam: nihil enim aliud est hieroglyphicè loqui, quàm diuinarum humanarumque rerum naturam aperire. Addenda verò huc fuerant ea quoque de Iuda Israëlis dicta: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine uuæ amictum suum,* sed quoniam hæc copiosè sunt à sacrorum interpretibus discussa, præsertimque ab Adamantio, ad vltimam eius homiliam in Genesim, vnumquemque pietatis studiosum accedere cohortamur. F

Palmites cur nos appellat IESVS.

DE FICV.

INCHOAVIT, honoratissime Domine, oliua apparatum nostrũ, accessit vua, quæ plurimum fortè attulit saturitatis, pro bellariis addere ficus libuit, vt si quid amaritudinis in oliua fuit, si acerbior vua, quòd nostri quippe Belluensis cœli rigore amplerumque matureſcere non sinit, errorem omnem missus tertij suauitas emendet.

DVLCEDO.

DE ficu sanè quicquam, quod magnam mihi affert admirationem, apud Horum Ægyptium, Caprifico excepto, non inuenimus: pauciſſima enim admodùm eius authoris fragmẽta temporis iniuriam euicerũt. Apud authores alios inter arbores primas celebratam passim cõperimus: atq; illud præcipuum eius est hieroglyphicum, vt per eam dulcedo intelligatur, eaq; tam in grata hominum consuetudine, ac morũ suauitate, quàm in cæteris rebus, quæ iucundæ amabilesq; sint, ac voluptatis plenæ. Hinc illud apud Theocritum de suauiter canente, ἐς ἀπ' αἰγίλω ἰχάδα τρώγοις, *& mediũ cibus tibi ficus Athenis.* Ab Ægilo verò dictum, quòd ea sit ex Athenienſium tribubus, & suauissimas Athenis ficus esse Dion etiã testatur. Ita verò ficus ad victus humani commoditatem nata, vt Hipponax Poëta vetus eam auro prætulerit, dum scazonte illo suo licentioso dicit:

Εἴτις κατέρξει χρυσὸν ἐν δόμοις πολλὸν, Καὶ

A Καὶ σύκα βαιὰ, ἢ δύο ἢ τρεῖς ἀνθρώπους
Γνώῃ φάσων τὰ σύκα τὸν χρυσὸν κρείσσω.
Si quis domi recondat auri plurimum,
Ficusq; paucas, comparetq; seruulos
Duósue trésue iudicabit illicò
Auro domi præstare ficum plurimo.

Sanè φιλοσυκιὰς nonnulli appellant purioris mansuetioriſq; vitæ duces. Harum verò commendationem auget summopere Artaxerxis cognomento Mnemonis testimonium, qui iunioris Cyri frater fuisse fertur: is cùm aliquando arrepta fuga commeatuq; direpto, coactus esset ficus & hordeaceum panem esitare, indoluisse fertur, ob regalem affluentiam àpparatioreſque lautitias tantæ se voluptatis expertem tandiu fuisse. Quid verò quòd ruta sua satis insignis amaritudine, si iuxta ficum seratur mitior euadit? Meritò itaque ficus apud Israëliticos iudices nequaquam velle se ait dulcedinem suam derelinquere, vt reliquis arboribus, à quibus in imperium adsciscebatur, dominaretur. Vt verò alibi legimus in iisdẽm Diuinis libris, iustos & sanctos homines sub ficu requiescere perhibent, hoc est, tranquillam atque suauem vitam agere. In vererum etiam numis suauitatis istiusmodi significatum obserues. Nam in quodam ficus est inter duos tumulos sita: vnius tumuli inscriptio est, AMBPOΣIA. Alterius ita detritæ literæ sunt, vt legere non potuerim: puto tamen ex nota N literæ, quæ vix dimidia discernitur, NEKTAP esse debere, quasi ficus vtriusq; vicem gerat. Sanè coniectores inspectam in somniis ficum, albam præcipuè, atque suo tempore, bonorum multorum præsagium habent. *Fici commendatio.*

B

SVAVITAS SVBLATA.

NEQVE caruit ominibus ficus, quæ sublatam suauitatem extirpata significaret, eo præsertim tempore quo publica ciuium Ro. suauitas & dulce commerciũ, extincto Alexandro Seuero, adempta est. Paulò enim antè quàm is fatis concederet, arbores fici tres, quibus tentoria Imperatoria adnexa erant, quæq; ficus eas ferebant quibus Alexandrinarum nomen est, subitò ante illius tentorium prociderunt. Idem in Caprifico portentum in Messenios accidisse memoriæ proditum est. Nam cùm illi sylueſtrem ficum τράγον appellarent, quos nos imitati sumus Caprificum appellantes, oraculum super excidio suo huiusmodi habuerunt: *Fici prodigiosa omina.*

Ἔστε τράγῳ πίνῃσι νεδὸς ἑλικοβρόου ὕδωρ,
Οὐκέτι μεσσήνην ῥύσομαι, χεδόθεν δ' ὄλεθρος.
Namque Nedes simulac curuas Caper hauserit undas.
Tunc Messena vale, tibi enim grauis exitus instat.

Accidit verò vt Caprificus in Nedes fluuij ripa nata, ramos eò vsq; declinarit, vt aquis profluentibus rami alluerentur: quod cùm Theolcus vates animaduertisset, instare dixit Messeniorum exitium, vt oraculo Pythio prædictum fuerat. Rem tangit Pausanias quarto. Sed cur ficum Idumęam dicere contamur, ad quam Assertor noster à Bethania rediens, fructũ ex ea capturus accessit? famescebat enim: verùm cùm fructum in ea nullum inuenisset, arborẽ deuouit, ne vllo vnquã tempore fructum ferret. Sanè mysticè factum hoc, vt tã multa alia: nimirumq; ficus hæc populus Iudaicus erat, ad quem famelicus Dominus venit, in quo cùm nihil præter quandam speciem vitalem sine vllo profectu comperisset, eum in æternam perfidiam execratus est. Fructum enim ipse è synagoga quæsierat, quem nullum inuenit, quia ea, vt inquit Gregor. folia legis habuit, sed fructum C operis non habebat, de qua dictum ait Euthy. ab Abacunte, ficum fructum non allaturam. Quòd verò per tres annos fruſtra quæsitus fuerit hic fructus, Eucherius tria vult tempora, intelligi, ante legem, sub lege, & gratiæ tẽpore, quibus Iudæi ipsi fuerint semper à Domini præceptionibus alieni, & nullum boni operis fructum protulerint. Eodem facit quod ait Dominus Nathanaëli: *Cùm esses sub ficu, vidi te:* quippe cùm in originali labe Iudæorum ritu consisteres, adieci animum vt te redimerem. *Ficus Idumæa.*

FATVITAS.

ET sycomorus aliquid habet hieroglyphicum, quam Zachæus inscendit: nam arbor ea cùm sit ficus fatua, indicat eos, qui, vt Eucherius refert, mũdi sapientiã humiliter sectati, eligunt mox Dei sapientiam subtiliter aspicere. Prudenter enim ait is, sycomorum ascendimus, si prouidè eam quę diuinitùs præcipitur, laudabilem & sapientem fatuitatem tenuerimus. Quid enim inter mortales insipientius, quàm amissa non quærere, possessa largiri, rapientibus relaxare, nullã pro acceptis iniurjis iniuriam reddere, sed iuxta præceptum Dominicum, in omnibus præstare patiẽtiam? *Zachei sycomorus.*

CONTEMPTIBILIS.

CÆTERVM quod ad opera ex ficu facta pertinet, Græci ficulnum pro imbecillo & contemnendo ponunt, quo significato Sermonibus apud Horatium:

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,

hoc est, minimi pretij, minimiq; vsus, de quo scilicet faber meritò ambigeret, facerétne scamnum an simulacrum pudendum, Deum omninò despicatissimum: nam fici materia pauciſſimis est, & iis admodùm exiguis fabricis idonea. Eoq; spectat prouerbium de Mandronis naui, quę ficulnea fuerit: cùm is notatur, qui tenuissima olim re, angustoq; patrimonio despicabilis, ad ampliſſimos ho-

nores emerserit, nihilo tamen venerabilior habitus ob insolentiam importunamque superbiam, D qua sese intemperantiùs efferat. Nam Mandro, vt plerique alij, à remis ad imperium venit, neque ob id tamen vllam assecutus est authoritatem. Ita denique veteres per fici nomen nullius frugis hominem, imbecillum & abiectum significabant: nam & Græci olim hanc ἄνδρα σύκινον, dixêre, vt apud Theocritum Ergatinis, & apud Aristophanem sæpius inuenias. Et nunc quoque vulgus stupidos & ineptos, ficones appellat.

BACCHVS SYCITES.

LACEDÆMONII ficum à Baccho inuentam opinantur, eaq; de causa eum Sycitem nomine, vt Sosibius tradit, coluêre. Apud Naxios simulacra eius nunc ex vite, nunc ex ficu fieri solita sunt. Milichius à nonnullis appellatus Bacchus, quòd Milica pro Ficis nonnunquam accipiuntur. Et Dionysius præter vini amphoram, & vitem, quæ præferebatur, & præter hircum qui trahebatur, cophinum etiam gestare mos erat, in quo caricæ forent. author in Moralibus Plutarchus.

PROGRESSIO.

VT verò ad folium reuertamur, quod Thrion appellatur, progressionis olim signum fuit. Veteres aliquò profecturi ficulna folia suspendebant progressionis cæremonia, atque ita sibi auspicatum iter fore augurabantur. Ea autem de causa Thrion dicitur huius arboris folium, vt interpretes Theocritiani volunt, quòd in tres partes diuisum est, viscendo inter vtrasque partes interuallo: scribiq; & trion tenui, & thrion aspirata, atque etiam thriambon. quin & θειάζειν dicunt huiusmodi folia colligere, & in aliquem vsum parare.

SEPTENTRIO.

Thrion in Serapidis Osiridisq; sacris.

PARABATVR autem Thrion religiosè admodùm Serapidis Osiridisq; sacris, gestamen scilicet foliaceum, quod capiti superponeretur gestandis hydriis aut calathis commodum, eratq; illi suum etiam significatum: siquidem & Regem, & Septentrionalem regionem, polum quippe Arcticum, per intortile gestamen huiusmodi intelligebant. Regem, quia polus cœlorum omnium rotatum regere videtur; & circulus ille foliaceus in geruli capite orbiculum Arcticum exscribit, ab axis illius qui præ oculis est similitudine. E

GENITALE.

QVINETIAM præter motum, cuius primarias partes illi tribuebant, rerum etiam omnium semina inde demitti pleriq; veterum magno ex argumento arbitrati sunt: inde enim actionis esse principium, quæ Mathematici veteres latissimè disseruerunt. quocirca Thrion cùm & humoris redundantiam, ob viridis crassiq; folij viriditatem, & motum omnium, ob conuolubilem texturam significaret, pari quadam natura cum genitali æstimabatur, atque eius esse simulacrum videbatur, vbertate scilicet humoris & motu ad prociendæ genituræ principia conuenientibus. Sed hæc in Serapidis calatho locupletiùs.

DELECTATIO.

HVIVS generis fuisse prædicant Adami pomum, præter ipsius Dei præceptum nimis expetitum: id enim delectationem & voluptatem, quæ sensu percipitur, significasse plerique Theologorum docuerunt. Nihil enim mentem nostram è tranquilla Paradisi statione faciliùs exturbat, quàm nimia voluptatum consectatio. Is tamen suæ præuaricationis amaritudine exacerbatus, fici foliis semet velare pudoremq; obtegere properauit. Ficũ enim fuisse tradit Irenæus. Tertullianus autem ea re super ait: quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans ficulneis foliis interim circundat. Ad hoc addit Irenæus, non alterius arboris aut herbæ, quæ molliori tactu esset, ad indicãdum pœnitentiæ duritiem atque cruciatum, propter scabritiem scilicet & asperitatem, qua folium huiusmodi præditum est. Et quia cingulum id, & sibi & vxori suæ circumligauit, nonnulli exponunt, vt petulantem carnis impetum retundere se polliceretur, id vero luti continentiæ frænum adhibuisse, quoniam scilicet stolam eam, quam habuerat à spiritu sanctitatis amiserat, eo tegumento, quod nullam prorsus delectationem afferre posset, sed morderet potiùs ac pungeret, vteretur. F

Cur Adamus se fici foliis velarit, & Euã.

FOLIA RELIQVA.

FOLIA verò reliqua Diuinis in literis pro ipsa, vt ita dicamus, legis litera hieroglyphicè accipiũtur, quia quemadmodum arborum fructus foliis velatur ac tegitur, ita sub legis litera spiritus occultatur. Idcirco nos, ait Hesychius, literæ folium aperimus, vt qui latet interius fructum spiritus inueniamus, de quo Hiere. *Si vindemiatores ingressi fuissent in te, saltem reliquissent racemum tibi.* Et Virgilianus Æneas apud Sibyllam, cùm ambages & verborum inuolucra cupiat euitare, & rerum euenta apertè sibi declarari compreccetur, quòd folia omnia conturbarent, id vnum orat: *Foliis tantùm ne nomina manda.* Sedenim quantum pertinet ad voluptatem, de qua satis, cùm hoc ipsum argumentum sequeremur, in Serpentis commentario disputatum. Illud hîc potiùs memorabo, ficum non eo tantùm rerum primordio humano generi calamitatem & assiduos labores attulisse, verùm annis voluentibus in causa fuisse, cur potentissima opulentissimaq; regna duo ad internecionem vsque corruerint, Carthaginis Imperium, & Romana potentia. Carthago quidem, quia ficum ex hortis suis decerptum velocissima festinatione tertio post die Romæ repræsentauit: doluitq; Cato, & in Senatu conquestus est, hostes non triduo magis procul Roma proprias habere sedes.

Cur ficus causa fuerit euersionis Carthaginensis Romaniq; Imperij.

A sedes. Romana verò potentia, ac vniuersum Italiæ robur à transalpinis gentibus sese nobis totiens superfundentibus, ea de causa quassari confringiq; cœpta, quòd, vt Plin. inquit, Hellico quidam Heluetius, qui Romæ ob fabrilem artem aliquandiu commoratus fuerat, in Galliam remeans ficum siccam, & vuam, oleiq; & vini præmissa secum tulit, quorum vsu delicato suauique concitati feroces populi, ad hanc vsq; diem assiduis nos calamitatibus affligere nunquam destitêre, quãuis natura ipsa Alpibus, & tam inexuperabili munimento Italia procul Gallias atq; Germanias coërcuerit: quorum feritas si quando grauis Italiæ fuit, nullo certè vnquam tempore calamitosior extitit, quàm quinto iam & vigesimo ab hinc anno, quibus vniuersa Italia cædibus, rapinis, incendiisq; desolata peruastatur, hinc Germanis, hinc Hispanis extremum eius excidium assiduè meditantibus.

ALIMONIA.

SED vt querelæ facessant, adeò ficum alimentis idoneam esse compertum est, vt eam Cereris donum dictitarint, proq; alimoniæ symbolo susceperint. Quantum enim ficus humanę prosit alimoniæ, vel eo manifestũ esse potest, quòd athletas siccis ficubus pascere moris fuerit, vt author Plinius: experimento enim comprobatũ est, eo cibo frequentiùs sumpto, corpora & vires mirum in modum adiuuari. Quòd verò Attica eo fructuum genere magnam est nobilitatem assecuta, Pausanias ait, Cererem primùm in ea regione ficum Pythalo cuidam hospitalitatis præmium donasse, eiúsque rei monumentum extare his versibus celebratum:

Ficus Cereris donum.

B
εἰθαδέ᾽ ἄνακτ᾽ ἥρωα Φύταλον ποτὲ δέξατο σεμνὴ
Δήμητερ, ὅτε πρῶτον ἀπ᾽ ὤρεος ἥρπασε κούρην,
ἣν ἱερὰν συκὴν θνητῶν γένος ὀνομάζει,
ἐξ ἧς δὴ τιμὰς Φύταλος γλυκὺν ἔφερεν ἀγήρως.
Hîc quodam hospitij Phytalus suscepit honore
Legiferam Cererem, quæ molli cortice poma
Prima dedit, dixêre sacram mortalia ficum
Ora, genus Phytali decus hinc insigne secutum est.

ADVLATORIBVS DEDITVS.

DIVITEM hominem adulatoribus deditum Thebanus Crates per ficum arborem in præruptа asperaq; rupe satam describebat, quippe quò sit hominibus difficilis accessus. Eius verò fructus à coruis & miluiis tantùm decerpi: ita horum opes ab impuris tantùm & adulatoribus depasci. Idem de reliquis etiam arboribus quotquot fructiferæ essent, Diogenes dicere solebat.

DVLCEDO VERITATIS.

ET Mercurius sibi ficũ vendicauit, cui vndeuigesimo primi mensis die Ægyptij sacra faciebant melle & ficu, quæ sacra eo clamore prosequebantur, vt quod hieroglyphicè in eis latitaret exponentes, identidem clamitarent, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, quod dulcem esse veritatem significabat.

Ficus sacra Mercurio.

CYRENENSIVM PIETAS IN SATVRNVM.

STATVÆ verò pleræq; ficis coronatæ, Cyrenensium religionem indicabant, quia & Saturnus decus in agricultura suum meruit, quem agri colendi authorem, & insitionis putationisque & stercorationis repertorem memorant, neque minore quàm Cererem honore honestandum existimabant. Huic Cyrenenses cùm rem diuinam faciebant, ficis recentibus coronari consueuerant, quòd & alimonia in iis, & gustus suauitas egregiè vigerent. Hæ sunt, honoratissime Princeps, arbores illæ ad ingenij tui naturam accommodatæ, quas desumpsi ex hortis meis ductilibus, limoq; C Nilotico in arcas ingesto, mecum quaquà iter est circumuecto. Neq; verò folia his arboribus vlla vnquam decidunt tempestate: licebitq; perinde tibi, si plantis his delectari cœperis, eas hoc terreno pactas in Britannias vsque tuas asportare: quæ mundi pars cùm olea, vite, & ficu careat, illas aspiciant non modò suo tẽpore frondescentes, sed toto etiam anno, folio nunquam deciduo, perpetuò virides admirentur. Sedenim, vt seriò loquar, eas tu si pertractabis, earumq; vim diligenter inspexeris, cordi ita insitas tuo comperies, vt nihil tui similius esse, etsi modestissimus es, confiteri necesse habeas. Nam boni quicquid in Diuinis illæ significant, ea omnia tuæ congruunt pietati.

PIERIVS VALERIANVS AD ERVDITIS.
ALOISIVM PRIVLLVM PATRICIVM VENETVM,
de iis quæ per Pomum Italum, Persicum & Punicum significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER LIIII.

HERI (Priulle doctissime) cùm veterum signa quædam singulari opere artificioq; perfecta hîc & illîc inspecturi per vrbem equitaremus, multisq; præteritis Capitolium demum inscendissemus, Herculis ibi signũ summæ nobilitatis ex ære cõspectum est, quo nõ facilè quicquam tota vrbe dixerim me vidisse pulchrius,

neque præclarius, siue hæc ea fuerit statua, quam Q. Maxi. capta Tarento, opus Lysippi, obtulit Capitolio, siue quam D *Fabius Verrucosius eò transtulit, siue aliorum fuerit dedicatio: vtcumque, antiquissimum omninò opus est, & Græcis scriptoribus honorificè celebratum. Nam præter Leoninum spolium læuo iniectum brachio, clauam manu dexterâ retinet, læuâ tria poma cydonia præfert. Quæ cùm comites, qui te multi sequebantur, eruditi viri animaduertissent, de spolio & clava dixerunt cognoscere se mentis præstantiã, & generosum animi robur, quibus virum, qui veram virtutis gloriam affectet, præditum esse debere commonemur. Herculem verò positum à veteribus, quia quicquid præclarè geri potest, id totum Herculi attributum. Nam & Arrianus vbi petram ὄρυον memorat, difficillima quæq. & maximè ardua, quæ humano quopiam conatu vinci minimè posse videantur, Herculi attribui solere dicit. De pomis, quid ea sibi vellent, dubitari cœptum, nisi ea Hesperidum esse quis arbitraretur. Tuq. ad me conuersus, Aegyptiacum quidpiam poma hæc nimirum sapiunt, addidisti: tuum igitur, Pieri, fuerit id explicare, qui studijs istiusmodi delectaris. Respondi, vt res erat, esse ibi etiam alios eruditos, qui me forsitan eruditius rem, quã petebas, explicare possent: sed quoniam me appellaueras, ne rusticus viderer, quid ego sentirem, non dissimulaturum. Græcos quidem per tria illa mala manu contenta, virtutes tres, quibus vir quiq. probus & sapiens insignitus esse debeat, interpretari, quarum vnam esse volunt, non excandescere: alteram, non esse deditum auaritiæ: tertiam, liberum à voluptatibus animum sibi comparasse. Incidit hinc, vti fit, de Pomorum significationibus alius atq. alius sermo: quem cùm tu auidè admodùm excipere visus esses, in eam spem adductus sum, vt si quid huiusmodi tibi destinassem, quicquid id esset nugarum, gratum tamen acceptumq. esses habiturus. Domum itaque reuersus, selegi statim ex pomario meo Aegyptiaco plantas tres, quas tibi dono mitterem: Italam vnam, alteram Persicam, tertiam verò Punicam, ob tres scilicet virtutes, quas identidem in te situs optimè noueram, insignem quippe humanitatem, miram in omnes beneficentiam, & singularem quandam animi moderationem, quibus semper fuisti egregiè clarus, siue tu adolescentiam temperares tuam, siue amicis præsidio atque ornamento esses, vltra etiam quàm ætas tua deposcere* E *videretur, siue bonarum omnium artium, & veræ pietatis doctrinam tanto sis studio complexus, vt nihil in humanis diuinisq. rebus esse velis, quod tibi non cognitum & perspicuum fiat. Quare bene ominor pomis meis, quibus ad te transferri contigerit, apud quem culturam mea longè fructuosiorem sint consecuturæ. Tu modo pro tuo prompto alacriq. animo ad arborum, quæ tuæ iam sunt, polituram aggredere.*

DE MALO.

NTER fructiferas arbores malo nulla voluptuosior, pulchrior nulla, nulla delicatior. Sed quoniam pleraq; sunt quæ ad alia quoq; fructuum genera accommodari possunt, multasq; intra se malus species complectitur, hîc malum eam intelligimus, quę plerisq; Italiæ locis nomen suum tutata est: nisi vulgus syllaba prima fructum ipsum Græcæ potiùs enunciationis vocem, quàm Latinę sequeretur. Malum enim dicunt, atque ita omnes vltrà citraq; Apenninum gentes. At circa Padum, ad ipsum vsque Timauum, pomi vocem sibi vnicè vsurpauit. Horum verò pomorum cùm iucundus sit non gustatus solùm, diceret Cicero, sed odoratus etiam & aspectus, amoris in primis hieroglyphicum ex eius simulacro excogitatum est.

AMOR.

Malum amoris symbolum.

QVI QVE amorum agmina pingere delectantur, lusitare eos malis, & inter arbores eiusmodi lasciuire, poma decerpere, abrodere, iactaréque confingunt. Hinc apud Theocritum βωκολιάσαις, βάλλοι τοι πολύφαμε τὸ πόμμιον ἀγαλάτᾳ μάλοισι. Et, *Malo me Galatea petit*, Menalcas ait apud Virgil. *Malo Cydippen Acontius venatur.* Mala non temerè Hippomani Venus elargitur, quæ vsque adeò grata fuerunt Atalantæ, vt zonam abstulerint diu ligatam, de quo Theocriti carmen non indiligenter animaduertendum: F

μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι διὸνύσιο φυλάσσων. *Mala sinu condens Bacchi de tempore sumpta.*

quod interpretes exponunt amabilia, amorem quippe faciẽtia. Mala enim illa Philetas ait de coronatis Bacchi temporibus decerpta: non enim quispiã in amorem ferretur, nisi priùs lætitię titillatione concitaretur: lætitię verò datorem Bacchum Poętę passim celebrant, vt in Vitis cõmentario latissimè declaratum. Apud Lucianum dialogo qui Toxaris inscribitur, legas, ἢ στεφάνως ἠμιμασεῖθες, ἢ μᾶλα τινὰ ἀποδεδηγμένα. Corollas quippe magna ex parte flaccidas, & ambesa quædam mala, morsúve tacta, in amoris indicium à Chariclea matrona nobili Diniæ cuidã dono missitata. Et *missum sponsi furtiuo munere malũ*, memorat Catullus, quod aduentu matris excussum è castę virginis gremio prosilierit. Iam & apud Onirocritas mala venerearum illecebrarum plurimùm indicia sunt, præcipuè verò iis, quorum cogitationes ad amicas suas tendunt. Et mala demùm, præsertim dulcia, Veneri esse dedicata autumant. Philo insuper in hanc sententiam primam illam malũ, cuius fructibus nostri generis authoribus, interdictũ fuerat, ex mystico sensu ab iis, quæ posuimus, non admodùm alieno deducit, quæ Theologi tam Græci quàm Latini multis & magnis voluminibus tractauêre, nobis íd afferre nunc satis fuerit, parentes illos nostros Dei Opt. Max. manibus informatos, vitã primò beatissimam egisse, calamitatum & ęrumnarũ omnium expertem, terra sua sponte omnia ferente. Cæterũ lege aberrantes, quia qua fuerat eis arbore interdictum, non abstinuisset, amœnissimo incolatu pulsos, solum flebiliter vertisse: atq; hinc constare, mali eius gustum omnium ferè malorum causam mortalibus extitisse. Quæ quoniam ex veterum sententiis in Serpente nostro fusè lateq; disputata sunt, minimè mihi videntur hîc ad repetendum necessaria.

AMO

A

AMORIS PROGRESSVS.

Malus cur Amori dedicata.

FA verò de causa malus potiùs, quàm arbor alia, est amori dedicata, quòd eius facies omnem rerum amatoriarum progressum ostendere videatur, earum enim arborum trũci coërciti primùm recti surgunt, à medio verò, vbi dilatari cœperint, in spatia diffunduntur: cuiusmodi etiam in amatore ratio est, qui munus suum semper ab ingenuo pudore quodam cohibitus auspicatur: inde vbi paululùm processerit, frontem perfricat, ac verecundiæ compedibus expeditus, quàquà voluerit liberè peruagatur. Fructus præterea fert aureos & rubicundos, palloris eadem & erubescentiæ, vt ita dicam, signa. Nam apud Horatium *tinctus viola pallor amantium*: & apud Catullũ *quidam inaurata est pallidior statua.* Poma verò ita magis rubescunt, vti magis exposita Soli ab eo contingũtur: perinde ac amator eò magis erubescit, quò nequitia palàm magis profertur, aut in aperto deprehenditur. Sub ipsa malo Amores ludo editi confinguntur, sub qua illi cursitantes, variis mollium herbarum inuolucris impediuntur: quiq; ita sunt implicati vt sese nequeãt exoluere, labore conatúque quodammodò delassati, somno se dedunt, cuiusmodi lasciuia gressus amatorios occupat, & in ergastula cohibet: mox luxu inhæsitantes soporat, profundissimoq; opprimit veterno. Auro insignes eorum pharetræ, aurea quæ inde promuntur tela, auro Danaë capta, auro comparatur, auro detinetur amor. Nudi illi omnes, lætiq; ac alacres obuolitant magno numero circum vnamquamque malum. Amicula eorum variis texta coloribus, multiplicique arte laborata, in herbis neglecta iacẽt, multitudine florum inuoluta: quorum vis magna circumquaque toto eo agro pullulat: neque tamen illi capita coronant, vtpote quibus comæ illæ flauescentes, nitidæ, crispulæ, satis afferant ornamenti. Alarum pinnulas habent cæruleas & puniceas, nonnulli etiam aureas Psit-
B tacorum, Pauonumq; instar, quibus quodam veluti concentu, sonoróque strepitu aëra diuerberant. Sed quid ego de calathiscis, in quos mala congerunt, dicam? quanta illos gemmarum Sardonicarum, quanta Smaragdorum, quanta Margaritarum vis debacchatur? Vulcanum id opus effinxisse putes. Iucundum verò visu est, vt sponte sua, ac suapte vi, ad quantumuis alta, summotaque mala prouolant, vt nulla his scalarum necessitas sit ad scandendum. Sed ne interim alios saltitantes, alios cursitantes, alios quiescentes memorem, vel qualem in abrodendis malis lætitiam præ se ferunt, illud spectatu præcipuè dignum, quod ex his quatuor omnium speciosissimi certamen ineunt, quorum duo malis inuicem se petunt, alij duo sese confodiunt telis, alternis sese ictibus lacessentes, neque dum mutuis vulneribus confodiuntur, vulnera depellere, prohibere, vel declinare quicquam curant, verùm vltrò alter alteri pectus obiectat, ipsisq; vulneribus exponit, eo quidem consilio, vt in medio omnes pectore insideant sagittæ.

AMOR MVTVVS.

EX iis autem certatorum paribus duos illos qui malo lusitant, voti compotes esse dicas. Nam qui iaculatur, exosculatum priùs malum emittit, quod alter sublatis supinisque manibus excipit: neque vlla contatio futura videtur, quin idem comprehenso malo sit oscula relibaturus, atque ita in socium pari certamine remissurus.

AMOR PERDITVS.

EX illo verò sagittariorum pari, vnus alteri vincula iniicit penè moribundo, insultátque ferociùs, vt captiuum faciat. Ille contrà nihil molitur, nihil reluctatur, sed tanquam perdita re, manus vinculis obiectat: proinde qui lusitant, amorem auspicari: qui se feriunt sagittis, nullum amori finem appetere videntur.

C

INIQVVS AMOR.

SVNT & alij ad quos innumeri spectatores confluunt: hi manus in palæstram conserunt animosiores, ac Athlerarum alter, manibus ad alterius humeros appressis, complexus hostem quodam veluti suffocandi studio collidit, subditq; crura astu artificioso complicata, vt pede post colluctatoris calcem obfirmato, vnà ipsum protrudat, & in lapsabũdum super & ipse corruat: neq; tamen alter animum despondet, ac erectus contrà instat & obluctatur, quáque maximè angitur parte colluctatoris manum soluere conatur, vno digitorum obtorto, quo ita aliis facultatem eripiat firmiter apprehendendi. Qui verò digito obtorto læditur, dolore percitus hostis aurem admordet, quo animaduerso Amores cæteri grauiter indignati in perperam & insolẽter facientem, ac luctatorij certaminis leges, iura, fas, atque mores transgredientem feruntur, malisque illũ certatim impetentes, toto in vnum agmine concitato eum in fugam auertunt, totisque hortis eiiciunt eliminántque. Atque ita demùm ludi Amorum omnes circa mala versantur.

PVELLARES INEPTIÆ.

ET mala puellarum ludicrum vocat Nicander in Alexipharmacis.

Τοῖ ἀώρῃ ὥραι Ἐκφυσὶ φαρέεσσι ὲν ἐψήμασι κόραις.

ἐψήματα τὰ παιγνια, exponit interpres: ludunt enim puellæ, oblectanturq; malis. Multa verò huiusmodi quæ ad insaniam propemodùm tendunt, inter ineptientes amatores fieri videmus, vt meritò nonnulli dicant ἀφροδίτην dictam, ὡδὲ τὸ ἀφραινειν, id est, à desipiendo; cùm præsertim Euripides dicat, τὰ μωρὰ γὰρ πάντ' ἐστὶ ἀφροδίτης βροτοῖς, *Mortalium esse ineptias quæcunque Veneris causa fierent.* Atque ob hoc ipsum Catullus amicum Flauium veretur, ne quid ineptiarum faciat.

VENVS.

Veneris statua apud Sicyonios.

IPSA etiã Venus malo insignis est. Nam apud Sicyonios statua ei erecta erat cum malo in manu vna, cum papauere in altera: ex malo quidem amorem, ex papauere vim prolificam, ac seminij copiam significantes. Nam & lepus illi ob fecunditatem dedicatus, id quod in Amoribus Philostratus, vt eius animalis cõmentario alibi explicuimus, summa narrationis lasciuia percurrit. Idem author Venerem in antro statuit molliter in stratis floribus recubantem, iuxta quam fons irriguus vitrea perspicuus claritate prosilit. Ibi amatoriam Veneris supellectilem pyxidas, pectines, specula, cymbala cùm crotalis, omniáque arma pruriginis, amœnitatumq; & illecebrarum alia atque alia illectamenta recensere possis, quibus collustrãdis oculos quidem delassari sentias, satiari verò nunquam. Quòd verò in antro cubitet Venus, apud Græcos est μυχεία ἡ ἀφροδίτη, *Mychea Venus.* quòd secessu & abdito loco gaudeat, μυχοὶ γὰρ οἱ ἐνδότατοι καὶ ἀπόκρυφοι τόποι, *interiores, maximeq; remoti, & occulti obscuriq; loci.* Tum ipsius Deæ munera Latini Furta nuncupauêre, quia celari vult sua furta Venus. Quare Daphnis apud Theocritum in Venerem indignatus, eam in Idam montem remittit ad Anchisem, vbi quercetum est, in quo scilicet occultari possit, nulloq; rubore in molli cyperi prato lasciuire.

NEMESIS.

ERAT & mali arboris ramus in manu læua Nemeseos, quam Marathoniæ pugnæ monumentum Phidias lapide Pario dicitur excidisse Athenis, corona cuius, & ceruis, & paruis quibusdam victoriis insignita: dextera verò phialam tenebat cum Æthiopibus insculptis, propter Oceanum fluuium, quem Æthiopes accolunt. Ea verò de causa mali ramus Nemesi gestandus dedicatur, quòd Veneris habitu Nemesis dea sit primùm solita figurari, vt habetur in Sudæ collectaneis: nam alterum illud de statua Phidiaca, apud Pausaniam est.

SACRVM HERCVLIS.

NEQVE tamen ierim inficias, aliis quoque diis malum fuisse gratam, vt victimarũ loco nonnunquam acciperetur, ac feliciſsimè litaret. Nam si quando Bos, quam Herculi sacerdotes immolare volebant, aufugisset, malum illi ramis quatuor compositis, quadrupedis illius instar sacrificabant. Huius rei mentio est apud Suidam, neque non apud Pollucem. Narraturq; res super

Bœotorum hostia Herculi.

historia de Bœotorum hostia, quę fluuio Asopo ita aucto, vt transiri non posset, eo loco vnde victima erat adducenda, ne qua sacrificio mora fieret, pueros aiunt malum quatuor stipulis vice pedum sustentasse, duásque loco cornuum addidisse, atque ita Herculi obtulisse, cúmque ita litare visi essent, rem in consuetudinem processisse, atque μῆλον inde Herculem appellatũ, quasi Pomonum dicamus. Alij euentum huius pomi pro Boue oblati ad Athenienses transferunt: nam Bœoticum sacrum loco arietis fuisse volunt, Apollodoro hæc apud Zenodotum tradente.

APOLLO.

QVIN & Apollo mali coronam, priusquam laurum seligeret, adamauit, eaq; victores in certaminibus coronari voluit, vt in luculento Archiæ tetrasticho legitur: Τέσσαρες εἰσὴν ἀγῶνες. quod epigramma in omnium iam manibus versatur. Apud Pausaniam legas statuam Apollini μηλάτῃ erectã, siue à malo quo gauderet, siue ob pastoralẽ, quam per aliquot annos vitam egit. Nam μῆλα propriè πάντα τὰ τετράποδα. Vnde vniuscuiusq; quadrupedis tergus melote dicitur, vt obiter Pauli locus animaduertatur ex epistola ad Hebræos capite x I. *Circumierunt in melotis.* Sed & μῆλον ὡς καρπὸς, quippe, vt etiam apud nos, vnumquemque denotat fructum. Ab ea verò æquiuocatione factum vt Herculis sacro, quo de paulò antè dictum, æquipollere malus pro Boue indicaretur, cùm & minimè redargui posset, quin & quadrupes, & eodem nomine victima censeretur. Fructiferarum autem arborum plantatio hieroglyphicè in Diuinis literis accipitur pro disciplina Doctorum, vt sentit Hesychius. Hinc Dauid: *In lege eius meditabitur die ac nocte, & erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Et, *Ego plantaui, Apollo rigauit*, ait ad Corinthios Paulus. Ad hoc pertinet quod de plantatis arboribus lex iubet primo, secundo & tertio anno decerpi nihil: quarto, quæ leguntur, offerri Deo: quinto etiam reliquis vsus permittitur. Ex quo tempora quatuor significantur à tempore legis vsque ad Dauidem, à Dauide vsq; ad transmigrationẽ Babylonis, à transmigratione vsq; ad aduentũ Christi, quibus annis fructus inutilis omnis fuit, sed spes tãtùm promissa bonæ frugis. Christi autem tẽpus prouentũ Deo dicauit, annusq; sanctus appellatus. Anno autem quinto facta omnibus copia, permissusq; fructuũ vsus, tam Iudæis, quàm gentibus, Apostolis eos liberaliſsimè effusiſsiméque distribuentibus. Sed quod ad Pythia spectat, quamuis victores lauro mox coronari cœperint, mala tamen ex Apollinis templo decerpta, vt Lucianus ait, coronis inferebantur. Hinc illud apud Apuleium de Paride: Tunc animo volenti Phrygius iuuenis malum, quod tenebat aureum velut victoriæ calculũ, puellæ tradit. Sunt qui, vti superiùs suo loco dictum, Delphicam laurum baccas tantæ magnitudinis habuisse dicant, vt poma dici meruerint. Plinius maximis quidem eam baccis fuisse memorat, sed nihil ad pomũ. Et Archiam in ea sermonis puritate quicquã impropriè posuisse, mihi persuadere non possum. Si cui tamen de baccis illis grandioribus commentum placet, contrà ego haud sanè multum contenderim: nam & hodie vniuscuiusque arboris fruticíſve baccas Pomella vocitamus.

TRES

TRES HERCVLIS VIRTVTES.

Poma tria in Herculis statua quid.

QVOD verò ad Herculem pertinet, initio diximus statuam eius esse in Capitolio egregiè factam ex ære, Leonino insignem spolio, & claua, quæq; tria læua manu poma contineat: ea significare tres in Heroë virtutes insigniores, quarum vna esset excandescentiæ moderatio, altera auaritiæ temperamentum, tertia generosus voluptatum contemptus. Verùm quòd fabulantur illum, quò mala hæc ab hortis Hesperidum auferret, draconem extinxisse, qui peruigili custodia hortos eos tuebatur, significãt illum concupiscentiæ modum imposuisse, vt alibi per Draconem voluptuosam libidinis mollitudinem intelligi declarauimus ex Philone. Spolium verò Leonis dubio procul generosum animi robur, mentisque præstantiam ostendit. Quid verò claua sibi velit, alibi explicuimus, cùm illam & rationem & disciplinam significare contenderemus, quóque præstantiùs hæc in Hercule vigescunt, eò illi ex firmiori validioríque trunco, quippe ex quercu materia incorrupta clauam attribuunt. Firmitatẽ enim & vires indicari ex quercu superiùs ostensum. Nodosa verò fingitur claua, propter scrupulos & difficultates, quæ virtutem indagantibus, qua duce veram virtutem agnoscere possimus, sese contrà magno errorum agmine contracto frequenter obiiciunt, ac omnibus occurſant locis.

ASTRA SOLQVE.

QVÆ quamuis ita habeant, non desunt tamen, qui aliter philosophentur, & prout quisque huic vel illi deditus est disciplinæ, fabularũ sensum in eam trahit sententiam, quam professionis studiorúmve suorum conditio suggerit. Nam qui moralem sequuntur Philosophiam, ea de malis, quæ superiùs recitauimus, commenti sunt. Qui Astronomia delectantur, per aurea mala, astra significari contendunt, præsertim apud Hesiodum, vbi Hesperides Noctis filiæ commemorantur. Herculem verò Solem esse dicunt, quo decedente preciosa illa messis passim oboriatur, & mortalium oculis offeratur.

VERI AMORIS FRVCTVS.

SED vt ad amorem, vnde digressi sumus, reuertamur, ipsa etiam numismata omnium ætatum testimonio, pomum Veneri dedicatum ostendunt: sed ei Veneri de qua fructus expetitur, propter quem rerum natura amoris vim vniuerso animantium generi elargita est, nempè vt satis ritè seminibus, rerum omnium species prorogentur, æternæq; fiant, quatenus rerũ opifex hanc mundi molem durare permiserit. Ad hanc igitur fœcunditatem numismata nos inuitant, in quibus ipsa prolis susceptio monumentis celebrata est. Nam in Iuliæ Piæ Aug. numo Dea ipsa cum pomo sese ostentat, cuius inscriptio est, VENVS FELIX. In alio ab vna facie, FAVSTINA AVG. ANTONINI AVG. FIL. Ab altera signum molliter stat læua conto innixum, dextera pomum exporrigens, cum inscriptione, VENVS S. C. Quoniam verò plurimæ sunt huiusmodi species, quotidiéque hominum manibus attrectantur, his modum imponemus.

Iuliæ Piæ numus.

DE PERSICO.

PERSICA MILITIA.

ILLVD addam, molles Persarum reges selectorum suorum mille numero thoraces malis insignire consuesse: qua de causa Mellophori appellabantur. Sed quoniam hoc fortè Persicum erat malum, patriæq; nomen secum afferebat, inuitat nos nominis recordatio, vt de

C Persico pomo dictionem nostram prosequamur, rei quidem serie idipsum deposcente.

ACVTVS.

SVNT qui pomi huius acore considerato, qui gustus appetentiam mirificè, quantũlibet etiam maturi, expergefaciat, acutum hominem ex Persici vocabulo significari putent, cùm præsertim apud Plautum legerint, *Qui Persicus sapis.* Cæterùm hoc non à pomo, sed à gente deducitur, quam tali præditam ingenio authores tradunt. Quibus enim purius est cælum, eo acutiore sunt ingenio: *Ingenia acutiora vbi.* &, vt inquit Cicero, *perspicaciores sunt qui ad Orientem, quàm qui ad Septentrionem habitant*: quòd nulla alia de causa prouenit, nisi quòd actus mentis ex calore nascitur, & vigorem inde suscipit. Quare multò maiora & veriora contemplamur æstate, quàm hyeme, quoniam brumali tempore ex crassitudine aëris hebetiores sumus, & frigore pigriores: vis enim ipsa mentis ab igni, id est, à cælo est: tametsi quod verissimum est, Iuuenalis ait:

Summos posse viros & magna exempla daturos,
Veruecum in patria, crassoq; sub aëre nasci.

IN ALIENO COELO MELIOR.

ALII hominem qui domi vel seditiosus, vel tetro aliquo flagitio insignis fuerit, in alieno tamen cœlo, aut patria profecerit, in viamq; redierit, omni animi deposita prauitate, per Persicum ostentãt, propterea quòd aiunt pomum id in Perside, vnde translatum est, veneni vice fungi, eaq; de causa transmissum, vt nobis venenum esset, in Italia tamen mutato solo naturam etiam mutauerit, & salubre repertum sit: quam quidem opinionem admittit Columella, dum scribit:

----Pomis quæ barbara Persis

Miserat

Miſerat, vt fama eſt, patriis armata venenis.
At nunc expoſiti paruo diſcrimine lethi,
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.

Pomi Perſici virtus. Hinc pomum eius innocuum ægris expeti, ait Plinius, neque alium eo pomo innocentiorem eſſe cibum. Dioſcorides ſtomacho Perſica tradit accommodata, quæ ſi matura comedantur, aluum leniant: ſi acerba, ſiſtant: quorum alterutro pro tempore & loco opus eſt. Et nos Romæ aliquando lethali correpti morbo, quo ſtomachus nihil cibi prorſus admittebat, & immiſſum euomebat ueſtigiò, poſt diuturnam inediam non alio cibo adiuti per tres continuas hebdomadas, quã ſingulis pomis huiuſmodi in ſingulos dies ex vino acceptis, hac vna opella præter amicorũ omnium, atque adeò Medicorum etiam ſpem, reuiuiſcere potiùs, quàm conualeſcere viſi ſumus. Sedenim quod de fructus huius tranſmigratione à Perſis fertur, vel, vt plures tradunt, ab Aethiopibus in Aegyptum malo animo tranſmiſſi, naturam ſoli benignitate cõmutaſſe, aliter ſentire Callimachus videtur, qui Perſicum in Aegypto primùm ſatam inquit à Perſeo, verbis his: ἠ πειπάτη περσῆϊ ἐπώνυμῳ, ἧς ὀσόδαμνον αἰγυπίῳ καλέπηξεν. Nicãder verò Mycenis primũ ſatam contendit his verſibus:

Περσεὺς ἦν ποτε ποσσὶ λιπὼν κηφῖδα γαῖαν
ἀυλέν' ἀποτμήξας ἅρπῃ γονόεντα μεδούσης
ῥεῖα μυκηναίησιν ἐνέξησεν ἀρούρης.
Quam quondam Perſeus, poſtquam Cepheia liquit
Littora, præſecta clarus ceruice Meduſæ
Dona Micenææ telluri tradidit.

Perſici pomi origo. Et eruditiores negare Plinius inquit, eam ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam, & ob id Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe, in honorem ataui ſui. Fabulantur autem eam ſemper folia & poma ſubnaſcentibus aliis habuiſſe, cuiuſmodi eſt citriorum natura. Qui verò pomum hoc venenatum in Perſis gigni putauerunt, decepti fortè ſunt nominis vicinitate, nam id de Perſea diligentiores tradunt, quæ omninò alia eſt, myxis rubeſcentibus ſimilis (pruna ea ſunt forbis inſita) in Aethiopia lethalis, in Aegypto ſalubris, quamuis Columella poëtica licentia vtranque confundere videatur, quæ tamen ille ex Nicandro mutuatur, apud quem videnda Commentaria, vbi de phalangis agit.

SILENTIVM.

INTER picturas omninò multas, quibus Aegyptij ſilentium ſignificabant, Perſicum etiam his admiſcuêre, eaq; de cauſa arborẽ eam Harpocrati dedicarunt: fructũ enim habet cordi, folium linguæ ſimile, quaſi ſermonem, qui fructus eſt intelligentiæ, ſedem in corde, non in lingua, habere deceat.

COR.

SANE cor per id pomum oſtendi ita vulgò innotuit, vt id repetere ſuperfluum videatur, cùm noſtro præſertim æuo iuuenes puellæq; paſſim Perſica telo transfoſſa miſſitent, quæ cordis ita exulcerati indicia ſint. Quin & Medici pomum id cordi tradunt mirificè conferre, naturámque aiunt ei cordis figuram impreſsiſſe, vt cui eſſet genitum parti, vel ex ipſa ſpecie patefaceret. Ea quoque manifeſta ſunt, quæ Plutarchus libro de Iſide & Oſiride conſcripſit, arborem hanc Iſidi fuiſſe ſacram, quòd pomum eius humani cordis figuram, folium verò linguæ præ ſe ferat. Nam cùm Iſis σοφὴ τὸ εἶδος ſit, ſapientiam hoc indicat intellectu primum concipi, ſed parum hoc prodeſſe, niſi etiam in mortalium vſum enuncietur.

VERITAS.

QVÒD ſi pomum adhæreſcente folio vno tantùm pinxiſſent, veritatis id ſignum erat, quippe quòd ea ſpecies linguam cordi coniunctam oſtendit, ac perinde ſermo cordis ipſius penetralia adaperiat, non aliud quippe ſentiat, aliud proloquatur: cuiuſmodi orationem ingenuè & citra fucum loquentis eſſe debere diximus in Bulla. Quare Gregorius ad Ioannem Epiſcopũ Rauennatẽ ſcribens, Chriſtiani viri officiũ eſſe monet, ne aliud ore loquatur, aliud in corde habeat.

CÆDES MVLTIPLEX.

SVNT qui cædem multiplicem, omni truculentia perpetratam, ſtragémque multa editã occiſione, ſignificare ſi velint, nucem ipſam Perſicam carne ſpoliatam præferant: nempè quòd in ea teſta, vel oſſeo malumus dicere integumento, omnium telorum quæ punctim cęſimq; feriant, & quibuſcunq; modis lædant, ſigna vulneraq; impreſſa conſpiciuntur, vt in nulla propemodùm re magis quàm in eo cortice multipliciter dilaniando natura laſciuire geſtiuerit.

CVRÆ VARIAE.

ALII ſignificatum ad animam transferunt, qui variis curis ſolicitudinibúſque ſit vndecunq; exulceratus, vt nullum ſit ærumnarum anxietatúmque genus, quo ſe non afflictatum ſentiat, vicémque ſuam miſerrimè deploret.

BONA CITO LABENTIA.

FVERVNT & qui ætatis florẽ, vel vnumquodq; bonum, quod celerrimè deficere videretur, atq; adeò humanæ ipſius vitæ imbecillitatẽ per decerptum Perſicũ & in lance poſitũ, nõ ineptum dicerent hieroglyphicum. Pomum enim nullũ aliud fugacius, longiſsimaq; decerpto bidui mora

A mora ſit, cogátque ſe quamprimùm venundari: quod non immeritò mirantur rerum naturalium ſcriptores, cùm ad eius pretia reſpiciunt: nullius vnquam maiora, cùm memoria proditum ſit tricenis numis ſingula nonnunquam æſtimata. Quare huc fortè illud accommodabitur, quod altiore quodam ſenſu non temerè aures vellicet, à Philodemo, vel, vt alij tradunt, ab epigrammatario Platone dictum nobili diſticho:

Μήλον ἐγὼ, βάλλοι μὲ φίλων σέ τις, ἀλλ' ὑπόδυσον
Ξανθίππη, καἰγὼ τῇ σὺ μαιμνόμεθα.

quam ſententiam nos iure noſtro ita reddidimus:

Pomum ego, quiq; tibi me dat, te deperit, audin'
Flauia, marceſcam nempe ego, tuque etiam.

DE MALO PVNICO.

MALI Punici apud Ægyptios nulla reperi ſignificata: Græcorum nonnulla ſunt, ſed lõgè plura quæ in Diuinis habentur literis.

POPVLOSITAS.

FERAT verò illud præcipuum eius mali ſymbolum, vt populos gentéſque varias vno collegio congregatas ſignificaret. Id ea de cauſa factum, quòd grana illa ſua folliculis quibuſdam aliquo numero ab aliis ſegregata, prouinciarum veluti limites quoſdam præ ſe ferre videantur, & ſingula hominum vel collegia, vel nationes potiùs ab aliis diſtinguere. Varij enim loculi, cicco B quippe ſuo direpti, cum granis ſuis, varias itidẽ gentes, ſuis quaſque finibus terminatas indicant.

IVNO.

CVM verò Iuno regnorum præſes haberetur, malum illi Punicum dedicarant, quod in eius manu Mycenis ſpectabatur, cùm ſceptrum altera teneret, eo opere quod Polycleti fuiſſe ferebatur, de quo apud Pauſaniam. In Iunonis itaque gratiam reginæ cùm ſacrificabant, incuruatam ex malo Punico virgulam in capite geſtabãt, quam à veteribus Inarculum appellari reperias. Sedenim cùm ſatis conſtet Carthaginem Punici regni ſedem in Iunonis tutela fuiſſe, facilè potuit inſigne illud ei accommodari, quo res ipſa ſignificaretur. *Malum Punicum Iunoni ſacrũ.*

POENI.

NAM in aliis quoque veterum monumentis animaduerti fercula Punicis malis ornata præferri, in eorum celebritatem, qui de Pœnis victoriam conſecuti eſſent. Et Africam ipſam muliebri ſpecie apud Pactios Florentiæ vidi, in cuius manu altera, læua quippe, quæ decũbentis molliter capiti ſuſtinendo ſubiecta eſt, malum Punicum habetur: in altera flabellum, ad regionis ardores indicandos. Pro puluillo vndæ duæ, vtrumque mare ſignificant, Oceanum & Mediterraneum, quorum circa ſe ambitum vt oſtenderet, anulos etiam duos in extremos digitos induxit. *Africæ figura.*

MVLTARVM GENTIVM SOCIETAS.

PVNICVM malum tintinnabulo adiectum, cuius ſpecies apud Hebræos potiſſimùm reperias, vt olim Eucherius, mox Gregorius Pontifex interpretatur, vnitatem Eccleſiæ ex multis gentibus in eundem ſonum, hoc eſt, in eadem præcepta conuenientium indicat. Sicut enim, vt ille, inquit, in malo Punico vno exteriùs cortice multa interiùs grana vniuntur, ſic innumeros ſanctæ C Eccleſiæ populos vnitas fidei contegit, quos intus diuerſitas meritorum tenet. Quod verò piorum conuentũs canit, *Et cortex mali Punici genæ tuæ, & floruit vitis, floruerunt mala granata:* Eccleſia, vt Ambroſius ait, bonum fidei fulgorem, confeſſioníſque prætendit, tot Martyrum ſanguine pretioſa, & quod eſt amplius, Chriſti cruore dotata, ſimul plurimos intra ſe fructus vſu iſtius pomi ſub vna munitione ſeruat, & virtutum negotia multa complectitur. Sentit idem Hieronymus, vbi ſextodecima Hebræorum caſtra, Remon Phares dicta, tradit, quod ῥοιὰς καρποφόρον Græci reddidêre: Latini, mali Punici diſſepimenta. Arboris enim huius fructum, granorum numeroſitate refertum, indicare aiunt pij omnem turbam credentiũ, in Eccleſiæ vno gremio quaſi cortice contentã. Addemus, id eo magis vnitatem hanc in Chriſtianis malo granato conuenire, quòd pomum id hoc habet præcipuum, vt quot in vno grana ſunt, tot in reliquis reperiãtur. Nam, vt Africanus ait, parua & magna granata non eo inter ſe diſſident, quòd hæc plures, illa pauciores habeant acinos, ſed quòd parua minores, magna grandiores nutriat: ita Chriſtianæ pietatis opera non quàm multiplicia ſint conſiderantur, ſed quatenus vno eodémque numero, cum fide, ſpe & charitate in vnoquoque deprehendantur, & fine terminóve vno concluſa, vno quippe cortice diuinæ gratiæ comprehenſa, pro vniuſcuiuſque virtutis magnitudine vel exiguitate præmia conſequantur. *Mali Punici ſenſus myſticus.*

NÆVVS.

QVONIAM verò nullum malum Punicum inuenitur, in quo non ſit aliquod granum ſubputre, indicium eſt nullum humanum corpus eſſe abſque næuo aliquo vel cicatrice, nullum quippe hominum reperiri, qui vitio ſine naſcatur, cùm vel iuſtus homo ſepties in die prolabatur. Ita neque collegium vllum eſt in quo non aliquis ſit præuaricator. Vſurpabat ſimilitudinem hanc Thebanus Crates ſecta Cynicus.

SIMV

SIMVLATOR. D

SEDENIM plurimùm ita homines sunt, vt apparere potiùs quàm esse studeant, malumq; Punicum emptorem egregiè ante omnia poma ludificetur, & se probantibus imponat, purpureo scilicet, rubicundo lepidóque cortice spectantibus adblandiendo, mox interiora aperiẽtibus plerunque situm, putorem marcorémque patefaciendo, hinc factum est, vt plerique veterum simulationem probitatis per id genus pomum significari dixerint. Vnde Scholasticus ille seuerioris doctrinæ magister: *Superbus*, inquit, *malum Punicum est, quod interiùs putridum sit, exteriùs verò mirabilem præ se decorem ferat.* Hoc hominum genus ita notat Horatius:

---Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges, iuraq; seruat,
Quo multæ magnæq; secantur iudice lites:
Quo responsure, & quo causa teste tenentur,
Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

Lucianus hos tragœdiarum codicibus auro purpuráque vestitis æquiparat, qui miram ipso compaginationis ornatu pulchritudinem ostentent, adaperti verò non nisi parricidia, incestus, stupra, furores, ærumnas, luctus, familiarum vrbiumq; excidia, & atrocissima profligatissimáque scelera quæque contineant.

VITIVM EMENDATVM.

EVM denique hominem qui vel morum asperitatem, vel vitium aliquod in melius verterit, ac virtute commutarit, significare qui volunt, cuneum ex Pino per mediam arborẽ Punici mali E adactum pingunt. Siquidem euenire ait Basilius, vt si cuneus eiusmodi in acidas Punicas impingatur, ita vt per mediam medullam adigatur, mala saporem ex acido & austero in dulcem atque suauem commutent. Id autem fieri solet ima in parte radici propinqua stipite perforato. Ac perinde magnus ille vir docet, posse vnũquemque sibi vitij medelam enancisci, quando agricultura stirpium qualitates commutare potest: curam autem & studium in animi virtutibus cõsequendis morbos omnes euincere. Nam si modò quis, vt inquit Horatius, *culturæ patientem accõmodet aurem,*
Nemo adeò ferus est vt non mitescere possit.

AMICITIA.

AMICITIAM modis plurimis hieroglyphicè pingi sculpíve posse, toto opere diximus, vt in Palma & fœmina, quæ quamuis mira sit, in suo tamen genere est, maius nescio quid in hedera cum vite, maximum in Punica cum myrto: amant enim se inuicẽ & myrtus & Punica, ideóque, vt obseruauit Florentinus, & asserit etiam Dydimus, ad Punicorum feracitatem myrtus iuxtà serenda est. Quin, vt ait Democritus, ita se amant, vt etiam aliquantò procul positæ radices mutuò complicent. ideóque mutua earum insitio mirificè fœtificat. Si quis igitur fructiferam amicitiam Ægyptiorum in morem scribere voluerit, aptè coronam myrteam malis Punicis ornatam faciet. Coronæ enim ipsius forma, amicitiam, qua quis mutuò deuinctus est, poma illa fructum & vtilitatem inde susceptam indicabunt.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. CARDINALI, D DOMINO MEO, IVLIO MEDICI, FLORENTINÆ REIPVB.

Præsidio singulari, de iis quæ per Rosam & Flores aliquot Senticetáque significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER LV.

INTERROGASTI *me superioribus diebus (Reuerendiss. & Illustriss. Domine) quo exprimi posset hieroglyphico sententia illa, quam toto vitæ tuæ cursu vnicè adamasti, qua nulla moribus integritatiq; proprior conuenientiorq; excogitari posset,* ALIORVM *quippe* PRAVITATEM BONORVM OPERVM OPE PERVINCENDAM. *Cuius quidem argumẽti apud Aegyptios figuræ, apud Græcos symbola, apud nostros documenta innumera cõperiuntur, quæ nunc ineptæ admodum esset morositatis enumerare, cum tu breue quid, Laconicum scilicet dictum aliquod, si fieri posset, monosyllabum, figuræ vnius compendio elaboratum deposcere visus fueris. Ego verò, si in huiusmodi breuitatis angustias includor, à vobis potiùs, hoc est à clarissimo patre tuo Iuliano, Magni Laurentij fratre, argumentum quod in promptu est, mutuabor. Animaduerti siquidem in manu dextera imaginis eius, quam Florentiæ magno in honore habetis, Rosam candore niueo insignem a dpictam, quam pollice foliis superimposito continere videatur. Hoc est mihi breue & expeditum illud hieroglyphicum, quod quæris,* MALA BONITATIS OPE SVPERARE. *Nam*

A *Nam Rosa quid aliud præ se ferat, dum pulcherrimam floris speciem ex calicibus explicat, depulsa spinarum asperitate, quæ floris tam elegantis amœnitatem opprimebant, eamq; quodammodò strangulare videbantur, nisi illa virtute, conatuq; suo semetipsam expediuisset, commodisimeq; patefecisset, indicareq; ita voluerit, nullum esse tam pertinacem in prauitate conatum, nullam tam grauem difficultatem, quam bonitas non possit euincere, dissipare, & imperio suo subijcere? Quoniam verò (præstantissime Domine) in theatrum me iam induxisti, vbi Rosam agerem, quæ flores etiam secum aliquot alios trahit, reliquos eorum actus prosequar ita tamen digestos, vt vbicumque volueris, fabula desinat. Nam verè esset in publica peccare commoda, eum principem magis longioribus implicare, qui tot tantaq; magnarum rerum negotia sustineat. Sedenim qua modestia, quoq; temperamento tua & publica omnia moderaris, parua etiam hæc & exilia quæ nos præstare possumus, per otium inuisere non aspernaberis.*

IMBECILLITAS HVMANA.

AC de bono quidem quod suapte vi prauitatem euincat, satis superq; suffecerit Parrhasij tui gestamen pro hieroglyphico tam congruo, tam proprio. Subsequitur alterum non minoris efficacię, quòd flos is tam venustus, tam suaueòlens, tam pulcher visu, tam suaui odore delectabilis, humanæ sit imbecillitatis hieroglyphicum, ac boni momentanei signum, tam breuis illi vita, tam caducus decor, vt quo die florens vigensq; enituerit, eodem ipso defloreat & elanguescat. Hinc elegantissimus Poëta quicumque ille fuit, qui Rosam, quæ Maroni adscribitur, celebrauit, vel deplorauit potiùs, repẽtinam hanc iucunditatis rapinã ita lamentatur:

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
B *Et dum nascuntur consenuisse rosas.*

Quantum verò illud habet inuidiæ, & acerbæ in rerum naturam querimoniæ?

Quàm longa vna dies, ætas tam longa Rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.

In vniuersum autem flores penè omnes decerpti, sine foliis conspecti, fragilitatis humanæ, aut fugientis boni indicia sunt. Vnde apud infelicem amatorem Theocritus rosam euestigiò tabescere, violam citò senescere, lilium paruo pòst tempore marcescere, & veluti albam niuem illicò liquescentem effluere lamentatur. Quòd verò in antiquorũ memoriis aliquot obserues lilia & rosas & flores alios adhiberi in sepulchrorum ornatum, vetustum esse morem multa huius generis dona Manibus mitti solita indicant. Imò quosdam Testamento etiam cauisse legas, vt iis vel illis floribus quotannis sibi parentaretur, cuiusmodi memoria Rauennæ lapis ita inscriptus:

OB MEMORIAM PATRIS SVI DEC. VII. COLLEGII FABR. M. R. H-S ɱ. N. LIBERALITATE DONAVIT SVB HAC CONDITIONE VT QVOTANNIS ROSAS AD MONIMENTVM EIVS DEFERANT, ET IBI EPVLENTVR DVMTAXAT IN V. ID. IVLIAS. QVOD SI NEGLEXERINT, TVNC AD VIII. EIVSDEM COLLEGII PERTINERE DEBEBIT CONDITIONE SVPRA DICTA.

Sepulchra ornata floribus.

C Et Comi in æde D. Benedicti lapis est stratus memoriis cuiusdam Valerianæ, & Appij Valeriani filij eius, in quo mandatum est vt PER OFFIC. TESSERARIOR. QVODANNIS (ita enim per D scriptum) LECTIS TERNIVM PONATVR ET PARENTETVR. ITEM CORONÆ MYRT. TERNÆ, ET TEMPORE ROSÆ IVLIO TERNÆ EIS PONANTVR. Item Appius Eutychianus maritus eiusdẽ Valerianæ, scholæ vexillariorum largitus est magnam pecuniæ vim, vt quæ ibi notata sunt, fiant: demũ OLEVM ET PROPITIATIONEM PER ROSAM PRÆBEANT. Como Mediolanum proficisci inuitat breuitas itineris rosas huiusmodi decerpturos. Nam in propyleo D. Ambrosij porta Vercellensi legas,

PETRONIO IVCVN. VI. VIR
SENI
PETRONIA MIRA L. F.
PATRONO QVÆ H-S
CCCC. LEG. POSSESSORIB.
VICI BERDOMAG. IN HERM.
TVEND. ET ROSA QVOTANNIS
ORNANDVM.

Vbi Adria Tuscorum, pars inscriptionis cuiusdam est, in qua sestertia numero quadringenta data ad rosas & escas ducẽdas cuidam Ottitio Scroniano omnibus annis. Est etiam monumentum, de quo alibi, P. Corneliæ Anniæ, quæ ne in desolata orbitate superuiueret, viuã se vltrò in arcam

cum viro, defuncto damnauit, vbi scriptum est mandasse illam sacrificio super arcam Plutoni & Proserpinæ peracto rosis eam exornari. Hinc mendum corrigere possumus in appendicibus Virgilio adscriptis, vbi eleganti admodùm in Coppam Elegia, postquàm suasum est aureo redimiculo caput nectere, & indulgere genio, quippe vbi omnia comparata essent ad voluptatem,

-- tum croceo violæ de flore corollæ
Sertaq; purpurea lutea mixta rosa.

subiungitur demùm:

Quid cineri ingrato seruas benevolentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi?

Hic tegi mendosè legitur, quia legendum, *Coronato vis lapide ista legi?* Interrogat enim Poëta, an seuerus is, & priscorum in morem supercilioſus, velit ideò rosas spargere, vt in eius defuncti memoriis legatur testamento cautum, vt quotannis rosæ ad monumentum ei deferantur? Hæc fateor κατὰ παράφρονα, non tamen bonis ingeniis inutilia. Nunc ad hieroglyphica redeundum.

BONVM DE MALO DELIGERE. VEL, BONVM MALO CIRCVMSEPTVM.

ILLVD etiam memoratu dignum, quòd rosæ simulacrum, bonum significat, quod vndique circumseptum sit malis, ac perinde voluptates nostras amaritudinis & asperitatis plenas. Nam, vt Ambros. in Hexamero philosophatur, rosam spina sepsit, tanquam humanæ vitæ speculum ostentaret, quæ quod esse potuit suauitatis, finitimis curarum stimulis sæpe compunctum, amarescere videatur, vallata enim est elegantia vitæ nostræ, & quibusdam solicitudinibus obsepta, vt tristitia semper adiuncta sit hilaritati: quare non illepidè Catullus Venerem, quæ iucunditatis hilaritatisque author præcipuus habetur, spinosas ait in pectore curas serere. Quòd autem rosa & rubet & pungit, affectus amatorij signum esse Placiades affirmat, vtpote qui sine verecundiæ rubore, & facinorosi criminis exulceratione esse non possit. Rosam primùs spinis caruisse Basilius tradit, posteà verò pulchritudini floris abditos esse aculeos, vt quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo inde dolore exulcerati, qui ex delicti recordatione emergit, statim amittamus. Cuius rei monumentum spinas tribulosq; tellus ipsa nobis passim ostentat.

Rosa cur rubet & pungit.

DE VEPRIBVS.

SCELERA.

ATQVE adeò vepres omne genus hieroglyphicè ad delicta nostra referuntur, eaq; de causa CHRISTI caput spinis coronatum, vt indicium hoc esset nostrorum scelerum, quę supra caput suum expianda suscepit. Spinas terra germinat Adamo, quia propter eius præuaricationem peccata pullularunt. Apud Salomonem *spinæ nascuntur in manu temulenti*, actiones eius sceleribus & perperàm quibusq; factis plenas esse commonstrantem. Esaiæ cantico legitur, *Expectatum vti vineæ vuas daret, eamq; spinas protulisse:* spinæ, ait Eucherius loco hoc, hieroglyphicum sunt iniquitatis, vt vua iustitiæ. Sanè ager, vt Hesychius, in Diuinis literis pro diuina accipitur institutione, quam Prophetæ, IESVS, & Apostoli tradidêre, cuius vitis Christus, agricola Pater, in quo absconditur thesaurus, id est, salutaris prædicatio. Semen, verba doctrinæ. Poma, bonorum operum prouentus. Spinæ, scelera, prauaq; consuetudines, atque pestilentes.

Spinæ quid in Diuinis.

ODIVM.

NAM & SIN apud Hebræos, apud nos rubus est, cuius id est hieroglyphicum, vt odium significet, vt octauis apud Hieronymum Hebræorum castris habetur.

ASPERITAS.

VSQVEADEÒ verò rubus in asperitatis significationem abiit, vt homines ingenio morosos & difficillimo præditos, qui præ suo viuendi instituto omnes aliorum mores impendiò fastidirent, per Rubum siccam indicarent: eam enim ita affectam frangas potiùs, quàm minimum flectas. Deniq; rhamnus, vrtica, carduus, sentes, paliurus, & herbæ reliquæ aculeis armatæ, in sacris literis significant homines immites, dolosos, insolentes, & omninò improbos, quos nemo ex probis & mansuetis attrectare potest, contingere vel castigare, sine doloris compunctione, diceret Eucherius.

Rubi hieroglyphica.

PERTVRBATIONES ANXIETATESQVE.

SVNT prætereà omnia hæc perturbationũ, quæ menti nostræ accidunt, hieroglyphica. Rubus, vt sentit Hesychius Hierosolymitanus presbyter, afflictatio ea est, quam nostri Tentationem vocant, asperum quippe virgultum, & quod difficulter manibus attrectare possis. Hinc verò curę, oppressiones, aduersi casus omnes intelliguntur, quibus corda nostra vellicantur, lacerantur, & ærumnosa fiunt, de quibus Paulus ad Timoth. *Omnes qui volunt piè viuere, Christo Iesu dediti, persecutionẽ patiuntur.* Ita apud Græcos dicterium, βίος ἀκανθώδης, pro vita incommoda atque perdifficili.

DIVITIARVM CVRÆ.

HIEROGLYPHICE passim loquitur Euangelium, vt ad hanc sententiam semẽ ait inter spinas concidisse, vnde anxię diuitiarum curæ significantur. Sed durũ fortasse videatur, diuitias per

A per Spinarum vocabulum intelligi, nisi Dominus noster IESVS Christus, qui eo vsus est hieroglyphico, dictum ipse suum explicuisset. Quis enim mihi crederet, ait summus Pontifex Gregorius, si spinas diuitias interpretari voluissem; maxime cùm illæ pungant, istæ delectent, & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctione mentes lacerant: & cùm vsque ad peccatum perrahũt, quasi inflicto vulnere cruentant, & quæ plurima in hanc sententiam disputat. Expectet verò aliquis, vt huc citem locum ex 31. Psalmo: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Sed loco hoc satis fuerit Lectorem admonuisse, in Hebręo codice nullam esse hîc de spina mẽtionem sed de aristarum spiculis, quæ per æstatem torrefactæ facilè confringuntur. Hebraicę prorsus literæ sensus est, vt paulò altiùs repetam, *conuersum esse Humorem*, quod alij pinguedinem reddidêre, *in eam iam ariditatem, quæ spicis accidit eo præsertim tempore, quo aristæ triturantur.* Nam tritura cum magno plurimùm calore venit, vt Maro diceret. Dicendum igitur, *Humor omnis meus ita exaruit vt aristæ* (nam hę ab ariditate nomen habent) *eo æstatis tempore quo tritura ferueſcit.* Et hoc sibi vult illud, *Dum confringitur spica.* Nisi fortè spina in linguis aliquot aliis spicæ etiam significatum habet.

Quomodo per spinas diuitiæ intelligantur

GRATIA.

VT verò diu per senticeta tot peregrinati, postliminiò tandem ad rosam redeamus, ea sine spinis considerata, tum venustatis, tum amoris, in primis autem gratiæ eius signum est, qua quis præditus omnium in se amorem contrahat, omnium sibi animos conciliet. Inde factum est, vt purpureum rosæ colorem Veneris sanguinem esse Poëtæ dixerint, qui quidem ex icto eius pede defluxerit, & rosam, quæ priùs vbique alba erat, aspergine sua continxerit:

Rosa sine spinis hieroglyphica.

B *Illa quidem studiosa suum defendere Adonin,*
Gradiuus stricto quem petit ense ferox,
Affixit duris vestigia cæca rosetis,
Albaq; diuino picta cruore rosa est.

Et Europa, Theocritus: *Dum regiæ puellæ alios aliæ flores legunt, ipsa Regis filia purpuream manu rosam legerat, qualis Venus inter Gratias excellens.* Inde Rosas loqui, prouerbium, de re gratissima iucundissimáque. Et Persianum illud, dum nutricula gratiam omnium alumnulo comprecatur, Deos votis onerando ait: *Quicquid calcauerit hîc rosa fiat.* Sed quod alij fabulosè dicunt, Philosophi illi veteres, qui rerum omnium originem altiùs perscrutati sunt, odorem coloremque illum à Veneris ipsius stella proficiscí autumant. Hinc Maro Venerem roseo semper ore loqui dicit. Quod denique ad afflatum pertinet, nemo luculentiùs expressit, quàm idem explicuerit, eius enim id de Rosa opusculum, de cuius authore dubitatum diximus, Charisius agnoscit. Ait verò Poëta:

Vidi Pestano gaudere rosaria cultu,
Exoriente nouo rosida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primos radios interitura die.
Ambigeres, raperétne rosis tunc aura ruborem,
An daret, & flores tingueret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane, duorum
Sideris & floris est domina vna Venus.
Forsan & vnius odor: sed celsior ille per auras
Difflatur, spirat proximus iste magis.
C *Communis Paphiæ Dea sideris & Dea floris,*
Præcipit vnius muricis esse habitum.

Quò verò Gratiæ significatũ ineſſe rosis apertiùs intelligamus, Indorum etiam monumenta conquiremus: siquidem eorum Magi rosam tanti fecerunt, vt ad conciliandos magnorum principum animos, non alia re quapiam libentiùs quàm rosis vterentur. Libet verò ex eorum dictatis vnum hoc, quod ad argumentũ facit, recitare. Aiunt illi, si Princeps quispiam sacer profanúsve sit adeũndus, quem tibi conciliatum velis, vt & te amet, & votis tuis faueat, atq; benignè respõdeat, obseruandum esse cœli situm, cùm Sol vel in Ariete vel in Leone gradu eo ascendente fertur, quẽ Luna læto feliciq; aliquo aspectu intueatur. Hic tu phialam rosaceo nitidissimo plenam in manum dexteram sumens, facie aduersus Solem conuersa, summis pedibus insistens, & phialã prætendens in hæc verba duodecies repetitione facta, voce clara orationẽ habeas. Saluere te iubeat Deus, ô Planeta tuo potens lumine, ac omnigenæ felicitatis fœcundissime, qui tam formosus, tamq; omnibus exoptatus, tam beneficus oriris radiorum difflatione micantissimus. Tu Sol ille es, qui luce, spiritu & vigore tuo mundum vniuersum regis: tu cœli lampas, tu rerum omnium lumen, tu eorum quæ vbique gignuntur author: tu per vim, quam tibi Deus Opt. Max. infundit, tibi omnia deuincis: tu quatuor mundi cardines continuo infatigabiliq; cursu peruestigas: tu lumen & pulchritudinem ex ipsa diuinitatis facie mutuaris: tu viam luminosam, & perpetuæ vsum lucis nullo interposito velamento Lunæ liberaliter elargiris: tu reliquos stellarum globos luminis tui lampadibus accendis. Quæ si ita habent, exoratum te velim, vt amicitiam, beneuolẽtiam amplexum, & affectum erga me omnium beneuolentiæ in hoc oleo mihi concedas, ita vt me omnes appetãt,

Magis Indicis Rosa in quanto pretio fuerit.

& amicitiam meam vltrò concupiscant, ac perinde maximos minoresq; Pontifices, Reges, Principes, reliquosq; potentiores, Senatum, populum infimumq; gregem mihi amore atque charitate conciliem. Hîc quo illi appellarentur nomine profitebantur, rogabantque insuper & adiurabant, obsecrationibusq; adigebant per eius potestatem, vt amicitia hæc & amor & pietas ita in horum cordibus & linguis & operibus insideret, vt magno se affici gaudio experirentur, quotiescumque hominem eiusmodi intueri atq; alloqui facultas esset. Proinde Sol virtute & potestate sua, vt mores etiam congruerent, hominisq; præsentiam illi omnes admirarentur, honorarent, & esse quantumuis pretij existimarent, efficeret. Ad hæc quędam geniorum nomina intermiscebant, quorum interuentu eadem fieri supplicabant, præcipueq; nomen illud quod amores & amicitias viuificat, & amantum corda in vnum conflat, insolubiliq; copula coniungit. Ea verò tum quia videbantur absurda (sunt enim, vt Lucian. ait, βαρβαρικά τινα & ἄσημα ὀνόματα καὶ πολυσύλλαβα) tum quia ex Christianæ pietatis instituto profana iã habentur, de industria prætermisi. Id ritè cùm exegissent, oleũ summa veneratione susceptum obseruabant, quo faciem obungerent, quotiescumque Principem aliquem adituri essent. Quò minimè ridiculũ videatur, Vlysi in Phœniciam appulso, fracta quippe naui, mari eiecto, & omnium egeno, Deam Pallada oleum attulisse, quo ille perunctus, omni abiecto squallore, quem ex maris salsugine inediaq; per quatriduũ tolerata contraxerat, χάλλει καὶ μέγεθος πλέον, dignior & venerabilior effectus est. Rosaceum verò Homero fuisse cognitum ex eo coniicimus argumento, quòd ῥοδοφὶ ἐλαίῳ Venus Hectoris cadauer obũxerat, quod à canũ iniuria, quibus id Achilles obiecerat, inoffensum prestitit. Tantam inesse Rosæ vim, Homerus persuasum habuit. An nos autẽ oleũ aliud à Venere quàm ex rosa sua comparatũ existimemus? aut alia quapiam ope vsam crediderimus, quàm ea ipsa vi, quam rosis ipsamet infundit, cùm in Carthaginis templo

Restitit Æneas, claráque in luce refulsit,
Os humerosq; Deo similis: nanque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, luménque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Sed quoniam rosa super satis superq; iam prouecti sumus, præteribo Ælij Veri Imperatoris lectulum, minutulumque reticulum foliis rosæ repletum, quem sibi substerni iubebat, in quo Persicis odoribus perunctus recubare consueuerat, maiorem inde sibi gratiam adepturus. Dissimulabóque fabulas Apuleianas, in quib. Lucius ipse priùs in Asinum ex homine cõuersus, rosis toto terrarum orbe perquisitis, tam multa pertulit incommoda, donec demùm oblata earum copia, quas decerperet, humanę formę restitutus, pristino decori & venustati est redditus. Quod autem pertinet ad

Rosæ odor.

odorem, rosa sordidissimum animal Scarabeum, cui res plurimùm est cũ stercore, vt alibi diximus, odore enecat suo. Ῥόδον autẽ eam idcircò appellatam Plutarchus ait, ὅτι ῥόδμα πολὺ ἡδμῆς ἀφίησι, quòd ingenti odoris redundantia diffluat. Diuinæ literæ, vt Cyprianus ait, gloriosam famam appellare solent odoramenta. Vnde Paulus, *Christi bonus odor sumus.* Et quod vnguentum in Aaronis Pontificis barbam diffluebat, bonæ indicem est famæ, quam sibi sacerdos quilibet comparare debet. Et pro martyribus hieroglyphicè poni rosas, à rubore sanguinis, ait Eucherius.

DE LILIO.

VT verò coronam ipsam nostram elegantiùs contexamus, purpureis aderunt lilia mista rosis. Sciẽdum autem in primis, vnumquemq; florem hieroglyphicum esse spei. Nam si spes, vt Speusippus Platonicus finit, est expectatio boni: velut è conuerso, metus, animi con-

Florũ prærogatiua.

cussio in expectatione mali: sicq; floribus inspectis, vsum inde fructuum sperare solemus, nulli dubium erit quin flos sit futuri boni prænuncius, & frugem paulò pòst succrescentem polliceatur. Nam & Themistius ait per florem, vbi præuius apparuerit, in frugis inde nos spem surrigi. Sed quamuis sit hæc florũ omnium prærogatiua, vt nos bene sperare iubeant, vnus tamen præcipuus,

Lilij symbolũ in numis Imperatorum.

quippe lilium, vno omnium consensu hieroglyphici huius primas obtinet. Hîc in antiquorũ monumentis cum inscriptione SPEI, lilij potiùs figuram, quàm alterius cuiusquã floris speciem ostentat. Nam in numo Imp. Alexandri Pij Aug. ab altera facie dea lilium dexterâ prætendit, cuius inscriptio est, SPES PVBLICA. Eadem inscriptio cum lilio manu Deę prætento in Imp. Æmiliani numis habetur. Nusquàm verò frequentiùs neque manifestiùs hæc lilij facies pro spe ponitur, quam in Imp. Claudij P. T. Aug. numis, quorũ vis magna proximis annis in Bellunensi agro effossa est, in quibus Dea ipsa pallam læuâ sustinet, dexterâ lilium prætendit, cum inscriptione, SPES PVBLICA. Et in Tib. Claudij numis eodem gestu Dea, palla quippe sublata, lilioq; dexterâ porrecto, cum literis, SPES AVGVSTA. Eodem statu habituque in Hadriani numo dea lilium prætendit cum inscriptione, SPES P.R. Ac ne tædio sit horum multiplicitas & numerus, hieroglyphici huius non ignarus Maro noster, cùm spem de Marcello conceptam significare vellet, tacita quadam ad clarissimum illum allusione, eruditiùs sanè quàm fronte prima polliceatur, hæc scripsit:

Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos, nec Romula quondam
Vllo se tantum tellus iactabit alumno:

& quæ

A & quæ sequuntur vsque ad versum illum:

-- Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.

Lilia poscit Anchises, quibus donis nepotis animam cumulet, vt inde præreptam iri spem publicam populi Romani, prout ex superioribus numis ostensum, indicaret. Hinc Flaccus cùm spes nostras sæpe fallere animaduertisset, indolisq; bona de manibus sæpe rapi conspexisset, post quàm viuax apium dixit, breue mox lilium subiecit.

CHRISTVS, ANGELI.

IN Diuinis literis lilium, præcipuè album, nunc Christi, nunc Angelorum hieroglyphicum est, à candore quippe iustitiæ, ad quod spectasse volunt Salomonem, cùm dixit: *Flos campi, & lilium conuallium.* Hilarius in Matthæo, præcipuum Angelorum hieroglyphicum ponit lilia, de quibus dictum Euangelio, *Non laborant, neque nent,* quibus scilicet extra humanæ sciẽtiæ eruditionem, suique operis mercedem, à Deo gloriæ candor indultus atque indutus est, ne quid ex principio, labore & arte existimarentur habuisse. Ea autẽ est istius germinis natura, vt cœlestibus Angelorum substantiis aptissimè comparetur: hoc enim efflorescens, cùm à stirpe detentæ humi radicis auellitur, naturæ suę virtutem, licèt aruisse videatur, occultat, & redeunte tempore rursum lilij sui honore vestitur. Ex se igitur reflorescit, sibiq; redditur: quòd sit, quòd vigeat, nec radici nec terræ debet, cùm ille qui se suggerit succus ex se demanet & suffundatur, atque ita annuæ huius viriditatis exemplo, virtutem cœlestis substantię æmulatur, cùm tamen ex eo tantùm quod intra se diuinitùs acceptũ habet, alatur in florem. Ideò ergo lilia non laborant, neq; nent, quia virtutes Angelorum ex ea, quam adeptæ sunt originis suæ sorte, vt sint semper, accipiũt. Generatim verò flo-

Lilij naturæ.

B rem Eucherius hieroglyphicum esse dicit eorum operum, quæ bene riteq; fuerint inchoata: & Canticorum cantico ea de causa Sponsum dicere, *Fulcite me floribus.*

PVLCHRITVDO.

EST & pulchritudinis signum lilium, siue formam, siue colores eius contemplêre, Susasq; mollem delicatamq; Persarum vrbem, vbi Regum erant hyberna, ob mitissimam cœli plagam & amœnitates alias, inde cognominatam tradunt, quòd Susa Persarum lingua lilium sit. Volentes itaque loci pulchritudinem signare, nomen à lilio fecerunt. quamuis Stephanus à multitudine potiùs liliorum, quæ passim illic & feracissimè proueniũt, cognomentum vrbi inditum scripserit. Vtcumque verò, velut à liliis Susæ, non immeritò inter Italicas vrbes à flore Florentia nuncupata, vtpote quę, Domine mi præstantissime, patria hæc tua, quam tam libenter incolimus, tam forma quàm situ, & incomparabili rerum omnium amœnitate, totius sit Italiæ flos: vt inuidè mihi facere videantur, qui Fluentiam antiquum vrbis nomen sibi somniant.

Florentia cur à flore dicta.

PVDICITIA.

PVDICITIÆ, virginitatisq; florem esse lilium, Hieronymus aduersus Iouinianum interpretatur, dum Canticorum cantico Sponsa illa cœlestis *fratruelem suũ inter lilia pasci* canit, hoc est, inter candidissimos virginum choros. Illa enim tota speciosa, nulla notabatur macula, neq; etiam ruga, vt Apostolus addidit. Et quod à Libano accersitur, λεύκασμος, id est, candor interpretatur. Sanè Nymphis qui sacra faciebant, etiam Gentium sacerdotes, lilia præsertim candida offerre soliti erant. Ita apud Propertium Tarpeia:

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Taci.

C Sciendum tamen in vniuersum flores λευκὰ dici ab Apollonio, vt Argonauticõn primo:

ὡς δ' ὅτε λευκὰ κάλυκα φερεσταφύσι μελίσσας.
Pulchra fremunt vt Apes pascentes lilia circum.

Quamuis propriè flos est qui lirium appellatur, quem Theophrastus libro de plantis, narcissum esse dicit, alij autem lilium. Et licèt & pulchra & delicata lilia sint, ea tamen inuisa Veneri ait Nicander in Alexipharmacis, quòd olim de candore cum Dea certare voluerint, eamq; indignatam lilia in asinini pudendi formam transmutasse, adeò nihil tam ridiculum, tam ineptum, quod sibi Græci non permittant.

Lilia inuisa Veneri.

IVNO.

VERVM odium hoc in lilium, inde potiùs processisse videri potest, quòd flos Iunonius lilium esse dicitur, vt ex Deę lacte progenitum, cùm subiecto clam Herculi vbera admouisset, doloque statim cognito se retraxisset: guttas verò lactis aiunt aliquot in terram decidisse, ex quibus mox lilia pullularint. Meritoq; flos Regius etiam appellatur, non à Iunone Regina tantùm denominatione sumpta, sed à Regia qua præstant celsitudine, quòd tanta proceritate super flores alios attollitur, vt ad tria interdum cubita surrigatur.

DE CARDVI SCOLYMO.

ET quoniam hodierna dictio per flores volutatur, bonaq; eorum pars, boni parum admodùm pollicetur, vt conditionem quisque perpendat suam, de cardui Scolymo, déque Fremio quædam minimè dissimulanda.

IMBECILLITAS HVMANA.

IMBECILLITATEM humanæ vitæ sacerdotes Ægyptij nullo significantiore ostendebant hieroglyphico, quàm cardui flore figurato, quem Græci Σκόλυμον vocant. Vnicaulis enim carduus simulac scolymon in calicem apparuerit, florem purpureum mittit inter medios aculeos celeriter canescentem, & abeuntem cum aura, perinde ac spes nostræ plurimùm euanescunt, & minima quaque de causa homines plerumque exanimantur.

MORBI.

SI verò morbos, quibus plurimùm tentatur affligiturq; humanum genus, significare voluissent, Fremi fecissent flores, vel quia rerum natura flores odoresq; de die in diē gignit, magna hominum admonitione, quæ spectatissimè florent, euestigiò marcescere, & vt apud Esa. est: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius flos agri:* siue, vt Cypria. reddit, *omnis eius claritas, vt flos fœni:* simulac enim fœnum aruit, decidit & flos: id quod fatidicus etiam Rex lamētatur, cùm ossa sicut fœnum aruisse clamat. Vel quia tradunt Magi, colligi Anemonas (sic enim Græci vocāt) tertianis & quartanis remedio, posteà allegari florem panno roseo, & in vmbra asseruari, ita cùm opus sit adalligari. Florem hæc habet aut phœniceum, aut purpureum, aut lacteum, qui se nunquam aperit, nisi vento spirante, vnde & nomen accepit, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου scilicet. Quamuis non sum nescius, eruditos esse authores, qui hoc nomine flores omnes intelligant in huiusmodi significatum, quòd floribus omnibus contingat, spirante vento aperiri. Ad eorum verò quæ pulchra, grata, & amabilia putamus, imbecillitatem indicandā, Catullus affectus aliquot accidere ait, velut prati vltimi flos prętereūte postquàm tactus aratro. Quam sentētiam dixisse semel non sat habuit, quare alibi eādem repetit.

Vt flos in septis secretus nascitur hortus
Ignotus pecori, nulli contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauēre puellæ.
Idem cùm tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauēre puellæ. Quem Maro imitatus ait:
Purpureus veluti cùm flos succisus aratro *Languescit moriens.*

Herbæ hieroglyphicū. Neque fortè importunè dixerim, loco hoc herbam in Diuinis literis, vt apud Eucherium hieroglyphicum esse iucunditatis nonnunquam indicare quædam animæ proficientis rudimenta, quæ mox florem, hoc est, spem, inde semen, hoc est, fructum datura sit. Ad superiorem verò sententiam Hilarius in Matthæo, sub hieroglyphico fœni nomine gentes à Deo sæpe nuncupatas ait: *Germen,* inquit hic, *illud est quod virtutis suæ flore dilapso, ad calorem Solis aresçit. Igitur requies nulla gentibus: neque mortis, vt volunt, compendio quies dabitur, sed ipsis corporibus etiam æternitas destinabitur, vt ignis æterni in ipsis sit æterna materies, & in vniuersis sempiternis exerceatur vltio sempiterna.* Et hoc illud est quod Paulus ait: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

DE AMARANTHO.

DE humanæ vitæ imbecillitate, bonisq; caducis & ante diem ereptis hæc per florum imagines Ægyptij afferre consueuerunt.

INOFFENSA VALETVDO.

CONTRA verò si quem inoffensa valetudine vixisse corporis ad extremum vsque dignitate viribusq; seruatis, hieroglyphicè ostendere voluissent, amaranthi corollā capiti eius imponere mos erat. Est autem amaranthus spica purpurea veriùs quàm flos aliquis, asseruaturq; decerpta, ae postquàm defecêre cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas facit: summáque eius hæc natura nomen inuenit ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, id est, propterea quòd minimè marcescat, Amaranthum sit appellatum. Hinc Thessali ad tumulum Achillis libamina & expiationes quotānis oraculi Dodonæi admonitione ferre iussi, cùm omnia quæ sacrificio ritè operando necessaria essent, ex solo patrio asportare consuessent, duos quippe Tauros, albū vnum, nigrum alterum, vtrumque verò mansuetum: syluam ex mōte Pelio cæsam, ignem ex Thessalia, molamq; & aquam ex Sperchio haustam. Coronas insuper amaranthinas primi omnium excogitauerunt, easq; ad sacrum eiusmodi ferri sanxerunt, vt si fortè venti nauem repulissent, aut alia quapiam de causa mora iniecta esset, coronæ tamen neque flaccidæ, neque deformes suspenderentur.

Amarāthi diffinitio.

DE FERVLA.

CASTIGATIO INGENVA.

QVAM Baccho sacrā, & inde ναρθηκοφόρους ministros eius multi tradidēre. Sed quòd ea de causa Baccho dedicetur, quia Asini ea vescantur auidiùs, cùm animalibus reliquis, vt tradit Plinius, præsentaneum sit venenum, leue commentum forsan videatur, quamuis non ignoremus animal id gratissimum fuisse Libero patri victimam. Id verò magis arridet quod à Plutarcho accepimus libro de instituendis mulieribus: hic enim & ferulam & obliuionem Baccho dedicatas ait. Ferulam quidem, propterea quòd virga ea admonitionē significat, qua pueros castigare soliti

A soliti sunt veteres, vt se quoque subduxisse manum ferulę profitetur Iuuenalis, itáque innuere voluerint, quæ per ebrietatem admissa tantùm sunt, pueruli indigeant castigatione. Obliuionem addidêre, puto, per lyncis eiusdem Bacchi simulacrum, quæ pascendo si casu aliquo auertat oculos, propositi cibi obliuiscatur, vt aiunt, & alium quærat. Aiebant verò eorum recordari nō oportere, quę inter vina dicta factáve essent: notum enim illud est, μισσῶ μνήμονα συμπότην. Quòd si quid est cuius meminisse debeat ebrius, ea dubio procul omnia, vt Pythagoræ sententia est, non tantùm reminisci, sed identidem etiam animo repetere debet, quæ in ebrietate ridicula aut perniciosa dixerit fecerítve: id enim vnum esse euitandæ ebrietatis remedium. Nam & Anacharsis ita nos docuit ebrietatem cauere, si quæ ebrij faciant, inspexerimus. Quòd verò Plutarchus admonendis mulieribus ferulam adhibet, aurem nobis vellere videtur, ne distichi illius immemores simus, quod toto terrarum orbe cantatissimum est:

Ebrietatis euitandæ remedium.

Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligati:
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent. Sed ioco iam satis.

PIERIVS VALERIANVS AD IOANNEM ANTONIVM POLLIONEM, GELOVM PRIMATEM, DE IIS QVÆ PER

B Spicam, & Cerealia quædam arma significantur,

EX SACRIS AEGYPTIORVM LITERIS.

LIBER LVI.

QVI verò libentiùs Spicas & Cerealia quædam arma donarim, quàm tibi tam præstanti viro, tam frugi, tam probo, tam benigno, tam liberali? qui præsertim spicam habes in gemma domesticæ nobilitatis insigne: addam etiam, qui Siculus es, magnoq; ingenij acumine præditus, verùm quo non nisi modestè vtaris, atque sapienter. Ero enim ego semper huius rei testis, qui prudentiam, moderationemq; tuam tandiu expertus sum, cùm in eodem conuiuebamus contubernio, ad idem munus tecum à Clemente P. M. delegati, qui nepotes suos adolescentulos nobis commendarat, quos tanta rerum perturbatione vexatos, infelicissimo illo tempore huc & illuc peregrè circumduximus, cùm hostica essent omnia, aduersa omnia, omnia suspecta. Tot illæ erant insidiæ, quæ illi etiam ætatulæ parabantur. Nos tamen per tot rerum omnium difficultates euicimus, vt sospites eos Clementi tandem restituto redderemus, atque ita moribus excultos, quantum in vtroque nostrum fuit, vt nihil iam ad nobilissimæ indolis institutionem desiderari posset. Neque verò Legationes tuas illas memorabo, Germanicas, Noricas, Pannonicas, Bohemicas, Gallicas, Britannicas, & alia tibi sæpe munera demandata, quibus gerendis talem te præstitisti, vt ob sapientiam & probitatem omnibus esses admirationi. Quòd si consiliis tuis faciliores accessissent aures, in tot, quæ mox perpessi sumus, calamitates minimè incidissemus: tot erant ea, quæ desperata ab aliis, tua tu dexteritate restitueras, nisi obstitissent fata, quæ prudentiæ tuæ sese opposuerunt aduersaria, vel, cùm te vera loqui, optima sentire, salutaria consulere homines cognoscerent, quod plerunque accidere solet,

C *optima videntes, ad deteriora tamen sponte non declinassent. Sed hæc missa faciamus. Id vnum profiteri nūquam desistam, quàm iucundum, quàm suaue mihi tum fuerit totum id vitæ tempus, quod in ea non nostra tantùm, sed Italiæ totius communi calamitate vnà conuiximus: quantumq; me tibi debere intelligam, qui non minorem mei consolandi, cùm desperarem omnia, rationem habueris, quàm eorundem, qui nobis commendati erant, Principum. Quæ verò vtrique nostrūm res præter omnium acciderint expectationem, quámque varia fuerit rerum fortuna, longè magis quàm vellemus insident memoriæ, neque quidem si obliuiscì velimus, vllo modo possumus. At dices, Quorsum hæc rerum publicarum commemoratio, si de Spica & Cerealibus futurus est sermo? nempè quòd eò me trahit earum rerum recordatio, quæ toties deambulando, sedendo, obequitando, super iis quæ ad nos & Principes nostros attinebant, fuêre sæpius à nobis non modò præuisæ, verùm etiam deploratæ. Idcirco neque ad Pollionē scribere, neque cum eo loqui, neque quicquam meditari, quod mihi non suggerat eorum sermonum memoriam, qui tam frequentes, tam necessarij quotidie intercidebant. At effluxêre omnia hæc: effluxerint. Vt te igitur audiam, nobis quid nunc agendum, posteaquàm studium, fides, industria, conatusq; noster omnis iis nihil profuit, quibus omnia prospera, felicia, faustaq; cupiebamus, sed euersa omnia sunt, fatone dicam, an eorum culpa, qui recta consulentes aspernabantur? Velimúsne nos aliorum causa in perpetuo esse mœrore, an nostri studij, nostri officij memores ea meditari, quæ aliquam ærumnarum obliuionem afferre possint? Ego nempè post rem certa iam desperatione conclamatam, ad studia me mea retuli, commentationibusq; illis hieroglyphicis, de quibus sæpe tecum, nunc totus incubui: quas cùm per sua quæq; segmenta disponerem, visæ mihi sunt polliceri, fore, vt huius industriæ meæ aliquis fructus iis, qui politiores has literas affectantur, acquiri posset: quare labori nihil quicquam peperci, donec rem omnem digessissem. Ea verò quoniam in partes diuidenda fuit, quæ ad te pertinere arbitratus sum, tibi dedicaui. Vtinam eo tu atque alij animo hæc suscipiatis, quo à me studio atque beneuolentia conscripta sunt.*

DE SPICA.

Insigne Antonij Pollionis.

NYX ille tuus, Antoni Pollio, modiolo, qui spicas duas continet, insignis, ab cuius vtraq; parte copiæ cornua ante admodũ eleganti incisa conspiciuntur, vetustatis omninò venerandæ monumentũ, signũ olim aut Ædilium fuisse, aut eorũ qui rei frumentariæ præerant, facilè credere possumus.

CERES.

Iuliæ Piæ numus.

VIDERE enim est Iuliæ Piæ numum, ab cuius altera facie sigillum est læuâ conto innixum, dexterâ spicã gerẽs, calatho ante pedes proposito, cuius inscriptio est, quarto casu, Cererem.

ANNONA.

T. Cæsaris Vespasiani numus.

EST & T. Cæsaris Vespasiani numus, in quo simulacrum est, quod dexterâ sigillum exporrigit, in cuius vna manu libella est, in altera cornu copiæ, apposita naui, & calatho cum spicis: inscriptio, ANNONA. In eiusdem aliquot aliis eadem omnia sunt præter cornu copiæ: eius loco caduceum spectes: nam & is, vt alibi diximus, in felicitatis significatum accedit, quòd pax ipsa, cuius symbolum est caduceus, rerum omnium copiam & affluentiam inducit.

AFRICA.

Africæ pictura.

SPECTARE verò est, Africæ picturam eo libro, quem de Imperio, magistratibus, & militiæ ordinibus Theodosianis temporibus conscriptum vidimus. Ibi enim vbi de Proconsule Africæ legitur, vrbesq; & officia & magistratus tota ea prouincia distributa continentur, mulier quædam inspicitur, pileo in primis cooperta caput, cærulea palla hinc inde ab vtroque humero reiecta, eaq; ad humum vsq; fusa, interiore verò tunica rubra, imo limbo ad pedis vnius altitudinem albo, cuius superiorẽ inferioremq; marginem aureæ fibræ duæ circumeunt. Brachia nuda vtrinq; exporriguntur, binas vtraque manu spicas ostentantia. Sub pedibus naues duæ frumento onustæ, adpictæ sunt. Literæ supernè sunt, PROCOS. AFRICÆ. Apud Horatium sanè de terræ huius feracitate frumentaria legas: *Quicquid de Libycis verritur areis.* desumptum quidem ex Pindaro, qui φυεφόρον λεὼν in Isthmiis dixit.

BRACCATI MILITES.

IN iisdem monumentis obseruaui gestamen cæruleo colore subobscuro pictum, circulo nigro iuxta marginem circũducto, à summa cuius parte stella adpicta est radiis octo prædita: in medio orbiculus est cum vmbilico, vtroq; coloris aurei: ab eo orbiculo vsque ad circulum qui iuxta marginẽ est, columella summissa coloris rubri: à lateribus columellæ spicæ duæ vtrinque surgunt singulæ, quas auiculæ totidem volatu suspensæ impetunt. Insigne hoc erat eorum militũ, qui BRACCATI IVNIORES appellantur, militabantq; sub militum Præsentiali tunc nuncupato, qui titulus eorum erat notæ, qui Viri illustres vocabantur. Sed vt ad annonã reuertamur, in Hadriani quoque numis corbis est cũ spicis: & in Antonini, spicæ & Cornu copiæ cum eadẽ ANNONÆ inscriptione.

PROVENTVS.

L. Liuinei Reguli numisma.

QVÆ verò spicæ duæ, dolio vuis pleno in earum medio constituto, spectãtur in numo L. Liuinei Reguli, prouentum bonorum, fructuumq; copiam & feracitatem eius viri magistratu vberem ostendit: nam vbi consultũ est iis quæ cibo potuq; inseruiunt, annona omnis largè populo videtur erogata. Vsque adeò verò spicæ prouentus indicia sunt, vt & apud Coniectores reperias eum, qui natas in aure spicas per nocturnam imaginem videre visus fuerat, & delapsa inde grana manibus collegerat, fratris mox demortui hæreditate locupletatum: spicis quippe prouentũ, aure verò fraternitatem ostẽdentibus: germanas enim inuicem esse aures manifestum. In Diuinis quoq; literis spicæ, hoc est, messis eodem modo prouentum hieroglyphicè significant, dicente Domino, *Messis quidem plurima, operarij autem pauci admodum.* Humanam enim messem vredini, procellisque obiectã, cupiebat ille in horrea æternitatis suæ transferre. Hesychius Hierosolymitanus pro messe accipit virtutes, quæ ex Diuini verbi semine oriũtur. At stipula pro nullius boni operis fructu ponitur: vnde Propheta lamentatur: *Hei mihi, vt factus sum sicut qui colligit stipulam in messe.* Idem paleæ, vt illud: *Paleas autem vret igni.*

Spicæ in Diuinis quid, & stipula.

SANE plerumq; inuenias æstatẽ ipsam per spicarũ fasciculũ significari. Vnde apud Nasonẽ: *Stabat nuda æstas, & spicea serta ferebat.* Nonnunquã verò messem ipsam, aliàs & frugum inuẽtorem.

ÆSTAS, ET FRVGVM inuentor.

eadem

MESSIS.

Iulij mensis symbolum.

SED ENIM Hesiodus in Theogonia, falcẽ pro messe posuit, vbi dicit, τὸν δ' ἐξῆι μέγα δρέπανον. subiiciũt interpretes: Drepanõ messis tẽpus. Hinc iuniores spicas duas, manipulos spicarũ interdum duos in transuersum adclinatos, pro mense Iulio ponere excogitarunt, quòd nimirũ eo mense messis omnis triticea demetatur.

TEMPVS.

ET quod pertinet ad falcem, quoniam tempus omnia metit execatq; & aufert, ideò falcem Saturno attributam nonnulli volunt: χρόνος enim Saturnus, cui tempora subiiciũtur, quæ voce

A eadem Græci sola adiecta aspiratione pronunciant, quippe κ in χ versa. In hanc sententiam Maro: *Omnia fert ætas.*

AGRICVLTVRA.

ALII falcem agricolationis totius signum arbitrantur, quod insigne Ianus Saturno dederit à messe & fertilitate, cui posteritas rationem etiam inserendi, & artem faciendi surculos fert acceptas: vnde Saturnum à satu Latini vocitarint.

FRATRES ARVALES.

Spiceæ coronæ hieroglyphica.

ALIO QVI spicea corona fratres Aruales indicabat, quam primùm Acca Laurentia Romulo sacrificanti dedit.

SACERDOTES ARVORVM.

SI verò spicea corona vitta alba illigata esset, sacerdotes aruorum significabat, quorum illud erat insigne. At Cereris caput spicis redimitum spectauimus, in numis quibusdam, ab altera quorum parte spica magna est nonnunquam sola, nonnunquam cum caduceo & lituo, eo quod retulimus significato.

PAX.

QVIN & pacis simulacrum cum spicis figuratur: vnde Tibullus,

At nobis pax alma veni, spicamq; teneto,
Profluat & pomis candidus ante sinus. ---*Pax enim candida primùm*
Duxit araturos sub iuga panda boues.
B *Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,*
Funderet vt nato tecta paterna merum.
Pace bidens vomerq; vigent, ac triftia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.

DIANÆ TRICLARIÆ SACRVM.

ERAT & spicea corona insigne atque gestamen eorum adolescentum, qui Dianæ Triclariæ sunt immolari soliti apud Patrenses, mollienda numinis indignatione, quam Menalippus atq; Comætho templo deæ turpiter violato in ciues contraxêre.

DE LOLIO.

RITICEÆ coronæ gestaminiue contrarium est lolium, quòd quantum seges illa felicitatis affert, tantum hoc infelicitatis, & incommodi: secum enim inuidiam, & quandam animi prauitatem trahit.

PRAVI MORES.

Antisthenis dictum.

MORVM enim corruptorum id omninò indicium est: quare Antisthenes non temerè dicere solebat, absurdum esse triticum à lolio non repurgare, qui sentiret ex hoc inuidos à Republica summouendos, vt Plutarchus interpretatur: tam enim inutiles inuidi sunt ciuitati, quàm lolium est tritico, qui verò inuidus est, suam ipse sibi fouet infelicitatem: quandoquidem Horatius ex Phalaridis sententia dicto sumpto,

C *Inuidia Siculi non inuenêre tyranni* *Maius tormentum*, ait.

Et quod ad corruptos degenereśque mores facit, ita Virgilianus pastor lamentatur:

Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

DE MILIO.

Hominis prouidi symbolum.

MIRTVS ideò humano generi vtilis atque commoda, qua milium egregiè pollet, efficit ne ab hieroglyphicis expelli debeat. Nam si quis hominem, qui declinare sciat infortunia, hoc scripturæ genere ostentare voluerit, aptè Serpentem pinxerit milij surculo circumuolutum, anguis ipsius capite deorsum deiecto, cauda supernè sita: quandoquidem ex milio panis præsumptus, incolumem sospitémque præstat à veneno, naturæ beneficentia, quæ mortale genus remedio tam parabili, atque omnibus obuio, præmunire voluerit contra pestem adeò perniciosam. Idq; tradit Didymus in iis, quæ de re rustica scripsit.

INNVMERA.

SVNT etiam qui spicam milij hieroglyphicè pro millenario numero ponant, ac perinde pro innumeris, quia tale etiam est millenariis significatum. Neque desunt qui numerum ipsum mille à milio dictum velint.

DE

DE MODIO.

SED vt ad onycem reuertamur, modius in ea incisus est: is quid sibi velit explicemus. Sed quoniam in numis, in picturis, in sculpturis, atque aliis antiquorũ monumentis spectare est alibi modium, alibi latè patentem vrnulam, nonnunquam & cyathum, sæpius verò calathum, & quicquid vel humoris, vel solidorum est corporum capax, in Serapidis capite superpositũ (illi enim plurimùm vasa hæc dedicabantur, quòd diuitiarum, & omniũ prouẽtuum numen haberetur) necesse erit hæc omnia colligere, ac veluti vetustas fecit, in vnum cõmiscere.

FRVGVM OPVLENTIA.

Modij siue Calathi vsus.

SIVE igitur modius, siue calathus, siue quid huiusmodi figuretur, frugum id opulentiam indicabit, quas ipse siue Serapis, siue Osiris, siue quocunque nomine δοτῆρ ἐάων nuncupari placeat humano generi, fatu inuento, & aratione commonstrata, comparasse dicitur, de quo multa alibi, & quo pacto Osiris quoque in huius inuenti participatum admitteretur, disseruimus. Illud verò constat, cibarias opes & donaria in canistris offerre, & antiquorum fuisse morem, & nunc palàm omnibus esse, quin etiam vbi liberaliùs, oppiariusq; aliquid erogatum significare volumus, ἄυτο κανοῦ dicere consueuimus. Hinc apud Maronem ferunt nymphæ calathis pallentes violas, & alia dona. Alibi Cererem canistris expediunt ministri. Osirin quoque, neque non Cererem eodem insignitos gestamine Diodorus attestatur, & antiqua pleraque signa ostendêre. Neque verò hîc repetenda sunt ea, quæ plurima docuimus eo commentario quo de Capitis atque adeò Tricipitij significationibus agitur, vtrùm scilicet Serapis pro Sole, an pro Ioue, an pro mundi totius machina, vt Nicocreonti Cyprio Regi ipso est oraculo proditum, accipiendus sit, quoniam eo loco hæc omnia sunt explicata.

AQVA.

Vrna cur Osiridi dedicata.

SED ENIM vrnam potiùs Osiridi dedicatam videas, idq; ea de causa factum, quòd eum nõ vini tantùm, verùm totius humoris dominum intelligebant, eúmque Oceanum, perinde ac Isidem Thetin. Præferri enim vrnam in sacrificiis, qua Deum colerent, mos erat. Hydriam enim quãdam ingentem summo cultu, & atronita penè veneratione prosequebantur, quam obrectãrt, & casta religione susceptam, in sacram ædem solenni pompa gestabant, quò cùm peruenissent, terræ procumbentes manibus ad cœlum sublatis iis gratiam agebant, qui primi diuinæ benignitatis munera mortalium vsui communicassent, vtpote qui ex humore oriri omnia persuasum haberent.

CANOPVS.

Canopi figura vnde.

ALII, qui philosophiam eam eludebant, quorum è numero Ruffinus est, Canopum quẽdam apud Ægyptios in hydriæ speciem figurari solitum aiebant, quòd inuento callido, cùm in certamen contra Persas deuentum esset, victorem ignem euicerit. Persæ enim, vt alibi sæpè ostendimus, ignem numinibus omnibus antepõnunt. Is itaque minutioribus quibusdam foraminibus hydriam, quam contra ignem in periculum adducturus erat, à fundo perterebrauerat, ceráque diligenter obturauerat, qua super ignem solenni certamine posita, vi caloris soluta ignis extinctus expirauit. Quoniam verò de vrnis locupletiùs alibi dictum, reliqua nunc vasa persequemur.

NON CESSANDVM IGNAVITER.

Aenigma Pythagoræ.

SED id quoque nescio quid Ægyptiacum sapit, quòd Pythagoras super modio sedere nos vetat: quippe rationis portionem eam, qua anima ipsa metitur, explorat, atque examinat omnia, non esse otiosa desidia remittendam, habendámve negligenter, verũ omni exercitatione modoq; & regula dirigendã, assidueq; per cogitationis spatia agitandã. Cæterùm D. Hieronymus hoc subindicare dicit, non debere nos de victu solicitos esse in diem crastinum, prout etiam Dominicis præceptis admonemur, quãquam Cyrillus priorẽ sequitur sententiam. Plutarchus in Symposiacis symbolum ita exponit, vt ex præsenti mẽsa semper aliquid in futurũ relinquamus, & crastini diei hodierno meminerimus. Re siquidem parata non erit vlteriùs consultandũ, vt nudipes ille Phrator hospitem eluserit, cùm satur recederet, & ex reliquiis capum integrum coctum in manicã conieciisset: interrogante hospite quid eo facturus esset, in crastinum se asportare, dixit: cui cùm subiecisset hospes, *Atqui lex nobis descripta est, ne de crastino cogitemus:* suscepit ille Phrator, *Pareo igitur legi, qui hoc mihi prandio destinato, nihil quicquam ero super crastino solicitus.* Sed vt in re seria facessant ioci, Plutarchus ad eorum morem, quibus mẽsas inanes tollere magna erat religio, symbolum videtur accommodare. Nam Chœnicẽ pro diurno victu capi, quam Latini Sportulam appellarunt, tum ex eo manifestum est, quod apud Herodotũ legitur, Regibus Spartæ ad cœnam non euntibus binas farinæ chœnices mitti solitas, tum quòd Alexarchus chœnica vocat ἡμεροτρόφιδα. Significaret igitur symbolum, non debere nos in sportulis vitæ nostræ totius ita spem collocare, vt sede in eis statuta, totum vitæ tempus ignauiter desideamus, sed aliquam ineamus rationem, consiliumque capiamus, vt nobis aliquando viuere possimus, opesq; nostræ tandem in nobis ipsis, non in alieno arbitrio sitæ sint. In Diuinis literis Modius hieroglyphicum est dogmatis atque doctrinæ, quã Iudæi profitebantur, veritatis lumen sub eo recondentes: quam sententiam explicat Hilarius super Matthæo: ideoq; proferendam esse lucernam IESVS admonet Apostolos, & quæ apud eũ copiosè.

DIALECTICA.

ZENO multipliciter solitus Dialecticorũ argutias eludere, sed eo præcipuè dicto, quòd eam iustis quidem mẽsuris æquiparauit, quibus tamen non frumentum, sed palcas, simumq; quis dimetiretur. Ita hieroglyphicum Zeno faciebat, Dialecticam ostensurus paleas modio dimensas.

ANIMVS.

Vasis hieroglyphica.

VAS obturatum plerunque animi significatum habere perhibetur. Vnde Lacenæ mulieres Ollas in Regum suorum iustis pulsitabant per vrbem discurrentes, vt ita ciuitatem orbam Rege, animo carere significarẽt, quemadmodum ollæ illæ inanes erant. In Diuinis verò literis vbi Psalmo LXXII. legitur, *Penè effusi sunt greßus mei*, de rupti aut inuersi vasis similitudine sumptum aiunt interpretes: vti enim liquor è vase in terram effusus perditur & euanescit, ita cogitationes suas & animi sentẽtias dicit penè effusas, in vanas scilicet & inanes rerum fabulas euagatas: quod fortè de nobis nugas has scribentibus dici possit. In quo tamen illud me consolatur, quòd multa omninò in his nugis disciplinæ veteris arcana, quæ hactenus sepulta iacuêre, nemine ante me lapidem hunc mouente, industria nunc primùm mea cœpêre in lucem proferri, & tibi similibus quod satis est mihi, & aliis oblectamentum aliquod afferre. In Chaldæorum quoque scriptis, animus appellatione Vasis accipitur: vt illud, *Vas tuũ inhabitant bestiæ terræ*, ira videlicet & libido, cupiditatésque aliæ, quos affectus communes cum belluis habemus, & quod infelicius est, tantæ interdum apud nos authoritatis, vt ad brutalem sæpe nos vitam impellãt. Hoc illud est quod Plato ait libro de Repub. alere nos domi diuersa brutorum genera, quæ Deus ad hominem, vt in Diuinis literis habetur, accersiuit adiumento futura, ea tamen omnia interturbant, omnia subruunt, cùm fræni impatientia nullo possunt regimine, nulla castigatione coërceri: id quod tunc accidit, cùm nostri vigoris, nostræ immemores ingenuitatis, iis spontè nosmet dedimus in seruitutem. Concitatus enim animus, nisi parere cogatur, imperium sibi arripit, & dominationem exercet. Vas animæ vocat Paulus carnem nostram, quam etiam honorificè tractandam monet. Nonnunquam tamen eandem exteriorem vocat hominem. Vas verò Capacitatis nomine dicta est, qua ipsam capit animam & continet. Homo verò de communione naturæ, vt Tertullianus diceret, quæ eam non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium. Apud Hieronymum septimis supra tricesima Hebræorum castra, inuenias nos mortales hieroglyphicè pro fictilibus vasis intelligi, in quibus pretiosissimum thesaurum conditum habeamus, quæ cùm ita fragilia sint, vt vel minutissimè confringi possint, omni studio, cura atque diligentia cauendum, vt cor nostrum rectè muniamus, sepimentisq; validioribus circundemus, vt ad ictus quoslibet firmum integrumq; seruetur. Olla, ait Eucherius, cùm sit condimentorum, quæ ad humanum victum pertinent, receptaculum, in Diuinis literis pro sobole vel progenie solet accipi: nã veluti ex olla desumitur quod ad victũ facit, cuius beneficio humana vita sustinetur, ita de humano vasculo genitura depromitur, quæ in multas hominum ætates propagatur. Ideò Psalmo LX. legas, *Moab olla spei meæ*: hoc est, Ruth, quæ Moabitis fuit, progenies illa est, quam spe concepi: nam Christi generatio, quãtum ad humanitatem, per Ruth ipsam in posteros propagata est. Eodem spectat Apostoli dictum: *In domo magna non sunt tantùm vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, alia quidem in honorem, alia porrò in contumeliam.* Et inhonoratus est Iechonias, quasi vas cuius nulla esset vtilitas: quoniam cùm in domo Dei ex numero esset familiarium, se turpitudinibus sceleribusq; summisit, ideóque ea super homine scripta sunt: *Nunquid vas fictile, curtumq; vel attritum vir iste Iechonias?* At bone Deus, quid aliud clamat Oedipus apud Sophoclem? *Ita me turpibus bellum educastis vas repletum sordibus?* Alibi adapertis thesauris vasa indignationis à Deo prolata comperias, hoc est, reiectos animos, in quibus & ira, & praui affectus reliqui cõcluderentur, de quibus plura apud Theologos. Hesiodi quoq; interpretes dolium vas allegoricè pro vitæ animiq; nostri sustentaculo accipiunt, eo Agriculturæ loco:

Olle hieroglyphicum in Diuinis.

Α'ρχομένῳ δ' ὥσθι κ' ἐπηετανὸν νοέεσθαι. Μεσσόθι φειδέσθαι. κακὸν ἐς τέλος ἐγγυάασθαι.
De summo sattere cado, & cùm cœpit ad imum Deficere, at medio memor esto parciùs vti.

vbi dictum aiunt de pueritia, virilitate, & senectute, quippe pueros & senes iucundiorem vitam agere debere, genioq; liberiùs indulgere: viros verò, ætatem quippe firmiorem, parcè omnia sibi permittere, modumq; voluptatibus omnibus adhibere, vitámque vndecumque laboriosam adamare. Vtrùm verò Hesiodum hoc sensisse dicamus, an quod Alexander Aphrodiseus interpretatur, de vini parte media meliori, viderint alij: nam ad Alexandri sententiam accedit etiam prouerbium vulgò dictatum, *Seram esse in fundo parsimoniam.*

PERSVASIBILITAS.

APVD Platonem in Gorgia, legas Socratẽ ex Itali cuiusdam viri elegãtis cõmento, eam animæ partem in qua vigescunt cupiditates, propter persuasionem credulitatémque lubricam Dolium appellatum, quòd Græci nominis vox πίθος, non à πίω, sed à πείθομαι deduci videatur. At quæsierit fortasse aliquis, quid sibi voluerint dolia duo, quæ olim in sacello quodã Romæ ad cloacam maximam, via quę ad Carinas ducit, habebantur: quo quidem in loco spuere nefas erat: quod porrò sacellum Doliola Plutarchus vocatum ait. Nempè nihil aliud, vt nonnulli tradunt, nisi duo fuisse dolia, alterum in quo Numæ sacra quædam olim reposita fuerint, alterum inane, sed in quo

Doliola Plutarchi.

Gallorum

Gallorum Senonum irruptione sacra quædam à Vestalibus virginibus absconditа seruataq; fuerint, cùm ipsæ metu perculsæ, deserta Vrbe fuga sibi consuluissent. Ibidem aiunt simulacra duo fuisse militari habitu, quæ sedebant, & peila manibus tenebant, quibus titulis suberat, DI PENATES. Significabat verò sessus, firmatam Imperij sedem: peila, hostes summotos procul: arma reliqua, Romani populi virtutem, & munimentum, vt apertiùs alibi singula pertractauimus.

LIBIDINES.

Dolium perforatum. SED vt ad Platonem redeamus, eam animi partem quę libidinibus agitaretur, Italus vir ille pro sapiente citatus à Socrate perforatum dolium existimabat, cuiusmodi essent dementes, profani, & iudicio damnati viri inexplebili incontinentia præditi, qui propter infidam animi compagem, obliuionémque fluxam eorum quæ honesta iustáque percepissent, nihil quicquam infusum continere possent. Ideóque Lucretius hunc secutus ait:

Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus, satiareq; nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circùm
Cùm redeunt, fœtusq; ferunt, variosq; lepores.
Nec tamen explemur vitaï fructibus vnquàm
Hoc, vt opinor, id est, æuo florente puellas
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

HVMANI AFFECTVS.

Philosophorum super modio sententia. PHILOSOPHI, qui sacras literas ad morum tantùm rationem trahunt, cùm in arcam Noës E
omnes ferarum species introductas legerent, arbitrati sunt intelligi debere ex huiusmodi historia in humanum corpus ferinos omnes affectus, cupiditates & appetentias introductas. Sunt verò ex iis, quæ difficulter exarmari cicurarive, aut mansuescere possint. Quare clamat Horatius, *regendum animum, qui nisi paret, imperat*: hunc frænis igitur, hunc catenis compescendum. Rerum itaque opifex terram affluentibus aquis expurgaturus, hoc est, vt Philo ait, animum ab iniquitatibus expurgaturus, Noam in arcam, animi quippe vas, septem ex puris iumentis deferre iubet, visum scilicet, auditum, olfactum, gustatum, tactum, sermonem ac concupiscentiam, quos defæcatos habere decet sapientem, cùm mala innumera ab exlegibus & rationis expertibus animę portionibus erumpant, à quibus maximum assiduumq; bellum insurgit, eo præcipuè tempore, quo mortale genus otio desidiáque torpescit. Quare Persius, vdum & molle lutum ne obdurescat, & ad opus fiat inhabile, properandum, & acri fingendum sine fine rota monet.

INANIS ANIMVS.

IDEM animum fideliæ comparat, percussamq; sonare vitium ait, malignéque respondere, quæ viridi informata limo non satis excocta sit. Et futile illud & apertile vas animũ prorsus inanem ostendere profitetur, cùm dicit, *Effluis amens, contemnere.* Apud nostros etiam vas corpus est: Paulus enim corpus Tabernaculum vocat: nam dubio procul corpus animæ receptaculum est.

SERMO.

QVOD verò monuit Pythagoras, ὄνειον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν, Plutarchus sermonẽ vrbanum, qui cibus est animi, in improbi hominis animum non immittendum esse interpretatur. Epictetus quoq; cùm sermonem Ægyptiorum more pro liquore, aut rore pluuio, vel vnda profluente F
accipiat, in minimè syncerum vas, ne acescat computrescátve, infundendum vetat. Ad quod nimirum respexit Horatius cùm dixit:

Syncerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.

OBLITERANDA MALI MEMORIA.

ILLVD etiam ad animi significatum facit, quòd vbi ollam à cinere sustuleris, vestigium turbandum Pythagoras censet: hoc est, simulatq; deferbuerit, atque resederit animi tumor, mali præteriti memoriam obliterandam, & iracundiæ vestigium omne penitùs tollendum, vt Plutarchus in Symposiacis interpretatur. Eóque diuinum præceptum facit, *Sol non occidat super iram tuam.*

FERENDA MAIORVM DIFFICVLTAS.

QVAM verò ollam nuptæ nouæ postridiè nuptias à matre sponsi petere iubebantur, quam illa & iurgiis & conuitiis asperiùs intortis abnegaret, institutum ferunt apud Leptitanos Libyæ populos, vt sponsa vel ab ipso primordio socrus difficultatem patienter ferre consueseeret.

SERVITIA.

Vasa seruitutis indicia. AMINISTERIO autem vasa seruitutis indicia sunt: vnde apud Plautum legas de insolentissimo adolescente, qui omnes pro solutis scopis habebat: *Nisi mihi matulam dederitis, vos habebo pro matula.* Inter enim vasa viliſsimi vsus lotiaria sunt. Et tale aliquid apud Lucianũ olfacies, ὥσπερ τὸν μιθρᾶ συνόντων, vbi potentiorum fastum tangit εἰς ἀμίδα mingentium. Id vtcũque, in Diuinis quoque literis vasa pro seruitiis ponuntur, propterea quòd non nisi in ministerium aliquod comparantur. Hinc nonnulli quem Psalmi LX. locum ex Eucherio citauimus, *Moab lebes spei meæ*, simpliciùs intelligẽtes exponũt, *Moabitæ ad seruitiũ meum sistendi sunt.* Iam illud de Paulo vulgatissimum.

A mum est, quem pro vase, verùm eo pretioso, Dominus noster IESVS CHRISTVS se professus est elegisse. Ita plurimùm calathus hieroglyphicum est seruitutis, siue corbes, siue cophinus appelletur. Vnde illud de Iosippo ex Psal. citat Eucherius: *Manus eius ad cophinum seruierunt.* Nam & geruli dicuntur viri gestandis oneribus conductitij, & Venetiis passim foro plurimùm cetario, olitorio & boario, qui operam hanc præstant, Cistæ nuncupatione accersuntur. Et quoniam cibum alibi referri ad animi pastum ostendimus, panemq; esse doctrinæ symbolum, duodecim illæ fragmentorum corbes, quæ de profusa Christi liberalitate superfuêre, duodecim Apostolorum doctrinam, vt idem Eucherius sentit, indicasse videntur, quæ ne perirent accuratissimè procuratum.

AMICITIÆ CONFIRMATIO.

Poculũ porrectũ amicitiæ symbolum. POCVLA verò vicissim porrecta, inuitationesq; ad compotandum, amicitiæ confirmationem esse, tam nostri temporis mos est, quàm antiquorum omnium institutum. Hinc apud Maronem Dido cùm Hospitali Ioui libasset, mox Bitiæ dedit, inde alij proceres ad poculum inuitati. Sed nihil pigeat temporariæ hilaritatis ergò Virgilianum super hoc carmen repetisse:

Hîc Regina grauem gemmis auroq; poposcit,
Impleuitq; mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo soliti. tum facta silentia tectis.
Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyrijsq; diem Troiaq; profectis
Esse velis, nostrosq; huius meminisse minores.
Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno,
B *Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.*
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaq; libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro,
Post alij proceres.

Tantali phiala. In huiusmodi significatum trahunt Tantali phialam, ex qua Brachmanæ Philosophi priùs bibere soliti essent, quàm somno indulgerent, humore per se nunquam deficiẽte. Philostratus enim amicitiæ confirmandæ causa eiusmodi comporationem apud eos institutam autumat. Moris huius meminit D. Hieronymus in veteris Instrumenti liminari pagina, sed pro phiala fontem ponit, eodem omninò significato, quo super quidam Grammaticorum proceres diutissimè concertarunt. Mihi verò videtur fontem dixisse Hieronymus, ad vim illam vberẽ & inexhaustam ostendendam, cùm liquor ille, veluti ex perenni fonte, manare quotidiè videretur. De mystico autem eius liquoris significato in Roris pluuij commentario est abundè disputatum.

CONCORDIA.

AD amicitiæ confirmandæ significatum signa etiam veterum numorum accedunt, in quibus frequentissimè pateram exporrigi videas: vt in Orbianæ numis, quorũ inscriptio est, CONCORDIA AVGVSTORVM. Sed & ipsa Dea sella, patera per dexteram porrecta, lęuâ duo copię cornua tenet. Hæc eadem sunt in numo Iuliæ Paulæ Aug. cum inscriptione, CONCORDIA. Sed in Sabinę Augustæ numis, figillum id quod sella sedet, læuâ innititur lanceę, dexterâ pateram porrigit: inscriptio, CONCORDIA AVG.

CLEMENTIA.

C HÆc eadem habentur in numo Antonini Augusti Pij, cuius inscriptio est CLEMENTIA AVG.

LIBERALITAS.

SVNT qui patinam expansam inter hæc Ægyptiorum commenta liberalitatis indicium esse dicant, quod ego nusquam apud veteres, quod meminerim, obseruaui: feliciter tamen excogitatum non negarim, haberéque cum calatho similitudinem, de quo multa superiùs, vbi de modio disseruimus.

VBERTAS.

ALII peluim & guttum eodem penè significato, vel etiam vbertatis significatione describũt: quæq; defunctorum cippis signa huiusmodi hinc inde passim apposita conspiciuntur, nimirum indicant iusta ritè atque liberaliter persoluta, neque esse vt manes quidpiam aliud à pietate nostra desiderent. Speciem verò hanc antiquam esse ex plerisq; veterum monumentis asse- *Sculptura Romæ pulcherrima.*
rimus, sed ex ea præcipuè sculptura, quæ mihi omnium in hoc genere pulcherrima visa est Romæ in Æsculapij pronao, vbi sepulchrum est, à fronte cuius prima patinam & guttum, & corymbos omnibus fructuum generibus, cum pediculis & foliis suis artificiosissimè laboratis suspensos videas, à capite verò speciosissimum candelabrum duabus lauris hinc inde adsitis, cum baccis & foliis suis subtili adeò arte factis, vt ad obtutum tremere & crepitum ciere videantur. In Diuinis verò literis multa super calice proponuntur, quæ si omnia complecti velim, nullus vnquam erit operi finis: quare paucissimis contentus, satis habebo locum aliis intento digito commonstrasse. Argumentum enim hoc totum pertinet ad Theologos.

SVPPLICIVM CAPITALE.

Calicis in Diuinis hieroglyphicũ.

FREQVENTISSIMVM est in Diuinis literis poculum aut calicẽ pro capitali supplicio ponere, quod inter sanctiones suas Athenienses præcipuè susceperunt. Iudiciis enim capitalibus vel cicutæ succum, vel venenum aliud sontibus propinabant, vt ex Socrate & aliis manifestum est. Et Psal. 15. calix pro mortis cruciatu ponitur. Et in Euangeliis eodem significato: *Calicem quem ego bibo, vós ne potestis bibere?* Et: *Pater, si fieri potest, summoueatur à me calix iste.* Apertissimè quoque eo versu Psal. 64. *Quoniam calix in manu Domini vini meri mixtione plenus:* vbi de pœnarum dispensatione sermo est, vt Græci Theologi disputant: Dominus enim vno calice merum propinat, hoc est, amaritudinem suppliciorum. Amariora enim vino tum Catullo, tum aliis dicuntur, quæ meraciora sunt. Altero mistum, hoc est, aquam misericordiæ ad pœnarum temperamentum, quod subsequentia statim verba declarant: *Et effudit ex hoc in hoc,* quamuis qui literam Hebraicam sequi se profitentur, longè aliter rem exposuerint. Illud autem, *Calicem salutaris accipiam,* Euthymius ita interpretatur, vt dicat: *Quoniam tot & tam magna sunt beneficia quæ Dominus in me contulit, vt nullo possim modo parem illi gratiam referre, ita me comparabo, vt si usu veniat, animam propter amorem eius sim audacter effusurus, quippe quouis martyrij cruciatu emoriturus.* Hinc nulla tormentorum atrocitate territus clamat heros Rotatus meus, quem tu libenter adeò legebas:

Ne me effuse cruor, neu me terrete minaces
Mucrones, radijq;. Mox,
Dum carnis grando, dum sanguinis imber inundat, ita precabatur:
-- *Cape prima cruoris*
Libamenta pater, viuo hoc me flumine ab omni
Labe, & ab incestu mortali perlue, vt inde
Hostia pura tuas feriar mactandus ad aras.

Non igitur temerè priùs in tyrannum dixerat:

Vt libet hos artus lacera, suspende, trucida,
Et meus est hæc passus amor. & huiusmodi alia.

Quamquam salutaris calicem & Chrysostomus & plerique alij aliter acceperunt, quod breuitatis causa prætereo.

SAPIENTIA.

Tripos aureus Apollinis.

QVEM verò tripodem aureum Græci Apollini dedicarunt, eiusq; capiti gestandum superimposuêre, sapientiæ hieroglyphicum esse nemo dubitarit, qui norit historiam super eo traditam: extractum quippe tripodem aureum è mari, sapientissimo adiudicatum Apollinis ipsius oraculo, cumq; mortales ad Socratem munus id detulissent, quod ei deberi publico omnium iudicio decretum esset, remisit is tripodem, & Apollini deberi, non cuipiam alteri, respondit.

DE CORNV COPIÆ.

RELIQVA sunt in Onyce tuo Cornua copiæ duo, de quorum significationibus disputare superfluum videatur, propterea quòd nihil his vel vniuerso vulgo notius, quia tamen antiquorum numûm commemoratio, quæ plurimùm ad hoc negotium facit, non iniucunda futura est, hanc quoque partem nihil grauati tractare aggrediemur.

LIBERALISSIMA BENIGNITAS.

Antonini Aug. L. Septimij, & Antonini Pij numismata

ILLVD sanè & antiquum, & maximè celebratum est, in liberalissimę benignitatis & largitionis effusissimę signum Cornu copiæ figurari, quod tum in fluuiorum, præsertim nauigabilium, tum in aliorum numinum manibus, vbi larga significanda sit opulentia, spectatur. Multa verò passim in numismatis eiusmodi cornua videas, nunc liberalitatis, nunc felicitatis, nunc concordiæ, nunc pacis, nunc annonæ, nunc hilaritatis, nunc huius vel illius indicia commoditatis & boni, vt quicquid deniq; lætum aut opportunum humano generi sit, inde nobis afferri videatur. In numo enim Antonini Aug. Germ. simulacrum est læuâ cornu copiæ tenens, dexterâ verò ventilabrũ cereale, cuius inscriptio est, LIBERALITAS AVG. Eadem insignia cum eadem inscriptione habentur etiam in Hadriani numis aliquot. Quem verò L. Septimius Geta Cæsar cusit, sigillum habet cum caduceo in dextera, in læua verò Cornu copiæ, cum inscriptione, FELICITAS TEMPORVM. Duo verò cornua semicirculum facientia vasculis sursum versus erectis, iuxta verò mucronem inuicem colligata, habentur in Antonini Pij numis: inscriptio, FELICITAS. In alio eiusdem Antonini simulacrum est læuâ Cornu copiæ gestans, dexterâ verò intenta face arma à pedibus strata incendit ac perdit, cum inscriptione, PAX ÆTERNA AVG. Sedenim & clarissimæ fœminæ non dissimili ferè argumento numismata meruêre, veluti Iulia Paula, cuius numũ in patera citauimus, cum inscriptione, CONCORDIÆ. Et Marcia Otacilla Seuera Aug. in numo pateram, & copiæ cornua duo præfert, cum inscriptione, CONCORDIA AVG. Eadem inscriptione in Orbianæ Aug. numo, de quo paulò antè. Sunt verò cornua hæc non aduersa, vt quæ in superiore Antonini numo pro felicitate posita sunt, sed inuicem cohærentia.

HILARITAS.

Faustinæ numus.

CONCORDIAM non immeritò sequitur hilaritas, quare venit in mentem mihi numus Faustinæ, in quo sigillum est quod læuâ Cornu copiæ, dexterâ thyrsum à solo ad caput vsq; frondibus & corollis ornatũ tenet, vnde sumpta inscriptionis occasio, quæ huiusmodi est, HILARITAS. In alio quodam surculum palmæ videas à solo supra caput assurgentem, quem medium dexterâ Dea ipsa comprehendit, læuâ Cornu copiæ gestat: inscriptio est, HILARITAS. Non temerè verò vbi pax æterna, ibi concordia: vbi concordia, ibidem hilaritas: ex his autem oritur felicitas, quam in Vespasiani numo caduceo insignem, & Cornu copiæ ornatam videas: cum inscriptione, FELICITAS PVBLICA. Caduceusque idem, atque idem cornu copiæ in Traiani numo est, cum inscriptione, FELICITAS AVG. Horatius quoque hilaritatem & felicitatem huiusmodi eo tempore vniuersæ Italiæ scribit obtigisse, quo tempore rebus ab Agrippa contra Cantabros, à Claudio Nerone contra Armenios optimè gestis, eo loco erat res Romana, vt ex voto omnia succederent: ideóque, vt ille ad Iccium ait,

-- *Aurea fruges* *Italiæ pleno diffudit copia cornu.*

FORTVNA AMATORIA.

Fortunæ simulacrum.

FERAT olim Ægiræ, ea Achaiæ ciuitas est, Fortunæ idolum cum cornu copiæ, iuxta quã Amor alatus assidebat, indicio, vt Pausanias arbitratur, ea quoq; quæ ad amorem pertinent, fortuna magis quàm pulchritudine secundari. Quòd verò diuitias fortunas appellant, neq; incongruè, neque nouo inuento factum. Pausanias enim Bubalum ait omnium primum Fortunæ simulacrum Smyrneis effinxisse, in cuius capite polum statuerit, in altera ex manibus τὸ δ' ἀμαλθείας κεκαλυμμένον
B κέρας, quæ nunc vulgò diuitiarũ cornua nuncupamus. De polo Pindarus, qui τύχην φερεστόλον appellauit. Huc facere videntur κωδωνόμαλα illa, de quibus meminit Aristophanes, Pluto, quę seruorum nouitiorum cùm primùm domum ingrederentur, capitibus ante focum profundebantur, dactyli quippe palmarum, numuli, legumina, caricæ, nuces, & huiusmodi bellaria conseruis omnibus impunè diripienda, quę quidem in annuę vbertatis omen fieri consueuerunt, vel vt ipsi frugi esse meminissent. Institutum mox idem ex Theopompo didicimus fuisse, boni auspicij causa, in sponsi caput.

POCVLA.

Cornua pro poculis olim.

PRÆBVERVNT autem olim cornua poculorum vsum, cùm nondum vasa excogitata essent, vt apud Nicandri interpretes legimus: indeq; κεράσαι, quod miscere est, à cornu deductũ. Siue quòd potatores taurinum quiddam assequantur, quippe animos, ferocitatem, & pugnacitatem, neque dicto neq; facto parcant, sed vt animalia quæ cornibus prædita sunt, ad feriendum sese paratiores ostendant. Vnde Horatius dixit, ebrietatem ad prælia vel inermem trudere: eaq; de causa Bacchum taurinis cornibus insignitum aiunt. Atque hoc illud est quod conuiuas coronari mos fuit. Nam coronam à cornu fluxisse in Commentario suo, & quæ plurima ad hanc rẽ faciũt, ostendimus. Apud Xenophontem tamen de Græcorum reditu plerisq; locis inuenias, eos non nisi corneis poculis acceptos, quòd apud Gentes innumeras cornua vasculorum vsum subministrarent: quare Nicandri dictum ad historiam potiùs, quàm ad Philosophiam referendum.

CLEMENS ANIMVS.

VIDERE verò est Cornua illa copiæ nuncupata & vasa reliqua, variorũ modò fructuum, modò arborum, modò herbarum plena. Quale igitur significatũ habet id quod ex vase pullulat, tale aliquid insidere animo intelligendum: quippe si fructiferæ oleæ ramusculos inspicias, cle-
C mentem animum interpreteris, si Palmam, inuictum, & victoriæ compotem; si Laurum, ab humilibus negotiis, caducisq; rebus alienum, cœlestiaq; & permansura semper attentantem.

ARTES DISCIPLINÆQVE INANES.

Steriles fructus quid in Diuinis secundum Philonem.

PARI modo vasa sterilibus arboribus, & inutilibus fructibus oppleta, hieroglyphicè inanes artes, vanasq; disciplinas ostendunt. Per steriles enim & inutiles fructus in Diuinis literis artes illæ intelliguntur, interprete Philone, quæ contra veritatem iustitiamq; comparantur. In quibus medicinam in primis enumerat, vbi non ad sanitatem, sed ad lucrum comparata sit. Cui mox oratoriam adiungit, aduocatoriam scilicet illam & mercenariam, non ad iustitiã, sed ad decipiendos fallacibus suasiunculis auditores intentam. Iis Dialecticam illam comitem adhibet, quæ nihil ad mores, hoc est, ad veros animi fructus facit, vtpote quæ nugarum tantùm argutiis & subtilitatibus gallinaceum lac ex illo suo copiæ cornu propinare se polliceatur, cùm tamen sit rerum omnium inanis, ollasq;, tantùm, vt Plutarchus de iisdẽ ipsis ait, ostentet. Inuehitur & Origenes in hos ipsos, vbi eos piscibus squama pinnisq; carentibus similes esse dicit, hæsitareque semper in luto, nec ad aquarum superficiem, aërisque participatum vnquam attolli: essĕque hoc genus illud piscium profanum, quod à sacris omninò pellitur.

VERA FOECVNDITAS.

Vera agricultura quæ.

CORNV verò copiæ verum illud est, quod ab animo, qui veram profiteatur agriculturam, impletur. Ea verò est quæ ab agro suo insipientiæ, intemperantiæ, iniquitatis ac fortitudinis arbores exciderit, & à radice penitùs extirparit: voluptatis insuper, cupiditatis, iræ, furoris, & venenorum aliorum plantas ad cœlum vsque porrectas ita eradicarit, vt neque vestigium earum vllum

relinquatur, ac quicquam aliud, quod occulta tacitaq; propagine prorepens aliquando suppul- D lulare contendat. Cuiusmodi verò sint arbores quæ prauos indicent affectus, ostendit Horatius, cùm de spinis pluribus exemptam vnam, nihil aut parum iuuare differit. Atque alibi,

Certemus (inquit) *spinas animóne ego fortiùs an tu*
Euellas agro, & melior sit Horatius, an res.

His inquam euulsis, earum mox loco suppullulent pangantúrve plantæ, quarum fructibus repletum cornu offeramus Deo, vt illud: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni*, quem Deus numinis sui rore fœcundarit, & ad optimam frugem iusserit peruenire, de nobis dum mereamur.

PIERIVS VALERIANVS AD MAXIME' REVERENDVM PATREM LVDOICVM BECCADELLUM, Archiepiscopum Ragusinum, de iis quæ per Papyrum, Fabam, Cicerem, Arundinem, Sinapim significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER LVII.

CVM ea plurimùm de causa, honoratissime Pater, Venetijs, omni Bellunensium hortorum meorum amœnitate posthabita, subsiterim, quòd & tua, & aliquot aliorum præstantium amicorum iucundissima consuetudine frui posse mihi pollicebar, accidit (vt quod ætas iam plusquam septuagenaria sponte afferre solet) modò pedum, modò stomachi imbecillitate laborare cœperim: vnde coactus sum E *me domi, tanquàm intra caueam continere, non ita tamen vt non omnis mea cogitatio ad vos tenderet, & qua ratione congressu vestro frui possem, assiduè cogitarem. Habebam autem ante oculos labores meos in Aegyptiacæ disciplinæ non iniucundam forsitan interpretationem, quam inter amicos impertiebar, meæ erga illos obseruantiæ futurum internunciũ. Cùm dies aliquot, quodnam ex his Commentarijs (id enim operi nomen) Beccadello tam præstanti viro mitterem, examinassem, visum denique est, Papyrum illi, Fabam, Cicerem, Arundinem, & Sinapim dedicare, quod ad eius frugalissimos mores ex amussi facere viderentur. Memineram enim sermonum eorum, qui nobiscum Patauij olim cũ infelicissimo illo adolescente, tam multùm fleto, ad superos, Cosmo Gerio Phanensi, iam Præsule habiti fuerant, cùm iuuenis ille non tam Græcarum Latinarumq; literarum eruditione dubio procul admirandus, quàm sanctissimorum morum & pietatis in primis nostræ propugnator acerrimus, tam doctè, tam copiosè disserere consuerat. Nam cùm de frugalitate sermo è re nata inter nos incidisset, egoq; Papyrum in exẽplum ab Aegyptijs desumptissem, per quam illi victus parsimoniam, frugalitatemq; significare soliti essent. Atqui, Cosmus inquit, quàm multa ea quoque sunt in hanc sententiã tum nostrorum, tum exterorum Ducum, Regum, & Imperatorum responsa, factaq; scitè & sapienter, quæ victus queant petulantiam castigare: cuiusmodi est nostri illius, qui militibus frustra vinum peti respondit, quib. à vicina Nili ripa liceret aquari. Quem secutus Pescenius Niger, Militibus vinum identidẽ efflagitantibus, respondit:* Nilum habetis & vinum quæritis? *Idemq; tumultuantibus his qui à Sarracenis victi fuerant, & dicentibus:* Vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erubescite, *inquit*, illi qui nos vincunt, aquam tantùm bibunt. *Cumq; nos taciti eum libenter auscultaremus, ardore ille iuuenili, honestissimáq; ambitione concitatus, prosecutus est. Quid autẽ Alexãder Macedo? cùm illi Regina Carum Ada, obsonia quædã exquisitissima, magnaq; impensa, nec minori arte & diligentia condita misisset, quã* F *sapienter eam illusit, quæ coquos etiam se missuram offerret, obsonia lautiora, & peritiores coquos habere se domi respondens, nocturnum quippe iter, quod prandium pararet: matutinam frugalitatem, quæ cœnam instrueret. Vnde Philosophi clarissimi dictum,* Nullum obsonium fame melius. *Apud Max. Tyrium legas Mithecum quendam ganeæ magistrum Sparta eiectum, quòd illi labore potius, quàm per condimentorum lenocinia edendi desiderium quæritarent. Illud præcipua memoria dignũ, quod Guefacto Aegyptiorum Regi Bacchoris filio accidisse memorant, qui licèt & ipse inductis à Rege Meni delictis & imbutus & educatus esset. & ferè eneruatus, generosi tamen animi specimen præbuit, cùm exercitum per Arabiæ solitudines duceret: deficiente commeatu, coactus cibum despicatissimum quemque mendicare, humanæ necessitatis commoda locorum vbique satis opulenter suggeri perspexit, ac Regijs demum apparatibus luxu & opulentia posthabitis, nullo vnquam exquisitiori condimento ex eo vsus est, victu eo contentus qui pro locorum natura suppeteret, parcissimè peruixit, remq; sacris annalibus describendam Thebis in templo non incuriosè demandauit, vt reliqui ad frugalem hanc rectè viuendi normam exemplo subinuitati quietiùs degerent. Huiusmodi frugalitatis Cyrus Rex etiam fuisse traditur, qui, vt apud Ammianum legitur, rogatus, ab hospite quidnam ad prandium sibi inberet apparari? Nihil, inquit, quàm panem. Hic tamen tam parcus sibi à Platone reprehenditur Legum III. quòd non & Cambysem filium in eadem parsimonia educandum curauerit: perinde ac Darium etiam appellat, qui se tantùm defraudans, filium negligenter educari permiserit. De Artaxerxe, cognomento Mnemone, memorabile illud constat, cuius direpto in fuga quadam commeatu, cum aridis ficubus & hordeaceo pane vesci coactus esset:* Dij boni, *inquit*, cuiusmodi voluptatis hactenus expers fui? *Hæc, inquam, vt tu quoque meminisse potes, Cosmus noster ex antiquorum historijs referebat, cùm ego circa Aegyptiaca tantùm insisterem, & quam ipsi sententiam ex rerum suarum vsu sequerentur, commemorarem. Declamaueram enim vt cibum illi per papyri figuram significarent, cùm priscis illis herbæ quæque palustres, caules, & radices, quas gustu mites experti essent, victum largè submini strarent, sed omnium maxime Papyrus.*

D E

A

DE PAPYRO.

VICTVS.

Papyri cõmendatio ob radicẽ.

MERITÒ quidem pro victu Papyrus poni solita est, tam ob cibi copiam, quàm etiam ob raram quandam eius herbæ naturam. Licèt enim fructus habeat infœcundos, radicem tamen eam fert, quæ præter quòd ignis gratia vellitur, summam tamen frequentissimamq; opem in re cibaria præstat. Omnes quidem incolæ, & crudam, & assam manducant, & elixa etiam vtuntur, succo tantùm deuorato, cùm alioqui manducamentum expuant. Frugalissimis enim viris, & tenui cibo contentis, satis ad alimoniam succus ille facere videbatur.

PARVO CONTENTVS.

CVM itaque tam larga Papyrus cibi commoda subministraret, inde factum vt quoties hominem paruo contentum innuere vellent, simplici quippe naturaliq; cibo vtentem, quíque in medio positorum, vt diceret Horatius, abstemius herbis viueret, illud dictitarent:

βίβλε ὃ καρπὸς σὸι αἰτεῖ μέγιν σαχιν.

hoc est, non esse vt grauiorem plenioremque aristam disquiratis, cui papyri fructus victui necessaria suppeditare potest. Neque enim Helisæus in præbendis epulis vilis habitus, quamquam oleribus syluestribus amicos exciperet. Inuenio traditum à Chæremone Stoico, quem Martialis, vt factionis suæ maximè contrarium, eludit eo epigrammate:

Quòd nimium laudas Chæremon Stoice mortem,
Vis animum mirer, suspiciamq; tuum.
B *Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus ansa,*
Et tristis nullo qui tepet igne focus.

Aegyptiorũ mos in cultu diuino.

& quæ sequuntur calumniosa omnia: Ægyptios olim omnibus negotiis curisq; reiectis, semper in tẽplo perstitisse, rerumq; naturas, causasq; & rationes siderum contemplari assiduè solitos, mulieribus nũquam se miscuisse, nunquã cognatos & propinquos, ne liberos quidem vidisse, ex eo tempore quo cœpissent diuino cultui famulari: carnibus item & vino semper abstinuisse, imò etiã hac rarò vesci solitos, ne stomachũ onerarent, quę si quando comederẽt, tunsum pariter hyssopum fumebant, vt escam grauiorem illius calore decoquerent: oleũ tantùm in oleribus nouerant. Ecquid loquar, inquit Cheremon idem de volatilibus, cùm ouum quoque pro carnibus vitauerint, neque non lac, quorum alterum carnes liquidas, alterũ sanguinem esse dicebant, colore tantùm mutato? Cubile eisdem ex foliis palmarum, quas βαΐας vocãt, fuisse, assuetosq; bidui atque etiam tridui inediam sustinere. Quare minimè mirũ est in tanta victus parsimonia, eorum corpora, quod plerique authores tradunt, vel nullis odoribus delibuta, sponte auram suaueolentem emisisse, odoratásque transeuntium vmbras miram inspirasse fragrãtiam. Quamquam & Alexandri Macedonis corpus suapte vi aromaticũ quid oboluisse Theophrastus asseuerat: sed forsitan in Rege cura, quod in illis negligentia, præstabat. Quid verò Chæremon scripturus, si nostri generis eremitas per deserta Thebaidos, & montem Sinam inspexisset? Quid, si vniuersa interdum collegia ad durissimam corporum macerationem spontanea etiam supplicia, flagra, labores addidisse cognouisset, nullumq; neque nocte cruciatus alicuius vacuũ tempus sibi permisisse? Sedenim multa Ægyptiis attribuuntur, quę nostræ pietatis proceres præstirêre, præclaraq; illa patientię documenta, dissimulatis nostrorum nominibus, in regionis tantũ, quàm incolebant, laudem transtulerunt. Neq; tamen Ægy- C ptij solùm, de quibus Cheramon Stoicus tam multa disseruit, herbis & arborum tantùm fructibus victitarunt, verùm & gentes reliquę, vt Porphyr. attestatur, hoc cibi genere vsæ sunt aliquandiu: primiq; sacrificantes, non animalia, sed herbas, floresq;, deinde arbores sacrificarunt, atque aromatum suffitu operati sunt, cuiusmodi sunt thymiamata apud Orpheum. Qui verò primi animalibus vesci cœperunt, penuria frugũ id facere coacti perhibentur, quare luculẽter simul ac eruditè Ouid.

At vetus illa ætas cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Quantùm verò illa delectant, quæ tam eleganter Pythagoras apud eundem disserit?

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora, sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidæq; in vitibus vuæ.
Sunt herbæ dulces, sunt quæ mitescere flamma
Mollirive queant: nec nobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.

Varius variarum gentium cibus.

& quæ plurima in hanc sententiã modulatur. Quin & Græcos illos veteres, tanquã proximè Deo genitos, optimos fuisse natura, Dicęarchus Peripateticus asseuerat, nullumq; animal occidisse. Vetus autem Athenienśium cibus, ficus: Arcadũ, glans: Indorum, calami: Carmanorum, palmæ: Mędiorum Sauromatumq;, milium: Persarum, cardamum ac terminthus, vt obseruauit Ælianus. At Eusebius homines ferino ita victu priùs ali solitos, rerum imperitiæ videtur adscribere, vbi dicit:

τὰς δὲ ἀρχὰς γινομένας, τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἀνάπτορα, καὶ σπερμάδη βίῳ κατεσκευασμένα πρὸς τὴν τῶν νομάδων D
ἀγέλαις, καὶ προσφερεῖς τὰ τε βοτάνης τὰ προσωνεστάτην, καὶ τὰς αὐτομάτους ἀπὸ τῶν δένδρων καρπούς. *Homines quippe rerum principio genitos, aiunt parabili ferinoq; victu pasci solitos, sparsimq; in pascua prodijsse, deq; graminibus, quæ mitiora viderentur, cibum sibi comparasse, atque etiam fructus qui sponte, nulla mortaliū cura culti, nascerentur.*

Sedenim vtcumque senserit Eusebius, fuit tamen Theologorum veterum præceptum, animantium nullum sacrificandum, sed vsque ad farinam & mel, terræq; fructus atque flores. Nouit enim Deus (aiebant illi) virum pietatis veræ cultorem, etiamsi minimum quodque folium altaribus intulisset, atque ipsum, quantum, quisque animo, non quantum manibus afferat, intueri. Quod ve-

Porphyrij sententia de carnium vsu.

rò ad carnes attinet, earum vsum Porphyrius libro de Abstinentia, dicit ad salubritatem minimè conferre, sed ei potiùs impedimento esse, eo argumento, quòd per quæ recuperatur bona valetudo, per eadem conseruatur: eam si quando amiserimus, per victū tenuissimum, & præsertim à carnibus alienum, recipimus: per eūdem igitur salubritas in incolumitate perseuerat sua. Sed ne tam multa quę ille conscripsit in hanc sententiā compilem, & Chrysippi Medeam repetam, ad nostra regrediendo, quæ apud pios domi nascuntur apponam, qui quidem ipsius Dei summi prouidētia simplicem victum, & natura ipsa prouenientē, reliquis cibis antelatum autumāt, & perinde debere nos idem approbare. Terra enim antequam Sol creatus esset, germinare iussa, cibum sobrietatis priùs eduxit, quàm reliquos deliciarum atque luxurię, quibus quāuis humana improbitas sit nunc vsque adeò dedita, vt iam vnusquisque supra etiam vires & censum, exquisitiores vberioresq; epulas disquirat, ille tamē cibus diuino primùm effusus munere, sine satu, sine semine productus, tam dulcis & gratus permansit, vt etiam repletis distentisque, voluptati atque vsui sit, & auidiùs appetatur, primis denique mensis appositus, secundis minimè fastidiatur, atque ita simplex diuinitatis E

Helluones hæretici dā nantur.

opus humanam omnem exuperat industriam. Nostri verò tempore helluones institutum ieiunij sacrosanctum ad pietatem nihil facere arbitrantur, totq; iam voluminibus in sanctos mores inuecti, nostram hanc viuendi temperantiam nihil antiquum sapere contendunt, muliercularumq; superstitiones esse, cùm tamen & illi ipsi veteres qui nondum veritatis lumine fuerant irradiati, ieiunia tā multis cæremoniis indixerint. Præcipuè verò Romani ieiunia Cereri feruntur instituisse, M. Acilio Glabrione, P. Cornelio Scipione coss. post victum Antiochum Syriæ regē. Reliquum esset sanctissima tot nostræ pietatis collegia recensere, quæ vt sanctiùs atque castiùs Deo famulentur, perpetuò sibi carnium vsu interdixêre: sed quoniam hæc in omnium oculis versantur, satisq; omnibus innotuêre, iis nunc prēteritis, ad reliqua Papyri significata stylū direxisse prēstiterit.

ANTIQVA PROGENIES.

CVM verò apud Ægyptios nihil eo cibo antiquius haberetur, factum est vt si progeniem anti-
quam describere vellēt, papyraceum fascem pingerent: tametsi nobilitatis nullum inter ipsos discrimen habebatur, sed omnes pariter nobiles censebantur. Herbam verò illam magna veneratione susceptam in manus, quotiescunque diis supplicaturi essent prætendebant, quòd è limo se quoq; genitos profitebantur, atque vnà cum ipso caule se identidem esse palustria propemodùm

Romanorū in Triūphis institutum.

animalia. Eoq; spectare videbatur præclarum Romanorum institutum, qui multis in rebus, tum in ea præcipuè prudentes, cùm hominem re bene gesta summis honoribus decorare instituissent, triumphales illos currus in tunica Iouis decernebant, idq; sapientissimè cauerant, vt ne supra modum insolescerent, à tergo esset qui, *Hominem memento te esse*, identidem succlamaret. ita Tertullianus. Sanè Plinius maximum esse dicit victoriæ signum, cum herba traditur, quia per eam se indicant esse de terra altrice, atque humatione cedere; quamuis Seruius eo carmine Virgiliano, F

Et vitta comptos voluit prætendere ramos,

aliter ex Varronis Ætiis dare herbam exponat. Sanè Virgilius terream & ipse progeniem hominum agnouit, Lactantio ita versum eius referente:

Terrea progenies duris caput extulit aruis,

quod in vulgatis exemplaribus habetur *Ferrea*, id quod nihil ad ea primordia, quæ Maro tangit. Tollenda tamen ex Lactantij codice verba sunt illa, *procreata ex lapidibus*, quæ quidem ex Seruij commentario, importunè sunt eò translata. Sed vt ad Papyrum reuertāmur, vel ob eam, quam retulimus causam, vel ob humilem naturalemq; ortum, vt Diodorus ait, vel q̄ magis humidis quàm siccis cibis victus humani constet alimonia, parem sibi cum Papyro generationem existimabant.

SACERDOTIVM.

Papyrus vsui ca ta sacerdū symbolum.

IPSOS verò sacerdotes suos huius nobilitatis gratia papyraceis calceis insignibant, neq; eos iis ex alia quapiam materia contextos ferre licebat, vsque adeò illa omnia euitabāt, quæ vel minimam impuritatis suspicionem afferre possent. Hinc etiam apud Romanos nostros, huius puritatis ergò, Flaminicis mortuę per se pecudis corio calceos aut soleas fieri nefas habebatur, sed aut occisæ alioqui, vt illud Homericū, ἰφὶ ἠπεδάμοιο, aut immolatę, quoniā hæc macta essent, sua verò morte extincta omnia, vetus illa superstitio funesta esse decreuerat. Atqui etiam Assertor noster præcepit Apostolis suis ne calceamenta pedibus inducerent: quod ita interpretatur Adamantius, vt ipsorum pedes, qui ad annunciandam felicissimæ viæ perpetuitatem properabant, omni carerent mortalitatis indicio. Nam & Moses cùm exiret de terra Ægypti, calceamenta ex mortuis pellibus

A pellibus induxerat, quibus veluti quadam mortalitate constrictus erat: cùm verò cœpit per virtutem proficere, & ad montem Dei conscendere, ibique immortalibus ministrare mysteriis, tunc ei præcipitur vt lora calceamenti soluat, quia locus in quo consisteret, sanctus esset: hoc est, vt indicia mortalitatis, quæ in pelliceis calceis designantur, abiiceret. Quantū verò ad papyracea Ægyptiorum calceamenta pertinet, nonnulli nihil aliud inde quæsitum autumant, quàm puritatis argumentum. Nam eadem de causa pietas nostra indumenta ex lino sacerdotibus imperauit, in quibus omnium ferè gentium & nationum consensus fuit: & eo vestis genere Apollonius Tyaneus semper vsus est, quoniam illa vestis purior & syncerior videretur, quàm vestes ex lanarum aut vellerum pollutione contextæ. Papyrus autem non tantùm calceis conficiundis commoda, verùm & ad multa vtensilia vasorum aptissima: quin & ad nauigia texenda, veláque & tegetes, necnon vestem stragulam, ad funes è libro conficiendos: & nulla denique herba sit, quæ tot & tam variis modis humano consulat vsui, & maiores pluréque afferat vtilitates.

DE FABA.

FABA Ægyptiis instar venerandi numinis fuit, tantęq; religionis, vt eam neque sererent, neque comederent, quinetiam aspicere vererentur: quod Theon Grammaticus apud Plutarchum in Symposiacis enarrat, & alij plerique tradidêre.

IMPROFANABILE NVMEN.

B PER eam velo coopertam improfanabile numen intelligi volebant: quamuis Herodotus vulgi opinionem secutus, id ea de causa factitari solitum dicat, quòd impurum adeò legumen id existimarent, vt non tactu gustúve tantùm, verùm etiam visu profanum haberetur.

FVNVS LVCTVSVE.

NAM & apud Romanos faba inter funesta recensebatur, neque Diali fas erat eam tangere, neque quidem nominare, putabantq; omninò ad mortuos pertinere: nam & lemuralibus iacicbatur laruis, & parētalibus adhibebatur sacrificiis: in flore enim eius luctus quędā inesse literę videntur, vt Festus Pompeius attestatur: & quod ad parentalia pertinet, fabacium epulum in funeralibus ad nostra vsque tempora perseuerat. Sanè Varro ea de causa Flaminem ait ea non vesci, quòd in eius flore literæ illæ luctus indices inueniantur. Aliorum fuit opinio, mortuorum animas *Pythagoræ opinio.* in fabis habitare: inde Pythagoras cùm percussores fugeret, & in aruum fabis consitum incidisset, quà tutus ei dabatur exitus, si se in eam segetem immisisset, ab inimicis potiùs trucidari, quàm fabas animarum conceptacula conculcare maluit.

NEQVITIÆ FRÆNVM.

SVNT qui fabam eam velo coopertam nihil aliud sibi velle disputent, quàm amouendas à magnibus oculisq; nostris omnès nequitiæ causas, vt castiorem agamus vitam: eoq; spectare Pythagoricum præceptum, vt à fabulo abstineamus, quam sententiam Empedocles ita pronunciauit:

Δειλοὶ πῶς δειλοὶ κυάμῳ ἀπὸ χεῖρας ἐλέσθε.
Ah miseri à fabulo miseri seducite dextras.

Cyamon verò, vt inquit Gellius, multi Fabam intelligi voluerunt, peritiores tamen pro testiculis *Faba pro testiculis.* accipiunt, quos ita apertè ac symbolicè Pythagoras appellarit, quia scilicet fabæ mollitudine sua, & ingenita quadam tumoris efficacia, humanæ genituræ vim suggerant, atque insuper facillimæ C sint corruptionis, & deniq; testiculis ipsis forma quàm simillima. Idcirco Empedoclem versu illo, non à fabulo edendo, sed à rei Venereæ proluuio voluisse homines auertere, quibus veluti animi ergastulis liberati, possimus ingenio expeditiorem nauare operam.

NEGOTIA PVBLICA DECLINANDA.

SEDENIM Plutarchus cōmentario de Liberis instituendis, Aristotelem secutus, abstinēdum ex hoc monet à tractandis Rerumpub. muneribus, quòd in creandis magistratibus fabę calculorum vice vsui essent: quem morem pleræq; ciuitates adhuc obtinent. Romani calculis vsi videntur, iisq; albis aut nigris, quorum niger in comitio funestum significabat, vt aliàs Romuli morti destinatus, sed non vsu obuenit. Aristoteles hinc opinatus est ciuiles administrationes à Pythagora improbatas, vt ex eius libro de Fabis Laërtius obseruauit, vsque adeò omnes aliorū dictata sententiasq; suis studiis accommodare contendunt. In Sudæ collectaneis, vbi prouerbium est, *Neque* *Prouerbiū.* *fabas, neque allium comedendum,* fuisse morem apud antiquos legitur, vt in iudiciis fabas esitarent, ne obdormiscerent: id hodie Romæ ludis testaceis ad moræ tædium leniendum, in lupinos aqua maceratos, viliq; per gradus omnes à solis Iudæis institoribus venditatos, conuersum est. Quòd verò allium admiscent adagio, notum est & allia & cæpe cibum esse militarem, dicterióque nos admonitos, si tranquillam agere vitam velimus, neque bellica, neque ciuilia negotia attingenda.

CASTIMONIA.

IDEM tamen Plutarchus dictū in Problematibus aliter quā in educatione puerorū exponit: facere enim ad castimoniā leguminū abstinentiā docet, quòd eos qui sanctè & immaculatè viuere curāt, pura & tenuia corpora habere oporteat, legumina verò maximè vires corporis corroborāt.

Vnde institutum vt Carnæ deæ, quam vitalibus humanis præesse veteres confinxerunt, pulte fabacia & larido sacrificaretur, quòd eo ciborum genere vires corporis egregiè roborentur. Constátque calendas Iunias ea de causa Fabarias vulgò vocitatas, quod sacrum institutum est à Iunio Bruto, à quo etiam mensi nomen. Eadem prætereà tum ob ventositatem, tum ob plenioris cuiusquam nutrimenti redundantiam, plurima itidem purgatione indiget, atque ita Venerem ciere perhibetur. Atqui iubet Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit quod errorem animis perturbationemq; afferat. Didymus Amphiaraum ait primum omnium fabis abstinuisse, quòd is vaticinio per somnium vteretur: impediunt enim aut obturbant fabæ somnia, ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ait Cicero primo de Diuinatione, ne faba vescerentur, quæ res habet inflationem magnam, ac perinde cibus is tranquillitati mentis vera quærentis omninò contrarius est. Idem Didymus ait, fabas corda eorũ qui eis vescantur hebetare: sed eą primùm de causa prohibitas à Pythagora suspicatur, quòd lugubres illæ literæ in earum floribus obseruentur, de quibus suprà dictum. Quantũ verò ad Aegyptios pertinet, deuitabant illi ea omnia quæ animã corpori pertinaciùs affigere possent, néve sensu voluptateq; inualescentibus eam profundiùs in corpus immergerent, vt Porphyrius attestatur, ideóque operã dabant impensissimam, vt non vitiorum tantùm effectus, verùm & affectus ipsos radicitùs extirparent. Hac eadẽ de causa D. Ioannes Nazaræus locustis tantũ & agresti melle toto vitæ tẽpore nutritus, eo simplici tenuiq; cibo contentus, ne corpus ipsius crassioribus pulmentis pinguefieret, & exquisitarũ dapum copia grauaretur. Huiusmodi quippe naturæ corpora nostra sunt, vt escis superfluis grauia reddantur, cumq; ita corpus aggrauatũ fuerit, animam quoque ipsam, quæ per totũ diffusa corpus, eius tentatur motibus, identidem onerari, segnioremq; fieri necesse est. Nãque, vt Sammonicus Poëta dictitare solitus, à comessationũ cruditate vitiato stomacho rectos à cerebro sensus auerti manifestum est. Est & Plotini sententia, qui ventri penitùs obediunt, periculum esse ne senticescant. Sed vndenam veriùs sententiã huiusmodi cõquiramus, quàm à Diuinis literis, vbi de crassitudine animæ tam multa traduntur? Illa nimirũ à Deo verba emanarunt: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Porrò anima quæ peccat, crassior efficitur, contrà verò virtute attenuari, graciliorq; reddi fertur, virtus siquidẽ quicquid in ea corporeũ est, abstergit & perimit, illaq; subla ita fæce, veluti igne examinata purior efficitur. Quare Protogenis pictoris continentiã nunquam satis laudaueris, qui in Ialyso pingendo parcè adeò & duriter vitam duxit, vt nõ nisi lupinis frigida maceratis victitarit, qui simul famem sustinerẽt & sitim, neq; sensus nimia dulcedine obstruerẽt. Dignus ille quidẽ propter quem Demetrius Rex Ialysum ciuitatem, cùm ab ea parte sola posset Rhodon capere, ne tabulas cremaret, non incenderit, dumq; picturæ parcit, victoriæ occasionẽ amiserit. Inuenies apud nostræ pietatis proceres, & fabas, & legumina reliqua tantùm aqua macerata, incõtinentioris vitæ vsum sumpta. Extat Eutychiani Pontificis ad Bęticos epistola, vbi legas, fabas tãtũ, & vuas, & quædã huiuscemodi, ab Apostolis instituta, super altare offerri solitas.

Fabis cur abstinendũ.

Protogenis cõtinẽtia.

DE CICERE.

NEQVE illud est contra hieroglyphicam legem, si quis vel legumen, vel fructum aliquem nomini suo consonum, pro nomine ipso vsurparit, lentem quippe pro Lentulo, fabam pro Fabio.

CICERO.

FECIT enim idem Cicero, qui cùm poculum argenteum Diis esset dicaturus, prænomen ac nomen literis signauit, sed pro Ciceronis, ciceris figuram insculpsit, nihil veritus quòd iam id cognomenti verterat in cauillum, ad grauem vsque amicorum expostulationem monentium, vt ad ludibrium cuitandum aliud sibi cognomen adscisceret, quod nunquam impetrare potuerunt. Cur enim ipse leguminis honorati, maximéque vtilis nuncupationem abhorreret, quod honestissimis familiis olim esset summa cum laude datum, vt quisque scilicet aliquod optimè genus sereret? ita Piso, Lentulus, Fabius vocabatur.

Ciceronis nomẽ à cicere quomodo.

INCOLVMITAS.

SVNT qui per ciceris imaginem rerum indicent perennitatem, siquidem ciceri tantùm nullæ bestiolæ in horreis innascuntur, quin etiam ad olerum incolumitatem excogitatum sit ciceremvnà seri, propterea quòd erucas eum arcere experimento compertum est.

ARIES.

AFIGVRÆ verò similitudine pro arietino capite ponitur, cui ferè nihil similius videas, siue eius pecoris rictum, siue tortuosam in eo cornuum reciprocationem cõtemplẽre: vnde optimo eius generi nomen etiam Arietino, vt Plinius tradit, idq; religio peruigilio solita est adhibere.

MVNIFICENTIA.

INVENIES & inter Romanæ munificentiæ partes cicerum largitionem ab Ædilibus populo erogatam, cuius rei mentionem apud Ciceronem inuenias, vbi *Quæstores magnificentius facere potuisse* dicit, *si quantum in cicere expensum est, in alys, quæ Rempublicam adiuuarent, insumptum esset.* Vnde Horatius de largitionibus ambitiosis,

Munificentia Romana.

In cicere

A *In cicere atque faba bona tu perdasq; lupinis,*
Lætus vt in circo spatiere, aut æneus vt stes
Nudus agris, nudus nummis insane paternis.

Quamquam rem omnem alij referunt ad suffragia, quæ per legumina ferrẽtur. In Florentina ciuitate, vtpote antiquissima Romanorum colonia vtrũque obseruaui, fabis quippe ferri suffragia, & festo D. Præcursoris die, qui apud eos maximè omnium sanctus atque venerabilis est, ciceres à popularibus in siliquis suis publicè tota vrbe perfundũtur, vt omnibus esitare volẽtibus vsui sint.

DE ARVNDINE.

AD papyrum addere libuit arundinem, propterea quòd maximam cum ea originis habet similitudinem: vtraque enim palustris est, terrenóque gaudet plurimùm limoso, multáque & varias afferunt mortalibus vtilitates.

LITERÆ.

SVNT verò plures arundinis species, ac perinde diuersa significata, sed quemadmodum iũcus literas significabat, propterea quòd apud Aegyptios eo vterentur in scribendo, ita calamorum fasciculus, quibus nos vtimur, eadem ratione literas indicat: vt apud Persium,

Inq; manus chartæ nodosaq; venit arundo.

SAGITTÆ.

B ALII calami sunt longioribus internodiis, læuore, proceritate, rectitudine, & soliditate præstantes; per hos sagittas innui, ob vsum, quem his conficiendis præbent, Poëtarũ ferè omnium testimoniis comprobatur.

RESIPISCENS.

QVONIAM verò ex latioribus arundinibus fistulæ plurimùm fieri consueuerunt, cicutis aliquot cera compactis, Aegyptij sacerdotes fistulæ conditione considerata, per eam hominem mente olim captum, postmodùm tamen & mentem & rationem adeptum, quiq; vitæ suæ modum imposuisset, significabant: inanis enim arundo mentis identidem vanitatem indicat, verùm vbi iuncta spiritúque animata concentum harmonicis numeris reddere cœperit, rationis se quodammodo participem effectam ostẽdit. Ad hęc, tanta illi vis, vt furibundum hominem composita modulatione possit in meliorem sedatiorémque mentem restituere, cuius exemplum rei à Pythagora editum in omnium iam ore versatur: neque alia de causa Mercurio adsculpebatur, quem etiam harmoniæ inuentorem fuisse tradunt, nisi quòd proprium est caduceatoris munus, in diuersum abeuntes animos atque dissonas voluntates, ad concordiam & concentum reuocare.

Fistulæ vis.

FRAGILITAS.

ALIO QVI arundo humanæ fragilitatis indicium habebatur. Hinc illud apud Esaiam, *Arundinem quassatam non confringes*, quam sententiam acutissimus Scotus ita dilucidat, vt ex eo debere nos miseratione prosequi peccatores admoneat. Interdum & auxilium infirmũ. Idem Esaias: *Quid confidis in baculo isto arundineo Aegyptio?* cui si quis incubuerit, conquassabitur, & perforabit manum eius.

CALAMITAS.

C AB eiusdem calamitatis significato illud etiam deducitur, vt per diffractas prostratasq; arundines, ærumnæ, damna, iacturæ, & quæ miseris mortalibus accidunt mala, significentur, vocabulo inde etiam apud Latinos facto, vt huiusmodi incommoda Calamitates appellentur.

Calamitatis etymon.

INANITAS.

VVLGATISSIMVM verò illud est, per arundinem inane aliquid significari, cuius rei causa magis re ipsa patet, quàm verbis explicare necesse sit. Illud minimè prætereundum, quòd arundo in Assertoris nostri pro Rege salutati manum tradita, mysterium fuit vani fragilisq; sceptri, super quod Gentes omnes priùs innitebantur, de quo Esaias xxxvi. Ezech. xxix. Regũ iiii. 18. Confidebamus enim in arundinea virga, vel Aegypti, vel Babylonis, vel cuiuscunque alterius principatus, qui Deo contraria sentiret. Eum igitur calamum IESVS de manibus nostris accepit, vt de illo triumphans, pro vano & inani, infirmo fragiliq; bacillo validissimum firmissimumq; nobis sceptrum compararet. Idem Assertor noster ad inanitatem huiusmodi respexit, vbi dixit: *Nunquid spectatum exiuistis arundinem vento agitatam?* Et Psalmo lxviii. legas, *Extimula feras ax arundineto*: per feras aiunt interpretes, Leones intelligendum, propterea quòd apud Ioben legitur, *sub omni arbore dormire Leonem, iuxta quam densentur arundineta*: esseq; Leones illos rugientes, hoc est, dęmones, qui cubile sibi sternunt in arundineto; quippe inter eos homines dæmonem habitare, qui leues inanésque sint, atque etiam instabiles, quos scilicet in petra firmare nequeas, vtpote qui vento vel leuissimo expositi, continuò huc & illuc agitentur dissipentúrque. Deque eadem instabilitate dictum Psalmo altero supra lxxx. *Vt arundinem vento expositam.*

Arundinis Iesu Christi hieroglyphicum.

MENSVRA.

IN numo argẽteo C. Mamilij, ab vna facie Mercurius cum pileo & caduceo, ab altera Mamilius ipse cum arundine & Cane, qui à pedibus illi allatrat. Supra Canem literæ LI. MEA N. quæ

C. Mamilij numus.

omnia

omnia magistratum eius indicant, qui limitibus metandis præfectus fuerit. Arundo enim propter internodia, quæ modò pedum, modò palmorum speciem præ se quandam refert, mensuræ signum habetur: Canis fidei, quam præstare debet is, qui eiusmodi negotio præficiatur. Et à tergo Mercurius concordiam ostendit, quæ ex ipsa limitatione subsequi debeat. De arundine id insuper animaduertendum est, in hanc vsque diem aliquot Italiæ locis vsitatissimam mensuram pedum circiter senum vulgò Cannam vocitari. Id etiam animaduertas in literis numo impressis, ME Ā N, vbi figura Ā Græcæ literæ, pro T A posita est.

SVRDITAS.

SVNT qui surditatem ostendi velint per arundinis panniculā illam densam, oblongā, teretem, grauem, villo vti sericeo præditam, ac arctissimè cōstipatam: eius enim flos, siue potiùs floccus, si aurem intrauerit, exurdat: ideóque plerisque locis Surdones vocitantur. Lanugines eas Latini Pollulas appellarunt, ex quibus strata fieri consueuerunt, sed quæ nihilo secius auribus noceant.

DE SINAPI.

SED iam quid sibi Sinapis velit, inspiciamus: quanquam, vt verum fatear, eram partem hanc prætermissurus, quasi superfluam: quia postquàm super Sinapi ea collegeram, quæ nostra præstare poterat imbecillitas, venit in mentem mihi videre, si quid Theologi nostri, præter quos sequimur Græcos, ea super philosophati essent, cùm ecce primo atque secundo statim sermone, qui Ambrosio attribuūtur, comperi, & copiosè & eruditè, vtile salutiferumq; ex sinapi condimentum esse confectum: quod quidem siue Ambrosij sit, siue cuiusquam alterius, dubitare cepi meum hoc, extante illo, & fatuum & insipidum fortè omnibus apparituru. Posteà cùm me collegissem, & alia me cōdiendi ratione vsum animaduertissem, multasque in domo Domini mansiones esse recordarer, & nullius generis vasa in ea esse, quæ non alicui apta vsui essent, resumpsi animum, porrigente mihi manum Origene, & pudenter, vt decebat, viridia hæc ingressus, alia quædam super Sinapi, quæ Papyro tuo, clarissime Beccadelle, subiungeres, tāquam spicilegus in vnum eundemq; manipulum congesta colligaui. Sed illud prænonebo, sinapin ab Ægyptiis positam me non inuenisse. Sacras verò nostrorum literas, Græcorumq; veterum monumenta habere multa, quæ nostra ex eò locupletare possunt hieroglyphica. Quare non temerè fecisse visus fuero, si huius quoque graminis significationes explicuero.

FOECVNDITAS.

PRÆCIPVVM autem eius significatum, vt ex tenui admodùm principio lætissimæ sit feracitatis indicium. Vnde illud Assertoris nostri dictum, *Si quis habeat fidem quantum est sinapis granum vnum, iussu illius montes transferri, eaq; omnia fieri, quæ nullius conatu imaginationéve effici posse videantur.* Exiguum est enim sinapis semen, & pusillo illud corpore scribit Athenæus: id tamen fœcundæ terræ demandatum, quam diligens & laboriosus agricola poliuerit, omnium olerum maximum euadit, demumq; abit in arborem vel volucribus sustinēdis idoneam. Talis quippe fœcunditas rerum ex antiquæ Theologię nostræ lectione feracissimè prouenit, cuius quidem semina primo aspectu pusilla admodùm videntur, verùm vbi à perito agricola sata fuerint, in immēsum coalescunt, augenturq; in arborem, in ramos, & in virgulta vndequaque prorumpētia, in quibus aues cœli congregentur, vt in sacris habetur institutionibus. Aues igitur, hoc est, disputatores, quod interpretatur Adamantius, quippe Rhetores, qui velut aues cœli leuibus pennis, verborum duntaxat elegantium nitore freti, disciplinarum excelsa priùs sectari, & ardua quæque appetere vidēbantur. Pennata enim Homēro verba. Et per bracteatas argento columbæ pennas, sermones Dei Theologi aiunt intelligendos. Huiusmodi igitur Rhetorum alites, simulac nostram in sinapin inciderint, ipsis denique rationibus, & rei ipsius veritate allectæ, non ingratam sibi sedem in ea delegerunt. Ex cuius quidem ramis non admodùm delicatè frondescentibus, vi tamen sua consistentibus, nullus fortè loquendi decor, sed optimæ vitæ tantùm ratio, quæ sola sit appetenda, decerpitur. Quanquam Hesychius Aues loco hoc Euangelico accipi cōtendit pro Hominibus contemplationi deditis, qui si terrena aliqua tractare necesse habuerint, hoc est, si super sinapis ramo quiescere contigerit, paulò pòst tamen volatu repetito, non ignauiter in sublime tollantur.

Sinapis fœcunditas qualis.

Aues cœlestes quid.

INTELLECTVS EFFICACIA.

INDICAT verò semen ipsum (vt nos quoque de puteo nostro aliquid hauriamus) magnam altissimi intellectus efficaciam, quæ sub exili ac propemodùm contemptibili semine lectionis, vt multi putant, etiam fatuæ, delitescebat. Nam simulac semen id ori ingestū est, ac mandi cęptum, acutissimi vi saporis os omne incendit, omnemq; reliquorum ciborum fatuitatem temperat, condimentumq; omne, cui admixtum fuerit, mirificè commendat, commanducatum pituitam capitis purgat, perq; os egerit. Sic sacra lectio grauedinem intellectus emendat, abstergitq;, vt purificatus, per os, quippe per Doctorum verba, diuina possit mysteria degustare. Nam, vt ait Horatius,

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Vires seminis ipsius Sinapis.

Sed

Sed quid indigemus Horatio? cùm Dominus noster dicat, *Scrutamini Scripturas*: quas ne fastidiamus, vtpote quæ nonnullis gustu asperiores videantur (fuerunt enim qui dicerent, *Durus est hic sermo*) sinapis huius condimentum efficiet. At lacrymas ciet quod illi obiicit Poëta quidam dicens:

Seq; lacessenti fletum fictura sinapis.

Sed ô dulces lacrymas, nulla salsuginis amaritudine vitiatas. O amœnissimam lacrymarum vallem, ô iucundas, ô amabiles, ô semper appetendas lacrymas, siquis ita sit felix, vt lectulum vbique suum lacrymis irroret, eas instar panis ducat, & ad surrectæ Crucis conspectum, confixíque in ea Seruatoris nostri lacrymulam saltem vnam aliquam expresserit, quam videat Dominus erumpentem. Quid verò si vberiores fuerint, & donec omnis totius corporis inarescat humor, emanare non desinant? Quicunque enim ita seminarit in lacrymis, lętissimam frugem postmodùm est in exultatione demessurus. At inde nomen sinapis habet, quòd olfactu luminibus officiat. Nam etymon illi, ὠφὸ ὲ ὀνεσ τὲς ὤπας, vt medicorum tradit disciplina. Vnde acrem, & incommodam eius naturam incessit Græcus Athenæus. Fac olus id infestum oculis, & pernicioſum: nostrum, quod ex agro Domini colligimus, cor in primis exhilarat, cerebrum illustrat, oculos aperit, vt videant sicut Agar fontem aquæ viuę: paulatim lenit, & ad ambrosij veréque cœlestis cibi gustum reddit idoneum: faucium asperitatem emollit, vt nullius vnquam vuæ afficiatur incommodo. Prodest etiam sine ficu adhibitum auribus, vt illæ angelicæ etiam fiant harmoniæ capaces. Alopecias emendat, omnémque pruritum extinguit, vt nullo prorsus vitio contaminatum corpus offerre Deo properemus. Contra lepras inungitur. Quid enim aliud lepra in sacris monumentis, quàm vitiorum sordes, malæq; consuetudinis contagiones?

Sinapis etymon, & virtutes.

FIRMITAS DOCTRINAE.

QVID autem illud, quòd semel satum difficulter extirpari potest? Nam semina simulac decidēre, haud ita multò pòst & virent, & feracissimè pullulant: vnde doctrinæ stabilitatem, & propagationem ex eo possumus interpretari. Nam qui semel nostræ huius sinapis suauitatem gustare cœperit, ab ea nunquam ampliùs, tanquam Vlyssis comites à loto, auelli poterit. Pullulabit in corde quotidie caulis amœnissimus, totáque spiritus conceptacula seminibus his confarcientur, neque hunc proculcabit Lupus, aut Vrsus, aut rugiens Leo: non effrænis Equus, non Taurus ferox, non dolosa Vulpes in pabulum absumet, non frigus aduret, non æstus desiccabit, non aratrum denique contundet: virebit in dies magis, & ad procellas & conculcationes omnium tanquam insuperabile crocum lætiùs proueniet.

EXPERGEFACTIO.

ADHÆC sinapis expergefactum ac minimè somno grauatum significat intellectum: siquidem terrestris illa contra lethargos, derasо priùs capite, illinitur. Noster hic sinapismus derasо circumcisoq; cordi contra huiusmodi morbum admouetur. Quid enim aliud lethargus est, nisi somnus inexpugnabilis? Atqui quotidie vt vigilemus, & Deo preces allegemus, suaui huius nostri pungimur acrimonia. Gustu eius scimus quando hora est de somno surgere, ne grauati eo, longè scilicet desidiæ indormientes, obtorpeamus ignauiter. Non Galli cantu; non æris tinnuli strepitu, non vllius ortu sideris indigemus, vt mane, sed planè mane excitati corpus strato corripiamus, atque tunc, & in dies septies laudes Deo concinamus.

SVBLIMIVM APPETITOR.

QVID verò quòd per sinapis ramusculum, quem quis ore decerpat, mēte & cogitationem in sublime sese attollentem accipimus? propter præsentaneam excitandi virtutem, quam in eo semine Pythagoras maximè omnium admirabatur, qui vix illius terrestris folia degustauerat præcipuo tamen vnum illud amore prosequebatur, quòd vim eius in sublime ferri conspiciebat, perinde ac si in cœlum niteretur, cùm per nares in cerebrum penetraret, omniáque hinc purgatiora, & ad visum mentis vegetiora fieri assueraret. Maximè itaque studendum, vt cibos omnes oleris huius intinguamus pulmentario, cùm præsertim modico eius in ollam iniecto, legumina omnia, vt Democritus ait, facillimè decoquantur. Agitè igitur, agitè ferculis omnibus, tam æstate quàm hyeme, tam mane quàm vesperi, vel grana, vel succum eius admisceamus. Vtuntur hoc libenter probi omnes, hoc Pontificiis cœnis adhibuit assiduè Clemens VII. Nulla enim vnquam vel publica vel priuata cœna est ab eo instituta, quin nostræ huius sinapis agricolæ politoréque plenis adstarent calathiscis, iucundúmque inter eos certamen oriretur, quis eorum id meliùs vel serere, vel condire didicisset. Idem nobis faciundum, vt noster exemplum nobis Pontifex dedit, vt ita nos neque fames occupet, neque sitis etiam molestet: supra enim nectar, supra omnem, quod aiunt, ambrosiam cibus hic, & melle & fauo suauior, mortalibus ad vitam est omnibus profuturus.

Sinapis ramusculus quid ore decerptus.

PIERIVS

D

PIERIVS VALERIANVS

FRANCISCO FANTONO BIDIZOIENSI, MEDICO SALODIANO, DE IIS QVÆ PER CÆPE & Hortensia quædam alia significantur,

EX SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS.

LIBER LVIII.

QVANTVM risurus sis, Fantone doctissime, super apophoreto nostro, non sum nescius, quippe qui odoratissima suauissimaq; citria, Salodiana scilicet, quibus nusquam pretiosiora nascuntur, à te dono acceperim: ego contrà Cæpe, alliumq;, tam olida, tam insuauia tibi & Medico Salodiano redonare cogitarim, reliquorumq; olerum corbes, quorum tu istic vel hortos integros vno asse comparare possis. Sed quid faciæs? non eadem sunt omnibus ingenia. Attamen si quanti hæc, qualiacunque sint, mihi steterint noueris, fortè non ita vilia esse dona æstimabis. Non enim cælo nostro hæc nascuntur, sed ex Aegypto intima huc vsque magno portorio transferuntur. Neque sperandum vt hîc sata his similia renascantur, quia talia sunt, vt in alieno solo semina corrumpantur, vel omninò degenerent. Dices: At malo ego nostratia, sapores quorum & cognouimus, & quibus apta condimentis sint, toties experti sumus. Sed vide ne fallaris, priusquàm nostrorum experimentum facias. Memineris Aegyptios olim & doctrina, & ingenio plurimùm claruisse, neque temerè ex tota Græcia viros summos doctrinæ nomine ad eos transmeasse, cùm tamen ÿ Cæpe tanti facerent, vt id numinis loco coluerint, quod à tam celebri natione factum nos minimè ridiculum existimare debeamus. Vtcunque autem, ne hîc totam Commentarij rationem alieno loco explicandam suscipiam, ex ipso omnia loco suo videnda tibi proposui, quorum multa, licèt antiquitate iam obsoleuerint, solent tamen vel eruditis aliquam afferre delectationem, quæ veteres quomodocunque tradiderint, propterea quòd exquisitioribus iuniorum inuentis magis ex comparatione gaudère consueuerimus.

E

DE CÆPE.

LERA igitur & sagminea quædam collecturus, ordiar à Cæpe, propterea quòd inter herbarum, bulborum, caudicum, furculorumq; genera memoriam sibi primâ cæpe apud Ægyptios vendicauit: quin etiam inter hortensia eorum numina principatum prorsus obtinuit.

LVNA.

FEA enim tota lunaris est: cumq; nullum apud nationem eam numen vesaniore cultu habitum fuerit quàm Luna ipsa, in vnius Lunæ honorem cæpe coluerunt. Nam vt taceam quòd ea dissecta multiplicem Lunæ ipsius effigiem, & quas Græci φάσεις nuncupant, omnes ostentat, siue ea curuata in cornua, siue æqua portione diuisa, siue protuberet, siue quotidiana facie varia sinuetur, nunc immensa sit orbe pleno, ac repentè nulla. Habet autem cepe hoc peculiare, quod Plutarchus quarto in Hesiodum Commentario tradit, vt reuiresçat & congerminet decedēte paulatimq; deficiente Luna, contrà autem inarescat adolescente, quasi ipsa pro alimento corpus exponat suum.

F

De cæpe Pelusiotarum opinio.

Quamuis rem longè aliter acceperint Pelusiotæ, qui cæpe profanum adeò existimarint, vt cibum eius pollutum esse crediderint, ideóque mensis inferri vetuerint, propterea quòd solum olerum omnium contra Lunæ aucta atque damna vices minuendi & augendi habeat contrarias. Quòd verò cibus tam acris tamq; vehemens in mensarum etiam delicias venerit, Socrates apud Xenophontem Philosophorum symposio, bellatorum vires acriter eam excitare dicit, & eius esu vino commendationem augeri, ibidem legas. Laudat eas etiam quisquis ille est Apitius, quòd ad omnia condimenta optima sit & idonea. Quamquam Morus ille Florentinus, cognomento Nobilis, parasitorum omnium, quot sunt, quotq; fuerunt, festuissimus, cùm cæpas Pontificiis Leonis X. cœnis auidiùs apperi, trucidaríque indignissimè ferret, aspera declamatione contra oleris eiusmodi esitationem inuehi solitus est, impios, impuros, intestabiles eos omnes dictitare atq; reprehēdere, qui humanum corpus tam puro elementorum candore munditiáque compactum ab optimo maximo numine, dignitate, facieq; sibi perquàm simili fabrefactum, quod idem ipse rerum opifex spiritu afflasset suo, flammeisq; stellarum scintillis animasset, isti per spurcissimum cęparum aliúe cibum maleolenti, & vsq; adeò fœtido putore cōtaminare, fœce tam sordida, tam profana polluere, ipsius demū sanctioris animalis animam reddere diis hominibusq; abominabilem conniterentur.

PROFANVM.

SED vt ad Aegyptiaca nostra reuertamur, alia insuper affertur causa, cur profanū hoc apud aliquos olus haberetur: sed ea fabulosa, atque ex vulgo sumpta, forsitan à calumniatoribus in eius gētis irrisionem excogitata. Aiunt enim cæpis ideò non vesci Aegyptios, quia Dictys Isidis alumnut, dum has in Nili ripa enatas auellere conaretur, in amnem decidisset, extinctúsq; hac inde sit memoria

Cur Aegyptij cæpis nō vescerentur.

A memoria coli cœptus, vt olus id, quasi necis patratæ causa, profanum haberetur. Alij rem in religionem conuertêre, quòd numen vltione ea sese improfanabile esse commonstrarit.

LACRYMÆ.

ID non omiserim apud quosdam cæpe lacrymarum hieroglyphicum fuisse, eaq; de causa imperatum esse à Biante Philosopho Alyatti Regi eum ad amicitiæ suæ fructum amicè beneuoleq; accersenti, vt cæpe vesceretur. Ita enim tetricum eius Philosophi dictum ferunt, ἐγὼ ἀλυσκάζω κεπολοῦω κρόμμυα ἐσθίειν. Nam quòd cæpe oculos acriter mordeant, lacrymasq; vel sola contrectatione cieant, omnibus exploratum: aptéque Columella lacrymosam eam vocat. Iam & Dionysius apud Aristophanem interrogatus, cur ita fleret, cæpe olfacere se respondit, & ea de causa κρόμμυον Græcis dicitur, ὅτι κόρας μὴ πεῖν ἐσθίοντας, quòd comedentes iubeat oculorum pupillas occludere. Dantur verò remedio contra caliginem oculorum, quòd eam vel olfactu purgent.

Biantis dictum.

PER INIMICITIAS ILLVSTRATVS.

SI quis verò velit quempiam indicare, qui ex inimicorum obtrectationibus & iniuriis creuerit, longeq; illustrior atque potentior euaserit, quo aduersaria magis vis in eum incubuerit, pro hieroglyphico surculum rosæ flore præditum, emergentem è cæpe figurabit. Experimento siquidem comprobatum est, rosas violasq; iuxta cæpè vel allium satas, fragrantiores fieri: ita vnius fœtorem ad alterius beneolentiam conferre. Tangit rem Plutarchus, vbi ea recenset commoda & vtilitates, quas consequi possumus ex susceptis inimicitiis: fieri quippe nos vigilantiores ad vitia declinanda, & ad virtutem capessendam ardentiores, atque in his omnibus maiori conatu laborare, vt quæ veram gloriam paritura sint, omni studio solicitudinéque complectamur.

Inimicitiarum commoda.

B

ALLIVM.

MILITIA.

VNVM tantùm ex allio hieroglyphicum inueni, vt per id militiam intelligamus, propterea quòd & allium & cæpe cibum esse militarem constat. Atque hinc prouerbium apud Suidam, *Neque allium, neq; fabas esitandas ÿs, qui tranquillum sibi vitæ statum proposuêre:* per summorum allium, bellica negotia dimittenda, per fabas, ciuilia non attingenda, quæ latiùs in Fabæ Commētario explicuimus. Sed quod ad militarem cibum attinet, Aristophanes, Equitibus, milites memorat, qui coëmptis alliis & cæpis naues inscendissent. Et chorus iam anteà Alantopolam incitans, dixerat: *Vt inalliatus strenuè magis pugnes.* Neque rem tantùm bellicam adiuuat allium, sed rusticæ etiam opē affert. Siquidem, vt Africanus ait, oleum in quo allium contritum fuerit, mirè prodest vitibus eo obunctis, ne pediculos gignant, & absque oleo tritum oblitumq; arborum truncis, ne ab erucis infestentur, opitulatur.

Allium & Cæpe cibus militaris.

RAPVM. SOL.

APVD Ægyptios sacerdotes veluti cæpe Lunæ, ita rapum Solis erat hieroglyphicum, numinibusq; alterum, & alterum suis dedicabantur: corpus enim rapi solidum, immutabilem Solis effigiem refert: veluti cæpę, vti dicebamus, multiplicitas illa tam multiformis tunicarum, Lunæ varietates ostendit. Sanè authores sunt rapum è plumbo dicatum olim fuisse in templo Apollinis Delphici, quod Phœbei corporis soliditatem ostenderet,

C

FVNGVS.

ET fungus nescio quid sapit hieroglyphicum, qui tametsi apud Ægyptios, quos sequimur, nusquàm apparet, apud Græcos tamen & Latinos non illepido celebratur significato.

REPENTE QVID ET INSPERATO FACTVM.

NAM id præcipuum fuit, estq; adhuc apud omnes hieroglyphicum fungi, vt quotiens nòui aliquid præter expectationem repentè factū apparuerit, Fungum id dictitemus. Poëtas quippe Funginos, Oratores, Historicos, Philosophos, Iurisconsultos, vnius tridui studio autoritate adeptos, & quæ plurima sub Leone X. Pont. Max. miracula vidimus, nocte vna præstantes aliquot, tanquam in Parnaso somniassent, haberi cœptos, eoq; processum temeritatis, vt ex iis nonnulli milites etiam sibi compararint, qui non applaudentibus mortem minitarentur:

At rerum natura parens nil edere magnum,
Spectandumq; solet, longo nisi tempore adultum.
Ipsa etiam maiora suos animalia partus
Iussa diu gestare: decem bos Luca per annos
Parturit, ingentem prolem paritura, nitensq;
Dentis ebur, decora ampla virūm, decora ampla Deorum.

Sed vt ad fúginos reuertamur, prouerbiū est, quod de re subitaria & insperata fertur in primis, nocte vna fungum nasci. Quare apud Dionem legas, Traiani vita, fungum quendam magnum in Decebalis castris à barbaris circumlatū, Latinis etiam literis inscriptum. Literas nō ponit author,

sed ex iis quæ subsecuta sunt, manifestè percipitur, admonitionis aliquid id fuisse, cauendum scili- D cet Traiano, ne se tantis tamq; ferocibus copiis committeret: repentè enim oriri solere, quod nemo vnus vnquam expectasset. Quod vt existimem id admonet, quòd in eo exercitu vociferationes etiam exaudiebantur à Buris præcipuè, atque aliis gentibus cum Romanis societate coniunctis, Traianum ad pacem hortantibus, & vt saluis rebus retrò domum abiret admonentibus.

FATVITAS.

APVD Plautum in Bacchidibus, fungus fatuitatis, & stupidæ admodùm credulitatis hieroglyphicum est:

Adeon' me fuisse fungum, vt illi crederem?

Quod quidem significatum Nicobolus eadem fabula manifestiùs declarat, dum se omnes quicunque vbiubi sunt, qui fuêre, quiq; futuri sunt posthac stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, buccones, blenni, anteire longè stultitia & indoctis moribus profitetur. Et priùs de re nihili Chrysalus:

Tanti est, quanti est fungus putridus.

DE CVCVRBITA.

CVCVRBITAM apud Ægyptios non inueni in suas literas receptam, apud alios tamen in hoc genere minimè præteritam.

SPES INANES.

NAM apud Onirocritas cucurbita spes inanes præsagit, vtpote quæ cùm ventricosam admodùm speciem præ se ferat, multumq; identidem nutrimenti polliceri videatur, illud tamen E & tenue, & nisi condimento aliquo iuuetur, egregiè fatuum est.

SALVBRITAS.

NEQVE tamen cucurbitæ fautores desunt, vt qui pro salubritate poni eã contendunt, ansa, vt puto, capta ex prouerbio, κολοκύνθης ὑμέτερος, quod ex Epicharmo sumptum memorat Athenæus.

DE PAPAVERE.

PAPAVER nonnulli inter segetes enumerant, propterea quòd Maro id Cereale dixerit: quasi non & olera, & edulia omnia terra nascentia, Cereris esse munera cognoscantur. Ab hac igitur parte significata eius exordiemur.

CERES.

Papaueris figura. PAPAVER quidem Cererem, atque adeò terram omnem humano commercio habitatam hieroglyphico suo referebat, neque quidem hoc vna tantùm de causa: orbicularis enim figura eius perinde ac terræ, protuberat vndecumque, conuallibus quibusdam veluti subsidentibus, mõtium quodammodò iugorumque specie, locorumque reductorum effigie: interiora denique folliculis quibusdam distincta gerit, veluti etiam nationes hominum & fluuiis, & montibus, & vrbibus dispertiuntur. Innumera præter hæc includit semina, est & hoc terræ benignæ proprium. Neque quidem hoc cibum, nisi concutiatur, & obtundatur, & ventiletur, emittit: neq; terra, nisi exaretur, sarriatur, vertatur, obteratur, multisq; modis excutiatur agitetúrque, quicquam proficit.

IVSTITIA.

Ceres legifera cur dicta. PROPTER verò receptacula equis inter se interuallis disgregata, iustitiam, ac legum lationẽ, quæ Cereri attribuuntur in primis, hieroglyphicè cõmonstrat, eaq; de causa dea ipsa & legifera, & iustitiæ author appellata est: siue, vt arbitrantur quidam, propterea quòd sementia penes se deposita magno cum fœnore reddere consueuerit. Sanè Virgilius & his, & quæ superiùs dicta sunt consideratis, non immeritò *Cereale papauer* appellauit. Sunt qui nihil, quod ad eruditionem faciat, inuestigantes, *Cereale papauer* à Poëta dictum autument, quòd Cererem in Proserpina filia conquirenda cibos sibi ex papauere confeciſſe tradant, quasi per somnium ea fuerit inuestiganda, quæ meræ sunt nugæ.

VENVS.

Veneris statua. APVD Sicyonios Venus, vt author est Pausanias, cum papauere in altera ex manibus contento figurabatur, quod dubio procul ad seminij copiam referendum est. Nam quantum ad amorem pertinet, in altera manu malum habebatur, quo de commentario suo dictum. Erat verò eius Deæ statua auro eboréque fabrefacta, in summo cuius vertice poculum insidebat, quod hieroglyphicum eò spectat, quòd Maritum Græci, vel dicere velimus Amatorem, potionis nomine nuncupabant: φόσις enim vtriusque nomen, & φόθος Platoni amor.

AMOR.

Sortilegiũ amoris. NIMIRVM autem papauer florens amoris indicium habetur apud sortilegos, cuius quidem folium qui amoris periculum facere volunt, pugno superponunt, alteraq; passa manu illud allidentes, ex crepitu coniiciunt quod quærebant. Explorant enim, an amãtes redamentur: nam quo clamo

A quò clamosiùs insonuerit, eò se magis amari putant: quòd si sonus oblanguerit, contemptui se habitos arbitrantur: cuius rei tum eo loco meminit Theocritus:

ἐ ἢ τὸ πλέφιλον ποτὶ μαξαμὰν φ πλαζησεμ,
ἀλλ' ἄνυ φ ἀπαλῷ ποτὶ πάχει ὄξαμιφανθη.

quod vno dici potest versu:

Nec supercusso crepuêre papauera pugno.

GENTES.

HVMANI verò generis hieroglyphicum præ se ferre videtur, non ex iis tantùm quæ superiùs de granorum dissepimentis dicta sunt, sed ex eo etiam constat, quòd compitalibus, quæ in compitis Larę, siue Larundæ, vel Manię Larum matri fiebant, humana capita sacrificabantur. Sed Iunius Brutus Consul sacrificij genus abominabile & abhorrẽdum, suppositis puerorum loco allij papauerísque capitibus, celebrandum instituit.

CAPITA.

Papaueri capita decutientes, quid ESt enim illud haud obscurum papaueris significatum, vt omninò capitis hieroglyphicum habeatur, adeò nullus olerum fœtus insigniore capitis honore conspicuus est: fortè vastior fructus cinaræ, sed aut spinarum, aut integumentorum, quibus confertim circumuallatur, asperitate horridior, cùm papaueris & læuore delicatus, & Regia corona redimitus, maiestatem quandam præ se ferat. Iam & apud interpretes Theocriti μήκων λεχὴ ἡ κεφαλή. Sed mihi videtur locus, potiùs ex historia desumptus, vbi Tarquinius cognomento Superbus, per hortum inambulans, nullo responso dato ei nuncio quem Sextus eius filius, quid sibi agendum in Gabios esset sciscitatum miserat, tantùm baculo eminentiora papauerum capita decutiebat. Ex quo Sextus intellexit, proceres populi paulatim summouendos. Sed hoc vetus fuit Corinthiorum exemplum, à quibus oriundi Tarquinij. Siquidem ferunt Periandrum, qui Corinthi tyrannidem exercuit, cùm per fidum nuncium Thrasybulum Milesium consuluisset, quanam arte quáve vi sibi principatum stabilire posset, nullum ab eo responsum accepisse: vidisse enim se tantum nuncius memorabat, eum in campum triticeæ segetis ingressum, eminentiores spicas baculo decussisse, atq; ita Periandrum instructum, capitibus ciuitatis cæde & exilio sublatis, tyrannidem occupasse.

DE VERBENA.

CAPITIS quod in papauere est, significatũ, verbenæ reminiscí facit, in qua de capite identidem non incuriosa & nunc est, & olim fuit inuestigatio.

CAPITA DEORVM.

Struppi quid. VERBENARVM fasciculi puluinaribus dicati, Deos apud veteres significabant. Struppos eos vocitabant. Erat verò mos olim dona eiusmodi Deorum capita nuncupare. Sanè apud Tusculanos fasciculus, vel corona herbacea imposita puluinari Castoris, Strupp ũvocabatur. Alij struppum idem, quod strophium intellexerunt. Vnde apud Faliscos Struppearia nuncupabantur festa, quibus ambulabant coronati. Atreius Philologus Græcum esse vocabulum struppum putat, quippe στρόφιον, & insigne fuisse, quod sacerdotes in capite ornando gestarent, siue ea corona esset, siue aliud gestaminis pro corona: de quo videndus Festus, sed in codicibus emendatis.

DIVI PRÆCVRSORIS CAPVT.

Verbenæ de scriptio, & vsus. CNON temerè verò in nostram vsque diem mos plerisque Italiæ ciuitatibus perdurauit, vnam è verbenis speciem, camq; & grandiorem & odoratiorem in D. Ioannis Præcursoris memoriam celebrare. Herba enim ea lato folio est, crispatoq;, aspera admodùm lanugine, coloris cineritij, multis scissuris corrugato, acutissimi odoris ac periucundi, caule prælto, ramoso, quadrangulari, puniceis floribus ad buglossæ propemodùm similitudinem condensatis, intra quorum calices grana quatuor singulis, veluti panici papauerísve reperiuntur, quibus excussis pediculo pars adiuncta remanet, quasi quædam macilenti capitis effigies, idq; D. Ioannis caput vulgus dictitat, herbamq; eius nomini dicatam, non sine pietatis ostentatione puluinaribus imponit, eademq; priuatarum ædium ianuas parietesq; ornat, tanquam amuletum sit minimè contemnendum. Nec me latet verbenas pro quibuscumque sagminibus in sacris acceptas, & coronationum ritibus herbas quascumque è Capitolio decerptas, pro verbenis habitas: ipsam autem verbenam multis à Dioscoride nominibus appellatam, & quæ super ea plurimi ætate nostra conscripsêre, quæ hîc repetere superfluum esset.

NOVA NVPTA.

QVI verò puellam pingunt verbenam sub amiculum occultantem, hieroglyphicũ huiusmodi nouam nuptam significare tradunt. Siquidem mos erat nuptiarum sacro faciendo, vt noua nupta corollam de verbenæ floribus à se lectis sub amiculo gestaret. Sunt & alij verbenæ siue verbenacæ vsus aliis atque aliis antiquorum cæremoniis, magicis etiam elusionibus accommodati: sed nos ea tantùm delibamus, quæ ad alicuius hieroglyphici significationem pertinent.

DE FILICE. VOLATVS.

FILIX quoniam Struthiocameli pennis assimilatur, sunt qui volatum per herbam eam figurare cœperint, quod mihi non vsquequaque approbatur. Nam licèt vnaquæque penna volatus hieroglyphicum sit, instrumentumq; eius rei proprium, cùm tamen manifestum sit Struthiocamelum ex omnibus alitibus vnum, ob vasti corporis molẽ, vix posse sese humo attollere, alis verò vti ad cursum tantùm adiuuandum, congruum mihi non videtur ab eo significatum id desumere, quod ipse sibi natura repugnante præstare minimè possit. Sed de Struthiocamelo satis inter alitum significata. Id de filice proditum, non Struthiocameli tantùm causa herbam eam Pteryga vocari à Græcis, sed quòd in vniuersum folium eius sit pennis alitum simile: de quo & Dioscorides & alij plura.

SECVRITAS.

MAGIS autem placet illud quòd securitatem per filicis hieroglyphicũ indicari quidam memoriæ prodiderunt, propterea quòd eius herbæ odor serpentes fugat, animantium quippe genus omninò pernicioſum: eaq; præcipuè de causa rusticos eiusmodi foliis grabatos suos farcire consuesse, vt interpretes Theocriti tradiderunt.

ODIA CAPITALIA.

ID etiam est filicis hieroglyphicum, vt arundini adalligata capitales indicet inimicitias: adeò enim inter se dissident, vt altera alteram enecet, coronæ modo circumducta, vulneribusq; alterius stirpe factis, contusa altera & imposita efficacissimè medeatur. De quibus ita Celsus: *Pessima ex surculis arundo est, quia aspera, eademq; offensa etiam in filice est, sed vsu cognitum est, vtramque aduersus alteram medicamentum esse, si contrita superimponatur.* De dissensione ita Plinius: *Filices aiunt non renasci arundine secta, aut exaratas arundine vomeri impositas: similiter & arundinem exarari vomeri impositam filicem præcipiunt.* Quod verò ad supradictam pertinet medicinam, apud eundem lib. 24. cap. 11. eadem quę Celsus tradit, legas.

De filice Celsi & Plinij opinio.

DE ABSINTHIO.

QVID sibi vellet Absinthium de fauo mellis enatum, in Apis Commentario Lucretianum secuti carmen indicauimus: nunc quid simplex sibi velit, exponamus.

SALVTIFERA CASTIGATIO.

SIGNIFICAT enim graminis huius hieroglyphicum obiurgationem, quæ cuipiam salutem attulerit, qua scilicet increpitus qui tota aberrabat via, prolapsus in scelerum voraginem, in meliorem mox regressus semitam, abiectis à se vitiis; vitam inde degat inculpabilẽ. Amarissimum est enim absinthium gustu, perinde ac obiurgationes vnicuique videntur acerbæ, sed si haustum non reuomatur, omnem perpurgat intestinorum fæcem: contrà verò mel, quæ placidæ sunt adulationes, bilem auget. Dicit enim Horatius ex medicorum dictatis, *Dulcia se in bilem vertunt*, ideóque hominem in morbi alicuius incommodum trahunt: qua de re satis in Ceruo, qui fistulæ sonantis adulatione deceptus, venatoris iaculum in se directum minùs aduertit.

Absynthij & Mellis virtus contraria.

SACERDOTIVM.

ERAT verò absinthium marinum, quod quidem Seriphium vocant, sacerdotum Isiacorum gestamen: huius enim ramum illi præferre solenne habebant oleaginorum ramorũ loco, vt apud Dioscoridem lib. 3. Quod verò Seriphium absinthium, quod & marinum dicitur, author idem, neque non Plinius aiunt Taphosiri in Ægypto lætissimè prouenire. Taphosirin vrbem Stephanus ideò dictam ait, quòd ibi sepultus sit Osiris.

SANITAS.

QVOD verò poculum absinthij quadrigarum agitatoribus propinatum legas, indicat id Latinarum victorem: his enim feriis qui quadrigis vicerat, absinthium in Capitolio bibebat: idq; maiores nostri sanitatem interpretabantur, quod magni satis præmij loco dare se profitebantur.

HYSSOPVS. ELVTIO.

HYSSOPVS in Diuinis literis hieroglyphicum est gratię spiritalis, per quam inquinati labe aliquâ eluimur. Eius aspergine mundatur quoddam lepræ genus. Lepra passim humana delicta significat, siue peccatorum maculas appellare libeat. Hinc apud Psalmographum, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor*, habetur. Eucherius eam pro humilitatis patientiæq; hieroglyphico ponit, propterea quòd humilis admodùm herba est, & lapidi, cui nascendo adhæresc it, adstricta: cuius radices saxum etiam dicuntur penetrare. Ipsa verò præcipuè pulmones curat. In pulmone sedem habere dicitur superbia, in quo scilicet tumor, & anhelitus. Cicero de natura Deorum: *In pulmonibus inest raritas ad hauriendum spiritum aptissima.* Quòd verò Spiritus pro superbia vel animi elatione ponatur, idem oratione pro P. Sylla: *Res gestæ credo meæ me nimis extulerunt, & mihi nescio quos spiritus attulerunt.* Ibi autem apertiùs: *Nunc Capuæ Campano præsidio ac regio spiritu cùm viderem, Blosios illos mihi videbar videre, ac Iubellios.*

Diuina Hyssopi significatio.

DE

DE ASPARAGO.

EX ASPERITATE SVAVITAS.

MITE aliquid & lene, quod ex aspera duraq; re prouenire, significare qui vellent, hieroglyphicum Asparagi faciebant, surculum quippe iam maturum & seminibus instructum. Nam spina est, quæ semen illud fert, quo sato molles inde asparagi succidantur. In Bœotia sanè qui nouam nuptam comebant ornabántque, eam spinoso asparagi frutice coronabant, quoniam (vt apud Plutarchum est) de Coniugali vita, sicut suauissimum ille fructum de asperrima spina producit. Sic vxor viro primâ illius asperitatem ac duritiam minùs aspernanti, dulcem postmodùm & suauem conuictum præbet. Qui verò, vt idem Plutarchus ait, primas virginum rixas ferre nequeunt, similes profectò sunt iis, qui prima vuarum acerbitate offensi, eas etiam cùm maturuerint, abhorrent.

Bœotiorum mos in nouæ nuptis.

CITO CONFECTVM.

ATQVE hæc de spina, Teneriores verò coliculi significatum habent rei quam ocyssimè paratæ, vel ipsius Augusti dicterio, cui frequentissimũ illud erat dicere, *Citius quàm asparagi coquantur*, cùm quid momento minimo properatum innuere volebat. Ita illud apud Dioscoridem animaduertendum, ἐπ' ὀλίγον ἑψηθὲν, quod in antiquissimæ traductionis codice, Latina quidem phrasi, sed literis Longobardicis scripto, quem perlegi Florentiæ, quemque Marcellus translationis suæ ducem habuit, *breui coctura elixum*, legitur. Philemon Comicus, victitantibus asparago, perinde ac thymo etiam ac cappari, extenuationẽ corporum videtur exprobrare, vbi ruralis parsimoniæ pœnitentem virum in scenam producit, querentem scilicet quòd rus, vt medici, conuenientia ægrotis tantùm esculenta subministret. Addit illud: τὰ γὰρ τὰ δία

Prouerbiũ.

Τὰ πετραγεῖα ταῦτ' ὀψάρια, κάππαριν,
Θύμον, ἀσπάραγον, ἀυτὰ ταῦτα γε δέδοικα
μὴ λίαν ὀπισχναίνωμ' με ποιήσῃ νεκρόν.

quorum versuum hic est sensus: *Atque per Iouem*

Innata petris obsoniola capparim,
Thymumq; & asparagum, & alia huiusmodi
Quàm vereor, extenuatione præ nimia,
Ne me cadauer exanimum humi deserant.

Quòd verò Philemon τὰ πετραγεῖα dicit, vide apud Dioscoridem quoque in petrosis nasci asparagum, nulla facta de satiuo, quo nunc plurimum vtimur, mentione.

DE CAPPARI.

SED quod ad Capparim attinet, ad hanc Philemonis sententiam facit Dioscoridis locus, qui eam nulli rei dixit esse vtilem, nempe adeò renue esse nutrimentum eius, vt nullam afferat vtilitatem.

DE MANDRAGORA.

MVLTA super Mandragora dicenda essent, sed ea vel insuauia, vel abhorrenda: quare in iis quæ humano generi perniciem afferunt, temperamento vtendum est, quoniam etiam nescire quædam inter virtutes reponi solet.

SOMNICVLOSVS.

ID omninò non dissimulabimus, somniculosum hominem per id genus herbam significari, propterea quòd vis eius media est inter venenum & soporem. Nam si quis vinum ea medicauerit, bibentem in profundum adeò somnũ iniciet, vt expirasse credatur, mémorabili Annibalis exemplo, qui missus à Carthaginensibus in Afros qui rebellauerant, non ignarus ille gentem esse vini auidam, magnum eius modum mandragora permiscuit, mox leui cum eis commisso prælio ex industria cessit, nocte inde intempesta relictis intra castra quibusdam sarcinis, & eo vino quod infecerat, fugam simulauit: cumq; Barbari occupatis castris gaudio effusi medicatum vinum hausissent, iacerentq; strati defunctorum in modum, reuersus Annibal nullo negotio eos trucidauit. Rem Fronto exemplis suis adiecit. Quòd verò ponit historia vinosos Afros, Cyprianus quoque de Afrorum suorum bibacitate multa conqueritur, quæ propemodùm iam, vt nunc apud Germanos, in ciuilium laudum locum irrepsisset. De soporifera verò Mandragoræ vi Medici multa tradidêre, idq; præcipuè, quòd plurimus & efficacissimus est eius vsus in soporandis iis qui vel inurendi vel secandi sunt: altissimum enim per quatuor fermè horas somnum, potione ita medicata exhaustâ, perseuerare, vt neque ignem neque ferrum sentiant.

Stratagema bellicũ Annibalis.

PROPOSVI de veneficiis à mandragora nihil me dicturum, præsertim ea quæ pertinent ad amatoria, de quibus aliquid omninò habetur in sacris literis: sed nunc maioris illud curæ pretium esse duco, vt radicis eius figuram, non temerè tam insignem à Deo, siue à natura, ducēte Deo, conformatam enarrem: cuius altera est virili specie, capite capillamento veluti quodam vndecunque cooperto, pube etiam densissimis radicularum filis pudenda virilia cooperiente. Altera fœminina, iisdem velamentis, si quis curiosiùs rem ipsam inspectare voluerit, naturæ miraculum occultantibus, quotidianis testimoniis veritatem ipsam comprobantibus. Quod miror à quibusdā tam pertinaciter negari, cùm præsertim vulgatum sit, Pythagoram herbam hanc ἀνθρωπόμορφον appellasse, quo vocabulo nihil manifestuis ad humani corporis formam exprimendā. Sed, si Deo placet, Pythagoram isti dicunt mysticum aliquid per id nominis intellexisse, eam quippe Philosophi locutionem ad poma ea spectare, quæ putant nonnulli Melenzana esse, quòd oualis figuræ sint, ac perinde testibus assimilentur. Leuis hæc est coniectura, siquidem ἀνθρωπώδης vtriusq; generis vocabulum est, testiculi verò forma ad marē tantùm pertinet. Sed quod arbitrari videatur Hermolaus Barbarus, vir vndecunq; doctissimus, Melenzana apud Ligures, quasi mala insana dici, quā quidem coniecturam, vt inferiùs apparebit, puto eū ex Columella desumpsisse, cur non ab amarore potiùs, quo, nisi condiantur, egregiè prædita sunt, dicti ea arbitremur? quod quidem propiùs ad Ligustici vocabuli simpliciratem accedit, qui Marezana ea vocant. Cæterùm cùm Dioscorides & reliqui Medici hanc & aliam Mandragoræ speciem frequenti vsu sumptam inter venena connumerent, Marezana verò, quæ totius littoralis Liguriæ tractu modò recentia in iusculentis, modò condita aceto fœniculoq; superinsperso, in acetariis & frequenter & copiosè anno toto eduntur, nihil afferunt incōmodi, sed & grata gustui, & corpori salubria sunt, nullo mihi pacto videntur inter mandragoras recensenda. Ad hæc cùm Dioscor. mandragoræ poma oui vitelli similia dicat, auellanæ nucis alij, Marezana nihil habent quo vel ouorum vitellis, vel id genus nucibus æquiparari possint, imò totius oui speciē & magnitudinem præ se ferunt, plerunq; iis etiam grandiora, eò dissimilia, q punicei coloris fimbriis ab ea parte, quę Soli exposita est, non sine spectantiū applausu & oblectatione dispescuntur, cumq; valdè maturuerint, totę puniceę fiunt, parte à Sole tacta semper densiùs colorata. Sed vt ad formā radicis quę verè mandragora dicitur, reuertamur, id etiā miror, cur vnà cū Pythagora Columellam etiā nihili pendāt, qui Pythagoricam secutus nuncupationē, ita super ea canit:

Radicis Mā dragoræ descriptio.

Melenzana seu Marezana.

Quamuis semihominis vesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœstamq; cicutam.

Quòd verò Columella *vesano gramine* posuit, ad herbæ vim respexit, quæ aliter & Morion dicitur: ea enim, vt Medici tradidêre, drachmę vnius pondere, vel in polenta, vel esculentis aliis data, fatuitatem inducit. Eucherius super hac in Geneſi, nihil aliud dicit, nisi mandragoram genus pomi esse paruo peponi simillimum, quæ quidem forma ad Ligustica, quæ dicebamus Amarezana, proximè accederet, nisi obstarent reliqua veneno super tradita.

LÆTITIA.

Mandragoræ nostræ & antiquæ discrimen.

SED vt mandragoram ab omni absoluamus ignominia, Xenophon eam pro lætitiæ argumento scitat, apud quē in Sympoſio Socrates ait, vinum non aliter mœrori mederi, quàm mandragora hominibus, lætitiamq; non aliter excitare, quàm oleum inspersum igni flammam. Porrò si mandragora venenum esset, aut mansa incommodum aliquod afferret, cur 30. Geneseos cap. Ruben triticeæ messis tempore in agrum exierit mandragoras reperturus, quas ad Liam matrem suam deferret, & Rachel explorata re petierit à sorore, vt in eiusmodi plantæ participatum admitteretur? cui Lia responderit: *Parúmne tibi videtur, quòd maritum mihi præripueris, nisi mandragoras etiam filij mei industria conquisitas tibi vendicare cogites?* & quæ de nocte mox pacta sequuntur mandragoræ pretio concessa. Vnde suspicari possum, apud scriptores nostros parum de mandragora liquere, antiquissimumq; eius vsum & vtilitatem esse temporibus nostris incognitam. Quod verò manifestissimum est; prisco illi seculo, ex historia sacra, cibum omnium pretiosissimum fuisse apparet: nostro autem tempore, si ea Ligustica Amarezana est, cùm tot condimentis inseruiat, & olerum omnium per vniuersum annum sit vsitatissima, facessere iusserim eos qui eam infamem imaginantur. Sed qui plura super ea quæsierit, ad Plinium se conferat, lib. 25. cap. 11.

DE BVLBIS.
NVPTIÆ.

Bulborum vsus.

SVNT qui nuptias, atque maritalem copulam (ita enim Græci γάμον intelligunt) per hieroglyphicum Bulbi significari velint: eo enim plurimùm veteres vtebantur ad languentem Venerem excitandam. Et viri in nouis nuptiis prima die, authore Varrone de vita Patrum, bulbos comedebant. Hinc illud apud Martialem facetè dictum:

Cum sit anus coniux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Sed hoc Martial. ex Aristoph. desumpsisse videtur, vbi iuuenis, Concionatricibus, à duabus vetulis distra-

A distractus, quærit ab eis; quanam possit ratione duo eodem tempore nauigia agitare: respondet vna, Postquam bulborum ollam deuoraueris. Docet verò M. Varro bulbos aqua decoquere ad vsum Veneris. Apitius addit nucleos pineos, & semen erucæ cum pipere.

DE CICVTA.

SED quoniam nequitiæ satis vbique est, longè vtilius fore existimo, si quæ ad ardorē Veneris potius extinguendum proponantur, quàm quæ lasciuiā fouere doceant, cōmemoremus.

CASTIMONIA.

CICVTAM nonnulli pro hieroglyphico castimoniæ posuêre. Causam ego eam esse crediderim, quod si eius herbæ succo testes illinantur, Venus cohibetur, præcipueq; καθ' ὑπνους, quę scilicet per somnium accidunt Veneris imaginationes compescuntur.

Cicutæ efficacia.

SVPPLICIVM.

VBI vasa quædam, quid sibi quæq; velint, recensuimus, incidimus in calicem, eumq; non alia de causa supplicij de aliquo sumpti hieroglyphicum esse docuimus, nisi ob cicutæ succum, qui fontibus capite damnatis propinari solitus esset, idq; præcipuè Athenienſium instituto: ibiq; de calice in sacris etiam literis disseruimus.

DE RVTA.

CASTIMONIA.

B EADEM ratione Ruta quoque hieroglyphicum est castimoniæ, qua cicuta, diuersa tamen naturæ vi: illa, quia plurimùm refrigerat: hęc, quia supra modum exiccat: atque, vt Dioscorides tradit geniturā in potu cibóque extinguit ruta. Theophrastus ob siccitatem indurare, & ob caliditatem exurere dicit. Vtcunque, ita Ouidius:

Rutæ proprietates variæ.

Vtilius summas acuentes lumina rutas,
Et quicquid Veneri corpora nostra negat.

Est & magis arcana causa, quàm siccitas caliditásve nimia, quæ rutam continentioris vitæ hieroglyphicum esse iusserit. Nam cùm Serpens, vt suo loco dictum, voluptariæ nequitiæ signum sit, ruta nimirum cùm tota sit Serpentibus aduersaria, eosq; vel odore fuget suo, vt pleriq; veterum tradidêre, quamquam vim eam ineſse vni sylueſtri tradunt, meritò pro castimonia ponitur. Ad id porrò quòd acuere lumina dicit Ouidius, Apuleius rorem eius herbæ matutinum prodesse tradit vel cùm matutinò maduerit succos in hunc vsum colligendos. Atque alibi, roscidæ folia decocta in vasculo vitreo decoquenda, vino veteri admixto, atque ita inungendum. Cur verò Serpentes rutam exhorreſcant, causam eam Philosophi comminiscuntur, quòd Serpentes frigiditate siccitatéque sint præcipua præditi, vnde non immeritò terrarum orbis per Serpentis effigiem ostendatur. Siccum enim & frigidum est elementum terræ, & Saturno Anguis, vt alibi dictum, in manu statuitur, cuius sidus & frigiditate & siccitate censeri autumant Astronomi. Ruta verò quamuis calida admodùm, ipsa tamen siccitate longè præstat, adeò vt affluentiori quadam ariditatis vi apta sit ad simile corrumpendum, eodem modo quo Proclus non aliam ob causam Galli cantum Leonibus horrori esse putat, nisi quia solaris virtus vtrique insita sit animali, sed longè præstantius Gallo, quàm Leoni. Neque dissimulanda est vis rutæ prorsus admiranda, quæ non Serpentes tantùm fuget, verùm etiā Eeles (ita Foinas nonnulli vocant, de qua loco suo in Æluro) prohibeat C ne adrepant, si eius herbæ ramuli in columbarij fenestris & ingressibus aliis suspensi fuerint, traditur à Florētino in Cōstantini Cæsaris collectaneis. Quòd verò venenis ruta resistat, Mustelæ sunt documento, quæ cum Serpentibus dimicaturæ, cibo eius armantur, vnde eam à nonnullis Viperalē appellari, tradidit Apuleius. Et Mithridaticū illud aduersus venena medicamentū nulli iam non innotuit: regē quippe Ponti Mithridatē cùm fratris sui timeret insidias, rutæ folia x x. cum duabus nucibus iuglādibus, & totidem carycis, admixto salis grano, ieiunum quotidiè accepisse.

DE CONIZA.
ABLIGVRITOR.

Abligurito-ris indicium.

AEGYPTII sacerdotes hominem qui bona sua abligurisset, &, vt Horatius diceret, *paternas maternasq; res fortiter absumpsisset*, significare si vellent, pecudes capráſve Conizam depascentes, pro hieroglyphico facere consueuerunt: siquidem constat animalia ea quæ Coniza vescuntur, insatiabili inde siti confecta deficere. Quoniam verò peculium Ægyptiorū ferè omne in gregibus constabat, vnde vniuersa ea gens Pastores à nōnullis in opprobrium vocitati (quāquam, vt alibi diximus, sacerdotes eorum, quiq; sacro cuipiam initiati essent, Pastores ita abominabantur, vt ne alloqui quidem eos fas putarent) notum ex historia sacra, cùm Pharao coloniam Iosippi parentibus & fratribus indulgere meditaretur, non admittēdos in Ægyptiorum commercia censuit, quia Iosippus industriam eorum omnem in armentis esse confessus erat, eos tamen & commodè & liberaliter, opportuno feraciſsimoq; loco, seorsum à suorum consortio habitare iusit. Vtcunque autem, censum Ægyptiorum per Oues aut Capras exprimere moris erat.

AMATÆ REI DESERTOR.

SEDENIM quæ vis herbæ eius esset in polypos, curq; hominem amata relinquere pernicem, subito tamen euentu aliquo abalienatum, per conizam admotam Polypo, sacerdotes ipsi commonstrare soliti essent, in Polypi commentario inter pisces enarratum est. Exigere verò res mihi videtur, quoniam de coniza sæpe mentionem facere continget, super ea loco hoc quædam aperire, quæ apud authores tam Græcos quàm Latinos variè tradita sunt, atque ea quidem perplexè admodùm. Origanum herba est vulgò nota Romæ, atque aliis vniuersæ Italiæ locis, κόνιζα Græcè, Cunila plurimùm Latinè dicta, quam, vtpote præcipuè suam, Ligures littorales Cornabuliam vocant, putri, vt prouerbio fertur, aptissimâ salsamento: nomen ab ea specie sumptum, quæ Cunila bubula appellatur. Cæterùm cùm permultæ eius species ab authoribus referantur, eadémque variis cognomentis appelletur, diligentiori cura ad Medicos delegata, satis nos habituri sumus, si Cunilam bubulam eam acceperimus, quæ Origani species est, quam à testudine cùm ea Viperam ederit, ad incolumitatem carpi dicit Aristoteles, & ab eo Plutarchus. Apud Plinium legas, contra Serpentes priuatim in vino bibi, quæ Cunila bubula appellatur. Apud Aristotelem, Ciconiæ cùm vulnus acceperint (eas enim cum Serpentibus assiduè dimicare cognitum) Origanum plagæ imponunt. Theodorus Gaza, vir accuratissimus, Origanum libenter Cunilam vocat; alicubi Pulicarem, quia Pulices necat, stratis supposita, strataq; sub lecticis. Cunilam hanc nostratem Satureiam à rusticis vocari, tradit libro x. Columella. Horum testimonia fuerunt adducenda, quia sunt nonnulli, qui Cunilam bubulam eandem & Origanum esse pertinaciùs negant. Addam & illud, cùm inter tres præcipuas Origani species Onites connumeretur, doctissimos ætate nostra viros de hac non parum dubitare, eamq; sibi incognitam ingenuè profiteri. Nostri Bellunenses agrestem quandam Origani speciem vulgò prouenientem, caule, foliis & floribus grandioribus, odore tantùm non vsquequaque suaui, sed vastiore Pulelium asininum vocant, quæ nimirum Cunila bubula est, quæ in Liguribus Cornabulia, & eodem apud nos vsu, quo apud Ligures, salsamentis inspersa. Putarim verò Onitis vocabulum ἀπὸ τοῦ ὄνου, qui Asinus est, commodissimè deductum. De Formicis verò nostræ huius odore fugatis, experimentum ipse feci, quod ad biduum post inspersionem efficaciter successit, vt locum omninò desereret. Ne verò cuipiam mirum adeò videatur gramini huic eam inesse vim, Ambrosius herbam quandã memorat, Gillam appellatam, cuius folia turtur nidis suis excluso fœtu superiaciat, eóque pacto pullos à Luporum incursu deprædationéque tutetur: Lupus enim folium eiusmodi vsque ad fugam abhorret. Leopardus verò allium ita sibi sentit abominabile atque contrarium, vt si quis eo locum, vbi ille morari sit solitus, confricuerit, exilire cogatur, & aufugere. Ælianus primo de Animalium naturis scribit, Noctuas à Ciconiis, suo nido procul summoueri, platani eò foliis importatis, quorũ contactum Noctuæ ferre nequeant, ex eo in torporem dilabentes, Ciconiasq; ita pullorum suorum incolumitati prospicere, quibus assiduè Noctuę inimicabiliter insidiantur: de quarum alitum inimicitiis suo loco dictum. Neque verò Ciconiæ tantùm, Turturesve, aut Testudines medelam sibi nanciscuntur naturæ ductu, verum etiam & Canes, & Sues, & ex brutis pleraque alia. Canes quidem cùm Festis vitio laborant, gramen illud suum depascuntur. Sues si cephalalgia crucientur, fluuiales Cancros inuestigant. Mustelæ rutam, si venenatum quid comederint, carpunt. Angues marathro lippientes oculos depurgant. Huiusce rei quænam sit causa, non otiosè quæritur à quibusdam, quippe cùm animalia hæc neque talia didicerint ab aliis, neque quidem doceri potuerint, cur ita norint quæ suis sint ægritudinibus vtilia. Putant igitur ita accidere: quemadmodum faui odore solo Apes ad sese alliciunt, & cadauera Vultures, vel procul absentes, sic etiam Cancri Sues illectent, Origanum Testudines, Vrsam Formicæ, de qua loco suo diximus: id verò nulla ratione fieri, neque quòd sensus, & facultatis eius qua vel intelligere vel cognoscere queant, participes habeantur, commentiq; sint corporum cõflaturas, diceret Plinius, in causam adducere, quæ huiusmodi appetitus in animalibus concitent, quæ humorum mutatione varios, dum laborant, appetant vel acores, vel dulcedines, vel alias, vti vsui venerit, qualitates, fieriq; plerunque id importunè, ac præter morem, & indecenter, id quod in mulieribus præcipuè videre est, quæ dũ prægnantes sunt, & lapidem, & terram, & sordes alias, & humanam interdum carnem appetunt ad vescendum: quod superioribus annis in Insubria accidit, vbi matrona quædam nobilis, cùm oculos in coloni sui torosiores musculos, qui de coxendicibus protuberabant, iniecisset, tanta arrepta est auiditate carnis eius frustulum gustandi, vt nisi compos fieret, defecturam se profiteretur, aut abortiuum facturam: quo metu coniux eius commotus maxima mercede cum colono conuenit, vt abscindi sibi musculi partem pateretur, ne patrona sua exanimaretur: ille pretij lenocinio ductus, conditionem accepit, succisumq; est frustum, modicóque inspersо sale prunis tostum, quo illa deuorato incolumis quamprimùm euasit. Quocirca Medici cùm in effrænatas huiusmodi appetentias incidunt, quæ salubria, quæ minùs, nouisse debent: nam aliquid huiusmodi ferè grauiter decumbentibus accidere interdum solet. Scribit Mnesitheus medicus in pneumonicæ principio, quendam qui cepe concupierat, eualuisse: quendam verò qui ficus appetierat, periisse, propterea quòd appetitio corporis, qualitas verò texturaque ipsa, vt quæque est, morbis obsequitur. Ex quo manifestum

Origani, Græcis Coniza, ampla descriptio, ex variis authoribus de sumpta, eiusq; virtutes.

Appetentia cuentus.

A manifestum esse autumant, feras quoque cùm in pernicioſas & lethales ægritudines incidérint, non alia de causa in huiusmodi appetentias ferri, quàm ob naturæ ipsius (vtar Lucretiano vocabulo) composituras, quæ illas ad ea spontè incitant, quæ saluti futura videantur. In hunc modum disputant hi, qui nihil aliud brutis animalibus concessum volũt, quàm sentire & pasci. Antiquiores tamen Philosophi plerique bruta etiam in mentis intelligentiæ participatum admittunt, quorum nos argumenta validiora alibi, & in Elephanti, & Formicæ commentariis recitauimus. Iis verò hîc contenti, quæ ad veterum hieroglyphica facere videantur, prosequamur.

DE HELIOTROPIO ET SELENOTROPIO.

TERRENORVM CVM COELESTIBVS TEMPERATVRA.

VOD si cognationem, consensúmve, aut temperaturam, quam inferioris naturæ istius res cum cœlestibus habent, infimis quippe suprema, & supremis infima, occultis quibusdam viribus colligata esse ostendere voluissent, nullo euidentiori signo, proprioréve hieroglyphico id exprimere consueuerunt, quàm cùm herbas duas, Solisequam & Lunisequam figurassent. Liceat verò mihi ἡλιοτρόπιον & σεληνοτρόπιον ita Latina facere: illa enim ad Solis motum Solem versus mouetur, hæc verò ad Lunam vertitur. Sunt verò & alij flores tam arborum quàm herbarum, qui hoc imitari videntur, sed his duobus nulli manifestius. Proin Aegyptij eandem rerum omnium rationem esse contendebant, vt intellectu alia, vi rationis alia, alia natura, alia sensu superioribus deuincirentur, & suam quæq; concordiam assectarentur.

B

DE LVPINO.

ERAHIT simílis quodammodò natura, vt Heliotropio Lupinũ subiiciam: nam id quoq; ad Solis cursum vertitur.

HORÆ.

PER eius autem figuram temporis dimensio, vel horæ hieroglyphicè significantur: quæ quidem ab eo surculo tam manifestè distinguuntur, vt agricolæ peritiores diurnas horas, aëre etiam nubiloso, ex eius motu conuersioneq; deprehendant. Traditũ ab Apuleio lib. de Re rustica.

Rusticorum clepsidra.

SVIS VIRIBVS POLLENS.

ET quoniam id ingenium est lupino vt coli nolit, sitq; negligentia ipsa fertilis, aptè quis fecerit, si hominem, qui suopte ingenio vel industria sibi necessaria comparet, eiusmodi surculi gestamine insigniuerit.

DE NICTERETO.

SI verò hominum occursum cuiuspiam rei natura expauentem ostendere curassent Aegyptij, Nyctereton herbam & Anserem faciebant. Ferunt enim Anserem ad primum conspectum eius expauescere, vnde & χηνάμυκον vocatur. Herba est coloris ignei, foliis spinæ, nec à terra se attollens, noctibus interlucens, & quoniam è longinquo etiam noctibus fulget, νυκτιπόλον appellatur.

C

DE BLITTO.

FATVVS ET INSVLSVS.

STATVVM & insulsum, turpiq; deditum inertiæ hominem, per Blittum herbam significare mos erat. Stupidi enim saporis herba omninò est, neque vllam habet acrimoniam: vnde conuitium in fœminas mariti faciunt apud Menandrum, βλίτα eas appellantes. Et Truculento Plautus non infacetè dixit, *blitteam meretricem*, quæ non saperet in vino ad rem suam: qui locus imperitè satis à nonnullis inuertitur, qui Bletetam & Bletem nescio quod incommodi calceamenti genus exquisiuêre in eiusmodi contemptum. Laberius dixit bipedem blitteam belluam. Et Empedocles, vt apud Varronem est, humilem humani generis conditionem ostensurus, natos homines ex terra ait vt Blittum. Sanè illi nomen herbæ à stupore est: βλαξ enim stupidus Græcis, stolidúsque & ignauus.

DE BETA.

SVNT qui betam & blittum idem esse sentiant, Martialis, puto, carmine decepti, qui scripserit:

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sepe petet vina piperq; coquus.

quas

Betæ & Blitti differentia.

quas aliter paratas nihil sapere exquisitioris ganeæ proceres profitentur. Sed enim Dioscorides D blittum à beta secernit, & blittum quidem apud Aegyptios Aeclotoripem, apud alios Eriplem, apud Romanos pariter & Græcos blittum appellari: edi oleris modo, ventrem tantùm deiicere, medicas vires habere nullas: cùm beta ea sit, quæ Atticis σεῦτλον, Thessalis propter odium in σ literam, τεῦτλον, nuncupetur, olus vbique locorum celeberrimum vsitatissimumq́; alicuius omninò suauitatis, quódque à ciuilibus mensis minimè reiiciatur, quæ pluribus apta medicinis, multas humano generi conferat vtilitates, quas qui nosse voluerit, Dioscoridem legat lib. altero, cap. c x. Theophrastum v i i i. Aeginetam v i. Plinium x i x. & item alios.

MOLLITIES.

Diogenis Cynici dictum.

PER eius verò hieroglyphicum cinędica petulantia, mollisque & eneruis lasciuia notatur, peruulgato illo Cynici Diogenis dicto, qui cùm à petulcioribus quibusdam pueris conuitio incesseretur, quòd Canis esset, ac subinde fugitarent, quærente eo cur fugerent, *Ne mordeas*, respondentibus: *Bono estote*, inquit, *animo, Canes non edunt betulas.*

DE CAPILLO VENERIS.

EBRIOSITATIS REMEDIVM.

QVI significare hieroglyphicè volunt hominem ebriositate laborantem, ac sibi remedium comminiscentem, vt præmonstrarunt Aegyptij, Vpupam & Capillum Veneris herbam faciebant. Vpupa siquidem vuis vescitur immodicè, ita vt plerunque inde ebria fiat: verùm simulac se tentari senserit, Capillo Veneris decerpto, efficacissimè sibi medicatur. Herbam hanc Adianton Græci vocant, ἀπὸ τοῦ μὴ βρέχεσθαι, hoc est, à non marcescendo: neque enim bruma, vt herbæ reliquæ, marcescit, neque aqua perfusum mersúmve, καλλίτριχον multi, hoc est, pulchricomum, alij πολυκόμον, id est, multicomum, vtrunque ab effectu vocant, licèt πολύκομον, nonnulli canocomum interpretentur, quin etiam ab effectu Saxifragum appellarunt. Capillum verò Veneris ideò Latini dicunt, quia capillum præcipuè tinguit: ad hoc decoquitur in vino cùm semine Apij, adiecto oleo copioso, vt cripsum densúmq́; faciat. Defluere verò prohibet, Vrsino adipe & ladano admixtis.

Capilli Veneris varia nomina, & etymologia.

DE APIASTRO.

POPVLVS LEGE COERCITVS.

APEM suo commentario populum inter alia significare diximus. Eum verò legibus coërcitum hieroglyphico aliquo figurare qui vellent, Apem & apiastrum herbam proponebant: quasi perungantur aluearia, non fugere Apes tradunt: nullo enim magis gaudent flore, eáque de causa μελισσόφυλλον, & melitænam appellatam constat, quæ marrubium est nonnullis. F

DE BRASSICA.

QVOD autem ad modò memoratam Vpupam & Adiantum facit, auxilio etiam esse aiunt brassicam, vbi quis ebrietate tentetur. Nam ante cibum sumpta, largiores potationes nè lædant, efficit, vt authores plerique tradunt, præsertim Græci.

INTERTVRBATA LÆTITIA.

VNDE qui lætitiam interturbatam importunitate cuiuspiam hieroglyphicè notatam volunt, Brassicam inter duos vitium surculos adsitam constituunt. Vino enim, quod præcipuum est lætitiæ hieroglyphicum, ea, vt apud Plinium est, auersatur, in primisq́; est vitibus inimica, vitésque illi, vt pernicioſa alterutri foueant inter sese odia. Nam vites, vt secundo de Diuinatione Tullius, à caulibus Brassicis, si propter sati sint, vt à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur: & quamuis rei cuiuscunque adminicula clauiculis perueſtigent, quæ tanquam manibus apprehendant, atque ita se erigant, hos tamen, vtcunque propè adsint, nulla ex parte contingunt. Ad hæc Beritius, vbi & sua, & Tarentini sententia, nihil in vinetis seminandum censet, Brassicam præcipuè summouendam præcipit, vtpote quæ vitibus egregiè contraria sit: & cùm propter naturæ suę siccitatem multo indigeat humore, euenit vt iuxtà adsita vitibus alimentum subtrahat. Tanta verò inter vitem & brassicam dissensio est, vt si quis vinum dum ea coquitur instillauerit, ne postmodùm coquatur efficiat, & oleris colorem vitiet. Quiq́; priùs crudam brassicam ederit, vino quantu

Vitis & Brassicæ dissensio.

A quantumuis largiter hausto tentari non poterit, quia vis eius occursu brassicæ hebetatur, fractaq́; labascit. Hinc plerisque Italiæ regionibus, & totius etiamnum Europæ prouinciis mos inoleuit, vt cùm calendæ Augusti vulgò Baccho dicatæ habeantur, permissa eo die vnicuique volenti largiùs epotandi licentia, sympoſiisq́; ad hoc institutis, & curioſissimè celebratis, in quibus Augustum se capesſere glorientur, brassicas identidem vt ebrietatis antidotum in ferculis præsumant. Affirmat & illud Beritius, quod ex Cicerone retulimus, si iuxtà depoſita vitis sit, vltrò eam effugere, & in cõtrariam partem sarmenta conuertere: id quod nos in hortis noſtris Castalioneis fieri vidimus, extra quorum septum excitata pergula, quam iuxtà poſitæ vites inſcenderent ad meridiem, accidit vt hortulani incuria differtim brasſicæ subseminarentur, rum vites quumprimùm pampinos emittere cœperunt, brasſicarum iuxtà surgentium odore offensæ surculos conuerterunt, omissáq; percommodè parata pergula, vltra septum ad septentriones sese porrexêre. Abfueram ego tres menses, dum hæc nulla curantur diligentia. Reuersus autem auulsis inde caulibus coactus sum bonam earum partem pedamentis ac ridicis alieno loco sustentare, quod præter spem feliciter cesſit, pergula intra & extra hortos duplicata. Citat Varro Neſtoris Alexicepon, elegiaco numero conſcriptum, in quo harum inimicitiarum causa decantatur, Bacchum quippe furibundi Lycurgi timore perculsum in mare se proripuisse, in eóque delituisse, mox ab emersu clandestino Lycurgum ex insidiis inuasisse, quem vite deuinxerit: illum indignabundum cùm improuisam capturam ferret impatienter, lacrymas emisisse, ex quibus enata sit brasſica: atque hinc orta diſsidia, & implacabilis plantarum earum contrarietas: Tabescere enim eam neceſse est, si fortiori viti proxima fuerit: vel vitem, si tenella sit, ipsa tabefaciat. Vsque adeò verò odia hæc in B vuæ nomen exercentur, vt (quod idem Varro tradit) quod incommodum vua in humano gutture appellatur, odioſum admodùm, si nimia deſtillatione laxata fuerit, cohiberi, retrahique facillimè posſe credatur, si crudæ brasſicæ succus capiti supèrfundatur. Sed mirum est admodùm has foliis & pampinis insitas esſe aduersus vinum inimicitias, radici verò conciliationem ineſse. Nam qui vinum in acetum trium horarum spatio verti docent, inter quos Varro ipse est, radicem betæ contusam in dolium coniiciendam monent: sin verò reſtituere vinum malueris, brasſicæ radicem eodem modo præcipiunt immittendam.

Alexicepon Neſtoris.

HIEROGLYPHICORVM PIER. VAL. FINIS.

A

ERVDITI CVIVSDAM HOMINIS HIEROGLYPHICORVM COMMENTARIORVM LIBER PRIOR,

EA CONTINENS QVAE PER VARIA DEORVM *& hominum ſimulacra ſignificantur:*

AD BASILIVM AMERBACCHIVM I. C. PERITISSIMVM.

B

VM *difficillimum ſit ea in lucem edere, ob ingeniorum moroſam ſæpe varietatem, quæ omnibus placeant, opus eſt illa alicuius viri autoritate fulciri, qui & calumniatores ac detractores deterrere poſsit: & ſi quid in controuerſia fuerit, diiudicare, rectaq́; & vera comprobare, falſa autem refellere. Vnde etiam fit, vt virtutes illorum quibus ſcripta dicantur, eiuſdem ſæculi hominum teſtimonio celebrentur, & ſic illi patrocinij ſui præmium amplum referant: memoriam videlicet earum virtutum, quarum quamuis docti ipſi ſint, nulla fama ipſorum ſcriptis ad poſteros perueniret. Nam Principum quidem atque Heroum res geſtas memoriæ mandant Hiſtorici: eruditionis ſuæ monumenta, alij docti viri relinquunt: horum autem omnium humanitatis, ſapientiæ, virtutum teſtes & præcones non alij ſunt, quàm omnis generis ſcriptores, qui illis monumenta ſua inſcribunt. Quamobrem æquè prudenter mihi rebus ſuis conſuluiſſe videntur, & qui ſcripta ſua doctorum patrocinio commiſerunt, & qui ita rationes ſuas inſtituerunt, vt & docti ipſi eſſent, & à bonarum literarum ſtudioſis celebrarentur. Illi enim ſcriptis ſuis autoritatem conciliarunt, hi virtutes ſuas ab obliuionis tenebris vindicarunt. Hos igitur ego imitari cupiens, quem alium huic meo Hieroglyphicorum priori commentariolo patronum conciliarem potius quàm te, qui & tanta eruditione atque autoritate es, vt tuo fretus patrocinio liberè in omnium manus venire poſsit: & familiæ noſtræ ita coniunctus, vt primæ ætatis bonam partem ſimul tranſegerimus, cuiusq́; humanitatem ſingularem ac beneuolentiam quotidiè experimur. Hunc igitur meum laborem eodem animo complectere, quo me noſtramq́; domum iamdudum amplecteris. Vale. Baſileæ,* XIIII. *Kal. Sext.* CIↃ. IↃ. LXVII.

C

DE ENEPH, ÆGYPTIORVM DEO. CREATOR, ET CREATIO MVNDI.

PEr Eneph, quem pro Deo colebant Ægyptij, ipſum totius mundi atque vniuerſitatis creatorem opificemq́; pulcherrimo hieroglyphico oſtendebant: cui hominis formam tribuebant, eumque cœrulea veſte indutum, zonamque tenentem & ſceptrum pingebant, ac eius in capite pennam ponebant: vt teſtatur Euſebius in libris de præparatione Euangelica. Penna enim in capite, ſignificat difficilem inuentu eſſe creatorem, & nemini conſpicuum, ſed ſublimem, non modò ſupra ſenſum, verùm etiam ſupra humanæ intelligentiæ captum: humana verò forma, eundem vitæ authorem, & motu qui intellectu comprehendi poſſit, circumlatum indicabat, quoniam vt hominis corpus quidem cernitur, mens verò ipſa, quę hominem à cæteris animantibus diſiungit, eſtque eius naturæ propria, cerni à nullo poteſt: ſic etiam Dei ac ſummi opificis actiones & motus, quæ ipſe in ſacris literis *Poſteriora* vocat, non ſecus atque Ariſtoteles effectus *Poſteriora*, cauſſas verò *Priora* nominat, ab

Eneph explicata deſcriptio.

humano intellectu cerni possunt: mens verò ipsa & Diuina natura, quæ illa moderatur & guber- D nat, in huius corporis carcere absolutè cognosci non potest; & ideò cœrulea veste indutum eum pingebant, vt cœlestem illum esse significarent, & in cœlo habitare, nullius coloris vel accidentis, mixtionisve participem, etiamsi nobis ea fortasse suscipere videatur: & modò irasci, modò placari, quemadmodum cœlum ipsum, cum nullius coloris sit, propter interualli longitudinem cœruleum videtur; & sic simul quoque eius naturam tantùm à nostra distare indicabant, quantum cœlum à terra distat. Sceptrum verò potestatem eius regiam in vniuersam naturam significat, & zona vinculum, quo creata omnia colligat, & in quo vitæ necisque fata continet; hoc est ortus atque interitus, & rerum naturalium causas. Est autem zona circulus ille, quem Astronomi Zodiacum vocant. Prætereà hunc Deum ouum ex ore producentem faciebant, quod mundum significabat Dei verbo creatum, vt etiam Sacræ literæ testantur.

DE PANE ARCADIÆ DEO, VEL SATYRIS ET FAVNIS.

VNIVERSVM, VEL MVNDVS.

Panos figura, eiusque explicatio hieroglyphica.

PAN A, quem & Innuum & Faunum vocauêre, sic pingebant veteres: Caprina facie, rubro colore, hirtis cornibus, varia Pantheræ pelle indutum, infima sui parte hispida, & caprino pede; altera manu fistulam septem calamorum tenentem, altera pedum siue baculum incuruum: hacque figura vniuersi symbolum contineri volebant. Facies enim rubens æther significat, bina cornua Solem & Lunam, Pantheræ pellis cœlestium siderum varietatem. Pars eius inferior hispida fingebatur, propter arbores, virgulta & feras: caprini pedes terræ soliditatem ostendunt: fistula septem calamorum, harmoniam cœli, in qua septem soni sunt, & septem discrimina vocum: virga recurua annum qui in se recurrit, & ideò, πᾶν, id est, totum, appellatus. Sic autem symbolum hoc interpretantur Eusebius, Phurnutus & Seruius.

E

INDIGENA VEL NOBILIS.

EIVSDEM Panos simulacro indigenam significari, testatur Virgilius his carminibus:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæq; tenebant,
Gensq; virûm truncis & duro robore nata.

Nam Deorum filios aiebant esse Faunos, è terra & diuino semine genitos, Faunorum verò liberos heroas, & demùm ab heroibus homines natos; vnde rectè per Fauni simulacrum etiam generis nobilitas significabitur: est enim in magna parte nobilitatis, nõ aduenam, sed indigenam esse. Quamobrem legimus apud Platonem Athenienses nobilitatem idcirco cæterarum ciuitatum nobilitati præstitisse, quòd illi ex ipsa terra geniti essent, nec aliò commigrassent.

SERMO.

F

Pan quomodo verus & falsus.

PER eundem Pana & sermonem significari, tradit Plato, Ægyptiorum arcanorum interpres in Cratylo, quòd non secus ac Pan vagari & circumire fingitur: sic sermo omnia complectatur, & per omnia vagetur, versetq; cuncta: & geminus sit, verus ac falsus. Quòd autem verum est ex ipso, id quia leue ac diuinum est, & supernè apud Deum habitat, pectore & capite significari: quod verò falsum, quia infernè inter vulgus hominum manet, inferiore parte quæ hispida est & hircina, ob asperitatem turpitudinemque ostendit: & ideò à Græcis πᾶν, appellatum dicit, id est, totum, quia sermo totum comprehendit & versat.

MVNDI HIEROGLYPHICVM.

MVNDVM alio etiam modo Ægyptij hominis effigie pingebant, complicatis pedibus eum facientes, vestem variam ad talos vsque indutum, & aureum globum capite sustinentem. Pedibus quidem complicatis, propter terræ firmitatem, varia, & oblonga veste indutum, propter elementorum ac rerum quæ ex illis gignuntur, & quibus terra vestitur varietatem & copiam: aureum verò globum capiti eius imposuerunt, qui cœlum significaret sphæricum, & circularem eius motum.

SOLIS

A

SOLIS SIMVLACRVM.

SOLEM pingebant iuuenili & rotunda facie, eúmque in naui collocabant, quam crocodilus ferebat: per nauigium motum eius in humido significantes, hoc est, in æthere vel intelligentiis: nam & æther multi humidum esse putarunt, & in sicco tam diuturnum motum fieri non posse, & cœlos aqueos dixerunt: vnde in Sacris literis tam sæpe cœlestium aquarum mentio fit, & Angeli ipsi Aquarum nomine à Dauide comprehenduntur. Per Crocodilum verò aquam pluuiam, cuius causa Soli tribuitur.

OSIRIS.

SOLIS ET LVNÆ CONIVNCTIO.

IN Elephantinopoli Ægyptia vrbe Osiridis simulacrum colebatur, viri corpus habens cœrulei coloris, caput verò arietis, quod Solis ac Lunæ coniunctionem significasse, tradit Eusebius. Cœruleus autem color ei propter humiditatem tribuebatur, quia B Lunaris coniunctio humidior est, nec non quia noctes cœruleas facit: tunc enim potissimùm noctibus serenis cœruleum videtur cœlum.

LVNAE SIMVLACRVM.

IN Heliopoli verò eiusdem prouinciæ vrbe, Lunæ simulacrum hoc symbolo consecratum erat. Homo accipitris habens faciem, lancea Typhona interficiens. Pingitur autem Typho fluuiatilis equi forma: & totum hoc simulacrum candidi coloris erat, qui color ab alio lumen accipere Lunam significaret: accipitris verò facies à Sole eam lumen capere indicabat, vnde & spiritum attraheret: Soli enim accipiter dicatus erat, qui, vt etiam Pierius testatur, lucis ac spiritus symbolum est, tum propter motus velocitatem, tum quia alis altiora & lucidiora petit.

PLVTO.

OCCVLTA CONSILIA.

Plutonis hieroglyphica.

VETERES cùm consilia & cogitationes occultas esse debere significare volebant, Plutonem pingebant galeatum, & Proserpinam rapientem, tum quòd subterranea, quorum Deus dicitur Pluto, lateant absconditaq; sint: tum, quia raptus clàm fiunt: tum denique, quòd cùm in capite consilij sedes esse putetur, galea illud tegens aptè consiliorum occultationem significet.

INFERIOR VEL MINOR POTESTAS.

C EIVSDEM quoque Plutonis hieroglyphico, breue sceptrum in manu eius ponentes, minorem inferiorémve potestatem, vt eius qui alium maiorem Principem agnoscit, innuebant: propterea quòd Pluto inferorum rex dicatur, & tamen Iouis imperio subiectus.

SILENVS.

SPIRITALIS MOTVS.

SILENVM quem senem & dormientem pingebant, spirabilis motus symbolum fuisse, testantur veteres: cuius caput candore fulgens propter cœlestem motum faciebant, cæsaries verò longa crassitudinem terrestris aëris significat. Dormire autè illum ebrium finxerunt, quia crassiores spiritus & vaporos caput quasi ebrietate quadam grauant, somnúmque inducunt.

Vulcani effigies.

VVLCANVS.

IGNIS.

IGNIS virtutem sub Vulcani, hoc est, hominis forma pingebant, in cuius capite pileus erat cœruleus, æthereæ symbolum regionis, vbi integer purúsque ignis inuenitur: nam qui è cœlo in terram delapsus est, cùm imbecillior sit, materiaq; indigeat

& fomento, claudicans fingitur, vt qui seipsum, nisi baculo innixus, sustinere non possit, cùm æthereus ille absque vllo fomento se ipsum sustineat, alat, & tueatur.

HERCVLES.

ELOQVENTIA.

Hercules Luciani.

VIsvm est nobis hic recensere hieroglyphicum, quo Galli antiquitùs Eloquentiæ vim exprimebant. Id autem ex Luciani libello de Hercule Gallico conscripto, sumemus ad verbum, quemadmodum vertit Erasmus. Sic igitur inquit: *Herculem Galli lingua gentis vernacula Ogmium vocant. Porrò Deum ipsum noua quadam atque inusitata figura depingunt. Decrepitus est apud illos, recaluaster, reliquis capillis, si qui reliqui sunt, planè canis, cute rugosa, & in aterrimum exusta colorem, cuiusmodi sunt nautæ isti. Charontem potiùs aut Iapetum, quempiámve ex ijs quæ apud inferos versantur, diceres. In summa quiduis potius quàm Herculem conijceres ex imagine. Atque tali specie cùm sit, tamen Herculis ornatum gerit, vt qui cùm Leonis exuuium indutus sit, tum clauam dexterâ teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum tensum lævâ prætendat. Denique modis omnibus Hercules est. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum deorum contumeliam facere Gallos, cùm eiusmodi pingerent effigie, quo nimirum illum talibus picturis vlciscerentur, quòd olim regionem ipsorum incursasset, prædas agens, id temporis cùm Geryonis armenta vestigans, Occidentalium gentium plerasque regiones peruastauit. At nondum dixi id, quod erat in imagine maximè nouum atque mirandum. Siquidem Hercules ille senex, ingentem admodùm hominum multitudinem trahit, omnibus per aures reuinctis. Porrò vincula catenulæ tenues auro, electróve confectæ, pulcherrimis monilibus similes. Atqui cùm vinculis vsqueadeò fragilibus ducantur, tamen neque de fuga cogitare videntur, cùm alioqui commodè possint, neque prorsus obnituntur, aut pedibus aduersus trahentem obtendunt, sese resupinantes: verùm alacres ac læti sequuntur, ducentem admirantes. Vltrò festinantes omnes & laxatis funiculis etiam anteuertere studentes: perinde quasi grauiter laturi, si soluerentur vinculis. Neque illud quidem pigebit referre quod mihi videbatur omnium absurdissimum. Etenim cùm non inueniret pictor vnde catenularum summas ansas necteret, videlicet dexterâ iam clauam, lævâ arcum tenente, summam Dei linguam perterebrauit: atque ex hac religatis catenulis eos trahi fecit: ipse nimirum ad eos qui ducebantur, vultum & oculos conuertebat arridens. Hæc ego cùm diutius adstans essem contemplatus, admirans, hæsitans, indignans, Gallus qui propiùs adstabat, nostratium literarum non ignarus, id quod declarauit Græcè optimè loquens, Philosophus opinor, ex eo genere Philosophorum, quod apud eos esse fertur. Ego tibi hospes, inquit, picturæ istius arcanum explicabo: nam videris vehementer ad eam attonitus ac mirabundus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurium, quemadmodum vos Græci, verùm Herculi illam tribuimus: propterea quòd hic Mercurio longè robustior extiterit. Nam quòd senex fingitur, nihil est quod mirêre: siquidem facundia solet in senecta demum absolutam vim ostendere. Si modò verum vestri dicunt Poëtæ, obduci iuuenum densa caligine pectus, contra senectam posse quiddam dicere rudi inuenta melius ac præclarius. Hinc videlicet apud vos, & Nestoris lingua melle profluit, & Troianorum Oratores lirioëssam edunt, videlicet floridam quandam vocem: nam liria, si satis memini, flores appellantur: proinde quòd auribus ad linguam vinctos trahit senex hic Hercules, qui non aliud quàm ipse est sermo, ne id quidem debes mirari, qui quidem non ignores linguæ cum auribus esse cognationem. Neque verò ad contumeliam illius illud pertinet, quòd ea perforata sit: nam memini, inquit, & iambicos quosdam versiculos apud vos dicere, viris loquacibus extremam linguam perforatam esse omnibus. Quin eodem hanc in summa habemus opinionem, vt quicquid egit, id illum oratione facundiaq; egisse putemus: vtpote virum sapientem, ac persuadendo plerosque sibi subegisse. Iam tela illius nimirum rationes sunt acutæ, missiles, citæ, atque animum sauciantes, vnde pennigera dicta fuit oratio.* Hæc Lucianus, quæ ad huius hieroglyphici explicationem sufficere opinor.

RATIONIS CVM APPETITV PVGNA.

Herculis cũ Antheo pugnæ hieroglyphicum.

HErcvlis Antheum interimentis simulacrum in multis antiquis numismatibus cernitur; quod quid significet, nunc explicabimus. Hercules animæ rationis participis, spiritusq; symbolum est: Antheus verò corporis. Herculis pectus sapientiæ sedes, atque prudentiæ; quibus perpetua est cum appetitu ac voluptatibus pugna: semper enim appetitus rationi obsistit, nec potest ratio superare, nisi corpus ita in altum, & procul ab terrenarum rerum intuitu extulerit, vt pedes, hoc est, affectus, nullum amplius fomentum à tellure accipiant: imò cupiditates & affectus qui terræ sunt filij, prorsus interficiat. Quo de genere mortis loquitur D. Paulus, cùm ait: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et Dauid: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Et Seruator ipse: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Et hæc est omnium victoriarum præstantissima, vnde in Scipionis Africani tumulo legitur hic elegãtissimus versiculus: MAXIMA CVNCTARVM VICTORIA, VICTA VOLVPTAS. & Boëtius hoc ipsum Herculis factum celebrans ait, SVPERATA TELLVS, SIDERA DONAT.

INGE

A

INGENIVM VEL INTELLIGENTIÆ VIS.

Sagitta trium cuspidũ quid.

SYmbolica non solùm Ægyptiorum, verùm etiam Græcorum Theologia, Herculem pro humano ingenio vel intelligentiæ vi ponit, pingitq; illum arcu trium cuspidum sagittam iaculantem: propterea quòd humani ingenij acumen, cœlestia, terrena & inferna scrutetur: vel propter tripartitam Philosophiæ distributionem, quia ingenio Mathematicas disciplinas, rerum naturalium causas, & diuina mysteria indagamus: aut alio modo, ex Socraticæ scholæ diuisione in differendi subtilitate, naturæ obscuritate, vita & moribus eo vtimur, ita vt sagitta trium cuspidum aut triplicem mundum, aut triplicem contemplationem, aut tripartitam philosophiam significet.

PROMETHEVS.

ARTES ET INGENIVM, VEL ARTIVM INVENTORES.

Tabula de artiũ origine Platonis

PLato in Protagora sub persona Socratis, huiusmodi narrat de Artium origine fabulam. Erat, inquit, aliquando tempus, quo dij quidem erant, mortalium autem genera non erant. Postquàm autem & his tempus satis constitutum venit, vt crearentur, B formabant ipsa dij intra terrã ex terra & igne permixtis, & ex iis quæ igne ac terra permiscentur. Quum verò in lucem iam illa producturi essent, illorum ornandorum facultatúmque singulis, prout deceret, distribuendarum curam Prometheo & Epimetheo demandarunt. At Epimetheus sibi distribuendi munus deposcit, & Prometheo, dum ego distribuo, dicit, Aspice & considera. Sicq; illo persuaso, distributionem facit. Hic verò aliis robur absque celeritate apponebat, alia debiliora velocitate ornabat, alia armabat, aliis inermi data natura, aliam quandam facultatem ad salutem excogitabat. Quæ enim ex ipsis parua fecerat, iis volatilem fugam aut subterraneam habitationem tribuebat. Quæ verò magnitudine auxerat, ea hac ipsa seruabat, & reliqua hoc modo exæquans distribuebat: ea industria, vt caueret, ne quod genus interiret. Postquam verò mutuæ corruptionis effugia ipsis suppeditasset, facilitatem anni tempora & varias cœli tempestates sub dio ferendi excogitabat: induens illa densis pilis, & solidis pellibus, quæ & hyemem & æstum arcere possent: & quæ singulis cubilia petentibus proprium ac naturale stratum itidem essent; & sub pedibus alia vngulis, alia pilis & coriis solidis ac exungibus muniuit. Necnon alimenta aliis alia suppeditabat, his herbam ex terra, illis arborum fructus: aliis radices, quibusdam verò aliorum animalium laniatum in alimentum dabat. Et his quidem paucam sobolem tribuebat, his verò quæ ab illis dilaniarentur, multam, quo genus ipsum conseruaretur. Proinde Epimetheus, vt qui non vsqueadeò sapiens esset, non animaduertit, se facultates C in bruta animantia expendisse. Restabat adhuc ipsi inornatum hominum genus, & quid cum ipso ageret, ambigebat. Quo dubitante, venit Prometheus, inspecturus distributionem, & videt reliqua quidem animalia accuratè omnia habere, hominem verò nudum, non calceatum & inermem, iamq; fatalis dies aderat, qua etiam hominem ex terra in lucem prodire oportebat. Consilij itaque inopia præhensus Prometheus, & quamnam homini salutem reperiret nescius, Vulcani & Mineruæ artificiosam sapientiam vnà cum igne furatur. Fieri enim nullo modo poterat, vt illa absque igne ab vllo possideretur, aut vlli vtilis esset: & sic illam homini largitur. Sapientiam itaque circa parandum victum hoc modo homo accepit: artem verò versandi in Republ. non habebat. Illa enim apud Iouem erat. Prometheo autem Iouis arcem ingredi non licebat, quoniam Iouis munitiones horrendæ erant: at in communem Mineruæ & Vulcani domum, in qua artes exercebantur, furtim ingressus erat, & furto sublata ignea Vulcani arte, & alia Mineruæ, eas homini contribuit. Et ex hoc contigit homini victus facultas. Prometheus verò post eam quæ fertur furti pœnam Epimethei caussa dedit. Postquàm autẽ homo diuinæ sortis particeps factus est, primùm quidem propter Dei cognitionem ex igne contractam, solus inter omnia animãtia deos esse putauit, iisq; aras & statuas dicauit. Deinde vocem & nomina breui per artem articulauit, habitationes, vestes, calceos, strata, & alimenta ex terra inuenit. Hoc autem modo instructi initio homines sparsim habitabant, nullas habentes ciuitates. Cumq; feris imbecilliores essent, passim ab illis interimebantur. Ars namque opificiorum ad alimentum quidem idonea erat auxiliatrix: verùm ad bellum contra feras manca: Reip. enim artem nondum habebant, cuius pars est ars militaris. Quærebant autem, quomodo congregarentur ac seruarentur condentes ciuitates. Quum verò congregati essent, iniurias mutuò inferebant, vt qui artem gubernandæ Reipubl. non haberent, quare rursus

dispergebantur ac peribant. Iupiter igitur timens generi nostro, ne in totum aboleretur, Mercurium mittit, vt pudore & iustitia homines imbuat, quæ ciuitatum essent ornamenta & vincula, & amicitias inter homines conciliarent. Interrogat itaque Mercurius, quomodo iustitiam & pudorē hominibus distribuere debeat. Num vt artes distributæ sunt, ita & has distribuam? artes enim sic sunt distributæ, vt vnus qui artem medicam aliámve quampiam teneat, multis imperitis sufficiat. Iráne ergo & iustitiam & pudorem inter homines ponam? aut in omnes distribuam? In omnes, inquit Iupiter, & omnes eius participes fiant. Neque enim constabunt ciuitates, si pauci illarum participes fuerint, velut ex aliis artibus. Legem item nomine meo promulges, vt qui pudoris & iustitiæ particeps esse non possit, tanquam pestis ciuitatis occidatur. Ex qua narratione colligimus, per Prometheum faciem accensam, quæ ignis furtum significet, tenentem, ingenij vim in inueniendis artibus, artiúmve inuentionem & ipsum inuentorem denotari: fax enim animæ illa vis est: quam Aristoteles intellectum agentem vocat, quam Plato & Ægyptiorum Theologia cœlestem igniculum luménve extrinsecus aduenies appellarunt, cuius proprium munus est artium inuentio.

GRATA ACCEPTI BENEFICII MEMORIA.

Prometheus rupi alligatus quid.

HOMINIS prope rupem arduam stantis, anulumq; ferreum ex catena, quę monti alligata est, exemptum cum adnexo lapillo in digito habentis imago, gratā accepti beneficij memoriam significat: in eo præsertim, cui delicti pœna condonata est. Aiunt enim Prometheum, ob ignem diis surreptum, & cum mortalibus communicatum, ab Ioue Caucasi montis rupi ferrea catena alligatum fuisse: & paulò pòst ab eodem eius miserto solutum, in huius beneficij memoriam vnum ex illius catenæ anulis cum saxi portione ex rupe sumpta, digito alligasse, indeq; pòst anulorum & lapillorum iungendorum morem emanasse, quo fit vt etiam solus ferreus anulus, quo diu Romani vsi sunt, id possit significare.

DELICTI POENA, VEL VLTIO DIVINA.

IDEM Prometheus rupi alligatus, pœnam delicti diuinamq; vltionem imminere denotat, vel iustum iudicium esse, & calamitatem flagelli loco diuinitùs immissam, quemadmodum ipse Prometheus diuino iudicio ob ignem cœlitibus furto ablatum, rupi alligatus traditur.

MERCVRIVS.

ORATIO, VEL ELOQVENTIA.

Mercurij varia hieroglyphica.

MERCVRIVS orationis vim interpretandiq; virtutem & eloquentiam significat, vtpote Deorum nuncius atque interpres, vnde Virgilius dixit:

Interpres diuûm cælo demissus ab alto.

Fingitur autem protensus atque erectus, propter orationis vim, alas in capite & pedibus habens, vt significet volucrem per aëra ferri sermonem: nam & Homerus ἀοιδὴ πτερόεντα, hoc est, *alata verba* appellauit.

VELOCIOR SENSVS, VEL INTELECTVS AGENS.

AMMIANVS Marcellinus scribit, Iulianum Cæsarem media nocte, vt Mercurio supplicaret, exurgere solitum, quo menti suæ lumina præferret, quia Mercurium velociorem in mundo sensum esse motus mentium excitantem, quem vulgò Intellectum agentem vocant, ex Philosophorum arcanis acceperat. Ex quo colligimus in sacris per Mercurium, intellectum agentem, & celerem animi sensuumque motum significatum fuisse.

FIRMITAS ET GRAVITAS ORATIONIS.

CVM autem orationem grauem, firmam solidamq; esse debere indicare volebant, Mercurium in quadrata basi sine pedibus pingebant, quod veri sermonis firmitatem ac robur indicabat: tum etiam, quia sermo sine manuum vel pedum adiumento suo fungitur officio.

MERCATOR, VEL MERCATVRA ET LVCRVM.

PER eandem quoque Mercurij imaginem, quę marsupium manu teneret, gallum ad eius basim ponentes, lucrum, mercaturam, mercatorémve significarunt, quòd is mercium & lucri Deus haberetur: quia sermonis ope omnia mercimonia & contractus fiunt: Gallum verò idcircò illi apponebant vigilantiæ symbolum, vt indicarent mercatores decere vigilantes esse, nec totas somno tribuere noctes.

FVR ET FALLAX.

FVR quoque & furandi ars, atque fallacia, Mercurij Apollini Boues furantis imagine significatur, quòd illum eius artis & fallaciarum ac doli fraudisq; inuentorem Poëtæ tradiderint, vnde & illi cognomentum κλέπτης, Phurnuto & Suida authoribus, est inditum: ideóque sic de illo cecinit Horatius:

Callidum

Callidum quicquid placuit iocoso
Condere furto.
Te Boues olim, nisi reddidisses,
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

& Prudentius:

Expertes furandi homines, hac imbuit arte,
Mercurius Maia genitus. ---

HYDRARGYRON.

PER eundem Mercurium Chemicæ artis professores, argentum liquidum, quod vulgò viuum, Græcè hydrargyron appellatur, propter eius mobilitatem intelligunt: nam illi singulis metallis Planetarum nomina tribuunt: vt plumbo Saturni, stanno Iouis, ferro & chalybi Martis, auro Solis, æri Veneris, argento Lunæ, vt & Plato in Timæo facere videtur.

TALARIA.

VELOCITAS.

TALARIA Mercurij, velocitatem motumq; significant, quòd is sublimis per aëra feratur, vt Virgilius ait:

---Et primùm pedibus talaria nectit
Aurea: quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

adeò vt si cuipiam significare velimus fugiendum esse, aptè talaria depingere possimus: vnde fit, vt etiam communi sermone dici soleat, *Addere pedibus alas*, pro celeritate. Idem Virgilius: *Pedibus timor addidit alas.*

CADVCEVS.

POTESTAS ET VIS FATI.

EST & alia Caducei qui Mercurio attribuitur significatio, præter eas quæ à Pierio sunt enumeratæ. Caduceus enim fati potestatem significat, vel afflatum quēdam diuinum, dictumq; quo non modò mentes nostræ, verùm etiam creata omnia mouentur & gubernantur: atque vinculum quo cum Deo colligati sumus, ac inter nos: ipsiusq; fati necessitatem, omnia stringentem. Quod præclarè indicasse videtur Virgilius his verbis:

Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco,
Pallentesq; alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitq;, & lumina morte resignat:
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila. ----

Caduceus quomodo ab Aegyptiis pingebatur.

Sic enim pingebatur ab Ægyptiis Caduceus ille, Macrobio autore, in specie Draconum maris & fœminæ coniunctorum, qui parte media voluminis sui, inuicem nodo, quem vocant Herculis, obligabantur: primæque partes eorum reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli iungebant: & postmodùm caudæ reuocabantur ad capulum Caducei, ornabanturq; aliis ex eadem capuli parte nascentibus.

CONCORDIA.

M. Antonij Triumuiri numus.

IDEM Mercurij Caduceus angues illos circumuolutos habens, quos ipse, vt Poëtæ narrant, pugnantes cum inuenisset, diremit, ita vt ambo Caduceo eius adhæserint, Concordiæ symbolum est, vt in antiquis numismatibus apparet, ac inter cætera in M. Antonij triumuiri numismate quodam, in cuius vna parte, mulieris laurea corona sub capitis velamine redimitæ caput est, cum his literis, III. VIR. R. P. C. in altera duæ manus iunctæ Caduceum hunc tenentes, cum hac inscriptione, M. ANTON. C. CÆSAR. quod procul dubiò pro Concordiæ, quæ tunc inter Cæsarem, Antonium & Lepidum erat, symbolo positum fuit, idemq; Caduceus res quę eandem vim habent, similésve sunt, denotat, duobus Serpentibus, eiusdem videlicet generis animalibus.

D

ARGVS.

MVNDI MACHINA.

ARGVS circa totum caput oculos habens, de quo sic canit Ouidius:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inq; suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera seruabant, atque in statione manebant.

& Statius:

Spectat in occiduis stellatum visibus Argum.

hic, inquam, vniuersæ mundi machinæ typus est: cuius caput cœli præ se fert imaginem, oculi stellarum, quæ inferiora omnia custodiunt & fouent. Voluerunt enim Theologi Symbolici mundum animal esse: idque sub Argi imagine significarunt: & terram quoque moueri dixerunt. Ait enim Mercurius Trismegistus in Pimandro, terram non solùm moueri, verùm etiam vario motu agitari: sed tamen ita, vt cum reliquis elementis comparata propter motus tarditatem, immota videatur: idque huiusmodi argumento probare nititur: *Non est*, inquit, *credendum illam quæ omnia nutrit, fouet, concipit & parit, motus expertem esse: fieri enim nequit, vt quod non mouetur, gignat & pariat.* Vt igitur stellæ ac sidera huiusce mundi oculi sunt, sic herbæ, arbores & plantæ omnes capillorum locum obtinent: metalla verò & lapides, ossium: nil mirum igitur, si sub Argi imagine mundum vniuersum comprehendit Ægyptiorum Theologia.

E

ENDYMIVM.

PIORVM OBITVS.

Mortis genus optimũ quod.

CVM plura sint mortis genera, illud maximè & à sapientibus gentium, & Sacrarum literarũ testimonio comprobatur, & commendatur: cùm qui piè & sanctè vixerunt, iamque altero illo genere mortis, de quo in Hercule Antheum interimente diximus, mortui, hoc est, prauis cupiditatibus deuictis, & ad Deum anhelantes, ac cum eo coniungi (quod in hoc corporis carcere fieri non potest) cupientes, ab eo in cœlum trahuntur, corpore, non secus atque altissimo somno morte consopito: quemadmodum mori cupiuit Paulus, cùm diceret, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Hoc autem genus mortis osculum vocauêre symbolici Theologi: de quo videtur loquutus esse Salomon in Cantico, cùm ait: *Osculetur me osculo oris sui*, quod, sub Endymionis, quem Diana in monte altissimo consopitum somno osculatur, imagine adumbrarunt. Aiunt enim Dianam, vt quæ siderum vim, quam ipsa recipit, ad inferiora transmittat, reginam esse & dominam cœlestium proportionum atq; intelligentiarum: Endymionem verò animam hominis pij significare, cuius amore capti cœlites, vt illam sibi coniungere possint atque osculari, in alto monte, hoc est, dum cogitationem & mentem in cœlum attollit, somno altissimo consopitam, id est, morte huius corporis. Nam cùm corpus impedimento sit, quo minùs perfectè Deo coniungi possimus, sequitur eo soluto nos liberè in cœlum euolaturos. Quod quantò citiùs fit, tantò maiores Deo gratias habere debemus: nec tamen recusare quamdiu ei visum fuerit, huius corporis carcerem æquo animo ferre: sed assiduè illum rogare, qui solus omnia bona largitur, vt intereà saltem cupiditates nostras, quæ nos ab eius complexu abstrahere possunt, interimat. Quod vt faciat, clementiam eius supplex manus tendens rogo & obsecro.

F

PACI

A

PACIFICATOR HABITVS.

Fauoris, & cõtrarij figura.

NOLVIMVS hìc omittere, priusquam virtiles imagines absolueremus, quin ea adiiceremus, quæ Quintilianus de Pacificatore habitu scribit. Sic enim ait: *Fit & ille habitus, qui in statuis pacificator esse solet, qui inclinato in humerum sinistrum capite, brachioq; ab aure protenso, manum erecto pollice protendit: qui quidem maximè placet iis, qui se dicere sublata manu iactant:* cuiusmodi habitus hodie cernitur Romæ in pulcherrima statua, quæ pro æde Lateranensi stat.

QVOMODO PINGI SOLERENT A VETERIBVS FAVOR, EIVSQVE contrarium.

CVM iis qui de Pacificatore habitu diximus, faciunt, quæ de fauoris eiusque contrarij symbolo scribit Politianus in Miscellaneis: fauorem enim pollicibus pressis, & eius contrarium versis significari solitum ait, idque Horatij, Iuuenalis, Plinij & Prudentij authoritate probat. Sic namq; ait Horatius in primo Epistolarum:

Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.

B Iuuenalis verò hoc modo:

--Et verso pollice vulgi,
Quemlibet occidunt populariter.

Plinius autem libro Naturalis Historiæ vigesimooctauo, *Pollices, cùm faueamus, premere etiam prouerbio iubemur.* Et Prudentius:

Et quoties victor ferrum iugulò inserit, illa
Deliciæ ait esse suas, pectusq; iacentis
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.

Ex quibus patet, eos qui fauerẽt, pollicem premere; qui verò fauorem denegarent, vertere solitos.

FIDIVS DEVS.

FIDES.



Fidij simulacrum.

PRÆSTANTISSIMVM extat Romæ in antiquo marmore Fidij simulacrum, sic expressum: Vir est imberbis quidem, sed tamen maturam præ se ferens ætatem, cui adiectum est nomen, HONOR, hic VERITATI, quæ virginis forma expressa est, manum porrigit, prendit́que: in medio autem AMOR est puerili ætate: quòd hæc tria sint, quibus Fides nititur, C quæque illam inuiolatam conseruant: nempè honoris studium, veritas promissorum, vt videlicet ab vtroque seruentur, & amor, qui nisi adsit & faueat, facilè fides corrumpitur: nam fidem honos sustinet, veritas parit, amor nutrit.

SOMNVS.

VERA ET FALSA SOMNIA.

Veri falsi, somnij sig, symbolum.

EMAGO virilis facie resoluta & languenti, candida subtus veste & suprà nigra induti, quasi diem & noctem indicaret, cornu manu tenens, Philostrato autore, somnum significat: quod cùm vera somnia immittit, nigrum cornu habere fingitur: cum verò falsa, eburneum: vnde & geminæ somni portæ à Virgilio finguntur, his verbis:

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris,
Altera candenti perfecta nitens Elephanto:
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

quoniam, vt inquit Macrobius ex Porphyrij autoritate, latet omne verùm: hoc tamen anima cùm ab officiis corporis somno paulùm libera est, interdum aspicit, nonnunquam tendit aciem, nec tamen peruenit. Et cùm eum aspicit, tamen non libero & perfecto lumine videt, sed interiecto velamine, quod nexus naturæ caligantis obducit: quod Virgilius his verbis indicauit:

Aspice,

Aſpice, namq; omnem, quæ nunc obducta tuenti D
Mortales hebetat viſus, tibi & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Hoc igitur velamen, quod nigro colore ſignificatur, cùm in quiete ad verũ vſque aciem introſpicientis admittit, cornu eſſe creditur: cuius hæc eſt natura, vt tenuatum viſui peruium ſit: cùm autem à vero habetat, ac repellit obtutum, ebur putatur: cuius corpus ita natura denſatum eſt, vt ad quamuis extremitatem tenuitatis eraſum, nullo viſu ad vlteriora tendente penetretur. Hæc Macrobius. Seruius verò aliam adfert rationem: ait enim per portam corneam oculos ſignificari, qui & cornei ſunt coloris, & duriores cæteris membris, quia frigus non ſentiunt, vt & Cicero in libris de natura Deorum teſtatur. Per eburneã verò portam, os, propter dentes, quòd ea quæ loquimur, falſa eſſe poſſint: ea verò quæ videmus: ſine dubio vera ſint. Aut verò ait, corneam portam idcirco veram dici, quòd, vt ij, qui de ſomniorum interpretatione ſcripſerunt, teſtantur, quæ ſomnia perſonæ ſtatum & fortunam non excedunt, vera ſint, & ſimplicia, vt cornu eſt: quæ verò ſupra fortunam ſunt, & nimium habent ornatum, falſa: vnde eburnea quaſi ornatior porta fingitur.

HONOS ET VIRTVS.

Honoris & Virtutis imago, eiuſque explicatio.

IN quibuſdam Vitellij Cæſaris numiſmatibus inueniuntur pulcherrimæ Honoris ac Virtutis imagines, in quibus Virtus ſic eſt expreſſa: Iuuenis galeatus cum pennis ſupra galeam, haſtam ſiniſtrâ, ſceptrum dextrâ tenens, ocreas habens, & ſub dextro pede teſtudinem, Honorem, qui muliebri forma eſt expreſſus, intuens. Habet autem caput galeatum, vt fortitudine ad Virtutem opus eſſe indicet, quo nos ab imminentibus inſidiis tueamur, eandemq́ue ob cauſſam & haſtam habet: pennæ verò vel criſta, ingenij acumen ſignificant, & ſublimia cogitanda. Sceptrum poteſtatem vitiorum domandorum, & cupiditatum frænandarum. Ocreæ duplicem habent ſignificationem, primùm quòd qui Virtutem ſectantur, ſemper ad loc̃u, ſi opus ſit, Virtutis exercendæ cauſſa, mutandum parati eſſe debent. Deinde quia pedes & crura imbecillitatem, quam ex hoc terreo corpore ſuſcipimus, quæ nos cupiditatũ ictibus obnoxios reddit Prudentia, cuius ſymbolum eſt teſtudo, quam ſub pede habet, diligenter muniamus, ſicq; greſſus noſtros dirigendos, Prudentia duce, vt ne noſmet ipſos in peccandi neceſſitatem coniiciamus: ſemperq́ue in omnibus rebus honorem ſpectandum & intuendum, non autem opes. Honos muliebri potiſſimùm forma depingitur, quòd mulieres maximè honoris ſtudioſas eſſe deceat. Eſt autem ſeminuda mulieris imago, propter opum contemptionem, eademq́ue cornucopiæ geſtat, & galeam pede premit, quia ex Virtute omnium rerum copia prouenit, & virum in Honore ob Virtutem conſtitutum omnes venerantur. E

HECATE. F

LVNA.

Hecates figura, eiuſq; hieroglyphicum.

VNAM ſub Hecates imagine pingebãt, propter varias eius corporis figuras: Hecate enim cum tribus capitibus pingitur, quorũ ſiniſtrum Equi eſt, dextrum Canis, medium Hominis. Luna enim ex Solis diſtantia varias figuras ſumere videtur, & cùm nouilunium pingere volebãt, candidis vel aureis veſtibus indutam, atque ardentem facem tenentem eam faciebant: cùm mediã oſtendere volebant, ciſtam ei in manu ponebant, quia, creſcente lumine, fruges muturat. Plenilunij autem virtutem ferrugineo calore denotarunt, tuncq́ue ramum Laureum & Papauer manu tenere fingebatur: ramum quidem Laureum, quoniam à Sole ignea ſit: Laurus enim Soli conſecrata eſt: Papauer verò propter fertilitalem multitudinemq; animarũ, quę in ea tanquã in ciuitate habitare putabãtur. Duplicẽ enim tellurẽ Aegyptiorũ Philoſophia ſtatuebat: ſuperiorem vnã, & inferiorẽ alterã: ſuperioremq; tellurem Lunam eſſe putabãt, inferiorem verò hãc frugũ procreatricem, quã nos mortales habitamus: illã enim animas corpore ſolutas incolere putabant, quia cũ Aegyptij ex Hebræorũ, à quibus multa

Tellus duplex Aegyptiorum.

A multa didicerunt, Theologia eſſe quendam locum, in quem animæ corpore ſolutæ tranſmigrent, ibiq́ue beatorum ſedes eſſe, & multa præterea de cœleſti illa patria, & ſancta ciuitate, ciuſq́ue regionibus audiuiſſent; & in plenilunio maculas quaſdam in Lunari orbe viderent, quę in nullo alio ſidere cernerentur, & terrarum quandam montiumq́ue & lacuum imaginem præ ſe ferrent, diuina myſteria & arcana humana intelligentia metiri volentes; ea omnia in Luna eſſe putabant, eamq́ue cœleſtem illam tellurem eſſe aiebant. Nec defuerunt qui duplicem mundum ſtatuentes, vnum in quo perfecta rerum omnium, quæ in hoc noſtro orbe ſunt, exempla atque imagines cernuntur, ab ipſo creatore minimè corruptioni obnoxiæ factæ, quas Ideas vocauêre: ex quibus poſt & ad illarum imitationem, quæ in hoc mundo ſunt omnia creata ſint, mundum illum idearum Lunam eſſe dixerunt. Sic enim ratiocinabantur: Vt architectus, pulcherrimam aliquam domum templúmve ædificaturus, imaginem eius perfectiſſimam mente concipit; quæ cùm ex materia concreta non ſit facta, corruptioni minimè eſt obnoxia, niſi cùm architectus ipſe corrumpitur, hoc eſt, aut moritur, aut mente alienatur, neque pòſt ædificium ipſum tam perfectum & abſolutum reddere poteſt, vt ideam illam quam conceperat æquet: ita & ſummus iſte opifex atque architectus, mundum hunc creaturus, eius & omnium, quæ in eo eſſe volebat, imaginem perfectiſſimam concepit, quæ imago, vtpote in eius qui omni corpore ſolutus eſt, quiq́ue omnia poteſt mente concepta, ita perfecta fuit, vt nihil perfectius excogitari poſſet: & re ipſa extitit, quia potentiſſimus eſt qui eam fecit. Et quemadmodum imago humana mente concepta, ſine ſui artificis corruptione corrumpi non poteſt; ſic illam quæ opificem habet nulli corruptioni obnoxium, ſempiternam fore, neceſſe eſt fateri. Hanc autem imaginem Lunam eſſe volebant, cui etiam creator vim hæc inferiora ad ſui

Opinio idearum Lunã mundũ ſtatuentium.

B exemplum, ſed minus perfecta, gignendi dederit: quam vim Naturam appellarunt. Et ſic Lunæ multitudinem animarum, vel quòd in ea corpore ſolutæ habitarent, vel quòd ad illa in mortalia corpora influerent immitterenturq́ue, vel quòd perfectiſſimas illarum contineret imagines, tribuerunt. Sed eſt & alia ratio, cur illi fertilitas multitudoq́ue animarum tribuatur: quia videlicet Luna creſcente, plantæ, & fructus, nec non & animantia magis creſcunt, & quia partui præeſſe putatur. Nec tamen abſurdam prorſus illorum ſententiam exiſtimarem, qui huius mundi imaginem in Luna eſſe putarunt, modò ne de diuina illa idea, ad cuius exemplar omnia ſunt creata, intellexiſſent; quæ non magis quàm Deus ipſe mortalibus oculis cerni poteſt, cùm diuinam illam ideam ſempiternam fore ſit neceſſe, Lunam verò & Solem mutationi obnoxium eſſe, Sacræ literæ teſtentur. Sed ſi huius mundi imaginem tanquam in ſpeculo cerni dixiſſent, facilè illis aſſentirer. Lunare enim corpus ſpeculo ſimile eſſe, ſolarium radiorum reflexio, quam in eo videmus, indicat: itemq́ue aqueæ naturæ, quæ in ſpeculis eſt, eſſe Philoſophorum omnium illi humiditatis ad rerum generationem cauſſam tribuentium conſenſus, & res ipſa docet. Cùm igitur talis ſit Luna, & in plenilunio terra inter ſolem & illam poſita, huiuſmodi maculæ in eius corpore cernantur, quę mediam orbis terrarum partem, vt illam à Geographis pingi videmus, imitentur, quis nõ credat maculas illas terræ imaginem eſſe? Nam quòd illas ob corporis inæqualitatem fieri dicunt, id abſurdiſſimum videtur in cœleſti corpore: & falſum eſſe, teſtatur ſolarium radiorum tanta reflexio, quæ niſi ex politiſſimo nitidiſſimoq́ue corpore fieri nullo modo poſſet. Quod verò alij vapores eſſe putant, quos illa aſſiduè ad ſe trahat: primùm dico fieri non poſſe, ſi vapores eſſent, vt ſemper eandem figuram ſitumq́ue ſeruarent: deinde Mathematicorum, hoc eſt, Optices certiſſimas veriſſi-

C masq́ue rationes, id falſum oſtendêre. Nam cùm vapores non ſupra mediam aëris regionem attollantur, neceſſe eſſet, Lunam à Britannis, aut Hiſpanis, aut Ægyptiis, quorum acies ſupra vapores illos, qui in noſtris ſolummodò regionibus eſſent, tenderet, ſine maculis cerni: nam ſi quis fortè diceret, vapores illos totam mediam aëris regionem occupare, & ideò ab omnibus videri; is ſciat, ſi ita ſe res haberet, nos non maculas, ſed totum Lunarem orbem quaſi velamine quodam obductum viſuros. Ex quo patet, cùm eædem maculæ æquè ab omnibus gentibus cernantur, vapores eos non eſſe. Sed & ipſarum macularum figura optimè orbis terrarum imaginem, vt ex tam longinquo tractu perſpici poteſt, præ ſe fert, quemadmodum quilibet videre poteſt.

PERSEPHONE, SIVE PROSERPINA.

SEMINVM VIRTVS ET GENERATIO.

SEMINVM virtutem & gignendi vim, quæ potiſſimùm in terra eſt, veteres muliebri forma, germina quædam protendentem pinxerunt, hanćque imaginem Bonam deam vel Perſephonem appellarunt: ſemen non antè germinare ſignificantes, quàm in terram proiectum aliquandiu ibi latuerit.

DIONY

DIONYSIVS.

PROMISCVA GIGNENDI VIRTVS PLANTARVM.

QVONIAM verò plantæ non solùm ex semine, verùm etiam quædam ex surculis plantatis nascuntur, hanc promiscuam gignendi vim, sub Dionysij imagine expressêrunt, quem muliebri forma & cornua habentem pingebant.

IVNO.

QVATVOR ELEMENTA.

Elementorum hieroglyphica figura.

IVNO catena de cœlo ab Ioue suspensa, & lapides pedibus alligatos habens, ab Homero fingitur: ita vt vnum pedem contractiorem habeat altero, quæ imago quatuor elementorum symbolum est. Iuno enim ipsa aërem significat, catena ignem quo cætera colligantur atque miscentur, lapis altiori pedi appensus, aquam, alter verò terram: quæ omnia Iupiter, quem cœli rectorem significare volunt, ita cœlo alligauit, vt ex illo pendeãt, ipsiúsque, qui cœlum mouet, nutu gubernentur.

TEMPESTATIS MVTATIONEM, ET ARCANA TEMPORE PATEFIERI.

EADEM Iuno nubibus vndiq; septa, ita vt vix cerni possit, tum mutationem tempestatis (cum Iuno aëris symbolum sit) tum res alta vetustatis caligine mersas, aut alioqui obscuras absconditasque, quas tamen tempus patefaciet, tum temporis breuitatem significat.

SPES FALLAX.

EADEM quoque Iuno ex nubibus ficta, res de quibus agitur fictas & falsas esse significat, spémque fallacem: admonetq; vt caueamus nobis ab illusoribus, vel ne falso, vt sæpe fit, amore capiamur, nosq; fœminis deludendos præbeamus. Aiunt enim, Iunonem ab Ixione adulterij solicitatam, illi corpus ex nubibus sui imaginem præ se ferens obtulisse, cum quo ille iacuerit.

EVROPA.

ANIMÆ HOMINIS IN CORPORE STATVS.

MVLIER Tauro insidens, ac per mare delata, facie tamen in tergum conuersa, & littus quod longè liquit respiciens, significat animam hominis, quam corpus per huius mundi pelagus defert, cùm ipsa tamen tellurem, quam deseruit, hoc est, Deum creatorem atque opificem, auidis oculis intueatur. Et hic est Platonicus ille animę circulus, atque rationis motus, cùm videlicet mẽte à diuinis ad humanas res cogitandas, ipsaq; creata, conuersa, tandem ad Dei contemplationem redit: ideoque Poëtæ finxerunt, Europam Agenoris Phœnicum regis filiam, ab Ioue sub forma Bouis, aut Vituli raptam, & per mare in Cretam delatam fuisse: cuius fabulæ mystica explicatio est, quam modò protulimus.

Platonicus animæ circulus.

DIANA.

RERVM MVTATIO.

Dianæ hieroglyphicũ.

VIRGO cui Mercurius vestem porrigit, Diana est, quæ rerum mutationem ex incremento & diminutione factam significat. Finxerunt enim Græci Poëtæ, Iouem cùm videret Dianam nudam incedentem, quòd id virginem minimè decere videretur, Mercurio, vt ei vestem faceret, mandasse: cumque multas ei Mercurius vestes fecisset, nullam tamen illi aptam facere potuisse, propterea quod illa dum is vnam pararet, assiduè mutaretur, ita vt post illam non posset induere. Est ergo hæc figura incrementi & diminutionis, rerúmve aut consilij & mentis mutationis hieroglyphicum.

DANAE

DANAE CVM AVREA PLVVIA.

ANIMI PVLCHRITVDO, ET COELESTIVM BONORVM AFFLVENTIA.

Aureus imber in gremio Danaë.

DANAE formosissimæ mulieri, aurum in gremio pluisse finxêre Poëtæ, per Danaën animi pulchritudinem significantes, quæ naturalibus virtutibus continetur, quas Deus amat: per aureum verò imbrem cœlestium bonorum affluentiam, quæ ex diuino amore, eiusque benignitate sunt petenda. Omnium enim bonorum perfecta copia à Deo solo datur.

PASIPHAE.

ANIMA CVM AEREO VEHICVLO.

Platonicorum de animabus opinio.

PASIPHAE Solis filia, & Minois Cretæ regis vxor, quam in vaccam transmutatam, ex Tauro Minotaurum peperisse ferunt, qui media ex parte homo erat, reliqua Taurus; animam significat cum suo æthereo vehiculo, quo illam corpori coniungi Platonici tradidêre. Aiunt enim animas nostras in beatis illis sedibus & cœlesti regione, æthereum igneúmve quoddam vehiculum, quo deferantur & moueantur, habere, cùm nihil quod sit expers corporis moueri possit, quod & Dauid vates comprobare videtur, cùm canit, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam vrentem.* Addunt deinde Platonici illas, quamuis hoc igneum vehiculum habeant, tamen corpori, hoc est, terreo vehiculo, ob ignis subtilitatem & terræ crassitudinem, nisi aliquo intercedente medio, quod vtriusque naturæ sit particeps, iungi non posse, ideóque illam dum per cœlestes orbes & elementa descendens, transit, paulatim crassiore se quasi veste induere, aëreumque sibi vehiculum comparare, quo facilè terreo huic corpori copuletur. Id autem facit corporis induendi cupiditate, vt iidem aiunt, accensa: Taurus enim corpus significat, Vacca ficta aëreum vehiculum, Pasiphaë ipsam animam, ex qua copula oritur Minotaurus, id est, homo ex anima & corpore conflatus.

PANDORA.

PANDORA mulier pyxidem in manu habens apertam, aduersam fortunam, generis obscuritatẽ, infelicitatem, paupertatem, infamiam, ægritudinem, spei frustrationem, humanæ sortis miseriam nobis adumbrat: nam cùm hæc virtutes omnes in pyxide inclusas teneret, eam, vt quid intus esset videret, aperiens, omnes elabi passa est, malis retentis, & spe sola, quæ vasculi labro adhæsit, vt narrat Hesiodus: eam enim à Vulcano factam, & ab omnibus diis muneribus, quæ pyxidi illi inclusérant, ornatam, postque Epimetheo coniugem datam tradit.

EVRYDICE.

APPETITVS.

Per pedes ablutos qd significetur, & in diuinis & in profanis.

EVRYDICE, quam in pede momordit serpens, appetitum hominis significat, quem animi affectus exulcerant, pedes enim ac præsertim calcaneum, cupiditatum hieroglyphicum sunt; vnde Seruator discipulorum suorum pedes lauare voluit, vt eos ab affectibus terrenis mundos redderet. Et Petro nolenti vt se lauaret, dixit, *Nisi lauero te, non habebis partem mecum:* & in Genesi dixit Deus Serpenti, *Insidiaberis calcaneo eius:* nec solùm hoc in Sacris literis, verùm etiam in Græcorum fabulis legimus, Achillem, propterea quòd puer Stygiis aquis fuisset immersus, nulla in parte vulnerari potuisse, præterquàm in pedibus, qui abluti non fuerant, vt indicarent eum fortem fuisse, nisi affectibus vinceretur propriis. Neq; abhorret ab hoc sensu quod tradunt, Iasonem aureum vellus petentem, vnum calceum in flumine, quod solum in toto terrarum orbe nulli vento est obnoxium, amisisse: hoc est, dum virtutem sectatur, & immortalitatem, aliqua affectuum parte exutum fuisse: & Virgilius, Didonem morituram vnum calceum exuisse, scribit his verbis:

Ipsa mola, manibusq; pijs, altaria iuxta
Vnum exuta pedem, vinclis in veste recincta
Testatur moritura deos, & conscia fati
Sidera. —

hoc est,vno affectu,nempè mortis formidine exutam,quæ Didonis figura repentinum firmumque D consilium significat.

CYBELE.

AGRICVLTVRA, VEL VICTORIA POPVLORVM.

Cybeles simulacrum, & eius interpretatio.

CYBELES turritam coronam habentis simulacrum,tellurem indicat,& vrbes quas illa sustinet domitas, vel victoriam de agricolis seditiosis partam, vel tellurem agricultura domandam, & eam quæ habitatur fertiliorem esse ea quæ minùs incolitur. Vbi enim hominum frequentia, ibi artes & industria valent. Quod verò currui eius Leones adiunxêre, vt in antiquis marmoribus numismatibusq; videre licet,id significat nullam esse terram adeò sterilem & asperam,quæ labore & industria fertilis reddi non possit, vel illam vim gignendi à Sole capere, cum Leo sit animal Phœbææ naturæ. Hanc ipsam si non in curru, sed humi sedentem vel stantem cum circino pinxeris,Geometriæ, si cum quadrante,Geographiæ, si cum ligone vel Taurum prope se habentem,Agriculturæ simulacrum habebis.

TRES CHARITES.

Quid per simulacrũ trium Charitum, ex Seneca.

TRES Charites sorores fuisse traduntur. Pingebantur autem iuuenes virgines, ridentes,manibus implexis, soluta ac perlucida veste: quarum natu maxima, Hesiodo autore, Ægle vocatur, media Euphrosyne,tertia Thalia. Quid autem hæc omnia significarent,pulchrè docet Seneca de beneficiis libro primo,in hunc modum: *Quare*, inquit, *tres Gratiæ,& quare sorores sint, & quare manibus implexis,quare ridentes, quare iuuenes, & quare virgines, soluta ac perlucida veste? Alij quidem videri volunt vnam esse,quæ det beneficium, alteram quæ accipiat, tertiam quæ reddat. Alij tria beneficiorum genera, promerentium, reddentium, simul & accipientium reddentiumque. Sed vtrumlibet ex istis iudica verum. Quid ista nos iuuat scientia? Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc,quia ordo beneficij per manum transeuntis,nihilominùs ad dantem reuertitur, & totius speciem perdit, si vsquam interruptus est: pulcherrimus, si cohæsit & vices seruauit. Ideò ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse qui dant & qui accipiunt beneficia. Iuuenes,quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines,quia incorrupta sunt & syncera,& omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet,nec astricti. Solutis itaque tunicis vtuntur, perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt.* Hæc Seneca. Nos autem etiam illud minimè silentio prætereundum censemus,quod vna faciem auertere & occultare fingitur: vt indicet,eum qui munus dat,id clàm facere debere, iuxta Seruatoris dictum, *Cùm facis eleemosynam,noli tuba canere ante te:* & alio in loco, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* Altera Charis faciem apertam ostentat, quia eius qui beneficium accipit, est id ostentare & prædicare: tertia partem faciei ostendit, & partem occultat, significans beneficij retributionem celandam esse,ostentandumque ipsum beneficium.

GORGONES.

ANIMÆ TRES IN HOMINE.

Tres animæ in homine, quæ.

GORGONES capita,Draconum squamis obsita,dentes maximos Aprorum instar,item manus & alas habere finguntur: eas tres Phorci filias fuisse tradunt, nomine Euryale, Stheñyo,& Medusa,ex quibus Medusa sola mortalis fuisse perhibetur,reliquæ duæ immortales: ideoque Medusam Perseus decollauit. Hæ Gorgones animarum hieroglyphicum sunt. Tradit enim Ægyptiorum Theologia, & cum ea Platonica quoque schola, tres in homine animas esse, quarum singulæ apud Hebræos proprium nomen habent: vna enim *Nephès* vocatur, quæ Latinè, *Viuens* vel *Sentiens*, dici potest: quam cum bestiis communem habemus, & hæc mortalis est, quam Medusa inuit: est enim corpori proxima, eique adglutinata, & sensibus, corporisque affectionibus obnoxia,de qua volunt acutiores Theologi intellexisse Christum, cùm dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem:* &, *Qui non habuerit odio animam suam, perdet eam:* ideoque finxerunt Perseum, qui diuinum spiritum melioremque genium significat, hanc obtruncasse: debent enim qui altiora contemplari volunt atque diuina, hanc prorsus interimere,ne quid sensus animæ,quę rationis particeps est,obesse possit. Altera anima *Ruah*,id est,*Spiritus* nũcupatur, quæ

A quæ rationis particeps est. Tertia dicitur, *Neshamah*, id est, *Lumen*, vt à Pythagora & Dauide fuit appellata,quam D. Augustinus *Diuinitatis partem*, & Plato *Mentem* vocat. Ideò autem dixerunt has tres sorores homines suo aspectu in saxa conuertere: quia quamuis illas in nobis habeamus, illarum tamen naturam nemo absolutè potest scrutari, nisi Medusa obtruncata, id est, nisi corporearum affectionum impedimento priùs fuerit liberatus: imò qui eas intueri volunt,saxis eos similes esse ad alia oportet. Oculus autem, quem sibi inuicem hæ tres sorores mutuò dant, significant lumen quod habemus extrinsecùs, à Deo nobis dari, atque ab vna in alteram animam deriuari.

VIRGO CAPILLOS HABENS ERECTOS.

HOMINIS NATVRA.

Hominis cũ arbore comparatio.

PLATO dixit hominem arbori similem esse, verùm in hoc ab illa differre, quòd illa radices in terra fixas habet, homo autem in cœlo: quod capilli capitis radicum similitudinem quandam habentes indicant. Radix autem vera hominis est anima, quæ cœlitùs est demissa,& per quam viuimus, spiramus, & virales fructus ferimus, vt arbor ex radice vitam trahit: vnde in
B Cantico legimus, *Comæ tuæ iunctæ canalibus*: quod de cœlestibus riuis, ex quibus virtus in nos descendit, est intelligendum: nam quæ de capillis & barba in Sacris literis dicuntur, ea omnia ad animam referri testantur Origenes & Hieronymus. Vnde si quis virginem capillos in cœlum erectos habentem pinxerit, aptè animam vel hominis naturam expresserit.

VIRGO ABSCISSIS CAPILLIS.

IMBECILLITAS ET MORS.

Robur hominis in capillis.

VIRGO, cui abscissi sint capilli,imbecillitatem virium ingenij,animíve,aut etiam mortem significat;quia nõ modò in Sacris literis videmus Sampsonis robur in capillis fuisse, quibus abscissis, facilè captus victus fuit: verùm etiam & Euripides finxit Alcesten mori non potuisse, donec illi à Mercurio cœlitùs demisso crinis abscinderetur: & Nisus non priùs à Minoë interfici potuit,quàm illi ab eius filia pilus fatalis abscinderetur. Nec Dido apud Virgilium ante mori potuit, quàm Iris ab Iunone missa ei flauum vertice crinem auferret.

C

ASTRÆA.

IVSTITIA.

Astræa figura, & explicatio.

ASTRÆAM Astræ Gigantis & Auroræ, vel Iouis & Themidis filiam, pro iustitia sumi notissimum est: fingunt enim illam vitiis crescentibus indignatam in cœlum euolasse,locumq; inter Leonem & Libram medium tenuisse, imò etiam ipsam Libram ei tribuunt, qua quid cuique debeatur, expendat. Quamobrem sic de illa cecinit Ouidius:

-- Et virgo, cæde madentes
Vltima cœlestum terras Astræa reliquit.

& Seneca in Octau.

Neglecta terras fugit & mores feros,
Hominum & cruenta cæde pollutas manus,
Astræa virgo siderum magnum decus.

Eam quoque, vt Gellius & Chrysippus tradunt, forma atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilem, neque atrocem, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate pingi solitam, omnes ferè norunt: cui nostri pictores modò lancem,modò

securim, virgarumq; fascem adiiciunt. Illud autem ferè inauditum est, & tamen pulcherrimum, D quod Alexander Aphrodiscus scribit, Iustitiam ab Ægyptiis sine capite pingi solitam, per manum sinistram porrecta palma discapedinatam: quoniam sinistra genuina pigritia nulla calliditate prædita, æquitati aptior quàm dextra videtur. Collocatur autem inter Leonem & Libram, quia iustum iudicem intrepido & forti animo esse oportet, vt nullius minis aut precibus ab æquo & bono dimoueatur: eundemq; decet crimina omnium atque merita ad lancem discutere & ponderare, vt cuique quod meritus est tribuat. Caput verò ei non tã ademisse mihi videtur, quàm inter sidera occultasse, vt indicarent à iudice neminem videri debere: vnde Athenis in Areopago, rei velato capite caussam dicere iubebantur, ne iudicum affectus mouere possent; condit ergo caput inter sidera, solum Deum intuens, & ideò à nobis cerni non potest: debet enim iudicis mens ad extremum vsque, donec sententia sit lata, occulta esse, ne qua fraus strui possit.

ERVDITI CVIVSDAM HIEROGLYPHICORVM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS, EA CONTINENS QVÆ PER SERPENTEM, CERBERVM, FELEM, Vitulum, Capricornum, Cancrum, Aquilam, Craterem, Lyram, Arcum, Nodum, Catenam, Quinarium numerum, Pentagonum, Pyramidem, Cubum, Octaëdrum, Isocaëdrum, Papauer, Iridem, Hyacinthum, Narcissum, Hyssopum, Myrtum, Salicem, Cedrum, Palmam, & alia huiusmodi significantur, E

AD THEODORVM ZVINGGERVM PHILOSOPHVM ET MEDICVM PRÆSTANTISSIMVM.

ALTERAM *hanc mysticarum imaginum Partem, quam cum superiore Valerianis quasi racemationem quandam Diuinis Commentariis adiecimus, tibi (doctissime Zuinggere) donare atque in tuo nomine edere statui: non quidem quòd tuæ famæ aliquid scriptis meis ornamenti adijcere posse sperem, quam tu ingenij tui magnitudine, atque illustribus monumentis, quibus rem literariam promoues, ab alijs illustrari non pateris; sed vt & hi mei labores nomini tuo inscripti, plus authoritatis inueniant, & tu aliquod meæ in te obseruantiæ indicium habeas, tenue quidem illud ac rude, longeq; impar ijs quibus tu nos ornare soles, sed ex candido in te animo profectum, & tali qui libentius, si posset, maiora digniorag; tibi commendaret. Sed tuæ humanitatis erit, mentem non munus spectare. Quod si feceris, & ingenij ac prudentiæ tuæ acumine, ad intimos animi mei sensus penetraueris, tanti te hoc facturum non dubito, quanti regium aliquod munus: & quemadmodum me amare iamdudum cœpisti, sic hunc meum immaturum fœtum fouendum suscipies. Quod quoniam mihi certò polliceor, plura non addam. Vale, Basil. XIIII. Kal. Sext. CIↃ. IↃ. LXVII.* F

SERPENS.

ANIMA ET CORPVS.

Serpentis proprietates.

BACILLVM, cui Serpens circumuolutus est, non modò apud Hebræos, & in Sacris literis, in quibus legimus Serpentis in cruce positi aspectu populum Israëlis à morte liberatum fuisse: verùm etiam apud Ægyptios & Romanos animæ atque corporis salutare symbolum fuit. Nam cùm cætera omnia reptilia crassioris & magis terreæ sint substantiæ, Serpentem spiritus & vitæ tenacissimum animal esse constat, quod & imbecillitatem corporis exuat, & ad medicinam vtilissimum sit, & ad acuendum visum herbam inuenisse, nec non ad sese in vitam reuocandum quandam herbam cognoscere traditur. Et cùm Romani oraculo admoniti, Epidaurum misissent ad Æsculapium, quem medicinæ & salutis Deum existimabant, accersendum, Serpentem Romam aduexerunt.

CERBERVS.

TRES COELI REGIONES, VEL TRIPLEX DEI POTESTAS.

Cerberi hieroglyphica significatio.

VETERES tres tantùm cœli regiones faciebant: nempe, Ortum, Occasum, & Meridiem: nam in Septentrione inferos putabant esse, propterea quòd Sol nunquam eò perueniat: quemadmodum & Sacræ literæ Aquilonem interdum accipiunt, & impios ad sinistram à Deo in extremo illo iudicio detrudẽdos. Sinistram verò in eodem Septentrione esse Theologis, quis dubitet, cùm impij in eandem cum dæmone regionem sint detrudendi? ideoq; harum trium regionum symbolum finxerunt Cerberum canem tricipitem, quo etiam trina Dei regna significarent, cœleste, terrenum & infernum.

TRES NATVRALES NECESSITATES.

EVNDEM Cerberum tricipitem finxêre Poëtę infernæ domus aditum custodire: eo hieroglyphico tres necessitates naturales, quæ hominem à sempiternarum rerum contemplatione abducunt, significantes: nempè famem, sitim, & somnum; & ideò Virgilius fingit Sibyllam, quæ Æneam mentem ad magnarum rerum contemplationem conuertere volentem, monet, vt huic Cerbero melle soporatam & odoratis frugibus offam obiiciat, statimq; illo relicto transeat: vt indicet, esse quidem his necessitatibus satisfaciendum, sed non prorsus indulgendum.

FELIS.

LIBERTATIS APPETENTIA.

FELIS, præter ea quæ de illo scripsit Pierius, libertatis appetentiæ hieroglyphicum fuit, quo prisci Alani, Burgundiones & Sueui, teste Methodio, in militaribus signis vti solebant: perinde vt Feles carcerem ferre non possunt; sic se seruitutis impatientissimos esse testantes.

VITVLVS.

CONCVPISCENDI VIS.

ANSVETVS & domesticus vitulus, vel bos, concupiscendi appetendíque vim, quæ in nobis est, denotat: quia constat, nullum animal æquè appetitui obedire & venereum esse, æque Vitulum, siue Taurum.

CAPRICORNVS.

MORS, VEL DEFVNCTORVM ANIMÆ, ET SECVNDA *fortuna.*

APRICORNI signum, quod in multis Augusti Cæsaris numismatibus videmus, summã, vt Astronomi tradunt, sub se natis portendens felicitatem, à Platonicis Deorum porta vocatur: quia per eum tradunt, animas corporis vinculo solutas, rursus in cœlum ascendere, vbi diuinæ naturæ participes fiunt, ideóque hoc signum sidereum animas defunctorum mortémve significat, & nonnunquam secundam fortunam, summámque felicitatem, vt diximus.

Capricornus Deorũ porta.

CANCER.

ORTVS HOMINIS, VEL VITA.

CANCER, ex eorundem Platonicorum sententia, ortum hominis vitamq; notat: volunt enim animas per Cancri ianuam in humana corpora demitti, & vt Capricornum Deorum, sic Cancrum hominum portam vocant, quòd per eam egredientes animæ humanam in naturam transeant.

Cancer porta hominũ.

AQVILA.

DIVINI NVMINIS PRÆSENTIA.

AQVILA præter ea, quæ de illa scripsit Pierius, in Sacris literis diuini numinis præsentiam vel effluxum quendam significat, quo ad maiorem superioremq; rerum diuinarum cognitionem ducimur, vt Cabalistæ tradunt: vnde Moses dicit, *Sicut Aquila prouocans filios suos ad volandum, & super eos volitans expandit alas suas; assumpsit eum, atque portauit humeris suis.*

CRATER COELESTIS.

OBLIVIO.

De Cratere Platonicorum sententia.

CRATER ille sidereus, qui ab Astronomis inter Leonem & Cancrum collocatur, obliuionem significat: quoniam ex Platonicorum sententia animæ cùm in humana corpora demittuntur, de cœlo per Cancri ianuam descendentes, & per Capricornum rursus corpore solutæ in cœlum ascendentes, cùm descendunt ex cratere illo, quem Bacchi poculum vocant, obliuionem bibunt: & sic cœlestium rerum obliuiscuntur, sed non omnes æquè, verùm aliæ magis, aliæ minùs, prout magis minúsve ex eo poculo hausêre. Ex quo patet, poculum illud, obliuionis poculum esse, eiusque imagine obliuionem significari.

LYRA.

AVDITVS.

LYRA duo habens foramina incurua, aures & auditum significat, quoniam vt in Lyra fidibus illis & neruis tactis aër proximus commotus ad duo illa foramina inflectitur, & eandem in Lyræ conuexum, vbi quoque aër incluſus est, reflectens sonitum edit: sic vox aërem extra aures nostras commouens in aurium foramina impellit, qui in pelliculam quandam instar tympani tensam, appulsus, aërem, qui intus est, naturalem mouet: his autem commotus, neruos quosdam excitat, in quibus est auditus. Propter hanc ergò similitudinem Lyra auris & auditus hieroglyphicum est.

ARCVS.

ACVTI DOLORES.

ARCVS arcum in Lunæ virginali forma expressæ manu positum tensumq;, acuti dolores indicantur: quia nullus intensior dolor quàm partus, cui Lucina siue Luna præest, esse putatur.

NODVS.

NECESSITAS.

Adagium.

DE NODVM necessitas, Macrobio teste, significatur: quæ enim vincta sunt, se ipsa dissoluere nequeunt: quòd si nodo gladium adiicias, qui eum rescindat, fortunam, fatum & necessitatem virtute superari indicabis: quoniam Alexander Magnus, Gordium illum fatalémque nodum gladio rescidit, & sic fatum ipsum vicit, & vetus est dictum: *Sapiens dominabitur Astris.*

CATENA AVREA HOMERICA.

CONNEXIO RERVM HVMANARVM CVM DIVINIS, VEL DIVINÆ PROVIDENTIÆ VIS.

DVBIVM non est, quin Catena illa aurea Homerica, quam pendere de cœlo in terras Deum iussisse commemorat Iliados libro 8. his verbis: *Agedum auream restim è cœlo suspendite, eáq; cuncti Dij ac Deæ apprehensa, me hinc detrahite in terram: nullo id quantolibet nixu poteritis efficere. At cum mihi facere idem irato libuerit, in terras vos vniuersos & in maria vsque detraham. Quinetiam circumligata reste ad summitatem Olympi, omnia superne attollam, vt intelligatis quantum ego Deos simul atque homines antecello:* dubium, inquam, non est, vel Macrobio & Luciano testibus, quin illa rerum humanarum cum Diuinis connexionẽ, & commune quoddam vinculum, quo

A quo Deus & summus ille Pater, quum vult nos ad se trahit, mentesque nostras in cœlum attollit, quo nos alioqui propriis viribus, quantolibet conatu ascendere non possemus, significet: adeò vt qui mentem suam diuinitùs gubernari significare velit, is aptè catenam hanc ex stella pendentem & contrahentem pingere possit. Ea est enim Diuini afflatus, & igniculi illius, cuius Plato omnes homines participes esse voluit, vis, vt mentes ad creatorem conuertat, & in cœlum trahat. Dixit autem Plato, omnes homines eius igniculi cœlestis participes esse, quia qui eius non sunt participes, quamuis formam corporis humanam habeant, non tamen homines sunt, sed belluis inferiores deteriores q;. Est præterea connexio illa & alio modo intelligenda, vt eam interpretatur Macrobius: nam quæ modò diximus, ex Luciani Dialogis, cùm Mercurium fingit de Ioue propter hanc catenam conquerentem, ad fatorum vim afflatumq; Diuinum referuntur. Macrobius verò ait, catenam hanc sic conflatam esse, vt ex summo Deo mens manet, ex mente anima, quæ & condit & vita complet omnia quæ sequuntur: cunctaq; vnus fulgor illuminat, & in vniuersis apparet, iuxta Peripateticorum sententiam, vt in multis speculis per ordinem positis vultus vnus apparet. Cúmque omnia continuis successionibus se sequantur degenerantia per ordinem, inquit, ad imum meandi, inuenietur pressiùs intuenti, à summo Deo ad vltimam vsque rerum fæcem, vna se mutuis vinculis religans, & nusquam interrupta connexio, quæ per catenam hanc significatur, quam Lucretius auream funem vocat, his verbis:

Vi diuini afflatus.

Haud (vt opinor) enim mortalia sæcla supernè
Aurea de cœlo demisit funis in arua.

SOLIS VIS.

B PLATO autem in Theæteto per hanc catenam Solem significari vult, cùm ait: *Et ad hæc Colophonem insuper addam auream illam catenam, qua nihil aliud quàm Solem Homerus ostẽdere voluit. Quamdiu enim circuitus ille & Sol mouetur, omnia sunt ac seruantur inter Deos & homines. Si verò staret hoc totum velut ligatum, omnia corrumperentur, & fierent inuersa.*

SACRARVM RERVM COGNITIO.

PER eandem quoque catenam sacrarum cœlestiumq; rerum cognitio mihi ex Homeri verbis significari videtur, cùm ait neminem quantolibet nixu illa apprehensa Deum de cœlo detrahere posse, ipsum verò eadem cuncta sursum attollere: nam & si literarum ac Philosophiæ studia, sint quasi gradus quidam & catena, ad cœlestium rerum cognitionem; nihilominus si quis per eos gradus ipsius Creatoris naturam indagare velit, nullo id ingenij acumine, diligentiáve aut labore assequetur: hoc enim esset Deum de cœlo detrahere, & humano ingenio subiicere. Si verò alicui Deus ipse sui cognitionem dederit, is totus illi coniunctus facillimè cœlestia assequetur. Quo hieroglyphico monemur, Diuinarum rerum cognitionem non ex Philosophorum libris, sed precibus & pietate à Deo petendam esse.

Cœlestium rerũ cognitio vnde.

MVSÆ, EARVMQVE AFFLATVS.

CATENA verò ferrea magnetem lapidem alligatum habẽs, vt Plato in Ione tradit, Musarum connexionem & commune vinculum, atque afflatum illum ex quo præstantes Poëtæ vim quandam Diuinam affectuum concitandorum capiunt, significat.

QVINARIVS NVMERVS, ET QVATERNARIVS.

MERCVRIVS, ET ARTIVM INVENTORES.

C PER Quinarium numerum Leo Baptista Albertus Mercurium figurari ait. Martianus verò & alij Quaternarium eius symbolum esse volunt, propter artium inuentionem, vt qui numeri sint perfectissimi. Ex quo patet, per huiusmodi numeros etiam artium inuentionem inuentoresque significari.

PENTAGONVM.

SALVS.

PENTAGONVM salutis symbolum fuisse, testatur Lucianus eo in libello in quo agit de quodã qui lapsus erat inter salutandum, cuius rei origo talis commemoratur. Antiochus is, qui ΣΩΤΗΡ cognomento dictus est, cùm aduersus Galatas pugnaret, nec satis ex sententia res succederet, essetque in discrimine, per quietem vel vidit, vel se vidisse simulauit, vt militum animos in spem erigeret, Alexandrum Magnum se monẽtem, vt salutis symbolũ assumeret, idq; pro tessera tribunis daret, eorumq; vestibus insueret, ea re fore vt victoria potiretur. Symbolũ autẽ illi huiusmodi ostẽdisse, triãgulũ triplicẽ inuicem



Pentagoni origo.

insertum ex lineis quinque constantem, in quibus ΥΓΙΕΙΑ scriptum erat; sic enim salus sanitásve Græcè appellatur, vnde & hoc signum in veteribus Antiochi numis adhuc cernitur, quod signum Mathematici à quinque angulis Pentagonum vocant.

PYRAMIS.

RERVM NATVRA, VEL MATERIA PRIMA.



PER Pyramidem veteres rerum naturam & substantiam illam informem formas recipientem significare voluerunt: quòd vt Pyramis à puncto & summo fastigio incipiens, paulatim in omnes partes dilatatur; sic rerum omnium natura ab vnico principio & fonte, qui diuidi non potest, nempè à Deo summo opifice profecta, varias deinceps formas suscipit, & in varia genera atque species diffunditur, omniaque apici illi & puncto coniungit, à quo omnia manant & fluunt. Verùm & alia huius rei ratio, nempè Astronomica reddi potest: quoniam Ægyptij summi Astronomi fuêre, imò ipsius Astronomiæ inuentores. Tradunt autem Astronomi, esse circulum quendam in Sphæra, vel cœlesti illa machina, sub quo Sol & reliqua errantia sidera, cursus suos circuitusq; conficiant, & in quo omnium animantium vita, rerumq; naturalium ortus atque interitus sit positus: adeò vt etiam Aristoteles in libris de Ortu atque Interitu, dicat generationis atque corruptionis, omnisq; mutationis vel incrementi causam esse accessum & recessum Solis in circulo obliquo: nam circulum illum, de quo agimus, Obliquum vocat Aristoteles: Astronomi verò, propterea quòd ex eo pendeat animantium vita, Zodiacum vocauêre. Hunc igitur circulum, cui soli inter cœlestes circulos latitudinem tribuunt, in duodecim partes, quás Signa nuncuparunt, partiuntur: aiuntque, cum illo diuidi etiam inferiora omnia, adeò vt quicquid sub vno ex illis signis contineatur ad centrum vsque terræ, id omne in signo esse dicatur; & sic signum volunt esse velut Pyramidem quandam, cuius basis in cœlo sit: nam fundamentum Astronomicum cœlum est, & apex in centro terræ. Cùm igitur in Pyramidibus illis omnia fiant, sitq; accessus Solis, qui est quasi punctum quoddam ad signa illa ortus, & recessus ab illis interitus rerum naturalium caussa, aptè videtur per Pyramidem natura rerum omnium parens significari.

Astronomorũ doctrina de Pyramide.

E

ANIMA HOMINIS.

SED & animam hominis sub Pyramidis forma adumbrare voluisse videtur iidem Ægyptij, qui magnifica Regum atque Heroum sepulchra, sub ingentibus Pyramidibus fecerint: vt testarentur corpore soluto & corrupto, animam supereſſe, quæ cùm summo opifici visum esset, hoc est circulo illo triginta sex millium annorũ circumacto, aliud corpus genitura & sibi factura esset: non secus ac Pyramis, vt Geometris notum est, vertice immoto manente, circumacta basi circulum describit, & toto corpore conum: vt circulus annorum illud curriculũ significet, conus verò corpus quod curriculo illo conficitur. Nam Ægyptiorum fuit illa opinio de rebus in eundem statum triginta sex millium annorum spatio restituendis, & ab illis se id accepisse, testatur Plato: qui etiam hoc ipsum, id est animam nostram Pyramidis formam habere mihi testari videtur, in Timæo cùm ait, sic factam fuisse à Deo animam, vnam accepisse illum ex vniuerso portionem, quæ proculdubiò vnitas puncto illo, qui in Pyramidis vertice est, significatur: secundam autem primę partis duplam: tertiam secundæ sesquialteram, & primæ triplam: quartam secundæ duplam: quintam tertiæ triplam, sextam primæ octuplam: postremò septimam, quæ partibus sex & viginti primam excederet: posthæc dupla & tripla interualla repleuisse. Quibus numeris profectò nihil aliud significat, nisi expansionem illam linearũ quæ à puncto ad basim tractæ angulos efficiunt, & per interualla ipsas superficies quæ lineis clauduntur; ex quo apparet illum hoc quoque vt alia ab Ægyptiis accepisse.

F

Platonis opinio.

IGNIS.

IGNEM quoque Pyramidis formam habere, testatur idem Plato: propterea quòd cùm in imo latus sit, circa materiem & fomentum quo pascitur, in acutam flammam quæ cœlum spectat, desinit: nam per basim materia conerera significatur, per reliquum corpus, materia iam ad formam recipiendam parata, & quasi fermentata, per punctum ipsa informis & simplicissima substantia, vnde minùs mirum est, quod suprà diximus, per Pyramidem animam significari, vt quæ igneæ naturæ ab eodem Platone esse tradatur, & corpori non secus ac Pyramis basi, vel ignis fomento, adhæreat.

CVBVS.

A

CVBVS.

TERRA.



Cur Terra per cubum.

CVBVM, hoc est tesseram, octo angulorum & sex laterum terram significare tradidit Plato ex Timæi Locrensis Pythagorici Philosophi disciplina, quam Pythagoras, vt testatur Iustinus historicus, ab Ægyptiis potissimùm didicerat. Terram verò per cubum depingebant, ob eius stabilitatem grauedinemque: quia vt cubus quocunque voluatur, semper iacet, nec facilè mouetur, sic terra per se immobilis, si aliqua fortuita vi commoueatur, statim rursus iacẽs quiescit.

OCTAEDRVM.

AER.

B



Anguli finitio.

AERI iidem Philosophi Octaëdri formam tribuêre, quæ octo triangulis æqualibus, & æqualium laterum, id est, octo basibus, & sex angulis solidis, viginti quatuor verò planis continetur: quod vt melius intelligatur, explicandum est quid sit angulus solidus, quid item planus. Angulus planus, inquit Euclides, est duarum linearum in plano se mutuò tangentium, & non in directum iacentium mutua inclinatio: solidus verò angulus est, qui pluribus quàm duobus angulis planis continetur, qui non eodem sunt plano, & ad vnum constituuntur punctum. Ideò autem hanc illi formam tribuerunt, quia in ascensu ignem consequitur, & in terræ cauernas penetrat. Octaëdri enim forma ascendit in duos vtrinque vertices, & aptissimè Sphæræ includi potest, vt docet Euclides.

ISOCAEDRVM.

AQVA.



Isocaëdrũ quid, & eius hieroglyphicum.

C

AQVAM verò Isocaëdri figuram tenere dixerunt. Est autem Isocaëdrum, Euclide autore, figura solida, quæ viginti triangulis æqualibus & æqualiũ laterum, cõtinetur: propterea quòd aqua sua natura mobilis sit, & diuisioni flexuiq; perfacilis. His quoque figuris ipsam elementorum ad inuicem proportionem indicare voluerunt, quæ ex basium siue laterum & angulorum numero colligitur. Octaëdri enim ad Pyramidẽ est proportio dupla in lateribus, in angulis solidis sesquialtera, in planis verò dupla: ex quibus proportionibus fit harmonia duplicis diapason & diapente: Pyramidis verò ad cubum in lateribus sesquialtera proportio, in angulis verò dupla, ex quibus diapason iterum & diapente. Cubi ad Isocaëdrum in lateribus proportio est tripla sesquitertia, in angulis sesquialtera, vnde diapason, diapente & diatessaron in basibus, in angulis verò diapente. Isocaëdri verò ad Octaëdrum in basibus dupla sesquialtera, in angulis autem dupla, vnde diapason & diapente in basibus: in angulis verò iterum diapason consurgit, quæ proportiones & harmoniæ pariter & in elementis per has figuras significatis esse traduntur.

VER.

VER. ÆSTAS.



AVTVMNVS. HYEMS.

VER.

CISTA florum, autore Eusebio, Ver significat: quia vere cuncta floreſcunt.

ÆSTAS.

CISTA ſpicis referta, eodem Eusebio teſte, Æſtatem denotat: quòd æſtate ſegetes & ſpicę demetantur.

AVTVMNVS.

CORNV copiæ vuis & pomis plenum, Autumnum indicat: quoniam tunc vina fiunt, & omnes fructus pleno copiæ cornu fundi videntur.

HYEMS.

MENSA apud ignem parata, Hyemem ſignificat: quia frigus & quies poſt æſtatis labores parta, terræq; opes congeſtæ ad lautius vitæ genus inuitare videntur, vnde Poëta, *Inuitat genialis hyems.* & Horatius:

Vides vt alta ſtet niue candidum
Soracte, nec iam ſuſtineant onus
Syluæ laborantes, geluq;
Flumina conſtiterint acuto.
Diſſolue frigus, ligna ſuper foco
Large reponens: atque benigniùs
Deprome quadrimum Sabina
O Taliarche merum diota.

PAPAVER.

CIVITAS.

PAPAVER præter ea, quæ de illo ſcripſit Pierius, Eusebio autore, ciuitatis ſymbolum eſt: quia, vt in ciuitate multi homines habitãt, ſic in papaueris capite quaſi intra eadem mœnia multa ſunt ſemina; & vt ciuitas in vicos & domos eſt diſtributa, ſic & papaueris caput in multas intus partes eſt diuiſum, multaque interſtitia habet.

IRIS

IRIS HERBA.

ELOQVENTIA.

ITEM herbam elequentiæ ſymbolum eſſe, nemini mirum videri debet: cum Homerus fingat Troianorum oratores, vt qui diſertiſſimi eſſent, Liriodſam, id eſt, Iridem herbam floridam comediſſe, quod eloquentiæ præcepta illos hauſiſſe ſignificat: propterea quòd eius herbæ flos colorũ varietate atque ornatu, Iridi cœleſti, quæ & ipſa eloquentiæ dea habebatur, ſimilis ſit, & quia talem oportet eſſe orationem, nempe colorum ac figurarum varietate diſtinctam, multasq; hæc herba eloquentiæ ſimiles vires habet: nam vt de illa tradunt Medici, iris halitus prauum odorem corrigit, gratumq; & ſuauem reddit ſpiritum, & venena repellit: ſic etiam ornata oratio quaſi ſuauis quidam halitus gratiam conciliat, & animi venena, hoc eſt perturbationes depellit. Hanc herbam quidam volunt olim Hyacinthum appellatam: quòd indicare videtur Ouidius Metamorph. lib. x. his verbis: *Oratores Troianorũ.*

Flos oritur, formámque capit quam Lilia; ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.
Non ſatis hoc Phœbo eſt: is enim fuit author honoris.
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & hya
Flos habet inſcriptum, funeſtaque littera ducta eſt.

Sed hanc quæſtionem Medicis permittimus: nos de illa quæ hodie Hyacinthus vocatur, mox dicemus ſeparatim, hanc vulgò Lilium cœruleum vel purpureum appellari ſcimus.

HYACINTHVS.

SAPIENTIA.

HYACINTHVS, quem ab Apolline in florem conuerſum Poëtæ fabulantur, prudentiæ ac ſapientiæ ſymbolum eſt. Nam cùm Apollo Muſarum ingenij, ac literarum Deus ſit, Hyacinthum puerum ab illo ob formam adamatum, Poëtæ finxerunt: quia ſenſus naturalis minimè corruptus puer eſt, hoc eſt, prudentia caret, ſed tamen formoſus eſt, quia mentem ad ſui contemplationem excitat: qua contemplatione fit, vt tandem ſenſus, iuuenili ætate atque feruore illo depoſito, prudentiæ & ſapientiæ florem ex ſe gignat, ſuauiſſimis virtutum odoribus fragrantem: quorum poſt memoria literarum monumentis ad poſteros manat. *Fabula.*

NARCISSVS FLOS.

CORPORIS FORMA.

NARCISSVS flos corporis formam, quæ citò corrumpitur, & iuuentæ florem, qui citò tranſit, ſignificat, vt & roſa, & viola, & omnes flores qui citò corrumpuntur. idcirco enim Poëtæ finxere, Narciſſum formoſiſſimum puerum, dum ſuam formam, quam in fonte cernebat, cupidè nimis admiratur, in fontem prolapſum periiſſe, & in florem huiuſmodi conuerſum: vt indicarent, non hanc fluxam corporis formam, ſed animi præſtantiam, & diuinam illam æternamque pulchritudinem eſſe adamandam. *Narciſſi fabio Poëtica.*

HYSSOPVS.

EXPIATIO PECCATORVM.

HYSSOPVS herba pulmones purgans, & caput, qua vtebantur Hebræi cum ſanguine animalium, ad populum aſperſione luſtrandum, gradum diuinum ſignificat, & vinculum illud, quo cum Deo coniungimur: & coniuncti à peccatis expiamur. Hinc Dauid, *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.*

MYRTVS.

GRATIA.

MYRTVS Veneri dicata, & ob id, *Coniugula* dicta, multis morbis ſanandis vtiliſſima, gratiæ & bonæ valetudinis ſymbolum eſt.

SALIX.

D

SALIX.

HÆREDITAS.

SALIX pulcherrimo hieroglyphico, præter ea quæ à Pierio scripta sunt, hæreditatem significat vel diuinam, vel humanam: quoniam vt salix iucunda arbor est, quæ ad torrentes nascitur; sic ex hæreditatis abundantia, quæ etiam per torrentem adumbratur, iucunditas lætitiaque oritur, quod & vox ipsa Hebraica, qua in Sacris literis Salix nominatur, indicat, nam *vehirbe nachal* appellatur, quod & iucunditates hæreditatis, & salicem torrentis significat.

CORPORA NOSTRA.

CORPORA quoque nostra salicis hieroglyphico significantur, quoniam vt salix nisi torrentis aquis irrigetur, non crescit: sic & corpora nostra, imò & nosmet ipsi, nisi cœlestibus aquis irrigemur, & secundum decursum illarum plantati simus, fructum nullum ad vitam ferre possumus. Vnde Dauid de beato viro, *Hic arbori similis est ad aquæ riuum satæ.*

CEDRVS, SIVE CITRVS.

MISERICORDIA VEL PIETAS.

E

Citri virtus.

CEDRVS siue Citrus arbor, fructus gignens odore ac sapore præstantissimos, misericordiæ pietatisque symbolum est, propter magnas vtilissimasque mortalium generi vires. Primùm enim præbet resinam electissimam, quæ citria dicitur, dentium doloribus vtilissimam, succus eius elephantiasin curat, & pulmonis vlcera, valet contra venena, ardetque velut facula. Vnde Hebræi fructu eius solennem quendam diem celebrabant, quasi Diuinę misericordiæ opem implorantes. Quos æmulati Lacedæmonij, deos suos coronare solebant iis fructibus quos oxymala persica nuncupant, idem per illos significantes quod Hebræi per Citrum. Lignum quoque eius corruptioni minimè obnoxium, facit vt cedrus pro immortalitate æternitatéve accipiatur.

PALMA.

HOMO.

Palmæ cur hominis hieroglyphicū.

PALMA in mysticis literis celebratissima, duplici de causa hominis simulacrum esse putatur, primùm quia fructum non fert sine coitu, sed replentur eius rami gemmis masculeis, quasi semine quodam: deinde quia in superiore parte habet quasi cerebrum, quod Hebræi *Halulab*, Arabes verò *Chèdar*, vel *Gemar* vocant, quo corrupto moritur arbor, sicut cerebro læso homo interit, quod quidem huic soli inter plantas cõtingit; tertiò quòd comam in cacumine habeat, & ramos in manuum modum protensos, & fructus digitorum figuram præ se ferentes, vnde dactyli, id est, digiti sunt appellati: pulpa quoque ipsorum fructuum caro nuncupatur, multum sanitati conferens, & vel ex vi quadam animali, vel ex Phœbæa natura summæ nutritionis, adeò vt multi sancti Patres in solitudine vitam agentes, eo solùm cibo contenti fuerint, quemadmodum & hodie quoque multi in Africa populi eo tantùm fructu victitant. F

IVDÆA.

PER Palmam prætereà Iudæa notabatur, propterea quòd ea potissimùm regio palmis abundet, & quòd Iudæi in sacris suis eius foliis vterentur, haberentq; diem solennem de palmarum nomine appellatum: vnde in multis Romanorum numismatibus videmus palmam, & mulierem mœstam sub ea sedentem, cum huiusmodi inscriptione, IVDÆA CAPTA.

ERVDITI CVIVSDAM HIEROGLYPHICORVM

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM LOCVPLETISSIMVS.

A Litera. pag.462.e.463.c.465.a.b
A, litera absolutionis nota. pag.163.a
A, litera cur prima. 28.d
A, triplex quid in veterum monumentis significet. 492.f
Aæte 463.b
Aaron cur *Vitulum*, & cur *Hircum* immolarit. 27.b
Aaronis dexteræ auriculæ extremũ cuius hostiæ sanguine tãgebatur. 311.a
Ab ăcŏris nomẽ meruit *Abrahã*. 218.d
Abantes quomodo comam gestãdam primi excogitarint. 300.e
Abderitæ à *Ranis* è regione *sua* expulsi. 275.c
Abdicatio filiorum. 195.c
Aberranti in syluis viam monstrant Elephantes. 18.f
Abionitarum hæresim aboleuit *D. Ioannes Euangelista.* 181.c
Abliguritor omnium. 255.c
Abliguritoris indicium. 559.c
Abolitus. 282.e
Aborigenes quo casu *Romæ* manserint. 203.a
Abortus. 99.c.134.e
Abradere in rotundum capillorum faciem prohibitum. 300.d
Abraham moralem innuit philosophiam. 368.e
Abraxas Basilidis. 166.f
Absentia diuturna. 181.b
Absinthium marinum. 556.e
Absinthij symbolum. 556.e.vis. ibid.
Absolutum nihil in humano opere. 274.d
Abstemius per Noctuam indicatus cur. 190.d
Abstinentia cibi potúsque. 117.b
Abstinentiæ tenuitas. 461.c
Absurda res. 29.b
Abyssus. 374.d
Abyssum cur vocarint Dei iudicia *Prophetæ.* 269.b
Academia noua à *Carneade.* 196.e
Acæna. 348.f
Acanthias. 250.d
Acheloïs. 463.b
Achilles Ceruorum medullis enutritus. 62.e. *Chironi* curandus à *Peleo* datus inuiolabilis præter pedes. 338.d
Achillis ad tumulum, quæ libamina ferunt quotannis *Thessali.* 534.f
Achilles Bochius Bononienses. 60.d
Achilles Massæus. 138.f
Accipiter Soli dicatus. 567.a.b
Accipiter, eius ọ̃ symbola. 194.d.& seq.
Accipiter animi symbolum. 200.e. idem & *Osiris Plutarcho.* 194.e. Insigne erat Sagittariorum venatorum militum. 199.c. quando fœminæ consortium appetit. 194.e. *sacerdotij symbolum.* 200.e. *sanguinis* symbolũ. 198.d. *sursum volans* quid, & *deorsum*, quid. 195.a
Accipitris artificiosa pugna. 199.c. ossa ex tibiis aurum attrahunt. 194.e. significatio in sacris. 194.d
Accipitres septem *Vulturem* insectantes, quid. 199.b
Accipitrina herba ad oculorum morbos cur adhibetur. 194.e
Accusator inanis. 226.d
Acerbitas. 515.a
Aceti conficiendi ratio. 563.b
Acinacem attestari *Scythis* maximũ iuramentum. 416.e
Acinaces. ibid.
Acoris auidus. 245.a
Acridophagi in *Aethiopia.* 263.c
Actæon à *suis Canibus* deuoratus, quid. 61.b. 65.b
Actæus dæmon. 384.f
Actiaca victoria. 13.b
Actiæ matris Augusti somnium. 141.c
Actij Synceri laus. 184.e. 212.d
Actus in mensuris, quid. 349.a
Acuti hominis symbolum. 525.c
Ada regina Carũ obsonia exquisita *Alexandro* mittit. 544.e
Adad quid *Assyriis.* 11.c
Adagarijs, quid. ibid. & 12.d
Adam quid *Hebræis.* 196.f
Adami cingulum quid significet. 520.f
Adami pomum. 520.e
Adamas. 402.e
Adamãti collatus *Christus* & *Iob.* 403.a
Adamãtẽ emollit hircinus sanguis. 405.a
Adelbertus Brauemburgi regulus iniquè ab *Attone Mogũtino* deceptus. 533.c
Adianton. 562.e
Ad Gallinas, villa. 492.b
Adlocutio, multorum numismatum inscriptio. 311.c
Admetus iunxit *Leonem* & *Aprũ.* 2.d
Admirator sui. 59.b
Adolescentis generosi natura qualis esse debet. 524.e.f
Adonis. 425.c. ab *Apro* confectus quid. 82.f. huius simulacrum. 83.a
Adoranti conuenit flare. 53.b
Adoratio. ibid.
Adoratio per circulum indicata. 377.a. per manus symbolum. 332.f
Adoraturos sedere iubet *Pythagoras.* 54.d
Aduena. 239.b
Aduentus vel migratio. 441.a
Aduersarius contradicens quo signo in lucem editus. 296.d
Adulatio. 460.f
Adulationibus deditus. 521.b
Adulator. 244.e
Adulator & scurra. 49.b
Adulatorum illecebræ. 114.f. infidelitas. 255.a. ab *Adulatoribus* pessundatus. 60.f
Adulteræ coniugis maritus. 90.d
Adulteri qua pœna affici soliti. 122.f
Adulterium per *Murænam.* 272.f
Aedes. 481.a. ædificatio. 487.a
Aedificationis principium vnde. 454.f
Aedilis curulis. 423.a. ædilium ordines duo. ibid.
Aditus. 422.d
Aegidius Viterbiensis. 155.c.425.a
Aegilus, *Athenienſium tribus.* 518.f
Aeginetarum iuuentuti pollices præcisi ab *Athenienſibus.* 342.e
Aegira Achaiæ ciuitas. 543.a
Aegon Argiorũ rex vt creatus. 175.c. 176.d
Aegritudine conflictatus. 196.e
Aegyptus. 161.c.434.c
Aegyptus cœli imago. 318.d cur per eam significabatur. 317.b. per *Crocodilii* symbolum. 270.e. humida & calida. 317.b. *Romanos* effœminauit 39.a.

quid in Diuinis literis significet.197.b
Aegyptiacæ literæ quæ. 464.d
ægyptiaci soli fertilitas vnde. 7.c
ægypti captiuitas quid. 197.c
ægypti deliciæ. 38.f
ægypto quomodo promissa libertas. 39.a
ægyptius sophista. 274.f
ægyptij summi Astronomi. 584.d
ægyptij ab Aethiopibus multos ritus dicuntur accepisse. 189.c. *à Cambyse diuexati.* 9. a. *à quibus significationes suas comminiscebantur.* 51.a. *ciuitates multas in Hetruria fundauerunt.* 395.b. *cadauera vitro condita diu asseruabant.*46.e. *diuino cultui seruientes carnibus abstinent & vino.* 545. b. *cur maritimis abstinuerint.*24.f. 289. a. *noctem cum die pari horarum numero assiduè partiuntur.*171. c. *quomodo mundi partiebãtur.*171.c. 172.d
ægyptij & Phœnices quomodo Solem, Lunam & Stellas Deos intellexerint. 430.d.e
ægyptij reges ac sacerdotes vino abstinebant. 517.b
ægyptiorum opinio de mundi figura. 24. f. *peculium in gregibus.*559.c. *statuæ quales.* 484.e
ægyptiorum Iupiter quis. 30.f
ægyrenses Amorem & Fortunam in eodem delubro colebant. 379.a
ægythus auis quæ Aegyptiis. 236.e
æliani locus. 102.e
ælij Veri Imp. lectulus qualis. 532.e
ælio Pertinaci signum datum de inuadendo regno, quale. 37.a
æluros & felis an idem animal. 125.b
cur Lunæ simulachrum. 126.e
æluri oculi ad Lunæ vices vel maiores vel minores. 125.c
æmatheolicæ sues solidis sunt vnguibus, & non diuisis. 84.d
æolipilæ. 132.f
æneæ Platonici locus. 247.c
æolus cur Hippotæ filius dictus. 131.a
æoli filij & filiæ. 131.a
æqualitas. 208.e
æquinoctia. 54.d
æquitas in elephanto. 16.f
æquinoca, cuius sint Xenophontis, ignoratur. 300.f
aër. 368.f. 585.a
aëris elementum per accipitrem. 200.d
aëris symbolum per columbam. 203.b
ærei claui cur configendis nauibus aptissimi. 476.d.e
æris signandi mos à Iano inuentus. 297.a
æris soliditas ac diuturnitas 138.e
æruinæ. 373.c.454.f
ærumnosus. 490.e
æs perpetuitatem denotat. 476.e
æs olim pecudum nota signatum. 94.d
æschinem tragicam simiam vocauit Demosthenes. 58.d
æschylus primùm excogitauit colubras Eumenidũ crinibus obuolutas. 149.b
æschyli dictum de leonis catulo. 4.f. *locus* 191.a. *tragœdiæ.* 515.b
æsculapius 147.b. 505.b. *cur intonsa barba.*302. f. *cur Serpẽtis insignia gestet.* 148.f. *in solitudine Titthei montis expositus.*46.d.à *capella alitus.ibid. sub anguis specie multis apparuit.* 148.f
æsculapij caput cur laurea redimitum. 494. d. e
æsculapij simulachrum. 505. e. *imberbe apud Solos Sicyonios.* 302.f
æsculapij simulachro cur canis adsculptus. 46. d
æsculapio attributa ars. 626.e. *cur gallũ se debere dixerit Socrates.*223.a. *cur immoletur gallina.* 222.e
æstas. 81 b. 536.f. 586.b
æstas & hyems. 82.e
æstryi Germani aprorum formas pro armis gestabant. 82.b
æsymnio Megarensi quid responderit Apollo. 163.c
ab ineunte ætate libidinosus. 262.f
ætatum distinctio varia. 358.e
æternitas. 433. b. *cur per basiliscum indicata.* 131.c
æternum, perpetuúmque. 376.f
æthera cur patrem putauerunt nonnulli. 433. c
æthereus ardor. 368.f
æthiopia quid sonet Hebræis. 197.c
æthiopes qui fuerunt olim. 189. b. *publico damnati iudicio sponte sibi mortem consciscebant.* 189.c. *vbinam habitent.* 317.b.c
æthiopum ad epulas cur Iupiter cum reliquis diis inuitatus dicatur. ibid.
æthiopum pedes tumori obnoxij. 29. c. *ætatis species duæ.* 182.d
ætne montis lucum incolebant canes. 46.d
affectus motum vt ad assecutionem perueniatur, excitat. 136.f
*affectus humani.*407.f. *voluptarij.*338.d
affectuum malorum dissipatio. 161.a
*africa.*536.d. *huius fertilitas.ibid. domita quomodo pingebatur.*16.d. *muliebri specie effigiata.* 527.b. 536.d.e
africæ symbolum per scorpium. 151.a
africani elegans sententia. 36.d
agamemnonis clypei inscriptio. 3.b
agamemnonem cur Homerus æquiparauerit boni. 4.d
agathocles graui obsidione pressit Carthaginenses. 449.b.c
agathocles Siciliæ tyrannus à Timæo historico notatus. 194.e
agathyrsus. 138.e
agelastos. 235.b
ager quid in Diuinis literis significet. 530. e
agesilai dicterium de sagittariis. 408. e
aggerum construendorum norma ab hirundinibus accepta. 208.f
aggressio. 338.e
aglaus alter, prouerbium. 108.d
agmen. 245.c
agna aurea Atrei, quid. 93.a
agnus. 92.d
agni insolito colore nati quid portendant, & quibus imperium. 93.a.b
agricola. 83.c
*agricultura.*13.a. 417. a. 448. e. 469.a. 310. e
agricultura monstrauit Saturnus. 297.a
agrigentini taurum Phalaridis in mare proiecerunt. 25.c
*agrippa omnibus Diis templum dedicauit.*482. f. *Sex. Pompeium maritimo prælio vicit.* 423. c. 442.f
aiax Locrensis draconem mansuetum in deliciis habuit. 147.c
ala animarum Platoni quæ. 174.a
alæ pedibus addere. 571.b
alæus Telephum exposuit in Parthenium montem. 62.e
alastores dæmones. 384.f
alba cur ad Dei cultum adhibita. 376.e
alba veste decorabantur liberti manumissione accepta. 389.c
albatæ. 389.b
albertus Magnus alitur. 6.d. 133.c
albini natale solum quod. 176.d
albino Clodio quid portendebant cornua. 67.c
albis vestibus delectatur Deus. 389. c
albis vestibus vti in Imperatorum Rom. funeribus mos olim. 202.d
alcathus Leonem occidit. 313.a
alcea cur leonis cauda dicta. 5.c
*alcedo.*233.b. *rarò apparet.* 233.c
alcedonis nidus qualis. 233.b
alcedonum incubatus tempore, mare tranquillum. 233.b.c
alceste Admete regis coniux. 201.b
alcidis conturnix. 229.b
alcithoe cur in vespertilionem mutata. 232.e
alcmæonis de sapore sententia. 314.d
alcyonij dies. 233.b
aldi Manutij insigne. 443.a
alectoriæ gemmæ vis. 224.d
*alexandrum Aeropum Thessalis equitibus præfecit Alexãder Magnus.*209.c
alexand. Macedo Iouis Ammonis filius fabulosè creditus. 4.d
alexander puellas Darij captiuas summa integritate seruauit. 324.d
alexandri Bucephalus. 30.e
alexandri capiti insidens hirundo quid. 209.b. *commentum aduersus ingruentem somnum.*163.b. *cõtinentia.*324.d. *effigiem qui gestabant, prosperè sibi omnia successura putabant.*295.a. *mos in præbendis auribus tam reo quàm accusatori.*309. c. *numisma cur leoninum spolium habeat.* 3. a. *responsum Adæ riginæ Carum.* 544.e
alexandri studiosissimus Antoninus Seueri filius. 295.b
alexandro an meritò fulmen attributum. 428.e
alexandrum decimumtertium Deum ad duodecim suos colebant Athenienses. 427.c
alexandri Aphrodisæi locus. 579.c
alexander Medicus trucidatus. 438.f
alexander Phereus hastam qua Polypheranẽ interimit consecrauit. 410.d
alexander Seuerus ex leporinæ cænis esu formosus factus. 119.c
alexandri Seueri mortem indicãs portentum. 493.b
alexandria cur vocata Leontopolis. 3.a
alexandriæ vrbis prima descriptio farina signata. 239.a
alinæ opis indigus. 282.e
alienigenarum procus. 272.e

Alienus ab amore. 114.d
alimonia. 521.a
alulat & Oratal Arabum Dij. 333.b
alis insignita erant capita sacerdotum Aegyptiorum. 200.e
alithæus Turrianus. 488.d
allium militiæ symbolum. 553.b
allio incitantur ad pugnam galli. 223.c *neque allium neque fabas esitandas, proverb.* 553.b
allium odit Leopardus. 71.a
almæ significatum. 168.f
alpini milites. 127.b
aloisius Cornelius. 477.b
alta, & altum. 374.e
altum nil sapiens. 233.a
alumine oblita materia non succenditur. 152.e
amans ardet. 151.c
amaranthus. 534.e
amarities de vitæ dulcedine. 243.a
amasios cadauer combustum à Cambyse in ignominiam. 450.f
amatæ rei desertor. 560.d
amator. 151.b
amatores mortui. 452.e
amatoriæ deliciæ 125.a *illecebræ.* 202.e
amatorium. 558.d
amazones è serpentum coriis tegumenta bellica faciebant. 399.a
*amethystus contra ebrietatem stat.*404.e
ambiguæ oues quæ. 93.f
ambres liber Aegyptiacus. 165.b
D. Ambrosio puero apes in labellis cõsedisse dicuntur. 241.a
amicitia. 46.f
amicitia firma. 288.d
amicitiæ confirmatio. 541.a
amicitiæ hieroglyphica plurima. 528.e
amicus inutilis & ingratus. 209.a
amicorum comparandorum ratio. 333.a
ammianus Marcellinus Græcanico fuit ingenio. 342.e
ammiani Marcellini locus. 570.f
ammonius Alexandrinus Origene & Porphyrio discipulis clarus. 113.a
amolitio. 314.f
amor. 407.b. 452.d. 459.a. 522.e
amor fidem nutrit. 573.c
amor alatus. 540.e
amor geminus quomodo exercendus. 207.d
*amor mutuus.*452.c. 523. b. *occultatus ne an cæcus.*473.a. *perditus.* 523.b
amoris firmitas. 258.f
amoris impuri satietas. 255.a
*amoris indicia.*554. f. *nutrimentũ.* 157. c. *petulantia.*13.c. *progressus.* 523.a. *laqnei & retia.* 473.b. *rudi in amantium oculis qui.* 407.b. *symbolũ.*400. f. *vulnera.* 407.b. 495.b
amoris veri fructus. 525.b
amori cur alæ attributæ. 199.b
*amori persuadendi magna vis inest.*238.e
amorum agminis descriptio, ac lusus. 521.c. 523.a. & *seq.*
amphilochus Olenius ab anserе adamatus. 225.c
amphion à quo lyram acceperit. 459.b 460.d
amplitudo nominis. 141.b
amuletum. 497.a
amygdala pro canitie. 501.c
amygdalæ floris multitudo, aliarum etiã frugum feracem annum pollicetur. 501.b
amygdalus temperãtiæ hieroglyphicum. 502.d
anacharsis quo gestu dormire deprehensus. 323.c
anacharsis Scythæ dictum. 515.c
*anacharsis statuis quid inscriptum.*324.d
*anacreõtis versus de fastu muliebri.*39.b
anaxagoras cur iudicarit hominem sapientissimum omnium animantium. 330.d
anaxagoræ opinio de Sole. 330.e
anaxilas Rheginus. 120.f
anaxarbeni cur oleas habeant fœcundissimas. 514.e
anceps consilij. 100.e
anchoræ hieroglyphica. 442.f
*anchoræ alligatus Delphinus quid.*254.e
anchorum habuerunt Indi pro caduceo. 443.c
anchoris duabus inniti. 443.b
anchua piscis. 281.a.b
ancile. 411.c
andreas Physicus ad Nicandrum glossemata adiecit. 272.e
anemona. 534.d
angelus Cæsius. 390.f
angelus Colotius. 211.a. 311.c
angeli. 306.d. 533.a
angelorum cura quæ. 437.a. *hierarchiæ tres.*436.f. *nomina & munera.*325.b.c
angelos nos vocamus, quos Gentiles Genios. 46.d
*angeronæ effigies qualis.*342. f. *etymon.* 343.a
angleuarij. 143.c
*anguilla.*270.f. & *seq. mutationem non facilè fert.* 273.b. *mortua ad fundum residet.* 273.b
anguillæ generatio. 273.a
*anguillarũ captura copiosa quando.*273.c
anguimanos cur vocarit elephantos Lucretius. 15.a
anguineum ouum quod 145.b.ad *iudiciorum victoriam confert.* ibid.
anguineos pedes habuerunt Gigantes. 149.b
anguipedum Syrtium historia elegans. 135.b
anguis significata. 128.d. & *seq.*
anguis caudam admordens quid. 140.e
anguis, nisi anguem comedat, nõ fiet draco, prouerb. 140.d
anguis quo tempore exuuium deponat. 129.b
anguium magna vis conglobata in Aethiopia. 145.c
anguibus vis magica inest. 132.f
angulus solidus. 585.b
anima. 196.e. 438.d
anima Dei sit ne. 354.f
anima hominis. 584. e
anima cum aëreo vehiculo. 577.a
anima & corpus. 580. f
*anima corporis affectibus tangitur.*263.a *generat cogitationes.*299.c. *purpurea.* 266.d.s*anguine nutriri videtur.*198.d
anima leonis cur vehementius moueatur. 6. d
animæ hominis in corpore status. 576.e
animæ & animi differentia. 196.e.f
animæ cum corde commercium. 196.f
animæ substantia non est sanguis. 198.d
animæ per pisces indicatæ. 289.e
animam sponte non exturbandam cur indicarint veteres. 449.a
*animæ humanæ vineis cõparantur.*518.d
animæ defunctorum. 580. f
animas mortuorum in fabis habitare. 547.b
animadversio. 416.f
animadversio seuera. 296.f
animal nullum homine diutius viuere existimat Aristoteles. 191.c
animal nullum sacrificandum putabant Theologi veteres. 546.d
animalia fœcundiora quæ. 8.e. *frigida & timida quæ.* 257. a. *naturæ ductu in morbis sibi medentur.* 560. e. *rationis expertia voluptate afficiuntur.* 115.b
animalia tertij generis non gignunt. 114. d.e
animalium curandorum causa. 399.c
animalibus omnibus quibus sanguis, iisdem & cor est. 198.e
animalibus qui primi vescebantur, penuria frugum id coacti fecerunt. 545.c
animus. 195.a 539.a
*animus ad humilia deiectus.*161.a. *alatus Zoroastri.* 196.f. *à vitiis depurgatus* 280.e. *diuinis intentus.*160.e. *gratus.* 294.f. *regendus.*540.e. *suauitate permulcendus.* 242.e
animus vitaque. 448.f
*animi afflictio.*245. c. *candor.*112. e. *despontio.*42.e. *elatio descripta.*38.f. *puritas.*272.f. *vis labefactata.*77.b. *pulchritudo.* 577.a
animi corporisque vires. 2.d
animi feritas per quercum significata. 498.d
animi magnitudo in canibus. 48.f
animi patria non est corpus. 185.b
annæ Samuelis precatio qualis. 268.e
annibalis consilium Antiocho datum in nauali prælio quale. 142.e
annibalis stratagema. 557.c
annona. 474.d. 536.d
annonæ felicitas & penuria. 26.d
annus. 130.f. 377.e.f. 432.d. 476.d
annus mensisque. 9.b
annus cur per palmam indicetur. 488.b
annus Aegyptius. 365 b
annus iniens. 297.a
anni Aegyptiaci rationes duæ. 381. a.b
*anni constitutio apud Persas.*167.a. *qualitates quatuor.*299. a. *tempora tria Aegyptiis.* 384.d
anni symbolum cur vultur. 166.e
annum quomodo metiebantur Aegyptij. 166.e.f
*annum vnũ viuunt passeres mares.*192.f
annorum centena. 167.a
annorum certus numerus. 81.c
anser. 225.a. *cur detrimenti symbolum.* 226.d. *cur liquidis & frigidis delectetur cibis.* 225.c

Anseris exempla amoris erga homines. 135. c
anseris ingenium auersum à poëticis studiis. 225.c
anseri honores à Romanis instituti. 225.a
anseres Taurum montem penetrantes cur lapillis rostra sua occludant. 225.b
anserum iecoribus canes pascendos instituit Heliogabalus. 225.a
anserum oletum omnia adurit. 226.d
anser poëta pessimus. 226.d
antegoras poëta quid responderit Antigono. 288.f
anteuorta & Postuorta. 296.f
anteus. 568.f
anteus ab Hercule collisus quid. 224.b
anthanis. 468.e
anthia piscis. 277.c
antracinæ vestes. 390 e.
antropius taurum dedit Agamemnoni & Menelao. 31.a
antigoni dictum argutum. 1.c.
antiochi numisma. 583.c
antiochi laus ab æqualitate. 251.b
antiochus cognomento Accipiter. 199.b
antiochus Soter. 464.e
antipathia inter camelum & equũ. 117.b
antipatri epigramma de Platone. 180.f
antipatri parsimonia ficta. 390.d
antiquitas. 465.b.c
antisthenis dicterium. 38.e. *in adulatores* 60.f. *in Athenienses.* 260.e
antisthenis argutum responsum ad Diogenem. 246.b
antoninus Pius cur semper in vrbe sederit. 139.b
antonini Pij mansuetum ingenium. 224.d
antonino imperium portendit agnus vellere in fronte purpureo. 23.b
L. Antoninus Fab. Quadratus torquibus & armillis à Titio Cæsare donatus. 468.f
antoninus agnellus. 446.f
antoninus Sechus Tiberium oppressit. 222. f
antoninus Morosthicanus. 251.c
antoninus Musa viperas edendas dedit. 147.c
M. Antoninus Passer. 375.a
antonij ab Vrsicino deprecatio. 332.d
antonij triumuiri numisma. 571.c
anubis. 47.c
anubis Cynopolitarum Deus. 290.f
anubis & Osiris expulerunt Gigantes ex Italia. 47.c
anularis digitus cur odoribus illinebatur ab Aegyptiis sacerdotibus. 397.a
anulus. 396.f. *ornatus & signandi causa circumferebatur.* ibid.
anulum arctum non gestandum cur dixerit Pythagoras. 344.e
anulum gestare flamini Diali cur non licebat. 498.f
anulum vnum duntaxat olim habere vnicuique licebat. 398.f
anulorum quibus ius negabatur. ibid. vsus vnde propagatus. 344.d
aornus fluuius pisces habet vocales. 285. a
apaturiæ Palladi zonam virgines Træzeniæ ante nuptias dedicabant. 392.e
apelles cur fulmen in Alexandri manu pinxit. 427.b
aperta vis, 446.e
aperto pectore. 316.d
aphrodisias. 468.e
apiastrum apibus gratum. 562.e
apis. 240.e. *regni symbolum.* 244.a. *vitæ sociæ amatrix.* 241.a
apes D. Ambrosio, Pindaro, Platoni pueris in labellis consederunt. 211.a. *Dionysio & Hieroni regnum quomodo præmonstrarint.* 240.f. 241.a
apes ignorant venerem. 244. d. *oderunt homines à coitu olidos. ibid. vnde generentur.* 34.e
apum artificium à Virgilio descriptum. 244. d. *politia eleganter à Plinio descripta.* 240.e
apum examen in faucibus leonis à Samsone strangulati. 243. *b. in iuba equi Dionysij.* 240.f
apum rex aculeo caret. 240.e
apim cur non passi sint Aegyptij bibere ex Nilo. 448.d
apium luctus indicium: 506.d
apollo, 524.e
apollo Agyieus. 485.a. *Delphicus.* 253.a
apollo fidicen. 213.a. *Meliates.* 524.e. *Thyreus.* 477.b
apollo Musarum Deus. 587.b
apollo cur per corui symbolum. 218.c. *per gallum.* 123. a. *per lupum.* 97.c. *per gryphem.* 216.e
apollo in Delphinum mutatus. 253. a. *tibiis libenter cecinit.* 461.b
apollinis affectus expressus ab Ouidio 50. d. *cum Hecate vertamen.* 125.c. *Panionij ædem quomodo primũ ædificandam putarint Græci.* 486.d. *Musę.* 462. f. 463. a. *sagittæ in Græcos immissæ.* 408.e
apollinis pedibus serpens triceps subiiciebatur. 149.a
apollini cur cygni sacri. 211.c
apollini Lyceo cur templum dicatũ apud Sicyonios. 101.b
apollini quædam animalia dicata. 223 e
apollonius. 468.e
apollonij Rhodij locus. 154.f. 313.a
apollonius Thyanæus. 68.e
apollonij Tyanei præsagium suæ commorationis apud Barsanum. 9.b.c
apostoli. 29.b. 180.f
apotheosis Imperatorum. 29.a. 177. b.c. *fœminarum.* 221.b. *multis regibus decreta.* 428.d
appetentia. 153.c
appetentis vis in hepate. 171.b
appetitio affectum excitat. 136.f
appetitus rationi obsistit. 568.f
appion Grammaticus cymbalum mundi à Tiberio vocatus. 71.b
appioni cor asini obiectum. 109.a
aptera ciuitas vnde nomen sortita. 199.a
apua piscis. 281.a. *Veneri sacra.* ibid.b
apua ad ignem, prouerb. ibid.
apuarum copia cur apud Megarenses. ibi.
apuleianæ fabulæ argumentum. 532.e
aqua. 585.b
aqua mihi hæret. 336.e
aqua cælestis. 567.a
aquæ vocabulo quæ sequuntur. 369. f. & 373. b
aquæductus & fontes, leoninis figuris ornati. 7.c
aqua generationis causam putarunt multi, & cur. 72.d
aquam ranæ dare, proverb. 275.c
aquæ & ære naturam rerum constare putabant Assyrij. 290.e
aquarum segregationes apud Mosen quid. 286. d
aquis comparata disciplina. 370.d
aquila. 175.b. & seq.
aquila Aurelianum infantem de cunis sustulit. 176.e. *carnem bubulam in Maximi cellam & Iouis Præstitis, sacellum abiecit.* 136. e. *Claudij dextero humero consedit.* 138.e. *dedicata iustis Imperatorum & regum.* 177.b. *in educanda prole iniqua.* 179.a. *Gordij currus iugo insidens.* 135. c. *Ioui gestat tela.* 181. b. *lapidem in nido collocat.* 182.d. *mactandam Helenam liberauit.* 178.e. *Maximo imperij auspicium dedit.* 176.e
aquila ossifraga quæ. 178.d
aquila panem de manu Octauiani rapiens quid. 176.e
aquila pollet visu. 181.a. *ibid. quibus imperium & regnum præmonstrauerit.* 175. e. & seq. *quot vno tempore pariat.* 178.d. *volucrum regina.* 177. b. *vnde dicta.* 25.b
aquila vulturina. 178.d
aquilæ cõspectus felicitatẽ indicat. 176.d
aquilæ cognomento gaudebat Pyrrhus. 177. b
aquilæ etymon. 181.c
aquilæ nidus cum pullis à C. Maria puero repertus, quid portendebat. 176. d. *pennæ aliarum auium pẽnas contactu corrumpunt.* 179.b. *præconium ex Sosithei dicto.* 181.a
aquilæ senectus prouerb. 180.d
aquilæ cur bellum cum serpente. 148. f. *cur tantum tribuerit Pindarus.* 177.b
aquilam sacrarunt Persæ ante Romanos. 175. b
aquilæ duæ in culmine domus, vbi Alexander natus. 176.f
aquilæ gerendis rebus se duces præbentes. 176.f
aquilarum duarum ex auro apud Delphos significatio. 182.f. *insignia quædã. ibid. pulli à vulturibus discerpti.* 169.e
aquilis senescentibus rostrum magis incurvatur. 80.d.e
aquilæ Pontifici opinio improbatur. 168.f
aquileiæ expugnatio quibus indiciis præcognita. 159.b
aquilinus lapis ad multa remedia. 182.d
aquilo. 881. a. & *quatenus vocetur dexter, & quomodo pro dæmone accipiatur.* 241
aquilone spirante gignitur masculus fœtus. 24.d
aquilus color. 181.c
ara. 481.a
ara Dianæ dea ex cornibus ceruinis. 64.d
ara sacrificialis. 482. d
arabes fidem in manibus colebant. 333.b

Arabia cur nullum suillum genus habeat. 77.c
arameorum opinio de duabus legibus. 425.a
aranearũ telę quid Aristoni Chio. 251.b
araneus. 250.f
araneorum telæ quid in Sacris. 251.a
arati locus. 216.d
arationis partes procuratæ. 27.a
aratrum. 468.f
araxa fœmina. 138. d. *ex Hercule filios genuit tres.* 138.e
arbiter geniũsve. 46.d
arbores sine tempestate cecidisse, suáque sponte mox resurrexisse. 503.b
arbusta terrenis mẽtib. assimilata. 491.b
arca fœderis cur ex cedro sit fabrefacta. 494.e
arcæ Noes ligna cur quadrata. 381.b
arcades cur rudes dicti. 80.d
Proselenes cur. 434.f
arcadum gestamen quale. ibid. mos in eligendo rege. 2.e
arcam Domini vaccæ fœtæ traxerũt. 29.c
arcana tempore patefieri. 576.e
arcana reuelata. 262.d
arcana sacrorum. 318.e
arcana tegenda. 57.a
archangelorum cura quæ. 436.f
archemorus celebritatis Nemeorum causa. 506.d
archidami dictum in Chiorum legatum. 286.e
architecturæ per hirundinem. 208.f
arcus. 406.f. *cur fuerit dedicatus Amori.* 407.b
ardea. 236.f. *per coitum sanguinem ex oculis emittit. ibid. tempestatis signum.* 237.a
in Areopago rei velato capite causam dicebant. 580.d
argaman. 325.c
arge. 463.a
argentum liquidum. 571.a
argiphon cur Mercurius dictus. 149.c
argiui, & Argiuorum numi. 125.b
argiui primum vsi scutis ligneis. 411.b
argus. 572.d
aries. 95.a. & seq. 548.f
aries in Isocratis sepulcro cur adscriptus. 96.d
aries in Sacris literis, quid. 92.d
arietinum caput cur Hammonis signum. 96.d
arij Lacedæmoniorũ regis epistola. 183.a
arion quo habitu delphino vectus. 252.f
aristander Thelinesius. 209.b
aristandri Thelmessij diuisio dẽtium. 34.e
aristandri sententia de oleo. 513.a
aristides Italicas res descripsit. 178.e
aristippus quid obiecerit Diogeni. 47.d
aristippi responsum de diuitibus & philosophis. 364.d
ariston quibus similes aiebat dialecticæ sectatores. 261.c
aristonymi dictum in adulatores. 61.b
aristophanis locus. 273.c
aristoteles & Plinius de fucis dissident. 246.d
aristot. locus. 50.f. 290.d. 277.b
aristotelis consilium Callistheni datum quod. 225.b. *scomma in Athenienses.* 364.e. *sententia de Taranda.* 257.c
aristotelis non videtur legitimus liber, De mirabilib. auscultationibus. 234.d
aristoteli conciliatus Plinius. 277.c
aristotimus quomodo perierit. 478.f
arithmetica quomodo ab Aegyptiis ostendatur. 369.a
arma, armorumq; genera varia. 405. b. & sequen.
arma bellica. 495.a.b
arma per sapientiã administranda. 408.f
armorum apparatus sine corde irritus. 65.a
armatam Venerem cur coluerint Lacedæmonij. 406.d
armatos Deos omnes cur finxerint Græci. 406.d
armenica prima pelta. 412.d
armenica secunda pelta. ibid.
armenius mus. 125.a
armi. 402.d
armillæ. 402.d. *vnde dictæ.* ibid.
armillarum donis & coronis honestati qui. ibid.
armillarum symbolum quod. ibid.
aromata super ignem quamobrem imposita. 454.d.e
aromatarius. 237.a
aron agreste cur pascatur vrsa. 71.b
aroneæ stirpis mares tantùm cur sacrificato vescebantur. 322.e
arriani locus. 287.b
ars naturæ victrix. 476.f
ars & ingenium. 172.d. 569.a
artes cur per manus significentur. 328.d
artes inanes. 543.c
artes nullæ ante ignis vsum sunt repertæ. 454.e.f
artium inuentores. 569.a
artibus propriis elusus. 238.e
arsinoes miserabilis interitus. 187.a
artaxerxes cognomento Mnemon, ficubus & pane hordeaceo vesci coactus. 544.f
artaxerxis Mnemonis de sici & hordeacei panis præstantia testimonii. 519.a
artemisia quale sepulchrũ struxerit. 201.a
articulus. 351.a
artificium. 244.e
artificiosum opus. 473.a
arvales fratres. 537.a
arueris. 166.f
aruiragus. 444.f
aruncum quid vocet Plinius. 87.b
arundo mensuræ signum. 550.d
arundinis flocci efficacia. ibid.
arundinis & filicis inter se inimicitiæ. 556.d.e
arundo in manus tradita Christo, quid indicarit. 549.c
aruspex. 123.c
ascia. 417.a
ascolia sacra cur Baccho instituta. 87.b
asconij Pedani locus. 84.b. 103.c
ascolopax. 225.a
aselliceps homo. 108.d
asello fabulam narrare surdo. ibid.
asia per tres serpentes indicata. 142.d
asilus. 247.b. *quomodo nascatur.* ibid.
asina animal est ad onera portanda genitum. 109.a.b. *fœtus excludit in tenebris.* 111.b
asina prioris populi symbolum. 109.a
asinæ pullus inniorem populum indicat. ibidem.
asinus Aegyptius. 109.b
asinus ab omni rationis vsu est semotus. 108. e. *animal dæmoniacum.* 109.b. *humanæ commoditatis assiduus minister.* 113.a
asinus in fabulis quis. 108.e. *in ludis quis.* 108.d. *ad lyrã. ibid. inter simias.* 110. d. *salutis augurium dedit.* 112.d
sapientiæ symbolum. 113.a
asinus putadarum vitium author & præmonstrator. 112.e
asini auricula. 108.e
asini cutis post obitum vtilis. 112.f
asini portantis iuuentutem, & serpentis fabula. 129.c
asini & sali auiculæ odium vnde. 236.e
asini vmbra, prouerbium. 107.c
ab asino excuti, prouerbium. 110.d
asinum currentem pingere. 109.c. *literas docere.* 108.d
asinum parere. 108.e
asini Apollini mactati. 109.b. *audita præter mures cæteris præstant animantibus.* 25.a. 108. e. *ad bellum gerendum apud Saracoras adornantur.* 111.a. *difficulter occiduntur.* 109.b. *extra prouinciam non peregrinantur.* 108.d. *omnium quadrupedum inuerecundissimi.* 109.a
asini Palestini equos perniciitate prouocare dicuntur. 110.f
in asinos post obitum deiici. 106.f
asinaria mola, ex Euangelio desumpta. 111.a
asininæ vngulæ abortiuis euocandis prosunt. 111.b
asio auis. 237.b. *imitatrix.* ibid.c
asio Fauoniis flantibus apparet. 237.b
asopus. 463.b
aspalatho tactus cerus moritur. 62.f
asparagus. 557.a
citius quàm asparagi coquantur, prouerb. 557.a
asperitatis symbolum. 530.f
aspicere, quid in sacris significet. 306.f
aspis alita ab Aegyptio. 147.c
aspis cur dicta somniculosa à Sisenna. 133.a
aspidum ictus letalis. 133.a
assentatoribus nullum genus animantium perniciosius. 61.a
assertor. 499.a
assertor multorum. 276.e
asses lignei & scortei à Numa populo dati in congiario. 27.c
assidere cuipiam. 422.f
assyrij cur abstinuerint piscibus. 290. c. *cur columbam coluerint.* 203.b
astaborã. 447.c
astasoba. 447.c
astræa. 579.c
astræa dicta Ceres Poëtis. 197.c
astrologia. 369.a
astutia praua. 228.d
astyagis somnium. 516.f
atalantæ ceruus dicabatur. 65.c

Atecotti iuniores. 144.e
athularicus Romanum imperium atriuit. 167.b
athenarum arcana mysteria vniuersum orbem eluserunt. 324.f
athenienses Aegyptiorum coloni. 297.b
athenienses Samis vltione multati quòd vrsum Dianæ interfecerunt in Munychio eius sacello natam. 106.d.*hospites & aduenas omni officij genere prosequebantur.* 367.b. *Niciana clade venditi pro seruis apud Syracusas.* 37.c
athenienses quodnam votiū fecerint Dianæ,& cur. 90.d. *quot deos coluerint.* 427.c
athenienſium nobilitas. 566.e
athenienſium in bone mactando mos. 28.e
athenienſium malè conſulta noctua fortunare dicebatur. 188.f
athenodorus philoſophus. 465.c
atlantes. 58.f
atlas. 486.f. *cur cœlum geſtare fingatur.* 487.a
athletæ oleo delibuti certabant. 337.e
athletæ ſiccis ſicubus paſti. 521.a
atomis ſuis quid ſibi voluerit Democritus. 128.f
atrati & atratæ veſtes. 390.e
atramentarius piſcis lolligo. 264.f
atramentum in aquas euomit ſepia,atramentiq; vis. 264.f
atrei & Thyeſtis diſcordia vnde. 93.e
atri feſtique dies. 123.a.265.e
atropos. 470.f
atrum & nigrum. 265.a
attica ſicubus nobilis. 521.a
attilæ datum augurium per ciconiã. 159.b
attonis Moguntini Archiepiſcopi impr. bonum factum. 333.c
auaritia. 335.b
audendi promptitudo. 87.a
auditorum frequentia. 70.d
auditus. 64.d
auditus ex leporino ſimulacro intelligitur. 118.e
auditus è longinquo. 123.b
auditus promptus. 25.a
auditu quænam ex quadrupedum genere præſtent. 25.a
auerroes ab Ariſtotele diſſentit in teſtibus. 221.b
aues cœli. 550.f
aues ex arborum folliculis natas in Britannia fabulantur nonnulli. 249.a
augurium mortis. 101.b
auguriis in captandis mos ſacerdotum. 449.a
D.Auguſtini laus. 168.e
auguſtale inſigne. 450.d
auguſtus cingulo ex vituli marini pelle confecto cur vſus. 493.a
auguſtus infans ranas obſtrepentes ſilere iuſſit. 275.c
auguſtus nepotes ſuos literas & natare docuit. 57.b
auguſti Cæſaris numiſma. 581.c
auguſti generis. 88.f
auguſti milites. 127.a
auguſti præſagium ex dracone. 141.c
auguſto decretus currus ex quatuor elephantis. 16.d
auguſto in littore deambulanti è mari ad pedes proſiliit piſcis. 284.f
auguſtus menſis. ibid.
aulicorum vita. 446.d
aureliano Imper. quo præſagio imperium oſtenſum. 141.b
aurelius augurellus ſenex ſcripſit Chryſopœiam carmine. 212.d
aureoli tyranni tumulus. 271.b.c
auriga cœleſtis quis. 324.f
auris conſecrata Memoriæ. 311.b
auriculas aſini quis non habet. 110.e
auribus cur carebat Ionis ſimulachrum apud Cretenſes. 309.c
auritus. ibid.
aurum ſolare metallum Chymicis. 194.e
auri nomen, quid. 197.a.b
auſonij locus. 386.f
auſpicium regium. 204.e
auſpicia Canaria. 51.a
auſpicia, portentaq; felicia per aquilam. 175.b
auſter quomodo accipiatur. 24.e
auſtri flatus fœmineum fœtum producunt. 24.d
autocabali. 500.d
authores veteres multi noſtra ætate in lucem prolati. 331.c
authoritas. 42.d. 487.b
authoritas per manus ſymbolum. 329.b
authoritas imperatoria & triumphalis honos. 493.a
autumnus. 386.d
auxeſiæ ſimulachrum cur ex olea. 512.e
auxiliares. 298.d
auxilij imploratio. 209.a
auxilij imploratio apud Scythas qualis. 27.a
azymorum calathus, quid. 364.e
azymorum feſtum amaritudine & humilitate celebrabatur. 245.b

B

B Litera. 463.c
Baccheia ſupellex. 499.a
Baculi & virgæ differentia. 401.b
bacchus. 31.a.425.c.498.f
bacchus cur tauro & pardali ſimilis dicatur. 31.a
bacchus idem & ſol nonnullis. 131.a
bacchus Sycites. 520.d
bacchus taurinis cornib.inſignitus. 543.b
bacchi ſimulacrum ex vite aut ficu apud Naxios fieri ſolitum. 520.d
baccho delphinus adpictus. 253.a.b
baccho cur dedicata ferula. 514.f. *cur obliuio.* 534.f
baieth Aegyptiis quid,& Bai. 196.f
balbino & Gordiano ſtatuæ cum elephantis decreta à ſenatu Rom. 19.a
baltheus. 396.e
baptiſmus. 390.d.e
baptiſmus vera purificatio. 284.e
barba in Sacris literis quid. 302.f
barba intonſa cur Aeſculapius. 302.f
barba ſymbolum virtutum. 302.e.f
barbam cur ſe geſtare dixerit Diogenes. 302.b
barbam cur ſoli Lacedæmonij raſitarint. 300.e
barbam nutrire ſacerdotibus mandatum. 299.c
barbam perpetua declamatione laudauit Pierius. 302.d
bartholom. Carolus Picolomineus. 86.e
bartholomæus Lampridius. 395.a
baſilidis Abraxas. 166.f
baſilius Magnus philoſophiæ latebras omnes penetrauit. 407.b
baſiliſcus. 131.b. *in honore habitus ab Aegyptiis.* ibid.
baſiliſcus ex ibidis ou o. 162.b
baſiliſcus ſtella. 132.f
baſiliſci ſanguis cur à pleriſque adſeruabatur. ibid.
baſiliſci ſibilus quib.ſit formidabilis. 131.c
baſſiano Antonino quales ſtatuæ decretæ à Macrino Imperatore. 421.b
batani milites qui. 144.d
batti nauigatio. 424.f
beatitudo futuri ſeculi. 241.c
bebryciæ Lauri effectus. 494.d
bechphrygibus, quid. 90.e. *quid Scythis.* 222.f
beelphegor. 324.f
beelzebub dæmon muſcæ hieroglyphicum. 248.d
belbi. 102.f
bellator ſtrenuus. 73.a
bellatori aliquando cedere neceſſe. 33.a
bellatorem decet ſæuitia. 2.d
bellerophon coërcuit amoris petulantiam. 13.c
bellerophontis imago. 424.f
bellica collina quænã dicta Romæ. 485.c
bellicus apparatus,vel caſtra. 327.b
bellona Minerua. 513.b
bellonæ templum. 485.c
bellum. 34.d. 95.a.388.d.409.b.450.f. 486.d
bellum indictum. 406.e
bellũ marinis fluctibus cõparatum. 443.b
bellum pax. 483.a
belli incommoda & damna. 145.a
belli nubes. 373.b.c
bello inutilis. 342.d.e
bembi ænea Aegyptiaca tabula miræ antiquitatis. 158.d.184.e. 216.e.304.e
benedictus Agnellus. 446.e.f
benedictus Lampridius. 283.b
beneuolus. 225.a
benignitas. 178.e
D.Bernardus. 45.c
de D. Bernardo quæ ſomniauerit mater prægnans. ibid.
bernardus Vibienius. 152.e
bernardinus Maffæus Card. 127.b
bernardinus Pollanus. 252.d
bernardinus Tomitanus. 340.e
berſabea quid Hebræis. 374.f
betæ & bliti differentia. 561.c
bianenſes. 143.a
biantis philoſophi dictum ad Alyattum regem. 553.a
bibaces cur aquilæ ſenectuti comparentur. 180.d
bibaciſſimus. 282.d
biblia quo tempore conuerſa in linguam Græcam à lxx. interpretibus. 169.a
bicipitium. 296.e
bifrons cur Ianus. 297.b
bile caret columba. 205.a
bithon & bithonis robur. 31.b *bithyni*

Bithyni iudicia ex aduerſo Solis cur exercere conſueuerant. 305.a
bittea meretrix. 561.c
blitti ſymbolum. 561.c
blondi opinio vanitata. 161.b
boca piſcis vocalis. 284.f
bœotij anguillas diis immolare conſueuerunt. 284.d
boëtij locus. 568.f
bœotij ſtupidi dicti. 80.e
bonum de malo deligere. 530.d
bonum omen. 112.d
bona citò labentia. 526.f
bona dea,vel perſephone. 575.c
bonorum obſequium. 23.c
bonorum cœleſtium affluentia. 577.a
boreas. 150.d
bos ab Argo cuſtodita cur. 26.f
bos ad ſacrificium quomodo ducebatur à Perſis. 26.e.f
bos arator triclinium Veſpaſiani aſcendit. 26.f
bos integer à Germanis Bononiæ toſtus. 230.d
bos per linguam inambulat. 27.c
bos ſub iugo, prouerbium. 30.d
bouis effigies in Athenienſium numiſmate. 27.c
bouis pretium. 27.c. *ſignificatio.* 27.b. *ſignificatum in Sacris literis.* 29.b
boni honor habitus à veteribus. 27.c
bouis vnde nomen. 27.a
bouem Deliorum pecuniam cur putarint nonnulli. 28.d
bouem occidere, antiquitùs capitale. 28.e
bouem quando ſacrificabant Lacedæmonij. 224.e
bouem quando ſacrificabant Romani. 32.d
boues olim vocati Itali. 28.d
boues arantes imaginari, quid. 27.a
boum cornua cur fœno circumligabantur. 33.a
boum natura. 32.e
bouillo extenſo corio quomodo opem implorabant Scythæ. 26.f
braccati milites. 536.e
brachiati milites qui. 144.e
bractearæ argento pernæ. 550.f
braſſica vitibus inimica ebrietatem arcet. 562.f
breſcit. 425.b
bretti populi & brettus. 188.e
breuis vita. 346.f
briareus Centimanus. 331.a
britannia vrſorum ſæuitia nobilitata. 106.e
britanni olim anſerem religioſum opinabantur. 187.c
bromus Bacchus. 233.c
brumalia quando celebrantur. ibid.
brucia vocata olim Italia. 188.e
brutum, hebetem putabat Tarquinius. 91.a
brutorum cultus vnde apud Aegyptios. 55.b
bubalus, primus omnium Fortunæ ſimulacrum Smyrneis effinxit. 543.b
bubulci nomen in familias Romanas admiſſum. 28.e
L.Buca numum cudit Cæſari. 378.f
bucephali. 30.e
bucephali equi apud Theſſalos. 30.f
bulla. 395.b
bullæ geſtamen vnde acceptum. ibidem. *vnde dicta.* ibidem.b. *puerile geſtamen fuit.* ibid.c
bulla cordis erat figura. 316.e
bulla primus omnium donatus Tarquinij Priſci filius. 395.b
bulbi hieroglyphicum. 558.f
bulborum efficacia. ibid.
buſiridis nomen vnde. 31.b
butio, accipitris genus quod. 194.e
bythonis & Cleobis fratrum pietas. 511.b

C

C Litera,condemnationis nota. 163.a
Cabaliſtica. 434.d
Cacus Auentinus. 106.e
caduacra vitro condita adſeruabant Aegyptij. 46.e
caduceatoris munus. 549.b
caduceus. 144.f.& ſeq.571.b
caduceis numiſmata inſ.gnita mulcta. 145.c
cæcitas. 123.a.309.b
cædes multiplex. 526.f
cælij Calcagnini laus. 52.e.f
cæpæ efficacia. 552.e
cæpis cur non veſcantur Aegyptij. 552.f
cæſa vocatur elephas Maurorum lingua. 15.c
cæſar. 416.d
cæſar apud Gades inſpecta Alexandri imagine ingemuit. 428.e
cæſar conſternatus, non inuento corde in bouis opimi extis. 316.f
cæſar regium nomen reſpuit. 398.d
cæſaris mors in Solis ſignis indicata. 431.c
C.Cæſaris numi ſymbolum. 16.d
calamitas. 130.e
calamitatis ſignum. 549.b
calathiſcorum effigies columnis Aegyptiacis addi ſolita. 486.e.f
calathus azymorum, quid. 364.e
calathus Cereris. 486.e.f
calauria Apollini ſacra. 253.b
calcaneum, ac huius hieroglyphica. 338.f
calcaneum, & tenere calcaneum. ibid.
calcaneum flectere. 15.b
calcamẽta Aegyptiorũ papyracea. 547.a
calceus. 394.e
calchas augur. 293.a
calendæ Auguſti Baccho dicatæ. 563.a
calenus Megaram cepit. 4.f
calidi facultas. 426.e
caliga. 392.e
caligare. 457.a
caligula Cæſar. 392.e
C.Caligula vetera familiarium inſignia nobiliſſimo cuique ademit. 402.d
C.Caligulæ coronæ exploratoriæ dictæ. 437.c
C.Caligulæ ſceleratũ facinus animo conceptum quod. 416.e
calix multa in Diuinis literis ſignificat. 541.c. *pro mortis cruciatu ponitur.* 542.d. *ſupplicij ſymbolum.* 559.a
calliditas. 138.e. *doloſa.* 121.a
callimachi locus. 266.f
calliope. 463.c
calnaria aſini ad loci fertilitatem facit. 112.e
calumniator. 311.a
calumniatores cur baſiliſco comparati. 132.d
calumniis afflictus. 132.d
calx. 339.a
calidonij apri mater quæ. 76.f
cambyſæ anima in legne reperta à Pythagoricis. 9.a
cambyſes abolere conatus eſt immanem hominem ſacrificandi morem. 449.e. *diuexauit Aegyptios.* 9.a
cambyſes de Simandij ſepulchro aureum circulum ſuſtulit. 377.c
camelus ad duodecimum diem ſine potu perdurat. 117.b
camelus animal profanum. 115.c
camelus animantium omnium tortuoſiſſimum eſt. 116.f
camelus matrem ſuam nunquam ſuperuenit. 117.a
camelus quaſi camerus. 116.e
camelus quatuor femora gerit. 116.e
cameli eſtientes à poëtis ſunt appellati. 117.c
cameli manſuefacti biliq; expertes. 117.d
campegianæ familiæ claritas. 440.f
campeſtre, genus indumenti. 394.d
campeſtres elephanti quales. 18.e
camus. 469.c
cana cur fides Virgilio. 333.c
canaria auſpicia. 51.c
cancellus pinnophylax, & pinnotheres. 262.f
cancer. 261.b
cancer cur inter ſidera collatus. 262.d
cancer in numis quid. 261.b
candelabri ſignificatio in ſacris quæ. 511.c
candida vel obſcura quænam dicimus. 374.e.f
canduluss. 58.f
canicipes. 51.c
canicula. 375.c
caniculæ ſidus frugibus inimicum. 51.c
canis cur vocatus Diogenes. 49.b
canis deſcribitur. 44.e
canis & gallus cur ad parricidij ſupplicium adhibebantur. 134.d.e
canis in Diuinis literis quid. 49.a
canis mira induſtria coniicientis lapillos in amphoram olearium. 219.a
canis qualis expetitur à venatoribus. 51.a
canis quomodo militis officium videatur obire. 46.d
canis ſerpens in Tænaro. 47.b
canis ſimulachro Mercurij cur obiectus. 312.f
canis viuus in Diuinis literis, quid. 49.a
canis fidei ſymbolum. 550.d
canis fidelitatis mira quædam exempla. 46.f.47.a.b
canis impudentia. 109.a
canis oculum habere quis dicatur. 52.d
canis ſignificatio in Diuinis literis quæ ſit. 44.e
canis vſus quis. 44.f.45.a.b
canem comedebant Oxyrynchitæ popul. 290.f

per

Index Hieroglyphicorum.

per Canem quando iuret Socrates. 46.f
canes alebantur in Daulia in Mineruæ templo. 45.c
canes Alexandro Macedoni missi ab Albaniæ rege. 48.f
canes fellis vitio medentur decerpto gramine. 71.b
canes in crucem quando rapti à Romanis. 51.b
canes laribus diis præsides. 45.c
canes quibus Diis sacri. 51.b
canes sepulchrales apud Hircanos. 170.f
canes mutos quos vocet Dominus. 45.b
canities. 501.c
canities per amygdalã intelligitur. 501.c
canopi astutum inuentum. 538.e
canterius in fossa. 42.f
cantharis. 73.c
cantharus. 72.d
canthari typus. 499.b
capaides anguillæ. 284.d
caper ab Hercule domitus, quid. 89.c
caper cur Baccho mactabatur. 87.b
capro inspecto elephantus fugit. 16.f
in capris an rivalitas. 90.d.e
caphziel. 426.e
caphiatæ. 472.d
capillus Veneris, & eius vires. 562.e
capitale apud quos, bouem interimere. 28.e
capparis. 557.b
capparim libidinem non perfrigerare, contra recentiorum opinionem. 502.e
capra. 87.a.& seq.
capra per aures an spiritum emittat & recipiat. 87.b
capram aheneam Phliasij cur colebant. ibidem.
capram in Acropolim Athenis adire lege prohibitum. 87.b
capra in sacris, quid. 88.e
caprarum cornua qua ratione vitibus fertilitatem adferunt. 87.d.e
caprices auis liene caret. 235.b
capricornus. 581.b
capificus. 508.d
caprifici ramus, Iunonis simulachro cur appositus. 508.e
caprifici vis. 23.a
caprimulgus. 238.e
caprotina Iuno. 508.e.f
caprotinæ Nonæ. 508.e
captator. 280.e
captiuitas. 332.e
captiuitatis impatiens. 107.b
captiuitatis prudens declinator. 279.a
captiui sub hasta vendebantur. 409.c
caput, ac huius hieroglyphica. 293.a
caput abradi malum portendit. 301.a
caput adiurare & denonere. 294.f
caput Christi cur spinis fuerit corona tum. 530.e
caput humanum ad mundani orbis similitudinem compactum. 293.b
caput leonis quid notet. 1.f
capitis hieroglyphicum. 555.a
capitis rasitatio seruitutem indicabat. 300.d
capiti manus imposita, quid. 294.f
capita, Cæsarum ædes tacta de cælo, omnibus statuis deciderunt. ibid.
in capite consilij sedes. 567.b
capitibus brutorum, humana corpora insignierunt Aegyptij. 303.a
capys. 139.b
Car Cyrum vulnerans quo præmio honestatus ab Artaxerxe. 224.d
carboni, de abrosis fasciis à muribus, quid responderit Cato. 124.e
cardamus circumpullantes herbas exaresere cogit. 179.b
cardinales sacerdotes. 487.c
cardo. ibid.
carduus in sacris quid. 530.f
cardui scolymus. 533.c
carneæ deæ sacræ. 548.d
carneades ad summam peruenit senectutem. 196.e
caro subfrigida, & humoris plena somnos ciet. 119.c
carnes lupinis dentibus laceratæ cur dulciores. 54.e
carolus Magnus purpuram imperatoriam ab interitu primus vindicauit. 167.b
carpere. 314.f
carpocrates hæreticus. 311.a.b
cartadulorum regio. 55.b
carthaginensium immanitas in sacrificandis nobilibus adolescentibus Saturno. 449.b
caryatarum opprobrium. 485.c
cassander Antipatri, Abderitis à ranis profligatis agrum in Macedonia concessit. 275.c
cassita Gellij considerata. 161.b
cassus lumine. 306.f
castigatio. 417.b.12.e
castigatio ingenua. 534.f
castigatio salutifera. 556.e
castimonia. 394.d.547.c
castimonia è concupiscentia. 326.d
castimoniæ symbolum. 559.a
castitas. 204.d.507.a
castitas per apes. 244.d
castorea. 122.f
castorum capita pileata cur. 385.c
castra bellicúsque apparatus. 327.b
castra quomodo fabricata, & castrensia ornamenta, honoréque. 418.f.419
cataractæ. 373.a
catena. 474.e
cathedra. 422.e.f
cato grammaticus dictus Latina Siren. 193.b
catonis in lucronem dictum. 340.d
M. Catonis Prætoris nummus qualis. 332.e
catonis sententiæ in Romanorum luxum. 288.f
catonis scomma in Lentulum. 314.f
catuli locus. 5.c. 210.d. 251.a. 284.e. 307.c.431.d.433.c.534.b
catulina carne epulæ celebriores olim. 51.b
catulus leonis in Republica non alendus. 4.f
cattus. 125.b
cauarianus vicus. 12.c
caucaso alligatus Prometheus. 570.d
cauda. 321.b
cauda, leonini index animi. 5.c
caudex Comitis, quid. 140.e
cecinna Volaterranus cur hirundines secum in expeditionibus ferebat. 210.f
cecropis an euocata anima. 7.b
cecropis effigies biceps cur. 297.b
cedrus. 488.e
cedrus æternitatis est hieroglyphicum. 494.e
cedri consideratio. 494.e
cedro digna loqui qui dicantur. 494.e
ceionij Posthumij augurium de oblata testudine. 260.f
celebritas. 428.f.435.c.461.a
celeritas. 54.e.200.d.428.e
cenchrenæ, leones vocatæ. 9.c
cenei hasta prouerb. 410.d
censorinus quo tempore floruerit. 167.a
centauri forma duplex, quid. 40.e
centaurorum forma & significatio. 35.b
centenariæ cœnæ quæ. 81.b
centipeda piscis. 280.f
centum, & centenarius numerus. 354.d
centurio. 256.d
centurionis signum quomodo figurabatur apud veteres. 419.
cephalus-piscis. 278.f
cephali quomodo capiãtur Venetiis. 279.a
cephas nomen Diuo Petro conueniens. 296.e
cephion musa. 463.a
cephus auis. 216.d
ceramicus. 485.a
cerberus. 581.a
cerberi hieroglyphica. 47.b
cercopithecus cur cynocephalus. 53.a
cercopithei. 95.b
cercopitheci sibimet aliquando caudas abrodunt. 256.d
cerebrum & cor regitur à Sole. 312.e
cerebro læso homo interit. 588.e.f
ceres. 42.f.88.f.453.b.536.d.554.e
ceres vnde dicta. 64.d
ceres eadem & Venus. 42.f
ceres legifera. 27.b.197.c.208.e
ceres vectа draconibus. 149.c
ceres & Falcralis flamen. 390.e
cereri sacrificatur sus. 76.f
ceruary lupi septentrionalibus regionibus frequentes. 105.a
ceruus. 60.& seq.
ceruus acerrimi auditus est. 25.a
ceruus fistula pastorali demulcetur. 60.f
ceruus Indicas & Græcas voces intelligens. 61.c
ceruus post coitum solitarius in scrobibus delitescit. 64.e
ceruus torquem aheneum collo gestans ab Agathocle interfectus. 66.d
cerui ætas quatenus ex cornibus & dentibus noscatur. 65. e. pugna cum serpente. 61.b. ruminatio. 66.d. vinacitas 65.c.148.e
ceruum enecans Hercules, quid. 63.c
cerui in Dianæ tutela. 64.d. vnde dicti. ibid. a
cerui quomodo ab Sicilia in Calabriam transnatant. 64.d
cerui vocati fugitini. ibid.
ceruis Achaicis cornua decidua recidiuáque annis omnibus. 67.a.b
ceruini cornu suffitus ad abigendos serpentes remedium. 61.c
ceruix

Index Hieroglyphicorum.

Ceruix superbiæ symbolum. 303.b
ceruix audaciæ & ferocitatis symbolum. ibid.
ceruix summissionis. ibid.
cerulus auis. 233.c
cessatio. 422.f
cessitatio. 39.b
chabriæ Atheniensis dictum. 3.b.65.a
chalos amnis mansuetos fert pisces. 290.e
chamæleon. 257.b
chaos. 83.a
chares. 65.b
charitas. 202.f
chedar Arabibus, quid. 588.f
chelidonia herba. 210.f
chenosiris. 498.f
cheppa Venetorum piscis quis. 281.a
cherubin species quæ apud Ezechielem. 401.a
cherubin super sedere, quid. 422.e
chius à Darianis militibus cuerriculata. 445.c
chij Homeri imaginem numis impresserunt. 294.f.295.a
chimera. 88.d. descriptio. 13.c. symbolum. 137.c
chiron. 40. e. an Achillem instituerit. 62.e
chlamydes. 391.b
chœnix. 538.f
chœnices farinæ binæ Regibus Spartæ ad cœnam non euntibus mittebantur. ibid.
chærogrillus erinacius. 75.b
Christvs. 272.d. 430.f. 479.b. 533.a
christus homo Deus. 12.f
christi anima nequaquam apud inferos passa. 3.b
christi humilitas. 190.e
christi quinque vulnera per pentalpha. 464.f
christi sepulturæ symbolum ex sacra historia. 3.b
christi symbolum per pelicanum. 187.a.b
christi victoria. 484.f
christum gestare humeris, quid. 146.e
christianæ pietatis successus. 441.b
christophori veri quinam. 146.e
cibariæ donationes canistris offeruntur. 538.a.b
cibus antiquitus Athenienſibus ficus, Arcadibus glans, Caramanis palmæ, Indis calami, Mæotiis milium, Persis cardamum. 545.c
cibus pro doctrina. 491.b
cibus in sacris literis, quid. 364.f
ciborum varietate fatur. 81.b
cicada. 249.a.b
cicada ore caret. 249.b. per quamnam corporis partem emoduletur. ibid.
cicadæ cantus vnde. ibid.
cicadæ maximè indigenæ. 250.d
cicadæ fœminæ tacturnæ creduntur. ibid.
cicer. 548.e
cicer erucas ab oleribus arcet. 548.f
cicero. ibid.
ciceronis locus. 93.b. 192.e. 226.d. 219.e. 286.f. 339.b. 357.c
ciceronis & Virgilij lectione Tacitus Imp. offendebatur. 245.b
ciceronis falsum dictum in Metellum. 218.e
ciceronis somnium de Augusti imperio. 469.b
ciceroni obiectum quòd homo nouus. 250.e
ciconia. 157.& seq.
ciconia lingua caret. 160.e. mensis inferri vetita. 160. e. cur vigiliarum, custodiúnque vrbium signum. 159. b. qui se à noctuarum insidiis defendat. 159.a
ciconiæ perpetuum bellum cum serpentibus. 159.c
ciconiæ quomodo pullorum suorum incolumitati prospiciant. 560.e
ciconiam occidere multis gentibus capitale fuit, & cur. 159.c
cicuma. 158.f
cicurare leonem quid portendat. 4.e
cidaris. 388.d.398.f
cinædum cur vulpem vocarint Siculi. 121.b
cinaræ fructus. 555.a
cincius Manlius. 475.c
cinctus auis, cur alienis nidis oua sua ponat. 239.a
cinctus Latinis, quid. 320 f. 302 f
cingani vnde dicti. 239.a
cingulum Hieremiæ. 393.b
cinnamus auis. 237.a
circulus. 336.f
circulus obliquus. 584.d
circulus cœli, vocatus Iupiter à Persis. 387.a
circulus principium miraculorum. 379.a
circumactu corporis adorandum iubet Pythagoras. 377.a
circuncisio. 55. c. antiquissima apud Aegyptios. ibid. ab Abrahamo vt signum Hebræis data. 56.d
cissibia. 499.b
cithara. 458.e
citheronius Leo vocatus Hyllus. 2.e. ligneus currus. 424.e
citò confectum. 557.a.b
citrus. 588.d
ciuis oppressus à peregrino. 28.e
ciuium seruator. 498.e
ciuibus genuinum est inuicem sibi inuidere. 263 b
ciuilis. 287.c
ciuilibus seditionibus crescens. 273.c
ciuica corona quamobrem sit ex quercu facta. 496.e
ciuica corona donatis quæ & quanta tribui solita. 407.a
ciuitas. 586.f
cladis præsagium. 50.d
claritas. 431.b
claritas ex poëtarum scriptis. 485.a
clari viri. 282.d
claudiani locus. 142.c.216.e
claud. Cæsar in spectaculis exhiboit pantheras Africanas. 103.c
claudium Asellium quomodo eluserit Iubellius Taurea. 42.f
claudus cur fingatur Vulcanus. 173.c
clauis. 477.a
clauus. 475.b.c
clauum in Mineruæ templi postica parte quis fingebat. 475.c
cleanthis responsum. 113.a.b
clearchus. 183.a
clearchus Heracliensis fulmen gestauit. 428.d
clementia. 8.f.429 b.541.c
clementia Imperatorem præcipuè commendat. 19.a
clemens Agrippæ Postumi seruus cur in Hetruria latuerit. 300.d
clemens animus. 543.b
clementis recognitionum opus. 72.f.73.a. ex eodem locus recognitus. ibid.
cleobes. 31.b. matrem curru impositam ad Iunonis templum vexit. ibid.
cleomedis opinio de mundi figura. 24.e
cleomenes cum Scythis meri potationibus contendit. 515.c.516.d
cleo cur sic vocatus Larus Aristophani. 215.b
cleopatræ virilis animus. 302.e
clepsydrarum vsus vbi primùm. 54.e
clibanus. 318.d
clio. 463.b
clipei & culpei differentia. 413.b.c
cliti insolentia quæ. 428.d
clitor fluuius pisces progenerat vocales. 285.a
clotho. 470.f.471.b
clupea. 281.a. Lunæ naturam imitatur. ibid.
clypeum neutro genere. 413.c
clypeus aureus in D. Claudij honorem Romæ in curia affixus. 414.d
clypei Agamemnonis inscriptio. 3.b
clypei Græcorum Neptunum, Troianorum Mineruam pictos habebant. 413.b
clypei militibus ab Imperatoribus honori dabantur. 413. b. Diis dedicabantur. ibid.c
clypeos qui merebantur. 413.c
clypeis inscribebantur facta pulchra. 413.b
clupeæ lapis quartanæ medetur. 281.a
cnidum missa nauis à Periandro cur in alto mari remorata. 277.b
cochlea Romanas delicias auxit. 264.e
cocis vel cotionis exemplum. 48.e
coccygium. 181.f
coccyx. ibid.
coëi. 261.b
cœleste rerum omnium promptuarium. 324.e
cœlestes spiritus. 436.f
cœlestium bonorum affluentia. 577.a
cœlibaris hasta quæ. 409.c
cœlum. 378.f.318.d.407.c
cœlum cur cæruleum. 566.d
cœlum decimum. 413.b
cœlum nil nisi sanctum profert. 22.f
cœlum quo motu rotetur. 24.e
cœlum veteres pro capite. 293.c
cœlum fœcundum cur dixerit Hesiodus. 370.d
cœlum vnde dictum. 435.c
cœli tres regiones. 581.a
cœli alieni impatiens. 173.b
cœli fœcunditas. 323.a
cœli virilia Saturni falce recisa, quid. 287.a
cœlo alieno melior effectus. 525.c

Cæli aquei. 507.a
cogitatio. 78.d
cogitatio alta. 181.b
cogitatio vel sensus imaginationē creat. 136.f
cogitationes generat anima. 299.c
cogitationum procellis quomodo obuiam itur. 368.f
cohortes, carúmque insignia. 142.e
coitus incœpti indicium quod. 359.b
collegium nullū sine prænuncatore. 527.c
collyrides conspersæ. 513.b.c
coloës. 447.c
color niger Soli dedicatus. 218.e.f
coloris nigri signum quod. 202.d
coluber gaudet latebris. 135.a
coluber terræ filius & indigena. 145.a
colubrorum ingens vis in Sardium suburbanis locis quando visa. 145.a
columba. 201.c.& seq.
columba aëris symbolum. 203.b
columba argentea cui aurum in dorso, quid. 206.d.e
columba caret bile. 205.a
columba cur ab Assyriis colebatur. 203.b
columba fusca Prophetis, quid. 202.e
columba munda & simplex. 207.c
columba quieta. 204.f
columbæ ejus contra contagium. 205.b
colúbæ & vespertilionis discordia. 232.d
columbæ etymon. 202.e
columbæ felix auspicium fuere Æneæ & Iulio Cæsari. 204.f
columbæ natura actionesq; mystica explicata, & quomodo ad vsus transferendæ. 206.f
columbæ obsonium Regibus parabatur grassante peste. 205.b
columbæ oculos habere, quid. 206.f
columbæ cur parcant Syri. 203.c
columbarum alæ gypso illitæ summisque tectis affixæ, quid. 204.e.f
columnæ, ac earum symbola. 483.c
columnæ muliebres, virginales. 486.e
columnæ Traiano & Hadriano erectæ. 484.d
columnarum significatio in sacris. 486.d
in Columnis statuæ plerisque à Senatu decretæ. 484.d
columna hastilia. 85.a.87.b
colus. 470.e.f
colus & capilli in sacris, quid. 299.c
comessationes perniciosæ valetudini. 135.a
comethus Dianæ templum violauit. 537.b
cōpotatio amicitiæ causa instituta. 548.b
conditorium. 319.c
condonatio. 511.a
concentus cur odori comparatus. 364.f
concha Veneri dicata. 263.a
conchylium. 267.a
concordia. 459.c.541.b. per caduceum indicata. 145.b. per cordis symbolum. 314.c. per cornices indicata. 191.a. per mel & lac. 244.d. per pauonem. 221.a
concordia vnde dicta. 458.f
concordia rei familiaris. 227.b
concordia rerum. 114.d
concordiæ symbolum. 571.c
concordiæ discordiæq; effectus. 17.e
concupiscentia. 171.a
concupiscentiæ signum vmbilicus. 326.d
concupiscendi vis. 581.b
concupiscere quid. 320.d
congiarium. 422.d
congri & polypi certamen. 256.e
congruere vocis etymon. 163.c
coniugium. 344.d.474.f
coniugij commoda. 455.b
coniugij fidem non violant colúbæ. 202.d
coniugis mores ferendi. 272.f
coniugula myrtus cur dicta. 587.c
coniunctio maritalis. 409.c
conixa animalibus perniciosa. 559.c
conscientia igne examinata. 318.d
consensus. 333.a
consilium. 395.c
consilium per cordis symbolum. 316.e
consilia occulta. 567.b
consuetudo perniciosa. 238.e
consularis magistratus annuus. 396.d
consulatus primi hieroglyphicum. 353.c
consultatio. 422.d
consultorum bene stabilitas. 297.b
consummatio. 171.c
consummationis sacrificium. 311.a
constantia. 38.e.151.b
constantij Imper. pompa Romam ingrediens. 142.e
consternatio multitudinis. 87.a
contatio. 515.b
contemplatio. 310.f
contemptibilis. 519.c
contemptor diuum. 306.e
contentio laudis. 120.d
continentia. 138.e.323.c
continentia in quibus rebus consistat. 389.a
continentia exemplum in tauro. 22.d
continentiæ fructus. 502.d
contrarietas. 378.d.408.d
contumacia. 133.b
contumax. 233.a 311.a
contumeliosus. 227.c
conuersio hyemalis quæ. 259.a
conniciorum contemptor. 178.f
conuiuia lautiora piscibus olim erant opi parè instructu Romanis. 288.e
cor. 162.d.316.d
cor, animæ receptaculum. 316.f. voluntatis fons. 171.b. consilium, & rerum agendarum radicem continet. 316.e
cor Deūm sacris, quid. 316.e
cor habet & iecur omne animal quod sanguine præditum est. 316.e.f
cor hominis anniculi duarum est drachmarum. 196.d
cor in senium vergens imminuitur. 196.d.e
cor, per anularem digitum. 343.c. per anuli hieroglyphicum. 397.b.c
cor omnibus, qui sanguis. 198.e.f
cor quibus dicatur exedi. 196.e
cordis aperta simplicitas. 56.c
cordis cum sanguine commercium. 198.e
cordis figura cur bulla. 316.d.e
cordis significata. 316.d.& seq.
cordis symbolum. 316.d
cora Hetruriæ promontorium. 300.d
corax primus Rhetoricam docuit Syracusis post Hieronis obitum. 218.c
corbes fragmentorum duodecim doctrinam duodecim Apostolorum significant. 541.a
corculum. 316.e
cordatus. 310.d
corij vsus in militaribus tegumentis. 388.d
corinna molico carmine superauit Pindarum. 398.e
corinthiacæ ædes quibus Diis sacræ. 483.b
corinthiacæ columnæ. ibid. & 486.c
cornabulia. 564.d
cornabulia Liguribus quæ. 70.f
cornea pocula. 443.b
cornea porta. 574.d
cornelia Annia vxam se vltrò in arcam cum viro defuncto damnauit. 529.c
cornelius Museus Bitontinus præsul. 165.b
cornelius Tacitus mēdacij arguitur. 112.e
cornelij Castalij Feltrensis epigramma festiuissimum. 286.f
cornelij Nepotis sententia improbata. 160.e
cornicari. 191.b
cornix. 190.e. duo tantùm ova excludit. ibid.
cornix aliquot hominum ætates dicitur vinere. 192.d
cornix concordiæ symbolum. 191.a
cornicis & noctuæ confusus sanguis coire non potest. 190.d
cornicis sepulchro & columnę bonos habitus à Marrhe rege. 191.c
cornices ad Palladis arcem non aduolabant Athenis. 191.a.b
cornicum oculos effodientem puerū damnauerunt Areopagitæ. 192.f
cornicum oculos configere, prouerbium. 192.e
cornu copiæ. 586.e
cornua. 400.f
cornua antennarum. 33.a
cornua cerui. 67.a
cornua elephanti speciosa. 17.b
cornua fluminibus attributa cur. 26.d
cornua honoris & potentiæ signum. 67.a
cornua in libris quæ vocentur. 325.c
cornua multa in numismatis, multiplicis commoditatis indicia sunt. 542.e
cornua poculorū vsum præbuerūt. 543.b
cornuum differentia in bone mare & fœmina. 28.f
cornuti milites. 143.c.144.d.237.c
corona vnde dicta. 400.f.543.b
corona aurea quæ. 402.e
corona ciuica non temerè data. 497.a
corona vrbs. 191.b
coronæ Musarum ex pennis. 199.a
coronæ poëtarum ex quibus constabant. 499.c
coronæ Regiæ quot radiis constabant. 67.b.c
coronæ Regiæ forma. 400.f
coronis se ornarunt veteres conuiuia celebrantes. ibid.
corpus. 384.f
corpus animæ receptaculum. 540.e
corpus humanū quod perfectius à pictoribus

ßoribus & statuariis habeatur. 381.c
Corpus Lunare. 280.f. 575.b.c
corpus nullum sine næuo. 527.c
corpus vel immunditia. 354.e
corpus vas appellatum. 540.e
corporis forma. 587.b
corpora nullis odoribus delibuta auram suaueolentem emiserunt. 545.b
corpora per ætates & secula imminuuntur. 345.b.c
corpora nostra salicis hieroglyphico significata. 587.c
correctio. 384.e.157.c
corrugare frontem. 5.c
corruptor omnium. 152.e.f
corsicum mel parum suaue. 242.e
cortonacenses milites qui. 142.f
coruus. 217.a. animal inauspicatissimum. 218.f
coruus contumaciæ nota inustus. 168.f. 218.d
coruus cur Apollini sacer. 218.e.f
coruus emissus à Noe, quid. 218.d
coruus lapideus Diodori rhetoris sepulchro impositus à Metello. 218.e
coruus lauro sibi medetur. 205.b
coruus à Phœbo missus, vt aquam adferret. 217.c
coruus quo tēpore pullos excludat. 218.f
corui crocitatus frequentioris pluuiæ indicium. 219.a
corui lapillos in vasa fictilia coniicientis mira historia. 219.a
corui ouo nihil efficacius ad intingendum capillum. 218.f
corui quibus malum augurium fuerint. 217.c
corylus vitibus vicinitate sua nocet. 87.b
corythaliæ Dianæ quodnam sacrum fecerint Lacedæmonij. 48.d
cosmas Gerius. 283.a
cosmi Medicis laus. 15.c.22.d.292.d
coturnix. 228.e
coturnix Alcibiadis è sinu volans. 229.a. cur Herculi sacrificabatur. 229.b. simulac biberit, reliquam aquam turbat. 228.f. 229.a. cur impura habeatur. 228.f. cur maligna. ibid. b. cur veratrum appetat. 229.b. eius impietas aduersus Lunam. 228.f.a. cur ea vescebantur Aegyptij. 228.f. cur à mēsis summotæ à nonnullis medicis. 221.b
crabrones ex asini cerebro. 34.e
crapula. 9.c
crassus vxores tres absque luctu sepelinit. 272.f
craticula. 319.a
cratis Pergameni historia de aquila. 178.f
creatio. 565.c
creator mundi. ibid.
crepusculum. 418
crescendi vis à Luna est. 433.c
cretam per cupressum significari. 503.b
cribrum. 365.b.c
cribrum cur sub sepia ponant Aegyptij. 363.c
crimen. 322.d
crispi Passieni dictū de adulatione. 61.a
crocodilus. 267.d
crocodilus elinguis est. ibid.
crocodilus ibidis admota penna obtorpescit. 162.f. vbinā oua sua ponat. 268.f
crocodili adeps ad quid vtilis. 269.c
crocodili morsus incurabilis. ibid.
crocodili oculi quales. 288.f
crocodili ouum quale. 270.e
crocodili robur in cauda. 269.a
crocodili & scorpij genuinum odium. 150.e
crocodili tergus corticosum, durúmque. 268.f
crocodili visus in aquis hebes, in terris acerrimus. 268.f
crocodilo vbinam vescebantur. 270.d
crocodili mansuefacti. ibid.
crocodilorum hostes cur delphini. 254.f
crocuta. 102.f
cræsus Lampsacenis excidium interminatur. 505.a
cromyonia. 77.a.82.d
crotoniatæ bonæ valetudinis laude insignes. 138.d
crucis Dominicæ signum minimè fortuitum. 491.b
crudelitas. 414.e.f animaduersionis severitatisq; indicium. 415.c
crura femoraq; concidua. 45.a
cubica figura cur semper recta. 381.b
cubitus geometricus. 347.c
cubitus in mensura quis. 347.c
cubitus regius quis. ibid.
cubus. 383.c
curculus. 234.d. timidissimus. ibid.
cuculus boni auguri est auis. 235.a
cuculus in Iunonis sceptro. 234.f.235.a
cuculum cur parnæ aues fugiant. 234.e.f
cucumeres infanti febricitanti appositi vt cutem contingant, feruorem omnem in se recipiunt. 113.a
cucupha. 158.f.& seq.
cucurbita quid præsagiat. 554.d
culex. 245.a
culices ex cossis generantur. 246.c
culicum fœcunditia in Leones. 6.e
cultus canis. 51.b
cumis in antris responsa dari solita. 384.f
cuneus. 476.c.120.f
cuniculus. 120.f
cunila bubula. 70.f. 560.d. contra serpentes valet. ibid.e
cunilam & pulicariam herbam reformidat polypus. 258.e
cupiditas latè profusa. 384.e
cupiditates & affectus terræ filij. 568.f
cupressus arbor funesta. 503.a.c
cupressus à carie & vetustate immunis. 504.e
cupressus in tutela Ditis. 504.d
cupressus mortis indicium. ibid.
curæ variæ. 526.f
curatij iuniores. 14.b
curis. 409.b
curuca. 233.c
currus. 423.b
currus in sacris. 325.b
curru nuptiali quot, & qui vehebantur. 424.e
curulis sella. 423.b
curuunguia animalia non alenda. 4.f
custodia. 96.d.163.b.225.a.296.e.437.c
custodiæ symbolum. 492.e.f
custos. 305.c.140.e
cyamon 547.c
cybele. 505.b
cybele, quæ & tellus, cur mater hominum dicatur. 424.e. cur capite turrita. ibi.
cybeles currum cur trahant Leones. 13.a
cybeles symbolum pinus. 504.f
cybira. 203.c
cychrei templum in Salamine. 141.b
cyclopes monoculi cur. 308.d
cygnus. 211.b.& seq.
cygnus morti proximus dulcius canit. 347.a.b
cygni cur Phœbo sacri. 211.c
cygni dedicantur nautis. 213.c
cygni suauius canunt Fauonio flante. 213.a
cygni symbolo poëtæ nuncupantur. 211.c
cylabræ heroi Phaselitæ offerebant salsamenta. 284.d
cyllenius cur vocatus Mercurius. 347.c
cylonem cur trucidarint Athenienses. 6.e
cynica familia vnde. 44.e
cynici. 248.f. molesti & impudētes. 249.a
cynocephalus describitur. 53.a.& seq.
cynocephalus cur in fontium apicibus statuebatur. 54.d. Mercurio sacer. 54.f
cynocephalus pari consensu cum Luna adscitur. 53.b
cynocephalus pisce non vescitur. 55.c
cynocephalorum lacte viuebant Numidę. 53.a
cynoma. 52.d. 248.f
cynopolitarum Deus quis. 290.f
cyoniæ Deæ cur sacra fiebant. 51.c
cyparissa Celtarum regis filia. 504.d
cyparisso vnde nomen. ibid.
D. Cypriani laus. 203.a. locus. 203.a
cyprus Veneri sacra. 202.f
cyrenensium pietas in Saturnum. 52.d
cyrnij populi cur longæui: 242.e
cyrillus aduersum Iulianum Apostatam scripsit. 305.c
cyrilli locus emendatus. 378.f
cyrus à cane nutritus cur. 50.b
cyrus mulus est dictus. 113.c
cyrus & Ochus idem apud Tertullianum. 112.e
cyri somnium de solis contactu. 432.d
cythera. 459.b
cytherea vnde dicta. 459.b
cytheriacū pectinē cur dixit Naso. 404.f

D

Litera cur vsurpata pro quingentis. 261.c
Dædali nepos cur Athenis ab arce præceps datus. 228.d. Idem in perdicem mutatus, quid. ibid.
dædali statuis cur vincula iniecta. 473.a
dæmon malus. 180.d
dæmon præses nascentibus. 144.f
dæmones aquei lasciuiæ præfecti. 291.a
dæmones improbi. 290.e
dæmones leonina fronte vist. 13.c
dæmones per ranas. 276.d
dæmonum genera sex infra Lunarē globum. 384.c.f
dæmonum varia nomina. 384.f
dæmoniaca natura. 384.e
dactyli. 588.e
dagon Palæstinorum idolum collapsum. 335.a
damageti statua qualis. 381.c. 382.d
damiæ

Dæmiæ simulacrum cur ex olea. 512.e
damnatio. 408.f
damnum & vtilitas. 285.a
dan serpens à Moyse factus. 138.e
danaus cur ædem Apollini Lycio vouerit. 100.f.101.a
daniel Rauerius. 304.e.357.b
daphne puella à Spartanis nomine Pasiphaës culta. 492.e.f
daphne cur sic dicta. 492.e
dardanus in Samothraciam nauigauit. 410.e
dardano nupsit Pallantis filia. ibid.
dardanorum pecunia, & Dardaniæ nomen. 223.c
darij vagina ornatu Græcanico, quid. 416.f
darij palla quæ, qualisue. 199.b
dasypus an idē cum lepore. 124.e.120.f
dasypus & lepus vtrique hirtipes dicitur. 120.e
debiliora à validioribus absumūtur. 179.c
decempeda. 348.e.f. decempedator. ibid.
deceptio. 446.d
docemur quibus notis indicabatur. 357.a
decius cur aurea corona donatus. 402.e
declinator insaniæ. 16.f
decussatio. 96.e.f
dedauo. 413.a
deditiij qui. 386.f
defensio. 413.a
defensores milites qui. 143.c
dei triplex potestas. 581.a
delectatio. 137.a.520.d.e
delitiarum torrens Psalmographo quis. 372.f
deliciosus. 347.c
delicta immanda. 387.a
delicti pœna. 570.e
deliberatiuum genus orationis. 14.d
delyrij piaculum. 83.c
delio natatore indigere. 57.c
delphinus. 252.e
delphinus amoris simulacrum. 42. f. anchoræ circumuolutus, quid. 443.a. 254. f. cur Baccho adpingebatur. 253. a. à Cupidine alato frænatus. 254. f. futuræ tempestatis indicium. 253. b. omnium animalium velocissimus. 254. d. piscium rex. 177. b. veneratione prosecutus à veteribus. 253.a
delphini beneficio seruati Arion, Palæmon, Phalantus, Taras, Telemachus, & alij. 253.a.b
delphini imagine colebatur Neptunus Sunij. 253.b
delphinum pingit in syluis, prouerbium. 255.b
delphinum nare doces, prouerb. 254.d
delpgini cur crocodilorum hostes. 254. f. humani generis amatores. 196.a. quibus diis dicati. 253.b
delphis aquilæ duæ ex auro, quid. 182.f
delton vocata Aegyptus. 161.c
demadis dictum ad Philippū quod. 65.a
demetrij vana insolentia. 428.d
demetrij Triclinij opinio expensa. 171.b
democratia. 163.b
democritus quid per atomos indicare voluerit. 128. f. 129. a. quod consilium fratri datum. 68.f
democriti responsum ad longiorem vitam assequendam quale. 242.e
demolitio. 468.f
demonactis festiuum responsum de fumi minis. 456.f
demonstratiuum genus orationis. 14.d
demosthenes notatus. 27.c
demosthenes quænam obiecit Philocrati. 288. e.f
demosthenis enthymemata lucernam olebant. 451.c
demosthenis in noctuæ cultum exclamatio. 188.d.e
demosthenis locus. 188.f
dena. 356.f
denario numero finiuit omnia Romulus quæ instituit. 381.e
dentes in infantibus quando primò pullulant. 459.c
dentes suos aliquando excutiunt elephanti. 17.c
dentium diuisio ex Aristandri sententia. 314.e
deosculatio Hebræis, quid. 332.f
depontani senes qui appellati. 157.c
depopulatio. 70.f
derceto & Atargate 290.f
desidere. 423.a
designatio & scopus. 169.c
desolatio. 445.c
despicatus. 49.c
detrimentum per anserem. 225.c.
detrimentum per dentium symbolū. 314.f
deucalionis enatatio qualis. 164.d
deus Opt. Max. 430.d
deus à quibus circundetur. 368.d
deus in humano corpore. 72.e
deus per accipitrem indicatus. 193.c. per ciconiam. 160.e. per circulum. 377.a. per crocodili symbolū. 267.c. per oculi symbolum. 305.c. per septenarium numerum. 356. d. per spithamæ appellationem. 347.b
deus non delectatur nisi in albis vestibus. 389.b
deus pater. 302.b
dei aduentus. 284.c. cognitio cur paucissimis inuotuit. 269. b. dextera, quid. 338. f. sapientia. 481. a. vis. 334.e
de Deo cognitionem ex operibus perpendimus. 269.b
à Deo & sacris alienus. 109.b
de Deo disputare non est omnium. 322.e. disputandum sobriè. 331.c
deorum capita. 555. b. coronæ ex variis herbis ac plantis. 400.d. cultum instituit Mercurius. 313. a. rotæ cur octo radiis compactæ. 380. d. simulachra cur ex cupresso fieri solita. 504.e
dextera manus in sacris, quid. 333.b
dexteræ manus symbola. 303.a.b
dexteræ & sinistræ mundi partes, quæ. 24. e
diabolus. 89.c
diadema. 397.c.398.d
diadumeno ambulanti in agro pileum abstulit aquila. 176.d
diagoræ Rhodij statua. 382.d
dialectica. 336.d.367.b.368.f.539.a
dialectica Lunæ æquiparata à Clitomacho. 434.e
dialectica per aranearn. 251.b
dialectica qui indicata. 245.c
dialectica quæ nihil ad res facit inanis est. 543.c
dialecticæ sectatores quibusnam similes dixit Ariston. 261.c
dialecticam polypi similem cur dixerit Carneades. 256.d
diana. 30.e.433.c
diana Lucina per mulum. 279.c
diana regina cœlestium proportionum & intelligentiarum. 572.f
diana strangulata. 472.d
diana ταυροπόλος & παυρὼ. 30.f
diana vel Hecate triceps. 48.d
dianæ ædes sacræ quæ. 483.b
dianæ ædem quomodo construendam putarint veteres. 486.d
dianæ ædem sacrauit in Auentino Seruius Tullus. 64.d
dianæ Corythaliæ quod sacrum fecerint Lacedæmonij. 90.d
dianæ simulacrum alatum. 11.b
dianæ simulacrum apud Lacedæmonios. 357.d. mammosum. 230.e
dianæ Soluizoniæ templum. 393.a
dianæ Triclariæ sacrum. 537.b
dianæ vel Hecates simulacrum. 299. f. quis primus triceps excogitauerit. ibi.
dianæ votum factum ab Athenienſibus, & quod. 90.d
dianam gaudere telis & capreis ac fugacibus ceruis, quid. 65.b.c
diaulus. 349.b.
dicacitas. 238.d
dicacitatis castigatio. 249.c
dictatori cur nefas equitare. 42.d
dictyma, Pallas vocatur Nicandro. 494.f
dido. 579.b
didrachma. 174.d.e
dies atri festiq. 123.a
dies per pauonis symbolum. 220.f
diespiter. 455.c
difficultas. 42.f
difficilis atque morosus. 286.d
digitus. 340.e.345.c.351.a.b.c
digitus anularis. 343.c. cur odoribus illinebatur ab Aegyptiis. ibid.
digitus auricularis. 344.e.f
digitus Dei. 340.f
digitus medius. 343.b
digitus mēsurarum omniū minima. 345.b
digito vno caput scalpere. 341.a
digiti & numeri. 351.b.& seq. ibid.
digitorum diuisio. 67.b
dignitas sacrosancta. 410.d
dij. 338.d.e
dij laneos habent pedes, prouerb. 472.f
dij lares. 45.c
dij manes. 296.f
dij marini cur cæteris fœcundiores à poëtis ponantur. 287.b.c
dij omnes. 482. c
dij Penates. 410. e. f. 540.d
dij præsides homini nascenti quatuor. 199. b
dij secundum Lacedæmonios quomodo inuocandi. 328.e.f
dij Tutelares. 411.a
diis templa rotunda cur dedicarint veteres. 482.f
diluuium. 373. c. dimensio. 345.b
dingua. 312.d
diocletiano datum oraculum quod. 2.f
diocletiani milites Iouiniani vocati. 183.b
diodorus rhetor quo honore iā defunctus à Metello discipulo affectus sit. 218.e
diodorus Siculus in hieroglyphicis indagandis non incuriosus fuit. 295.c
diogenes cur barbam se gestare dixerit. 231 f. cur vocatus canis. 49.b. cur carpebat Musicos. 458.d
diogenes quid respōderit Alexandro mittenti ostium plenam sportulam. 49.b
diogenis anceps interrogatio. 40.e
diogenis Cynici dictum. 562.d
diogenis dictum de adulatore & obtrectatore. 61.b
diogenis dictum in adolescentem luxu deliciisq; corruptum. 498.e. Aliud eiusdem de puero impudico. ibid.
diogenis dictum apud Xeniadem seruiens. 1.b.e
diogenis iocus in athletas. 76.f
diogenis opinio de sapore. 314.d
diogenis falsum dictum. 12.d. quid ei obiectum ab Aristippo. 42.d. quid ei respōderit Antisthenes. 246.e
diomedes cur templum exstruxit Hippolyto. 392.e
diomedis filiæ. 40.d
dionysius. 575.c
dionysius Aegyptiis Osiris dicitur. 498.f
dionysius cur ad mare fugisse fingitur. 253.a
dionysij Halicarnassei locus. 170.e.f. dionysium cur taurina specie figurabant antiqui. 23.a
diophanes. 242.e
diophanes Lacedæmonius. 86.d.e
dioscorides Astrologus. 194.f
dioscoridis versio castigatur. 557.a
dipsas. 152.f.& seq.
dipsadem quid vocarit Apollonius poëta. 153.c
discessio subita. 258.e
discinctus. 320.f.392.f
discincti milites. 409.c
disciplina bona. 458.e
disciplina tota aquis comparata. 370.d
disciplina vera. 146.e
disciplinæ diuinæ. 230.f.231.a.366.e
disciplinæ exoticæ. 243.a
disciplinæ humanæ. 366.d
disciplinæ per Mercurium. 312.f
disciplinarum ordinem primus excogitauit Salomon. 368.d.e
discipulorum pedes loti in cœna Domini, quid. 338.d.e
discordia. 94.f.453.b
discordia militaris. 217.c
discordiis ciuium locupletatus. 273.c
disserta proles. 31.c
dissimulator ingenij. 103.b
dissimulator turpitudinis. 126.f
dissolutio. 476.d
distinctio. 78.d
dithyrambum vincens bouem assequebatur. 31.b
diuis pectora adamantina cur. 402.f
diti & Saturno sacrificarunt decumatos homines Pelasgi. 449.b
dies auarus. 337.b
diuitum variæ auocationes. 116.f
diuina maiestas. 423.a
diuina prouidentia. 171.b
diuina in occulto. 57.a
diuinorum ab humanis separatio. 286.d
diuinitas per capitis symbolum. 293.b.c
diuinitatis indicium cur triangulum æquilaterum. 383.c
diuitenses, Gallicana legio. 200.d
diuitiæ an sapientia prius optanda. 363.c
diuitiæ elatum faciunt. 220.e
diuitiæ fortunæ appellatæ. 542.e
diuitiæ vicissitudinariæ. 220.e.f
diuitiarum flagellator. 221.c
diuitiarum turpitudo. 220.e
diuitias per spinas intelligi in Sacris literis. 530.f.531.a
diuus. 421.c. diuturnitas. 497.c
D. M. literæ, quid. 296.e.f
dochme. 347.a
docilitas. 311.c
docilitatis & obsequij memorabile exemplum in cane. 49.a.b
doctor virtutis. 91.c
doctoris munus. 223.b
doctores & prophetæ. ibid. & 450.d
doctrina. 422.e
doctrina cœlestis. 369.c
doctrinæ firmitas. 551.b
doctrina imperiō ve præstantes. 294.f
dodonæum oraculum. 449.b. quomodo interpretatus sit Hercules. ibid.
doli fallaciaque. 150.e
doli occulti. 474.d
doliches. 349.b
doliola sacellum Romæ. 539.c
dolia duo, quid indicabant. 270.d
dolium quid in Platonis Gorgia. 539.c. & dolium perforatum, quid. 540.d
domestica animalia duo nunquam mansuescētia sunt, hirūdo & musca. 248.e
dominator. 4.f
dominium. 141.b.293.c
dominium æquum. 309.c
dominicus Michaël Venetus. 27.b
domitia Augusta quæ. 221.b
domitianus muscas perfodiebat. 17.b
domitianus cur Medusæ caput pro pectore gestare solitus. 296.d
domitiani instabilitas in Domitiam vxorem. 221.a
domitiani nocturna visio de aureo gibbo, quid. 206.e
domitiani mors per Solis signa cognita. 161.c
domitiani sigillum. 154.e
domus regia cur in medio imperij totius sita debeat esse. 139.b
dores vertunt y in δ. 150.d
doricæ ædes quibus Diis sacræ. 483.b
doricæ columnæ. 489.b.486.d
dorsum. 303.c
drachma. 173.c.174.d
drachma argenti. 12.d
drachmæ duæ sue cor. 173.c
draco ab Aesculapio educatus. 147. b.c. conspectus, felix prodigium. 141.b.c. cur Palladi dicatus. 140.f
draco Hesperidum, hortorúmque custos. 129.a.b
draco quinque ingerū magnitudine. 149.c
draco Tauri pater. 31.b
draconis etymon. 138.c.140.f
draconis multa δηκτικὰ. 27.d
draconi visus acutissimus. 188.d
dracones inter serpentes qui. 140.d
draconum inuolucrum in caduceo. 144.f
draconibus vecta Ceres, quid. 150.d
draconarij. 142.e
Dromoclidis auara improbitas. 293.a
drusi à continentia commendatio. 22.f
dualis numerus cur immunditiam significet. 354.e
ducenta. ibid.
dulcedinis symbolum. 518.f
dulcium appetitus. 241.c
duo. 354.d
duo millia. 363.b
durandum. 466.f
duritas & firmitas ossium leonis. 5.c
durities emollita. 510.e
dyris. 447.c

E

E Litera. 462.e
Ebrietatis remedium. 235.c
Ebrietas quomodo vitanda. 535.a
ebrietates detestandæ. 135.a
ebriositas in panthera. 103.c.d
ebriositatis remedium. 562.e
ecclesiæ vnitatis symbolum. 527.c
echeneis vnde dicta. 276.e
echidna Hesiodo, quid. 14.d
echidna cur dicta Nympha. 129.a.b
echinus marinus. 266.e
echinus terrestris. 74.f.75.a.b
echini etymon. 266.e
echini terrestris duo genera. 75.d
echinus vnum nouit magnum. 74.f
edomitum à virtute vitium. 155.a
educatio vniuscuiusque vitam instituit. 157.b
effœminatio. 118.f
effœtus. 361.a
electores Imperij quādo cōstituti. 167.b.c
elementorum concordia. 230.f
eleemosyna. 511.c
elephanitasis curatio. 588.d
elephantus fugit inspecto capro. 16.f
elephas murem capiens, quid. 17.b
elephas solus diutius homine vixit, ac animal aliud nullum. 190.c
elephantis dotes. 14.f.& seq.
elephantis studium Romæ ad vmbram Lunæ. 18.e
elephāti campestres aliis dociliores, montani praui & insidiosi, palustres dementiores & leues. 18.d
elephanti cur turbidam aquam bibant. 17.b
elephanti Luna nona flumine se purificat: sermonem patrium intelligunt. 18.e
elephanti cum serpentibus certamen assiduum. 15.b.c
elephanti partus longissimus. 17.c
elephanto cor duplex inest, secundum Mauros. 19.b
elephantū nulla belluarū prudentior. 19.c
elephanti mirabilis historia. 18.d
elephantorum genera tria. 18.e
elephantum natu maximus gregem ducit. 15.b

Elephantum cur Lucam bouem vocarit. 17. c
elens ager equorum generositati conse-
cratus. 114.e
elicius Iupiter vnde. 428.e
eliſæus pueros paruulos ei illudentes de-
uouit. 107.a
eliſci viſio quæ. 36.e
elienſes mulieres cùm Baccho preces fun-
derent, quid petebant. 23.a
eloquentia. 567.c.586.f
eloquentia grata per apes. 241.a
eloquentia per caduceum expreſſa. 146.d.
e. per manum dilatam. 336.d. *per pſit-*
tacum. 214.e
eloquentiæ neceſſaria calliditas & pru-
dentia. 146.d
eloquentiæ ſymbolum per Sirenas. 193.b
eloquentiæ vis. 312.d.429.a
per Herculem expreſſa. 312.e
elops piſcis. 278.d
elorus cicures piſces producebat. 288.e
elpenoris tumulus. 491.b
eluſus ſuis artibus. 238.f
elutio. 556.f
emanſor per eorum. 217.c
emerepes Phrynidi muſico cur duas chor-
das è lyra bipenni exciderit. 460.e
empedoclis carmen de ſeipſo. 172.e
empedoclis de anima ſententia. 492.d
empedoclis opinio de corde expenditur.
196.d. *de mundi partibus dexteris aut*
ſiniſtris. 24.d
emunctæ naris quis dicatur. 310.e
emaniare. 287.c
encobomata. 391.b
encyclopædia. 231.a
endymion. 572.e
eneph Aegyptiorum deus. 565.c
enhippi ſcutum. 411.b
ennenſium nemus. 325.b
epaminondas. 141.a
epaminondam cur ſocium muneris coopta-
uit Pelopidas. 298.d
epandytis. 388.e
ephemerus. 248.f
epigramma ab oraculo in Nicocreontis
regis gratiam enunciatum. 294.d
epigrammatum locus. 514.f
ephod. 403.b
epidaurus. 580.a
epies Aegyptius. 132.e
epimetheus. 369.b
epopæus Palladi templum erexit. 511.b
equæ vento grauidæ. 40.e.f
equarum ſilueſtrium copia in Syria. 40.f
E Q. victoria. 37.c
equitare habetur magnificum. 42.d
equus cur leone ad bellum aptior. 34.d
equus cur profanus Aegyptiis. 41.c
equus fluuialis. 270.f
equus Marti immolabatur. 43.b
equus multifariam in nummis diuerſis con-
ſpicitur. 37.b
equus Platonis. 39.b
equus Soli & ventis mactatus à Lace-
dæmoniis. 43.b
equus viuus dicatus Ioui, à Salentinis in
ignem conjectus. 43.c
equi apud Sardos colubros quo tempore
deuorarunt. 145.a
equi charactere inuſta frons Atheníen-
ſium captiuorum apud Siracuſas. 37.c
equi & equitatus Domini, quid Abaibo
vocati. 36.e
equi fabreſacti à Dionyſio Argiuo qua-
les. 41.a
equi fluuiales impictate notati. 134.d
equi ſacri quibus Diis. 43.a.b
equi ſignificatio in Diuinis literis. 36.e.
38.e
equi ſoluti & paſcentes, quid. 37.a
equi Theſſalici. 30.f
equorum affectus in dominos. 36.f
equorum zelotypia. 40.f
equis albis quo tempore vehuntur Romæ
præſules. 42.d
equis cur cõparãtur Diomedis filiæ. 40.d
equis & velis, prouerb. 34.f
equis quando cæperint Romani eſſe ſupe-
riores. 32.d
equinis à pedibus ſede procul, prouerb.
38.e
Eraſmus Roter. fallitur. 358.f.& 360.a
eraſmi Roterodami laus. 22.e
eraſmi Roter. mordacitas de eſu piſcium.
289.a.b
ercynæ ſimulacra. 150.d
eremita. 111.b
eremitæ per deſerta Thebaidos & mon-
tem Sinam. 545.b
ectrienſes à Xerxis militibus euerricula-
tione abducti. 445.c
erichtonius cur inuidiam indicat. 155.a
erinacius. 75.b.c
erotes malo nauis affixus. 228.c
erucæ ab oleribus quomodo arceantur.
548.f
eruditus impurus. 179.c
eruditus quis verè cenſendus. 426.f
erycinæ Veneris templum. 452.f
erithacus. 239.a
eſaiam ſuſtulit Manaſſes. 299.b
eſth Hebræis quid. 171.a
eth Aegyptiis quid. 196.f
ethicæ philoſophia. 368.f
euboici opiſthocomæ. 300.e
euchemus Arcas. 2.c
euentus inexpectati. 114.f
euerriculatio quomodo fiebat. 445.c
euiratio. 322.f
eumolpus Athenienſes profligauit. 145.a
eunomi citharœdi ſtatua. 250.e
euphranor. 484.e
europa. 576.e. *à Ioue rapta.* ibid.f
euphraeis ſymbolum & etymon. 197.c
euryſthenis muſa. 463.b
euterpe. 463.b
euthymonis ſententia de Nili exundatio-
ne. 447.c
examinatus minima de cauſa. 281.c
exanguis de nequitia redditus. 236.f
excæcare oculos populi quid. 238.f
excandeſcentiæ cauſa. 35.b
excellens. 494.f
exceſſus. 358.e
excubiæ. 223.b
excubias diſponunt grues. 163.b
exultatores. 144.e
exhæredator filiorum corvus. 217.a
exoſculationes cur apud Romanos ſanci-
tæ. 203.a
exeſſare catulos ſuos leo cur pingatur. 5.e
expectationem fruſtratus. 215.b
expergefactio 553.b
expiatio peccatorum. 587.b
explicationis ſacrificium. 311.a
exploratio. 405.a.417.b
externæ aues ex Hiſpania miſſæ in Ita-
liam. 228.d
extincta libido. 324.e
exundare. 184.d
ezdino portentum oblatum à pica. 215.a

F

Fœminum vt in antiquorum monu-
mentis intelligatur. 492.f
Faba Aegyptiis inſtar numinis. 547.a
faba funeſta habita. 547.b
fabæ eſus prodigioſa ſomnia parit. 258.d
fabæ in iudiciis cur olim eſitatæ. 547.c.à
fabis abſtinendum. 547.c.548.d
fabis ſuffragia ferri. 549.a
fabariæ calendæ. 548.d
fabius Calaus Rauennas. 323.a
fabius Maximus cur Ouiculæ cognomen-
tum adeptus. 91.b
fabij contatoris virtutes. 42.e
fabio Max. primum conceſſus equus. 42.d.
Q. Fabius Eburnus Iouis pullus. 226.f
fabius Virgil. Spoletinus. 37.a.76.d
fabio Valenti augurium ab aquila obla-
tum. 170.f. *Vitellio contra Othonem.*
ibidem.
fabella de leone, vrſo, & cane. 8.e
faber lignarius. 280.f
fabricæ præfecti, quinam milites. 143.a.b
fabrilia inſtrumenta in ſquatinæ capite.
280.f
fabula oraculi Iouis Ammonis. 4.d
faceliæ dea. 290.e
faces. 452.d. *Cupidini dicatæ.* ibid.e
facienda neſciri tutiſſimum in expeditio-
nibus. 32.d
falconarij milites. 144.d
falſum cur ex ſpeculo ſignificatum. 405.a
falx. 417.a. *Saturno cur tributa.* 536.f
fama. 35.b.c.408.f
fama longè lateq; propagata. 427.b
fames. 49.c. 264.d *famis vocabulum.* ibi.
fama moriens ſignificatur per aquilam.
180.d
familia prodiga. 112.d
familiæ amplitudo. 310.f
familiaris rei accumulator. 255.c
familiaris rei concordia. 227.e
familiarum imagines & picturæ quando
inuentæ. 139.a.183.a
farina Hebræis quid. 364.e.f
farre victitauit pop. Rom. diu. 26.e
faſcia ad diadema pertinet. 398.d.423.a
faſcia candida Regum inſigne. 398.d
faſcia molem Æliam Romæ ambiens
qualis. 29.a
fatum. 394.d. 436.e.f. 437.a. 465.b.
470.e.f. *vnde dictum.* 365.b.c
fati definitio ex Chryſippo. 437.a.b
fati poteſtas. 429.c
fatuitas. 519.c
fatuitatis ſymbolum. 554.d
fatuus & inſulſus. 561.c
fatuus per cepphum. 216.d
faunus. 563.a.
faunus anguis. 126.d

faunus

Faunus & Picus quo pacto in rete im-
plicati à Numa Pompilio. 428.d
fauor. 260.c. *eius contrarium.* 573.a
fauoris ſignum oculus. 306.e
fauſtina viſa ſibi in ſomnis ſerpentes pa-
rere, quid indicarit. 149.c
fauſtinæ cur aquila virorum more in con-
ſecratione data. 221.b
D. Fauſtinæ Piæ ſimulachrum. 421.c
fauum & mel in ſacris, quid. 243.c
febris lethalis à Sole. 74.d
febris medela. 59.a
febris quid, & vnde dicta. 6.d
febris ſæpe capras moleſtat. 88.f
febre torquentur leones. 6.d
fel à Marte regitur. 95.a
felis. 581.e
felicitas. 93.a.145.c. 321.c.441.b. 511.
a.516.e.f
felicitas animorum futura. 206.d
felicitas vnde oriatur. 543.a
felices ſeniores milites. 127.a
felis an idem animal cum æluro. 125.b
feles cur Lunæ comparati. 468.d
femoralia. 394.d
fera peculiariter dictus Leo. 5.c
feracitas. 164.f. 517.c. *hieroglyphicum*
eiuſdem. 518.f
feracitatis præcognitio. 23.b
Ferdinandi II. Neapolitani regis numiſ.
311.
feritas. 498.d
fermentum. 501.b.c
ferocia belli fracta. 408.d
ferocia emollita. 104.e
ferocitas. 95.a. *euitanda.* 32.f. *in timidi-*
tatem verſa. 66.f
ferocitas per cæruicem. 303.b
ferocitate poſita aſſumpta manſuetudo.
12.e
ferox à manſueto ſuperatus. 236.d
ferre in oculis. 309.a
ferula cur Baccho dicata. 534.f
feſcenina locutio. 392.d
feſtinantia. 281.b
feſti opinio de mundi partibus. 24.e
feſti Põpeij loc⁹ emaculatus. 289.c.339.c
fiber, & eius etymon. 122.e
fibri cur in venatione ſibi teſtes auellant.
ibid.f
fibri partes poſteriores cur piſcium loco à
multis habitæ. 123.a
fibulare. 394.c.f
ficulnus pro imbecillo & contemnendo.
519.c
ficus alimoniæ ſymbolum. 521.a
ficus Carthaginis & Romani Imperij rui-
næ cauſæ. 520.f
ficus dulcedinis hieroglyphicum. 518.f
ficus & oliua quam latè ſint ab alieno
ſolo plantandæ. 348.f
ficus quandoque ominoſa. 519.b
fici materia fabricis minimè idonea. 519.
c. *ſub ficu requieſcere, quid.* 519.a
fides. 46.f. 396.f
fides cana cur Maroni. 333.b.c
fides lubrica. 391.b.c
fides per manum dexteram. 333.b.c
fides vel hoſti ſeruanda. 333.c.334.d
fidei creditum. 391.c
fidem bonos ſuſtinet. 573.b
fidē in manib. cur colebãt Arabes. 333.b
fidelitatis rara quædã exẽpla in cane. 46.f
fidelium ſimplicitas per aſellum exprimi-
tur. 109.b
filius per vulpanſerem indicatus. 187.c
filij alieni pro ſuis educati. 234.d
filij conſpirantes in matrem. 134.d
filij in patrẽ iuſtæ vindictæ hiſtoria. 124.c
filix cur Pteris vocetur à Græcis. 556.d
filix ſerpentes fugat. ibid.
filix Struthiocamedi pennis aſſimilata. ibi.
filicis & arundinis inter ſe inimicitiæ.
556.d
finis in diuinis literis quid. 326.f
finis. 382.f
finis per pedem indicatus. 318.d. *per vm-*
bilicum. 325.b
firmitas. 472.d.e.486.d
firmitas amoris. 258.f
firmus Aegypti tyrannus adipe crocodili
cur ſe perunxerit. 269.b
fiſſa vngula. 78.e
fiſtula. 460.f
flagellum. 331.c.469.a.b
flamen aſſiduus Ioui inſtitutus à Numa
Pompilio. 421.b
flamines vnde dicti. 386.f
flaminio Conſuli oſtentum quodnam acci-
derit Aretij. 42.e
flaminicis ſacerdotibus quales fiebant cal-
cei. 546.f
flamma proſperi euentus ſignum. 451.b
flammeum. 389.b
flammeo cooperta noua nupta ducebatur
ad maritum. 389.a
flammis vermis quis Apuleio. 151.c
flectere genua, quid. 15.b
flos futuri boni prænuntius. 501.c
flos iuuentutis hieroglyphicum. ibid.
flos regius. 533.c
florentia ſemper leones aluit. 14.f
florentiæ ſitus amœnus. 533.b
florẽtini ſcriptoris de re ruſtica laus. 88.f
florius Mareſius. 43.c
florum ſignificatio. 32.e
florus auis. 236.d
fluctuare. 373.c
fluctus exundantes in ſacris quid ſignifi-
cent. 373.c.374.d
flumen & flumina. 372.d.e
flumina cum ſole cur dicantur genus hu-
manum enutrire. 431.c
fluminibus cæſarie offerebãt Græci. 508.f
fluuialis equus cur diſſidij ſymbolũ. 285.b
fluuij. 25.c.507.e
fluuij cornigeri cur appellati. 25.c
fluuiorum fontiumq; ſimulachra cum vr-
nis figurantur. 447.b
fœcunditas. 93.c.119.c.222.d.550.c
fœcunditas vera. 543.c
fœdus. 333.a
fœderum firmitas. 478.e
fœmina boum grauiorem mare vocem ha-
bet. 25.a
fœminę & pauonis naturæ cõſẽſus. 221.b
fœmina vocabulũ in ſacrificiis quid. 322.
e. *quid eam deceat.* 26.b
fœminę loquaciores turtures vocatę Theo
crito. 208.d
fœminę maribus morigeræ quo elogio bo-
neſtabantur. 196.d
fœminarum conſecratio. 221.b
fœminarum interitus. 301.a
fœminis Romanis capitale erat vinum gu-
ſtare. 203.a
fœni manipulos pro vexillis habuit Ro-
mulus. 391.e
fœnum habẽs in cornu. 31.a
folia quid in Diuinis literis ſignificent.
520.f
fontes. 371.c
fontes & aquæductus cur leoninis figu-
ris ornati. 8.e
forma. 376.d
formica. 68.f.& ſeq.
formica Soli cur immoletur in Iſthmo.
68.f
formicæ & veſpertilionis diſcordia. 232.e
formicæ Neroni mortis appropinquantis
præſagium attulere. 70.d. *Tiberio fe-*
rales fuerunt. ibid.
formicæ quomodo fugentur. 560.e
formicarum eſu, morbi opem ſibi compa-
rat vrſa. 71.b
formicas candicantes habet Paphnus in-
ſula. 70.e
in formicas qui poſt obitũ abeãt. 69.a.b.c
formicaria bona. 69.c
formidator inanium. 99.a
formido. 62.f
formido ſublata. 63.c
formidoloſus & imbellis. 322.d
formidoloſiora ſunt animalia, quæ frigi-
diora. 63.b
fortis. 116.e
fortis ſignificatio. 34.e
fortitudo. 402.e.497.b
fortitudo per Tigrim amnem. 197.c
fortitudinis ſimulachrum. 2.f
fortuna. 444.f. 378.f. *huius ſimulachrum.*
379.a
fortuna ſecunda. 581.c
fortuna amatoria. 543.a
fortuna Redux. 445.a
fortunæ aduerſæ domitor. 102.e
fortunæ idolum Ægiræ. 543.a
fortunæ ſimulachrum. 37.c
fortunæ ſpecioſæ inconſtantia. 67.a
fortunæ ab exili in altum euectus. 231.b
fortunarum contemptus. 260.d
foſſa. 374.d
frænata ferocitas. 36.d
frænum. 969.b
frænum Corinthi inuentum à Pallade. 36.
e. *Lapitharum inuentum.* 35.b
frænum per ancboram indicatum. 444.d
fragilitas humana. 396.f
fragilitatis indicium arundo. 549.b
framea. 415.a
franciſcus Bandinus. 86.f
franciſci Robortelli laus. 340.d
fridericus II. elephantos in Italiam ex
Idumea tranſuexit. 19.b
frigidi facultas & vis. 426.d
fringilla. 237.c
frontem glabram imaginari per ſomnium
quid. 300.e
frontes cur abradendas iuſſerint Lacedæ-
monij. ibid.
fructus ex laboribus. 28.f
fructus per ouem exprimitur. 93.c
frugalitas. 514.d.e

frugali

Index Hieroglyphicorum.

Frugalitatis varia exempla. 544.e.f
frugem lætam prænuntiauit. 27.a
frugum lætarum opulentia. 27.a.538.d
frugum opulentia. 538.d
fuca piscis. 280.e
facus à fare differt. 246.d
fuga. 49.c
fuga popularis. 243.b
fuga per dorsi symbolum. 303.c
fugacitas. 62.e
fugacitas. 273.c
fulgenti locus. 466.f.467.a
fulgura in sacris literis, quid. 425.a
fullonis officium quod. 337.b
fulmen. 427.a.b
fulmen, Iouis supremi gestamen. 427.b
fulmen lauri folia non icit. 492.f
fulminis natura. 427.a
fulmine nil celerius. 428.e
fulminum eliciendorum rationem inuenit Numa Pompilius. 428.d
fulminum significationes & naturam descripsit Pierius. 428.f
fumus. 456.e
fundamentum. 335.b
T. Fundilius Gemilius cur inter cætera oleum legauerit. 313.b
fungi hieroglyphicum. 523.c
fungum vna nocte nasci prouerb. ibid.
funes primum ex corio. 469.c
funibus metiebãtur terrã Aegyptij. 369.c
funiculi mensura. 350.d
fumus. 170.f.505.c.547.b
fuscitas. 330.d
fur & fallax. 571.a
fures & fuci qui. 246.d
furiis agitãdi quẽ dicãt Astronomi. 29.f
furor familiaris leoni. 5.c
furor implacabilis. 133.a. *indomitus.* 5.a
furor per crocodilum. 269.c
furor poëticus. 500.e
fusus. 470.f
futuri seculi beatitudo. 241.e
futurum opus, vel quid agendum. 177.a
fy. 79.b

G

Gabriel. 425.c.426.d
Gabrielis vox & vis in Deo, quid. 331.a
Gæon amnis. 197.b.321.a
galba quid instituerit Nerone mortuo. 416.e
galbæ quale occupandi imperij præsagium ostensum sit. 301.c
galea. 417.c
galeni & Aristotelis diuersa sententia de testibus. 321.e
gallienus ambitiosus & impurus. 65.c
gallieni Imp. carmen. 202.f
gallina. 221.c.222.d.& seq.
gallina auri venenũ. 221.c. *cur Aesculapio dicata.* 221.c. *quid Theologis.* ibid.
gallinæ per quietem visæ, quid. 222.d
gallinæ quomodo à fele tutæ. 222.d.e
gallinago. 225.a
galloni gula notata. 160.d
gallus vigilantiæ signum. 570.f
gallus gallinaceus. 222.e. *Apollini dicatus.* 223.a. *Lunæ dicatus.* ibid. *cur in parricidæ culeum insuebatur.* 54.d. 224.e.f. *cur maximè animal solage.* 7 a. *cur Mercurio dicatus.* 223.b
gallus insidẽs Tiberij humero, quid. 222.f
gallum nutrire quid Pythagoræ. 222.f. *immolabant Lacedæmonij parta victoria.* 224.c. *quando sacrificabant Spartiatæ.* 32.f. *cur perhorresciat leo.* 9.b. *pro vinearum incolumitate mactabant Methonenses.* 224.f
gallum se debere Aesculapio cur dixerit Socrates. 223.a
gallo insignitus clypeus Idomenei. 223.b. *in Gallo mira vis.* 224.f
gallinaceus pullus exclusus in manu Liuiæ, quid. 222.f
gallinacei, pugnacissimi in Rhodo insula. 224.d
galli alluo incitantur ad pugnam. 223.c. *in Perside primùm orti.* 223.c
gallorum exemplo pugnantes confirmauit Themistocles. 223.c.224.d
gallorum spectaculum quot annis Pergami solitum edi. 224.f. *Athenis etiam à Themistocle institutum.* ibid.
galli populi quas artes studiosius exercuerint olim. 312.e
galli te cantando excitarunt, dictum Neroni. 221.f
galli sacerdotes Deum Matri ministrabant. 322.f
galliarum tumultus contra Neronẽ. 222.f
gallicum genus leporum. 120.f
gallorum mores in osculo adhibẽdo. 203.a
ganeæ. 81.a.289.a
ganges fluuius. 197.b
ganymedes. 495.c
garamantes struthiorum ouа cur perquirant. 153.c
garamantarum pilei vnde. 387.b
garrulitas. 191.b.209.b.224.f
garrulitas vana. 249.c
gedeonis petitio à Deo quæ. 505.c.382.a
gelanor à Danao expulsus. 102.d.e
gelon Carthaginenses debellauit apud Himeram. 449.c
gelonem quomodo seruarit lupus. 101.c
gelonus. 138.e
gemar Arabibus quid. 588.e
gemmæ. 402.& 403. *per totum.*
gemmæ alectoriæ vis. 214.d
gemmæ in ornatu Veneris. 267.a
gemmarum cura morosa ridetur. 404.d
generatio. 72.d
genesis. 114.f
genetiæ mactabantur canes. 51.b
genetrix per E, media syllaba, & Venus Genitrix. 330.e
genitale. 520.e
genitura humana vnde. 320.d
genium ex myrto significari. 494.f
genij nobis appositi. 46.d
genios præ se ferunt Lares. ibid.
gẽseric⁹ quo tẽpore Romã ceperit. 167.a.b
gentes per pisces indicatæ. 290.e.f
gentium doctrina. 369.b.c
gentium multarum societas. 527.b
genua flectere, quid. 15.b.& 339.b
genus humanum. 263.a
geometria. 376.f
geometricus cubitus. 347.c
georgius Anselmus. 23.c
georgium Vallam docentem audiuit Pierius. 446.f
gephyreorũ simulacrũ in exercitu. 145.b
geranius mons vnde dictus. 164.e
gerendarum rerum summa quibus rebus consistat. 295.c
gerenius cur vocatus Nestor. 36.d
germani boues integrum Bononia in Caroli V. coronatione torruerunt. 230.d
germanorum institutum olim in ducendis vxoribus. 29.a
germinatio. 214.d
geruli qui dicantur. 541.a
geryon cur multis manibus & pedibus dicatur præditus. 298.d
geryonis boues abacti quid. 26.d.297.c
geryones Hercules oppressit. 297.c
gibberosus homo quis. 22.e.f
gibberosi astuti. 255.a
gigantes quandiu persecutus est bello Osiris. 300.f
gigantes quos vocauerit Commodus Imp. 118.c
gigantum anguinei pedes, quid. 338.e
gillæ herbæ virtus. 71.a.546.f
gladius. 415.a
gladij ancipites in sanctorum manibus. 415.c
gladium cur portet iudex. 415.b
glandis significatum. 498.e
glanis piscis. 283.c
glaucem citharistriam adamauit & anser & aries. 225.c
glaucoma. 473.b
glaucopis cur vocata Pallas. 154.e
glaucopis Minerua. 188.d
gloriæ calcar. 212.f
gloriæ sublimitas. 484.d
gloriosus. 220.f.221.a.396.e
gordino tertio quadrigæ elephantorum decretæ. 19.a
gordij currus iugo aquila insidens. 175.c
gorgiæ tragœdiæ cur reprehensæ. 515.c
gorgoneum caput adsculptum scuto Mineruæ. 188.d
graculæ lauri folio annuum fastidium purgant. 201.b
gradus in mensuris quid. 348.d
græci. 432.d
græculus Romæ ferocem taurum quomodo ducebat. 23.c
gramphum quid vocet vulgus. 73.c. *gratia.* 404.d.587.b. *gratia relata.* 178.e. *gratiæ symbolum.* 531.a. *gratiam qui vocent Theologi.* 308.d
gratiarum pullus quis. 66.f
gratus animus. 46.e.159.a
grauis anima, quo symbolo solet exprimi. 9.c
gregorij Patriarchæ Constantinopolitani hæresis. 251.a
grillus conciliando somno eligitur. 275.a
grus auis. 162.e.& seq.
grus biceps feracitatis indicium. 164.a
grues cur in sublime volantes lapidem assumunt. 163.c.164.d
gryphs. 216.e
gryphus Syriæ rex. ibid.
guesactus Aegyptiorum rex cibum mendicare coactus. 544.f
guido Ascanius Sforcia Card. 14.f. *de gula multatus.* 295.c
gustatus. 314.d
gustus

Gustus perfectus in qua parte cõsistat. ib.
gyges centimanus. 331.a. *cur hyemem denotet.* ibid.
gygis anulus qualem habuerit lapidem. 145.b.c
gylippus depeculator. 188.f
Gymnasium. 512.e
Gymnica certamina funeralibus celebrari solita. 513.b

H

H Pro S. apud antiquos nonnunquam ponebatur. 342.d
Habenas tenere. 469.c
Hadrianus Imper. æqualitatis studiosissimus. 208.e. *pacis studiosus.* 510.f. *pauonem Mycenis in æde Iunonis dedicauit.* 220.d.e
Hadriani Sexti P.M. ingenium. 130.d
hæreditas, hæredipeta. 170.e.f.587.c
hæreditaria portio forsq. 349.c
hærere aquam. 336.f
hæres inuisus. 58.d
hæreticus. 231.a.b. *hæretici ranæ hieroglyphico notantur.* 275.a
halieuticon opus à Nigidio elucubratum. 279.b
hallus cur dictus pollex. 342.e
hamnum. 96.d.e
hamus. 446.d
hanno Ammonita Dauidicis nunciis barbam abstulit. 302.e
hanno Carthaginensis cur exul. 4.d
hannonis elephantis mirum ingenium. 19.c
hara, & ex hara productus. 80.d
harpagium, locus in chalcide. 495.c
harpociates. 342.f
harpocrates, silentij signum. 267.c. *sigillum cur in anulis gestabatur.* 342.f
hassida auis. 160.f.161.a
hasta. 408.f. *gestamen inter maximos honoris habitum.* 408.f
hastam appellarunt sceptrum regiũ Agamemnonis Bœotij. 410.d
hasta donantur viri fortes. 409.c
hastæ puræ. 409.b
hastas pro diis coluerunt veteres. 410.d
hazir Arabes suem appellant. 161.b
hebdomada in albis quæ & cur. 390.d
hebetior in Venerem ex esu palumbium. 204.d
hebræi quanam in re reprehensi ab Appione & Iuliano. 85.c
hebræorum gens salacissima. 243.a
hecate triceps. 48.d.574.e
hecates & Apollinis certamen. 125.c
hecates fabula. 136.d
hecates simulachrum. 497.a
hecatombe. 177.c
hector comam per terga fusam gestabat. 300.e
hectoris cadauer oleo rosaceo obunxit Venus. 532.d
hedera cur Baccho sacra. 500.e. *celebris apud Aegyptios.* 498.f. *Dionysio sacra.* 498.f. *Libero Patri cur dicata.* 499.a. *non nisi senescentibus adhærescit.* 500.e. *suffimigata occiduntur vespertiliones.* 232.e
heliæ quomodo Baalis sacerdotes iuserit. 268.d
helei serpentis ope victoriam aduersus Arcadas consecuti. 148.d
heledo polypi species vnde dicatur. 256.d
helenam mactandã liberauit aquila. 178.c
heliogabalus perdicum plumulis instratis vsus. 226.f
heliogabali luxus. 81.b. *bipedum & quadrupedum spurcissimus.* 89.b
heliopoli primum phœnix ortus. 184.e
heliotropium. 560.e
hellico Helueticus. 521.c
helluo per crocodilum. 270.e
helluones taxati. 546.e
heluidio Pertinaci quondam spectrum obiectum ante mortem. 416.e
henricus Imper. quando declaratus. 167.c
hepar à Ioue regitur. 311.d
heptoporta. 463.b
heptabolus lacus. 447.c
heraclides Iocosè à Ptolemæo illusus. 112.f
heraiscus. 343.a
herbam dare. 341.c.547.e.f
herbæ aculeis armatæ quid in sacris literis indicent. 530.f
herbis planisq; variis diij varij coronati. 400.d.e
hercules. 567.c
hercules Aegyptius primus Leonis gestauit insigna. 12.e
hercules benignè interpretatus est oraculum Dodonæum. 449.b
hercules cancrum deuincens quid. 261.c
hercules ceruum enecans quid. 63.c.64.d
hercules cur dictus aurea mala fecit asportasse. 93.a
hercules Gonzagæ Cardinalis Mantuanus. 498.d
hercules Libycus Syrtes anguipedes effugiens quid. 136.d
hercules oleastro fratrem victorem propositis certaminibus coronauit. 513.a. *ex oleastro lucum seuit.* ibid.
hercules omnium virtutum idea. 137.c
hercules populum ad Græcos transtulit. 508.c
hercules puer in cunabulis angues profligauit ac elisit. 508.e
hercules Pylo bellum intulit. 35.c
hercules Thestij filiabus virginitatẽ imminuit. 89.c. *primus Iunoni capras immolare instituit.* ibid.
herculis ad inferos descensus. 505.c
herculis claua. 497.b
herculis columnarum symbolica interpretatio. 369.c
herculis furor in liberos. 5.a
herculis nodus. 144.f
herculis progenitores vnde oriundi. 499.a
herculis sacrum. 524.e
herculis signum summæ nobilitatis ex ære Romæ etiamnum extat. 522.d.525.a
herculis simulachrum in Capitolio interpretatur. 525.a.b
herculis virtutes tres. 525.a
herculi quare sacrificabatur coturnix à Phœnicibus. 229.b
herculem qua formo Galli faciebant. 312.
herculeus taurus. 23.b
herculiani iuniores, seniores. 183.b
herculianus Leo quid. 11.c.12.d
herculanus morbus aquilino lapide explo-
ratur. 182.d
hermaphroditi ad apud Solos Lunenses. 172.f
hermæa forma cur quadrata. 381.b
hermæa signa qualia. 335.c
hermes vnde dictus. 312.f
hermolaus Byzantius Stephanum in compendium redegit. 188.e.253.b
herodes Atheniensis in Neptuni templo dicauit delphino insidentem Palæmonem. 252.f
herodis scomma in Bradeam. 435.a
herodotus putat Ieanam semel tantùm parere. 8.d
herodes & herodum statua quales. 484.e.f
heroibus cur draco sacer. 140.f
herpilliæ filius cur bullæ gestamine decoratus. 595.c
herus & Leandri fabula quid. 323.c
hesiodus cõtra Proclum defensus. 210.d.e
hesiodus quare difficulter profecit. 493.
hesiodi an germanũ poëma de scuto Herculis. 154.e.f.453.a
hesiodi locus. 35.c.128.f.129.a.173.b. 192.f. 209.c.210.d. 241.b. 389.c. 346.c.424.d.456.f.539.c
hesiodi versus duodecim è Theogonia cur fustulerit Seleucus, & quos. 404.f
hesiodo laureum sceptrum à Musis datum, quid significet. 493.a
hesperus. 438.d.e
hesychij Hierosolymitani laus. 328.f. 329.a.401.a
hetruscorum doctrina de prodigiis à quibus manarit. 38.e
hexapus. 348.e
hierarchiæ angelorum quot. 436.f
hieremiæ locus. 104.d
hieroglyphicè loqui, quid. 518.f
hieroglyphici sensus celebritas & diuinitas. 206.f
hieron cur laudatus à Pindaro. 38.d
hieron puer à patre expositus. 241.a
hieronymus Fracastorius. 487.c
hieronymus Mandolus. 86.e
hieronymus Vuolfius. 292.d
D. Hieronymi locus. 353.a.b. *opinio de Pelecano.* 187.b
hilaritas. 308.f. 400.e.f.495.a.513.b. 527.b.542.f
hilaritatis symbolum. 527.b.c
hippicum mensuræ genus quod. 349.b
hippobinos homo quis. 40.d
hippoceruum nostra vidit ætas dono missum Francisco Galliarum Regi à Friderico Mantuæ Duce. 67.a
hippocrates cur pileatus. 387.a. *ab Aesculapio oriundus.* ibid.
hippolytus Medices Card. 429.c
hippolyti Medicei liberalitas. 124.e
hippolyti Medicei mors. 438.f
hippolyto cur templum excitarit Diomedes. 392.e
hippomanes. 41.a.b
hipponis sententia de cœli figura. 317.b. *de procreatione.* 281
hippota Nestor. 36.d
hippopornos. 40.d
hippopotamus. 271.a. *huius peruersitas.* ibidem.
hippothoontis poëtæ sententia. 2.e
hircus animal libidinosum. 89.a. *formosarum*

farum præsidium collegio nutriebatur Mendesio ciuitate. ibid.
hirci hædiq; immolandi in sacris, quid. 89.b
hircini adipis vis in vite. 87.c d
hirpi & hirpini. 152.d
hirquitalare, & hirquitalli. 318.e
hirundo. 209.b.208.d.& seq.
hirundo in Pyrrhi tabernaculo nidum posuit. 210.d.c
hirundo literas ad pedes alligatas portans. 210.f
hirundo volitans supra caput Alexandri, quid. 209.b
hirundinis ars & ingenium. 210.d
hirundinis caput se habere qui imaginatur, quid denotet. 210.f
hirundines ædium construendarum normam commonstrarunt. 209.b
hirundines cur à tecto abiganit Pythagoras. 209.b
hiridinū Musæa Aristophani quæ. 209.c
hispania. 120.f
hispania per Geryonis symbolum. 297.c
hispanicum leporum genus. 120.e
hœdi in Diuinis literis, quid. 89.b
homerus nullius disciplinæ nescius. 317.b
homeri defuncti anima qua specie euocanda. 213.b.c
homeri locus. 140.e.f.181.c.205.a.215.c.277.c.278.d.467.a.b
homerum in pauonem abiisse, cur dixerint Platonici. 220.e
homo. 314.d.588.e
homo bulla. 396.e
homo ingluuiosus, intemperans, in sues condemnatus. 80.f
homo arbori similis. 442.d
homo mentis impuræ. 232.e
homo nihili ac nequam. 58.d
homo raræ consuetudinis. 232.c
homo qui vel suam vel alienam ferocitatem edomuerit. 4.d
homo quomodo vertitur in belluam. 40.e
homo solus an comitiali morbo laboret. 229.a
hominis natura. 579.a
hominis ætas vt plurimùm annorū octoginta & vnius. 196.d
hominem cur sapientissimum omnium animātium indicauit Anaxagoras. 330.d
homine diutius nullum viuit animal præter elephantem. 191.c
homines vtriusque naturæ. 172.f
homines in lupos transmutari. 100.f
homolottorum sacrificium quale. 27.a
honor summus. 409.a
honos fidem sustinet. 573.b
honos & virtus. 574.d
honorem quibus tribuerit vetustas. 16.e
honores. 413.b
honoriani iuniores. 143.b
honoriani milites. 83.b
horæ. 561.b
horæ nomen. 271.c
horæ Græcis Latinisq; quid. 229.a
horæ per fluuialem equum. 271.c
horæ quæ, & vnde nomen. 315.a
horarum obseruandarū ratio prisca. 54.e
horatij locus 13.c.22.e.74.f.84.d.94.f.130.e.135.a.140.f.157.c.160.d.203.c.210.d.213.b.220.e.234.e.241.c.325.b.333.c.384.d.468.f.482.f
horcij Ionis statua. 84.e
horæi à vitio conseruandi ratio. 494.e
horomazes quos deos in ouum inclusserit. 315.a
horrificum. 149.b
horoscopus. 315.a
horti in tutela Veneris sunt. 323.c
horus Ægyptiis quis. 24.d
horus apparuit Osiridi. 34.d
horus Apollo à Philippo quodam Græcè regulus. 233.e. mutilus & imperfectus. ibid.f
hospitalitatis iure. 147.c
hostia humana. 85.b. quibus Diis immolabatur. ibid.
hostis infensissimus. 409.a
hostis profligatus. 159.c
hostis victus. 101.c.102.d
hostium cædes mutua. 150.e
hostium mutua detrimenta. 189.c
hostibus quæ optanda dixit Antisthenes. 65.a
humana vita. 431.c
humanæ vitæ lubricitas. 459.e
humanæ vitæ commercia. 480.f
humanæ rotæ. 380.d. cur sex tantum radiis compactæ. ibid.
humeri quid in sacris literis. 340.d
humanitas. 384.d
humilitas. 330.d.339.c
humor parens omnium rerum secundum Aegyptios & Thaletē Milesiū. 317.b
hyacinthinus color. 388.e
hyacinthus in florem mutatus. 587.a.b
hyæna. 101.c.102.d
hyæna an alternis annis mas & fœmina. 102.e
hyænæ & pantheræ odium. ibid.
hyantes. 80.e
hyca. 282.f
hydra. 154.f.& seq.
hydrargyron. 571.a
hydriam in sacram ædem gestabant venerabundi Aegyptij. 538.e
hyemale solstitium. 259.a
hyemalis conuersio quæ. ibid.
hyems. 586.c.440.a
hyemis inclemētia Romæ maxima. 405.c
hyemis symbolum per cornicem. 192.f
hyllus Herculis filius. 2.e
hymnus. 405.a
hypenemia oua quæ. 168.d
hypocrita. 231.b
hypocritæ simulachrum. 190.e
hypoditis. 388.f
hypomochlium. 477.a
hyssopi symbolum. 556.f
hysteria festa. 84.f

I

I Litera. 462.e
Iacob contemplationem indicat. 368.e
Iacobus Sadeletus. 164.d.212.f
Iacobus Sanazarius, qui & Actius Syncerus, senex scripsit poëmata. 212.d
Iacobi Ziegleri præstantia in mathematicis. 57.c
iactura. 490.d
iactura per calui tium. 301.b
ialysus ciuitas ob picturam Protogenis seruata. 548.e
ialysum quanta diligentia pinxerit Protogenes. 548.e
iambi ubi iaues. 313.a
iamidæ. 45.a
iana olim vocata Diana. 130.f
ianus & iani templa quadrata. 482.f
ianus æris signandi morem inuenit. 297.a. cur aliquando quadrifrons. 299.a.b. cur biceps, absque manibus, & pedibus. 334.e. cur bifrons. 297.a
ianus Clusius & Patulcius. 477.b. Geminus barbatus. 197.a. primum valuas, seras & claues excogitauit. 477.a
iani etymon. 130.f. filiæ quatuor. 299.a. duodecim coloniæ. 482.d. templa quadrata specie. 294.f
ianum Saturni filium cur rustici lapidibus obruerint. 299.a
iani. 481.a
ianiculi numi aliquot. 297.a
ianus Vitalis Panormitanus. 285.a
ianuarius Lenæus. 233.c
iasoni Venus cur iynga dederit. 238.e
iapsis gratiam hominum conciliat. 404.d
iberis olus eiusq; natura. 179.b
ibis auis. 161. & seq. cur Mercurio dedicata. ibid. d. cur salutis simulachrum. 161. d. e. duas ponderat drachmas. 162.d
ibis prima litera Aegyptiis. 463.b
ibidis ouum basiliscum profert. 162.f
ibes candidæ & nigræ vbi. 161.b.c
ibes cur Aegyptum significent. ibid.
ibidum præsidio Moses quomodo exercitum per loca à serpentibus occupata duxerit. 162.e
icarius. 388.f
icarius pater ab ebriis colonis interfectus. 517.a
ichneumon quo pacto crocodilum interficiat. 269.c
ichthiophagorum genus vnde. 287.b
icosaëdrum. 584.c
ictiu vno exanimatus. 266.d
ideas Platonis cur τετρτσμελα vocauit Aristoteles. 250.d
idomenei clypeus gallo insignitus. 223.b
idumæa ficus à Christo cur deuota. 519.b
iechonias inhonoratus. 539.c
ieiunio curantur Veneræ voluptates. 537.b
ieiunia Romani Cereri feruntur instituisse. 546.e
iciunia à veteribus recepta. 546.e
iciunus. 278.f
iephtæ detestabile facinus. 85.c
iesus quomodo asseruerit nos in libertatem. 30.d
ignarus hominúmque locorúmque. 108.d
ignauia. 258.b.111.a.330.d.338.f
ignauia honorata. 397.b
ignis. 567.c.584.f
ignis ab Assertore nostro in terram missus. 106.f
ignis à Prometheo furatus, quid. 172.d
ignis consideratio duplex. 173.a.414.e
ignis cur internuncius dictus. 481.b.c
ignis ex collisis leonis ossibus. 6.e
ignis hieroglyphica. 450.d.f.451.a

ignis

ignis per fumi symbolum. 456.e.f
ignis significatio in sacris quæ. 454.f
ignis Vestalis. 449.c.450.d
ignem adorabant Persæ, & Lycij. 55.c
ignem aqua permiscere. 453.c
ignem formidat leo, & cur. 6.f
ignem gladio disse.are. 415.c
ignem Persæ omnibus numinibus anteponebant. 538.e
super igne solicitus. 6.f
ignobili à genere ad claritatem euectus. 270.f.271.a
ignobilitas. 237.b
ignominia. 224.c
ignorantia. 290.e
iliados Mineruæ templum. 45.c
ilignei folij calcati à leone vis. 6.f
ilithya. 388.e.453.b
illecebræ amatoriæ. 202.d
imaginat. excitat appetitionem. 136.f
imagines & familiarum insignia, non sunt recentioris ætatis inuēta. 1, 8.f.183.a
imagines in anulis gestare solebant veteres, & quorum. 397.b
imaginibus maiorum illustrium cur Romani atria sua complenerint. 500.d
imbecillitas. 124.f
imbecillitas & mos. 579.b
imbecillitas humana. 529.a.534.d
imbecillus fortiori assurgens. 233.a
imbellis. 322.d
imbres aliis aquis magis nutriunt. 370.e
imbres per cornu symbolum. 217.e
immortalitas. 588.c
immoderatus impetus. 38.e
impatiens alieni cœli. 273.b
impatiens famis. 100.d
impedimentum. 277.a.330.d.339.a.b
imperator. 139.b
impp. duo. ibid.
imperatoris optimi munus. 159.c
imperatoris qui paribus cum Augusto honoribus honestandi. 16.e
imperatorum & regum iustis dedicata aquila. 177.c
imperatoria maiestas. 177.a
imperitia. 456.f.457.a
imperitia & imperiti hominis simulachrum. 202.f.203.a
imperitus disceptator. 115.c
imperitus literarum ne de diuinis disserere audeat, lege cautum est. 116.d
imperatorum præcipitium. 380.f
imperium. 36.f.416.e.424.d.469.b
imperium firmum. 497.c
imperij Romani tres insignes mutationes. 167.c
imperij ampliator. 423.b.c
imperij maiestas summa. 431.c
imperij summa. 409.c
imperio doctrinâve præstantes. 296.e
imperfecti symbolum per ranam. 274.f
impetus. 82.d
impetus bestilis. 284.c
impietas per hippopotamum. 271.a
impietati prælata pietas. 158.d.e
impius ingratúsque. 363.c
imploratio. 125.c
imploratio auxilij. 209.a
importunitas ac impudentia. 248.d
impostura. 247.c

improbitas. 103.a.b.265.a
improbitas edomita. 271.b
improbitas meretricia. 98.f
improbitas per anserem. 225.c
improbi probiq; viri descriptio & parallelon. 235.c.d
impudentia. 52.d.58.f.109.a
impuritas. 228.e
impurus. 313.b
impurus amator. 50.d
impuri amoris conditio. 255.b
inæqualitas. 69.c
inæqualium concordia. 37.b
inanis animus. 540.e
inanis gloria. 71.c
inanitatis significatum. 549.c
inaquosum, quid in sacris literis sit. 369.b
inarculum. 527.b
incantatio. 238.d
incæpta magna irrita. 262.e
incolumitas. 71.b.253.a
incolumitatis symbolum. 492.e.f
inconstantia. 261.c.297.c.445.a
incontinentia reprehensa. 22.f
incrementum nostrum ex quibus constet. 431.c.432.d
incrementum præmaturum. 507.c
incubones. 89.c
inuus. 467.a.b
incudes à Ioue ad Iunonis pedes appensæ, quid. 467.a
indemnis fuga. 99.b
index digitus. 260.f. idē Medicus, Lichanus, Salutatorius dictus. ibid.
indicti belli signum apud Romanos quod. 406.f
indici elephanti ferocissimi. 18.d
indicum mare magnas habet testudines. 260.d
indigena vel nobilis. 566.e
indorum mos in traiiciendis fluuiis elephantis. 17.b
indorum oratio pro concilianda sibi principum benevolentia. 531.e
indorum quædam gens longæua cur. 148.d.79.c.110.d.248.d.e.311.e
indocilitas. 88.f
indulgentia. 361.a
indumenta. 387.c
inexpugnabilis. 402.f
infamia. 478.f
infernum. 569.c
inferorum rotæ cur quatuor radiis tantum compactæ. 380.d
infinitum. 465.a
infortunium. 123.c
infortunij magni tutela. 272.d
ab infortuniis potentior. 99.c
infrænis oris finis infortunium. 38.e
ingenium. 569.a.b
ingenium velox. 181.a
ingenij acumen. 57.a
ingenio acutiore cur sint quibus purius est cœlum. 525.c
ingenia recta debilitantur verecundia. 248.e. peruersa confirmantur audacia. ibidem.
ingluuiosus. 279.b
ingrati ergà parentes. 322.e
per inimicitias illustratus. 553.a
iniquitas. 476.f

iniquus amor. 523.c
iniuriarum vltio. 236.d
innocentia. 92.d.322.e
innocentia per manuum symbolum. 328.f.
innocentia per piscem. 289.c.d
innuus. 566.e
inquietudo. 192.f
inquilinus. 262.d
insatiabilitas. 281.b.c.326.e
insitia cur vespertiliones. 232.d
insidiæ. 445.c
insignium causæ. 399.c
insipientia. 186.e.231.a.b.434.e
insolentia. 39.a
insomnia vide Somnia.
insomniam tribuunt leoni. 3.b
instauratio. 184.e
instauratio per echinum. 266.f.267.a
institutio. 364.d.e
institutio ex elementorum natura spectatur. 368.e
institutio per cœli symbolum. 504.f
institutio per birundinem. 208.e
insulares homines pessimi habiti. 286.d
incontaminata munditia. 125.a
intellectus agens. 570.e
intellectus ætbereus. 208.d
intellectus efficacia. 550.f
intelligentiæ vis. 569.a
interitus. 70.d
interpres. 336.c
interquiescens. 62.e
inuerecundus. 264.e
inuestigatio. 68.a
inuictus. 270.e
inuidia cur per Hydram indicata. 155.a
inuidiæ amuletum. 396.e
inuidi ciuitatibus inutiles. 537.c
inundatio. 7.c
inuolucrum draconum in caduceo, quid. 144.f
Io. Antonius Pollio. 63.a. Geloum primas. 535.b.c.536.d
Io. Baptista Montanus Veronensis. 429.c. doctissimus medicus. 430.c.431.d
Ioan. Cornelius Fantini F. 394.f
D. Ioan. cur per aquilam indicetur. 181.b. cur locustis tantùm & agresti melle nutritus. 548.d
Ioan. Grymanus Patriarcha. 257.d
Ioan. Iacobi Fuggeri laus à literis literatóque iuuandi studio. 293.a
Ioan. Lascaris. 446.f
Io. Petrus anteà vocatus Pierius. 165.c
Ioan. Sicus. 340.d
Ioan. Manardi Ferrariensis laus. 327.c
iolaus apud Thebanos diuinis cultus honoribus. 506.f
iolca Thebis celebrata. 495.b
ionathamel gustans, quid. 244.e
ionicæ ædes quales, & quibus diis ædificatæ. 483.c
iordanis allegoricè, quid. 201.a
iordani Bonzy domus euersa. 159.b
iordanis cōuersus retrorsum, quid. 287.b
iosippus à fratrib. venundatus. 26.f. idem somniorum interpres. ibid.
iosippi parentes ac fratres in Aegyptiorum commercia non admissi. 560.d
iosippi somnium de Sole, Luna, Stellis. 432.e

iuliæ

Index Hieroglyphicorum.

Iuliæ Piæ numus. 330.e
Iouiani Pontani carmen de Palmarum amore. 355.d.356.d
Iouiani & Iouiniani iuniores & seniores milites. 330.e
Iouij ordines militum. 83.b
Iouis Ammonis oraculi fabula. 4.d
Iouis cerebrum vocatus scariis. 293.a
Iouis Horcij statua qualis. 427.c
Iouis Labradei simulachrum. 416.f
Iouis prouidentia. 307.c
Iouis pullus dictus Q. Fabius Eburnus. 226.e
Iouis regnum quale Platoni. 425.a
Iouis Serapidis simulachrum apud Sinopenses quale. 294.e. apud Megarenses. 299.a
Iouis simulachrum absque auribus, quid. 309.c
Iouis simulachrum cupressinum peruetustum. 504.e
Iouis statua in subdiali ara qualis. 172.f
Iouj stantes sacrificabant. 54.d
Iouem Aegyptij spiritum dicebant. 132.e
Iouem fulmina ciere cur confinxerit vetustas. 427.a.b
Iphicrati duci quomodo animos adiecerit Socrates. 224.e
Iphigenia & Orestes Dianæ simulachrum ex Taurica regione detulerunt Lacedæmona. 471.c.472.d
Iphigenia in quænam animantia mutata dicatur. 65.c
Ira. 106.f.319.a
Ira delinita. 498.e
Ira lacessita. 19.b
Iracundia. 56.e
Iracundia iusta & necessaria quæ. 106.f
eiusdem effectus. ibid.
Iracundia ex tarditate ferocior. 20.e
Iracundiæ non obnoxius. 204.f.205.a
Irenæi laus. 78.e. 351.b
Iris cœlestis. 587.a
Iris herba. ibid.
Iris cur aëripes & procellipes. 200.e
Irrisio. 110.e.f.146.e
Irritatio. 415.c
Irritum. 336.e
Isaac cur quadragenarius Rebeccam duxerit. 360.d
Isaac naturæ philosophiam indicat. 368.e
Isachar asinus à patre appellatus, Genesis cap. 49. 108.d
Isis. 375.b.c
Isis cultum animalium instituit. 55.a
Isis legum inuentrix. 364.e
Isis prima repertas spicas capite circumtulit. 400.d
Isis superius hemisphærium. 46.f
Isidis nauis. 442.e.f
Isidis numen maximè Aegyptiis. 126.d.e
Isidi dicatæ tæniæ quales. 376.d
Isidorus Cynicus Neronem in quibus carpebat. 458.d
Isigoni Cirni sententia de viperina carne. 148.d
Isocrates quanam ætate scripserit Panathenaicam orationem. 212.d
Isocratis sepulchro cur magnus aries adsculptus. 96.d
Isocrati statua decreta Athenis. 485.b
Israëliticus populus cur non ascendebat in montem Domini. 332.c
Israëliticis quo loco lex data. 332.f
Israëliticos appellauit pastores ouiũ Appion ignominiosè. 91.b
Isthmia cur instituta. 505.a
Isthmiaci certaminis præmium. 505.a
Itali vocati boues olim. 28.d
Italia. ibid.& 37.b
Italia olim bruttia vocata. 189.a
Italicum leporis genus quod. 120.f
Italicum stadium quot pedum. 349.a
Iteratio frequens. 209.a.b
Ithyphalli. 500.d
Iubari stellæ nomen vnde. 12.d
Iubellius Taurea quomodo eluserit Claudium Asellium. 42.f
Iudæa. 588.f
Iudæa per palmæ symbolum. 490.d
Iudæi. 29.b
Iudæi asini caput adorare consuerũt. 110.f
Iudæi etiamnum hodie humano sanguine sacra faciunt. 86.d
Iudæi piscem, nisi pinnarum & squamosum non attingunt. 283.c
Iudæorum scenopegia in Bacchi celebritatem fiebant. 425.e
Iudex. 334.e
Iudices integri esse debent. 395.c
Iudicum statuæ Thebis sine manibus cur. 334.e
Iudiciale genus orationis. 14.d
Iudiciorum seueritas. 266.e
Iudicium absolutum vnde. 152.d
Iudicium compositum. 458.d
Iudiciis capitalibus cicutæ succum propinabant Athenienses. 542.d
Iugare, Iouis inuentum est. 475.b
Iugerum. 349.a
Iugum. 474.e.f.409.c
Iugum aheneum Horatio, quid. 474.f
Sub iugum mittere. 411.a
Iugi species quæ. 474.f
Iulianus Imp. vigilantia præditus maxima. 163.b
Iulij Cæsaris cædem præmonstrans prodigium. 493.b
Iulij Cæsaris equus humanis propemodum crat pedibus. 36.f
Iulij Capitolini locus. 424.f
Iulij Firmici incuria. 23.a
Iulij Medicis laus, clementiaq;. 429.b
M. Iunius Nypsius. 345.b
Iuniores quos vocet Ser. Tul. & quos Varro. 85.a. 220.d. 309.a. 433.c. 503.c. 508.e. 553.c
Iuno quatuor elementorum symbolum. 576. d
Iuno ab Ixione adulterij sollicitata. 576.e
Iuno à Ione victa catenis aureis. 467.a.
cur dicta Lucina. 309.a
Iuno conseruatrix. 139.c. domina. ibid.
Iuno pronuba. 221.b
Iuno regnorum præses habita. 527.a.b
Iunonis simulachrum apud Argiuos quale. 12.f. 235.a
Iunoni cur oues ambiguæ sacrificabantur. 39.c
Iunoni quales olim hostias immolabant Aegyptij. 85.b
Iunonius. 472.e
Iunonis flos. 533.c
Iupiter. 30.f. 298.f. 381.b 427.a.b. 75.b
Iupiter cum reliquis diis cur ad Aethiopum epulas inuitatus. 317.b
Iupiter Elicius vnde. 428.e
Iupiter Latialis. 85.b
Iupiter mundi anima. 426.d
Iuramentum super ferro candenti in Liuonia. 456.d
Iurare per altare, quid. 243.b
Iurgiosus. 373.e
Iurisconsulti cœno implicati qui. 284.d
Ius in armis. 318.d
Iustitia. 27.b. 169.c. 489.a.b. 579.c
Iustitia per Euphratem fluuium. 197.c.
per oculi symbolum. 305.a. per ternarij symbolum. 383.c. per struthiocamelum. 365.b
Iustitia speculatrix ac vindex. 305.a
Iustitiæ cultus. 13.b
Iustitiæ locus Platonicis quis. 396.d
Iustitiæ seueritas. 415.b
Iustitiæ symbolum. 554.e.f
Iustitiam quomodo depinxerint veteres. 415.b
Iustitium. 233.b
Iuuenalis locus. 32.d. 191.b. 200.c. 289.a.b. 353.c. 396.c. 435.a. 573.b
Iuuentus. 501.c
Iuuentus renouata. 180.e
Iuuentus semper spei plena. 501.c
Iuuentuti redditus. 129.c
Iynx. 237.c. 238.d. linguam habet longam. ibid.
Iynx à Venere cœlitus allata. 283.e

L

Labor indefessus. 69.a. seruilis. 112.f
Laboris alieni fructus. 244.f. 279.c
Laboris tolerantia. 165.a
à laboribus quies. 30.d. 37.a
Labrax piscis. 215.c
Lac gallinaceum. 410.d
Lac quid Pindaro. 241.c
Lac sanguis est colore tãtũ mutato. 545.b
Lactis & mellis gustu imbuebantur infantes à lauacro. 244.e
Lacte & melle fluens terra, quid. 241.e
Lacedæmonij cur frontem abradendam iusserint. 435.c. equum ventis immolabant. 43.b. Iudæorum consanguinei per Abrahamum haberi volunt. 318.d. Leuctrica pugna propemodũ oppressi. 224.f
Lacedæmonij per aquilam indicati. 183.a
Lacedæmonij quid responderint Alexandro, cum Deus haberi cupierit. 248.e.
eorum inhospitalitas. 367.b
Lacedæmoniorum mos iam parta victoria. 224.e
Lacerta exiccata in viperã mutatur. 27.c
Lachesis. 471.b.c
Lachrymæ. 267.a. 409.e
Lachrymarum hieroglyphicum. 353.a
Lacones. 414.e.f
Lacones pileati pugnabant. 385.b
Lactantius de Phœnice poëma, non historiam scribit. 10.d
Lactantius Ptolemæus. 86.e
Lactantij locus. 546.f
Lactantij Tertullianique opinio improbatur. 182.c

Index Hieroglyphicorum.

C. Lælius eodem semper vultu. 51.b
Lælius Taurellus. 21.c
Læna vestis. 301.a
Lætitia. 26.d. 514.e
Lætitiæ intertus bata. 562.f
Lætitiæ dator Bacchus. 522.f
Lætitiæ indicium. 518.e
Læua manus quemnam indicet numerum. 351.a
Læua vis in Deo quæ. 331.a
Laidis tumulo leænæ simulachrum oppositum. 11.c
Lais quo pacto fuerit obruta à Thessalis matronis. 260.e
Lamachum socium sibi cooptauit Nicias, & cur. 298.e
Lamia. 374.e
Lampadum ludus. 314.d
Lampsacum cur falaci Deo sacra. 542.d
Lampridij locus. 511.b
Lamporis. 152.e
Lanata in pelle cur noua nupta sedebat. 93.c
Lancea. 408.f
Lanceam dare & accipere. 409.b
Lanuij clypei abrosi à nauibus. 124.d.e
Laodice. 444.d.e.
Lapis. 478.d
Lapis è cœlo lapsus, quale signum. 478.f
Lapis & candex quid Comicis. 140.e
Lapidem tetragonũ colebãt Arabes. 478.d
Laqueus. 471.c
Laqueum mellitum quid vocarit Diogenes. 241.a
Laræ, siue Larundæ humanis capitibus sacrificatum. 555.a
Largitio cicerum. 549.f.550.a
Larus. 215.a.& seq.
Larus cur Herculi dicatus. 215.b
Larus cepphus, prouerb. 216.e
Larum vocauit Cleonem Aristophanes. 215.b
Lares cur caninis tergoribus velabantur. 46.d
Laruarum lacessitor. 104.d
Laruis non terretur leo. 1.b
Lasciua mollities. 341.a
Lasciuiæ pœnitentia. 64.e
Lason. 312.d
Latebræ. 71.b
Latebris gaudere colubrum quid. 135.a
Latini manumissi qui. 386.f
Latro. 82.d
Latrocinium. 269.c
Latum vnguem cedere. 348.d
Laudabilia facienda. 70.e
Laudatio similis irrigationi. 369.a.b
D. Laurentius qualis. 319.b
Laureatæ. 493.c
Laurentius Iustinianus patriarcha. 169.c
Lauretum Liuiæ Augustæ. 492.f
Laureus scipio quid indicet. 494.d
Laurei sceptri Hesiodo dati significatio. 492.e
Laurus Soli consecrata. 574.f
Laurus. 492.d. Apollinis insigne. ibidem.
eiusdem ignea vis. ibid. vsta resonat. ibidem.
Laurus Bebrycia. 494.d. Delphica cæteris præstantior. ibid.
Laurus suffitionibus adhiberi solita. 493.c
Laurus cur Apollini sacra. 492.e. custodiæ seu tutelæ consecrata. 492.e.f
Laurus triumphantium insigne. 493.a
Laurus vaticinij symbolum. 492.e
Lauri Delphicæ baccarũ magnitudo. 525.f
Lauri folia fulmen non icit. 493.a
Lauri folia viridia Pompeij fastibus à Lucullianis militib. illigata quid portenderint. 493.b
Lauri folio annuum fastidium purgãt graculæ, merulæ, palũbes, perdices. 204.e
Laurus lætitiæ victoriarũq; nũcia. 493.c
Lauro ad dormientium caput appositæ, veræ videri somnia. 492.e
Laurum fugiunt anseres. 225.c
Launi malutes, eorumdemq; insigne. 200.d
Lazarus Bonamicus. 283.b
Laureum scipionem gestare quid. 205.a
Laurium. 189.a
Leænæ partus rarior cur quibusdam visus. 8.e
Leænæ scorti simulachrum. 10.e
Leænam semel tantùm parere putant Aegyptij. 8.d
Legifera Ceres. 208.f
Legio vicesima. 468.f
Legumina, vel fructus pro gentilitiis nominibus vsurpata. 548.e
Leguminibus cur abstinendũ. 547.c. 548.f
Leiiuro. 383
Lenonum improbitas. 57.
Lenti qui. 412.f.413.a
Leo cur cœlo adscriptus. 2.b. cur solare animal. 2.a. cur superatus fingatur ab Hercule. 12.d
Leo dominator animalium. 3.c. domitus ab homine, quid. 5.c
Leo & aper iuncti ab Admeto. 2.d
Leo gallum cur perhorrescat. 7.a
Leo pacissimi somni cur. 3.f
Leo percussorem mira obseruatione noscit. 9.a
Leonis anteriora membra robustiora. 2.e
Leonis à Samsone strangulati examen apum faucibus fauos ingessit. 243.b
Leonis X. Pont. insignia. 475.a
Leonis effigies. 1.b
Leonis etymon. 2.f
Leonis herba. 506.d
Leonis herbæ natura. 8.d
Leonis magnanimitas. 1.a.b.c
Leonis membra singula mystici significati argumentum præbent. 1.a
Leonis partes anteriores & posteriores, quid. 12.b
Leonem ex vnguibus æstimare, vndenam ortum. 348
Leonem Megara deuastãtem confecit Alcathus. 313.b
Leonem quid vocet Martialis. 9.c
Leones animosiores qui. 1.b. pauidi magis qui. ibid.a
Leones domiti, & Magnæ Deæ currui succedentes, quid. 13.f
Leones insomnes cur nonnulli putauerint. 2.f
Leones semper febri cruciantur. 6.d. leones vbi locorũ à culicibus infestentur. ibi.
Leonina societas. 3.c.4.d.
Leoninum caput per somnium, quid. 3.c
Leonini capitis significatio. 2.e
Leonardus Iustinianus. 175
Leontopolis vocata Alexandria. 2.f
Leopardes allio fugantur. 560.e
Lepos chortus in mæstitia. 243.a
Lepus ὑπὸ τῶ λύειν dictus, quod asperè est. 118.e
Lepus cur Veneri dedicatus. 524.d
Lepus Græcum vocabulum. 120.e
Lepus impurum animal in diuinis habetur. 118.f
Lepus marinus. 281.b.c
Lepus mas & progenerat, & fœtum concipit. 80.e
Lepus oculos inter dormiendum patefactos ostentat. 118.d
Lepus palpebris clausis vigilat, adapertis dormit. ibid.
Lepus quasi leuipes. 120.e
Lepus tute es, & pulpamentum quæris. 119.a
Lepus Veneri præcipuè debetur. 119.b
Leporis occursus ominosus & improsper. 119.a
Lepores auriti à poëtis vocati. 118.e
Lepores masculo fœminæ omnes ab Archelao vocati. 119.c
Lepores qui primus in Siciliam portauerit. 121.a
Leporum tria genera. 120.f
Leporina caro melancholiam alit. 119.c
Leporinæ carnis esus formosiores facit homines. ibid.
Leporinus somnus. 115.b
Lepra quid in sacris literis significet. 556.b
Leptanorum institutum. 540.f
Lerij pessimi. 286.d
Lesbia virgo à delphino seruata. 25.a
Lesbus à Darianis militibus euerriculata. 446.d
Lethargi remedium. 551.b
Leucadia virgo mirificè à panone adamata. 221.a
Leucothoë cur in vespertilionem mutata. 228.e. 223.e
Leuctricarum puellarum necem indicauit canis. 40.f
Leucus piscis sacer Theocrito. 277.c
Leuzychides Lacedæmonius. 285.a
Leuitæ cur iussi abradere pilos omnes corporis. 299.c
Leuitas. 251.c
Leuitas in moribus. 51.b
Lex, legisque appellatio Hebræis, quid. 364.d
Lex quando data. 30.e
Legis iugum impositum Iudæis. 30.e
Leges. 400.e. 475.a
Lex diuina de plantandis arboribus mystice interpretata. 524.f
Leges, vetus & noua. 390.d
Legum inæqualitas. 251.a.b
Libani medulla ablata à rege barbaro quomodo intelligendum. 494.e
Liber. 129.b. 465.c. vnde dictus. ibid.
Libero Patri ædes sacræ quæ. 483.c
Libero Patri grauissima victima asinus. 534.f
Liberalitas per manus symbolum. 330.f
Liberorum propagatio. 449.a
Liberorum procreatio, quorum inuentum. 172.e

Index Hieroglyphicorum.

Liberales artes quæ. 364.d
liberalissima benignitas. 542.e
liberalitas. 541.b.c
liberatores patriæ. 386.d
libertas. 384.e.389.c.516.d
libertas & liberatio à molestiis. 300.e
libertas Christianorum vera quæ. 30.e
libertas per explicatas manus. 330.c
libertas triplex. 386.e.f
libido. 88.e.150.f.540.d
libido extincta. 324.e
libidinis antidotum. 137.b
libidines. 540.d
libidinosus ab ineunte ætate. 262.f.263.a
libidinosus quomodo per oculi indicium. 307.b
libitinariorum manus. 46.c
libri. 372.e
lichanus. 342.e.343.b
lien quænam ad se trahat. 51.a
lienis vitia. 50.e
lienem tenuissimum habet canis. 50.e
liene laborantibus risus difficillimus. 51.a
lilium purpureum. 587.a
liliū cur flos Iunoni⁹, cur itē Regius. 533.c
lilium spei symbolum est. 532.f.533.a
lilia offerebant Nymphis Gentium sacerdotes. 533.b
limi oculi. 282.f
limpidæ aquæ. 374.e
lingua. 312.d
lingua coërcenda. 268.e. *dissecta in sacris præconi tradebatur.* 312.f. *Mercurio sacra.* 312.e. *optimum & pessimum in homine. ibid. plectri instar.* 328.d
lingua ferrea, veritatis indicium Pindaro. 313.c
linguæ cum auribus cognatio. 568.e
linguæ victimarum Mercurio adolebantur. 313.a
linguaces. 238.d
lingua civitas quæ. 188.e
linum, liniq; opificium. 393.b
lintea vestis. 391.b
lintea vestes in ædes sacras inferendæ. 293.c
liria. 533.c.& 568.e
lirioëssa. 586.f
litatio. 402.f.403.a
literæ. 54.f.265.a
literæ lauro revinctæ. 493.c
literæ septem. 461.d
literarum Ægyptiacarum characteres. 463.c
literarum honos apud Ægyptios. 499.a
literarum symbolum. 549.a
liviæ Augustæ lauretum. 493.b
liviæ currum cum elephantis decreuit Claudius. 16.d
liuius Podochatarus Cypri Archiepiscopus. 259.c
liuor. 171.b
loca aurorum explicata vide in propriis eorum nominibus.
loculi in quem vexilla figebantur, forma. 491.a.b
locuples. 165.a
locupletatio. 294.e
locupletatus discordiis civium. 272.c
locusta marina. 256.e. 263.c. *terrestris.* 264.d
locustæ & polypi inimicitiæ. 256.e
locustæ segetes depopulantur. 264.d. *saltu pernices sunt. ibid.*
locustarum certamen. ibid.
locustis quibusnam vescebatur Io. Baptista. 263.e
locustis alitur multi in Aethiopia. 264.d
logium, Pontificium ornamentum quale. 403.a
lolium.
lolligo fundit atramentum. 264.f
longæui ex doctis qui. 196.d
longo post tempore prodiens. 274.f
longo tempore aliquid effectum. 16.b
loquendum rarissimè & iucundè cum regibus. 225.c
lotos arbor. 508.f. *cur Apollini sacra. ibid. capillata. ibid. vbi potissimùm fructificet.* 509.a
luca bos. 17.b
lucaui scarabei. 73.c
lucani locus. 25.a
lucas Euangelista. 32.e
lucas minoritanus. 351.c
lucerna. 448.f
lucerna ardens dictus Ioannes Baptista. 450.e
lucernæ Aristophanis Grämatici, Cleanthis, Demosthenis, Epicteti. 450.c
lucernæ significationes. 452.d
lucetius. 455.c
luciani libellum de Mercede cõductis conuertit Pierius in linguã Latinã. 215.c
luciani locus. 567.c. 568.d
luciani locus emendatus. 215.c
luci dare quid. 231.c
lucifuga. ibid.c
lucina. 433.c
lucina cur dicta Iuno. 309.a
lucina dicta Diana. 279.c
lucretij locus. 8.d.13.b.61.c.62.e.128.e. f.130.f.131.a.137.b.e.173.c.191. b.229.b.250.f.320.d.322.e.424.e. 447.c.449.a.40.e
lucrum. 570.f.257.f
lucrum per capitis signum. 294.f
luctus. 308.f.309.a
luctus & querimonia. 210.d
lucubratio. 451.c
lucubrationes per luscinię symbolū. 213.e
lucumon Hetrusc⁹. 395.b
ludi Circenses. 424.f
ludi Taurij quibus Dijs, & cur instituti. 25.b
ludi festacei Romæ. 547.c
ludouicus Aliger. 488.d
ludouicus Beccadellus Archiepiscopus Ragusinus. 544.d
ludouicus Podocatharus Cardin. 258.f
lumbi per Veneris symbolum. 320.d
lumen in diuinis literis quid. 189.b
luminis maioris violentia. 455.b
lumina & luminaria cur vocentur viri clari. 431.b.c
luna. 13.a.53.b.73.c.124.f.432.f.& seq.
luna cur lumus virili genere aliquando. 433.c
lunare corpus. 575.b.c
luna mensis ve. 298.e
luna Persarum indicium. 432.d
luna quæ & Isis. 375.c
luna quid Pythagoræ. 432.f. *qua parte semper clara & conspicua. ibid.c*
luna τύχη cur dicta. 144.f
luna comparata dialecticæ. 434.e
lunæ simulachrum. 566.e
lunæ & Solis coniunctio. ibid.
lunæ & Solis certamen. 124.f
lunæ facies varia. 419.b
lunæ ortus. 536.b
lunæ symbolum. 552.e
lunæ varietas admirabilis. 376.d
lunæ vectatio. 442.e
lunæ nouæ adorandæ mos. 53.b
lunata pellis Martiali quæ. 435.a
lunulas gestandi mos Rumanorum. 435.a
lupa intra quot dies pariat. 100.e
lupanaria vnde dicta. 99.b
lupercalia. 51.c. *à quo primùm instituta. ibidem.*
lupinis dentibus laceratæ carnes cur dulciores. 94.d
lupus. 98.d. & seq.
lupus ab Atheniensibus exlitus. 98.d
lupus scillæ contactu conuellitur. 83.a
lupi & equi antipathia. 56.d
lupi nomen in sacris quid. 98.f
lupi saxum extimescunt. 990.b
lupum tenere auribus prouerb. 99.c
lurconē quomodo taxauerit Cato. 314.d
luscinia. 213.c.& seq.
luscinia modulationis studiosissima. 214. *pullos suos erudit. ibid.*
luscinia quo tempore assiduè cantet. 214.d
luscinię Druso & Britannico dociles fuere Græco Latinóque sermone. 214.d
luxuriosæ deliciæ. 80.d
lyæus à soluendo dictus. 499.a
lyæi nomen vnde. 282.d
lyciſca cur Messalinæ cognomentum. 8.c
lycabanta cur annum dicimus. 97.a.98.d
lycopolitani lupum colunt. ibid.e
lycurgus sacrificium humanum Dianæ offerri solitum in Ephebotū flagra conuertit. 472.d
lycurgi de liberorum institutione concio. 157.b.c
lycus dæmon. 384.f
lydiæ rex. 416.f
lydorum equi, Cyri camelorum odore consternati insidentes præcipitauerunt. 117.b
lynceus classem Carthaginensium à Lilybeo Siciliæ promontorio prospectare & recensere solitus. 105.c
lynx in genere luporum recensetur à pleriſque. 105.c
lyncis acutissimus obtutus. 105.c
lynci Ceruario cognomentū inditū. 105.c
lynces connexa montium visu penetrare feruntur. 105.b
lyncei oculi à lynce. 105.b
lyncei oculi à Lynceo Idæ fratre Argonauta dicti. 105.a.b
lyncurius lapis ex concreta lyncis vrina. 105.a.b
lyra. 457.c.458.d
lyra cur in manu Mercurij statuebatur. 458.e.& quot chordarum. 460.d
lyræ forma. 460.d
lysander feliciter aduersus Atheniensęs pugnauit. 478.f

Index Hieroglyphicorum.

Lysimachi insolentia arrogantiaq; 427.f. *huius vanitatem quomodo riserit Pasiades. ibid.*
lysippus cur hastam in manu Alexandri posuerit. 408.f.& 427.c
lyræ. 122.e

M

M Litera. 414.d.e
Macarij hæresis. 251.a
Macedo. 101.a.b
macies ex inedia. 106.d
macilētia echini symbolum. 266 f. 267.a
macilentia gracilitas q; diminitati propior quàm obesitas. 448.d
macriana familia Alexandri effigiē quasi sibi familiarem habuit. 294.f
macrinus Imperator quas statuas decreuerit Bassiano Antonino. 421.b
macrobij locus. 494.d.574.d
magna mater. 85.a
magnanimitas leonis. 1.a.b.c
magnanimitas per pudenda. 321.b
magni Dij qui. 410.d
magnorum Deorum simulacra vnde adueta & quò translata. 410.f
magnus conatus cum dolo. 122.d
mago anulorum ingentem acervum effudit in Curia apud Carthaginēses. 397.b
maia. 85.a
maiorum ferenda difficultas. 540.f
maioribus parendum vel apum exemplo. 240.e.f
mala cogitatio. 121.c
mala bonitatis ope superanda. 488.f
mala Veneri dedicata. 522.f
maledicentia. 417.a
maledicus. 265.c
maleficiorum amuletum per vespertilionem. 232.e
malignitas perditissima. 229.b
malleus. 466 467.a
malum ex bonis initiis subsecutum. 162.f
malorum irritamentum. 467.b.c
maluæ syluestris succus vespis aduersatur. 246.e
malus Punica in Iunonis honorem plantatur. 472.e
mali arboris & fructus hieroglyphica. 137.a
malus dæmon. 522.e
mammææ somnium de Alexandro filio. 141.e
manalis lapis. 478.d
manardus medicus. 53.a
manasses quinqueceps. 299.b
mandragoræ soporifera vis radix eius vsus nunc incognitus. 558. e
mandri in India. 263.c
mandro à remis ad imperiū venit. 520.d
mandronis nauis. 519.c.520.d
manes cur dicti. 284.d
manethon Aegyptius fallitur. 3.a.b
mania Larum mater. 553.a
manicæ. 474.e.f
manlij locus. 284.f.288.d
manipulus. 392.e
manipularis. 392.d.e
mænobarbuli. 183.b
manus & earundem vsus. 328.d.329.b
mantinea. 468.f
mantuani numis imposuerunt Maronis imaginem. 494.d
manus ad digitos vsque inuoluta. 333.b. *versa ad osculum exposita quid.* 332.f. *coccino præligata.* 592.c
manus Dei, quid. 382.d
manus dextera & læua quem numerum indicent. 351.a
manus in triclinio Vespasiani visa, quid. 329.c
manus manum scabit, prouerb. 329.c
manus sinistra compressis digitis. 335.b
manum admouere. 331.b. *eam deosculari solent adorantes.* 332.f
manus artium ministræ. 328.d
manus complicatæ non sunt amicis tradendæ. 334.c. *inter loquendum.* 334.e. *non monendæ.* 341.b
manus post tergum reiectæ, quid. 332.e
manuum ablutio quid veteribus. 329.a. *impositio.* 334.d
manus plures se habere qui somniauerit, quid. 334.e
manus remittere. 330. f. *tollere.* 372. f. 33.a
manumittendi rationes quot, & quę. 386. f. 18.f.32.e.92.d.512.e
mansuetudinis miræ exēplum in elephanto Romæ. 19.a
mappa. 297.c.f
marassus. 139.c
marathro lippientes oculos depurgant angues. 71.a
marcelli laus. 38.e
marcia & Martia. 383.c
marciæ concubinæ plurimum tribuebat Commodus Imp. 449.e.f
marci Aurelij statuæ forma considerata. 341.c
M.T. Ciceronis iocus. 484.f
marcomani. 143.a.b
marcomani iuniores. 144.f. *Seniores. ibid.*
marcus Crassus agelastos. 51.b
marcus Crassus cur dicteriis non carpebatur à Sicinio. 33.a
marcus Euangelista cur Leonis imagine figuratur. 4.f
marcus Mantous Patauinus iureconsultus egregius. 461.b
mare. 373.a.468 e
mare ἀτρύγετον. 287 c. *cur perniciem vocarint Aegyptij.* 285.c. *mundi venter.* 294.d. *nihil Ioue dignū producit.* 283. c. *nullius frugis esse dixit Homerus.* 285.c
mare perturbatū in insomnis, quid. 294.d
mare per ventris symbolum. 326.e
maris aqua ad purificationem adhibetur. 284. e
maris imperium. 253.b
mare cur Saturni lachrymas vocarit Pythagoras. 285.b
mares inter animalia grauius sonant fœminis præterquàm in bubus. 25.b
mares animi. 322.d
mares animi Marti attributi. 43.b
maris & fœminæ fœtus quibus indiciis cognoscatur. 24.d
marium interitus. 301.a
maritalis coniunctio. 410.d
maritalis copula per cornices. 190.d
maritima antiquitùs omnia sacra. 278.d
maritus coniugis adulterę. 90.d
marius Bandinus. 86.e
marius Maffæus. 147.a
mars & Manors vnde dicti. 98.e
mars & Venus per duos accipitres. 195.b
mars Vltor. 406.e
marti cur sacer canis. 55.c
marti equus sacer. 43.b
marrhes rex quem honorem habuerit cornici. 191.c
marsias cur fuillam dicatur caudam habuisse. 65.c.80.d
martialis locus. 13.b.43.c.125.a.170.e. f.260.d.336.d.266.d.278.d. 325.a. c.390.f
martialis & Quirinalis socij. 421.b
martes animal. 121.b
masculus & fœmineus fetus quomodo deprehendatur in tauro. 24.d
masculi vocabulum in sacrificiis. 322.e
Massinissæ Regi munera missa cum sella curuli à Romanis. 423.b
masurij interpretatio de Angeronæ simulachro. 342.f.343.a
mater siue naturæ genius. 168.d
matris nomen in diuinis literis. 172.f
materia prima. 584.d
materia formæ. 376.d
mathematicus. 90.f
matrimonium concors. 459.a
matronarum impudicitia. 114.f
matthæus Macingus Venetus. 267.b
maturandum. 442.f.443.a
maturitas. 254.e
mauritania. 37.b.c
maurialites milites. 143.b
mauri feroces. 37.b
mauri occursus Hadriano fatalis. 504.d
maximiani Imper. milites cur Herculiani vocati. 183.b
maximini imperium serpētis indicio præmonstratum. 141.b
maximo Imp. aquila dedit auspicium imperij. 176.e
Mecœnas præcipuus Augusto amicus. 275.
mediæ arboris casus Romæ Leoni X. P. M. fatalis. 503.b.c
medici prudentia qualis esse debeat. 149.a
medici tam manus quàm cor eruditæ debent esse. 327.b.c
medicos esse in Aegypto cur dictū. 162.e
medicina multifariam ab oraculis peti solet. 205.b
medicina lucrum non sanitatem quærens inanis ars est. 543.c
medicina petita à Dijs. 205.b
medicinæ symbolum per ciconiam. 159.b
medius digitus. 342. e. 343.b. *Idem medicus, infamis, impudicus. ibi.& 354.e*
medium. 325.a
medium hominis vbi. ibid.
meditatio. 340.e
medulla carent ossa leonis. 6.d
medus asinus primùm vim equæ intulit. 114.d
medusa. 154.d.& seq.
medusæ caput quid. 35.b
medusæ caput Domitianus cur pectore gestare solitus. 296.d.
medusæ figmentum vnde. 398.e f

Medusæ cur serpentinum caput. 155.b
megaëlis Atheniensis censura de Hesiodo. 140.f
megalesius dæmon. 384.f
megarenses cur aquis abundent. 281.b
megarensium factum ad fugandos Antipatri elephantos quale. 17.b
megarensium mores, & megaricæ sphinges. 11.e
megarensium stratagema aduersus Antipatrum. 77.b
megarensibus quid acciderit ferarum effractis carceribus. 4.f
mel, ac ab eo metaphoræ diuersæ. 242.d.e
mel adulationis symbolum. 556. e. *cur in sacrificiis offerri phibetur.* 242.f.&c. *quid Pindaro.* 241.b
mel Corsicum aliquid amari habet. 242.e
mel & fauū in sacris, quid. 242.c.243.d
mellis vsus vitam diutius producit. 242.e
melle & lacte fluens terra, quid. 241.d
melle & lacte imbuebantur infantes suscepti à lauacro. 242.c.243.d
melle sæpe vsi Pythagorici. 242.e
melampus. 68.d
melæs & melon cur vocatus Nilus. 181.b
meleta. 163.a
melicerta. 194.c. *huius corpus in Isthmo à delphino expostum.* 252.f.253.e
melicerta, qui & Palæmon. 506.e
melissæ historia. 245.a
melisti Enboici sententia de olore. 212.e
militæna. 562.e
mellophori. 525.b
melo vocatus aliquando Nilus. 448.e
melon & Melius Hercules. 94.d
melote, quid. 524.f
memnonis statua. 509.c
memoria grata accepti beneficij. 428.e. 570.d
memoria. 46.e
memoria diuturna. 416.f
memoria mali obliteranda. 540.f
memoria post obitum extincta. 273.a
memoriæ consecrata auris. 312.f
memphi templum Serapidis. 294.d
memphitica inscriptio de Aegypti libertate. 38.f
menalij equi quales Thormis. 41.a
menalippus Dianę templum violauit. 537.b
menandri locus! 158.d
menander Samarita hæreticus. 136.e.f
menapes seniores milites. 142.f
menapij. 48.d.412.e
mendacium. 264.f
mendacium in extrema parte nigrescit. 215.a
mendacia cur imbecilla. 313.c
menis rex cur ab Aegyptiis malè audiuit. 80. f
menoni in vxorem data Semiramis. 104.e
mens quid Tullio. 132.e. *à sensu decepta.* 136.e. *verborum fons.* 45.a
mentis attonitę cōsternatio. 257.c.258.d
mentis erigendæ signum. 461.b
mentis frater est os. 45.a
mentis vehemens agitatio. 335.b
mensarij. 482.f
mensis. 434.d
mensis cur bos appellatus. 23. a. *cur per palmam.* 488.e
menses singuli diis singulis, & quibus attributi. 131.a
mensium Græcorum diuisio. 298.e
mensura à qui busnam principium sumere debeat. 345.b
mensura digitorum filia. ibid.
mensura qua sit ad salubritatem bibendum. 290.d
mensurarum nomina. 345.c
mensurarum & ponderum ratio cur incerta. 345.b.c.349.c
mephibosetha Ionathæ filius. 49.c
mercator & mercatura. 570.f
mercatorum stationes in Ianis habebantur. 299.a
mercurius. 73.c.312.e.570.e.f.583.c
mercurius, vel efficax sermo. 323.a
mercurius χρυσόῤῥαπις. 146.d. *Deorum præco.* 312.f. *concordiæ signum.* 454. c. *cordis & sermocinationis dominus.* 161.c. *cur vocatus Cyllenius.* 335.c. *cur Latonæ committitur ad Xanthi fluuij ripam.* 312.e. *magno silentio colebatur ab Aegyptiis.* 268. d. *primus literas Aegyptias communicauit.* 463. c. *primus verba in ordinem redegit.* 312.f. *rationis & veritatis Deus.* 290.c. *sermonis præses.* 312.e
mercurius Trismegistus. 572.e
mercurij simulachrum apud Corinthios cum ariete cur. 95. c. *apud Tanagræos quale.* 95.c
mercurij simulacro cur canis adiiciebatur. 312.f
mercurio cur arundo adsculpta. 549. b. *cur dicatus gallus.* 237. a. *lacte cur supplicatum.* 517.a
mercurio linguæ victimarum à quibus adolebantur. 313.a
per Mercurium in Sacris quid denotetur. 419.b
mercurium Nilo prognatum putabant Aegyptij. 268.d
meretrix. 9.b.c
meretrix per mel. 242.e
meretricia petulantia per equinam imaginem indicatur. 40.f
meretricia procacicas. 40.d
meretrices quænam amatoribus suis comprecantur. 61.a
meretriculas quasnam poësim vocarit Plato. 258.d
merops. 158.d.e. *huius pietas in parentes.* ibid.
metulę lauri folio annuum fastidium purgant. 205.b
messalina. 98.f
messalinæ salacitas. 125.a
messenij. 414.d
messeniorum exitium vnde animaduerterit Theoleus vates. 519.b.c
messis in Diuinis literis, quid. 536.f
messis per falcis symbolum. 537.b
messoris ab aquila liberati historia. 178.f
meta. 365.c
meta triangularis & quadrangularis quę. 382.e
metallis singulis Planetarum nomina tributa. 571.b
metellus corum lapideum imposuit sepulchro Diodori rhetoris. 218.e
meteora. 307.c
methona. 224.f
meticulosus. 17.b
metus quid. 501.c
metus comes potentiæ. 17.b
michaël. 424.f.425.c
michaël angelus occidenteli vento præpositus. 426.d
michaëlis vox quid. 331.a
michaël Siluius. 19.c
michaëlium familia Veneta. 27.c
midas cur asininis auribus fuisse prædicetur. 108.f
midæas Satyrum capiens, quid. 89.c
midæ puero formicæ in os tritici grana congerebant. 69.c
midæ quomodo Phrygię regnum prænostratum. 176.d
migratio. 441.a
milanionis cerus dicebatur. 65.c
milichius à nonnullis appellatus Bacchus. 392.c
miles. 48.e
miles Romane, Aegyptum caue, cur dictum. 38.f
milites cur vulpibus assimilati ab Aristophane. 121.b
milites fugientes galeari lepores vocati à Cornificio poëta. 119.a
milites mulierosi. 150.f
militaris disciplina. 159.c
militaris ordo. 83.b
militaria signa vocalia & muta. 31.c
militia. 553.a
militarium ordinum insigne. 32.e
milium. 405.f. *ex milio præsumptus panis, incolumitatem præstat contra venena.* 537.c
militiæ antiquæ vestigia Rom. apud Masæos. 142.e
mille nonagintaquinque cur taciturnitatis signum. 362.f
millenarius numerus quibus signis notabatur. 357.c
millenarij numeri nota, & reliquorum quæ. 360.f
milliarium. 349.c
milo Crotoniates Iunonis sacerdos. 472.e. *cur in certaminibus inuictus.* 229.d. *cur à Theocrito celebratus.* 30.f
milonis ahenea statua in Olympia, eiusdęmque significatio explicata. 472.e
miluius. 164.e
miluij Britannis sacri. 166.d
miluius procumbere, prouerb. 165.a
in miluios qui dicantur conuerti. 165.b
mimond æmon. 384.f
mimus. 338.d
mimæ & pax. 145.b.c
minerua. 569.c
minerua Arcadica. 472.f
minerua Pythagoricis cur per triangulum æquilaterum. 383. c. *cur Trigemina.* ibid. c
minerua ταυροπόλος. 31.a
mineruæ clypeo adsculptum Gorgoneum caput. 187.b
mineruæ symbolum per noctuam. 187.b
minervæ tertium vniuscuiusque mensis diem dedicarunt Aegyptij. 383.c
mineruæ Operatrici lacer gallus. 223.c
Ministerium. 334.f
minotauri effigies quando extollebatur. 32. d
minutio Auguri cur bos aurata posita. 26. e
mirmillones. 445.c
miseratio. 169.b.187.a.211.b
misericordia vel pietas. 588.d
misericordia per genu. 339.a
mithridatis cōtra venena remediū. 559.c
mittere sub iugum. 409.c
mitra. 398.e.f
mitylenæi Sapphus imaginem numis impresserunt. 308.f.309.a
mixta. 13.b
moderatio. 299.c
moderator. 305.b
modestia. 23.a.390.d
modestini Iureconsulti locus. 469.a
modius. 538.c.d
modio supersedere, quid. ibid.d
mola. 363.a. *molaris lapis.* ibid.
molles per comæ symbolum. 300.e
mollities. 282.e.424.b
mollities lascina. 341.a
monarchiam probauit Isocrates. 179.a
monodos cur vocatus Prusiæ regis filius. 102. f
monstra domita ab Hercule, quid. 47.c
montani elephantes quales. 18.d
monumenta aliquot vetusta diuersis locis extantia. 529.b.c
monumenta vetusta in agro Bellunensi. 205.c
mora. 232.d
moralis philosophia discenda. 367.a
morbus grauis. 438.d
morbi ad Deorum iram referebant veteres. 205.b
morborum singulorum singuli erant medici apud Aegyptios. 162.e
morborum transitus in rebus inanimis. 113.b.c
mordacitas. 261.a
mores ciuiles imperfecti. 247.a
mores coniugis ferendi. 272.d.e
mores occulti. 100.f
mores prani. 334.e
morum dissolutio & instabilitas. 102. e. *varietas.* 104.d
moribus aliorum accommodatus. 256.e
à moribus bonis alienus. 77.c
mōrositas. 414.e
morosus atque difficilis. 266.d
morphò Venus. 579.b
mors. 310.c.411.b.416.d.e.471.b.504. f.581.c
mors difficilis. 260.f
mors & imbecillitas. 579.b
mors in diuinis literis, quid. 189.b
mors per pedis hieroglyphicum. 327.a.b
mors pro amaritudine. 504.f
mortis hieroglyphicū per noctuā. 189.a
mortis indicium Cupressus. 504. d
mortes duæ. 450.f
morsus canis rabidi. 50.f
morsus icimi hominis pestilentior. 137.c
mortalium duæ conditiones. 283.c
mortui exenterati & aromatibus delibuti Alexandriæ diutissimè conseruabantur. 196.d
mortuorum ventres cur eximebant Aegyptij. 81.c.326.f
morus arbor. 508.d
morus parasitus in cæparum allijq; comedones inuehitur. 539.c
moses cornibus insignis effingitur. 67.a
moses infans in prosluētē expositus, à Thamura Pharaonis filia seruatus. 370.d
moses rogatus ab Israëlitis, vt velata facie loqueretur, & cur. 400.f
mosi cur ab aqua nomen inditum. 369.c
mosis serpens æreus quid mysticè. 138.e
motacilla. 237.c
motus spiritalis. 567.b
motus à dexteris partibus oritur. 338.e
motus omnis à corde initiū habet. 317.a
Mula equum peperit pilo flauo. 115.a
mulorū partus ostenti loco habitus. 144.e
muli cur vehiculo lunæ adhibiti sunt. 113. c
mulorum vsus tempore belli plurimus. 114.d
mulier ad delinquendum procliuis. 322.e
mulier malè morigera. 111.b
mulieris amor. 260.d
mulieris grauidæ appetētia effræn. 569.f
mulieres castigandæ admonendæq; 535.a
mulier. à Luna debēt esse diuersę. 260.d.e
mulieres honoris studiosas esse debere. 574.e
mulierosus. 64.e
muliebris curæ vanitas quæ. 404.e
muliebris salacitas. 126.f
muliebris statura. 382.d
muliebris virtus. 406.d
muliebre officium. 93.c
muliebres columnæ. 486.e
mulus ter anno parit. 230.d
munditia intaminata. 125.a
mundus duplex. 575.a
mundus. 71.c.435.c.482.d
mundus, vel vniuersum. 566.e
mundi machina. 87.c.128.d.572.d. *mens Sol.* 305.b. *moles.* 138.f.293.c. *moles plena Deo.* 384.c. *partitio apud Aegyptios.* 172. d. *hieroglyphicum.* 566.f
mundi partes quænam dexteræ, & quæ sinistræ. 24.e
municipibus iniurius suis. 212.d
munificentia. 16.e.548.f
munimentum. 122.e.418.e
munimentum ab insidiis. 159.a
multatus de gula. 265.c
multimammia Diana. 231.c
multiscius quo signo in lucē editus. 299.a
multitudo per nonenariū numerum. 356.f
multitudo, & vnus è multis, quid. 185.c
multitudo infesta. 69.c.70.d
multitudo per vicenalē numerum. 359.b
multiuolus. 231.a
muræna. 209 a.b. *an serpentibus copulentur.* ibid.
murenæ & thrisse euocantur concentu & tintinnabulis. 61.b
muræenis exponebant olim seruitia Romani proceres. 272.d
muri pro corona accepti. 400.f
mus. 124.d.e
mus albus quis dicatur. 125.a. *auditu pręstat.* 23.c. *in conuiuio candelam temit.* 54.f
muris arrosio pernicioſa portēdit. 124.d.e
muris salacitas. 125 a
murium palatum in gustu sagacissimum. 124.f
mures negligit elephantus. 17.b
musa. 295 c.462.d
musæ cum Apolline. 462 f
musæ tres Apollinis filiæ quæ. 463. a
musæ vnde dictæ. 458.e
musarum coronæ ex pennis. 199 a
musarum fons in Parnasso excitatus à Fama. 35.b
musarum afflatus. 583 b
musas meretriculas appellauit Plato. 243.a
à musis & Gratiis alienis. 288.a
musæa hirundinum quæ. 209.c
musica. 247.c
musica in sacris literis, quid. 248.d
musica, insigne in Laconū clypeis. 248.d.e
musæ pertinacia ab Homero improbata. 249.a
musica. 369.a.459.a
musica suauis vini gustu cōcitatur. 515.b
musica per cicadam. 250. e. *per cygnum.* 213.a. *per luscinium.* 213.c
musici cur reprehensi à Diogene. 458.d
mustela cur inauspicatum animal. 123.c
mustela cur à Thebanis colebatur. 124.d
mustela marina. 280.e
mustelæ genitale, stranguriæ remedium. 124.d
mustelæ rutam carpunt ab esu colubrorum. 59.b
muta signa militaria. 31.c
mutili. 486.f
mutua officia. 115.b
mutuo muli scabunt. 115.b.c
mycenarum portis statuebantur leonis effigies. 2.f
mycenis pauo in æde Iunonis ab Hadriano dedicatus. 220.e
mycerinus Aegypti rex. 22.f
mycerini Aegyptij colossi quales. 334.f
mychæa Veneri sacra. 135.a
myiodem muscarum Deum imprecatus Hercules. 248.e
myonia. 125.a
myrias. 248.d.e
myrillo cur iratus Cæsar. 398.d
myrmidonum fabula. 69.a
myrtilus. 424.f
myrtus. 587.b
myrtus ab Hecates templo summota. 136.d
myrtus corona funebris. 495.b
myrtus pro pudendo muliebri. 494.f
myrtus Veneri dedicata: ibid.
myrti consideratio. ibid.e
myrti ramus hilaritatis indicium. 495.a.b
myrto coronari soliti milites. 400.d
myrtea corona triumphantium militum capiti gestata quid indicarit. 495.a
myrteæ virgæ hieroglyphica significatio. 495.a

N

Literæ nota. 414.e.f.
N.D. literæ, quid indicent. 414.e.f
N.L. literarum notæ, quid. 163.a
Nabuchodonosor. 79.b
Nabuchodonosoris somnium. 479.a

Nabuchodonosor Hierosolymã cepit. 182.e
nauij locus. 253.c
naius. 528.d.e
nanaël. 426.c
narcissus flos. 587.b
narcissus puer in florem conuersus. ibid.e
nares in sacris, quid. 310.d
nasamones quo pacto sepeliri voluerint. 421.b
nasanes vocati Gryphes. 216.f
nasturtij oleris vis. 179.b
nasus. 310.d
nasus simus petulantiæ signum. 254.f
nasi adunci signum quod. 180.e
nationes totius terræ in quot partes diuisæ. 57.c
natorum obsequium erga parentes. 13.b
natura humana. 432.f
natura rerum varietate delectatur. 134.f
naturalis philosophia. 367.b.c
nauigatio. 165.b
nauigatio cita. 254.d
nauigatio secunda. 213.b
nauigatio tuta. 266.f
nauigationis authores. 442.f
nauis. 441.a.& seq.
nauis apud Athenienses colebatur in Thesei memoriam. 441.b
nebrias. 280.e
nebridius quid à Iuliano petierit. 333.a
nedes fluuius. 519.b
necessitas. 455.a.475.c
necessitas in caduceo significata. 144.f
necessitates tres naturales. 581.a
necessitudinis auersator. 236.e
necessarium, primum esse debet. 28.d
nefastus dies. 414.e.f
negotia publica declinanda. 547.c
nemeea certamina quare instituta. 506.d
nemeeus victor. 506.d
nemeeorum victoribus ex apio viridi corona texebatur. 505.a.506.d
nemesis. 524.d
nemeseos simulachrum. ibid.
nemeseos simulachrũ & inscriptio. 347.c
nemeseos locus vbi. 311.b
nemeseos signum. 469.c
neomenia dies quis. 433.a
nephthe. 166.f
nephthys inferius hemisphærium. 46.f
neptunes. 25.b
neptunus delphinis imagine vbinam colebatur. 253.b
neptunus piscis cuiusuis signum. 253.c.d
neptuno sacrificabant thunnum piscatores. 284.d
nequitia. 254.f.286.f.473.a
nequitia immoderata. 226.f
nequitia inueterata. 323.b
nequitia in temperantiam versa. 38.f
nequitiæ facinorositas. 89.a
nequitiæ frænum. 547.b
neritos taurus. 31.b
nero Claudius quonam ætatis anno sublatus est. 301.c
nero serpentis ope seruatus. 147.c
neronis somnium de formicis. 141.c.*somnium de asturcone suo.* 37.a
nesciri facienda utilissimum in expeditionibus. 32.d
nessæa. 442.d
nicarchi epigrammatis explicatio. 353.b
nicagoræ apparuit Aesculapius sub anguis specie. 148.e.f
nicandri locus. 40.d. 131.b.133.c.150.e.151.a. 152.f.217.c
nicias imbecillo fuit corpore. 298.e
nicippus Cous. 5.a
nigidius opus halieuticum elucubrauit. 280.d
nigra præcordia Homero quæ. 374.f
nigræ Veneris sacellum vbi. 324.d
nigris fluuius. 447.c
nigri coloris signum quod. 202.d
nigrum & atrum. 265.a
nico Attica meretrix cur ἀξ vocata. 88.f.89.a
nicon dæmon. 384.f
nicolaus Cordatus. 219.c
nicolaus Leonicenus. 304.e
nicolaus Leonicus Thomæus. 304.e
nicolaus Leonicus Pataui Aristotelem Græcè prælegit. 257.b
nicolai Leonici Thomæi laus. 212.f
nicolaum Leonicum docẽtem audiuit Pierius. 447.a
nicolai Rodulli præstantia ac laus. 405.b
nicolaus Scõbergus Card. Cãpanus. 420.e.f
nicostrati Iambi in garrulitatem. 209.c
nilus. 328.f
nilus per aquilam indicatus. 141.e.*fertilis, fœtifer, pinguis.* 448.d.e. *cur cum tribus vrnis figuretur.* 447.b.*cur Melas & Melon vocatus.* 181.b. *totius humoris fons.* 317.c
nili diluuium. 317.a
nili diluuium quonam anni tempore. 8.d
nili fontem phialam appellauit Timæus. 447.b
nili simulachrum quale. 448.e. *cur ex nigro lapide.* ibid.f
ninus Bactrianos Semiramidis industria expugnauit. 204.e
nisus à Minoë interfectus. 579.b
nitedula vermis. 151.c
nitores. 512.f.513.a
nixidia signa. 340.d. *cur sic dicta, & à quo Romam portata.* ibid.
nobilitas. 385.b
nobilitas generis. 250.d
nobilitas per anulum indicata. 397.b.*per Lunam indicata.* 414.e
nobilitatis nullum discrimen apud Aegyptios. 546.e
nobilis, vel indigena. 566.e
nocte meditandum. 512.f.513.a
noctua. 187.c.& seq.
noctua fortunare dicta Athenienſium etiam malè consulta. 188.f
noctua in Hieronis hasta visa. 188.e.*insidens hastæ Pyrrhi.* 189.b. *letale quid & in auspicatum affert.* 188.f
noctua noctis domina. 189.b
noctua volat, prouerb. 189.a
noctuæ & cornicis immortales inimicitiæ. 189.a.b.c
noctuæ Laurioticæ quæ. 189.a
noctuæ qua ratione pecuniam significabant. 189.a
noctuarum artificiosa pugna. 199.c
noctuis pugnantibus opem fert accipiter. 199.c
noctuina ova vini odium inducunt. 109.d
nocumentum absconditum. 498.e
nodus Herculis. 371.b.c
nonaginta. 362.e
nonæ Caprotinæ. 508.e
nomadum rusticitas asperrima. 203.b
nomismatis Lysimachi origo. 4.f
noricæ alpes quales lepores progignant. 120.f
nosora vel nosola. 287.b
nothus. 115.a
nouacula in fortunæ simulacro. 379.a
nouenarius numerus multitudinem significat. 155.a
nouem, nongenta. 356.f
nox in sacris, quid. 438.e
nox per pauonem. 220.f.*pro morte.* 189.b.*studiis commodissima.* 452.d
nubes. 371.a.b
nubes belli Virgilio, quid. 373.b
nucis iuglandis hieroglyphicum. 502.d
nullius frugis opus. 415.c
num, Aegyptiis, quid. 8.d
numa Pompilius inuenit rationem elicien dorum fulminum. 428.e
numa Pompilius Ioui Flaminem assiduum sacerdotem instituit. 421.c
numa populo dedit in congiario ligneos & scroteos asses. 27.c
numa Pompil. quomodo deceperit Picum & Faunum dæmones. 418.e
nume ancile. 411.b.c
numen. 455.c
numen improfanabile. 547.a.b
numerosa proles. 308.f
numidæ cyrocephalorum lacte viuebant. 53.a

N V M I.

Numus L. Aelij Aurelij Commodi. 270.e.f
T. Aelij Cæsaris Antonini. 481.b
L. Aelij. 331.c
M. Agrippæ. 253.b.c.442.f
M. Agrippæ Coß. III. 423.c
Alexandri Pij Imp. 532.f
Antonini Pij. 16.e.146.d.177.c.d.176.d.278.f.331.c. 379.c. 380.d. 386.d. 412.f.429.b. 434.e. 445.a.b. 481.c. 483.a
Antiochi. 12.e.464.c.584.d
Argiuorum. 125.b
Asia recepta. 142.d
Athenienſium. 27.b
Augusti. 88.f.a. 270.e.f.436.d. 441.b. 581.c
Augusti patris. 177.c.178.d
M. Aurelij Antonini Brit. 571.c.421.c
Aurelij Cæsaris. 139.b
M. Aurelij Seueri Alex. 148.e
Cæsaris Dicti III. 142.e
Caligulæ. 421.c
Caracallæ. 513.a
Celphalæniorum. 37.c
Cibiratici numi consideratio. 203.c
Claudij P.T. Aug. 532.f
Clodij Pupieni. 422.d
Constantij Imperatoris. 483.a
Corinthiorum. 35.a
Domitiæ Augustæ Imp. 221.a
Domitiani. 445.a.b.481.c.483.a
Domitiani Coß. XIII. 422.d
Drusi. 146.d
Fabatij. 131.b
Faustinæ. 13.b. 191.b. 220.e. 221.a.b. 378.e. 379.c. 433.b.481.b
Gallieni. 35.a. 65.c. 96.d. 103.c. 216.f. 268.f. 406.f. 427.a
Germanici Imp. Cæsaris Aug. 379.c
Ser. Galbæ. 386.d
Gordiani Pij. 331.b.c. 336.d.e. 387.b
Gratiani. 332.e
Hadriani. 35.b.37.b.65.c.151.a.157.b. 178.d. 334.d.441.b.481.b.481.c. 510.f. 533.a
Hadriani tertium Consulis. 298.d
Hadriani Traiani Impp. 146.d
Hieremiæ. 389.a
Iani. 297.a.441.a.442.d
Iani bicipitio imberbi. 432.f. *& eius bicipitio barbato.* ibid.
Iuliæ Augustæ. 42.c
Iuliæ Mamææ. 140.c.141.d.146.d
Iuliæ Piæ. 525.f. 536.d
Iuliæ Piæ Felicis. 220.d.481.c
M. Iul. Philippi Aug. 278.f.421.c
L. Liuinei Reguli. 536.e
Lucillæ Augustæ. 413.c.346.f
C. Mamilij. 46.f.549.c
C. Marij. 27.a.b
Q. C. Mari. 15.c.161.c
Diuæ Marinianæ. 162.d
Maximiani Pœni. 359.a.b
Maximiani. 511.d
Diuæ Maximinæ. 221.b
Metij Macri. 436.e
Q. Nasidij. 253.c. 254.d.442.b
Neptuni imagine. 253.c
Neroniani. 37.b
Neronis Cæsaris Augusti. 279.b. 420.f. 421.c. 459.a. 439.c
Neronis Claudij. 253.c
Neruæ. 37.a.379.c.429.b
Neruæ Traiani. 379.c.d.445.a
Noctuarum numismata varia. 18.e
Octauiani Augusti. 295.a.b
Otacillæ. 389.a
Papiriani. 37.b
L. Pap. Cursoris. 35.b
Diuæ Paulinæ. 221.b
Peloponnensium. 261.a
Pertinacis. 435.b
Diui Pet. Pij patris. 177.c.d
M. Pletorij Aed. Cur. 423.a
C. Poblicij Q. F. 2.f
Pomponij Musæ. 459.a
C. Posthumij. 49.c
Pyrrhi. 177.b
Romanorum. 588.f
Diuæ Sabinæ Augustæ. 178.d
Sabinæ Aug. Hadriani Aug. 389.a
Saloninæ. 96.d.433.c
Sagittarij nummi qui. 408.e
Sapphus imaginem numis impressere Mitylenæi. 295.a
Scribonij Libonis. 457.a.b.458.d
Sceleuci numus. 31.c
Septimij Getæ. 418.e
L. Septimij Seueri. 16.e
Seueri Alexandri Aug. 433.b
Seueri Macrini Aug. 146.d
Seueri Pij. 510.d.e
Syracusanorum. 25.b.37.c
Tenedius numus. 296.f.416.f.417.a
Tib. Cæsaris. 220.e
Tib. Claudij. 145.c. 385.b.537.a
Tigranis. 397.c
Titi numus. 490.d
Q. Titi. 35.f
Titi Vespasiani. 254.e. 421.b. 443.a. 536.d
Vespasiani. 27.a.145.c.178.d
Vitellij Cæsaris. 574.e
Numi aliquot Herculis claua signati. 497.e
numi argentei à senatu Augusto decreti consideratio. 484.d
numi argentei cuiusdam inscriptio. 54.d
numi bigati, & quadrigati. 424.f
numi cancri figuram habentes. 261.b
numi continentis muliebre caput galeatum consideratio. 296.e
numi cuiusdam argentei habentis angues tres consideratio. 142.d
numus Cybelcium habens caput. 505.d
numi duos serpentes continentis consideratio. 140.d
numus gallinaceorum conflictu signatus. 213.c
numi, in quo quadriga cum victoria, consideratio. 150.f
numi nocturnarum varij. 188.f
numi ranam habentis consideratio. 275.c
numus serratus quis. 417.e
numi veteres. 383.a.b
numi victoriati. 199.a
numisma Atheniensium. 27.b
numisma tricipitis Serapidis. 298.e
numismata aquilam præferentia. 177.c
numismata plurima cum serpentib. quare cusa. 148.e
numorum aliquot consideratio. 88.f.177.b.195.c.d.270.e.f.278.f.334.d.338.f.388.f.421.b.c.428.f.431.a.437.c. 438.d. 469.a. 490.d. 492.f. 496.f. 499.a
nupta nona. 555.c
nupta nona cur in pelle lanata iubebatur sedere. 93.c.*curru vecta traducebatur.* 424.d. *quibus modis ducebatur in domum ad maritum.* 452.f.453.a
nuptæ nonæ offertur colus & fusus in agro Bellunensi. 471.a
nuptiæ. 235.a.424.d.452.f.471.a.490.d.502.d
nuptiæ per tricenarium numerum. 359.c
nuptiarum fœdera cur sacramento ignis & aquæ sanciebantur. 454.f
nuptiarum hieroglyphicum per cornices duas. 191.a
nuptialia. 34.e.f.454.e
nupturæ olim camelis virginibus supplicabant. 117.a
nuriel. 425.c.426.d. *nursiæ antrum.* 292.f
nutricationis facultas. 231.c
nycteretum herba. 561.b
nycticorax. 190.d
nympha cur dicta echidna. 129.a.b
nymphis fontanilibus ædes sacrę. 483.

O

O Litera. 462.e
Obcæcatus in sacris quis dicatur. 307.a
Obdurari & excæcari quempiam à Deo, quid. 238.f
obedientia per aurium symbolum. 310.f
obelisci Aegyptiorum. 484.e
oblinio cur dedicata Baccho. 535.a
obolus. 174.e. *obscœnitas.* 174.e
obscura vel cădida quæ dicantur. 374.c.f
obsequium. 49.a. *obsonatores.* 288.e
obturus amatorius. 23.b
occasus. 268.d
oceanus Nemeseos pater. 447.c
oceanus rerum parens Homero. 72.d
occisi pro patria. 485.a
occultum consilium. 31.c.567.b
ochus auaritia famosus. 112.e
ochus compulit Aegyptios imaginem asini auream adorare. 112.e
ochus Persarum rex ab Aegyptiis per asini simulachrum notatus. 112.d
ochus Persarũ rex Apin ingulauit. 414.d
ochi crudelitas. ibid.e
octaëdrum. 585.a
octauiani epistolæ ad Tiberium locus explicatus. 330.f
octauiano panem de manu rapuit aquila. 176.e
octo, octingenta. 356.f. *octoginta.* 497.b
oculus cur Dei signum. 306.d
oculus mentis quando rectè cernit. 194.d
oculus, Solis cognomentum apud antiquos. 498.e
oculus Venereus quis Hesiodo. 307.c
oculi affectuum moderatores. 306.c
oculi Dei in diuinis, quid. 305.c
oculi diuini. 132.d
oculi emissitij, hominis dolosi ineptique signa sunt. 275.b.*fores animi Polemonii.* 304.e.*morientibus operiebantur, in rogo patefiebant.* 307.c
oculorum caliginis remedia. 553.a.559.b
oculis explicantur motus animorũ. 304.e
oculos iustitiæ quales dicebat Chrysippus. 305.a
oculatus. 310.e
odoacer Italiam afflixit. 167.a.b
odium per piscem interpretatum. 385.b
odia capitalia. 556.d
odoramenta in diuinis literis, quid. 532.e
odorari in sacris, quid. 310.d
œdipus Coloneus in senectute conscriptus à Sophocle. 212.d
œnomai equi qua rõne terræfacti. 100.d.e
œnotria. 188.f
œstrum fluuialis materia producit. 247.b
offensionis illatæ pœnitentia. 409.a
officium muliebre. 93.c
officia mutua. 231.c
officia mutua per manus. 465.c.466.d
olea. 510.d.e.& seq. *quid in sacris.* 511.c
olea Athenis conflagrata litem excitauit inter Palladem & Neptunum. 512.e. *de eadẽ ibi enata fabula.* 513.c.514.d
olea à quibus inuẽta. 513.b.*cur Anazarbi Ciciliæ ciuitate sit fœcundiß.* 514.e.*cur Iupiter coronari solit⁹.* ib.f.*cur Minervæ sacra.* 514.e.*inimica quercui.* 498.d
oleæ æternitas. 499.a
oleæ baccas veteres parsimoniæ causa apponebant. 514.d.e
oleæ ramus lana circumuolutus à quibus gestari solitus. 512.d. *ramusculus cur*

in Mercurij manu. 510.d.e. *ramum sertis coronatum vouit Apollini Theseus* 512.e. *sacra stirps quando sponte conflagrarit apud Milesios.* 512.e
oleis vescens Plato cur à Diogene irrisus. 514.d
oleaster in sacris quid. 511.c
oleastro coronabatur Olympionicæ. 512.f
olfactus. 50.f
oleum in perturbatos maris fluctus infusum, tranquillos facit. 512.e
oleum legatum à nonnullis ad gymnica certamina. 513.a
oleum cur concitandæ insaniæ pharmacum vocarit Anacharsis. 512.e. *cur extra corpus quàm intra absumi maluerit Epaminondas.* ibid.
oleum terra erupisse trans Tyberim Augusti temporibus. 511.b
oleï fons repentè exortus ad Oxum flumen in Alexandri exercitu. 513.a
olei significatum. 242.e. *significatio in sacris.* 511.d. *vas plenum in Panathenaicis victoribus dari solitum.* 513.a.b
olina quàm longè ab alieno solo plantanda. 484.d
oliuæ surculum columba in arcam Noë importauit. 510.d.e
de Oliua plantanda legendáve, Rutilij Tauri præceptum. 514.e
oliuerius Caraffa rosarum odorem ferre non potuit. 74.d
olla in diuinis literis, quid. 539.b
olla succensa & à Hieremia visa, quid. 451.a
ollas pulsitabant per vrbem Lacenæ mulieres in Regum suorum iustis. 539.a
olor. 211.b.& *seq.*
olor cur inhospitalis Pindaro. 212.d
olores sese mutuò depascentes. ibid.
olympia Alexandri matri fulmen per somnium oblatum, quid. 429.a
olympiæ somnium de dracone quid portendebat. 141.c
olympiacum stadium. 349.a
onesili Regis caput cur honorificè sepultum. 241.a
onites cunilæ species. 70.f
onirocritarum commenta à quibus desumpta. 308.e
onocrotalus. 186.d
operis laborioſi finis, ad fructum respicere debet. 93.c
opera laudabilia. 402.d
ophiomachus. 263.c
opis. 85.a
opis imploratio. 26.f.423.a
opis Deæ simulachrum quale. 466.a
opis Deæ simulachro serpentes appositi, quid. 139.b
opi sedendo rem sacram faciebant. 54.d. *opem ferre.* 331.b
oppiani locus. 215.a
oppida condere, inter ingentia facta recensebatur. 484.f
oppidis condendis quis mos. 23.a
opisthocomæ vocati Euboïci. 300.e
opportunitatis captator. 74.e
oppugnatio manifesta. 355.c. *occulta.* ibid.
optio. 124.f
opulentia. 69.c.70.d.92.f
opulentia felicitatis pars. 511.a
opulentus. 123.a
opus. 328.d
opus & labor. 27.c
opus inane. 250.f
oracula consulta vt medicina multifariam peteretur. 205.b
orata Sergius. 396.f
oratal & Allat Arabum Dij. 468.d
oratio, vel eloquentia. 570.e
oratio ardens. 317.c
oratio ornata. 587.a
orationis profectus. 394.d.e
orationis firmitas. 570.f
M. Oratius consul. 476.d
oratores vani notati. 284.d
oratoria ars mercenaria inanis est. 543.c
oratoriæ partes tres. 14.d
orbis dominium. 140.c.141.d
orbis terrarum. 57.c.379.b
orbem in quot partes diuiserint Astrologi. 57.c
orbitas. 309.a
ordinis obseruator. 164.e
ordines equestres Tarentini. 38.d
oresteæ furiæ. 341.b
orgyia. 348.e
oriens. 16.d
origanum. 560.b.d
origanum carpit testudo cùm viperam ederit. 70.f.71.a
origanum cur frumenti aceruis circumspargendum. ibid.
origanum imponunt plagæ Ciconiæ cum vulnus à serpentibus acceperint. 70.f
origani species. 560.e
origenes immeritò poëtas taxat. 275.a.b
origenes Latinus valde corruptus. 4.d
origenis codex emaculatus. 507.b
oris vis per colubrum indicata. 133.a
oritæ pane ex piscibus confecto vtuntur. 55.c
orizon. 47.c
ormenus dæmon. 384.f
orontis de supputatorum digitis sententia. 352.f.353.a
orpheus. 458.e
orpheus cur in cygnum emigrasse dicatur. 213.a. *qua specie huius anima foret euocanda.* ibid.e
orphei simulachrum in Lebethris. 503.c. *sudorem emisit.* ibid.
orta senescere. 302.f
ortus. 268.f
ortus & obitus rerum. 126.e
ortus Apollo, vide Horus oryx. 55.a
os & oris fabrica. 314.f
os non habere, quid. 313.f
oscorzones viperas vocant Hetrusci. 139.c
osculandi manus Imperatoris mos. 333.a
osculum symbolicis Theologis, quid. 572.
osculo licebat olim apud Romanos obuias quasque mulieres excipere. 203.a
oscula apud Lacedæmonios concessa. 263.a. *apud Megarenses in honorem Dioclis.* ibid. *Apud Nisæos.* ibid.
oscus rex, & populus. 139.c
osiris. 31.b. 82.f. 129.d. 166.f. 323.a. 362.f
osiris & Anubis expulerunt Gigantes ex Italia. 47.c
osiris eodem, quo Ceres, insignitus gestamine. 538.d
osiris Gigantes bello persecutus. 300.d
osiris idem qui Dionysius. 360.498.e
osiris Iupiter, pater, iustus, dux. 208.f
osiris vox quid Aegyptiis. 301.a
osiridis imago quæ. 305.b.567.a
osiridis peregrinatio. 300.e
osiridis tunicæ. 376.d
ossa leonis dura. 8.d
ossifraga aquila quæ dicatur. 178.d
ostentum quodnam acciderit Flaminio Consuli. 42.f
ostenta varia. 141.b.& *seq.*
ostranicæ & scorteæ pecuniæ. 27.c
ostrea. 262.f. 263.a. *cui Deo dedicata.* ibidem.
othocarus Bohemiæ rex oblatum imperium respuit. 167.c
otij studiosus. 237.b
otis auis. 232.f
otidum caro suauissima. ibid.
otus auis modulamine afficitur. 61.c
oua Zephyrea, hypenemia, vel subuentanea quæ. 168.c
ouatio. 495.a
ouiculæ cognomentum cur tributum Fabio. 90.e
ouidij locus. 25.c. 51.c. 153.b. 154.e. 229.b. 242.e. 287.b. 297.a. 307.b. 311.b. 358.d. 375.c. 425.c. 439.b. 452.f. 508.f. 572.d. 579.c. 587.a
ouidij Halieuticon opus. 279.b
ouiles mores. 91.a.b
ouili pecoris hostia cur vocata maxima. 92.e
ouis. 91.a.& *seq.*
ouis leonem pariens, quid portendat. 4.d
ouis vnus, multa dicta. 94.d
ouis lupig, antipathia. 94.f
ouem offerre Deo, quid. 90.e.f
ouem quando sacrificabant Romani. 32.e
oues ambiguæ quæ. 93.c
oues antiquitus in honore habitæ. 93.a
ouium pastor quis in sacris. 91.c
ouum pro carne vitatum. 545.b
oxy mala Persica. 588.d
oxyrynchitæ piscem pro Deo coluerunt. 290.f

P

Pacificator. 332.d.572.d
Pacificatio. 341.b
Pacuuij locus. 128.e
pæciliæ pisces. 284.f
pæti oculi. 307.a
pagurus piscis. 262.d
palæmon Grammaticus M. Varronem literarum porcum appellauit. 76.d. *arrogantissimus fuit.* ibid.
palæmon puer delphino vectus. 252.f. *eidem nautæ vota faciunt.* ibid.
palæmon, qui & Melicerta. 370.f
palæstini arcam Domini prædam abduxerunt. 26.d
palæstini dolosi. 121.b
palamedes cur pullum equinum Soli sacrificandum putarit. 43.c
palamedis responsum ad Vlyssem. 164.e
palamnæi dæmones. 384.f
palato angustus sedes insit. 314.d
paleæ in sacris literis, quid. 536.f
palæologi Athenienſium, qui. 15.a
paliurus quid in sacris. 530.f
palladium. 410.e
pallantis filia nupsit Dardano. 410.e
pallas armata. 408.f
pallas. 31.a
pallas, palladisq, statua. 399.b
pallas cur dicatur de cœlo descendisse. 293.c. *cur Medusæ caput prætendat.* 154.e. *cur vocata Tritonia.* 384.e
pallas & Iuno ex vulture. 171.c
pallas ex Iouis capite cur dicatur nata. 172. *Pandoram comens & ornans indicta ab Hesiodo.* 409 e.f. *per septenarium numerum.* 356.e. *trib. infaustissimis bestiis delectata opinione Demosthenis.* 188.e. *Vulcano matrimonio collocata, quid.* 172.d.e
palladis Neptunique certamen. 468.f
palladi vnde nomen. 36.e. *cur dedicatus draco.* 140.f. *dedicatus tertius cuiusque mensis dies ab Aegyptiis.* 384.d. *templum erectum ab Epopæo.* 511.b
palladem & Vulcanum masculo fœminas indicarunt Aegyptij. 172.d.e
palladē Nicander Dictynna vocat. 300.d
pallium & palliatæ comediæ. 387.
palma. 488.e.& *seq.* 588.b
palma ænea Athenis in Delphici Apollinis templo dedicata. 490.d. *cur victoriæ signum.* 489.b. *cruci Dominicæ assimilata.* 491.c. *in quo à cunctis arborum generibus differat.* 491.b. *Trallibus Cæsarianæ victoriæ indicium fuit contra Pompeium.* 462.e
palmæ materies incorrupta. 489.b. *osseula contra fascinationes.* 488.f
palmæ species piorum vitam cur significet. 491.a
palmam inter iunctiuras lapidum enatam ante domum suam Augustus transtulit in compluuium deorum Penatium. 489.c
palmę maritali copula cõiungũtur 490.d
palmarum alia mas, alia fœmina. ibidem. *eandem mutuus amor.* ibid. d
palmarum dies. 588.f
palmis Iudæa abundans. ibid.
palmata tunica. 271.b
palmus. 346.d. 347.a
palmi dimensio cur varia. 346.e
paludamentum. 391.a
palumbes ægrotæ lauri folio sibi medentur. 205.b
palumbis etymon. 204.d
de palumbibus distichon. 204.d
palumbus Diadumeno auspicium dedit ad imperium. 204.f. *Alexandro Seuero.* ibid.
palustres elephanti quales. 18.d
palustris cur singatur Hydra. 153.c
pan. 435.c.566.e. *cur fistulam septem calamis compactam & pectus variis insigne stellis habeat.* ibid.
pan cuius filius fuerit. 88.d
panici furores. 61.c
panathenaicam orationem in senectute scripsit Isocrates. 212.d
pãdectarum locus restitutus. 348.e. 397. f. 440.f
pandionis filiæ quæ. 210.c
pandora. 399.b. 577.b
panis doctrinæ symbolum. 540.f. 541.a
panis gestamen ex binulea pelle. 129.b
panis simulachrum quale. 434.d
panos in Nymphas procacitas. 87.c. *simulachrum in hortis.* ibid.
panos Lycei veneratio. 51.c
pantheon M. Agrippæ. 482.e
panthera. 103.a
panthera fœmina mare ferocior. 166.d
pantheræ etymon. 103.b
pantheræ odore delectantur multa animalia. 103.b.c
pantheræ pellis cuius rei signum. 88.d
pantheræ metuunt hyænam. 103.a
papauer. 586.f
papauer cur cereale dictum. 554.e.f
papaueris hieroglyphicum. 554.e
papaucrum capita à Tarquinio Superbo decussa. 555.b
papilio imbecillitatis symbolum. 248.e
papinij. 26.e. 341.c
papyrius cur bulla decoratus. 395.c
papyrij victoria. 495.c
papyrius cursor. 35.b. 428.f
papyrus frequentissimam opem in re cibaria præstat. 545.a
papyraceis calceis vtebantur sacerdotes Aegyptij. 546.f
par copula. 474.e.f
parasanga. 349.c
parasitandi ars. 237.c
parasitus piscis. 261.f
parcæ. 436.e
parcæ & Horæ cur Iouis simulachri capiti superpositæ. 299.a
parcæ tres quando depingendæ. 470.f. 471.a
parcæ & fato Iupiter ipse subiectus. 299.a
pardo quid respondent vulpes. 121.b
parentes venerari conuenit, & à quibus filiis. 157.b
parientium leuati labores. 340.d
pariendi facilitas. 277.b
parnacides. 391.b
parricidæ supplicium. 134.d. 281.a
parto fruens. 280.d
parturientium difficultas & facilitas per manus. 330.d.e
partus. 477.b
partum custodit aquilinus lapis. 182.d
paruo contentus. 410.e
pascha Domini cum amaritudine comeditur. 243.a
pascha quo tempore celebrabatur. 38.f
pasiades Byzantinus quomodo irriserit vanitatem insolentiamq, Lysimachi. 428.d
pasiphaë. 577.a
passer. 192.f.& *seq.*
passeris significatio in diuinis. 193.b
passerum æstatio rem veneream adiuuat. 193.b
passeres cur Veneris currũ trahũt. 193.b
passus. 348.e
pastinaca piscis. 280.d
pastinacæ piscis ictus quo medēdus. ibid.
pastophori. 422.d
pastores ouium apud Aegyptios pene profani, & cur. 91.b.c
pater, mater, liberi. 432.e
paterfamiliæ parcus. 112.d
paterna difficultas. 178.f
paterna diligētia in filiis educādis. 282.e
patientiæ. 475.a
patria. 325.a
patriæ liberatores. 386.d
pro patria occisi. 525.b.c
D. Patricij puteus in Hybernia. 384.b
patrimonium per hirundinis nidū. 200.b
patrocinium frustra imploratum. 190.d
patritius Ianus. 41.b
paupertas. 412.f. 413.a
paupertatum quid effectum. 471.a
paulus gemino ū. 458.d
paulus Iouius. 276.d. *eiusdem eruditio & laus in historia conscribenda.* 276.e
paulus Iustinianus. 174.f
D. Paulus quosnam à fratrum commercio submouet. 263.b
paulus vas pretiosum. 540.f. 541.a
D. Pauli Epistolarum locus. 326.c
pausaniæ virtus platæo prælio. 485.b
pauo Iunoni cur dedicatus. 220.d
pauone laudata superbior, prouerb. 22.a
pauones in Samo prius repertæ. 220.e
pax. 387.c.388.d. 510.d.e. 536.f
pax, bellum. 483.a
pax per caduceum indicata. 145.c
pacis commoda. 514.d. 536.d
pacis nimiarumq, hieroglyphicum. 145.a
peccatorum expiatio. 587.b
pecten. 409.e.f. *Veneri sacer.* ibid.
pectus. 316.e. 418.e
pecunia. 26.e. *ex corio bubulo olim.* 27.a. *vnde dicta.* 44.d
pecuniæ per noctuam significatæ. 188.a
pecuniosus & cum crumenis cur finxerint Deos Phœnices. 405.c.406.d
pedibus addere alas. 571.b
pedicæ. 474.e.f
pediculi scarabei. 74.d
pegasus, & vnde natus. 35.b
pecten. 411.a
pelasge nomen cur inuidiosum. 254.e
pelasgi aecenatos homines Diti atque Saturno sacrificarunt. 449.a
pelecanus. 186.d. & *seq. Christi symbolum.* 187.a.b. *quomodo cum pullis capiatur.* 186.e
peleithronius. 148.e.f
pellis. 327.a.b
pellem animantis gestare, mos fuit heroicus. 12.e
pelopides cur laudetur. 285.b
peloponnesij. 261.a
pelops vnde meruerit Hippodamiæ nuptiis potiri. 494.f
pelopis auriga. 424.f
pelusium nigras habet ibes. 161.c
pelta. 411.b.c
peltæ forma. ibid.d
pemonis Belluacensis laus. 22.f
penates Dij. 410.d.e
penna volatus hieroglyphicum. 536.d
pennæ aquilæ cur aliarum auium plumas corrumpant. 179.b
pennæ argento bracteatæ. 550.f
pennigera oratio. 568.e
pentalpha. 463.c.464.d
pentagonum. 582.c

Pendula. 392.e
pephnos insula candicantes habet formicas. 70.d
pera. 393.a
perdicio. 450.f.456.f
perdicio per maris symbolum. 373.b
perditio rerum. 222.d
perdix. 226.e. dolosus & asinus. 228.d
perdicis imperens salacitas. 226.e
perdicis significatio Theologis quæ. 227.b
perdicis venatoris improbitas. 226.f
perdicem virili genere appellandum putauit Marcellus. 226.e
perdices quæ nobiles, quæ rusticæ. 227.c
perdicum plumulis in stratis vsus Heliogabalus. 226.d
perdicũ dolus in fallẽdo venatore. 227.c
peregrinantes in Aegypto barbam & comam nutriebant. 300.f
peregrinatio. 210.d
peregrinus. 74.d.70.f
perennitas. 421.a
perfectio. 343.c.377.b.c
perfectum nihil in opere humano. 274.d
periander pueros nibiles castrandos iussit, decretumq; mox reuocauit. 277.b. qua arte sibi principatum stabilierit. 555.b
pericles cur pileo vsus, & quare ὀυρανίῳ dictus. 387.b.418.e. ciere fulgura & tonitrua dictus. 429.a
periclis statuæ cur casside tectæ. 418.e
periclymenus. 35.c
periculi vitandi solertia. 279.c
contra pericula munitus. 74.f
periculorum fuga. 253.b
periculis in euitandis astutia. 227.b
periculosus. 413.b
pernicies. 76.f.149.a.413.b
pernicies summota. 245.b
pernicitas equi mira. 34.e
perpendiculum. 487.a
perpetuitas. 478.d.504.e
perpetuitatem cur Aegyptij per Solem & Lunam indicarint. 433.b
persophone. 575.c
perse. 408.e. equum Soli sacrificant. 38.d. homines aquilino naso commendabant. 177.b. per Lunã significati. 434.f
persæ milites cur vocati Galli. 224.d. quo pacto ducebant bouem ad sacrificium. 26.e. sacrarunt aquilam ante Romanos. 310.d. per Solem Deum vnicum putarunt. 160.e
persarum mundities. 127.a
de Persis victoria. 485.b
perseuerantissimi mores. 151.c
perseus. 35.c. Pinnipes cur. ibid.
persica militia. 525.b.c
persicum pomum cordi mirificè conferre. 486.e. Isidi cur sacra. ibid. vnde trãslatum. 526.e. cordis symbolum. 486.e
persici pomi efficacia. 485.b
perspicua poma singula tricenis nummis quandoque æstimata. 527.a
persij locus. 160.e. 165.a. 265.a. 320.d. 363.c. 376.e. 396.e
persuabilitas. 407.d
persuasio. 441.b
perrha canis & ciuitas Alexandri. 52.e
pertinacia. 39.a. 247.c
pertinax sacrificans, cor in extis bouis non inuenit eo die quo occisus. 316.f
perturbator. 247.b
pes in mensuris quis. 347.b
pes supra pedem positus, quid. 338.f
pes lanus antè porrectus, quid. 338.e
pedes ac horum hieroglyphica. 336.f. & significata. 337.a
pedes in Deo quid. 336.f
pedes anguinei Gigantum, quid. 338.e
pedes per locustas indicati. 264.d
pedes recti & retorti. 338.e
pescenij Nigri cõtinentia. 22.f
pescenij Nigri responsum militibus. 544.e
pestilentia. 101.b.408.e
pestilentia in mulieres grauidas sæuiens Romæ quando. 25.b
petalum. 398.f
petra quid in sacris. 479.a
petronij Arbitri locus. 228.f
petrus Alexander. 252.d
petrus Aliger. 83.b
petrus Melinus. 29.a.74.d.239.b.c.166.e.890.f
petrus Victorius. 33.b
petro piscatore quibus in rebus opus. 263.a
petulantia. 108.f
petulantia domita. 89.c
petulantia pernicios a. 193.b
petulantiæ finis. 137.c
petulantiæ frænum. 23.b
petulantiæ supplicium. 122.f
petulantes inmiores. 52.d
phæaces à piscibus olim abstinebãt. 288.d
phalangiæ parricidio infames. 134.d
phalantus vbi naufragium fecerit. 253.b. à delphino seruatus. ibid.
phalaris scomma in fratres de mutua perseuerantia inter se contendentes. 286.f
phalaris stratagema. 68.e
phalaridis Taurus in mare proiectus ab Agrigentinis. 25.c
phaleræ. 401.c
phallophori. 500.d
phanes. 129.b
pharao vsus consilio Iosippi quomodo famem ab Aegypto depulit. 26.e
pharaonis cor indurare, quid. 238.f
pharetra. 406.f.407.a
pharselitæ offerebant falsamenta Cylabræ heroi. 284.d
phiala. 453.b.c
phidias cur testudinem Veneris simulacro subiecerit. 260.d
phidias Victoriæ signum in Marathone cum phiala sculpsit. 447.c
phidias viso leonis vngue totam feri magnitudinem repræsentauit. 345.b
phigalensium Ceres qualis. 43.a
philautia. 59.b
philemon lucubrationes suas solitus erat carè dimendere. 335.b
philemonis auaritia. 465.c.466.d
philippus quidam Hori & sacerdotum Aegyptiorum leamata in Græcam linguam vertit. 208.d.158.f.163.b
philippi Imp. numus. 16.e
philippi somnium post Olympiæ nuptias quale. 3.c
philocrati quænam obiecerit Demosthenes. 288.e.f
philomela in hirundinem mutata. 210.d
philonis laus. 134.f
philonis pharmacum, Σῶον χεῖρας. 205.b
philosophia communicata. 47.b
philosophia, politioréſque literæ à Christiano homine minimè contemnenda. 117.e
philosophiæ triplex partitio indicata in Abraham, Isaac, & Iacob. 368.e
philosophi viri munus. 47.b
philosophi cœno inuoluti qui. 296.f
philostrati locus emaculatus. 18.d
philotis ancillæ memorabile facin⁹. 508.e
philoxenus grnis gulam optabat. 314.d
phison Hebræis, quid. 197.b
phliasij cur ahenam capram inauratam colebant. 86.f
phocæ eorum fulmine non icitur. 272.d
phoca. 273.b. somniculosa. ibid.
phocion orationum Demost. secutis. 416.f
phocylidæ carmen restitutum. 286.f
phœbe masculino genere. 433.c
phœbus Grypheneus. 216.e
phœbi inuentum medicina. 426.d.e
phœnix auis. 184.d.& seq.
phœnix Orientales habitat solitudines. 184.f. vnicus est. ibid.
phœnicis mors & origo. 184.f
phœnices ad cuculi cantum messem faciebant. 235.a
phœnices inter homines qui dicãtur. 185.c
phœnices plantas diuinis honoribus coluerunt. 400.d
phœnices cur Deos cum loculis & crumenis finxerint. 405.c.410.d
phœnices duos aliquando visos qua ratione dictum. 184.f
à phœnicibus honor habitus boui. 28.d
pholis piscis. 280.f
phormis Menalij equi quales. 40.d
phosphorus. 12.d.438.e
phratoris lepidum responsum. 338.e
phryges imbelles notantur. 223.c
phthia in columbam mutata. 203.c
phthiriasis. 94.d
physiognomica indicia in facie humana. 55.a
phytalus Cereris hospes. 521.a
pica buccinatorum tantum imitata. 215.a
pica cur Baccho dedicetur. 214.f
pica & huius docilitas. 214.c.
picturæ in Palladis templo consideratio. 285.c.286.b
pierius libellum de Fulminibus scripsit. 325.c. pro sacerdotum barbis declamationem conscripsit. 302.d
pierius quonam æstu circumuentus à Rolandino Virdunensi. 219.b. sacrarum literarum studiosissimus. 165.c.166.d
pierij nomen ex Petro Sabellicus authori primus imposuit. 165.c
pierij Græcum epigramma, alteri Græco respondens. 515.a. epigramma de Petri Melini nomine. 239.c. 240.d. epigramma de virtute per labores acquirenda. 489.b. epigramma in Framarianum. 153.b. epigramma in Simiæ improbitatem. 59.a. Neria in Alexandrum & Hippolytum Medicæos. 439.a. opusculum de satione croci. 501.a. præceptores qui. 446.f. 447.a. protestatio testatio de hoc colligendo hieroglyphico argumento. 261.b. studium in hisce Commentariis quod. 22.f
Pierio Commentarius de Scarabeo quomodo surreptus. 74.d
pierius pater Musarum septem. 463.b
pietas. 31.c.69.b.137.b.450.f.481.a
pietas & amor in filios. 321.b
pietas impietati præferenda. 271.a
pietas in elephante. 18.e
pietatis nostræ stabilitas. 478.f.479.a
pileus. 385.b
pileus libertatis signum. 330.e
pilei forma. 387.b
ad pileum vocati serui, quid. 386.d
pilea quibus ex rebus consui solita apud Romanos. 387.b
pili veterum cogitationum indices. 299.e
pimpinellus. 252.d
pimpleis Nympha. 463.b
pindarus cur multum aquilæ tribuerit. 177.b
pindari dictum in stolidè indicantes. 59.b
pindari laus. 373.f
pindari locus. 64.c.238.e.256.f.369.c. 373.b
pinguedo. 513.b
pinna. 262.c
pinnæ in mœnibus. 230.e
pinus excisa semel nunquam repullulat. 504.f
pinus Isthmiaci certaminis præmium. 585.
mortis indicium. 504.f. naturæ imago. 505.a
pinum pro abolitione, supremoq; excidio. 504.f
piorum cœtus. 433.b. 516.c. 517.d
piscatorij ludi, vbi & quo tempore celebrati. 289.c
piscis ganeæ symbolũ. 221.c. natura vorax est. 289.c. 290.d. nequam nisi recens. 283.c
pisce non vescuntur Iudæi nisi pinnato & squamoso. 283.c
pisce taciturnior, prouerb. 284.f
pisces ad ieiuniorum consolationem indulti. 289.b
pisces vocales qui & vbi. 284.f
pisces argenteos in templa Facelitidis detulerunt Syrij. 289.a
pisces mansuetos fert Chalos amnis. ibid.
piscibus cur abstinendum dixerit Pythagoras. 289.c. 290.d. cur abstinuerunt Assyrij. 290.c. opiparè instructa lautiora Romanorum conuiuia. 288.e. vesci solis sacerdotibus licuit apud Aegyptios. 289.a
piscibus orientibus geniti dicacissimi sunt. 285.a
pistatorũ maris & fœminæ amor. 490.f
pittacus quomodo Thrynonem vicerit. 445.c
pitheciæ insulæ. 59.b
plagæ flagris inflictæ Asiniatæ vocatæ. 180.d
planetæ Fatorum ministri. 465.b
plani pisces sacri Plinio. 278.d.e.f
plantæ ratione loci magis minúsve pollent. 41.b
plantarum gignendi promiscua virtus. 575.c
plantatio fructiferarum arborum quid significet in diuinis literis. 524.f
platani folium arcet noctuas. 159.a
platani folio Ciconiæ arcent noctuas à nido suo. 71.a
platani folia arcent vespertiliones. 232.e
platea auis & platalea. 186.d
plato cur equo conscenso statim desilierit. 42.d
plato senex scribendo moritur. 347.c
platonis locus. 569.b.583.a.b
platonis Axiochi locus castigatus. 331.b. 134.f. 137.b. 196.f. 197.d
platonis epitaphium. 180.e.f. equus. 39.b. ideas cur teretisinata vocarit Aristoteles. 249.c. institutum in eligendo Academiæ loco improbatur. 229.c. regna duo quæ. 425.a.& 426.f
platoni puero apes in labellis consederũt. 241.a
plausus. 330.d.413.b
plauti locus. 84.d. 98.e. 104.d. 122.e. 135.a. 209.a. 233.b. 318.e. 561.c
plebecula. 388.d
plenilunium. 575.b
phlegyæ filiam compressit Apollo. 46.d
plenilunij vis in conchyliis quæ. 262.d
plethrum. 349.a
plinij locus. 66.d.e. 116.e. 103.c. 145.b. 216.f. 237.c. 247.c. 253.b. 277.b. 248.e. 484.d. 573.b
plotes. 279.a
plumbum. 476.e. plumbei homines, plumbeumq; ingenium. ibid.
plurimi, per quinquagenarium numerum. 361.b
plutarchus antiquitatis indagator curiosissimus. 118.e. author fide dignus. 49.b. Romanarũ historiarũ hostis. 176.d
plutarchi locus considerandus. 158.f. 200.e. 227.c. 418.e
pluti oculos cur angues duo dicantur lambere. 140.f
pluto. 82.f. 567.b
pluto Adamas cur. 402.f
pluto Græcis qui Aegyptius Serapis. 94.e
pluto puer pacem in vlnis gestat. 510.e
plutonis caput galea tectum. 417.c
plutonis cor ab Herculea sagitta vulneratum, quid. 517.b
plutonem cur Solem interpretentur nonnulli. 417.c
pluuia per araneum. 251.a.b
pluuiæ indicium per corui frequentiores crocitatus. 219.a
pluuiæ vocabulo quæ signentur. 369.c. 370.d
pocula. 543.b
podagrosus. 29.c
poderes. 388.f
poëmatis genus circulus. 377.c
pœnitentia. 319.b.507.c
pœnitere. 407.c
poësis. 258.d. cur polypo similis. 259.c
poëta. 499.b.c
poëta cygni symbolo. 212.d
poëtæ encomium. 211.b. nomine Deus colitur. 275.a.b. symbolum per ranam. ibid.b
poëtæ gloriæ studio trahuntur. 212.f. mali qui. 217.f. qui laudandi, quive improbandi. 275.b
poëtarũ coronæ quibus contextæ. 377.c.d
poëris cur hederaceæ coronæ attributæ. 284.d
poëtis sola gloria & victuri nominis cupiditas insita. 493.a
poëtas immerito taxat Origenes. 275.a.b
poëtas lacte simul & melle pasci, quomodo intelligendum. 499.c
poëtica vis. ibid.
poëticæ amœnitas. 241.b
polemon quo pacto felicissimum inepti actoris manu factum reprehenderit. 336.d
pollex sublatus quid. 341.c. versus, quid. ibid.d
pollicis etymon. 342.d
pollices cur sponte sibi nonnulli amputauerint. 342.d
pollices inter se vinciendi mos in societate constituenda. 341.b
pollulæ. 550.d
pollutus morte locus. 503.a
polluti in tabernaculum non admittebantur apud Mosen. 367.a
polygnoti opus. 111.c
polymnia. 463.c
polyphranes ab Alexandro Phereo interemptus. 410.d
polypus multa deuorat. 255.c
polypus atramentum in aquas effundit. 204.f. auersatur dulcia. 258.e. colorem mutat. 256.f. cur parum viuat. 259.a. cur pœcices symbolum. 258.d. cur Veneri adsculpebatur. 258.f. famis impatiens. 258.d
polypus ingenti magnitudine Puteolis repertus. 159.a. parricidio notatus. 134.d. salacissimus. 258.f
polypi caput horrenda somnia parit. 257.c. caro qualis. 257.a
polypi & congri certamen. 256.c
polypi similem dialecticam dixit Carneades. 256.d
polypo super in diuersa abeunt Plinius & Plutarchus. 256.d.e
polypi cur formidolosi. 256.f
polis vocatus Sol. 185.b
Gn. Pompeius mollitiei signo notatus. 341.a
pompeij Magni currum quando subierint elephanti. 16.d
pompeio cur obiectum, quòd regiæ maiestatis affectaret insignia. 397.f
pompilus. 278.d
pomponiæ Scipionis Africani matri draco circumfusus. 128.e
pomponij Læti laus. 212.f
pomum pro bone Herculi oblatum. 524.e
pomum Veneri dedicatum. 484.f
pomorum hieroglyphicum. 510.c
poma in armum legere quid. 406.e
ponderum & mensurarum ratio cur incerta. 345.b.c.349.c
ponere pedem. 336.f
pontanus omnium ingenia fouit. 212.e
pontanus senex scripsit Vraniam & Meteora. 212.d
pontani laus. 450.e
pontifex. 416.d
pontificis Hebræorum gestamen pectoris quod,

quod, qualève. 403.a
Pomus cur polypos non habeat. 258.f
popa. 27.e
popul⁹ arbor ab antiquis venerata. 505.b
populus temporis symbolum. 505.b. Herculi dicata. ibid.
populus Iudaicus asino assimilatus. 109.a
populus lege coërcitus. 562.c
populus regi suo obsequens. 240.e
populositatis symbolum. 527.a.b
porca fidens. 83.c
porca triginta capitum fœtum pariens Laninij. 82.d
porcare. 83.c
porcus. 76.d.e.& seq. animal profanum. 115.c. Cereri mactabatur. 84.e
porcus fœminino genere. ibid.e
porci cultus. 83.a.b
porci grunnitu audito fugit elephas. 17.a
porcum immolabant iniamia laborantes. 83.c
porcum tangere non licebat Flaminì Diali. 79.a
porci è Megarensibus in Antipatri elephantos immissi. 77.b
porci quonam asiu Patauij abducti. 124.f
porcos in pugnam instruebant Spartaci. 79.c
porositates exhalabiles insunt rebus omnibus. 257.a
porta cornea. 574.d. eburnea. ibid.
portæ inferiorum adamantinæ. 402.f
portenta & auspicia felicia per aquilam. 175.c. 176.d
portenti, si partus qui habendi sint. 236.f
portitus Persica Lacedæmone. 485.b
portunus. 252.f. 477.b
positum. 487.a
possessio. 444.d.e
posteriora in diuinis quid significet. 206.e
potentia perniciosa. 179.b
potentia quo pacto euadit amabilis. 208.e
potentiæ comes metus. 16.e
potentiæ excellentis hieroglyphicum. 494.e.f
in potentioris ditionem redactus. 260.d
potestas Dei triplex. 581.a
potestas inferior. 430.f
præcipitantia. 61.e
præco deorum Mercurius. 311.b
præconi tradebatur lingua in sacris dissecta. 312.f
præcox profectus. 227.a
D. Præcursoris caput. 555.b. victus quis. 263.c
præfectus militum. 142.d
prægnantia. 432.e
prægnantis dissimulatrix. 111.b
prægnatum incrementum. 507.c
præsagitura. 114.e
præsagium. 123.b.c
præsentialis magister militum quis. 38.d
præstantia. 307.c
præstare & excellere, exundationis vocabula. 185.c
prætexta Romanorum insigne. 527.c.d
prætextatæ fabulæ. 392.d
præsiniani & Præsina factio. 424.f
prauitas edomita. 52.d. innocua. 151.a
prauarum cogitationum excussio. 480.c.d
prauitatem aliorum, bonorum operum ope peruincendam. 528.f
preces. 336.f
priamus ad statuam Iouis in subdiali ara confugit. 307.c
priapus. 324.f
priapi simulacra in hortis quid. 323.c
primogenita sacrificari præceptum, homine & asino exceptis. 114.d
princeps. 48.d. imbecillus. 107.a. sibi tantum studens. 180.d
principis æqualitas ad populorum animos conciliandos mirè efficax. 208.e
principes ex quibus sacra faciebant pro expiandis delictis. 17.a
principum sceptri cuiusdam descriptio. 271.b
principatus. 498.d
ad principatum ineptus quis sit. 38.e
principatuum cura circa quæ sit. 436.f
principium ad quem referendum. 376.d
principium anni cur aries. 96.f
principium & finis. 465.a
principium egregium citò destitutū. 109.
principium per ventris symbolum. 326.e
principij symbolum per caput. 293.a
principia occulta. 416.f
principiis obsistendum. 121.c. 123.a
probi viri quietus animus. 236.c. 237.d
probi viri à potentioribus ignominiosè accipiuntur. 91.c
probi liber De notis antiquis parum castigatus, & cur. 357.b
procellæ. 373.b
procidere. 339.c
procli sententia de gallis & angelis solaribus. 9.c
proclivus ad vitia. 339.c
procne in luscíniam mutata. 210.d
procrastinationis damna. 74.f
procreationis partes quatenus à viro & fœmina. 282.d
procuratoribus pro spongiis vtebatur Vespasianus. 282.d.f
procus vecullipeta. 15.c
prodigium. 221.a
prodigij quod ad Polydori tumulū Aeneę se obtulit, interpretatio. 495.a.b
profanus. 41.c. 79.a
profanus per anguillam. 273.b
profectionis olim ceremoniæ. 520.d
profectus cum ætate. 105.c
profugium. 346.f
profugus. 35.a
progenies antiqua. 546.e
progrediens longo post tempore. 274.e
progressio. 520.d.e
progressus vitæ. 356.d
proles masculà, & proles fœminea. 24.d
proles numerosa. 309.a
prometheus. 569.b
prometheus quibus legibus à vinculis liberatus. 344.d
promethei cor à vulture arrosum, quid. 134.d. cor arrosum ab aquila. 181.b
promptuarium cœleste rerum omnium. 247.f
pronuscis elephantis. 15.a
pronubus digitus & anulus. 344.d
properantia. 100.d
prophanum. 283.c
propheta. 44.f
propheta cani assimilatus. 44.f
propheta Hebræis cur dicatur Videns. 365.a
prophetæ. 327.e. 171.a.b
prophetæ Apis nomine appellati. 243.c
prophetæ Videntes appellantur. 393.b
prophetæ quinam olim vocati. 45.a
prophetæ & doctores. 223.c
prophetarum oracula. 242.f
propitiatorium qua longitudine fieri demandatum. 489.b
propertij locus. 192.f. 199.b. 202.d. 377.a. 387.c. 388.d. 317.a.b
proselenes cur vocati Arcades. 434.f. 435.a
proserpina. 84.d. 30.d. 575.c
proserpina & Serapis magnorum dæmonum principes. 294.e
proserpinæ canes mactabantur. 51.c
prosper Publicola Sancratius. 54.d
prosper Sanctacrutius. 97.b
prosperitas. 101.c 436.d. 22.d
prosperitas firma. 478.
prosperitas rerum per aquilam. 175.c
prosperitas vitæ. 191.c
proteus cur in varios se mutare vultus fingatur. 399.b.c
prorogenis pictoris continentia. 548.d
prouentus. 323.c. 334.c. 536.c
prouidentia. 68.e. 14.c. 217.b. 483.a
prouidentia diuina. 295.b
prouinciæ principes. 140.d
prouinciarum subiugatio. 15.c
prudentia. 148.f. 154.d. 154.c. 163.c. cur per morum arborem. 508.e. per Gangem fluuium. 197.b. per Iani bicipitium. 296.f
prudens captiuitatis declinator. 279.b
prudentij locus. 573.b
pruina in sacris, quid. 371.b
prunulus Pierij præceptor. 44.f
prusiæ stratagema in prælio navali. 142.e
psalmi circulares qui. 378.d
psammetichus. 90.e
psaphon Libycus qua ratione diuinos honores assecutus sit. 214.f
psittacus. 214.e.& seq.
psittacus cur humanam vocem propius referat. 214.f
pterophori qui Plutarcho. 201.e
ptoemphanes canem viuum pro rege elegerunt. 48.e
ptolemæus Alexandro cur magnam pecuniam miserit. 5.b
ptolemæi Lagi beneficio Biblia conuersa in linguam Græcam à lxx. viris. 169.a
ptolemæi Lagi superstitio. 294.d.e
ptolemæus quidam cur κεραυνὸς vocatus. 428.f
ptolemæo Aegypti regi quædona missa à Romanis. 431.b
publia Corn. Annia se viuam vltrò in arcam cum viro damnauit. 201.a
pudenda. 321.b
pudicitia. 388.f. 533.c
pudicitia quare velata facie pingabatur. 207.c. columbis prima & peculiaris. 201. in quibus consistat. 389.a. turturis symbolum iudicata. 207.b
pudor. 392.d. 477.a
pudoris cura apud Aegyptios maxima. 260.e

pudoris

Pudoris simulachrum cur & vbi ab Icario erectum. 388.f. 389.a
puellæ ab Athenienſibus vrſæ appellatę. 106.e
puellæ innuptæ domi clauſæ cuſtodiebantur. 106.e
puellarum quàm matronarum ornatus olim ſumptuoſior. 486.e.f
puellas Darij captiuas magna integritate ſeruauit Alexander. 324.d
puellaris ætas. 106.e
puellares ineptiæ. 523.c
pueri recèns nati cor duas pōderat drachmas. 162.d
puerorum ſenumq; vita qualis. 539.b.c
pueritia. 357.b
puerperium. 392.f
pugilum iuramentum quale. 84.e
pugiones. 418.e
pugna anceps. 421.c
pugnæ initium. 413.b
pugnacitas. 34.e. 223.c. 246.e
pulchra incæpta turpiter cedentia. 264.e
pulchritudo. 533.b
pulchritudo ſine fruge. 504.d
pulicaris. 560.e
pulicum defectus. 234.f
pulicum ſignificatio myſtica. 235.a
pullaria arca vel cauea in caſtris. 418.f. 419.a
pullus color lugubris. 202.d
pullus gallinaceus excluſus in manu Liuiæ. 222.f
pulli columbarū quibus conueniāt. 205.b
puluis in ollam iniectus ab elephanto cur. 16.f
pulpa. 588.e
puniceis pennis terretur ceruus. 63.a
punici mali ſymbolum. 527.a.b
punica mala tam magna quàm parua, grauorum numero non diſſident. 526.e
punicorum ferocitatem myrtus iuxta ſola plurimùm iuuat. 528.e
purgamentum. 493.c
purificatio. 284.d
purificator. 337.a
puritas. 260.d. 413.b
puritas animi per gallum. 223.a
puritas maritalis. 454.f
puritatem adamarunt Aegyptij. 287.a
purpura. 265.c
purpura vorax. ibid.
purpuræ linguæ acuta & valida. 265.c
purpuræ quomodo capiantur. 266.e
purpureæ anima quomodo intelligendum. 198.d
purpureum & purpuraſcere. 266.d
purpureus color pudoris indicium. 392.d
puteal. 458.d
putei, & puteorum foſſuræ. 474.f
pygmæorum ſtatura. 347.a.b
pygon. 387.b
pylos quomodo capta. 35.c. 36.d
pylo cur bellum intulerit Hercules. 35.c
pyralis ac pyrauſta. 151.c
pyramis. 584.d
pyramidis baſis. 382.e
pyramides in Aegypto à quo ædificatæ. 383.a.b
pyrrhus Aquilæ cognomento gaudebat. 177.b
pyrrhi haſtæ inſidens noctua. 189.b. interitus quis. ibid. in tabernaculo hirundo nidum poſuit. 210.f. modeſtia in vſurpanda gloria. 177.b
pyrrhi cuiuſdam hæreſis. 251.a
pyrrhicæ bones in Epiro. 22.e
pythagoras cur mare vocauerit Saturni lachrymas. 285.b
pythagoras iubet adoraturos ſedere. 54.d. Tyrrhenus fuit. 195.b. Aegyptios adiit. ibid.
pythagoræ præceptum de anulo arcto non geſtando. 344.e. de animalibus curuos vngues habentibus. 6.e
pythagorici plurimùm melle vſi. 242.e
pythicum ſtadium. 349.a
pythones. 149.b
pythones dæmones & ſerpentes. 157.a. conſulendos prohibuit Deus. ibid.

Q

Q Literam veteres olim excluſerunt. 423.c
Quadragenarium numerum in flagris & plagis excedere, ignominioſum apud Hebræos. 360.d
quadraginta. 359.c. 360.d
quadrans Raticus. 441.b
quadrātalia deorum ſimulacra apud Arcadas. 381.b
quadrantaria fœmina. 382.e
quadratum. 381.a
quadratus vir. ibid.d
quadriennium. 375.b
quadrifrons. 299.a
quadrifrons cur aliquando Ianus. ibid. f. 400.a
quadrigarū agitatoribus abſinthium propinatum. 556.f
quadrigas Soli conſecratas Rhodij quotannis in mare abiiciunt. 43.c
quadrigati numi. 424.f
quadringenta. 355.b
quadrupedis Moſaici vitia. 39.a
qualitas vniuſcuiuſque rei tribus plurimum propoſitionibus comprehenditur. 336.d
quartanas ſanat clupeæ lapis. 281.a
quartodecimani. 183.c
quaterna millia. 360.e
quat Hebræis, quid. 186.d
quatuor. 355.b
quatuor anni qualitates. 299.a
quatuor Dij præſides homini naſcenti qui. 144.f
quercus fortitudinis ac diuturnitatis ſymbolum. 497.c
quercus iuxta nucem in glandem ſata emoritur. 179.b
quercus oleæ inimica. 498.e
quercus principatum oſtendit. 498.d
quercus vnde dicta. 496.d
querna corona quare data. 496.e.f
quercus & oleæ odium. 510.e
quies. 54.f
quies à laboribus. 30.e
quietam columbam quid Græci. 204.f
quinarius & quaternarij numerus. 583.c
quingenta. 355.c
quinquagenarius numerus multitudinem denotat. 155.a
quinquaginta. 361.a
quinque. 355.b
quintæ legionis ſignis adpingebantur elephanti, & cur. 16.d
T. Quinatij feſtinum dictum. 261.b
quintilani locus emaculatus. 341.b
quintiliani locus expeditur. 353.a. 372.d
quintiliani ſententia de orantis geſtu 336.d
Cn. Quintilius. 476.d
quintilij de agricultura ſcripſerūt. 226.e
quinti Cæcilij Metelli dictū celebre. 32.d
quintus Fabius Eburnus Iouis pullus. 225
quirinalis. 421.b

R

Rabidi canis virus. 421.b
Rabioſi canis vrina calcata nocet. ib.
Rabies in cane à ſplene eſt. 50.e
rabies in homine quando cognita. 50.f
racemorum magnitudo incredibilis. 517.c
rădices hyſſopi ſaxa penetrant. 556.f
radius. 400.f
radij ſolares. 406.f. 407.a
raia. 280.e. eiuſdem machinamentum. ibi.
rana. 273.b. cum grillo. 139.b. Mecænatis. 275.c. prædita eſt verecūdia. 274.f. ſanguinem non niſi in oculis habet. 274.e
ranæ dare aquam prouerb. 276.d
ranæ vbinam obmutescant. 275.c
ranas obſtrepentes ſilere iuſſit Auguſtus infans. ibid.
rapacitas. 165.a
raphaël. 425.c. 426.d
rapina. 195.c
raptor. 98.f
rapum, Solis hieroglyphicum. 152.f
ratio. 458.e.f
ratio & cupiditas. 39.a
rationis modus breuis. 384.e
rationis cum appetitu pugna. 568.e
ratiocinatio. 122.d.e
rationale ornamentum Pont. quale. 403.a
receptus tutus. 99.b
recordationis hieroglyphicum. 310.f
rectus tenor. 352.d. 353.b
redactus in potentioris ditionem. 259.a
redemptio. 360.e
reditus in viam. 227.a
refibulare. 394.d.e
reflandum non eſt in ventum. 74.f
refugium. 443.a
regimen. 509.c. 444.f
reginaldi Poli Card. laus. 510.d
regnum. 401.b
regni ſolicitudo. 179.a. ſymbolum per apes. 241.a
regreſſus. 338.f
remedium. 494.d
remedium in febrem nactus. 8.e
remedia contra ſcorpiones. 151.a
remeligo. 277.b
remittere manus. 330.f
remiſſio. 361.a
remora. 277.a
renes à Venere reguntur. 312.c. in Veneris ſunt poteſtate. 320.d. vnde dicti. ibidem.
repandi roſtrum animal delphinus. 252.f. 243.a
reptatus ſerpentum quid myſticè. 135.a
reptile. 129.a

repugnan

Repugnantia rerum. 114.d
repulsa ignominiosa. 218.d
de repulsa pudor. 54.d.64.f
requies, ignauiaq;. 339.a
res gesta comimus. 248.d
rei domesticæ studiosus. 144.f
reipub. negotia alacri animo suscipienda. 246.e
rerum diuinarum cognitio vnde petenda. 583.
rerum omnium gerendarum summa quibus rebus consistet. 295.c. progressus per calceum. 394.e. prosperitas per aquilam indicata. 175.c. vicissitudo. 467.c
rerum mutatio. 576.f
rerum natura. 584.d
resina Citria. 588.d
resipiscens. 431.b
resipiscentia. 318.f.325.c
resipiscentia per hirundinem. 210.f
resipiscentiæ symbolum. 549.b
restitutor. 331.b.c
retia & retium hieroglyphica. 310.d
reuerentia in matres. 116.f.117.a
rex. 469.c. per apis symbolum. 240.c. per elephantum designatus. 15.a. optimus. 140.e. potens imbecillioris artificio petitus. 20.f. tutelaris. 140.e. vilium affectator. 17.b
regis inter apes munus. 240.e
regis pij & misericordis symbolum. 177.c. 178.d
regi suo obsequens populus. 240.e
reges fulminare dicuntur. 209.a. pro Diis habiti à multis nationibus. 427.c
regum aures innumeræ. 108.f
regibus etiam mortis imperandæ ius per internuncium sacerdotibus Memphiticis erat. 189.c
regia claritas. 398.f
regia potestas. 397.c
regium augurium. 9.a.b
rhadamanthus truculentos vrsis ingerere solitus. 106.e
rhamnus in sacris, quid. 530.f
rhea dea cur ab Assyriis colebatur. 289.a. cum Saturno rem clàm habuit. 166.e
rheginorum moneta quæ. 121.a
rhemnij Palæmonis arrogantia. 76.d
rhetor Corax. 218.e
rhinoceros. 20.d. eiusdem cum elephanto pugna. ibid.d
rhinocerontis effigies missa Leoni X. ab Emanuële Lusitanorum rege. 20.f
rhodia. 463.b
rhodij quadrigas Soli consecratas quotannis in mare iaciunt. 43.c
rhodos insula pugnacissimos habuit gallos. 224.d
rhombus. 470.d
risus. 51.a
risus leuitatis signum. ibid.b
ritualitas. 95.b
robur. 2.e
robur per pollices significatum. 34.d
robur Romanorum in legionibus. 32.e
ex robore nati qui dicti. 498.e
robustus. 20.f
robustius & robur vnde dicta. 497.c
rodere. 314.e
rodolphus Habsburgi comes. 167.c
rolandini Galli Virdunensis impostura. 219.b
roma capta à Genserico. 167.a.b. domita ab Odoacro. 167.a.b.c. quadrata. 382.e. vetus. ibid.
roma per mulieris caput. 296.e
romæ antiquum nomen Cephalon fuit. 296.e
romæ caput galeatum. 418.
romæ nomen publicari vetitur. 296.e
romanæ virgines nutriebant diligentissimè Vestalem ignem. 449.c.450.d
romanus per togam. 386.c
rom. Coss. 416.f
romani cur equum mactare soliti. 38.c. originem suam ad Martem referre studeant. 296.e. quando cæperint esse superiores etiam equis. 43.b
romanorum numisma. 588.f
romanorum mos in sacrificiis. 32.d
romanum imperium quot annos duraverit. 167.a
romani imperij mutationes tres. 167.c
romulus & Remus cur Martis filij dicti. 101.c
romulus vbi educatus. 381.f
romulus Amasæus. 68.d.283.b.441.c
roris vocabulo quæ signentur. 369.c
rosa humanæ imbecillitatis hieroglyphicum. 529.a
rosa sine spinis considerata venustatis amoris & gratiæ signum est. 531.a
rosa spinis septa, humanæ vitæ speculum. 536.e
rosæ afflatum quomodo describserit Virgilius. 531.b.c
rosæ odor Scarabeum enecat. 532.e
rosam quanti fecerint Indorum Magi. 531.c
rosæ in sepulchrorum ornatum adhibitæ. 529.b
rosæ quomodo fragrantiores fiant. 553.a
rosarum halitum multi oderunt. 74.d
rosas loqui, proverb. 531.b
rosaceum Homero cognitum. 532.e
roscij histrionis claritas. 141.b
rota & rotæ deorum. 379.c.380.d
rotæ humanæ & inferorum. ibid.
rota currulis quot cõstet aspidibus. 210.f
rotunda templa cur veteres Diis dedicarunt. 482.e
ruab. 579.a
rubecula auis, vel syluia. 238.f
rubeta rana quæ. 275.b
rubi symbolum. 530.e
rubicunda vestis. 391.a
rufus Prætorius cur scazonte proscissus. 160.d
rugitus leonis animantibus formidabilis. 4.f
ruminatio. 78.e
ruminatio in sacris, quid. 66.e
ruminantia animalia, carent altera dentium parte. 279.b
rusticitas per ranam. 275.c
ruta continentioris vitæ hieroglyphicum. 559.a.b
ruta si iuxta ficum seratur, mitior euadit. 519.a
rutam cur exhorrescant serpentes. 559.b

S

S Pro H. nonnunquam apud antiquos ponebatur. 342.d
S. quid Romanis, & cur tricliniis & diætarum foribus superponebatur. 343.a
Sabaci Aegyptiorum regis successus. 30.e
sabeth. 95.b
sabellicus. 212.e
sabellicus aliquando noctu vidit. 305.b. ab Vrbano didicit Græcas literas. ibi. Pierij præceptor. 130.c.176.f
saccium. 390.f
sacer piscis quis Homero. 278.d
sacer scriba Aegyptiis cur. 162.e
sacerdos. 55.c.303.c
sacerdotis boni munus. 398.f
sacerdotis negligentia, error maximus. 399.a.b
sacerdoti Aegyptio nõ licebat equo vehi. 33.c
sacerdotes Aegyptij. 290.f
sacerdotes assentatores & aulici magna in orbem importantes mala. 195.b.c. Arnorum. 537.a. mali taxantur. 283.d
sacerdotes tantùm circuncisi erant apud Aegyptios. 56.d. Memphitici supra Reges erant. 189.c
sacerdotum Aegyptiorum eruditio. 128.f
sacerdotum amictus qualis. 393.b.c
sacerdotibus indumenta ex lino cur imperata. 547.a
sacerdotibus licuit piscibus vesci apud Aegyptios. 189.a
sacerdotes quales esse oporteat. 299.c
sacerdotium. 546.f.556.e
sacerdotium summum. 403.b
sacerdotij sacrosancti symbolum. 133.a
sacoma corona qua ratione deprenderit Archimedes. 219.a
sacrarum rerum cognitio. 583.b
sacramentum. 84.e
sacrificium. ibid.d
sacrificia in lustratione quæ. ibid.e
sacrificiorum ritus quo tempore instituti. 481.b
sacrificandi homines immanem morẽ quis sustulerit. 449.c
sacrificantes primi, herbas & flores non animalia adhibuerunt. 545.c
sacrificato quibus licitum vesci. 322.e
sacrarum literarum professor. 44.e
sacrorum initia. 41.d. arcana. 318.d. tempus. 462.d
sacris initiatus. 249.a
sæuitia occulta. 137.c
in Sai picturæ consideratio. 285.b
sagacitas. 310.d
sagacitas & sagire. 50.f
sagacitas iuuenilis senili experientiæ præposita. 192.d
sagitta Herculea vulneratum cor Plutonis, quid. 407.b
sagittæ. 405.a.406.& seq.
sagittarum symbolum. 549.a
sagittarij Nerui. 144.d
sagittarij seniores Orientales. 38.d
sagittarij Venatores. 200.d
sagum. 388.d
sagunenses milites. 143.a
sal & mare cur auersabantur Aegyptij. 286.f

sal

Sal cur hospitibus ante alios cibos apponitur. 287.c.& 288.d. in mensa euertere, cur ominosum. ibid.
sal, quo passim vtitur Germania, vnde colligatur. 286.d
salis significatio in diuinis quæ. 260.f
salacitas. 81.b. per crocodilum. 269.b
salacitas prolifica. 166.d
salacitatis nomen, quid. 287.a
salamandra. 151.b.& seq. an ignem extinguat. 151.c
salamandra impunè vescitur sues. 152.c.f
sal. 102.e.414
saliorum ornatus quis. 423.d
saligna salix cur Priapo attributa. 567.a
salix. 487.c
salix an fructum ferat. 507.b
salix castitatis indicium. 507.a
salix vinculorum symbolum. 506.f
salicis etymon. 507.c
salicis semen in vino potum sterilitatem inducit. 507.b.508.e
al cem cur ὠλεσίκαρπον vocarit Homerus. 507.a
saliua ieiuni hominis serpentibus letalis. 136.e
salmonei insana arrogantia. 428.d
salomon Trecensis. 332.d
saltatio per turturis symbolum. 208.d
salubritas. 95.c.162.d.205.a
salubritas per gallinæ symbolum. 222.e
salubritatis indicium. 554.e
salus. 148.d.277.b.411.c.441.b.480.e.583.c
salus per capitis signum. 294.f
salus auis asino inimica cur. 236.e
salutatio. 332.e
salutatorius digitus. 342.e
sammium armatura. 230.f
samphoræ equi. 414.e
samsonis robur in capillis. 579.b
samsonis coma. 311.b
samsonis quæstio Palæstinis proposita. 243.c
samuëlis anima an per incantationes euocata. 137.a
sandrocottus Indus. 15.c.4.b
sanguis animæ vehiculum nonnullis. 198. d.à Marte regitur. 312.e. antiquitus pro vino positus. 517.b
sanguis cur libaminibus, quæ pro anima fiebant, apponebatur. 198.d
sanguine placare Deos improbarunt Aegyptij. 481.b
sanguinarius. 281.b.c
sanitas. 556.
sapientia. 381.b. 587.d. cur in quadrato lapide constituta. 381.b
sapientia. 436.f.642.e. per aurium symbolum. 445.a. per noctuam symbolum. 188.e. homini largita. 569.c
sapientiæ arma firma & stabilia. 418.e. vis. 408.f
sapientiæ perfectæ vir. 365.b
sapientiæ vanæ studium. 188.e
sapor quomodo exploretur. 314.d
saporem vbi collocet Aristoteles. 314.d
sapor rex quid Constantio Imper. suadere conatus sit. 123.a
saporis Regis gestamen quod. 96.e
sapphirus. 403.b
sardanapali incuria. 140.e
sargus. 280.e
sarmatæ. 43.c
sartago. 318.f
saturnus. 46.f. falce Cæli pudenda abscidit. 321.f. 441.c. filios deuorans, quid. 129.f. in equum versus, quid. 35.a. laneo vinculo ligatus. 473.a
saturni beneficia. 297.a. etymon. 536.f. 537.a. regnum quale Platoni. 425.a
saturno decumani homines sacrificati. 449.a
saturno quæ gentes sacrificabant iuuenes & proprios filios. 85.b.c
saturnalia. 449.a
satyrum capiens Midas, quid. 89.c
satyri quibus in locis. 88.e
sauromatæ equos alunt ad sacra & cibum. 43.c
saxum in quo Herculis effigies, colebant Thraces. 478.d
SBO quid Aegyptiis. 499.a.b
scabellum. 422.e
scalenus figura quæ. 384.e
scaphos olus. 179.b
scarabeus. 71.c
scarabeus ex aquis primùm in lucẽ prodit. 72.d. rosæ odore necatur. 532.e. signum Romanorum militum. 73.b
scarus. 279.b.c. Iouis cerebrum Ennio. 279.b. quomodo captiuitatem declinat. 276.b. solus piscium ruminat. 279.b
scaurobates in Semiramin inuectus. 204.e
scelus. 414.f
scenopegia Iudæorum in Bacchi celebritatem fiebant. 290.f
sceptrum. 401.c.d.e. Augusti manibus fulmine excussum quid indicarit. 498.d. ex querno trunco quid significet. 497.c. regium. 469.a
sceptri cuiusdam descriptio. 271.a
sceptra regia diconiæ capitibus insignita. 158.d.e. schœnus. 349.c
scillæ contactu conuellitur lupus. 122.e
scincus vel scingus. 209.c
scipio. 401.b
scipio laureus quid significet. 494.d
scipio Africanus. 568.f
scipionis dicteriũ de scuto & gladio. 413.a. celebre dictum ad Antiochi legatos. 36.d. scomma in Pompeium. 461.c
scipionis numi argentei inscriptio. 16.d
scipionem laureum gestare, quid. 205.b
scolopendra piscis. 280.e
scorili exemplum de seditione. 46.d
scorpius. 150.d.& seq.
scorpij cauda quot habeat compages. 151.a. 356.f
scorpij cœlestis vis. 150.f
scorpij & crocodili odiũ mutuum. 150.e
scorpio quænam corporis partes dedicatę. 150.f
à scorpio ictus si super asinum sederit, transibit in illum dolor. 113.b
scorta vnde dicta. 327.b
scortæ & ostracinæ pecuniæ. 27.c
scribonius Libo. 457.a
scriptorum sanctorum lucubrationes quid præsidij attulerint nobis. 426.e
sculptura antiqua in Æsculapij pro noua Roma. 541.c
scutum Herculis, an Hesiodi Opus. 154.e
scuta. 411.b.c
scuta hastis illisa, quid. 413.a.b
scutis continebantur imagines. 413.b
scutis ligneis primùm vsi Argiui. 411.b.c
scytha Herculis filius. 138.d.e
scythæ ab Aegyptiis instituti. 416.d
scytharum iuramentum maximum quod. 416.e. mos in ope imploranda. 27.a. sagittæ quo veneno infectæ. 134.f
sebastianus sagittis impetitus. 408.e.f
sebastianus Corradus, atque huius Quæstura laudatur. 315.b.c
secespita. 416.d
secessus. 266.d
secundi Theodosiani. 38.d
securis. 416.f
securis & Lydorum & Romanorum gestamen. 416.f
securim cur ream constituerint in iudicio Athenienses. 28.e
securitas. 309.b. 421.c. 477.a. 485.c. 486.d
securitas ociosa. 413.b
securitas periculis libera. ibid.d
securitas per gallinam & rutam. 222.e
securitas per vespertilionem. 232.e
securitatis symbolum in multis veteribus numis. 278.f
securitatis symbolum. 556.d
sedatus animus. 459.b
sedda olim quæ nunc sella. 312.d
sedechias in captiuitatem abductus. 182.e
sedere. 421.f
sedes. 416.f.& seq.
sedes firmiter statuta. 83.b
seditiosus. 263.c
segnities. 260.f
segregationes aquarum apud Mosen, quid. 186.d
selenotropium. 561.a
seleucus Antiochiam condidit. 444.d.e. cur versus XII. ex Hesiodo sustulit. 404.f. res composuit cum Scandrocrotto. 15.b
seleuci genus & numi. 444.d.e.& anulus. ibid.
sella, vel sedes. 421.a.& seq.
sella Curulis. 423.b
sella eburnea sedebant Consules cùm magistratum inibant. 413.b
semel tantùm enixa. 9.a
semel. 136.d
semel in vtero. 338.d
semen quando prolificum. 356.f
semen quid in sacris literis. 530.
seminum virtus & generatio. 575.c
semicrinitum caput. 300.c.f
semicium triste leonum cur dixerit Lucretius. 8.c
semiramia procacitas. 204.d
semiramis cui nupserit. 204.d. effecit vt Persę matrum filiarumq; suarum coniugia non abhorreant. 203.c. immoderatæ libidinis fuit. 204.e. Σιμβρὶ vocata. ibid. vbi nata & educata. 204.d.e
semiramin sub specie columbæ colebant Assyrij. 339.a.b
semita quid Theologis, quid via. 380.d
senecæ locus. 197.b.392.d.e.580.d
senectus. 301.c

senectus

Senectus cur omnia desperet. 501.c
senectus misera. 301.a
senes & seniores qui. 358.e
senex maficus. 211.b
senibus cur supercilia grandiora. 308.f
seniorum inter se certamen. 158.d
sensus. 351.b.461.b. *à voluptate decepti.* 136.e. *maximè brutus.* 77.a
sensus velocior. 570.e
sensus & intellectus significatio. 137.c
sensum quinam admirati sint, quive aspernati. 77.a
sensus communes in corde. 196.f
sensus quinque per virgines prudentes & fatuas indicati. 136.e.f
sensuum expers. 479.c.430.d.40.d
sententia præpostera. 339.b
sentiendi vim à sole habēt homines. 433.c
sentes in sacris, quid. 530.f
sepes. 400.e
sepia. 264.e.363.c. *atramentum in aquas euomit.* 264.f
sepia melanuros. 264.f
sepiæ machinamentum. 280.e
sepias promontorium. 264.f
septem, & septingenta. 356.d
septem & septulum quid Hebræis. 344.f
septenarij numeri proportio valde musica est. 462.d
septentrio. 520.d.e. *eius hieroglyphicum. ibidem.*
septentrioni inest vis mascula. 24.d
septimæ decoctio perfectionem indicat. 345.a
P. Septimij Getæ numus. 379.b
septuaginta. 362.b
septuaginta interpretes quo tempore Biblia verterunt in linguam Græcam. 169.a
sepulchri significatum per cor. 319.a
sepulchra nobilitatis. 503.c
sepulchrorū aliquot inscripitiones. 529.b.c
sepultura. 374.c
serapis cur à multis colebatur. 294.e
serapidis epigramma de totius mundi mole. 293.c.294.d. *simulachrum.* 26.e. *simulachri caput quod.* 293. *eiusdem significatio.* 294.d
serapidis tricipitis nuncupatio. 298.e
serapi cur magnifica templa dedicata & vbi. 294.d
seres populi longæui. 192.d
seriphium absinthium. 556.e
sermo. 335.b.566.f. *cur cibo comparatus.* 323.b.c. *efficax vel Mercurius.* 246.f. *inanis.* 323.b.c. *pro liquore aut rore pluuio acceptus.* 540.f. *per oculi hieroglyphicum.* 306.e. *vibrans, cibus est animi.* 540.e
sermonis intellectus duplex. 335.c
sermonis præses Mercurius. 312.e.f
sermone nimio extenuātur corpora. 105.a
serpens. 580.f
serpens Apollinem prouocans in Delphis. 149.a. *candam depascens, quid.* 149.a. 128.f. *gignitur ex humano cadauere.* 34.e
serpentis effigies à Mose ex ære in contum surrecta cur. 147.b.c
serpentis effigie quid commostrabant Valentiniani. 144.f. *spolium Neroni pro amuleto commēdatum à matre.* 141.c
serpentes alatæ volant ex Arabia in Aegyptum. 162.e
serpentes puellarum amasij reperti. 138.d
serpentiū symbolica tractatio. 126.& *seq.*
serpentium coria Amazonibus tegumentorum bellicorum vsum præstabant. 398.f
serra. 417.a.b
serra pugnare. ibid.c
serra ad squatinæ piscis ossis similitudinem effecta. 281.b.c
seruij locus. 574.d
serui fugitiui vocati olim cerui. 54.d
seruilis improbitas. 586.d
seruitia. 540.f
seruitus. 474.f.475.a. *longa.* 310.f. *per anuli symbolum.* 344.e. *per asininas aures.* 309. *per pedum symbolum.* 337.c. *per rasitationes capitis.* 300.d
seruitutis indicia inter somniandum quæ. 36.e
sesonchosis. 321.b
sesostres. 321.b
sesostris Aegypti rex. 406.e
sesostris nauis. 442.f
sessio. 411.a
sessus. 54.f
sessus Deo accommodatus. 509.b
seueri Alexandri Imperatoris numus. 332.e
seueri imperium quo præsagio præmonstratum. 141.b
seueritas peculiaris senibus. 308.f
sexagenarius numerus. 354.d. *viduitati dicatus.* 361.c
sexaginta. 361.c
sexta Parthica legio quæ. 143.c
sexcenta. 354.f.355.a
sex & senarius numerus. ibid.
sextans. 345.b
sextodecimus numerus, 457.c.458.d
sibi soli natus. 273.a
siccus pro paupere. 282.d
siciliæ vmbilicus vbi. 325.a
sicilicus quo signo figurabatur. 357.b
sicinius cur dicteriis non lacessuerit M. Crassum. 33.a
sicinius Dentatus quodnam sacrum primus fecit Marti. 85.b
sicinius Dentatus donatus torquib. 401.c
siclus. 174.e.360.e.f
siculi à Romanis orti. 120.e
sicyonij, Suarij, Asinij & Porcarij à Clisthene vocati. 120.e
siderum, idearumq; cœlestium virtutes Lunari corpore suscipiuntur. 434.d
signa militaria. 451.b
silenus. 567.b
sileni. 57.a
silani Alcibiadis. 57.b
silentium. 313.b.445.b. *opportunū.* 225.b. *per indicem digitum.* 342.e. *per pisces symbolum.* 284.f. *per ranæ rubetæ symbolum.* 276.d
silentij symbolum. 526.e
silij Italici locus. 36.d.170.f
silurus. 282.e.f
simandij regis Aegyptij signum. 2.c
simandij Regis bibliothecæ inscriptio. 365.a
simandij sepulchrum aureo circulo spoliauit Cambyses. 377.c
simeon Antiochenus. 158.e
simi nasi indicium. 254.f
simia. 58.d
simia vrnam euertens, ac sortes dissipans. 58.e
simiæ passione liberatur à febre leo. 6.e
simiam cur tantopere oderit leo. ibid.
simiæ tristes Luna cana. 53.b
simulacri Ceteris apud Thigalenses explicatio. 42.f
simulatio per picam. 215.a
simulationum inuolucris obiectus. 264.f
simulator. 528.d
sinapis vnde nomen habeat. 551.a. *oculis infestum. ibid.*
sinapis allegorica consideratio. 550.d.e.f. & *seq.*
sinus. 391.c
siphonum & tuborum aquæ cur per leonina capita eructare soleant. 7.c
sirenes. 193.b
sirenum aureæ illecebræ suspēsæ in Apollinis templo. 193.b
sirius. 375.b
sirius stella. 436.f
sistere, sistendiq; signum. 475.c
sistrum. 467.c
siticulositas. 153.a
sitis cur per corui symbolum. 218.e
sitis ex morsu dipsadis, epota theriaca sedatur. 153.c
sitis & sitibundi significatum. 153.c
smaragdus. 199.f.403.c. *Veneri dicatus. ibidem.*
smerdes Magus. 199.b
similacis cum hedera similitudo. 500.f
speciebus quatuor distinguitur. ibid.
similacis flos coronis intextus quid significet. 501.a
similacis fructus elegantia. 501.a
smynteus cur etiam vocatus Sorex. 126.e
smyrneorum Fortunæ simulachrum. 37.c
sobrietas. 90.f.404.e
sobrius nemo cantat. 515.c.516.d
sobrius vicus Romæ. 517.a
societas. 341.b
societas leonina. 5.a
socrates eodem semper vultu. 51.b. 433.a.446.e
socrates cur dixerit se gallum debere Aesculapio. 223.a. *quando iurat per canem.* 46.f
socratis opinio de Sole. 430.e
socratis somnium de Platone per cygni imaginem. 212.d
sol. 35.a.73.c.104.e. *aurea gleba Euripidi.* 430.e. *Græcorum indicium.* 432.d. *mundi mens.* 305.b. *vnde dictus.* 430.d.e.f. *cur Centimanus dictus.* 331.b. *cur per palmam.* 489.b. *per accipitrem, & cur.* 194.d. *per tricipitium Serapidis.* 298.c
sol & Bacchus idem numen. 104.d.e
sol & flumina cur dicantur mortale genus enutrire. 431.c.432.d
sol & terra. 13.a
sol, eiusq; hieroglyphica. 430.d.e
sol, solisq; vis. 324.e.f
solis simulachrum. 567.c

solis

Solis & Lunæ certamen in procreandis animalibus. 126.d
solis ortus cur per lotum arborem indicatus. 508.f. *simulachrum per Phœnicem.* 185.b. *symbolū.* 553.b. *viæ.* 301.a. *vis & beneficium.* 144.f. 305.b
solis vis. 569.a
solis & Lunæ coniunctio. 567.a
soli cur dedicati leones. 3.a
soli equus mactatus à Lacedæmoniis & Persis. 43.b
solem, Lunam stellasque quomodo deos intellexerint Aegyptij & Phœnices. 430.e
solem Osiris apud Aegyptios significat. 423.a
solem quomodo alloquebantur Indi pro concilianda Principum beneuolentia. 531.c
solem variæ gentes Deum putauerunt. 430.e
solaris annus. 381.a
solares radij. 406.f.407.a
solini locus. 164.d
solitaurilia. 84.e
solitudo. 187.b
solitudo per aquilæ pullū indicata. 179.b
solicitudines. 456.f
solitudinarius. 120.d. 138.f
soloiuncus. 363.c
solstitium. 244.f
solstitium hyemale. 259.a.337.c
solstitium vel tempus annuum. 111.b
solstitiales mundi partes appellauerunt dexteras Aegyptij. 24.e
soluere zonam. 392.f
soluizoniæ Dianæ templum. ibid.
somniculosa cur aspis dicta. 133.a.b
somniculosus. 272.d.557.c
somnium pincerna Pharaonis à Iosippo interpretatum. 516.e
somnia Astyagis. 516.f
somnia vera & falsa. 573.b
somniis admoniti ad aliquid aggrediendum qui. 205.c.206.d
somnus. 313.a.573.b
somnus Nestoris persona cōpellans Agamemnonem. 140.e
somnia, somniorúmque interpretationes variæ: vt si quis per quietem somniarit aures plures se habere. 310.f. *boues arantes imaginari.* 27.b
caput caninum vel equinum se habere. 36.d
caput ingens se habere. 294.f
capitis partem dexteram denudatā. 301.a
caput leoninum. 4.f
cerum instantem tergo. 61.c
dentes amissos dextera parte. 24.d
equum qui se portet. 36.e
formicas. 69.c
frontem capillis glabram. 4.e.300.e
fulmen vibratum. 448.f.449.a
gallinarum gregem ad se venientē. 212.d
lyram nuptiarum tempore videre. 459.a
manus plures se habere. 334.e
manus pulchras. 328.d
mare perturbatum videre. 26.e.326.f
mulier se in virum commutatam. 309.b
nasum non habere. 310.e
nauem vel ratem videre. 306.d
occipitium caluum. 301.a
oculos tres se habere. 309.a
pectus sibi transfixum. 407.c
puer in senem se mutari. 301.c
senex se in puerum mutari. 301.c
solem obscurari. 431.c.432.d
spicas in aure natas. 536.c
statura se vastæ magnitudinis esse. 484.f
stellas in mare vel terram cadere. 438.d
supercilium coloratum & densum. 308.f. 309.a
vini haustu se attentari. 514.e
vmbilicum, & quæ circa eum. 325.a
vniones. 404.e
vuam se videre. 516.f
somni parcissimus est leo. 4.b
somnum captantes Mercurio victimarum linguas adolebant. 313.a
sophista per cancri symbolum. 261.c. *per ranæ symbolum.* 275.a
sophistæ. 77.c. 154.e. 329.c. *euitandi.* 77.c
sophistarum nugæ. 110.e.f. *oppressio.* 262.d
sophocles in senectute scripsit Oedipum Coloneum. 212.d
sophoclis locus. 485.b
sorex Hecaten, prouerb. 125.c
soricis etymon. 124.f
soricis & suis consensus naturæ. ibid.
sosithei dictum in laudem aquilæ. 181.a
sospolis Deus ab Heleis cur colebatur. 283.b
sospitamentum. 71.b.442.d
spartiatarum mos in sacrificiis. 32.d
spartanorum origo: 141.a.b
spathalæ. 489.b
speculum. 405.a
spes fallax. 576.e
spes certa de re ambigua. 273.e. *irrita.* 334.f. *per florum symbolum indicata.* 401.f
spei definitio. 501.c. 532.f. *frustrator.* 261.b. *simulachrum per oleum.* 513.c
speusippi vel Antipatri epigramma ad Platonis sepulchrum. 180.f
sphæra ænea de Maximini statua de lapsa Antiochiæ quid portenderit. 379.a
sphærica figura. 378.d.e
sphinges cur appellatæ meretrices. 11.a. *humanicipites.* 14.e. *vbi nascantur.* 56.f
spica. 536.d.e
spicas repertas Isis prima capite circumtulit. 400.d
spina dorsi. 319.c
spinæ pro diuitiis. 531.a. *quid indicent in sacris literis.* 530.e
spiræ serpentum quid mystice. 135.a
spirillum quid vocet Opilius. 87.b
spiritalis motus. 567.b
spiritus. 132.e
spiritus pro superbia & animi elatione. 557.a
spiritus almus. 340.f
spiritus sanctus, eiusque dona septem. 344.f
spiritus sanctus in columba. 303.a
spiritus sibi redditus. 416.d
spiritū quid vocauit Anaxagoras. 132.e
splen à Saturno regitur. 312.e
splene laborantibus risus difficillimus. 51.a
splendor nominis. 315.a
spolium leoninum, virtutis signum. 12.d
spongia. 282.d.f.283.a
sportula. 538.e
sportulam ossium plenam dono misit Diogeni Alexander. 49.b
squamæ in sacris, quid. 290.e
squatina. 280.f
squilla. 262.f
stabilimentum. 443.b
stadium. 349.a. *Italicum quale. ibid. Pythicum.* 340.a. *Olympiacum. ibid.*
stare. 300.f
stare convenit adoranti. 53.b
stare in diuinis literis, quid. 54.d
starnæ aues quæ nunc Romanensib. 227.b
stathmus. 350.e
statij locus. 156.d.428.f.572.d
statuæ Aegyptiorum quales. 484.e
statuæ giganteæ obtortis sunt cruribus. 149.b
statuarum celebritas in columnis, antiqua est. 484.d
statuariæ triūphaliū ornamēta quæ. 423.b
stella. 435.& *seq.*
stella crinita Iulio Cæsare sublato statim apparuit. 436.d
stellæ aliquot Arctico polo affixæ repellunt aquam à terra. 329.c
stellæ cur exortu Solis extingui videantur. 432.f
stellæ mundi oculi. 572.e
stellæ per somnium in mare vel terram cadere visæ, quid. 438.d
stellarum significatum in sacris, quod. 437.a.b
stellio. 263.c
stephanum de Gentibus Hermolaus Byzantius in compendiū contraxit. 194.f
stephani de Vrbibus locus. 159.c.287.b
sterilitas. 114.d.e.507.b
sterilitas mularum propria. 114.e
stipula in sacris literis, quid. 536.f
stola. 390.d
stoliditatis ludibrium. 110.d
stomachus. 343.b
stomachus à Luna regitur. 312.e
strages Megarensium à leonibus edita. 4.f
stratoclis improba anaritia. 334.e
strenuus. 409.b.411.b.c
struppearia festa. 555.b
struthiocamelus. 230.d.& *seq. ambiguus inter terrestria & aëria. ibid.e*
struthiocamelus currit perniciſſimè. 231.a. *incubatu ova non fouet, nec pullos nutrit.* 231.a
struthiocamelus cur colla tantum frutice occultet. 231.b
struthiocameli pennæ æquales. 230.e. *earundem vsus ad cones bellicos & galeas adornandas.* 232.d
struthiocameli stoliditas. 230.e.231.a
struthiorum ova dissecta in æquas partes Garamantis præbent vsum pileorum. 387.b
struthiorum ova cur perquirant Garamantes. 153.c
studiorum profectui, corporis officium incommoda. 230.d

Stultitia. 91.a
Stulti ad cribrum, proverb. 365.c
Stupidus tardúsque. 80.e
Stupor. 18.d
Stupor & admiratio. 154.e
Sturio an silurus. 282.f.283.c
Suauitas ex asperitate. 557.a
Suauitas subiaria. 519.b
Subare. 81.c
Subdere colla iugo. 474.f
Subdiales ædes quibus Diis ædificantur. 483.b
Subingatio. 340.d
Subingatio. ibid.
Subingare. 194.f
Sublimitas. 551.b
Sublimium appetitor. 164.d
Sublimium rerum indagator. 417.c
Subsidium. 388.f
Subucula. 168.e
Subuli templa non ingrediebantur apud Aegyptios. 79.a
Subuentanea oua quæ. 168.e
Suburranensium & Sacrauiensium contentio super equino capite. 43.b
Successus voti. 132.f
Suesanorum pecunia. 223.a
Suetonij locus. 377.b.413.b.c
Suffeni Catulliani. 59.b
Suffibulum. 389.c
Suis viribus pollens. 15.a
Suos tantum curans. 226.d
Sulpitij Galbę canterius prolapsus in ipsa longi itineris porta. 42.e
Summa. 487.b
Summa calliditas ingenij. 4.d
Summissio. 305.a
Sumptus publici priuatique. 378.d.e
Superbia. 39.a. in pulmone. 557.a. per cervicem. 303.b
Supercilium. 308.f.310.f
Supercilium in tutela Iunonis. 309.a
Supercilium in lutu veteres solebant vellicare. 308.f.309.a
Superciliorum contractio. 5.c
Supercilioſi qui dicantur. 310.f
Superflua summota. 301.a
Super humerale sacerdotale Aegyptiorum. 403.a
Superstitione nationes omnes aliquando contaminatæ. 97.c
Supparum. 391.b
Supplex. 332.d
Supplices apud veteres coronatos fuisse. 492.d
Supplicatio. 512.d
Supplicationes quando fieri solitæ. 485.c
Supplicium capitale. 542.
Supplicij significatum. 559.a
Suppressa. 476.f
Surditas. 64.d.238.f
Surditatis symbolum. 550.d
Susæ vnde dictæ apud Persas. 533.b
Sus Bœotia. 80.e
Sus cur in Creta sacra. 83.a.b
Sus Mineruam. 80.d
Sus Mineruam fugit elephas. 77.b
Sus grunnitum fugit elephas. 79.a
Suem tangere non licebat Aegyptiis. 79.a
Sue nullum animal pluribus variisq; conditis aptius. 76.e.81.a
Sues Aematheolicæ solidis sunt vngulis. 84.e
Sues agrestes semel pariunt in anno idq; æstate. 81.b
Sues cephalalgiam curant esu cancrorum fluuiatilium. 71.a
Suibus dentes atterabantur apud Salaminios. 77.a
Suilla caro aciem ingenij obtundit. 76.f
Suillæ carnis laus. 81.b
Suillum genus cur nullum in Arabia. 77.c
Suillo generi cur pepercerint Aegyptij. 83.a.c
Sybaritarum interitus quando. 511.c
Sybaritarum mollities cur gallinaceos in vrbe non patiebantur. 243.d
Sycomori hieroglyphicum. 519.c
Sydus. 435.c
L. Syllæ legionum exemplum. 48.f
Sylsia auis, vel rebecula. 238.f
Symeon puerulus tridenti à Iudæis in sacrificium trucidatus. 110.f
Syncerus Actius Sanasarius. 184.d
Synodi sextæ locus emendatus. 92.d.e
Syphaci cur dona missa sint à Romanis. 321.a
Syracusana mensa quæ Platoni. 81.b
Syracusani. 37.c
Syracusanorum numus. 25.b
Syri cur columbæ pepercerint. 203.b
Syrij detulerunt pisces argenteos in templa Facelitidis deæ. 292.e
Syrtes anguipedes. 135.b

T

Tabanus. 247.a
Tabellarij fides. 191.b
Tabularum in Theodosij insigniis interpretatio. 295.b.c
Taciturnitas. 362.e.f
Taciturnitas leæna. 11.
Tacitus Imper. amariores cibos appetiit. 245.b. Idem Virgiliani carminis dulcedine offendebatur, & Ciceronis lectione. ibid.
Tænia quæ. 376.d
Tæniæ, Isidi dicatæ quales. 376.d. Osiridis quales. ibid.e
Talaria. 571.b.
Talaria pennata Mercurij. 200.e
Talpa. 123.a.b. liquidius audit. 122.d.e
Talpæ cor ad præsagium confert. 123.b.c
Thaithibius, cur porcum, quem Agamemnon pro iuramento statuerat, in mare præcipitem dedit. 84.e
Talus, princeps libidinis locus. 338.d
Tanagræorum pestilētiam quomodo Mercurius expiauerit. 95.c
Tanaquil in templo M. Anci diu adseruata. 471.a
Tantali symbolica interpretatio. 472.d.e
Taranda. 257.b
Taras delphino vectus. 252.f.
Tardas aues quas vocent Hispani. 232.f
Tardigrada testudo. 260.f
Tarentini. 38.d
Tarquinij Prisci filius cur omnium primus donatus bulla. 395.c
Tarquinio Prisco ex itinere pileum abstulit aquila. 176.d
Tarquinius Superbus papauerum capita decutit. 555.b
Tarquinij Superbi currus fictilis. 424.d.
metus angue conspecto, quid. 140.d
Tarquiniorum origo. 555.b
Tarusini leones, quid. 14.f
Tauri populi qui. 30.e
Tauricæ Dianæ sacrificium quale. 85.b
Taurij laudi quibus diis, & cur instituti. 25.b
Taurina specie fluuij qui. 25.c
Taurus animal venereum. 581.c
Taurus describitur. 21.22. & dc. inceps. à lupo superatus apud Argiuos, quid. 28. d. dextro obligato genu mansuetè ducitur. 23.c. Soli à Persis dedicatus. 26.e
Taurus cœlestis cur Veneri dicatus. 22.e
Taurus Herculeus. 23.b
Tauri auricula, quid. 25.b
Tauri collo alligatę caprifici vis quę. 507.b
Tauri significata. 22.d
Tauri significatum in sacris. 33.a
Tauri temperantia. 22.d. robur. ibid.
Tauram quando sacrificabant Spartiatæ. 32.e
Taurorum immolatio Hebræis, quid. 23.b
Tauros cur immolabant Neptuno, & quales. 25.a.b
Taygeto in monte ventis equum immolabant Lacedæmonij. 43.b
Tegea Arcadiæ ciuitas. 468.e
Tegos pro lupanari. ibid.
Telamones. 486.f.487.a
Telemachus delphino seruatus. 252. f. 253. a
Telesillæ cur galeata statua erecta. 485.b
Telephus. 62.e
Tellus duplex. 574.f.575.a
Tellus cur hominum mater dicta. 424.e
Telum vnde dictum. 407.a.408.f
Temonis hieroglyphica. 444.f
Temonem nauibus immittere à quibus didicerint homines. 165.b
Temperantia. 320. 393.a. 469.c. 507.c. 508.d
Temperantia, modestiáque. 263.c
Temperantia elephanti. 16.e
Temperantia per cubiti symbolum. 347.c. per Nilum. 197.b
Temperantiæ vis. 138.e
Tempestas per ardeam. 237.a per sepiam. 265.b
Tempestatis mutationem patefieri. 576.e
Tempestatis præsagium per echinū. 266.f
Templa sacra, Floræ, Herculi, Martī, Lunę, Proserpinę, Soli, Veneri quç. 483.b
Tempus. 130.d.437.b.505.b.537.b
Temporis diuturnitas. 489.f.490.a
Temporis significatio varia. 130.e.f
Tenacitas. 499.a
Tenebræ funestumve. 268.f
Tenebræ in diuinis literis, quid. 189.b
Tenedia securis. 296.f
Tenedus quomodo à Darianis militibus vastata. 446.d
Tenediorum regis lex quæ. 416.f.417.a
Tentamentum. 456.d
Tentoriaex quib. rebus fieri solita. 327.b
Tercenta sexagintaquinque. 354.f.355.a
Tereus Thrax Procnen duxit in vxorem. 210.e. Philomelam deflorauit. ibid.
Terga dare. 303.c
Teriungi milites. 121.a
Terminus. 169.c.339.a.365.c.484.d
Terminus lapideus Capitolij. 478.d.e

Terna millia. 359.c
Ternarius numerus cur Palladi & iustitiæ dicatus. 384.f
Terra. 145.a.424.e.482.e. 585.a
Terra & aqua. 467.a
Terra cur omnium mater credita. 433.c
Terra frugifera. 26.e
Terra, quæ & Maia. 85.a
Terra per Scorpium indicata. 150.f
Terræ filius coluber. 145.b
Terræ fines omnes in Dei manu esse cur dixerint veteres. 320.c
Terrarum dominatio. 379.c
Terrarum vmbilicus. 182.f
Terrenorum cum cœlestibus temperatura. 561.a
Terrenis addictus. 264.e
Terrificus leo. 3.b
Terror. 154.d.296.d
Terrenis in sacris, quid. 507.c.508.d
Tertij Theodosiani. 386.e.f
Tertiodecimani. 48.f.49.a
Tertulliani laus. 185.b
Testacea plenilunio magis pinguescunt. 262.d
Testamentum nouum eget auxilio veteris vetusq; noui. 374.e
Testamentorum tabulæ apud veteres quomodo signabantur. 397.f
Testes fibri Pontici præstantiores. 122.f
Testes quantum ad geniturам conferant. 321.a
Testes virtutis indicia. 321.c
Testiculos sibi secuisse vel abstulisse quis dicatur. 322.e
Testimonia seruorum contra dominos nulla. 189.a
Testudo. 260.d
Testudo cur Veneris simulacro apposita à Phidia. 260.d
Testudo prudentiæ symbolum. 545.b
Testudo ore robustissima. 261.a
Testudinis munimentum. 260.f
Testudinis cognities districho expressa. ibid.
Testudines vbi magnæ. 260.d
Tetragrammaton. 398.f
Tetragrammaton nomen ineffabile. 368.d
Teuthis. 472.f
Thaipsali milites. 142.f
Thalia. 463.c
Thallus mercator. 29.a
Thamura Mosen puerum ex profluente exemit. 369.c
Thebani vnde oriundi. 141.a.b
Thebarum insigne fuit draco. 276.f
Thebis cur iudicum statuæ sine manibus. 334.e
Thebiorum natio pestifera. 132.d
Thelesilla, eius q. statua. 418.d
Thelyo. 463.a
Themistocles gallorum exemplo confirmauit pugnantes. 223.c.224.d
Themistoclis argutum responsum. 38.e
Theocriti locus. 45.a.90.d. 238.d. 281.b. c. 370. d
Theocriti Pharmaceutria ex Euphorionis Minis translata. 281.b.c
Theodori Gazæ laus. 70.f.71.a
Theodosianę militię insignia. 449.c.450.d
Theodosiani. 386.e. Secundi. ibid. tertij. ibid.f
Theodosij insignia qualia. 295.b.c
Theodotionis Ephesij opinio reiecta. 168.f
Theognidis locus. 256.f
Theologia. 231.a.b. 368.f. 380.e.f
Theologiæ munus. 367.c
Theophrasti de viperis sententia. 134.e
Theriacum. 148.e
Thersites cur dicatur in simiam mutatus. 59.a. τιθυμόμορφος dictus. ibid.
Theseus barbam tondere nolit. 302.e
Theseus primus anteriorē capitis comam Apollini Deliaco dedit. 300.e. 302.e
Thesæus primus palmæ pretium instituit. 489.a
Thessali coronas amaranthinas primi excogitarunt, & libamina quotannis ad Achillis tumulum ferunt. 534.f
Thessalis quinam erant bucephali. 30.f
Thessij filiæ quinquaginta ab Hercule vitiatæ. 89.c
Thetis in sepiam commutari solita. 265.a
Theu Platoni quis. 268.d
Theutates Propertio quis. ibid.
Tholos. 265.b
Thomas Campegius episcopus Feltrensis. 440.e
Thomas Miliarius. 229.c
Thomas Petrosanctius. 356.d
Thorax. 418.e. & deinceps thoracū indago in paludib. explorādis qualis. 122.d.e
Thrasybulus Milesius. 555.b
Thrasybuli simulacro cur adsculpta mustela. 123.c
Thrasybuli statua in Olympia. 45.e
Thrion fici folium cur dictum. 520.d
Thronax mons. 235.a
Thunnus. 282.f. huius captura vbi. ibid.
Thunnum piscatores Neptuno sacrificabant. 284.d
Thuribulum. 317.c
Thus in Sacris, quid. 454.d
Thyrsus circunfusa hedera coopertus quid significet. 498.e
Tiara. 398.e.f
Tibiæ Veneri sacræ. 461.b. Pani attributæ. ibid.
Tibicines expectare, prouerbium. 461.b
Tiberius à quo oppressus. 222.f
Tiberius fulmina corruscationésque expauescens, lauream sibi imponere solitus. 493.a
Tib. Gracchus quo gestu se populo commendarit. 294.f
Tiberius Imp. noctu vidit. 305.c
Tiberij Cæs. serpens à formicis corrosus quid portendebat. 141.c
Tib. Cæsaris numus. 230.e
Tib. Claudij Cæs. numus. 330.e
Tib. Gracchi oppressio per angues in galea significata. 149.b
Tiberij humero insidēs gallus, quid. 222.f
Tiberij Imper. nequitia. 222.f
Tibulli locus. 130.d.203.b.c.470.e.500.d
Tigranes candidam fasciam ad Pompeij pedes abiecit. 397.c
Tigris. 104.d.e
Tigris audito tympani sono insanit, ita vt semetipsam dentibus impetat. 105.a
Tigris cur vocata sagitta ab Arme. 407.c
Tigris equum citatissimū ter repetito cursu assequitur. 105.a
Tigris fluuius vnde dictus. 197.c
Timidus minima quaque de re. 234.d
Timo Demeam assentatorem ligone percussit. 61.b
Timoleon cum Bomilcare & Asdrubale feliciter pugnat. 506.e
Tinea. 280.f
Tinnabulum. 461.c
Tippula. 251.b.c
Tiresias. 68.d
Titanum genitalia defecta, quid. 324.e
Titi Liuij imago Patauij qualis. 342.e
T. Liuij locus. 24.e.414.d
Titi Vespasiani numus. 254.e
Titillario. 319.c.517.a
Titoplus. 463.b
Titulus. 398.e.f. Numa rege factus. ibid.
Tityj iecur, à vulture cur fingatur abrodi. 171.a.b
Toga & togata comœdia. 387.c.d
Toga picta. 392.d.
Toga vtebātur & viri & mulieres. 387.c
Tolerantia. 469.b
Tondere in sacris, quid. 299.c
Tonitrus. 26.d
Tonitrus vocatus filius Clearchi. 428.d
Torcularis hieroglyphicum in sacris literis. 517.c
Torpedo pisces. 276.e
Torpedini pisci ignauia præditus cur assimiletur. 276.f
Torques. 401.c
Torques abeneus in corui collo inuentus, qui ab Agathocle venando interfectus fuit. 66.d.e
Torquem qui meruit duplam consequebatur annonam. 402.d
Torquium species. 402.d
Torquibus donatus Sicinnius Dentatus. 402.d
Torquilla. 238.d
Torrens. 272.f
Toruitas vnde dicta. 23.c
Torum tueri. ibid.
Toto & aperto pectore. 25.a
Tractabilitas. 116.f.117.c
Tragelaphi in Diuinis literis qui. 66.f
Traiana aqua. 380.e
Traiani columna, colossum habuit superimpositum. 484.d
Traiani Hadriani numus. 334.d
Tranquilli locus. 247.c
Tranquillitas. 233.b
Transmutatus. 234.e.f
Transuersum digitum non secedere. 345.b
Trapezitarum mensæ in ianuis habebantur. 299.a
Trecenta. 354.f
Trepidatio. 119.a.205.a
Tria. 354.d
Tria mala quæ. 454.f
Trias. 368.e
Triangulum æquilaterum cur diuinitatis indicium. 383.c. cur Minerua, Verticigena Tritogenia. ibid.
Tribas mulier per gallinam. 221.c.222.d
Tribunitia potestas ab Imperatorib. vsurpari solita. 392.e
Tributum remissum Italiæ à Nerua. 37.a
Tricarenus Geryon. 298.d
Tricenarius numerus. 354.d

Tricipitium. 297.c
tridens. 446.c 468.e
triginta. 339.c
trigla. 259.c
trigla. 280.e. *cur Dianæ dicata.* ibid.
trium & trinitas rerum. 383.b
tripos aureus Socrati adiudicatus. 542.e
triticum à lolio repurgandum. 537.c
tritobœtis, quid. 384.d
tritogenia. 383.c. 384.d
triton cur biformis pingebatur. 284.f
tritones. 463.b
tritones tubicines in Saturniæ ædis fastigio. 461.a
tritonia cur vocata Pallas. 384.e
tritura quo anni tempore potissimum fit. 469.a
triumphator. 338.
triumphus. 301.b
trochilus. 424.f
trochili ad hiantem crocodilum accedunt pabuli gratia. 270.d
trœzen. 468.e.f
trœzenij Neptunum colunt. 468.e
troiani belli tempus ex passeribus augurœus Calchas. 193.a
trophonius, eius q3 simulacra. 150.d
triphoniana oracula. ibid.
truculentia. 342.d
tuba. 461.a. *Marti dicata.* ibid.
tuborum & siphonum aquæ cur per leonina capita soleant eructare. 8.d
tumultus. 406.f
tunica & tunicatus. 388.d
turbidam aquam cur bibant elephanti. 17.d
turbines. 373.b
turbo puerilis. 470.d
turcarum matutinales acclamationes quales. 377.a
turdus. 238.f. *sibi mortem cacat.* ibid.
turdus surditate laborat. 238.f
turibulum. 453.c
turtur. 207.a.& deinceps
turtur tibiarum cantu delectatur. 208.d
turturis continentissima viduitas. 207.b. *oblatio in sacris quid.* 208.d. *pulli, quid.* ibid.
turtu rum par quis dicatur obtulisse. 202.e. *quando Deo offerimus.* ibid.
tutela. 443.a
tympanum. 191.c
tyndarus cur Venerem coniecit in vincula. 471.c
tyndarus raptæ filiæ iniurias quomodo putauit vlciscendas. 43.b
typho. 567.a
typho latrociniis infamis. 269.c. *ab Osiride domitus.* 271.b
typhon. 166.f
typhonis suem insectantis fabula. 79.a
tyrannus per polypi symbolum. 256.e
tyrannis symbolum per noctuam. 190.f
tyrij Apollinem suum cur Alexandrinum cognominarunt. 472.d.e. *cur Deorum statuis vincula iniiciebant.* ibid.
tyrij cur Carthaginem ædificare intermiserint. 29.a. 52.
tyriorum numus. 442.f
tyrrheni nauigandi facilitate claruerunt. 254.d. *Delphini cognominati.* ibid.

V

Vacca Veneri dedicata. 25.b
Vaccæ vox quid in sacris liter. 29.c
Vacillatio. 326.f
Valentiniani quid per serpentis effigiem commostrabant. 144.f
valentianenses milites. 121.a.b
valeria Luperca ab aquila liberata. 342.f. 343.a
valerian. Soranus cur neci traditus. 342.f
valetudo inoffensa. 534.e
valetudinis diuturnæ prosperitas. 242.d
validior à deteriore superatus. 102.c. 103.d
vanæ sapientiæ studium. 188.e
vaniloquentia. 77.a
vaniloquentia euitata. 17.a
variæ, genus Pantherarum. 104.d
varietas rerum grata. 134.f
M. Varro literarum porcus appellatus à Palæmone. 76.d. 80.d
varro nauali corona donatus à Pompeio. 442.f. 443.a
varronis opinio de mundi partibus. 24.e
vas animæ quid D. Paulo. 539.b
vasa indignationis quæ. ibid.c
vasa pro seruitiis ponuntur. 541.a
vastitas. 149.c
vaticinium. 492.a
vaticinij symbolum laurus. 492.e
vaticinia ex cane quis primus desumpserit. 45.a
vbertas. 541.c
vectis. 476.f
vehemens cupiditas. 238.e
velamẽ simulacri fidei albũ fuit. 333.b.c
velia. 237.c
vedius nebulo reprehẽsus à Cicerone. 55.b
vehemens appetentia. 63.d
veientana sylua quando exaruit. 493.b
velocitas. 253.c.254.d.407.e.571.b
velocitas negotiorum. 31.c
venator. 473.c
venationis antiquæ ratio in Sicilia dum ceruos venantur. 63.a
veneficiorum amuletum. 100.e.f
venenatarum sagittarum ictus quomodo sanabantur. 205.b
venia. 344.e
venus. 82.f. 471.c. 524.e
vnde dicta. 470.f
venus ἀλιτροὺς. 287.a. *cum pectine cur Romæ aliquando colebatur.* 404.e.f. *cur eadem barbata.* ibid.
venus Genitrix. 330.e. *eidem templum erectum, & à quo.* ibid.
venus in antro statuta, & quare. 524.d. *malo insignis.* 524.d
venus Morphõ. 471.c
venus Στιμβρὴ vocata. 204.e. *verecunda.* 324.d. *vult crapulatum non famelicum.* 81.c
veneris armatæ simulachrum cur apud Lacedæmonios. 406.d. *currum cur trahant passeres.* 193.b. *digressio ab Erycis monte.* 202.e
veneris Erycinæ templum. 452.f
veneris in tutela sunt horti. 323.c
veneris Mitheæ sacra quæ. 135.a. *nigræ sacellum vbi.* 324.d. *prophanatæ templum.* 260.e. *sedes in lumbis.* 202.f. *simulachrum insidens arieti.* 95.b. *symbolum.* 554.f. *statua* ibid.
veneris simulachro cur testudinem adiecerit Phidias. 260.d
veneri cur adsculptus polypus. 258.f. *cur dedicatæ columbæ.* 201.c. *dicata concha.* 263.b
venerem cur compedibus constringendam finxerint veteres. 323.e. *cur in vincula coniecerit Tyndarus.* 336.f. *languentem excitantia.* 558.f
venerem spinosas in pectore curas ferere. 530.e
venter. 326.e. *originis indicium.* ibid.
venter caret auribus, prouerb. 326.f
venter mare aliquando denotat. 294.d
ventris varia significata. 326.e
in ventrem pugnos ingerere. 326.e
ventriloqui qui dicantur in sacris. 327.a
ventum attestari, Scythis maximum iuramentum. 416.e
vento grauidæ factæ equæ. 40.f
ventorum præsagium per echinum. 266.f
ventis equũ immolabant Lacedæm. 436.a
venustas. 119.a. 404.d
venustatis symbolum. 331.a
vepres delictorum symbola. 530.e
ver. 586.d.e
ver & hyems. 164.f
ver, hyems, sol. 331.a
veratrum cur appetant coturnices. 229.b
verbenæ descriptio. 555.b
verbum quid theologis. 181.c
verba per gladij symbolum. 415.a
verborum fons mens est. 45.a
verecundia. 314.f
L. Veri Aug. numus. 379.c. 380.d
veritas. 395.c. 399.c
veritas fidem parit. 573.c
veritas, veritatis q3 signum nudum. 430.f
veritatis dulcedo. 518.e.f
veritatis symbolum. 526.e
vernum tempus. 159.a. 290.b. 235.a
verni temporis amœnitas. 96.f
verriculum. 445.c
versicoloris vestis. 391.a.b
versipellis. 257.b
verticigena. 382.e
vesontes. 412.e
vespa vnde procreetur. 246.e
vespæ. 61.a
vesparum habitationes & cellæ quales. 246.f. 247.a
vespis aduersatur malua sylvestris. 246.e
vespasiæ partus treis, per quernos ramos fatales totidem præmonstrati. 363.c
vespasianus aliquot ex plebe miraculosè sanauit. 295.c
vespasianus de lotio vectigal exigebat. 17.b. *procuratoribus pro spongiis vtebatur.* 282.d
vespasiani signum. 154.e
vespasiani triclinium ascendit bos arator. 26.f
vespasiano recèns electo defuit authoritas. 295.c
vespertilio. 231.b.c.& deinceps
vespertilio sola volatilium lac & mammas habet. 231.c
vespertilionis & colũbæ discordia. 232.d
vespertilionis & formicæ discordia. 232.d

Vespertiliones arcẽtur platani foliis. ibi c. occiduntur hedera suffumigata. 232.e
vespertiliones in sacris quid sint. 232.e
vespillo. 46.d
vesta. 173.a.b. 410.f. 454.e.f. 482.e
vesta sedens sculpi pingiq3 solita. 421.b
vestæ rotundam ædem Numa Pompilius consecrauit. 482.e
vestæ simulachrum quanam figura erat. 454.f
vestales virgines. 289.c
vestalium initia. 508.f
veteres minus vitiosi in philosophando. 321.b
vetustas. 500.d
vetustas quibus honorem tribuit. 26.e
vetustatis symbolum hedera. 500.d
vexatio. 299.c
Vgolinus Campegius. 441.b
via in diuinis literis, quid. 337.a
viæ & semitæ differentia. 380.e
viæ per pedes symbolum. 337.c
victimæ quales & quę numinibus immolabantur. 85.a
victor hostis. 102.d
victoria. 32.d. 398.e. 354.f. 493.c
victoria & gloria per accipitrem. 198.f. 199.c
victoria maritima. 423.c. *naualis.* 442.f. *perpetua.* 199.b. *per galli symbolum.* 220.c. 221.d. *per noctuã apud Athenienses.* 188.f. *cur per oleum indicatur.* 513.b
victoriæ Daualæ Piscariæ principis laus insignis. 200.f.& deinceps
victoriæ præsagium. 49.c
victoriæ signum cur alatum. 198.f. 199.a
victoria vti nescius. 256.e
victoriati numi. 199.a
victoriani rhetoris locus. 54.e
victus frugalis commendatur. 546.d
victus promisio. 17.c
videntes appellantur Prophetæ. 299.b
vidua perseuerantis continentiæ. 201.c
viduitas continentissima. 207.b
viere. 471.c
vigilantia. 118.e
vigilantia custodiaque. 2.f
vigilantiam præstant ranæ oculi, luscinia carne. 274.e.f
vigilia perpetua nullũ vtitur animal. 2.b
vigiliæ speculationésque. 159.b
viginti. 367.c
vincentius Caprilis. 328.d
vincla iugalia Maroni quæ. 344.d
vinculum. 371.b
vinculum per anuli symbolum. 344.d
vincula. 331.c
vincula iugalia. 393.a
vindemiæ prouentus plenus vnde præsagitur. 235.b
vindemiarum licentia in regno Neapolitano. 516.e
vindices milites qui. 144.d
vindicta. 9.a
vinearum incolumitas. 224.a
vineas infestant Aprici venti. 224.a
vinitor. 112.e
vinum ad iucunditatem, non ebrietatem creatum. 515.b
vinum in acetum conuersum quomodo restituatur. 563.a.b. *in sacris oblatum, sanguinis signum.* 517.b. *marina commixtũ aqua facilius conseruatur.* 253.a. *mentem, non secus ac alæ corpus, attollit.* 516.e
vini odium ex esu quorum noctuæ. 190.d
vino apud Carthaginenses quibus interdictum. 515.c.d. *intemperantius vtentes melancolicos fieri.* 516.f. *nullum tormentum efficacius ad veritatẽ eliciendam adhibetur.* 215.a. *olim abstinebant Romanæ mulieres, quarum vna ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui media necata.* 516.d. *sic ingurgitare cur adolescentibus quandoque permissum.* 116.d
vina vetustas commendat. 500.d
violæ quomodo fragrãtiores fiant. 513.a
vipera an mariti caput amputet, in certum. 133.b
viperæ dente tactus nulla deinceps venena reformidat. 148.d. *iecur conditum aduersus serpentum ictus remedium.* 148.d
viperæ edebantur in desperatissimis morbis. 229.b. *in Arabia cur innoxiæ.* 148.e. *quomodo abortum mulieribus adferant.* 134.f
viperarum vterus an à catulis exedatur. 134.e
viperis cõditis vescẽtes diutissimè viuunt. 148.d
viperalis herba. 559.c
viperino ictui vipera remedium est. 148.d
vir probus. 381.b
vir frugi, vxor prodiga. 111.b
vir patérve cur dictus scarabeus. 73.a
vir vndecunque perfectus. 66.d.e
viri amor in mulierem infidam. 265.b
viri probi animus quietus improbi inquietus describitur. 235.c.d. *sermo.* 316.d
viri symbolum per barbam. 302.e
viris loquacibus extrema lingua perforata. 568.e
virago. 106.d. 124.d
vires. 401.b
vires cedere sapientiæ & eloquẽtiæ. 12.e
viribus suis pollens. 561.b
virga cur Palladi accommodatur. 146.d
virgæ & baculi differentia. 401.c
virgilij locus. 29.a. 31.c. 36.d. 40.f. 84.d.e. 85.a. 87.b. 104.e. 132.e. 138.e. 140.f. 141.a. 170.f. 171.a.b.c. 183.a. 192.f. 205.a. 206.d. 213.c. 215.c. 216.d. 217.c. 268.f. 270.e.f. 298.f. 319.c. 320.d. 322.d. 323.c. 336.d. 338.d. 344.f. 365.b. 373.b. 379.b. 387.a. 410.f. 424.d. 425.a. 426.e. 451.a. 470.e. 512.d. 534.e. 566.e
virgilij locus in appendicibus. 529.c
virgilij opusculum de rosa. 531.b
virginales columnæ. 486.e
virginitas. 403.c
virginitatis imago per apes. 244.d
virgo abscisis capillis. 579.b
virgo capillos erectos habens. ibid.
virginis signum cur vitẽ auersetur. 111.c
virginem parere non absurdum. 168.f
virgines armatæ quæ. 405.c. 406.d
virginum custodia. 260.d
virgula diuina quæ Ciceroni. 147.a
virtus. 12.d. 497.b. *enervata deliciis solida.* 402.e
virtus indagatrix cur draconi assimilata. 138.e
virtus munimentum quod auferri non potest. 418.e
virtutis decor. 301.b
virtutis doctor. 91.c
virtutis ac Honoris imagines. 574.e
virtuti cedit improbitas. 272.e
virtutes labore cõparantur. 488.f. 489.a
virtutis radices amaras esse, fructus verò suauissimos. 502.d
virus hippomanis quale. 40.d. 77.a
vis aperta. 473.c
vis leoni peculiaris. 2.f
viscum vnde proueniat. 238.f
vita. 455.b
vita diuina. 449.d
vitalis. 196.d
vitalis per cordis hieroglyphicum. 316.e
vita mors q3 per oculi symbolum. 307.c
vitæ breuitas. 3.b. 344.d.e
vitæ humanæ conditio. 285.b
vitæ humanæ cursus. 345.a
vitæ progressus. 349. 380.e
vitam instituisse sapienter qui dicantur. 61.a.b
vitellij Cæsaris numisma. 574.e
vitelliana dominatio crudelis. 26.f
viterbiensis columna cum duabus accipitribus quid denotare videtur. 199.c
vitij emendati signum. 528.d.e
vitia. 474.e
vitiis diuitiis q3 nomen, idem. 116.f. 117.a
vitiis quis dicatur liberari. 38.f
vitiosus. 29.c
vitis libertatis indicium. 516.d. *laboris.* 505.f
vitis Rheæ sacra. 516.f
vitis supra caput Hecates prætendi solita, quid sibi velit. 498.f. 499.a
vitis cui Christus se cõparat, palmitum q3 eius consideratio. 505.c
pro vitibus sacrum. 87.b
vitula indomita descripta ab Horat. 39.c
vitulari & vitulantes, quid. 26.d
vitulus. 581.e
vitulus marinus. 136.e.f. *fulmine non tangitur.* ibid.
vituli hieroglyphicum quod. 26.d
vituli significatio in sacris quæ. 33.a
vitulum offerre, quid. 22.f
vivacitas. 66.d
viuificare in sacris literis, quid. 189.b
vlna. 348.e
vltio. 104.f. 244.e
vltio diuina. 570.e
vltio per digitos cõmorsos indicata. 476.d
vlysses ordinis desertor. 165.a
vlysses πολύτροπος. 256.f
vlyssis caput pileatum. 385.b. *genus nobile.* ibid.
vlyssis socij non nisi necessitate coacti piscantur. 288.e
vlyssis socij quomodo virga vel in brutæ vel in homines transformati. 146.d
vlyssi naufrago Pallas oleum attulit quo perungeretur. 532.e
vlyssi quid responderit Palamedes. 164.e

Vlyssis etymon. 108.e
vmbra. 451.b
vmbræ odoratæ miram inspirarunt fragrantiam. 545.b
vmbilicus, & eius significata. 325.a.b.c
vmbilicus terrarum vbi. 182.f
vncia. 210.e
vncus. 476.e
vndecim & duodecim. 357.c.358.d
vngendi cadauera mos Aegyptiis. 57.c
vngi & vnctio, & non vngi, in sacris, quid. 337.d
vnguētum in Aaronis barba, quid. 532.e
vngues demordere, & rodere. 341.a
vngula bifida. 78.d
vngula duplex. 78.f
vngula bifida in sacris quid. 66.e
vnicornis quomodo capiatur. 21.a
vnigenitus. 72.e
vniones gemmæ. 403.c
vnitas. 389.a.430.e
vnitas & vnio. 383.b
vniuersalia rerum multis voluminibus explicauit Mercurius. 312.f
vniuersum vel mundus. 566.e
vniuersi Deus. 435.a
vnius diei vita. 248.e
vocalia signa militaria. 31.c
vocalis prima. 28.d.162.f
vocalibus septem musica expressa. 462.d
vocis qualitates quot quæve. 462.d
vocum compositiones apud Aegyptios quam vim habeant. 196.f
C. Vocl.enus cur à Senatu punit. 342.d.e
volare verba, Horatio quid. 199.a
volcanalia quando celebrari solita. 482.e
volcanus. 454.e
volcani templum apud Aetnam. 46.d
volumen. 150.d
volumen vnde dictum. 325.c
volumina serpentum quid denotēt. 135.a
voluminum cornua quæ. 325.c
voluntas bona per errorē obfuscata. 321.c
voluntatis fons, cor. 176.f
voluptas. 357. c.d. *ex patientia.* 342.f. 343. *maturè extincta.* 137.c. *vera quę.* 138.e. *vires eneruat.* *ibid.*a
voluptatem ex myrto significari. 494.e.f
voluptates quomodo coërcendæ. 328.e
voluptatum ac maiorum affectuum dissipatio. 161.a
voluptuaria Venus. 116.f
vorocitas insatiabilis. 280.e
vorago. 374.e
vortuna. 378.f
vot. X X. notæ *in numis & aris quid sibi velint.* 358.f.359.a
voti inefficacia. 62.f
vota concepta, & nuncupata. 318.f
vox humana, quid. 268.e
vpupa. 235.b
vpupa quid Theologis. 235.b
vpupa vuis vescens immodicè, quomodo ebrietati medetur. 235.b
vr Hebraica lingua quid significet. 106.f
vr Madianitarum rex ab Israëlitis occisus, quid significet. 106.f
vrbanus Bolzanius Pierij patruus. 304. d. 311.b
vrbanus Græcas literas docuit. 291.b
vrbes cur olim editis in locis ponebantur. 424.f
vrbium origenes variè ab autoribus traduntur. 139.c
vriel. 425.c.426.d
vrina rabiosi canis. 50.f
vrinator. 57.b.272.e
vrna Osiridi dedicata. 538.e
vrnæ tres. 447.b
vrsa auersis vestigiis cauum irrepit. 106. e. *fœmina mare ferocior.* 186.e. *fœtum edit sine oculis.* 106.d. *fœtum lambendo perficit.* 106.d
in vrsas abire, quid. 106.e
vrsus quomodo capturam euadit. 107.b
vrsi caput imbecillum. 106.e
vrsi primùm antra habitationibus commoda ostenderunt. 106.d
vrsi ex Britannia aduecti ad pop. Rom. spectacula maximæ admirationi fuerunt. 106.e. *quàdiu pedù suctu viuunt.* *ibid.* d. *salutis ergò aluearia incessiunt.* 107.a.b
vrsis nomen ab irritatione olim impositum. 106.f
vrsina ferocia Hierosolymitani excidij indicium. 107.a
vrtica in sacris literis, quid. 530.f
vrus aut difficulter aut nunquam capi potest. 107.b
vrus bos Germanicæ. 107.b
vtilitas & damnum. 284.f
vua in somniis visa, quid portendat. 516.f
vuæ laxatio quomodo cohibeatur. 563.b
vulcanus. 567.c
vulcanus claudus cur fingatur. 173.e
vulcano iunctæ Pallas, quid. 172.d
vulcano pisciculi pro animis humanis dabantur. 289.c
vulcanum & Pallada masculo fœminas indicarunt Aegyptij. 172.d.e
vulpansen. 187.b
vulpeculæ pelli assuenda Leonis spolia, prouerb. 122.d
vulpes. 121.a.b. *& seq.*
vulpis lepidum responsum ad pardum. 121.a.b
vulpis lupique nomen à Prophetis nunquam ad bonum vsurpatum. *ibid.*
vulpi quid responderit leæna de prolis fœcunditate. 8.d
vulpem cur Siculi cinædū vocarint. 121.b
vulpinari quid & vnde. *ibid.* c
vulnus amatorium. 134.f
vulnera amoris. 407.b
vulnerat culex susurrando. 116.f. 117.a
vultur. 165.c. *& seq. à vento concipit.* 166.e. *quot ova parturiat.* 167.a. *vina non attingit.* 169.c
vulturis cœlestis afflatus quamnam habeat vim. 170.e
vulturis cor amuletum ad varia. 169.c. *nidum nemo vidit.* 170.f. 171.a. *præsagitura vbi strages futura sit, ac acies concursuræ.* 170.d. *studium in educandis pullis.* 169.b. *visus & odoratus exquisitissimus.* *ibid.*c
vultures omnes fœminæ. 108.d
vultures pro sepulchris apud Iberos. 134.a
vulturum ova zephyrea & hypenemia. 168.e
vulturina aquila. 178.d
vulturina penna parturientes adiuuat. 168.f
vxor cur ducenda. 455.a. *inimica marito.* 133.b

X

Xenophontis nomine liber de Aequinoctiis. 206.a
Xenophontis locus. 166.e
Xerxen fefellit insomnium. 513.b

Y

Y Græcorum sæpe apud Latinos v. 462.e

Z

Z Pro S. veteres frequēter vsi. 505.b
Zabulum. 467.c
Zachariæ Chimios dictum quod. 499.b
zadchiel. 426.e
zamaël. *ibid.*
zamolxis sententia de oculis. 304.e
zaræ manus de matris vtero porrecta, quid. 391.c
zelotypia. 116.f. 117.a
zelotypia equorum. 40.f
zeno dialecticorum argutias eludebat. 539.a
zenonis Cittiei responsum de conuiuij hilaritate. 104.f
zenonis sententia de Dialectica. 251.b
zenobia commendatur. 22.f
zenodoti error. 151.c
zephyrea sunt vulturum ova. 168.e
zephyro flante canūt suauius cygni. 213.a
in zerintho Samothraciæ oppido immolabantur & epulabantur canes. 52.d
zodiacus. 566.e. 584.e
zona. 528.e. 392.e.f. 397.a
zonam virgineam, vel diu ligatam soluere. 392.f
zopyrus Pyrrhum iugulauit. 189.b
zoroaster. 455.c
zoroaster recentior. 6.f
zoroastris flumina quatuor. 196.f
zoroastris sententia de animo. 196.f

F I N I S.

GRÆCARVM VOCVM QVÆ TOTO OPERE OCCVRRVNT INDEX.

A

Ἀγυλοπῆς. 423.a
Ἀγυιαί. 485.b
Ἀδιάλῦε ἔτυμον. 235.b
Ἀετίτης lapis. 182.d
Ἀείφυλλος palma. 489.b
Ἄιθων. 121.b
Ἀιλυρόμορφος scarabeus. 73.c
Ἀιρεδάκτυλον. 141.c
Ἀλεκτρυὼν ὄρπηδᾷ. 223.c
Ἀλιγονὴς Venus. 287.a
Ἄλλα ἄλλῃσιν. 220.e
Ἄλλομαι. 342.d
Ἀλωπεκίζειν, & ἀλωπεκάω. 121.b
Ἀμᾶν. 464.d
Ἀμφιπύρῃ Luna. 370.d
Ἀνάγκη nascentium Deus. 144.f
Ἄνθος aucula. 236.d
Ἀνοσιότης. 414.f
Ἀνίερως. 452.c
Ἀνιπτελαργεῖν. 157.b
Ἀνίχερ. 342.d
Ἄξιον ἐλελίσσειν, prouerb. 484.e
Ἄπειρον. 469.a
Ἀπείρων γῆ. 379.b
Ἀποσκορακίζειν, ἀποσκορακισμός. 218.e
Ἀρεισφόβης Mercurius. 316.d
Ἀργώδης. 316.e
Ἄρῃ. 220.f
Ἀρεῖῶν ἀναφαίρεσιν ὅπλων φῂ dixit Antisthenes. 418.e
Ἀριστέμιδος Polluci quid. 107.a
ἐν Ἀρχῇ. 378.f
Ἀστρονύων. 375.b
Ἀταυραι bones quæ. 22.e
Ἀτιμαζελεῖν. *ibid.*
Ἀτιμαδῶναι. 360.d
Ἀσεβετές. 382.e
Ἀσεβέστον mare. 287.e
Ἄτλικος ὑπέχει τὴν χεῖρα ἢ ἀποθνήσκων, prouerb. 335.b
Ἀφυες. 228.d
Ἀφύη. 281.b
Ἀφωνότερον τοῦ ἰχθύων. 445.b

B

Βαλανοφάγοι. 498.f
Βατράχε ἔτυμον. 275.a
Βεβαιῶν. 269.c
Βλέπειν ταυελδὸν. 23.b
Βῆμα. 200.e
Βυβάλιον. 21.c
Βυττυὶς vocatus Dionysius. 23.a
Βελὴ. 173.a
Βιλμία. 49.c
Βῆς ὅπῃ γλώσσῃ βεβιε. 27.b
Βῆς ὅπῃ φάτνῃ. 30.d
Βύφαρος. 27.b
Βυφών. 28.e
Βοῶπις. 23.c
Βῶ. 27.b
Βωμὸς φεύξιμος. 481.c

Γ

Γ Litera. 463.c
Γ in δ vertunt Dores. 150.d
Γαῖος. 29.a
Γαμψώνυχα ζῶα. 4.f
Γαστὴρ ὑ θάλασσα. 326.e
Γαστὴρ ἐν ἐχῇ ᾠᾶ. 326.f
Γαστρίζειν. 326.e
Γλαῦξ ἱπτατο. 188.f
Γρυπὸ genus duplex. 177.b
Γυπαιέτος. 178. d. pullos suos fastidit. 179.a

Δ

Δ Litera. 464.e
Δαφνηφάγοι. 491.e.f
Δεκαετὶον mulcta Draconis. 27.c
Δεκαπὺς. 348.e
Δέλτωλον. 463.c
Δελφινόσημος Vlysses cur. 232.f. 253.a
Δῆγμα ἀσπίδος. 133.a
Δήμητρα. 150.d
Δημοφάγοι. 33.a
Διάδλος Mercurius. 312.f
Δίκης ὀφθαλμὸς. 305.a
Διομηδεία ἀνάγκη. 38.f
Διχότομος Luna. 376.d
Δρέπανον. 417.a
Δωδεκαθεῶν cōuiuiū Augusti quale. 131.a
Δῶρον. 330.f. 346.e. 247.a

E

Ἔαρ. 236.f
Ἐγέλασεν ὀλέου, παροιμία. 6.e
Ἔαρσυ. 241.a
Ἐναλιοκελέτης Apollo. 149.a
Ἐναλόγχειρ. 331.b
Ἐκκορικορώνη. 191.a
Ἐπτερυγιζειν. 227.c
Ἐλαφαῖα Diana. 65.b.c
Ἔλαφον ἄνδρα quémam vocent Graeci. 63.e
Ἐλαχες τὸ μ, prouerb. 414.e
Ἐλέφαντος ἀφέρεις ὀδόν. 18.d
Ἐλικοέλφαρος oculus quis. 307.a
Ἔμπλαιαι. 257.a
Ἐννεαγραμορώνη. 192.d. 356.f
Ἐννεάδεσμη σφόνδυλος. 356.f
Ἐννεάκευτρον & ἐννεάδεσμον. 151.a. 357.a
Hydra ἐννεακέφαλος καὶ θεηλικογαμεπαλος. 356.f. 361.b
Ἐξέφης. 356.c. 357.d
Ἐξιχνίαζω. 350.d
Ἐξωστιζειν. 5.a
Ἐπεσπέρθεν cur dixit Homerus. 199.a
Ἐπιθυμία. 321.b
Ἐπίπεμπλον. 355.b
Ἐπισκύνιον. 5.c
Ἑρμῆς Mercurius. 312.f

Ἔρυμα. 451.f
Ἐρωδιὸς vnde dictus. 236.
Ἐρᾶς dæmon nascentium. 144.f
Ἑσία. 173.a.b
Ἐυμηλίδες. 93.c
Ἐυπράτειν. 464.f
Ἐυρύβρομος leo. 3.c
Ἐυφρονὶ. 452.f

Z

Ζεῦξαι. 475.d
Ζῦνα cur Iouem Graeci. 455.c

H

Ἡμεροσκόφις χοίνιξ. 538.f
Ἡσυχία. 97.b
Ἡυγίειος leo. 1.b

Θ

Θεὸς vnde dictus. 305.c
Θεῶν χεῖρες Philonis pharmacum. 205.b
Θήρα. 474.d
Θηρεὶος Mars. 2.d
Θόθ. 268.d
Θυμολέοντες. 2.d
Θυραῖος Apollo. 477.b
Θύτης. 84.d

I

Ἰδὲ πῦρ ἀφύα. 281.b
Ἴεραξ. 196.f
Ἱερὸν. 412.f. 413.a
Ἰκελίκελα. 512.e
Ἰλιὸς. 165.a
Ἵππιὸν nympha. 34.f
Ἱππόλα. 35.c
Ἰχθύων μὴ γεύσασθαι. 284.f

K

Καινὰ τερέπελα χειὼς. 256.f
Καλλιχέλωνος obolus. 261.a
Καρθάρσι Φωτῆρος. 72.d.e
Κάππα. 414.c
Καρδίαν μὴ ἐδέειν, quid Pythagoræ. 196.e
Καρικομώδεις Graeci cur. 300.e
Καεμὸν ὄῦμα. 51.b
Καρπὸς. 334.e.f
Καταρρίζειν. 66.e
Καταχθόνιος Iupiter. 308.d
Κενοδοξία. 70.e
Κοραιὼς cur vocatus Ptolemæus. 428.f
Κεσρὸς. 279.c
Κιγκλίζειν. 239.a
Κίκλης Φωτῆρος. 238.f
Κοινὸς πάρνος vocatus Agathocles. 194.e
Κοντῷ πλεῖν. 442.e
Κοππάτιαι equi. 414.e
Κόρον ἔχει καὶ μέλι. 242.d
Καπίκο σύνφ, prouerb. 365.b
Κόσμος. 435.c
Κελὸς ἀσελγοπέρως. 95.a.b
Κρόμμυον. 553.a
Κρότων ὑγιέστερον. 138.d
Κρώζειν. 326.e
Κυανέη. 512.e

Κύων

Index Hieroglyphicorum.

Κύων Στίλβω cur dixerit Theocritus. 212.f
Κύπελοι. 470.f
Κωμικοί. 52.d
Κωμῳδία. 504.c
Κυπαρίττια παπποι. 50.d
Κύω καὶ ἰῶ. 209.c
Κωτίλλειν.

Λ

Λ in Lacedæmoniorum scutis. 414.d
Λάας, λαὸς, λάαν, λαὸν. 480.e
Λαγὼς unde formetur. 118.e
Λαλεῖν. 312.d
Λείεια. 533.c
Λεπασμὸς. 553.c
Λέον ἐλέλαστεν. 6.e
Λύκυθοι. 512.f.513.a
Λιβύη πυροφόρος. 536.e
Λιπόρρινος salamandra. 151.c
Λογογράφος vocatus Demosthenes ab Æschine. 451.c
Λόγος quid D. Ioanni. 181.c
Λυκηγωγίας. 97.b
Λύκος φῶς ἢ βοῦς ποδός. 99.b
Λυκοπάδαι. 91.a.b
Λυπόφρονες. 98.e

M

Μαραθρὸν. 129.b
Μαχαίραν ὀξέαν διαστρέφειν. 415.b
Μελανέραν μὴ γλυκεῖαν. 264.f
Μέροπες homines. 158.e
Μῆλον. 94.d
Μηνοειδὴς Luna quæ. 376.d
Μήτε νεῖν, μήτε χεμμαίζειν. 57.c
Μισῶ μνάμονα συμπότην. 353.a.b
Μνημόνιδσον gemmis insculptum. 311.b
Μονόκερως. 20.d
Μονόκερως μόχθος quid Orpheo. 23.a
Μορφὼ. 406.d
Μυδρὸν Solẽ esse putauit Anaxag. 430.e
Μιὸς ὄλεθρος. 7.b
Μίσγειν. 247.b
Μυκήνη cur vocabant Neptunum. 25.b
Μύρμηξ ἡ κάμηλος. 70.d
Μυχὸς. 135.a

N

Ναρθηκοφόροι. 534.e
Νεῦς. 136.e.f
Νοῦς quid Anaxagoræ. 132.e
Νηπίπολον. 561.c

O

Ὀβελίσκου ἄξιον. 484.e
Οἶδος. 112.e
Οἶστρος. 168.f
Οἰωνὸς. 274.e
Ὀλολυγῶν φωνὴ. 363.c
Ὁλόκαυτος. 209.b
Ὁμοροφίους χελιδόνας μὴ ἔχειν quid. 111.a
Ὄνος quid significet. 110.d
Ὄνου ὦδε, pagus Phrygiæ. 336.d
Ὀργιάζειν. 210.d
Ὀρθρογόον καὶ ὀρθροβόην χελιδόνα. 140.f
Ὀφέως ὄμμα. 376.e
Ὀχοφορεία. 137.b
Ὄφιν Σάλπης, καὶ σὲ ὄφις. 307.b
Ὀφθαλμὸς ὕφαλμος Luciano quis. 141.a.b
Ὀφιόδεροι Spartani. 149.c
Ὀφιομόλοι Argiphon. 288.e
Ὀψοφαγεῖν.
Hori Apollinis loci aliquot vel emaculati, vel accuratius expensi. 5.a. 17.c. 28.e.66.d.140.e.158.f. 168.e.186. e.187.c.189.b. 193.a. 200.e. 228.e. 228.f. 231.c. 259.a.b

Π

Παλαιστὴ mensura quæ. 431.a.436.f
Παιδίμιος. 95.c
Παισέλην Luna. 316.d
Παρθενοπλοΐα quando sublata. 178.e
Πάρροχοι qui. 424.e
Περιφερόμβου φρασσειν. 377.a
Παχὺς. 347.c
Πεθηκόμορφος cur dictus Thersites. 59.a
Πίθος. 540.d
Πέρδικος πρὸς κῆ στέλος. 227.c
Πεπελάδσεις αἱ. 257.a
Πεσσεῖρα. 203.a
Πλησίας. 257.a
Ποδάρκης. 62.e
Πολιαὶς. 468.f
Πολύτροπος Vlysses. 257.a
Πορφύρεσθαι. 266.d
Ποσειδωνιὰς. 468.e
Πόπις καὶ πώπη. 554.f
Πρωτόστερος πρωϊστέρας. 204.f.205.a
Πρόβολον. 93.a
Προβάλλειν βίον ζῶν, καὶ προβάτων ἦθος. 91.a
Πτερόεις ἵππος. 199.a
Πυανέψια. 512.e
Πυρέλος. 6.d
Πύεσθαι æthe cur Orpheo. 455.c
Πυροφόρος λιβύη. 536.e

P

Ῥα. 403.a
Ῥακὸς. 435.c
Ῥινόκερως. 20.f
Ῥινὸς. 151.c
Ῥόδα ἔτυμον. 532.e

Σ

Σ in equis, quid. 414.f
Σάλος. 136.f
Σεισόπυγις. 237.b.239.a
Σεμνὴ deæ quæ. 93.c
Σεῦτλον. 561.c
Σηπιολικὸν atramentum. 265.c
Σηπιολικὸν. 363.c
Σθενικὸς. 468.f
Σκοροδίζειν. 223.c
Σκύζειν. 5.c
Σκῶπες. 190.d
Σπεῦδε βραδέως. 254.e
Σπιθαμὴ. 345.c.346.d.347.b
Σόρὸν. 124.f
Στέφανον μὴ ἁρπεδὸς. 400.e.f
Στύλος ῥαφία. 484.f
Σωμάτια corpora. 128.e
Σχοινοκέφαλος cur dictus Pericles. 387. b.418.e
Σῶκος Mercurius. 312.

T

Ταραλιτίζειν. 38.d
Ταῦρε Neptunus cur. 25.b
Ταυρεδὸν βλέπειν. 23.b
Ταυροειδὴς scarabeus. 73.c
Ταυροκράνοι fluuij cur. 25.c
Ταυροπόλος Diana, & cur dicta. 19.b
Ταυροφάλος Bacchus. 31.a
Τελάσσαι. 486.f.487.a
Τελείεδς. 377.b.c
Τέλειον. 382.f
Τερπίσιμαδε. 127.c.128.d
Τετρακὸν. 310.d
Τετληγοφόροι Athenienses. 249.c
Τραγίζειν. 358.d
Τρέω. 205.a
Τρίρων. ibid.
Τειόρχης accipiter. 194.e
Τρυγὼν. 281.a
Τυφλότερος ἀσπάλακος. 123.b
Τύχη Luna cur dicta. 12.e
Τύχη φερεπόλος. 379.a
Τῷ τρίῳ πῶ ἐγχέλυν. 273.c
Τῶν μελανέρων μὴ γλυκεῖδς. 215.a
Τῶν χοίνων χείμαῤῥος. 350.d

Υ

Υ Litera. 79.b
Ὑγίεια. 584.e
Ὑγεία καὶ ὑγιαίνειν. 464.e
Ὕηα. 330.d
Ὗν δείνειν. 82.e
Ὑπόπλεροι ἵπποι Prindaro qui. 335.b
Ὕραξ. 124.f
Ὗς. 79.b
Ὗς ἀφ' ῥόδων. 77.b
Ὗς ὀκωμάσειν. 80.d
Ὑφαιμος ὀφθαλμὸς Luciano quis. 307.e

Φ

Φάρος. 27.b
Φάσεις, αἱ. 376.e
Φάσσαι columbæ quæ. 337.c
Φερεοικὸς cochlea. 264.e
Φερεπόλος τύχη. 378.f
Φθεῖρος βωμὸς. 481.c
Φιλοξέφανος olea quæ. 512.f.513.a
Φρένες μέλαναι Homero quæ. 374.f
Φυτικὸν. 433.c
Φυλὸν. 41.b
Φωλάδες ἀρκτοι. 106.b
Φωλεύειν. 280.f
Φῶς φίλον χαῖρε. 449.c

X

Χαίρειν. 464.f
Χεὶρ χεῖρα νίπτει, proverb. 331.b
Τὸν Χεῖρα ὀλισθάλλειν. 331.b
Χελιδωνίσειν. 209.b
Χηνάμυκον. 561.c
Χιλὸς. 62.c
Χλόνα. 391.a.392.b
Χοιροπολεῖν. 81.c
Χρυσόμηλον quemnam vocarit Diogenes. 91.b
Χρυσόῤῥαπις Mercurius. 146.d

Ω

Ὠιολούων. 277.b
Ὦσεις, αἱ. 257.a

ΤΕΛΟΣ.